
REGULA MORUM SIVE TRACTATUS BIPARTITUS DE SUFFICIENTI AD CONSCIENTIAM...

Anthony Bonville





R. P.

ANTONII TERILLI

ANGLI

E SOCIETATE JESU

TRACTATUS

BIPARTITVS

DE

REGVLA MORVM.

REGVLA MORVM
SIVE
TRACTATVS BIPARTITVS
DE SUFFICIENTI
AD
CONSCIENTIAM
RITE FORMANDAM
REGVLA
IN QUO USUS CUJUSVIS OPINIONIS PRACTICE PROBABILIS CONVINCITUR ESSE LICITUS.

AUCTORE
R. P. ANTONIO TERILLO ANGLO
SOCIETATIS JESU SACERDOTE
S. Theologiæ in Collegio Anglicano ejuſdem Societatis Leodii Profeſſore.

OPUS POSTHUMUM,
Omnibus, qui curam animarum gerunt, apprimè utile, & pro propriæ Conſcientiæ ſecuritate ſingulis propemodum neceſſarium.

IN HOC OPERE, POST REGULAM MORUM SOLIDE STABILITAM, ARGUMENTA contra licitum opinionis probabilis uſum diligenter excutiuntur, plurimaq́ Quæſtiones, ad Conſcientiam ſpectantes, reſolvuntur. Nominatim autem ex profeſſo omnia CELLADEI *molimina, quæ in ſuos de* RECTA DOCTRINA MORUM *tractatus congeſſit, atque contra communem Theologorum ſententiam objecit, ab ipſis fundamentis diruuntur, & nulla eſſe demonſtrantur.*



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA IOANNIS MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.


NEC TEMERE NEC TIMIDE

REVERENDISSIMO PRÆSULI
AC DOMINO.

D. MICHAELI VANDERSMISSEN,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EXEMPTI MONASTERII
SANCTI TRUDONIS
ABBATI DIGNISSIMO,
EIUSDEMQUE OPPIDI DOMINO,
TOPARCHÆ
IN WEBBECUM, HELIKTEREN, SENY, ALEM, HALMAEL,
BORLOZ, BURINGEN, MAYSEN, DONCK, &c.



OLENNI quodam Librorum æquè ac Liberorum fato jam dudum comparatum eſt, REVERENDISSIME DOMINE, ut utrorumque Parentes, novos Proli mox naſcituræ, hi Patrinos illi Patronos inquirant, qui in ſuſcepta commiſſorum ſibi Pignorum tutela, communes omnium æqualiter parentum defectus, vel curæ additamento ſuppleant, vel patrocinii munimento compenſent. Cæterùm naſcentem hunc Ingenii Fœtum alia, proh dolor! haud paulò gravior fati neceſſitas, Libris etiam Liberiſque non raro communis, conſtringit; ut non priùs ipſe lucem videat, quàm lucis ſuæ

Auctorem luce spoliatum defleat. Posthumo siquidem partu editus, Parentem in medio obstetricantis præli officio extinctum perdidit. Unde factum est, ut velut Pupillus, tacito per orbem ambitu, cogatur quærere, non tantùm vicarium Patroni Favorem, verùm etiam superstitem Parentis Amorem, in uno eodemque præstantis alicujus Mecænatis pectore, ab ipsa quasi Natura insculptum, & penè ingenitum. Duplici enimverò huic muneri parem, neminem planè unum inventurum se existimaverat. Cùm ecce præter spem, in ipso statim primæ inquisitionis limine, occurrit Nobilissimum juxtà ac Antiquissimum *Sancti Trudonis* Monasterium; in quo Mecænatem speciali geminæ hujus Tutelæ privilegio insignem, divinâ sibi virgulâ commonstrari, cum ingente exultantis animæ lætitia, arbitratur. In Te enim, Reverendissime Præsul, quàm primùm oculos, non sine veneratione, conjicit; & Patronum se potentissimum; & Patrem simul amantissimum invenisse certò confidit. Quem námque Patronum speret potentiorem eo, qui & lemniscatis plurimarum in stadio Theologico victoriarum palmis nobilitatus, & eminente quadam Sacræ Prælaturæ dignitate exornatus, tam sciat fallaces Sophistarum, furtivam quasi ruinam struentium, insidias erudita ingeniosæ mentis acie detegere; quàm valeat importunas antagonistarum, vim magis

apertam

apertam inferentium, machinas invicto tantæ Auctoritatis præsidio disturbare? Quem etiam Patrem optet amantiorem eo, apud quem in jucundissimo illo *Trudonopoli* novorum quasi Fratrum convictu, propè singulos contubernii sui Collegas, quà huc primò adventantes, quà hinc deinde recedentes, benignissima Charitatis penè dixeram plusquam Paternæ viscera expertos non semel esse manifestâ quotannìs experientiâ cognoscit? O fœlicem Clientis sic deserti fortunam! O exoptabilem Pupilli sic orbati sortem! Qui idcirco in luctuosum tam inopinæ orbitatis naufragium incidit, ut prælucente sibi fœlicissimâ *Sancti Trudonis* Pharo, ad inexpectatum duplicis Clientelæ portum porrectâ velut divinitùs tabulâ enataret. Nam si custodem, si defensorem, si Patronum nuditatis suæ quærat; ubi certiorem, quàm in notissimo calamitatis perfugio inveniat? Si fautorem, si nutricium, si Patrem orbitatis suæ ambiat; ubi fideliorem, quàm in publico Charitatis Asylo obtineat? Sub fortunatissimis scilicet Nominis Tui auspiciis, tantum completæ cujusdam fœlicitatis cumulum, non vano sibi augurio, ominatur; quantum, si reliquum terrarum Orbem investigando peragrâsset, ne sperare quidem potuisset. Hinc ævi sempiterni perpetuitatem, hinc famæ gloriosæ celebritatem, hinc livoris maligni immunitatem, hinc defensionis justæ Patrocinium, hinc di-

lectionis Paternæ charitatem sibi *Nec temerè, Nec timidè* præsagit. Spem perpetuitatis excitat longæva celeberrimi Monasterii antiquitas, continuo decem sæculorum curriculo confirmata. Cælebritatem conferet eximia specialis cujusdam ac Toparchicæ prærogativa Prælaturæ. Immunitatem omnium injuriarum spondet singulare Exemptionis privilegium. Patrocinium firmissimum præstabit publicis jam dudum monumentis consignata, quin imò ipsis Magisterii Laureis sublimior, eruditissimi juxtà ac ingeniosissimi Patroni doctrina. Amorem denique verè genuinum & cognatum exhibebit, non solùm egregia tam benigni Parentis charitas, verùm etiam conjuncta tot Charissimorum simul Filiorum dilectio, dum Pupillum hunc, simili Religiosæ Fraternitatis spiritu animatum, in idem secum communis Parentelæ consortium privilegio favoris planè singularis admittent. Eia ergò, REVERENDISSIME DOMINE, posthumi tutelam Pupilli, velut adoptatus omnium hujus Collegii Sociorum Parens, dignanter assume. Orbati Patrocinium Clientis velut Patronus, omnibus cùm Doctrinæ tum Auctoritatis ornamentis insignis, benignè suscipe. Suscipe inquam, Dignissime regularis disciplinæ Antistes, hanc *Morum Regulam*; quam Auctor suus, ab omni semper opinionum novitate abhorrens, ab omni salutaris rigoris laxitate

tate

tate quàm remotissimus, velut antiquis Ecclesiæ moribus conformem, & communi Conscientiæ etiam religiosissimæ securitati mirum quantum consulentem, ultimo vitæ spiritu hisce curis impenso consignavit. Suscipe Posthumum hoc defuncti Pignus, vivis universi Collegii nostri votis ac desideriis Tibi consecratum. Et sic benignus annue, ut literatum hoc mortui monumentum, inscriptione Nominis Tui animatum, toti mundo eloquatur, non tantùm Patronum Te ac Parentem sibi superstitem extitisse, sed etiam universos hujus Collegii Alumnos, Clientes ac Filios Tibi & Monasterio Tuo amantissimo semper fore devotissimos. Hoc quàm humillimè vovet, hoc optat, ipso die octavo Maii, honori S. Michaëlis Archangeli Tutelaris Vestri sacro, Anno Domini 1677.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ,

Obsequiis semper addictissimum

COLLEGIUM ANGLICANUM
Societatis JESU *Leodii.*

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

Placet ut imprimatur. Leodii hac 16. Junii 1676.

IOAN. ERNEST. BARO DE SVRLET
Vicarius generalis Leodiensis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo Richardus Strangius Provincialis Societatis JESU in Provincia Anglicana, poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodum R. P. Joanne Paulo Oliva Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, ut Liber, cui Titulus eſt REGULA MORUM, à R. P. ANTONIO TERILLO Societatis noſtræ S. Theologiæ Profeſſore compoſitus, quatuorque ejuſdem Societatis Theologorum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Officii noſtri Sigillo munitas dedimus. Leodii 15. Junii 1676.

RICHARDUS STRANGIUS.

Locus (✠) *ſigilli.*

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM
TOTIVS OPERIS
DE
REGVLA MORVM.

PARS PRIMA.

QUÆST

Index Quæstionum.




INDI-

INDICIS QVÆSTIONVM.

PARS SECUNDA.


** QUÆST.

Index Quæstionum.



PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



DOCTRINA de Morum regulâ, si quæ alia, & in se nobilissima est; & nobis maximè necessaria. Nobilissima quidem ob materiæ subtilitatem & excellentiam; nobis verò utilissima, ob conscientiæ quietem & securitatem, quam regula rectè & rationabiliter constituta parit; maximè quando communis, imò & unanimis omnium peritorum consensus eandem approbat. Optimè proinde hac ex parte, à paucis annis, agebatur cum Republicâ Christianâ, quando Doctores omnes cum summâ conscientiarum quiete in unam eandemque de sufficienti conscientiæ regulâ sententiam conveniebant. Sed, proh dolor! in re tanti momenti, in quam omnes omnino, futuris etiam temporibus, ut par erat, consentire debebant, gravissimæ opinantium dissentiones, non ita pridem exortæ, conscientiarum pacem turbaverunt. Nec turbarunt tantùm, sed easdem aliqui scriptis suis etiamnum turbare pergunt. Quod cùm ita sit, è re omnium judicavi fore, si ante disputationem inchoatam, brevem de celeberrimæ, jamque ore omnium agitatæ, circa licitum probabilium usum, controversiæ ortu & progressu historiam attexam. Res ergò ita se habuit.

Ante annum hujus sæculi 1638. omnes Authores, omnesque Ecclesiæ Doctores unanimiter asserebant, cuique licitum esse in praxi sequi opinionem probabilem, quamvis illa esset minùs tuta quàm opposita, maximè si operans opinionem illam absoluto judicio veram esse existimaret. Hoc evidenter constat ex innumerabilium Autorum scriptis, ante annum illum editis, qui omnes in hoc puncto unanimiter conveniunt; neque enim vel unum à centum & ampliùs annis invenire erat, qui post quæstionem examinatam id in expressis terminis non tradiderat. Sed & Antiquiores Theologi facem prætulerant; illi enim in eandem doctrinam antea conspiraverant, ut palam evinco *quæst. 22. de Conscientia probabili*, ubi propria singulorum verba, quibus ipsi mentem suam satis apertè exprimunt, attuli ac ponderavi. Hoc adeo certum est, ut nec ipsa invidia ullum Auctorem ante dictum annum hactenus citare potuerit, qui veritatem hanc in dubium revocârit.

Porrò veritas hæc, & unanimis Authorum conspiratio eousque progressa est, ut omnes uno etiam ore docerent, licitum hominibus esse in praxi sequi opinionem quamcumque etiam minùs tutam, modò illa motivo probabili confirmaretur, etsi opinio contraria & tutior esset & probabilior. In hoc etiam Authores omnes conveniebant, unum si dempseris Paulum Comitolum, virum ex Societate nostrâ, sed ob doctrinæ præstantis famam in mundo literario parum celebrem, qui anno 1609. edidit *responsa moralia lib. 7.* comprehensa, qui liber in 4. prodiit Lugduni apud Cardon. In hoc libro docuit, licitum non esse sequi opinionem minùs tutam, quando opposita tutior creditur esse probabilior. Quo tamen non obstante, idem Comitolus expresè tenet; licitum esse sequi opinionem minùs tutam, modò illa sit probabilior, aut certè non minùs probabilis, quàm opposita tutior. Hic erat status Controversiæ præsentis usque ad annum Domini 1638 in quo mortuus est Cornelius Iansenius, Episcopus Iprensis. Nam post ejus obitum liber ipsius, dictus *Augustinus*, editus est. Interea autem dum ederetur, Libertus Fromundus incepit usum probabilitatum condemnare. Audiatur Caramuël in Apologemate, qui eo tempore præsens Lovanii erat, & narrat quæ ibidem tunc gesta sunt: audiatur inquam nu. 116. ubi hæc habet.

Eram Lovanii cùm jam mortuo Iansenio, Exsequutores Testamenti de clandestinâ ejus Augustini editione secretissimè deliberabant. Et D. Libertus Fromundus, inter hujus novæ doctrinæ asseclas Coriphæus, ut viam superventuro aperiret errori, aut veriùs, ut illum,

 nihil

nihil simile Academia Doctoribus prævidentibus, disseminaret, has propositiones: Probabilitatum usus, est res nova. Non potest non condemnari apud Deum, qui relinquens viam tutam insistit opinioni probabili. Opiniones quæ dicuntur aut sunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deum. *Quæ, considerata Authoris intentione, æquivalent huic:* Ad securitatem Conscientiæ non sufficit opinio probabilis, *conatus est in Scholam protrudere. Se opposuerunt viri Probi & docti; illumque ego impugnavi in Theologia Regulari, quam anno 1639. Brugis edidi. At postea, quando detectâ larvâ, quò illa doctrina tenderet, rimari licuit, uberiùs, fortiusque in secunda & tertia ejusdem Operis editione. Vide Disp. 6. art. 3. num. 60. 61. & 62. ubi probabilitatum usum esse antiquissimum, securissimum, & summè utilem conscientiarum puritati & solamini ostendo.* Hactenus Caramuël.

Hîc habes originem doctrinæ & opinationis novæ, quæ asserit, nemini licitum esse sequi partem minùs tutam, quamvis probabile sit illam non esse prohibitam; certum enim est, talem doctrinam antea à Scholis, ut falsam, exulasse. Itaque hæc Adversariorum sententia, unà cum Iansenismo nata est, imò aliam matrem non agnoscit, quàm hæresim Iansenianam; quia primi Asseclæ & Evulgatores Iansenismi, ideo cuderunt hanc opinionem, ut sic suos errores sub prætensâ veritatis specie, ignorantibus faciliùs obtruderent. Nec mirum: cùm enim hæresis Ianseniana doceat, aliqua Dei præcepta esse hominibus justis impossibilia, idque ex eo potissimùm probare contendant Iansenistæ, quòd Deus strictè exigat, ut homines omnia naturalia præcepta sub pœnâ damnationis æternæ re ipsâ impleant. Inde statim inferunt, ignorantiam, etsi invincibilem, neminem excusare à peccato, si quidquam re ipsa fiat contra legem naturæ; adeoque neque ullam probabilitatem posse sufficientem excusationem afferre, modò quis reipsâ erret, & ponat illud, quod Deus lege naturæ vetuit. Ecce Iansenismus necessariò infert, probabilitatem non excusare à peccato, saltem circa objecta, quæ jure naturæ sunt prohibita. Proinde rectè dictum est, hanc sententiam aliam matrem non habere, quàm hæresim Iansenianam: Iansenismi enim Evulgatores, cùm viderent sua dogmata admitti non posse, nisi simul concedatur, quod opinio probabilis non excuset à peccato, simulque scirent, contrariam sententiam ut certam ab omnibus Scholis esse receptam, incæperunt usum probabilitatum duplici nomine criminari. Primò, quòd qui probabilitatem sectatur, si erret in suo judicio, necessariò peccat. Secundò, quòd nemo per opinionem possit esse tutus, quia formidat ne Deum offendat. Hæc porrò cùm apud ignorantes, & inscios modi, quo conscientia ultimò formatur, plausibilia viderentur, ideo præ aliis evulgata fuère, ut homines jam alienati à priore persuasione, faciliùs admitterent doctrinam, quæ aliter admitti non poterat, quam priori persuasione damnatâ. Atque ita Iansenistæ fuco ornarunt turpem filiam, ut ita homines minùs aversarentur turpissimam matrem.

Non multò post evulgatum Iansenii Augustinum, liber ille sub Urbano VIII. condemnatus est, tanquam continens doctrinas olim à Pio V. & Gregorio XIII. in Michaële Baïo condemnatas. Verùm non acquieverunt Iansenistæ, sed Bullam calumniati sunt, & eòusque progressi, ut illam suppositiam fuisse clamarent. Interim dum lis etiam ista mirè fervebat, contra Caramuëlem, aliosque piæ mentis Doctores, qui se contra nascentem hæresim murum pro domo Dei opposuerant, insurrexerunt Iansenistæ; atque eorum, aliorumque omnium communissimam doctrinam, de usu probabilitatum calumniati sunt, Romamque scripserunt, ut Pontifex eorum audaciam retunderet. Horum primarius fuit D. Iacobus Boonem Mechliniensis Archiepiscopus, *Iansenistarum Coriphæus* (inquit Caramuël in suo Apologemate nu. 30.) *qui Sedi Apostolicæ inobediens, & ab illâ punitus, totum turbavit Belgium.*

Sed & Doctores Lovanienses anno 1655. censuras quasdam ediderunt contra usum opinionum probabilium; quas Fagnanus in cap. *ne innitaris, de Constit. à paginâ* 101. per sex columnas recitat. Verùm, *tunc Iansenistæ dominabantur Lovanii*, inquit Caramuël

in

in Apologemate *num.* 36. Et hactenus quidem opinionem rigidam, nemini per Belgium, nisi Ianseniſtis, aut Ianſeniſmo addictis, acceptam fuiſſe conſtat.

Hactenus vidimus quid per Belgium geſtum ſit. Quomodo rigida opinio ortum ac progreſſum habuerit, ac à quibus, quo animo inventa ac promota ſit. Superest ut de ejuſdem in Gallia ortu & progreſſu hiſtoriam texamus. Poſt divulgatum Ianſenii *Augustinum*, liber ille in Gallias illatus, unà ſecum lamentabile Schiſma in florentiſſimam Eccleſiam Gallicanam invexit. Plurimi enim, novitate Doctrinæ capti, in hæreſim Ianſenianam lapſi ſunt, à quâ plures eorum, ne quidem poſt abſolutam condemnationem Ianſeniſmi, ab Innocentio X latam & promulgatam, voluerunt recedere. Hinc poſt Ianſenium ab Innocentio X. condemnatum, Ianſeniſtæ in Gallia ſummo niſu inſurrexere contra uſum doctrinæ probabilis, unàque contra Societatem plurimas calumnias ſparsêre, illamque infamare ſatagerunt; eo nomine, quòd doctrinas morales laxas, & animarum ſaluti periculoſas traderet. Ecce Ianſeniſtæ ubique ſibi ſimiles fuerunt. Quod enim ab initio per Belgium egerunt, hoc ipſum poſtmodum per Gallias factitarunt, ubique eodem ſpiritu ducti.

Quidam anno 1656. ſub nomine Ludovici Montaltii in Societatem animoſior, arrepto calamo totum ordinem diffamare aggreſſus eſt, libro edito, quem hoc titulo, *Epiſtolæ Provinciales* inſcripſit. Liber hic, ſeu potiùs Libellus famoſus, Ianſeniſmo gravidus, (nam pro tali, & Romæ inter libros prohibitos affixus eſt, & Aquis-Sextiis authoritate Parlamenti, Carnificis manu flammis datus, quâ dignus erat luce, omnibus palam legendus, unà & condemnandus apparuit) collectis, ſeu potiùs corroſis opinionibus laxioribus (quas ſparſim apud aliquos reperire eſt) ſed ſæpè mutatâ etiam ſententiâ, & corruptâ doctrinâ, in illas cenſuram tulit, ſimulque totam moralem doctrinam Societatis damnavit, quaſi illa non aliud eſſet, quàm opinionum noxiarum, ſcandaloſarum, & tranquillum reipublicæ ſtatum perturbantium congeries.

Portò Liber hic continet Epiſtolas 18. ad quem numerum paulatim excrevit, nam non omnes ſimul prodiêre; verùm omnes octodecim ab Alexandro VII. damnatæ ſunt anno 1657. 6. Septembris; & ſeptemdecim primæ (nam decima-octava nondum erat edita) eodem anno 9. Februarii publicâ authoritate Aquis-Sextiis flammis condemnatæ, manu Carnificis in ignem conjectæ, publicè, uti præfatum eſt, arſerunt.

Iam libri hujus authorem Ianſeniſmo addictum fuiſſe nemo negare poterit, qui ſciat quid ſit Ianſeniſmus, & librum legerit. Eò enim totus ejus labor collimat, ut oſtendat, Deum ipſis Iuſtis impoſſibilia præcipere, illiſque vires denegare, quibus poſſint, etſi velint, perſeverare. Quæ blaſphemia vere horrenda in Deum conjecta, omnes Probos & Doctos adeo perculit, ut nemo non judicaret, librum tam pernitioſum omnium oculis interdicendum eſſe. Hinc ultra fulmina ſuperiùs recenſita, ſtatutum eſt, ne Pariſiis imprimerentur hæ litteræ. Interim Montaltii liber à Ianſeniſtis, & Ianſeniſmo addictis, miris laudibus efferebatur, & in varias linguas traductus, ubique diſtractus, & ultrò donatus ac obtruſus fuit, ingemiſcente meliore, & optimâ Chriſtianitatis parte. Et quis non gemiſceret, videndo hæreſes, fucato prætextu veritatis, & ſimulatæ fidei zelo, mulierculis & rudibus obtrudi, qui, ut moris eſt, avidè abrepti cupiditate noſcendi infames calumnias, quas Author, Sorbonæ, Dominicanis, & maximè Ieſuitis, (in quos acerbiſſimè invehitur) imponit, dum ſales, & lepida dicteria incautè lambunt, hæreſeos venenum & ſcandali toxicum hauriunt.

Quod ſi quæras, quis tandem fuerit iſte Montaltius? ipſe de ſe ipſo fatetur *Epiſtola* 8. ſe nec Eccleſiaſticum eſſe, nec Doctorem, aut Theologum; ex quo certè apparet, quàm parvam ſuis dictis in materiâ Theologicâ authoritatem conciliare potuerit. Sed & ipſe tandem, Deo favente, ſuos errores agnovit, eoſque integro ante mortem biennio ex animo condemnavit, eò quòd videret, opiniones illas ex nimia paſſione & arreptas & defenſas fuiſſe. Teſtatur hoc Pater Franciſcus Annatus *in Notis ad epiſtolam dedicatoriam Ianſenii*,

in libri ipsius editione suppressam, quas Gallico idiomate an. 1666. edidit, asseritque se hoc scivisse ex authentico testimonio illius, qui Montaltio (quicunque tandem is fuerit) morituro astitit, illumque ad supremam vitæ periodum feliciter terminandam juvit. Gratulor proinde Ludovico Montaltio, illique ex animo requiem æternam exopto.

Litteræ ergò istæ, non alio jam quàm authentico publicæ infamiæ sigillo notatæ, ab omnibus bonis Catholicis solâ flammarum luce dignæ habentur; quod verum est, sive illas secundùm se nudas consideres, sive illas spectes notis illustratas: nam quicumque illustrare & ornare studet libros, publicâ authoritate propter errores, quibus scatent, prohibitos, haud dubiè culpandus est. Ad hanc classem reducendus est Guilhelmus Wendrockius, quicunque tandem ille sit, qui latinas reddidit Epistolas, easque notis illustratas jam tertiò edidit. Ille enim Montaltium defendit, & longè majorem animositatem in Iesuitas, quàm ipse Montaltius ostendit. Vix enim duas aut tres lineas evolves, in quibus plura scommata contra Societatem non invenies. Porrò Wendrockius iste, mirè etiam in usum opinionis probabilis insurgit, in hoc Montaltium imitatus. Hæc ideo à me dicta sunt, ut Lector sciat, quales fuerint Authores, à quibus novum dogma, quod à Scholis omnibus exulaverat, invectum est.

Post Epistolas Provinciales evulgatas, plures Parochi Rothomagenses, & inde Parisienses etiam complures, aliique nonnulli, in doctrinam moralem Societatis insurrexerunt, & nominatim contra usum Probabilitatum vehementiùs exclamârunt. Horum clamores videre licet apud Fagnanum *in cap. innitaris nu.* 336. Præterea Parochi isti etiam contra Caramuëlem & Mascarenham invecti sunt, qui palam contra Iansenium docebant, ignorantiam invincibilem juris naturalis à toto excusare, ut refert Caramuël *num.* 2. cùm ipsi contrariam sententiam tenerent, quæ illorum opinio efficaciter infertur ex hæresi Iansenianâ, uti suprà ostensum est.

Hactenus breviter narravi ortum & progressum sententiæ, quam *in tractatu de Conscientiâ probabili* fusè refutavi, atque hîc etiam ulteriùs confutandam suscepi. Æquitas autem, aut potiùs necessitas ad hanc historiam operi huic præfigendam induxit. Cùm enim sermo sit de probabilitate opinionum, earumque delectu; quæ autem, quanta, & qualis probabilitas cuicunque opinioni ab omnibus propter authoritatem Scriptorum tribuenda sit, aliundè determinari non possit, quàm à doctrina & probitate Authorum; necesse omnino est ipsam radicem & originem pullulantis opinionis contrariæ eruere. Si enim constiterit, eam animo alieniore, aut passione aliquâ mentem turbante, scripto traditam, typisque mandatam fuisse; si certum sit, eandem non dissimili impetu, hodiéque in animis quorundam conservari, eisdemque studiis, & quasi factiosis progressibus Discipulorum mentibus imprimi; si contraria & communis omnium Scriptorum sententia, quasi Societati propria, in ludibrium Ordinis & contemptum doctrinæ, buccis crepantibus, ab Adversariis animosè deprædicari notum fiat; eo ipso Authorum illorum autoritatem languere, & ad probabilitatem suis assertis conciliandam parum aut nil momenti habere, certum erit; quia evidens præsumptio est, eos ex passione, & impetu mentem turbante, non ex sincero veritatis studio, ac ut viros peritos & probos decet, sententiam suam protulisse. At hic est casus noster: nam veritatem hac in re testatam, res non clanculum gestas, sed historiam ante Mundi fermè totius oculos exhibitam refero; evidens enim est, & flens dico, primos authores, acriores Fautores & seduliores Promulgatores oppositæ doctrinæ (Pauculos excipio, quos infra honoris causâ nominabo) homines esse ac fuisse, aut novitatibus addictos, aut hæresis Iansenianæ certissimos Fautores, eâdemque fortè infectos; sed potissimè constat, plures eorum, ne dicam fermè omnes, malevolentissimo ac amaro nimis animo in Societatem IESU, ejusque Authores affectos fuisse, & hanc de sequendâ opinione probabili, tutiore relictâ, sententiam, tanquam crimen intolerabile, & doctrinam animis Christianorum perniciosam, in opprobrium Ordinis, in ejus authoribus ubique obviam, & quasi propriam, ut caput accusationis non infimum

mum protulisse. Atque utinam aut eâdem, aut non multùm inferiore animositate & malevolentiâ, quæstionis causa hodie apud multos non conservaretur, & propagaretur in audientium animis! Verùm oppositum ejus, quod cupio, nimis apertum est in oculis eorum, qui sincero animo quæ per mundum in hâc materia geruntur, circumspiciunt.

Cæterùm omnes hactenus enumerati, aut Iansenistæ, aut Iansenismo, aut novitatibus adducti fuerunt, aut certè tumultariè ex passione vehementi sententiam suam dixerunt: Verùm præter eos fuêre nonnulli ex nuperis authoribus, ab omni istiusmodi nota alieni, viri undequaque Catholici, bonæque intentionis, qui contra communem sententiam opinati sunt. Inprimis præter Paulum Comitolum, ex Societate IESU, Candidus Philalethus docuit, nemini licitum esse sequi opinionem minùs probabilem contra tutiorem simulque probabiliorem. Verùm neuter illorum arbitratus est, certitudinem semper requiri ad fundandam honestatem electionis, cùm uterque ex professo doceat, majorem probabilitatem ad conscientiam ritè formandam sufficere. Ex ordine S. Dominici Iulius Mercorus, Inquisitor Mantuanus, opusculum edidit, in quo communem aliorum sententiam impugnat. Hic vir, utpote Theologus & Canonum non imperitus, præ aliis omnibus, quos viderim, nervosè promovet suum intentum: Collegit enim in unum, quicquid alii contra securitatem sectandi sententiam probabilem, sparsim dixerant, multumque ex proprio ingenio magnâ cum modestiâ adjecit: virum hunc tum propter modestiam, tum propter doctrinam veneror, illumque honoris causâ, sicut & sequentes nominatos volo.

Præter Iulium Mercorum, duo alii ex ordine S. Dominici prodiere, nempe Gonet & Baronus, qui minùs probabilium usum impugnarunt. His adjungi possunt Thomas de Afflicto, & Philippus Faber, quos Caramuël in Apologemate contra communem sententiam citat. Duo etiam Iurisconsulti, Antonius Merenda & Prosper Fagnanus in usu minùs probabilium impugnando multi sunt. Verùm horum autoritas, cùm non admodum versati sint in Theologicis (& Fagnanus quidem de se ipso hoc expressè testatur) in præsenti quæstione minoris facienda est, quia quæstio ista ad jus naturæ pertinet, quæ proinde ex Theologia magis, quàm ex Canonum peritiâ determinari debet. Sinichius etiam Doctor Lovaniensis ardenti nimis Calamo, licitum probabilium in suo Saüle Ex-Rege insectatus est. Horum argumenta latè examinavi, ac apertè confutavi *in tractatu*, quem anno 1669. (ut fert titulus impressionis, quamvis liber verè prodierit sub finem Augusti anno 1668.) *de Conscientia probabili* Leodii imprimendum curavi, in quo pluribus in locis, potissimè verò *quæstione* 22. ostendo, paucos istos plurimum inter se discrepare in ipsa substantia quæstionis, neminemque illorum impugnasse communem sententiam in sensu proprio, ab illius Autoribus intento. Præterea ibidem demonstravi, neminem ex illis (præter Sinichium hac in quæstione apertè sibi contradicentem) re ipsa à communi sententiâ discrepare, sed ab illo in modo tantùm loquendi recedere. Demum in toto illo tractatu ostendi, Adversariorum argumenta non infirmare, sed communem opinionem efficaciter confirmare.

Sub idem tempus, eodem scilicet anno 1669. Martinus de Esparza Appendicem ad quæstionem de licito Probabilium usu Romæ edidit, in quo ex professo omnia Adversariorum argumenta examinat, eorumque nullitatem plenissimè demonstrat. Nec alii ubique Gentium defuêre, qui in aciem descenderunt, antiquámque, atque aliorum omnium unanimem sententiam, peculiaribus tractatibus, contra novos istos homines summâ laude, manuque prævalidâ tutati sunt. His demum factum est, ut veritas etiam Adversariis ipsis denuo paulatim illuxerit. Nam post annum 1669. quo Appendix Esparzæ, Tractatusque meus per Orbem Christianum divulgati fuerunt, clamores pristini per Belgium, Galliamque maxima ex parte cessaverunt; vix enim ex Doctoribus Catholici Nominis quisquam inventus est, (præter unum Vincentium Baronum, qui non ita pridem utrumque nostrum satis fusè, sed irrito prorsùs conatu, ut suo tempore ac loco Deo dante ostendam, impugnavit) qui aut scriptis, aut Thesibus editis antiquam communem-

que

que doctrinam in dubium revocârit; cùm antea quotidie fermè Theses, aut censuræ, vel etiam opuscula contra communem sententiam prodirent, quibus illa non solùm apud studiosos Adolescentes, sed etiam apud imperitum vulgus, ipsasque etiam fæminas, tanquam animabus perniciosa, & præ nimiâ laxitate haud ferenda audiebat.

Verùm, post veritatem clarè expositam, post æquivocationes Adversariorum detectas, post omnia eorum argumenta non tantùm soluta, sed etiam falsitatis ac nullitatis convicta, immo & in illos ipsos efficaciter retorta, pax antiqua redire cœpit, & fortassis jam planè rediisset, nisi ex eâ mundi parte, ex quâ nil ejusmodi timebatur, antiquum bellum recruduisset. Quidam enim, natione Hispanus, omnium nationis suæ præstantissimorum Theologorum vestigia deserens, sub nomine Antonii Celladei, anno 1670. librum edidit Lugduni, in quo majori, quàm alii omnes, vehementiâ in communem sententiam consurgit; sed re verâ nil momenti contra eam objicit, nisi quod alii diu ante objecerant, quodque fusè ab Esparza *in Appendice*, & à me *in Tractatu de Conscientia probabili* solutum confutatumque erat; unde si Auctor iste Appendicem Esparzæ, meumque Tractatum legisset, aut editionem operis sui prorsùs omisisset, aut illud ex toto variare debuisset, cùm ea, in quibus potissimè fundatur, ab utroque nostrûm directè explicata, efficaciter soluta, falsitatisque convicta sint.

Cæterùm, cùm opus Celladei prodierit, manibusque legentium teratur, necessarium duxi, singula, quæ habet, hoc Tractatu examinare, eorumque insufficientiam ostendere, æquivocationes Autoris hujus aperire, ejusque inconsequentias, atque contradictiones notare, ut sic, omnibus ritè perpensis, Lectori veritas victrix tandem appareat, & communis verissimaque opinio, ut olim, sic etiam jam iterum & in posterum cum conscientiarum pace postliminiò restituta vigeat. Hic est præsentis laboris mei scopus, quem Lectori indicandum censui. Cæterùm, plura de Celladeo hîc non præfabor, sed quæ ad consilium ejus refutationem in me suscipiendi, atque ad alia hisce similia pertinent, in quæstionem primam, tanquam in locum oportuniorem rejiciam. Interim, Lector benevole, fruere labore meo; & si quid in eo approbatione dignum repereris, id omnium bonorum Largitori Deo, à quo solo est, tribue; si verò quid mancum & defectuosum (& multa invenies ejusmodi) se prodiderit, id meum agnosco, illudque emendare, retractare, corrigere, imo & condemnare paratus sum, si à Te, vel alio quovis meus mihi error indicatus fuerit: maximè verò si quidquam à summo Ecclesiæ Pastore, vel ab iis, quos ipse pro privatorum hominum doctrinis dijudicandis sibi substituit, improbatum ullo unquam tempore fuerit, id ego ex nunc improbo, eâdemque notâ rejicio, condemnoque, quâ illud ab illis unquam rejici, ac condemnari contigerit. Me enim, omniaque mea Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ correctioni, ac censuræ ex animo sincerè submitto.

R. P. AN-

R. P.

ANTONII TERILLI

SOCIETATIS JESU

REGULA MORUM

SIVE

TRACTATUS

De sufficienti ad conscientiam ritè formandam regula.


PARS PRIMA.



USTIS *de causis, nominatim autem ad celeriorem Operis impressionem, Tractatum hunc in duas partes dividere constitui. Pars prima, præter ea quæ ad præsentis controversiæ statum, atque ad solidam ejusdem resolutionem pertinent, complectetur omnia quæ Celladeus in duos priores libros primæ suæ Partis congessit, atque de illis ordine mox indicando disputationem instituet. In Parte secunda de iis agam, quæ Celladeus tam duobus posterioribus Partis primæ libris, quàm primo libro Partis secundæ complexus est. Nec dubito, quin disputatio hæc plurimum utilitatis, nec minùs voluptatis candido Lectori allatura sit. Gaudebit enim, ubi veritatem summi momenti solidè stabilitam, falsitatesq; Adversariorum perspicuè detectas esse perspexerit; atque inde haud dubiè utilitatis plurimum acquiret. Sed rem ipsam aggrediamur.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quis status, quod momentum, & quæ sit causa præsentis controversiæ?

1. 

A est hominum non tam consuetudo, quam conditio, ut, quoties tractatum aliquem legendum accipiunt, in ipso vestibulo compendiariam controversiæ totius narrationem, & legitimum quæstionis statum sibi proponi expectent. Et meritò quidem; fieri enim vix potest, ut seriò, alacriter, & cùm spe fructus in studium incumbant, nisi status, dignitas, ac momentum rei quæsitæ ante oculos statuatur, quibus allecti ad indefessam rei tantæ investigationem incitentur. *Lector libri quid expectare soleat?*

Quocirca ut huic tam justæ Lectoris expectationi satisfaciam, in ipso operis hujus limine statui tria breviter præstare: primum est, statum quæstionis exactissimè proponere. Secundum, emolumentum ac necessitatem controversiæ exortæ declarare. Tertium demum, causam indicare, ob quam hunc in me laborem susceperim, quem Lectori & cupio, & utilem fore spero. Hoc ut eveniat, Deum per Christi merita enixè rogo, ut de sede magnitudinis suæ emittat spiritum sapientiæ & scientiæ, qui mecum sit, & mecum laboret, nec me à veritate aberrare permittat; atque ita scribenti calamum dirigat, ut ex eo nil elabatur, quo quisquam meritò offendi possit. Hæc, ut decet, humili cordatissimaque precatione præmissa, rem ipsam sine ambagibus aggredior. Sit ergo,

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit verum ac legitimum controversiæ præsentis statum proponere.

2. TOTA de licito probabilium usu controversia in hanc tandem quæstionem devolvitur, utrum opinio probabilis sit sufficiens licitæ operationis regula? Si sit, habetur intentum; si non sit, erramus, & adversarii verum dicunt. Hac de causâ tractatum hunc de regula morum inscripsi, quia aliud in illo non quæro, quàm rectam & sufficientem moralitatis, atque conscientiæ formandæ regulam stabilire. Et quidem *Quæstio præsens in eo vertitur, utrum opinio probabilis sit sufficiens morum regula?*

dem sermo est de formali, non de objectiva morum regula; regula enim objectiva est lex æterna, seu voluntas Dei, cui creaturæ rationalis operationes, ut sint honestæ, conformari debent, ut nunc suppono, & omnes fatentur. Formalis autem regula est judicium intellectus, quo lex æterna, seu prima morum regula objectiva voluntati proponitur. Quæritur autem, quæ & qualis debeat esse actus iste intellectus, per quem lex æterna proponitur, ut ille meritò dicatur, & vere sit recta, aut sufficiens regula moralitatis? Hunc quæstionem in hoc opere determinandam assumo, in quo, Deo dante, ostendam opinionem probabilem esse rectam morum, & sufficientem conscientiæ formandæ regulam. Hoc ut paulatim efficaciter ostendam, ante omnia exactum controversiæ statum proponere oportet. Hunc ut legitimè proponam, sic discurro. Præsens controversia est reflexa quædam consideratio ac disputatio de regula formali operationis bonæ, seu de actibus mentis nostræ, quibus divina voluntas, seu prima regula objectiva omnis moralitatis, voluntati sufficienter proponitur. Porro ex actibus istis, aliqui certò, alii evidenter enunciant voluntatem Dei hæc permittere, illa præcipere, alia prohibere.

Actus certi sunt recta morum regula.

De istis actibus nulla est controversia, quia sicut illi absque ullo deceptionis periculo directe enunciant, ac manifestant legem æternam, seu voluntatem divinam; sic nos illorum qualitatem reflexè considerantes, certò & evidenter asserimus, quod sint recta morum regula: quin nomine rectæ morum regulæ aliud non intelligimus, quàm judicium, quo intellectus legem æternam ita proponit, ut voluntas ductum illius sequens, nullius peccati sit rea, sed Deo placeat, & bene ac laudabiliter, seu honestè operetur. At loquendo de talibus actibus directis, certò & evidenter scimus, illos & peccatum arcere, & honestatem in opus refundere, unde certò & evidenter concludimus, actus ejusmodi esse sufficientem, seu rectam regulam formalem moralitatis. Ideo autem vocantur regula formalis, quia illis mediantibus lex æterna, seu divina voluntas, quæ est prima regula objectiva morum, formaliter, vitaliter, atque intellectualiter per absolutum judicium voluntati applicatur, atque in liberas ejus operationes honestatem refundit. De his ergo actibus veritas constat, & omnis controversia cessat.

3. Alia judicia habemus, quibus voluntas Dei, seu lex æterna absque evidentia & certitudine nobis proponitur. Hæc judicia in duas classes dividuntur, alia temerè, alia absque temeritate eliciuntur. Inprimis omnia illa judicia temerè eliciuntur, quæ carent motivo sufficienti ad ferendam sententiam, sicut decet virum peritum & probum illam proferre; atque ideo non nisi ex passione animum excæcante, ac indebitè ad assensum propellente eliciuntur. Similiter ea omnia judicia temeraria vocamus, quæ absque debita veritatis indagatione formantur, quando ad illam tali vel tali diligentiæ mensura investigandam obligamur. Jam si hos actus eorumque qualitatem reflexè consideremus, incunctanter, & sine omni formidine dicimus, illos non esse sufficientem regulam formalem moralitatis; quia tametsi aliquo modo voluntatem regulent, applicando illi legem æternam, quatenus non solum operationem esse honestam, Deoque placere asserunt, sed etiam prout voluntatem ad opus ex hac persuasione ponendum alliciunt, nihilominus scimus, talia judicia non esse sufficientem conscientiæ regulam, quia nec honestam operationem fundunt, nec peccatum arcent. Ratio est, quia taliter operans peccandi periculo temerè se exponit, ideoque nunquam excusatur, ne quidem quando in illo suo judicio non errat. Non excusatur si erret, quia vincibiliter errat, adeoque error illi imputatur. Non excusatur, si verum dicat, quia adhuc periculo violandi Dei legem temerè se exposuit, adeoque turpiter egisse convincitur. In hoc etiam omnes omnino consentiunt; quamvis enim ejusmodi judicia, plerumque saltem, rationem malitiæ, atque peccati minuant, ideoque à Theologis dicantur excusare à tanto, non tamen sunt sufficiens regula, quia non excusant à toto, nec impediunt quominus operatio Deo displiceat, & vere sit mala & peccaminosa.

Judicia temere concepta non sunt recta morum regula.

4. Itaque præsens controversia ad ea solum judicia incerta devolvitur, quæ absque ulla temeritate ab homine eliciuntur. Talia autem sunt ea omnia & sola, quæ ex una parte nituntur fundamento, quod assensum meretur, id est tali fundamento, quod aptum est ad assensum à viro perito & probo impetrandum, quando ille, ut talem virum decet, assensum præbet; & ex altera parte non eliciuntur absque debita veritatis investigatione, quando illa præmittenda est, hæc & non alia judicia incerta ad hanc tertiam classem reducuntur. Jam si hujusmodi judicium, sic elicitum, enunciet rem esse licitam, seu à Deo permissam, utique voluntatem divinam, seu legem æternam menti nostræ applicat, nosque per ejus applicationem ad operandum movet. Quæritur ergo, utrum judicium istiusmodi sit sufficiens regula formalis moralitatis? Et in hoc tota præsens controversia consistit. Si enim actus ejusmodi, tam verus quàm falsus (nam aliquando tales actus falsos esse contingit) & à peccato excuset, & operationem honestam Deoque placentem fundet, haud dubiè erit sufficiens, ac recta operationis humanæ regula. Si neutrum horum præstet, non erit sufficiens morum regula. Si vero peccatum arceat, sed honestatem in operationem non inducat, erit quidem regula sufficiens ad omne malum arcendum, sed non erit undique & complete sufficiens, quia honestatem in actum non refundet, sed in hoc à perfectione regulæ deficiet.

Judicia sine temeritate elicita, sunt recta morum regula.

5. Jam si reflexè respiciamus istiusmodi judicia, statim per se apparet, quod malum arcendi vim habeant, quodque peccatum & peccati periculum excludant. Ratio est manifesta, quia omnis ita judicans, temeritate caret. Unde sic arguo: talis homo vel errat, vel non errat in suo judicio. Si non erret, haud dubiè bene operabitur, quia lex æterna ipsi, bona fide procedenti, veraciter applicatur. Si erret, errat invincibiliter, quia fecit quod potuit ac debuit: ergo non peccat, cùm error illi imputari non possit. Et sanè quoad exclusionem peccati res est tam certa, ut in dubium vocari non possit, neque quemquam ex scriptoribus catholicè sentientibus reperies, qui de hoc dubitaverit; omnes enim uno ore fatentur, errorem & ignorantiam invincibilem à toto excusare. Præterea omnes, quod sciam, præter unum Celladeum, docent, bonitatem moralem ab actu humano inculpabili esse prorsus inseparabilem, si actus ille in honestum motivum tendat. Unde communis opinio, quæ tenet, usum eorum, quæ per ejusmodi judicia proponuntur, esse licitum, duo statuit: primum & præcipuum est, quod qui bona fide sectatur præscri-

Recta morum regula debitè proposita patet ex terminis.

præscriptum talis judicii, nec peccet, nec peccati periculo se exponat, hoc enim dato, habent præcipuum quod intendunt. Secundum, & minus præcipuum in ordine ad intentum controversiæ præsentis est, quod dicto modo sectans ejusmodi judicium, bene & honestè operetur, quamvis fortassis erret, sic judicando. Et hæc duo sunt præcipua puncta, quæ toto hoc opere stabilienda assumo.

Quis sit sensus benignæ sententiæ?

6. Et sanè veritas hujus assertionis reflexæ est adeo manifesta, ut nemo eam in dubium revocare posse videatur. Adeo enim patens est veritas hæc, ut mera ejus propositio intellectum rapiat ad assensum. Unde mirabitur fortassis Lector fieri unquam potuisse, ut quisquam hoc in dubium vocarit; vel certè suspicabitur, non hunc, sed alium esse sensum quæstionis reflexæ, seu controversiæ præsentis de licito probabilium usu. Sed quisquis ille est, eum securum esse jubeo, quod hic & non alius sit sensus ac status præsentis controversiæ, hoc enim mox evidenter ostendam. Itaque meritò miratur, communem & ab omnibus in expressis terminis per integrum sæculum unanimiter traditam, tamque perspicuam veritatem à quoquam in dubium fuisse vocatam: sed cessabit admiratio, si legit quæst. 22. & 23. *De conscientia probabili*, & ad sequentia hujus tractatus attenderit. Videbit enim controversiam hanc à mera terminorum æquivocatione, & mala quæstionis intelligentia originem traxisse, atque etiam ab ejusdem æquivocationis propagatione incrementum accepisse.

Quid ad probabile practicum requiritur?

7. Sed ut clarè constet, sensum præsentis controversiæ de licito probabilium usu, alium non esse, quàm quem *num.* 4. proposui, disertius declarandum est, quid dicamus, & quid probare intendamus. Inprimis dicimus, licitum cuique esse sequi opinionem quamcumque practicè probabilem, si verè sit talis. Verùm multa requirimus, ut opinio sit vere probabilis, quæ diligenter sunt advertenda. Primum omnium est, ut nitatur fundamento fide digno, id est tali, quod aptum est ad assensum ab homine perito & probo irreprehensibiliter judicante impetrandum. Jam ut motivum aliquod sit tale, ante omnia, maximè essentialiter requiritur, ne quidquam certi in contrarium afferatur, quia nemo irreprehensibiliter judicat contra id, quod est certum. Unde nil contrarium fidei, aut decretis summorum Pontificum, vel Conciliorum approbatorum, aut expresso sacræ Scripturæ textui, vel unanimi SS. PP. consensui, aut ulli argumento plenam fidem facienti, atque moralem certitudinem inducenti, est probabile. Secundò sententia aliqua ut sit probabilis, confirmari debet motivo gravi ac magno, scilicet valide attrahente ad assensum, & quidem magnitudo hujus motivi sumi debet non solum absolutè, quatenus vehementer impellit secundum se, sed etiam relativè ad omnia in contrarium allata, adeo ut etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis tam absolutæ quàm comparativæ, & non ex effectu ac propensione indebita ejus, cui proponitur; si enim tanta sit illius vis, ut à perito & probo irreprehensibiliter judicante assensum impetrare valeat, tale & non aliud motivum appellamus magnum, grave, seu probabile, sistendo semper in rebus obscuris & non certò cognoscibilibus.

Diligentia ad probabile requiritur.

8. Dixi *non certò cognoscibilibus*, quia si veritas per humanam diligentiam certò sciri posset, omnes tenerentur ad veritatem ipsam inveniendam, & juxta eam operandum. Unde ad probabile practicum, seu probabile pro conscientia dirigenda, tertiò & valde notanter requirimus, ut diligentia debita pro veritate reperienda juxta qualitatem rei, & humanam conditionem præmittatur; nisi enim diligentia debita adhibeatur, nemo pro conscientia formanda ullam opinionem prudenter adhibet; & si adhibeat, temere adhibet, nec habet opinionem practice probabilem, de qua solâ loquimur in præsenti.

Practice probabilis quid sit?

9. Sed quia multi non intelligunt, quid nomine opinionis practice probabilis propriè significetur, illud etiam diserte declarandum est. Inprimis ergo nulla opinio, tribus allatis requisitis carens, est practice probabilis. Rursus omnis opinio, cui tria illa conveniunt, est practice probabilis, si tamen enunciet rem propositam esse licitam, seu conformem legi æternæ, aliter non est practice probabilis, quia non applicat legem æternam, cujus propositio seu applicatio est propria differentia opinionis practice probabilis ab omni alia opinione.

Sensus præsentis controversiæ.

10. Hoc posito, dicimus, omnem opinionem juxta istam explicationem practice probabilem esse sufficientem conscientiæ, seu bonæ operationis regulam. In quo evidens est, nos aliud non dicere, quàm quod tertio loco proposuimus, adeo ut præsens controversia, quoad rem ipsam in eo solo puncto vertatur, quamvis in illius expositione aliis terminis utamur, & semper probabilia, & practice probabilia in sermone habeamus. Sed voces illæ idem prorsus significant, quod illæ. Jam quod hic sit legitimus sensus præsentis quæstionis ex eo patet, quod omnes contenti erimus, sed adversarii opinionem, juxta hanc explicationem, practice probabilem admittant esse sufficientem conscientiæ & bonæ operationis regulam. Diserte enim dicimus, eam debere esse talem, ut peccatum arceat, & bonam operationem inducat, & nisi talis sit, non est illa, quam nomine opinionis practice probabilis intelligimus.

Probabile diversimodè sumitur.

11. His adhuc nonnihil addendum est, ut opinio tradens probabilium usum esse licitum, clarius & absque ulla æquivocationis umbra, quantum fieri potest, intelligatur. Opinio practice probabilis considerari potest in duplici statu: primus status est, quando actu elicitur judicium dictans opus esse licitum; hoc enim judicium, si dicta requisita habeat, est opinio probabilis actu existens, quæ vitaliter informat intellectum, illique legem æternam immediatè applicat. Opinio hoc modo sumpta est regula formalis conscientiæ, de qua reflexe differentes dicimus, quod sit sufficiens regula honestæ operationis. Secundus status est, quando opinio probabilis non actu informat animam, sed consideratur tanquam objectum, quod cognoscimus, & de quo cum veritate dicimus, quod sit opinio practice probabilis. Porro opinio probabilis hoc modo sumpta multipliciter comparari potest cum opinione contradictoriè opposita. Primò, ut opinio, dicens rem esse licitam, sit, & opposita, id negans, non sit probabilis. Secundò, ut utraque pars suam probabilitatem habeat: in quo casu tres inveniuntur differentiæ. Prima, quando opinio dicens rem esse licitam, est, & habetur probabilior opinione, dicente illam esse prohibitam. Secunda, quando utraque opinio est, & habetur æque probabilis. Tertia, quando opinio, proponens rem esse præceptam, probabilior est opinione, dicente illam esse licitam. Nos agimus de opinio-

opinione probabili in quadruplici hoc statu considerata, & dicimus, illam, quomodocunque accipitur, esse sufficientem bonæ operationis regulam, non formalem proximam: sed objectivam remotam. *Non formalem*, quia opinio illa non existit in mente, ut actus, sed *objectivam remotam*, quia reflexè considerata in ordine ad omnes circumstantias & respectus, quibus afficitur, fundat judicium, vel certum, vel certè practicè probabile, quo intellectus post maturam totius quæstionis considerationem absolutè enunciat, objectum à quavis opinione practicè probabili, etiam ab æque & minus probabili propositum, omnibus consideratis, esse licitum. Hac ratione omnis opinio practicè probabilis, in ratione objecti reflexè considerati, manifestat legem æternam, quæ est regula objectiva proxima; ac proinde omnis opinio practice probabilis, hac ratione considerata, est quidem regula conscientiæ objectiva, sed solùm remota. Itaque in hoc casu solus actus iste reflexus, dicens usum omnium practicè probabilium esse licitum, est, & à nobis dicitur sufficiens regula honestæ operationis, quia ille solus est opinio practice probabilis (si tamen non sit judicium certum) quæ hic & nunc actu informat animam, illique Dei voluntatem vitaliter applicat. Adeo ut in hoc casu regula formalis conscientiæ, quam sufficere dicimus, non sit nisi opinio reflexa, quam modo explicavimus.

Adversariorum æquivocatio detegitur.

12. Ex defectu hujus distinctionis factum est, ut pauci moderni ab antiqua & communi opinione apparenter recesserint. Illi enim videntes intellectum non posse absoluto judicio credere aliquid esse verum, & simul existimare oppositum esse æque aut magis probabile, statim intulerunt, opinionem æque aut minus probabilem non esse sufficientem bene operandi regulam, quia impossibile est divinam legem formaliter ac vitaliter applicari voluntati per opinionem, quam judicamus minus probabilem. Verùm manifesta æquivocatione decepti fuerunt, quia regulam remotam cum proxima formali confuderunt. Nemo enim somniavit opinionem, quæ absoluto & finali judicio habetur æque aut minus probabilis, esse formalem & proximam rectè operandi regulam, sed solum docuerunt, illam esse regulam objectivam remotam, ex cujus nimirum consideratione formatur judicium reflexum, aut certum aut probabile, quo dicimus, objectum à tali opinione propositum, omnibus inspectis, esse licitum. Jam de hac sola opinione reflexa dicimus, quod sit sufficiens regula formalis bonæ operationis. Et sanè si opinio probabilis directa sit regula sufficiens, ut omnes docent, etiam hæc opinio probabilis reflexa est regula sufficiens, cùm eadem de utraque sit ratio, ut patet. Porro ex hac distinctione, atque ex hujus æquivocationis detectione perspicuum est, neminem, præter Celladeum (si tamen Celladeus ipse dissentiat) reperiri, qui neget universalem usum opinionis practicè probabilis esse licitum. Omnes enim fatentur, opinionem probabiliorem, seu opinionem probabilem, actu informantem intellectum (utpote quæ semper tendit in suum objectum tanquam in partem probabiliorem & unicè veram, quæque haud dubie probabilior est opposità in mente judicantis) esse sufficientem conscientiæ regulam.

Ergo nemo negat regulam, quam communis opinio statuit, quia illa ita docet usum minus probabilium esse licitum, ut id non alia ratione dicere dicat, quàm si intellectus, stante probilitate directa, eaque agnita ut minore, per judicium saltem probabile reflexum indicet, opus ab opinione directa minus probabili propositum, omnibus inspectis, esse licitum. Atque ideo revera non docemus ullam dari regulam formalem in incertis, præter opinionem probabiliorem, quæque ab operante habetur non solum probabilior, sed unicè vera. Unde qui non subscribunt benignæ sententiæ, non minus arcentur à licito probabilium usu, quàm illi, qui in directa consideratione nulli prorsus opinioni, etsi probabiliori, subscribunt.

13. Itaque sensus nostræ opinionis reflexæ est, quod quicunque bona fide operatur ex præscripto opinionis practice probabilis hactenus declaratæ, habeat sufficientem regulam tum ad excusandum à peccato, tum ad bene operandum, idque verum esse asserimus, tam de opinione probabili directa, qua quis directè credit opus esse licitum, quàm de reflexa, qua, post debitam quæstionis de licito probabilium usu considerationem, enunciat, omne opus directe probabiliter licitum esse verè tale, si omnia considerentur: & sane, si hanc animi dispositionem reflexè intueamur, tam patenter verum est, quod homo taliter operans non peccet, ut id in dubium revocari non possit. Unde habemus, veritatem principalem, ac primario intentam hujus controversiæ esse tam apertam, ut legitima illius propositio, & status controversiæ ritè explicatus ad plenam rei probationem, & validam ejusdem demonstrationem sufficiat.

Opinio nostra clarè exponitur.

14. Hinc ulterius pergo, & declarandum suscipio, ad quæ adversarii tenentur, si nostram communemque sententiam ritè impugnare velint. Nos duo dicimus: primum ac maximè principale est, hominem bona fide opinioni practice probabili, actu illius animam informanti, æternamque Dei legem applicanti se accommodantem non peccare peccato formali, seu verè imputabili, sed ab omni culpa coram Deo excusari; idque verum esse affirmamus, sivè opinio illa practicè probabilis sit directa, sive reflexa, ut explicatum est. Secundum & minus principale (quia de illo hactenus sub expressis terminis ex professo, atque ab imis fundamentis non est disputatum) est, quod talis operatio sit bona. Itaque qui debite, & sicut serium Theologum decet, vult impugnare communem sententiam, debet primo loco probare & evincere, quod homo taliter constitutus & operans peccet non materialiter tantum, si forte erret in suo judicio, sed formaliter peccato vere imputabili. Sed hoc est negotium prorsus desperatum, & ex terminis cognoscitur esse factu impossibile. Neque quisquam est, quod sciam, ne quidem Celladeus ipse, qui hoc probare aggressus est: adeo verum est, prætensas omnes impugnationes communis opinionis non solum illam non evertisse, sed ne tetigisse quidem, ut fuse demonstravi *in tract. de conscientia probabili quæst. 22. & alibi sæpe.* Hoc autem etiam locum habere in posterioribus ejusdem opinionis impugnatoribus ex dicendis in toto hoc opere luculentissime constabit. Secundò debet probare, talem operationem, etsi minimè peccaminosam, nullam tamen bonitatem moralem participare, sed & hoc etiam est argumentum desperationi obnoxium, cùm oppositum non solum sit probabilissimum, sed etiam moraliter certum, ut in hoc tractatu, Deo dante, perspicuum fiet.

Adversarii ad quid tenentur.

15. Demum sicut dicimus, hominem, bona fide

fide sequentem ejusmodi opinionem practicè probabilem non peccare, sed bene agere; ita pariter dicimus, quod, quando agitur de opinionum delectu ad operandum, homo eligere debeat opinionem certò probabilem, ut certus sit, se regulam debitam adhibere, illique se conformare. Sed de hoc sæpe dictum est *in quæst. de conscientia probab.* & de eodem argumento non semel dicendum erit in sequentibus.

16. His pro statu controversiæ explicando dictis, unum addo circa modum loquendi in sequentibus sæpe occursurum, scilicet, me brevitatis causâ hiscè duobus terminis, *sententia benigna, sententia rigida*, sæpe usurum. Sententiam communem, quæ omnium practice probabilium usum docet esse licitum, voco *benignam*, quia verè est benigna, & rationabiliter libertati favet. E contra sententiam, negantem usum probabilium esse licitum, appello *rigidam*, quia verè est rigidissima, eo quod absque sufficienti fundamento hominum conscientias nimium arctet.

ASSERTIO II.

Præsens controversia est quæstio summi momenti, & scitu prorsus necessaria.

17. DECLARATUR assertio. Inprimis agimus de regula morum, seu de regula debitè formandi conscientiam in rebus incertis. Porro in rebus humanis incerta in casibus innumeris ubique sunt obvia. Durissimum autem est in omnibus ad tutiora obligari, ad quæ tamen obligatur, qui sufficienti regula ad conscientiam pro electione partis minus tutè debitè formandam caret. Itaque determinatio hujus controversiæ citra omne dubium est res summi momenti, quæ proinde sicut Theologos ad maximos labores pro veritatis tam necessariæ inventione subeundos coegit, ita pariter legentium animos, ad veritatem, qua omnes summopere indigent, omni studio ac diligentia inveniendam, excitabit. Ille solus hac doctrina non eget, qui extra rerum humanarum vicissitudinem positus, omnia per certam scientiam intuetur. At nemo mortali carne indutus, nemo ignorantiæ nostræ tenebris involutus, errandique periculo expositus invenitur, cui ulla quæstio, aut utilior, aut magis necessaria inveniatur, quàm ista. Si utile sit nosse, quid liceat; si necessarium sit in obscuris ac tenebrosis itineribus facem præferri, nil utilius, vel hac quæstione necessarium magis, per quam & licitum ab illicito dignoscitur, & fax ad iter hujus peregrinationis per obscuros incertitudinis calles absque præcipitandi aut cadendi periculo decurrendum præfertur. Hæc quidem in genere dicta vera sunt, sed qui quæstionem delibaverit, illamque exhauserit, longè plura majorisque momenti, quàm quæ paucis verbis explicari possunt, inveniet.

Regula morum est res summi momenti & scitu dignissima.

18. Præterea controversia ista, si quæ alia, inter Theologos à triginta ferme annis acerrimè disputata est, ad quam debitè intelligendam ingens principiorum ac doctrinarum pulcherrimarum multitudo est prorsùs necessaria. Si autem summi momenti sit Theologo ea perspecta habere, quæ sua ætate maximè agitantur, & ea præsertim, quæ sine eximiâ ac abundanti pulcherrimarum rerum scientiâ determinari non possunt, profectò præsens controversia (ad cujus notitiam hæc omnia sunt prorsùs necessaria, quæque aliis omnibus in acri dissertatione jam à longo tempore antecellit) censenda est quæstio summi momenti: quod cùm per se pateat, nec ulteriori explicatione indigeat, ad causam controversiæ hujus à me susceptæ aperiendam accedo.

Præsens quæstio est Theologo necessaria.

ASSERTIO III.

Propositum sit explicare causam, ob quam egò controversiam hanc iterùm ad examen revocavi.

19. ANNO Domini 1669. justum volumen Leodii edidi, quod inscripsi, *de conscientia probabili*, in quo totam materiam de licito probabilium usu à fundamentis examinavi, atque ex rationibus, autoritatibusque validissimis, ni fallor, apertè demonstravi, usum cujusvis opinionis certò practicè probabilis esse licitum. In illo opere, quidquid hac de re ad id tempus agitatum fuerat, & ad manus meas pervenerat, discussi. Adversarios, æquivocatione deceptos, non impugnasse benignam sententiam in sensu à suis Auctoribus intento latè ostendi. Eorum argumenta examinavi & solvi, eaque fermè omnia non infirmare, sed validè confirmare benignam sententiam evici. Et sane liber per Belgium, & Galliam (in quibus Provinciis controversia hæc maximè agitabatur) ita acceptus est, ut finem quæstioni quodammodo attulisse videretur. Nam Lovanii per longum tempus nullæ amplius de materia illa theses proponebantur, cùm antea nullæ tam frequentes haberentur, quàm quæ licitum probabilium usum ut periculosum ac peccaminosum explorerent: per Galliam quoque major animorum quies invecta videbatur, quia prius usum illum convellendi studium deferbuit.

Causa operis suscepti exponitur.

20. Verùm circa illud idem tempus, quo ipse Leodii librum meum typis imprimendum curabam, aliud opus de eadem materia sub prælo sudabat Lugduni, ubi anno 1670. justum volumen in quarto, *De recta doctrina morum* prodiit, cujus auctor Antonius Celladeus inscribitur. Hic vir omnia prorsùs contraria assertis meis proposuit. Ego usum probabilium licitum ac rationalem, nulliusque periculi reum esse tradidi. Ille omnem ejusmodi usum periculosum, imo & peccaminosum esse summo conatu asseruit. Si ille librum meum ante libri sui editionem vidisset, aut impressionem omisisset, aut alia longè ratione librum composuisset, quia liber meus plurimas æquivocationes, quibus ille deceptus est, apertè detegit, atque fundamenta habet, ex quibus potissima ipsius argumenta nullo negotio solvuntur. E contrario si liber Celladei ante operis mei editionem ad manus meas pervenisset, facili negotio argumenta ipsius, locis propriis digesta, cum aliorum argumentis solvissem, ejusdemque æquivocationes, sicut & aliorum (in plurimis enim similes sunt & prorsùs eædem) unâ eademque operâ detexissem. Verùm cum aliter res contigerit, jamque liber illius, meo paulùm posterior, in vulgus prodierit, non potui non censere, magnum causæ ac opinioni communi detrimentum imminere, nisi falsitates contra illam à Celladeo allatæ publicè detegerentur. Nec dubium quin lectio libri ipsius magnam incautis lectoribus impressionem, magnumque contra communem sententiam præjudicium sit allatura, nisi remedium tempestivè adhibeatur; quia ille mirum in modum periculum peccandi, immo & apertum peccatum in probabilium usu latere declamitat. Neque segniter rem inchoatam urget, sed magna ingenii

Celladeus quando librum suum edidit.

Necessitas impugnandi Celladeum.

ingenii vi, apparentibusque argumentis undique congestis contra nos insurgit, veritatemque à suis partibus stare multipliciter se demonstrasse contendit. Itaque tam valido contra veritatem satis contestatam conatui resistendum censui, neque alteri cuipiam justiùs, quàm mihi provinciam hanc deberi existimavi. Cùm enim ego omnium aliorum conatus in hac ipsa materia paulò ante repulissem, non nemo existimare potuisset, me Celladei argumentis cessisse, atque causa quodammodo cecidisse, nisi cum illo etiam congrederer, illiusque argumenta prorsùs nulla esse demonstrarem. Sed absit ut quisquam hoc arbitretur: non ita est; in omnibus errat Celladeus, & si res pressè examinetur, vix quidquam habet, quod communem sententiam, in proprio sensu à nobis intento acceptam, tangat: sed melius est congressum ipsum inchoare, atque strictè argumentis cominus certare, quàm verbis gloriosis mira eminus jactare. Virum ergo aggrediar, pedemque cum illo conferam, si tamen de ipso, deque libri ipsius doctrina, ac de præsenti ipsius, atque futura mea methodo nonnulla præmisero.

ASSERTIO IV.

Propositum sit breviter explicare, quid liber Antonii Celladei contineat, & meum de libro ipsius judicium proferre.

21. ANTONIUS Celladeus, natione, ut ex ipsius libro apparet, Hispanus, se virum Theologiæ valde peritum prodit, cùm ejus liber varia doctrina, multiplici eruditione, plurimaque fecundi ingenii sobole abundet. Hoc in eo singulariter placet, quod non affectatâ, sed limpidâ ac gravi eloquentiâ mentem suam exprimat: sed pluris facio, quod moderatè de Auctoribus in particulari loquatur. Nil enim Theologo Christiano turpius est, quàm scommata in Auctores Catholicos, de republica litteraria benè meritos, loco argumentorum conjicere. Sed hæc ejus laus non parum ex eo minuitur, quod in communi acerbo stylo Casuistas in genere exagitet, illosque titulis indecoris dehonestet. Hoc enim meo judicio magis offensivum est, quàm si unius vel alterius errores debitâ moderatione in particulari notasset. Particularem Auctorem impugnare nemini injuriosum, sed omnibus proficuum est: at generalis censura innocuos etiam involvit, ideoque meritò omnes offendit. Præterea gravissimas accusationes contra omnes benignè sententiæ Auctores sub generali notione acceptos, id est contra omnes omnino præter seipsum (nam in re nemo præter illum à nobis dissentit) hujus & alterius sæculi scriptores accumulat, communemque omnium Catholicorum opinionem indignis comparationibus dehonestat, quæ omnia in progressu cunctorum oculis patefient.

Quis sit Antonius Celladeus.

Scriptio ejus offensiva est.

22. Inter reliqua autem, ut lectorem sibi suæque causæ, simulque ut invidiam communi sententiæ conciliet, apertè fatetur, se multis annis sententiæ benignè tam firmiter adhæsisse, ut ægrè ferre potuisset quemquam, qui veritatem illius in dubium vocasset. Sed postea, veritate elucescente, asserit se sententiam mutasse, atque exinde in opus hoc suum *de recta doctrina morum* plus minus per novennium inter alias occupationes insudasse. Primò ergo, rejectis æquè & minus probabilibus, quæstionem totam per probabiliora explicare aggressus est: sed cùm opus ad finem pene perduxisset, novo lumine illustratus, probabiliora non minus quàm æquè vel minus probabilia, rejicienda perspexit. Unde iterum opus aggressus, omnia tandem per veritatem ipsam in hoc opere se explicasse gloriatur. Et hæc sunt quæ Celladeus de seipso expressè fatetur.

Celladeus sæpius mutavit sententiam.

23. Porro quod ad propriam Celladei sententiam attinet, illa ipsi soli peculiaris est, quia non solùm æquè & minus probabile à conscientiâ regulandâ rejicit, sed eodem prorsùs modo probabiliora, immò & certa existimata tanquam insufficientia repellit, ut ipsemet multis libri sui locis expressè tradit. At neminem inter Auctores Catholicos reperire est, qui in hoc illi consentiat. Singularis ergo, & prorsùs singularissima est Celladei opinatio, qui proinde in decursu sui libri frustra declamat contra usum æquè & minus probabilium, ut sic benignæ sententiæ causam reddat suspectam, suæque fidem conciliet. Frustra, inquam, tum quia argumenta ipsius, æquivocatione detecta, nullam vim habent, ut videbimus, tum præcipuè quia totum illud admissum nil suffragatur ipsius sententiæ, nisi usum probabiliorum pariter rejiciat. Stante enim licito horum usu, totus illius conatus evanescit. In illud ergo aut unicè, aut potissimè incumbere debuisset, ut ostenderet usum probabiliorum esse illicitum. Sed de hoc pauca, quia difficillimum ei fuisset illud multis argumentis impetere: de altero verò, circa quod, ob æquivocationem magis latentem, spatiosus excurrendi campus se prodit, agit fusissimè, & nullibi non argumenta contra illud coacervat. Hunc disserendi modum haud probo, quia multum laboris continet, & ad finem intentum parum, aut nihil conducit: illo enim, de quo maximè agit, habito, adhuc alia difficultas de integro superanda est, quâ solâ superatâ, nulla priorum mediorum, laborisque prius suscepti necessitas fuisset. Hæc cùm Lector adverterit, haud dubiè concludere poterit, Celladeum in necessariis probandis valdè parum, in superfluis, aut parum ad finem conducentibus, agitandis diffusissimum fuisse.

Opinio Celladei est singularis.

24. Hactenus vidimus, quid explodat Celladeus, difficilius autem est exactè dicere quid teneat. Existimo enim paucos ex iis, qui librum ipsius legerunt, exactè nosse, quid tandem pro regula conscientiæ statuat. Ego dicam quid ex seriâ libri inspectione & confutatione colligere potui. Inprimis ergo summo, ut dictum est, nisu omnium, maximè verò æquè & minus probabilium usum ut illicitum rejicit, in quo si consequenter loqui, & benignam sententiam ut oportet impugnare velit, duo debet expressè docere. Primùm, quod qui operatur juxta præscriptum benignæ sententiæ peccet, quique juxta illam hactenus bonâ fide operati sunt, peccarint peccato verè imputabili, alioquin in substantia rei nobis non adversabitur. Potissimum enim quod docemus est, hominem, taliter, ut nostra sententia præscribit, operantem imputabiliter non peccare. Secundùm, quod taliter operantes nil boni faciant, quando errant, quamvis invincibiliter errent, & à peccato excusentur. Ex his duobus, secundum expressè tradit, ut videbimus, sed illud minus principale est in ordine ad præsentem quæstionem. De primo non ita clarè se exprimit. Multis tamen in locis apertè indicat se ita sentire, & non solùm omnes ita operantes, sed etiam omnes talia docentes peccati verè imputabilis condemnare: quàm autem horrenda hæc sit censura,

Opinio Celladei explicatur.

ſura, & quàm malè fundata ſuis locis infra patebit.

Celladeus regulam incongruam proponit. 25. Ne tamen nimis rigidus videatur, expreſsè negat ſe tenere, quod tutiora in omnibus ſint tenenda. Itaque poſt definitionem cujuſdam probabilis, quod reale & poſitivum appellat, explanatam, totus in eo eſt, ut probet illud probabile eſſe rectam conſcientiæ regulam. Hoc tamen ita intelligit, ut ejuſmodi opinio ſolùm ſit recta morum regula, quando eſt vera, ſi autem vera ſit, eſt recta morum regula, quamvis proponat partem minus tutam. Cæterùm ita loquitur de probabilitate, ut tandem eam cum veritate confundat, quia ex profeſſo docet, nil falſum eſſe probabile niſi apparenter. Itaque reipſa aliud non docet, quàm propoſitionem veram eſſe ſufficientem conſcientiæ regulam, quando verſamur in incertis. Sed quàm miſera ſit hæc regula, quamque ad finem hujus diſputationis Theologicæ inutilis, infra ſuis locis patebit.

26. Quod ſi contingat operantem falſo judicio dirigi, duo reſpondet. Primùm: qui tale judicium ſequitur, peccat ſi vincibiliter erret. Secundùm: ſi invincibiliter erret, excuſatur quidem à peccato, ſed operationem moraliter bonam non ponit, quia non adhæſit rectam morum regulam, quæ in incertis ſolum eſt judicium probabile verum. Hæc ille.

27. Sed quia hinc tota diſputatio de probabilitate videri poteſt ſuperflua, eo quod, ſi ſola cognitio vera ſit recta morum regula, ſuffeciſſet hoc ipſum clarè dicere, totamque de probabilibus diſputationem omittere præſtitiſſet, quia probabilia, niſi ſint vera, non ſunt recta conſcientiæ regula; ideò fortaſſe ne fruſtra de probabilibus egiſſe videatur, dicit probabile eſſe quidem conſcientiæ regulam non ſimpliciter, ſed ſi ſumatur cum onere. Hoc autem ita intelligere videtur, ut homo, qui ex opinione quoad ipſum probabili ſequitur partem minus tutam, circumſpicere debeat, & attentè videre, an hìc & nunc ſit exceptio contra opinionem illam. Si ſit exceptio, tenetur ad partem tutiorem. Si non ſit, non peccat, ſi operetur; quia ſi erret, invincibiliter errat, ſi verò non erret, bonum opus facit.

Regula Celladei ad regulandũ inidonea. 28. Hæc eſt ſubſtantia doctrinæ, quam pro regula conſcientiæ proponit, quamque *rectam morum doctrinam* appellat. Verùm omnia hæc adeo confuſa & parum digeſta ſunt, ut poſt omnia ab ipſo dicta nemo ex doctrinâ ipſius ſcire poteſt, an in incertis unquam ſequatur rectam conſcientiæ regulam. Ergo per illius doctrinam nemo regulari poteſt. Ergo fruſtra laboravit in tradenda regula. Præterea nullibi explicat, quale ſit onus, de quo loquitur, nec ulla ratione indicat, per quid ſcire poſſimus, an, qualiter, & quando illud onus urgeat, & an diligentiam ſufficientem adhibuerimus, ut abſque peccandi periculo viam minus tutam ineamus. Uno verbo, meo judicio, ita totam quæſtionem indeciſam reliquit, ut nemo ex vi doctrinæ, ab illo traditæ, ullam unquam ſecuram directionem habere poſſit, ſed omnibus tandem ſuo judicio ſtandum erit. Porro hoc etiam ita tractat, ut timoratis ingentem metum incutiat, nec illis lucem, per quam quietè ac tutò incedant, præbet. E contra diſcolis, & paſſione agitatis, quidlibet ferme in incertis audendi, ac faciendi viam aperit. Quæ omnia in operis hujus decurſu apertè conſtabunt.

Cenſura de libro Celladei. 29. His poſitis, juſtum videtur, ut ſub initium impugnationis, brevi inchoandæ, meum de libro hoc judicium proferam. Exiſtimo ergo librum hunc duabus de cauſis Auctoris intento non ſatisfacere. Prima eſt, quia ille conſcientiam debitè formandi regulam tradere prætendit, ſed nil minus præſtitit; nil enim ſimile regulæ propoſuit. Secunda in eo fundatur, quod Auctor ille multus ſit in exaggerando, quanti momenti ſit in rebus ad mores & conſcientiam ſpectantibus, Sanctorum Patrum ſententiis inhærere, pollicetur que, ſe ex illis veritatem hauſturum, idque potiſſimè in ſecunda parte. Quid in ſecunda parte egerit haud ſcio, ſed præter meam expectationem in prima hac parte eum in doctrinâ PP. valdè jejunium inveni. In potiſſimis rebus, nempè an opus ab errore invincibili directum ſit bonum, ne unum quidem ex SS. PP. immo nec ullum ex omnibus Theologis pro ſe adduxit, aut adducere potuſt. Deinde neminem ex SS. PP. afferre poteſt, qui doceat, opinionem probabilem, in ſenſu benignæ ſententiæ acceptam, non excuſare operantem à peccato. Et tamen hæ ſunt totius hujus controverſiæ quæſtiones primariæ. Itaque liber ex hoc etiam capite Auctoris intento, & lectoris expectationi non ſatisfacit.

30. Cæterùm de particularibus rebus, & aſſertionibus in libro contentis, audacter aſſero, eas, aut omnes, aut pleraſque, magnis apertiſque æquivocationibus ſcatere, quibus detectis, nil roboris in argumentis reperitur. Deinde reperi Auctorem plurimis in locis ſibi contradixiſſe. Tertiò, nullum unquam Catholici ſcriptoris librum tantæ molis legi, in quo minus veritatis reperi. Ego certè ex tot propoſitionibus, quot liber continet, paucas inveni, quas veras judicare potui, innumeras autem falſas, quas Auctor veriſſimas, clariſſimaſque exiſtimat. Sic ego librum cenſeo, ſed an meritò, eorum, qui & hunc meum & illius librum legerint, comparaverintque, cenſuræ relinquo. Liber Celladei æquivocationibus & contradictionibus abundat.

ASSERTIO V.

Propoſitum ſit, methodum tam à Celladeo inſtitutam, quàm à me ſuſcipiendam breviter exponere.

31. SUPEREST, ut tam de Celladei in ſcribendo, quàm de meâ in reſpondendo methodo aliquid addam. Methodus ipſius talis eſt. Opus in quatuor libros dividit. In primo, ut ipſe apertè fatetur, magis deſtruit, quàm ædificat, & in eo totus laborat, ut mira prorſus tela in benignam ſententiam torqueat, quibus eam ſolo ſe æquaſſe autumat. In ſecundo fundamentum novæ fabricæ jacit, fuſiſſimeque de probabilitate diſputat, ſtatuitque quid nomine veræ probabilitatis veniat. In tertio libro per hoc fabricæ culmen imponere conatur, quod probabile à ſe aſſignatum eſſe rectam morum regulam probet. In quarto tandem de dubiis diſputationem inſtituit. Demum hiſce quatuor libris appendicem adjungit, in qua de natura, ac proprietatibus opinionis, deque intellectus ad voluntatem ſubjectione agit. Methodum hanc, etſi illa mihi non arrideat, non improbo, quia periti juxta proprias ideas ad finem à ſe intentum res ſuas mira varietate ordinare ſolent. Ego certè ſi argumentum hoc tractaſſem, longè aliter & ad intentum meum, ut mihi videtur, conducibilius quæſtiones iſtas ordinaſſem, ſed hoc parum intereſt lectoris, qui fortaſſe ſcire cupit, quam ego in reſpondendo methodum mihi præſcribam. Methodus Celladei.

Huic Lectoris deſiderio breviter ſatisfaciam.

 Inpri-

Methodus in progressu tenenda.

Inprimis opus meum in libros partiri nolo, quia materiæ tractandæ sunt adeo inter se connexæ, ut talem divisionem meo judicio nec mereantur, nec exigant. Itaque interruptâ quæstionum serie ab initio ad finem progrediar, ideoque quæstiones, quas ille in appendicem conjecit, ego suis locis, quàm potero maximè proportionatis, quæstionibus reliquis hinc inde interseram. Nihilominus opus hoc in duas Partes, ob rationem initio insinuatam, dividere constitui.

Ordo in quæstionibus servandus quis?


32. Secundò non ut ille destruam aliena, prius quàm propria ædificem; sed propriis primò stabilitis, ea deinde, quæ alii adversus erecta moliuntur, Deo dante, dissolvam. Sic enim Lector veritatem fixam in animo, & stabilitam geret, nec diu quodammodo in aëre absque pede in ulla veritate fixo hinc inde vacillabit. Quamvis enim, qui assertionem stabilit, utilissimè rationes dubitandi, & argumenta contraria præmittat; tamen qui alios docent, meo judicio rectius faciunt, si prius veritatem statuant, & deinde rationes oppositas solvant. Inprimis ergo statuam opinionem probabilem esse sufficientem conscientiæ regulam, simulque breviter argumenta afferam, quibus hoc *in Tract. de consc. prob.* stabilivi, ut Lector in ipso disputationis ingressu veritatem efficaciter convictam videat, & ego arripiam ansam respondendi aliquibus, quæ contra argumenta illa non à Celladeo, sed ab aliis fuere proposita. Deinde in sequentibus contra Celladeum agam, ejusque argumenta & assertiones continuato tractatu discutiam.

Quot sint potissima hujus controversiæ capita.

33. Postquàm autem in sequenti quæstione ostendero, usum probabilium esse licitum, seu nil mali involvere, quod est potissimum hujus controversiæ punctum, statim quæstione tertia secundum punctum principale aggrediar, & ex professo ostendam, operationem ab errore invincibili directam, non solum non esse malam, sed insuper bonitatem moralem continere: quod ut præstem, quæstionem à Celladeo tertio libro ea de re institutam, à sede sua avulsam ad mei Tractatus initium transferam, ut duabus istis veritatibus stabilitis, solidè sciamus, quod opinio probabilis sit sufficiens conscientiæ regula, quodque usus omnium practicè probabilium licitus sit, & honestus, ut sic demùm ad omnia in oppositum diluenda, resque particulares exactius discutiendas animemur. His actis, ante omnia ostendam, Celladeum non rectè statum quæstionis proposuisse, ideoque examinabo *quæst. 4. lib. 1.* ubi statum quæstionis proponit. Deinde ex professo ordinatè ipsum aggrediar. Incipiam autem ab eis, quæ Celladeus in prima quæstione primi libri incidenter proponit, ut suum ab antiqua sua opinione recessum cohonestet, utque animos legentium à benignæ sententiæ amore & æstimatione avocet. Uno verbo nil ab ipso propositum, quod ad præsentem controversiam pertinet, omittam, sed singula excutiam, singulisque suum pondus integrum dabo, ut sic veritas nostræ sententiæ certius & clarius omnibus pateat. Porro quia dicta Celladei singulariter excutienda suscepi, ideo in ordine quæstionum proponendarum, non alia ratione ab ordine, quem ille servat, deflectam, quàm jam insinuavi, scilicet ut controversiam principalem prius rectè stabiliam, ut statum quæstionis ab ipso malè propositum in initio ostendam, & quæstiones in ejus appendice contentas locis aptioribus inseram. Ni fallor enim, jucundius, atque utilius Lectori accidet, si res suo ut jacent ordine confutentur, quàm si per saltum nunc hanc nunc illam alterius libri quæstionem impugnem.

34. Unum tamen est, de quo Lectorem monitum volo, scilicet mirandum non esse, si quæ alicubi prius dicta sunt, subinde iterum inculcentur, atque sæpius breviter repetantur; hoc enim duabus de causis necessarium mihi erit; primo ne Celladeo deesse videar, qui eadem nimis frequenter repetit. Neque enim possum integrè respondere alicui quæstioni, quin ea aliqualiter tangam, quæ ipse in illa vehementius inculcat. Cavebo tamen, quantum commodè potero, à non necessaria earundem rerum repetitione; nec fieri poterit, quin Lector hoc ipsum sit percepturus. Secundò nonnulla aliquando ex congruentia magna, vel etiam ex necessitate repetenda erunt, ut quæstionem pro dignitate tractem. Ea enim est aliquarum veritatum præstantia ac necessitas, ut vix nimis sæpè inculcari possint, quando justa opportunitas postulat, ut de illis mentio fiat: justissima autem opportunitas hoc exigit, quando adversarius contra veritates illas argumenta priora ita de novo inculcat, ut Lector facilè existimare posset, aliqua non solvi, nisi de re illa iterata mentio fieret. Hujus congruentiæ limites spero me non egressurum, sed sæpè citra illos me restricturum, ubi sola insinuatio solutionis prioris Lectori satisfactura videbitur. Atque hæc de statu, momento, & causa præsentis controversiæ, deque notione Auctoris, cujus argumenta in me solvenda suscepi, ac demum de methodo, quam ipse tenuit, quamque ego in sequentibus sequuturus sum, dicta sufficiant. Rem ipsam aggrediamur.

An & cur eadem subinde repetenda sint.



QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum opinio practicè probabilis sit recta, seu sufficiens morum Regula.

1. HÆc est primaria hujus controversiæ quæstio, & omnino coincidit cum illa, utrum usus opinionis practice probabilis sit licitus. Si est licitus, opinio probabilis est sufficiens morum regula: si usus ille non est licitus, procul dubio opinio probabilis non est sufficiens conscientiæ formandæ regula. Propono autem hanc quæstionem in ipso disputationis exordio, ut rationes breviter insinuem, quibus veritatem illius fusè probavi in tractatu de conscientia probabili, & ut occasionem habeam solvendi ea, quæ contra licitum minus probabilium usum, & nominatim contra rationes à me allatas, à Theologo quodam ingenioso objecta fuisse intellexi. Rationibus enim istis, unà cum solutione harum objectionum, ante oculos legentium positis, existimo veritatem adeo luculenter apparituram, ut Lector in ea non minus quietè, quàm solidè mentem fixurus sit, & exinde ad sequentia percurrenda pariter sit incitandus, in quibus, quæ hic breviter declarantur, majori ex parte fusius quidem, sed amœnè disputanda erunt. Hic autem nomine opinionis practice probabilis, intelligo opinionem, quæ enunciat rem esse licitam, quæque habet conditiones, quas ad illam requiri dictum est. *quæst. 1. num. 7. & sequent.* Ex dicendis enim sæpius constabit, omnia illa ad minimum requiri. Porro quæstio hæc instituenda est primò de opinione probabili, prout est objectum considerationis reflexæ juxta ea, quæ *quæst. 1. num. 11.* proposita fuerunt, & promissa. Sit ergo.

Cur præmitti debuerit hæc quæstio.

ASSERTIO PRIMA.

Opinio probabilis est regula morum.

Omnis opinio practice probabilis, actu animum informans, illiq́; applicans divinam legem, ut verè existentem, est regula formalis sufficiens ad licitè operandum.

Seu quod in idem recidit.

Licitum est sequi ductû opinionis probabilis.

Qui bona fide sequitur ductum opinionis practice probabilis actu animum informantis, non peccat, sed benè operatur.

Ratio 1.

2. PRobatur primò. Homo taliter dispositus, vel errat, vel non errat in suo judicio: si non erret, procul dubio bene operatur, quia post debitam diligentiam, ipsam veritatem assecutus est, suamque operationem legi æternæ veraciter conformat. Si erret, manifestum est, quod invincibiliter erret, quia quod ex tali motivo post debitam diligentiam creditur esse licitum, absque omni temeritate, turpitudine aut imputabilitate creditur esse tale. Ergo non peccat, sed licitè operatur, quia absque dubio error invincibilis excusat à toto, & quod consequens est, fundat operationem honestam, ut sequenti quæstione ex professo probabitur.

3. Probatur secundò. De homine sic disposito non solum nos, sed & ipsemet reflexè formare potest hunc Syllogismum. *Qui rationabiliter, probabiliter, atque prudenter credit aliquid esse licitum, licitè ponit illud: sed Petrus rationabiliter, probabiliter, atque prudenter credit hoc objectum esse licitum. Ergo licitè ponit illud.* Hæc ratio planè evincit intentum, major enim est principium synderesis reflexum per se certum & evidens, cujus evidentiam etiam probatam habes *quæst. 13. num. 26. & sequent. & quæst. 19. nu. 6. & sequent. de conscientia probabili.* Minor supponitur esse vera, conclusio legitimè deducitur. Et sane Syllogismus iste si formetur ab operante (respectu cujus minor ita est cognitio evidens reflexa de qualitate judicii eliciti, ut simul sit essentialiter applicativa principii synderesis in majore contenti) legitimè infert conclusionem, quæ est ultimum conscientiæ dictamen certum & evidens, per quod operans certificatur, se hic & nunc non peccare, sed laudabiliter agere. Ratio 2.

4. Probatur tertiò. Tale judicium est prudens, & reflexè cognitum scitur esse prudens. Ergo qui operatur juxta illud prudentèr agit, & reflexè scitur prudenter agere. Ergo non peccat, nam omnis peccans imprudenter operatur. Ratio 3.

5 Probatur quartò ex naturali hominis conditione. Homo de paucis evidentiam habet, idque verissimum est in moralibus, in quibus rarò pertingere potest ad notitiam directam, plus quam probabilem. Ergo ubi certitudo haberi non potest (loquimur autem tantum pro tali casu) optimum quod haberi potest, est cognitio probabilis. Ergo cognitio probabilis est regula, quam Deus instituit pro tali casu, qui certè non potest exigere ab homine nisi optimum, ad quod homo potest pertingere. Ergo homo sic operans sequitur regulam à Deo institutam, ergo non peccat, sed benè, ac laudabiliter operatur. Et sanè ut quis humano modo prudenter operetur, apertè sufficit, si sequatur dictamen optimum ac prudentissimum, quod habere potest. Ratio 4.

Opinio probabilis est optimum quod haberi potest in incertis.

6. Probatur quintò ab absurdis. Si judicium probabile ad conscientiam regulandam & peccatum amoliendum non sufficeret, tota respublica turbaretur, & omnes contractus languerent, neque quisquam in rebus incertis (paucæ autem sunt certæ) quidquam ferme absque peccato facere posset. Hoc autem repugnat ordinationi à Deo ad suavem, rectam, & statui hominis congruam gubernationem statutæ. Ergo judicium probabile ad conscientiam rectè gubernandam sufficit. Præterea mundus innumeris scrupulis inevitabiliter impleretur, nec ullus modus tali miseriæ subveniendi suppeteret, nisi judicium probabile ad conscientiam deponendam, & licitè operandum sufficeret, quia scrupulosus ad cognitionem certam, qua scrupulum deponat, & conscientiam formet, pervenire nequit, ergo licitè sequitur judicium probabile. Ratio 5.

7. Probatur sextò. Dispositio hominum, ex cognitione probabili operantium, aut semper Ratio 6.

eadem

eadem est, aut certè inter dispositiones hominum, ex tali cognitione operantium, nulla est notabilis ac specifica diversitas. Ergo impossibile est, unum excusari, & alterum non excusari, quia dispositio inducens peccatum notabiliter diversa est à dispositione sufficiente ad excludendum peccatum, & ad rectè operandum. At certum est, quod aliquod judicium probabile sufficiat ad licitè operandum, quia id expresè definitum est ab Ecclesia *in Cap. inquisitioni 44. de sentent. ex com.* ubi dicitur, quod conjux ad consilium Pastoris, explosa levi credulitate de nullitate matrimonii, licitè exigere possit debitum conjugale. At in hoc casu ex consilio Pastoris non habet nisi probabilem assensum de valore matrimonii, ut patet. Ergo omne judicium probabile sufficit ad conscientiam debitè formandam, non enim est ratio cur in hac materia, quæ gravissima est, quæque malum jure naturæ prohibitum respicit, sufficiat, & in aliis, quæ majoris momenti non sunt, non sufficiat. Ergo ubique sufficit.

Ratio 7. 8 Probatur septimò. Prudens dispositio animi, excludens conscientiam peccati, excludit peccatum. Sed judicium probabile de honestate operationis est prudens dispositio animi, excludens conscientiam peccati. Ergo excludit peccatum. Major videtur per se nota, minor est evidens, quia qui prudenter judicat aliquid esse honestum, non potest in eo instanti habere conscientiam peccati, seu actum dictantem illud esse peccatum. Sed nec postea potest judicare se peccasse, si recordetur se ex prudenti judicio excludente conscientiam peccati operatum esse. Ergo talis dispositio prorsùs excludit conscientiam peccati: Ergo & peccatum.

Ratio 8. 9. Probatur octavò. Judicium probabile, de quo loquimur, absque ullo peccato imperatur à voluntate, ut patet. Hoc posito sic. Qui facit quod putat licitum, non peccat per hoc, nisi peccet imperando tale judicium. Ratio est, quia non est unde turpitudo, aut peccatum in tale opus derivetur, non enim malum, sed bonum proponitur. Ergo si non sit culpa in propositione boni, non est undè malum derivetur in actum. Præterea S. Thomas idipsum expresè docet *quæst. 17. de veritate art. 3. ad 4.* ubi hæc habet. *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat, ut quando errat circa ea, quæ scire tenetur. Si autem esset error circa ea, quæ quis non tenetur scire, ex sua conscientia absolvitur.* Similia habet S. Doctor, *ibidem tam in corpore, art. 3 jam citati, quàm etiam art. 4. ad 2.* Ecce propositio ista est S. Thomæ. Præterea eadem propositio videtur indubitata, quia operatio, de qua loquimur, est conformis suæ regulæ proximæ, nempe honestati propositæ, & absque omni temeritate ex rationabili fundamento creditæ. Ergo est honesta. Hinc subsumo. Sed qui sequitur judicium probabile facit quod putat licitum, & eliciendo tale judicium non peccat. Hæc minor supponitur esse vera, quia alioquin non sumus in casu. Ex his autem rectè deducitur conclusio, ergo qui sequitur judicium probabile, non peccat.

S. Thomas nobiscum sentit.

Ratio 9. 10. Probatur nonò. Quod prudenter, & sine temeritate creditur licitum, licitè poni potest: sed hoc objectum in casu nostro prudenter & sine temeritate creditur licitum. Ergo licitè poni potest. Minor & est in se evidens, & supponitur esse vera. Major probatur. Repugnat hominem peccare in opere, cujus directio nullam temeritatem admittit, sed à ratione humana prudenti, & optimâ, quam habere potest, regulatur. Præterea ille solùm peccat, qui à prudentia per temeritatem recedit: hoc non facit, qui sequitur opinionem probabilem. Ergo sic operans non peccat.

11. Probatur decimò. In rebus incertis licet Theologo ad praxim resolvere casum propositum. At Theologus ille aliam quàm probabilem resolutionem afferre non potest. Ergo licitè affert probabilem, nec peccat, si fortè erret, dummodo debitam diligentiam adhibeat. Alioquin omnis Theologus errans in sua resolutione peccaret, ideoque Sanctissimi viri, puta S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, S. Bernardinus Senensis, & alii graviter peccassent in suis resolutionibus, quia certum est, aliquos illorum errasse, cùm contradictoria doceant. At absurdum & falsum est dicere, quod peccârint casum resolvendo: ergo qui probabiliter resolvit casum, non peccat, etsi fortassis erret. Ergo qui bona fide sequitur talem resolutionem non peccat, quia resolutio frustra esset, nisi ad praxim serviret, cùm fiat pro praxi & ad praxim dirigatur. Præterea si peccaret, qui talem opinionem sequeretur, peccaret etiam Theologus illam proponens, quia sua resolutione homines ad peccatum dirigeret, peccandique ac damnationis periculo exponeret. At sequens talem resolutionem non habet nisi opinionem probabilem de honestate operis, in resolventis autoritate fundatam: ergo sine dubio licitum est sequi opinionem probabilem propriam, ideòque opinio probabilis efficaciter concluditur esse recta morum, & sufficiens conscientiæ formandæ regula. Ratio 10. A probabili casus resolutione sumitur.

12. Probatur undecimò demum autoritate irrefragabili. Illud ex autoritate irrefragabili stabilitur, quod ab omnibus sapientibus unanimiter traditur esse verum. Unanimis enim omnium sapientium autoritas, quoad homines meritò habetur, & verè est irrefragabilis. Sed quod liceat sequi opinionem probabilem, qualem descripsimus, ab omnibus sapientibus, & ab omnibus omnino Auctoribus Catholicè sentientibus traditur esse verum; nemo enim est ex omnibus, quod sciam, qui expresè id non doceat, si de tali materia agat. Sed & Celladeus ipse haud dubiè concedit talem dispositionem ad peccatum arcendum sufficere, quamvis neget illam, si error interveniat, bonitatem moralem inducere, sed in hoc singularis est, & sequenti quæstione contra illum ex professo agendum erit. Ergo præsens assertio ex veritate irrefragabili stabilitur. Et sanè qui legerit *quæst. 22. de conscientia probabili*, evidenter perspiciet, neminem sive ex antiquioribus, sive ex recentioribus usque ad illud tempus de hac re dubitasse. Sed omnes, aut expresè tradidisse, aut evidenter supposuisse, id ipsum esse verissimum. Ratio 11. Ab autoritate irrefragabili.

13. Et sanè assertio præsens prorsùs coïncidit cum illa, quæ dicit, licitum esse sequi opinionem probabiliorem, quia sua cuique opinio probabilior est. Unusquisque enim fertur in suum opinatum, tanquam in probabilius opposito. Immo suum respicit, ut absolutè verum, oppositum verò ut absolutè falsum intellectualiter respuit, & contemnit. Itaque omnes, qui docent usum probabiliorum esse licitum, huic assertioni subscribunt. At omnes omnino, præter Celladeum, partis probabilioris usum docuerunt esse licitum, ergo omnes omnino, præter Celladeum, huic assertioni subscribunt, quæ propterea argumentis tam validis, atque auctoritate tanti Si probabilius sufficiat, opinio probabilis sufficit.

tanti ponderis roboratur, ut infra temeritatem in dubium revocari nequeat. Haud dubiè enim veritas hæc ad moralem, ut minimum certitudinem & evidentiam pertingit. Qui plura hac de re desiderat, adeat *quæst. 19. & 20 de conscientia probabili*, ubi hæc fusius tractata, & quæ objici poterant, soluta inveniet.

Celladeus quoad hanc assertionem non videtur dissentire.

14. Sed quæret aliquis, dissentitne Celladeus huic assertioni? Respondeo, illum, meo judicio, huic assertioni, quoad principalem ejus partem, non dissentire. Ex toto enim ejus discursu apparet eum supponere, quod operans ex opinione probabili, in sensu à nobis declarato, benè operetur, si in suo judicio non erret, excusetur verò, si erret. Dicam ergo in quo differt à benigna sententia. Primò expressè illi contrariatur in secundo puncto minus principali, quia expressè asserit, nullam operationem ex errore, etiam invincibili, regulatam esse honestam, in quo haud dubie quoad hoc punctum nobis ac communi sententiæ contradicit. Secundò quoad punctum principale materialiter differt à nobis, sed in sensu formali quæstionis à nobis non differt. Differret in sensu formali, si, supposito quod quis post debitam diligentiam adhibitam probabiliter concluderet aliquid esse licitum, & bona fide talis judicii ductum sequeretur, adhuc diceret, eum imputabiliter peccare in tali actu, casu quo erraret. Nisi enim hoc dicat, benignæ sententiæ non contradicit, illa enim est quæstio merè reflexa, quæ omnia dicta præcessisse supponit, & illis præsuppositis solùm affirmat, taliter operantem non peccare peccato imputabili. Si hoc admittatur, sententia benigna quoad substantiam adæquatè admittitur. Jam nec Celladeus, nec quisquam, quod sciam, huic contrariatur, & si quis contrarium probare conaretur, negotium desperatum aggrederetur, & post omnem laborem ad rationem probabilem pro suo conatu stabiliendo non pertingeret. Itaque nemo ex omnibus est, qui benignam sententiam in proprio ejus sensu impugnet.

Celladeus & alii in quo a nobis dissentiant.

15. Nihilominus Celladeus, aliique materialiter à nobis dissentiunt, scilicet circa materiam & veritatem judicii, quod tam illi, quàm nos ad peccatum arcendum sufficere dicimus. Illi enim dicunt, judicium reflexum dictans, usum omnium practicè probabilium esse licitum, esse falsum, & objectum illius judicii aliter se habere, quàm actus ille dicit. Nos contrarium totis viribus contendimus. Vel illi, vel nos erramus. Neutri in hac opinionum varietate peccamus, si singuli debitam diligentiam adhibeant, & absque passione excæcante, aut indebitè propellente sententiam ferant. Interim incertum est, quis verum dicat. Nos bona fide, ex conscientia diligentiæ debitæ præmissæ, & ex gravissimis, ut nobis apparet, & apud nos prævalentissimis rationibus absque dubio probabiliter credimus, objectum esse, ut dicimus. Adversarii etiam supponuntur eodem modo procedere. In hoc ergo discursu ac disputatione huc usque nobis adversamur, sed hactenus nemo benignæ sententiæ contradicit, illa enim præsupponit talem opinionum diversitatem, & ea stante, nova consideratione reflexa quærit, an qui juxta dicta tenet aliquid esse licitum, & ex ea persuasione, bona fide illud in opus deducit, peccet nec ne? Qui non dicit, tam docentem, quàm operantem talia peccare, in nullo contradicit benignæ sententiæ, ut patet. At quis est, qui docet homines ita docentes ac operantes imputabiliter peccare? nemo, quod sciam. Si quis est, prodeat; clarè loquatur, & assertionem in hoc sensu declaratam impugnet, & fatebor illum benignæ sententiæ contradicere. Sed si nemo hoc dicat, & nemo, quod sciam, hoc dicit, verissimum est, benignam sententiam in proprio ejus sensu non solùm nondum eversam, sed à prætensis ejus adversariis ne quidem hactenus impugnatam fuisse. Scio hoc primo aspectu multis mirabile visurum, & vix fide dignum. Quomodo enim fieri potuit, ut tot disputationes institutæ, tot libri à gravibus Theologis scripti fuerint, & tamen omnes in statu quæstionis intelligendo, & in omnibus suis conatibus ab ipso scopo non solum aberraverint, sed ne quidem ad illum aliquando collimarint. Et tamen loquendo de adversariis nostris, audacter dico, neminem illorum hactenus ad scopum ipsum, in quo solo controversia vertitur, collimasse; sed solùm de materia remota, ejusque veritate disputationem instituisse, ac confudisse opinionem reflexam remotam, ejusque veritatem, cum opinione ultimâ reflexâ ejusque sufficientiâ ad peccatum à voluntate excludendam. Certè si nobis concedant, quod Auctores benignæ sententiæ suam resolutionem tradendo, quodque illorum asseclæ, qui bona fide illorum opinioni se accommodarunt, non peccarint, habemus intentum, in quantum spectat ad præsentem controversiam, quæ ultimatè reflexa est, ut patet. Adeo verum est, summos ipsos, & maximè fervidos benignæ sententiæ oppugnatores, æquivocatione deceptos, nullum hactenus adversus benignam sententiam, in proprio sensu intellectam, argumentum attulisse.

Nemo in proprio ac presso sensu impugnavit benignam sententiam.

16. Sed ut hoc ipsum clarius perspicias, consideremus Sanctos Thomam & Bonaventuram, in quæstione aliqua directa sibi contradicentes. Uterque alterum falsitatis arguit, suoque judicio alterum errasse dicit. Hæc lis de directa veritate illarum opinionum nil dicit de eo, an alter illorum tradendo suam sententiam imputabiliter peccarit, nec ne? aut de eo, an qui bona fide credit alterutri, & illius opinionem in praxim deducit, verè Deum offendat? Neque S. Bonaventura ita sensit de resolutione S. Thomæ; neque S. Thomas ita de resolutione S. Bonaventuræ opinatus est. Sed uterque licitè suam opinionem post magnam diligentiam statuit: & uterque socium à peccato imputabili in opinando securum, & eos, qui bona fide illi crediderunt, & in opere illius sententiæ se accommodarunt, à scelere ac offensa Dei immunes fuisse censuerunt. Jam benigna sententia reflexa solùm quærit, an taliter resolvens casum, & an homo tali resolutioni bona fide, & probabili judicio post debitam diligentiam se conformans, formaliter peccet, nec ne? Si peccet, falsa est benigna sententia; si non peccet, benigna sententia est vera. Porro sicut ille, qui totis viribus contenderet, opinionem S. Thomæ, v.g. non esse veram, diceretque illud esse malum & peccatum, quod S. Thomas licitum esse & honestum tradit, per hoc non tangeret controversiam præsentem de licito probabilium usu, quia illa supponit hanc dissensionem de veritate objectorum præcessisse, &, ea non obstante, bonam fidem, & judicium probabile de veritate partis minus tutæ formari; & postea quærit, an taliter operans, imputabiliter peccet, nec ne? de quo in priori quæstione nullam fecerat mentionem: ita pariter de facto se res habet in consideratione reflexa de licito probabilium usu. Nonnulli, sed pauci, omni nisu contendunt, usum

Exemplo claro idipsum confirmatur.

æquè

æquè & minùs probabilium non licere. Alii fermè omnes usum illum esse licitum unanimiter tradunt. In hoc contrariantur, sibique contradicunt; & quia adversarii se verum dicere existimant, putant conclamatum esse contra benignam sententiam, cùm tamen eam nequidem attigerint. Benigna sententia, tam est reflexa super hanc, quàm super ullam aliam directam disputationem de honestate rei propositæ, & ex æquo in utroque casu disputationem ac opinionum varietatem præcessisse supponit, eaque præsupposita, in hoc solo vertitur, utrum ille, qui post debitam diligentiam, motivo verè magno ac probabili inductus, resolvit quæstionem in favorem libertatis, peccet nec ne? & utrum ille suum, vel alii, judicio absoluto ac probabili ipsi credentes, suum judicium probabile, hoc modo bona fide formatum, in praxi sequentes, peccent nec ne? hîc ingreditur benigna sententia; & dicit, tales homines bona fide operantes non peccare. Huic autem nemo, ut dixi, contradicit. Ergo nemo contradicit benignæ sententiæ, si illa in proprio, ac unicè à nobis intento sensu accipiatur, sed tota diversitas opinionum hactenùs sibi contradicentium materialiter se habet in ordine ad præsentem controversiam, quæ de regula formali morum solùm procedit. Hæc doctrina ex sequentibus magis roborabitur.

ASSERTIO II.

Opinio minus probabilis est regula morũ.

Omnis opinio practicè probabilis, etiam æquè & minus probabilis, est regula objectiva remota ad conscientiam debitè formandam sufficiens.

Seu quod in idem recidit.

Universaliter licitum est sequi quamcumque opinionem directè minus probabilem, minusq; tutam, etiam in sensu composito, quod opposita sit & credatur probabilior ac tutior, modò opinio illa directa sit practicè probabilis, & operans certò sciat, illam esse probabilem.

EXPLICATIO ASSERTIONIS.

Sensus assertionis explicatur.

17. Hic agimus de opinione probabili, non existente in ratione actus animam informantis, sed in ratione objecti reflexè cogniti. Ante omnia autem supponitur, quod certò constet, illam niti motivo directè probabili, quod est, & creditur minus potens, quàm motivum probabile pro parte opposita: hoc supposito, objectum illud, directè minus probabile, iterum comparatur cum omnibus circumstantiis, quæ cum minore illa probabilitate connexionem habent, puta cum possessione libertatis, cum ignorantia, & non promulgatione legis, & aliis hujusmodi; & quæritur, utrum ex istorum consideratione, post diligentiam debitam, rationabiliter ac prudenter inferri possit, objectum, quod opinio directè minus probabilis proponebat ut licitum, verè esse licitum, si omnia considerentur. Seu quod idem est, quæritur, utrum objectum, directè minus probabiliter licitum, prout novis istis ac reflexis circumstantiis subest, evadat licitum, ac præbeat sufficiens fundamentum, rationabiliter, prudenter, & sine temeritate existimandi, quod objectum illud in hisce circumstantiis, seu omnibus consideratis sit licitum; si præbeat tale fundamentum, & intellectus ex illo motivo consurgat ad formandum judicium probabile, rationabile ac prudens de honestate talis operis; ac proindè respiciat illius honestatem, non solum ut probabiliorem ejusdem inhonestate, sed etiam feratur in eandem ut absolutè veram, ejusdemque inhonestatem respiciat ut absolutè falsam: tunc omnis opinio practicè probabilis, etsi sit & cognoscatur esse minus probabilis directè, erit regula objectiva remota sufficiens ad conscientiam debitè formandam, quia actus ille, quo intellectus ex consideratione hujus objecti probabiliter, prudenter, & sine temeritate, affirmat objectum illud esse licitum, est dictamen conscientiæ, seu opinio practicè probabilis (nisi fortè sit judicium plusquam probabile, & moraliter saltem certum & evidens) actu animam informans, ac proinde ex assertione prima est regula formalis sufficienter applicativa legis æternæ ad licitè operandum. Ergo stante tali judicio, licitum erit ponere objectum, quod ab opinione minus probabili proponitur esse licitum: si autem non dederit tale fundamentum, tunc non erit regula objectiva remota sufficiens ad manifestandam legem divinam per actum, qui sit sufficiens regula formalis ad licitè operandum.

18. Itaque tota difficultas præsentis assertionis in eo vertitur, utrum opinio, directè minus probabilis, reflexè considerata in ordine ad dictas circumstantias, præbeat, vel non præbeat sufficiens fundamentum in ordine ad quæstionem dicto modo resolvendam. Si præbeat, usus talis opinionis erit licitus; si non præbeat, usus talis opinionis non erit licitus. Si præbeat uni, ita ut ille absque temeritate, probabiliter atque prudenter credat illud esse verum, tunc illi licebit talem doctrinam docere, & juxta illam operari, idemque omnibus licebit qui eodem modo absque temeritate, probabiliter, atque prudenter illi credunt, quidquid sit an alii rem excutiant, vel non excutiant; an cum illo consentiant, vel ab illo dissentiant; quia illorum negligentia, vel dissensus non tollit à judicio alterius rationem regulæ formalis sufficientis, seu rationem judicii practicè probabilis, actu informantis animam, illique sufficienter applicantis legem æternam. Porro si opinio directè minus probabilis præbeat fundamentum talis resolutionis, tunc locum habebit benigna sententia, quæ de formali conscientiæ regula procedit. Antequam enim locum habere possit, supponit judicium probabile practicum actu animum informans, quo lex æterna illi applicatur. Si non præbeat tale fundamentum, nullus in hujusmodi casu benignæ sententiæ locus dabitur, ex defectu materiæ seu objecti, circa quod versatur, ut patet.

Brevior controversiæ expositio.

Demum quamvis contingeret hominem hoc modo discurrentem errare (quod tamen non evenit, ut videbimus) adhuc assertio sub utraque expressione subsisteret, quia quævis opinio practicè probabilis, actu existens, & animum informans, est sufficiens morum & conscientiæ formandæ regula, etsi per accidens sit falsa, ut ex prima assertione constat.

19. Jam quamvis opinio probabilis, hoc modo sumpta in ratione objecti, quadrupliciter considerari possit, ut supra dictum est; ego tamen hoc loco non proponam nisi rationes, quas *quæstione 23. de consc. prob.* relatè ad opinionem minus probabilem minusque tutam ponderavi, ut

Cur non omnes rationes afferantur.

ut habeam occasionem solvendi ea, quæ vir quidam ingeniosus contra illas opposuit. Ratio est, quia quæ convincunt usum talis opinionis esse licitum, à fortiori idem inferunt de æquè probabili, de probabiliori, ac de unicè probabili, ut patet. Cum ergo istæ rationes subsistant, opus non est alias afferre pro aliis comparationibus. Si autem quis illas videre desideret, legat *quæst. 20. & 21. de consc. prob.* ubi illas inveniet. His ergo circa legitimum quæstionis sensum declaratis, ad argumenta pro ejus veritate stabiliendа veniendum est.

RATIO PRIMA.

Tradentes benignam sententiam non peccant.

20. PRIMUM argumentum à patenti absurdo hoc modo deducitur: Si non excusarentur à peccato mortali, ratione sui imputabili, qui bonâ fide sequuntur opinionem directè minus probabilem, omnes Doctores totius Ecclesiæ (certum enim est, omnes omnino, præter unum Comitolum, qui in re ab aliis non discrepat, per centum & amplius annos benignam tradidisse sententiam) gravissimè peccassent, quia doctrinâ suâ falsâ, & ad formandam conscientiam insufficienti, proximos suos, qui eorum auctoritate directi sunt, in peccatum & damnationem duxissent. At moraliter certum est, non omnes in eâ sententiâ tradendâ graviter peccasse, aut intolerabiliter errasse. Ergo moraliter certum est, opinionem dicentem usum opinionis directè minus probabilis esse licitum, non esse errorem intolerabilem. Imo è contra clarissimè infertur, honestatem talis praxis esse valde fundatam, magnisque rationibus reputari licitam, quia impossibile est omnes omnino Auctores, eosque numero plurimos doctrina ac pietate præstantissimos, quique quæstionem in terminis & à fundamento tractarunt, per integrum sæculum in unam eandemque sententiam conspirare, quin illa sit verè probabilis, & digna fide, adeoque quin unusquisque, qui post maturam rei considerationem, rationibus apud ipsum prævalentibus motus, illam veram reputat, à peccato excusetur, & rationabiliter, atque invincibiliter sententiam suam proferat. Idem valet de iis, qui sententiæ à tot ac talibus Auctoribus traditæ fidem adhibent. Hoc autem est opinionem directè minus probabilem esse regulam objectivam remotam, sufficienter manifestivam legis æternæ, & illativam judicii rationabilis, & probabilis ac invincibilis, quo lex æterna sufficienter applicatur, ut ex primâ assertione constat.

Si non esset regula, Deus Ecclesiam deseruisset.

21. Præterea si sententia, docens usum minus probabilium esse licitum, esset falsa, suosque Auctores, eorumque bona fide sequaces, à peccato non excusaret, Deus per integrum sæculum suam Ecclesiam deseruisset, illamque in periculosissimo, ac damnabilissimo errore cæcutire permisisset. At hoc est incredibile: Deus enim non minus etiamnum diligit Ecclesiam, quàm olim. At semper Ecclesiæ suæ providit de viris probis & doctis, qui erroribus nascentibus se opposuerunt. Quis ergo credat, Deum per integrum sæculum ita deseruisse Ecclesiam in errore perniciosissimo, ut nullius summi Pontificis, nullius Episcopi, immo nullius Doctoris spiritum excitarit, qui errorem detegeret, murumque se pro domo Dei opponeret. Nemo certè cordatus & probus Catholicus ita de Ecclesia, Deique in ea gubernanda providentia existimabit. Consequens proinde est, benignam sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam, eamque suos sequaces à peccato & peccandi periculo immunes reddere.

Licitè docetur, ergò est regula.

22. Rursus sic arguo. Omnis opinio, ad praxim ordinata, quæ licitè docetur, & quidem publicè in omnibus universitatibus ac scholis per totam Ecclesiam traditur, est sufficiens regula conscientiæ ad eam sectantes à peccato excusandos, alioquin, qui illam pro praxi traderet manifestè peccaret. Sed opinio, docens usum partis minus tutæ & directè minus probabilis esse licitum, & ordinatur ad praxim, & licitè docetur, & publicè in omnibus mundi universitatibus traditur, & per integrum sæculum, nemine reclamante, tradita fuit. Ergo dicta opinio est sufficiens conscientiæ regula.

Hæc est summa primæ rationis, cui addidi hanc Medinæ & aliorum. Sententia directè minus probabilis licitè docetur in scholis, quia in concursu oppositæ probabilioris censurari non potest ut temeraria, imprudens, præcipitata, &c. quia certum est, quod in contradictione oppositi nitatur motivo prudenti. Ergo talis opinio sufficit ad regulandam praxim. Tenet consequentia, quia proponitur ut regula. Ergo si non sufficeret, peccarent qui eam proponerent. At non peccant. Ergo est sufficiens regula.

SOLVUNTUR REPLICÆ Theologi recentioris.

Replica à retorsione.

23. OBIICIT primò. Argumentum retorquetur, quia omnes antiqui Theologi, ultimo sæculo anteriores, oppositam doctrinam tradiderunt. Ergo si illa est falsa, graviter peccaverunt, imponentes hominibus grave onus, quod Deus illis non imposuit. Sic enim plurimis peccatis occasionem præbuerunt. Nam propter eorum falsam doctrinam, plurimi malam fidem habuerunt, qui sententias minus probabiles & minùs tutas elegerunt, quam non habuissent, si doctrina opposita eis tradita fuisset.

Retorsio non subsistit.

Respondeo retorsionem nec subsistere, nec argumentum solvere. Non subsistit, quia antiqui Theologi nunquam tractarunt in terminis hanc quæstionem reflexam, utrum opinio, directè minus probabilis, omnibus consideratis, sit licita in praxi. Itaque solum docuerunt, nemini licitum esse sequi nisi opinionem probabiliorem, id est, nisi opinionem, quam ipsi probabiliter saltem veram reputarent, ac proinde in eam, ut in probabiliorem ac absolutè veram tenderent. Hoc verum est: sed non contrariatur sequentibus Theologis, qui idem prorsùs requirunt in usu opinionis directè minus probabilis: nisi enim honestas talis praxis per rationes reflexas evadat probabilior, nemo licitè illam sequitur. Itaque quoad præsentem materiam, alia diversitas inter antiquos & recentiores Theologos non fuit, quàm quod recentiores in terminis expressis sub unâ eademque notione universali quæstionem instituerunt, de qua antiqui nullam in universali sub illis terminis explicitam mentionem fecerunt. Nec tamen dubium mihi ullum est, quin antiqui Theologi in casibus particularibus, post omnia considerata docuerint illud hîc & nunc esse licitum, quod secundùm se præcisè consideratum erat apud illos minus probabile. Sic docuerunt, possessorem bonæ fidei in causa pacis aut minoris probabilitatis non teneri ad se privandum re possessa. Idem in aliis casibus docuerunt, quia illud omnibus consideratis erat probabilius: ergo illi non minus, quàm nos, eandem opinionem secuti

sunt, & tota diversitas in eo est, quod posteriores universalem abstractionem ab omnibus casibus particularibus fecerunt, & sub notione illa universali quæsierunt, an usus cujusvis opinionis probabilis, etiam minus probabilis, minusque tutæ, sit licitus? hoc autem priores Theologi non fecerunt. Quod hæc ita se habent ut dixi, satis apertè constat *ex quæst. 22. de consc. prob.* & efficaciter probatur exemplis, quæ proximè ponderata sunt.

Retorsio non solvit argumentum.

24. Sed retorsio non solvit argumentum, quamvis admittamus Theologos antiquos, & recentiores quoad præsentem quæstionem contradictoria tradidisse. Ego enim, data hypothesi, audacter respondeo, nec illos, nec hos peccasse suam doctrinam tradendo; sed omnes rationabiliter, ac probabiliter suam opinionem tradidisse. Neque in hoc major est difficultas, data hypothesi, quàm quod S. Thomas & S. Bonaventura in quæstione particulari absque peccato contraria doceant. Neque enim Deus permittendo primam opinionem, etsi erroneam, Ecclesiam in errore intolerabili ac noxio deseruisset; quia nulli, qui talem doctrinam, etsi erroneam, ut regulam secuti fuissent, peccassent; & illi soli in hac materia peccatum commisissent, qui contra illam regulam, & contra conscientiam egissent. Et sanè non est contra providentiam Dei erga Ecclesiam, permittere in rebus incertis errorem doceri à suis ministris, illumque à subditis pro regula assumi, modò subditi, eam regulam sequentes, non peccent. Si enim contra illam agant, sibi tribuant, non Deo, quia malitiosè contra propriam conscientiam operantur. At Ecclesia desereretur, si communis error permitteretur, & error esset talis, ut eum bona fide sequentes à peccato non excusarentur. Jam vis mei argumenti in eo præcisè consistit, quod docentes talem doctrinam, eamque bona fide sectantes non peccent. Hoc enim concesso habemus intentum. At nemo citra temeritatem eos omnes peccati damnare potest, ut patet: Ergo nemo rationabiliter dicere potest, opinionem, docentem minus probabilia esse licita, non excusare à peccato, seu non habere motiva sufficientia, ut absque temeritate admittatur & credatur esse vera. At nos hoc solùm in præsenti argumento contendimus, & ex hoc inferimus, eam esse sufficientem conscientiæ regulam.

An multi à nobis dissentiant?

25. Objicit secundò. Plerique eorum, qui dicunt usum opinionis minus probabilis esse licitum, solum docent licitum esse sequi opinionem reipsa minus probabilem, seu quæ communiter habetur talis, sed non docent licitum esse operanti eligere sententiam minus tutam, quam ipse operans cognoscit esse minus probabilem. Solùm enim asserunt, opinantem aliquam operationem esse licitam, securè posse illam in praxim deducere, hoc ipso quod sciat illam esse probabilem, id est veram reputari à sapientibus, quod nos quoque fatemur. Quia hoc ipso quod quis sciat opinionem, cui adheret, defendi à prudentibus, scit niti fundamento prudenti, ac proinde non esse temerariam & improbabilem: unde optimè deducit, posse à se in praxim deduci, quia unusquisque licitè id exequitur, quod prudenter judicat esse licitum; non est autem illorum mens, hominem, in cujus intellectu fundamenta utriusque sententiæ objectivè concurrunt, posse eligere minus tutam, si ejus fundamenta minoris ponderis sint apud ipsum, quàm fundamenta partus tutioris.

Adversarius docet, quod intendimus.

26. Respondeo Theologum hunc mihi videri reipsa à nobis non dissidere, etsi prætendat se oppositum prorsùs tradere. Inprimis vult, unumquemque licitè sequi propriam opinionem, si illam sciat à peritis & prudentibus veram reputari: ergo qui putat usum opinionis, cujus motiva directa reputat esse minoris momenti quàm opposita, esse licitum, per illum tutus est, modò sciat illam à peritis veram reputari. At hoc scire potest, quia non pauci, ipso fatente, docent hoc licitum esse: ergo per ipsum securus est. Ergo nos, & omnes, qui nobis bona fide credunt, tuti sumus, quia opinionem nostram fundamento prudenti niti scimus. At reipsa aliud non docemus: nisi enim quis absolutè credat opus esse licitum, non excusatur, si illud ponat. Verùm hoc diversitatis intervenit, quod aliquando directis, aliquando solum reflexis rationibus moti credamus rem esse licitam: in casu autem præsenti, ita huic Auctori consentio, ut admittam, neminem licitè sequi opinionem, cujus omnia fundamenta reputat minora oppositis, quia stante tali persuasione judicare nequit tale opus esse licitum. At ab illo prorsùs dissentio, si dicat, non esse licitum sequi partem illam, cujus fundamenta directa existimo esse minora oppositis; quia, hoc non obstante, per rationes reflexas prævalentes existimare possum, objectum illud absolutè esse licitum: nisi enim homo, hoc modo per discursum reflexum, rationibus ac motivis rationi contrariæ prævalentibus, judicaret objectum esse licitum, usus opinionis directè minus probabilis illi non liceret, quia illam omni modo reputaret esse minus probabilem, & consequenter bonam fidem non formaret.

Omnes qui docent usum minus probabilium esse licitum nobiscum sentiunt.

27. Jam hic est sensus omnium, qui usum minus probabilium licitum esse tradiderunt: illi enim opinionem, pro directè minus probabili agnitam, reflexè considerantes, novis argumentis roborati (ut ex eorum libris constat, nam argumentis reflexis utuntur) illam absolutè licitam esse concluserunt. Præterea gravissimi quique, & omnes, qui multa in re morali scripserunt, sæpius apertè testantur, opinionem contrariam illi, quàm ipsi tenent, in praxi tutam esse. Quo loquendi modo apertè indicant, sentire se, si omnia etiam indirectè probantia considerentur, opinionem illam esse licitam, & tam à seipsis, quàm ab aliis omnibus, etiam illis, qui secum sentiunt, licitè in praxim reduci posse, & universaliter ab omnibus pro operandi regula accipi. Nec dubium, quin expressè doceant, liberum cuique esse electionem inter opiniones certò probabiles facere, & quamcumque illarum in praxim deducere, modò constet, quod illa sit certò probabilis, quamvis opinio illa in directa consideratione & sit, & habeatur minus probabilis oppositâ. Ratio est, quia plurimi eorum expressè hoc docent, ubi de opinionum delectu agunt; alii docent licitum esse etiam contra propriam opinionem operari: ergo censuerunt, electionem opinionis directè minus probabilis apud operantem locum habere, & quamlibet opinionem directè minus probabilem licitè in praxim reduci posse. Præterea peto ab hoc Theologo, quo fundamento dicat, plerosque benignæ sententiæ Auctores aliud non voluisse, quàm cuique licitum esse sequi suam opinionem directam, si sciverit illam à prudentibus doceri? Certè hoc ex dictis illorum non infertur, sed solùm ab ipso ita esse putatur. Sed vellem scire quo fundamento? Nemo hactenus, quod sciam, eos ita intel-

intellexit, sed omnes, tam fautores, quàm adversarii ipsorum, alium longè sensum in eorum sententia agnovere. Præterea si hic eorum fuisset sensus, procul dubio eum explicassent, cùm facillimè explicari potuisset, sed & debuisset sic explicari, ne ansam largioris & falsæ interpretationis lectoribus præberent. Stat ergo, sensum horum Autorum esse talem, qualem verba eorum præ se ferunt, & qualis hactenus ab omnibus intellecta fuit. Hoc ipsum ex admissis ab hoc Theologo infra comprobabitur.

Theologus iste æquivocationem patitur.

28. Potissimum, in quo Theologus iste æquivocationem patitur, est, quod objectum opinionis directè minus probabilis semper consideret in ordine ad easdem circumstantias. Si autem sic consideretur, ultro fateor, nemini licitum esse illam sequi, qui eam minus probabilem reputat. At nos objectum illius in ordine ad alias circumstantias consideramus, & tunc simpliciter loquendo dicimus, illud licere, cujus honestatem, directè tantum consideratam, putamus esse minus probabilem. Nec hæc duo judicia sibi contrariantur, quia quod non est licitum in his, in aliis circumstantiis est licitum; & illud in istis circumstantiis ex motivis prævalentibus cognoscitur esse licitum, pro cujus honestate in aliis circumstantiis minora dantur argumenta, quàm pro opposito. Si hæc distinguantur, nulla difficultas est aut in sensu Authorum intelligendo, aut in veritate sententiæ benignæ percipienda.

Objectio inanis.

29. Objicit tertiò. Multi quidem docuerunt, usum opinionis minus probabilis esse licitum in sensu, quem ipse falsum putat, non tamen peccaverunt, quia in ea tradenda non ex veritate, sed ob ignorantiam & bonam fidem excusati fuerunt, quia post diligentem discussionem existimarunt veram & utilem sententiam, quæ est falsa & nociva. Unde sicut non per se, sed solùm per accidens, scilicet ex ignorantia, talis opinio licitè docetur in scholis, ita pariter non per se, sed solùm per accidens ex ignorantia invincibili licet illam in praxim deducere.

Inanitas objectionis ostenditur.

Respondeo, hæc sub eisdem prorsùs terminis dici posse ac debere contra opinionem hujus Theologi: nos enim dicimus eum errare, & solùm ex ignorantia excusari. Quid ergo juvat talia afferre, quæ ex æquo utrique parti, aut prosunt, aut obsunt, nec objici possunt, nisi supponatur id quod est in quæstione, nempè quod objiciens veram, & respondens falsam opinionem sectetur?

Argumentum retorquetur.

30. Respondeo secundò, idem planè objici posse contra usum opinionis probabilioris, quia quoties illa est falsa, qui eam tenet & sequitur, non excusatur nisi per accidens, & ex ignorantia veritatis. Peto jam à Theologo isto, an ista replica quidquam valeat ad improbandam honestatem talis usus in opinione probabiliore, cujus usum ipse admittit esse licitum? Si vim habet, ipsemet debet eam solvere. Si non habeat vim contra usum opinionis probabilioris, nec etiã habebit contra usum opinionis directè minus probabilis.

Argumentum solvitur.

31. Respondeo tertiò. Undecumque tandem id eveniat, fixum manet, opinionem benignam licitè doceri in scholis ab iis, à quibus illa probabilior habetur & vera. Similiter fixum pariter est, eos excusari à peccato, qui bona fide illi adhærent, illamque veram reputant, quia omnes isti juxta rei veritatem, ut ipsi, absolutè, probabiliter, & rationabiliter procedunt. Non est ergo unde peccati accusari possint. At hoc stante habemus intentum.

32. Objicit quartò. Nemo licitè sequitur opinionem minus tutam, quam minus probabilem reputat, quamvis sciat mille Doctores docere usum illius esse licitum, quia conscientia illius semper reclamat, illumque pungit. Si enim interrogetur, an contractus, v. g. de quo agitur, sit licitus nec ne, respondere debet, se nescire; immo habere majus fundamentum existimandi esse prohibitum. Jam cum hoc statu componi nequit dictamen reflexum verum, quod hîc & nunc ille contractus sit sibi licitus. Ergo quamvis tot Doctorum auctoritate motus celebret istum contractum, peccabit; quia si opinio illa sit falsa, non solùm materialiter, sed etiam formaliter transgreditur legem. Si verò opinio sit vera, adhuc peccat, quia voluntariè se exponit periculo legem violandi, quando potest prudenter judicare contractum esse prohibitum, & non potest prudenter judicare non esse prohibitum. Sic quamvis multi doceant licitum esse operari contra propriam opinionem, illud tamen licitum non est, nec fieri potest, ut non peccet is, qui contra illam operatur, quia non potest elicere dictamen reflexum verum, quo excusetur à culpa in sensu composito judicii directi, quo credit contractum illum esse universaliter prohibitum.

Objectio 4.

Sequens opinionem minus probabilem nõ necessario agit contra conscientiam.

Respondeo: argumentum valeret, si objectum opinionis directæ semper consideraretur in ordine ad circumstantias easdem. At si consideretur in ordine ad diversas circumstantias, ut fit in casu nostro, non video in quo argumentum urgeat; non enim est, cur conscientia illius magis illum pungat, quàm quando sequitur opinionem ipsi directè probabiliorem. Ratio est, quia objectum illud in ordine ad novas istas circumstantias est, & ad minimum tam probabiliter creditur honestum, quàm quævis opinio directè probabilior, quia rationes benignæ sententiæ non sunt minus efficaces, quàm motiva opinionum directè probabilium, sed longè potentiores. Itaque talis homo interrogatus de contractu an liceat, respondebit illum esse licitum, quia verè ita credit, & in sua opinione non fallitur, quia id verum est. Itaque haud dubiè judicium reflexum formari potest, non obstante agnitione minoris probabilitatis directæ, quia res illa in ordine ad novas circumstantias consideratur. Jam quod peccet nec ne, non dependet à veritate aut falsitate opinionis directæ, quæ judicatur minus probabilis, sed à veritate judicii reflexi, quo omnibus inspectis judicat contractum illum esse licitum. Ratio est, quia operans non versatur in circumstantiis, quas directa opinio præcisè considerat, sed in iis quas opinio reflexa repræsentat. Ergo veritas & falsitas opinionis directæ impertinenter se habet ad peccatum vel non peccatum in hoc opere. Ergo quæstio hæc solùm dependet à veritate opinionis reflexæ. At illa vera est, & indubiè absque temeritate creditur vera. Ergo indubitanter excusat.

Quod attinet ad exemplum operantis contra propriam sententiam, ostendi quid sentiendum sit *quæst. 30. de consc. prob.* ubi exposui, quando licet & quando non licet operari contra propriam sententiam. Ad præsens argumentum quod attinet, dico neminem licitè operari contra propriam opinionem ultimam & finalem, ac absolutè dictantem tale opus esse universaliter illicitum, quia tale judicium repugnat cum bona fide, & cum opinione ac conscientia dicente, hunc contractum, sub illa opinione universali contentum, non esse prohibitum. Cæterùm si circumstan-

cumstantiæ mutarentur, aut si judicium proprium non esset finale & absolutum, ut in casu præsentis objectionis, vel si formari posset judicium prudens reflexum de absoluta honestate operandi contra propriam opinionem directam, utique liceret contra propriam opinionem actualem operari, ut ibidem latè ostendi.

33. Objicit quintò. Non sequitur, Auctores peccare, qui dicunt licitum esse operari contra propriam opinionem, quamvis omnes peccent qui contra illam operantur. Ergo similiter, quamvis opinio benigna absque peccato doceatur, non sequitur eos non peccare qui illam sequuntur.

Si casus non sit licitus peccat docens eum esse licitū.

Respondeo disparitatem latam intervenire. Doctores in primo casu non peccant, quia putant homines posse formare bonam fidem, etiam contra propriam opinionem actualem, ideoque non docent simpliciter illos non peccare qui contra propriam opinionem operantur, sed solùm non peccare, si bonam fidem forment. Itaque qui bonam fidem non format, non sequitur eorum opinionem, ideoque peccatum illorum non ipsis imputatur, cùm operans non habeat dispositionem quam requirunt. At si operans posset habere illam dispositionem, & ea non obstante peccaret, tunc utique qui talem doctrinam doceret, à peccato excusari non posset, quia scandalum proximi causaret. Nec bona fides Doctorem excusaret, sicut bona fides non excusat operantem. At in casu nostro, totum, quod benigna sententia docet & requirit, poni potest & debet, ut quis eam sectetur in praxi. Ergo si sectantes eorum opinionem non excusarentur, nec ipsi Doctores excusari possent.

Objectio alia.

Objicit sextò. Ultimum, quod ex Medina traditur, est falsum; nemo enim licitè docet in scholis id quod ipsi verisimilius apparet esse falsum. Ergo similiter nemini licet illud operari, cujus inhonestas est illi probabilior.

Minus probabile licitè docetur.

34. Respondeo, Theologum hunc supponere quidem, quod antecedens sit verum, sed nil prorsùs affert ad illud probandum. Ego ergo sic probo oppositum. Finis magistri est, ut discipulos bene instruat. Hoc posito sic: Ponamus magistrum habere plures doctrinas proprias, quas alii communiter, ut male fundatas, periculosas, ac singulares rejiciunt. In hoc casu magister ille rectius faciet ad profectum discipulorum, atque ad finem superiorum, ipsum aliis docendis exponentium, conducibilius operabitur, si communes, & minimè periculosas sententias doceat. Ergo non solum licitè, sed longè sanctissimè hoc faciet. Quid quod ad hoc ipsum obligari potest. Nonne plures tenentur ad sententiam S. Thomæ, aut ad Aristotelis opiniones tradendas? At hoc esset illicitum, si quis teneretur propriam sententiam tradere, quando ille contrariam opinionem existimaret esse minus probabilem; fieri enim nequit, quin sæpè propria cujusque opinio à mente aliorum discrepet. Jam verò, quod liceat cuique quamcumque opinionem certò probabilem docere alios, etsi ipse eam reputet minus probabilem, ex eo etiam patet, quòd judicare possit expedire discipulis, ut opinionem suæ oppositam discant, ac in illa radicentur, cùm illa sit certò probabilis, & à gravissimis viris tradatur. Sic enim discurrere potest. Mea opinio non est certa: fortasse falsa est. Interim opinio contraria est certò probabilis, eademque valdè utilis ad salutem animarum, si vera reputetur; ergo operam dabo, ut discipuli in ea figantur, quia hoc illis ac reipublicæ utilius est, quàm si meam propriam de his rebus opinionem proponam. Nec obstat, quod ille falsam putet illam doctrinam, quia non scit, sed solùm putat hoc ita esse, idque cum magna formidine oppositi, quod novit fundamento prudenti non destitui. Itaque quamvis hoc modo formidolosè falsam putet, procurare tamen potest ut alii in illâ ipsâ sententia radicentur, & talem Doctorem sequantur, etsi ille in multis ab illo dissentiat. Neque per hoc peccat, quia non interponit suam auctoritatem, nec asserit, se veram reputare illam opinionem, sed solùm se reputare eam esse valde rationabilem, simulque exponit motiva ipsam confirmantia, & argumenta opposita dissolvit: sic Doctores aliorum Theses frequenter defendunt, quamvis ipsi in plurimis ab illis dissentiant: nec per hoc vel minimum peccant, quamvis durante disputatione, omni conatu opinionem suæ contrariam defendant, illamque auditoribus ut prævalentem proponant. Itaque quævis opinio certò probabilis licitè docetur in scholis. Ergo argumentum Medinæ subsistit, nec à Theologo isto solvitur.

SECUNDA RATIO.

35. In materia fidei, quando utraque pars est certò probabilis, unicuique licet quamcumque voluerit tenere, modò illam absolutè veram reputet. Sic in materia de Immaculata Virginis Conceptione certum est, tenentes piam sententiam non peccare, sed neque qui tenent oppositam condemnandi sunt, ut ex Alexandri VII. constitutione notum est. Hinc sic arguo: Certum est, quod in materia fidei liceat amplecti partem minus tutam, tutiore relicta, quia absque dubio licet alicui ex partibus assensum præbere; cùm tamen pars unicè tuta sit omnem assensum suspendere, ac de sola probabilitate judicium ferre. Ergo idem licebit in materia morum. Probatur antecedens. Inprimis apud omnes indubitatum est, quod liceat eam partem sectari, quæ omnibus inspectis probabilior apparet, sed id ipsum etiam certum est, quando certò constat utramque esse probabilem, & nescitur quænam sit probabilior, tunc enim unusquisque eligere potest quamcumque voluerit ut eam teneat, atque etiam in scholis tradat, nisi peculiaris lex id ipsum prohibeat. Neque enim ideo quis reprehendi potest, quod talem opinionem doceat, aliisque ut eam teneant persuadeat, quia certum est eos probabiliter eam tenendo non peccaturos, ideoque pariter certum est persuadentem eos ad taliter opinandum in hoc non peccare. Idem valet de parte minus probabili. Ponamus aliquem Doctorem, cui probabilius apparet, quod diva Virgo sit maculatè concepta, eligi in publicum universitatis Magistrum, qui ex officio debeat quæstionem illam tractare. Hic licitè potest docere communem piamque sententiam, suosque auditores ad eam amplectendam incitare. Propter hoc enim reprehendi non potest, dummodo argumenta illi faventia sincerè proponat, illisque vim suam, quantum veraciter potest, tribuat. Ratio est, quia ille persuadet rem honestam, nempè assensum prudentem motivo evidenter probabili innixum. Ergo sic faciendo non peccat. Ergo idem licet in materia morum juxta progressum jam explicatum, quia opinio in materia fidei non minus spectat ad conscientiam & mores, quàm opinio in materia morali. Ergo certum est, quod unicuique liceat

Quævis opinio probabilis in materia fidei licitè eligitur.

ceat sequi opinionem directè minus probabilem, modo ex argumentis reflexis, aut ex autoritate probabiliter credat id sibi licere. Cæterùm argumentum à materia fidei ad mores deductum solidissimum est, & in sæculis retroactis ab omnibus universaliter ut efficax est agnitum, ut fusius ostendo *quæst. 22. de consc. prob.* de hoc argumento plura ex professo dicentur *quæst. 11.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Theologus errat in intelligentia rei, quam objicit.

36. OBJICIT primò recentior ille Theologus. Assumo quod Terillus rectè supponit tanquam necessarium ad sectandam aliquam opinionem, videlicet illam absolutè veram putari. Hinc autem infertur, nemini licitum esse in materia morum sequi opinionem minus tutam, si illa appareat minus probabilis opposita tutiore, quia in tali casu impossibile est ut existimetur absolutè vera. Et quamvis physice posset, prudenter non posset, quia nequit esse vera prudentia seipsum adigere ad aliquid judicandum licitum, ut pateat aditus ad executionem, quando datur fundamentum majus ad judicandum non esse licitum. Hoc enim esset voluntariè seipsum obcæcare ad non videndam malitiam, quam homo præcavere debet. Hinc autem ulterius sic arguit. Nemo in materia fidei reputare potest eam opinionem esse veram, quæ ipsi apparet minus probabilis opposita, ergo si in materia fidei non liceat tenere nisi eam opinionem, quam quis veram reputat, utique non licet eam tenere, quam minus probabilem reputat. Ergo à pari idem dicendum in materia morum.

Respondeo Theologum istum non rectè intellexisse argumentum: non enim universaliter dixi, ad sectandam opinionem in materiâ fidei necessarium esse, ut illam veram esse judicemus, cùm oppositum prorsùs asseram in argumento, quod ut à certioribus inchoaretur, dixi haud dubiè licitum esse in materia fidei sequi quamcumque ex partibus certò probabilibus, saltem quando quis illam existimat esse absolutè veram. Quod statim probavi exemplo eorum, qui in materia de Immaculata Deiparæ conceptione contraria sentiunt. Hoc autem toto cælo differt ab universali propositione, quam Theologus iste mihi tribuit: Itaque si intendat ad hominem arguere, aut ex universali principio à me cõcesso argumentum formare, haud dubiè argumentum procedit de subjecto non supponente, & nil concludit. Errat ergo in intelligenda prima parte objectionis; ad secundam autem, ubi probo licitum esse docere partem nobis minus probabilem, non respondet.

Reipsa solum sectamur probabiliora.

37. Respondeo secundò, me quoque admittere, nemini in materia morum licere sequi partem minus tutam, nisi ex argumentis, vel directis, vel reflexis, absolutè credat illam esse licitam. Cæterum licet non possim judicare opinionem directam esse veram, quamdiu existimo oppositam esse verisimiliorem, tamen hoc non obstante ex argumentis indirectis & reflexis, & in ordine ad alias circumstantias possum existimare opus illud esse absolute licitum, & sic bona fide licitè operari. Itaque si loquamur de reflexa consideratione, argumentum nil prorsùs urget.

An & quomodo assentiri possimus minus probabilibus?

38. Quod si loquamur de argumentis tantum directis, fateor & ego neminem judicare posse aliquid esse verum, quamdiu absolutè & finaliter existimat oppositum esse verisimilius aut probabilius: verùm si præscindamus ab hoc judicio comparativo, & consideremus apparentiam antecedentem omnem affectum ulli parti affixum, dico intellectum non solum physicè, sed etiam prudenter flecti posse in assensum partis verè minus probabilis, ita tamen ut jam per hoc ipsum judicium, imo etiam aliquo modo pro priori ad illud, absolutè respiciamus partem hanc ut verisimiliorem & probabiliorem parte opposita. Hoc latè probatum est *quæst. 10. de consc. prob.* ubi de hoc ipso ex professo quæstionem instituimus. Videantur ibi dicta. Sed & plura de hoc argumento dicenda sunt in sequentibus. Quantum autem ad præsens Theologi argumentum attinet, respondeo illud utcumque locum habiturum, si intellectus in sensu composito judicii de majore probabilitate partis tutioris, violenter adigeretur ad absolutè judicandum partem minùs tutam esse licitam; tunc enim homo videretur se sponte excæcare. At quòd judicium hoc eliciatur in sensu diviso talis comparationis, & intellectus ex innocuo affectu & imperio voluntatis determinetur ad assensum præstandum rationi in actu primo remoto minus allicienti, sed in actu primo proximo, tam concomitanter quàm consequenter ad innocuum voluntatis affectum, magis allicienti, non est imprudentis sed prudentis, quia homo sic agit, sicut homines prudentes ex potentiarum suarum natura & subordinatione operantur. Et sane cùm antecedenter ad omnem affectum constet, motivum hoc, quod postea approbatur, esse prudens, & cum magnâ veritatis inveniendæ spe conjungi, illudque, accedente innocuo voluntatis affectu ad illam partem, jam fortius & suavius alliciat, quàm oppositum, idque clarè percipiatur, voluntas prudenter imperat assensum, quo pars illa absolutè creditur vera, & probabilior opposita. In quo imperio eliciendo voluntas prudenter operatur, sive bonum intellectus præcisè spectetur, sive etiam finis voluntatis præ oculis habeatur. ut dicta *quæst. 10.* ostensum est.

39. Cæterum aliqua fortassis species turpitudinis primo aspectu appareret in voluntate, si illa eo tantum fine tale judicium imperaret, ne videret malitiam, quam præcavere debuisset, si illud judicium non elicuisset. Sed si voluntas alia de causa, absque ullo respectu ad istum finem judicium illud imperet, non est unde reprehendi possit. Tunc autem licet sequi tale judicium. Cæterum nulla neque in illo casu vera turpitudo inveniretur, quia haud dubiè sæpè voluntati licet assensum imperare, idque eo fine ut malum non appareat. quod alioquin vitandum fuisset. Si enim intellectus dubitet, peccat voluntas amplectendo partem minus tutam. Jam voluntas, si motivum prudens adsit, prudenter imperat assensum, quo dubium tollitur, ut sic licitè ponat illud, quod alioquin absque peccato ponere non potuisset; neque hoc est sponte se excæcare, sed sponte veritatem videre, & cæcitatem dubitationis avertere. Idem locum habet in casu præsenti, quia homo ad aliud non obligatur, quàm ad non sectandam partem minus tutam, nisi absoluto judicio prudenti illam credat esse licitam, omnis enim alia obligatio absque ratione asseritur. Ergo voluntas ad aliud non tenetur, quàm abstinere, donec flectat intellectum ad tale judicium. Si autem physicè possit illum ad tale judicium flectere, non imprudentiæ arguenda est, sed laudanda tanquam prudens, quia medium adhibet, quo à peccati periculo liberatur. Cæterum quia judicium, minori probabilitati affixum, est infimus gradus prudentis assensus, ideo aliqua species imprudentiæ simul apparet, quia infimum in

Judicium de honestate rei licite elicitur ne cogamur ad tutiora.

in unoquoque genere, si comparetur cum supremo in eodem genere, spectare videtur ad genus oppositum, sic qui in infimo gradu liberalitatis se continet, videtur avarus, si cum summo liberali comparetur, quo tamen non obstante, uterque verè liberalis est. Idem valet in casu nostro de judicio parti minus probabili alligato. Immo verò à potiori valet in casu nostro, in quo species illa mali longissimè abest, quia sive intellectus eliciat, sive non eliciat illud judicium directum, multis aliis de causis liberamur ab obligatione sectandi partem tutiorem, ut partim constat ex dictis, partim ex dicendis abundè constabit: itaque nulla species turpitudinis prætensæ locum habet in casu objectionis.

40. Objicit secundò: non solùm non est certum, sed ne quidem verum est, quod in materia fidei licitum sit amplecti quamcumque volueris ex sententiis oppositis, quando utraque est certo probabilis, & nescitur quænam sit probabilior, quia in eo casu dubium resultat, & intellectus nequit ullam ex illis partibus veram credere. Unde infert contra me, quod, cùm etiam in materia fidei requiram absolutum judicium de veritate opinionis, ut quis eam teneat, defendat, aut doceat, nemo in materia fidei licitè tenere ac docere possit opinionem, quam putat æquè aut minus probabilem.

Theologus malè intelligit sensum ejus, quem impugnat.

Respondeo, objectionem etiam hanc in mala rationis meæ intellectione fundari, quæ proinde nec me urget, nec argumento à me allato satisfacit. Iterum ergo dico, certum videri, quod in materia fidei liberum cuique sit ex duabus opinionibus contradictoriis æquè probabilibus, quamlibet eligere ut eam doceat in scholis, tueatur, ac defendat, etsi neutri illarum assensum præbeat. Ratio est, quia per hoc non minus munus boni magistri implet, nec minus utilitatis discipulis affert, quàm si ipse in animo suo eandem opinionem teneret. Nec obstat quod ipse dubius de veritate maneat, neque atque, in sensu composito dubii aut judicii de æqualitate rationum utrique parti faventium, judicare opinionem, quam docet, esse veram; quia ad licitè docendam opinionem sufficit, si habeat fundamentum existimandi quod illa licitè doceatur, quod certè non deest in casu nostro, etsi ipse de illius veritate suspensus maneat. Et hæc est disparitas inter materiam fidei ac morum, quod in moribus opinio, quam ultimatè sequimur, absolutè credi debeat vera, alioquin non dirigeret nos ad illud faciendum, quod tradit esse licitum. At ad docendum opinionem hoc non requiritur, quia opus, quod facio, est opinionem illam tradere, eamque defendere, ad quod faciendum aliunde sufficienter dirigor, quàm à judicio, quo credo opinionem illam esse veram, ut patet. Cæterum quando dico liberum nobis esse in casu proposito quamlibet, ex æquè probabilibus, opinionem eligere, ut eam teneamus, id ita etiam intelligo, quod ex imperio voluntatis flecti possit intellectus ad alterutram partem credendam, illamque alteri actuali judicio præferendam, quamvis antea utraque habebatur æquè probabilis. Quod autem hoc fieri possit, & quidem prudenter, in materia fidei, à potiori constat ex iis, quæ proximè dicta sunt in responsione ad primam replicam, & multo uberius ex dictis in *quæst.* 8. 9. & 10. *de conscientia probabili.*

Omnis opinio certò probabilis licitè docetur.

Theologus iste disparitatem assignat.

41. Objicit tertiò. Ideo Doctor aliquis, existimans probabilius esse quod Deipara maculatè concepta fuerit, potest oppositam opinionem laudabiliter docere, quia Doctor ille præsumere debet, sententiam minus piam ex passione vel ignorantia sibi proponi ut verisimiliorem sententiâ piâ, quam Ecclesia magis probat, & universi Doctores extra Dominicanam familiam certissimam putant. Præterea in sectanda pia opinione nullum est periculum, quia illa est conformior sensui Ecclesiæ; est autem periculum in sectanda opposita, quæ illi repræsentatur ut probabilior. At omnia aliter se habent in materia morum, quia quando pars tutior proponitur ut probabilior, nullum adest fundamentum credendi, id ex passione vel ignorantia provenire. Deinde nullum est periculum in sectanda parte tutiore ac verisimiliore. Est autem periculum peccati in sectanda parte minus tuta, quæ simul apparet minus verisimilis. Ergo argumentum hoc nullam habet verisimilitudinem. Mirandum proinde est, virum doctum hoc paritate usum fuisse contra sententiam rigidam.

Disparitas allata est nulla.

42. Respondeo paritatem subsistere, & efficacissimè urgere omnes nobis adversantes. Inprimis etsi Doctor ille non præsumat, se ex passione aut ignorantia deceptum, adhuc laudabiliter docet oppositam opinionem, ut constat ex dictis. Nec hoc improbat iste Theologus. At in hoc solo tota argumenti vis consistebat. Secundò falsum est, quod Doctor ille debeat præsumere, se aut ex passione, aut ex ignorantia deceptum. Et quidem quod ad passionem attinet, potest certò scire oppositum. De ignorantia autem & erroris metu non est quod habeat timorem si quæstionem à fundamento examinavit, & quidem metu erroris liber erit, si suam sententiam suspendat. Nec obstat Ecclesiam magis favere benignæ sententiæ, quam plerique tenent, quia sicut hoc non obligat quemquam ad sectandam piam opinionem, aut ad præsumendum se passione aut ignorantia decipi, quando alios non docet, sed sibi soli & veritati studet, ita similiter id ipsum nullam habet influentiam ad talem præsumptionem necessariò adhibendam, quando piam opinionem docet in scholis.

Docens piam sententiam contra propriam non tenetur præsumere se falli in sua opinione.

43. Cæterum in hoc dicto hujus Theologi duos errores invenio: primus est, quod dicat omnes tenentes piam sententiam existimare eam esse certissimam. Hoc falsum est, quia si eam certissimam haberent, non possent non oppositam, ut maximè temerariam, & certissimè falsam, & consequenter ut peccaminosam reputare. At illicitum est talem contrariæ sententiæ censuram inurere, ergo non omnes, qui illam tenent, eam certissimam reputant. Secundus error est, quod asserat omnes extra Dominicanam familiam tenere piam sententiam. Utinam hoc verum esset, sed falsum est, quia aliqui, quamvis pauci, cum Dominicanis sentiunt. Cæterum non obstante favore, quem Ecclesia hactenus ostendit benignæ sententiæ, adhuc supremus Pastor hactenus ab illius definitione, atque à censura contrariæ opinionis abstinere voluit, ideoque favor ille ne quidem definivit, piam opinionem esse probabiliorem opposita. Itaque favor iste Ecclesiæ neminem urget ad præsumendum, se ex passione vel ignorantia deceptum existimare, piam opinionem esse minus probabilem opposita.

Duo errores hujus Theologi.

Sed ne quis circa meam de hoc mysterio opinionem decipiatur, eam paulo clariùs explicandam censui. Ego enim in eam opinionem propendeo, quæ huic mysterio proximam definibilitatem, atque formalem quandam certitudinem, sed infra immediatam infallibilitatem ac certitudinem

nem fidei divinæ, attribuit. Proinde, speculativè loquendo, opiniones de hoc mysterio sibi contradicentes extra numerum opinionum verè & purè probabilium jam constitutas existimo. Itaque quidquid aut in tractatu de Conscientia probabili de hoc mysterio dictum fuit, aut in hoc opere dicendum erit, cum hac limitatione accipi volo, quantum ad meam de ea re sententiam pertinet. Hinc autem ultro fateor argumentum in hac paritate fundatum juxta meam propriam sententiam verè procedere de subjecto non supponente, cùm sit extra materiam, de qua præsens controversia instituitur. Nihilominus paritatem hanc urgendam censui, quia eam validam puto ad hominem contra eos, qui minus piam sententiam sectantur, atque ita opinionem suam probabilem reputant, ut piæ sententiæ veram probabilitatem haud denegent. Sine dubio enim argumentum hoc eos validissimè urget, sicut urget etiam omnes, si respiciamus tempus, in quo pia sententia nondum adeo communis erat, nec tantam ab Ecclesia approbationem habebat, quantâ eam modò gaudere cernimus. Itaque in hoc solum sensu argumentum à paritate ista peculiari desumptum, & à me fusè ponderatum accipi volo. Hoc prænotato ad adversarium redeo, quem sicut in doctrina antecedentis errasse ostendi, ita eum in ejusdem doctrinæ applicatione à vero deviasse mox convincam.

Urgetur Theologus & proprio argumento confutatur

44. Inprimis si sermo sit de licito directè minus probabilium usu, de quo solo punctò reflexè considerato, nunc agimus, audacter dico, aut tantum, aut ferè tantum adest fundamentum existimandi, quod tenens rigidam sententiam ex passione, vel ignorantia decipiatur, quàm in materia de immaculata Deiparæ conceptione. Ratio est, quia ex Ecclesiæ Doctoribus plures opinantur contra immaculatam conceptionem, quàm contra licitum usum minus probabilium, illi enim olim fuerunt plurimi, & modò sunt, multi, iique viri Sanctissimi doctissimique. At pauculi valdè benignam sententiam impugnarunt. Præterea per sæculum integrum omnes omnino benignæ sententiæ subscripserunt, nil autem simile afferri potest pro sententia pia. Ergo ex hoc capite præsumptio erroris magis urget rigidam, quàm minus piam sententiam, sed & Ecclesia, summique ipsius Pastores suis decretis ac responsis plurimum favent benignæ sententiæ, ut infra constabit *quæst. 8.* Deinde etsi nullum sit periculum errandi in sectanda parte tutiore in praxi, est tamen ingens errandi periculum in illâ doctrinaliter sectanda, id est in existimando ac docendo, quod usus minus probabilium non sit licitus, & quidem hoc periculum in opinione omnium ferme Ecclesiæ Doctorum, est longe majus, quàm periculum in tradenda benigna sententia. Hæc legat Theologus ille, & fortasse suæ replicæ applicabit quod meo argumento objecit, scilicet quod nullam in ulla sui parte verisimilitudinem habeat. Nec amplius mirabitur, si paritatem istam urgeam. Urgeo enim illam ut efficacissimam, quippe quæ tam apud antiquos quàm recentiores ita prævaluit, ut omnes existimarint benignam sententiam ex illa efficaciter stabiliri, ut ostendi *quæst. 22. & 23. de conscientia prob.* Sed de hoc plura dicenda erunt *quæst. 11.*

TERTIA RATIO.

Lex probabiliter non existens non est sufficienter promulgata.

45. NULLA lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties adsunt rationes, probabiliter suadentes partem minus tutam esse licitam, lex præcipiens partem tutiorem, non est sufficienter promulgata. Ergo illa lex neminem obligat, quamdiu certò probabile est, partem minus tutam non esse prohibitam. Rationem hanc fusè deduxi *quæst. 23. de conscientia probabili, num. 14. & seq.* neque illa huc transcribenda duxi, tum quia infra de hac re agendum erit contra Celladeum, tum quia Theologus iste rationem illam non aliter proposuit, quàm sub terminis à me jam citatis. Cæterum omittere nolo exemplum, quod *quæst. illa. 23. num. 21.* ponderavi, quia valdè efficax est: sic ergo arguebam. Quis non videt me, cui directè loquendo probabilius est, quod circumstantiæ aggravantes in eadem specie sint necessariò confitendæ, hac mea opinione non obstante, posse sic formare conscientiam? *Si lex confitendi has circumstantias fuisset sufficienter promulgata, & applicata tam Ecclesiæ quam membris Ecclesiæ, fieri non potuisset, ut S. Thomas, majorq; Theologorum pars negarent talem legem existere. At illi negant eam dari. Immo Concilium Tridentinum omnem hujusmodi obligationem tacuit, cum ex professo ageret de illis quæ necessariò confitenda erant. Ergo vel nulla ejusmodi lex existit, vel certè illa non est sufficienter promulgata. Maximè cùm leges ejusmodi sint universales, debeantq; ex se omnes æqualiter afficere. Ergo si omnia insipiciantur, non teneor exprimere tales circumstantias.* Nil profectò clarius, aut rationabilius tali discursu. At simile dictamen non solum eodem modo, sed longè à fortiori fieri potest, quoties pars minus tuta est æquè aut minus probabilis, quia si quæramus, an detur lex præcipiens in tali casu partem tutiorem, respondeo talem legem aut non dari, aut non esse sufficienter promulgatam, quia unanimis omnium Ecclesiæ Doctorum per integrum sæculum consensus fuit, quod nulla detur lex ejusmodi, sed quod liceat sectari partem minus probabilem, minusque tutam, contra probabiliorem ac tutiorem. Quod si à triginta annis pauci aliqui oppositum docuerint, id nil facit ad sufficientem legis promulgationem, quia adhuc longè major pars Doctorum expressè tenet, nullam ejusmodi legem existere, in qua doctrina tot Doctores nunquam convenire potuissent, si illa lex non solùm existeret, sed etiam sufficienter promulgata & applicata fuisset.

SOLVUNTUR OBJECTIONES dicti Theologi.

Unius dubitatio non arguit legē nō esse promulgatam.

46. OBJICIT primò. Argumentum hoc solùm procedit de lege humana, quæ non obligat, nisi manifestè & evidenter promulgetur coram multitudine. Sit ergo casus: Petrus dubitet an lex aliqua promulgata sit, sed occurrant ei rationes validiores ad credendum, quod lex fuerit, quàm quod non fuerit promulgata. In hoc casu Petrus non potest probabiliter inferre, legem illam non fuisse absolutè & simpliciter promulgatam, eò quòd ipse de hoc dubitet. Inferretur quidem ritè legem illam non fuisse sufficienter promulgatam, si apud omnes homines, & omni tempore, quo lex incepisse dicitur, ejus promulgatio dubia fuisset. At non infertur tale dubium existere, aut extitisse, eò quòd Petrus

de ea re dubitet. Ergo dubium Petri non probat legem illam non esse simpliciter promulgatam, seu non habere vim obligandi in actu primo. Jam verò ut lex promulgata, & vim habens in actu primo, applicetur singulis, & postea habeat vim obligandi in actu secundo, non requiritur ut certò & evidenter constet de ejus existentia, & promulgatione, sed satis est, quod constet probabiliter. Constat autem probabiliter, quoties quis prudenter judicare potest, legem illam fuisse promulgatam, & non fuisse abrogatam, & non potest prudenter judicare oppositum. Hoc autem contingit in casu nostro, nam dum adsunt urgentiora fundamenta pro existentia, ac promulgatione legis, quàm pro ejus non existentia apud Petrum, Petrus prudenter judicare potest legem existere, nequit autem prudenter judicare oppositum. Ergo obligatur ad legem. Itaque concessa majore, negatur minor ex consequentia argumenti. Ita ille.

Sola communis dubitatio probat legem esse sufficienter promulgatam.

47. Respondeo argumentum ex æquo procedere de omni lege, proportione servata, ut ostendi dicta *quæst.* 13. Ratio est evidens, quia essentia legis consistit in voluntate ac imperio superioris, quibus subditi diriguntur. At impossibile est ut dirigantur voluntate & imperio superioris, nisi illa sufficienter manifestentur, & applicentur subditis. Promulgatio autem in hac manifestatione consistit, ut patet. Ergo illa æquè necessaria est in omni lege, quamvis eadem ceremonia non requiratur ad promulgationem omnis legis. Hoc supposito, ut pressius veniam ad argumentum, restringo me cum arguente ad legem humanam, & fateor solum dubium Petri non probare, quod lex illa non existat, aut non sit promulgata. Sed si Petrus dubitans petat ab aliis, & illi ab aliis, & nemo tandem sit qui certò dicere possit legem illam fuisse promulgatam, & plurimi absolutè negant eam unquam fuisse latam, ex hoc satis manifestè constat, talem promulgationem non fuisse, quia si fuisset, ejus certa notitia ad aliquos, immo ad magnam aut majorem partem posterorum pervenisset. At certa illius notitia apud neminem inveniri potest. Ergo nunquam extitit talis promulgatio. At hic est casus noster, quia loquimur pro casu, in quo nemo certò scit, talem legem aut promulgationem existere, vel extitisse.

Eadem dubitatio infert legem nõ esse sufficienter applicatam.

48. Quod si concedamus fieri posse, ut promulgatio, olim evidens, magnæque parti reipublicæ notoria, ex certa omnium memoria dilabatur, adhuc eadem difficultas procederet de necessaria legis applicatione; lex enim illa non esset sufficiens ad dirigendos subditos, eosque obligandos. Quomodo enim voluntas superioris potest dirigere subditos, qui nesciunt, an superior talem voluntatem habeat? Et de qua maxima subditorum pars post omnem diligentiam credit oppositum? Itaque si dicta incertitudo apud omnes aut plerosque subditos existat, manifestum est, talem legem non esse sufficienter applicatam, ut universaliter obliget omnes, & vim legis exerat. Itaque exemplum illud Petri dubitantis,& ratio ab ejus dubitatione ducta non solvit argumentum, proinde malè negavit minorem, quam non probavi ex dubio unius particularis hominis, sed ex dubitatione & incertitudine omnium subditorum, quæ dubitatio efficaciter arguit, legem ejusmodi non esse sufficienter promulgatam & applicatam, ut obliget, & vim legis exerat.

49. Quod addit de applicatione singulis facienda, ut lex eos obliget, multis de causis deficit. Inprimis supponit, legem verè fuisse promulgatam, & hoc certè constare magnæ parti communitatis, & exindè progreditur ad qualitatem applicationis singulis necessariæ. At quæstio nostra procedit ex opposito, quando legis existentia & promulgatio nulli prorsùs certò constat. Itaque in ipsa suppositione deficit; sed data suppositione, adhuc reliqua deficiunt: quamvis enim admittam probabilitatem sufficere ad inducendam obligationem in particulari homine, quando oppositum non est probabile; tamen si oppositum non solum huic homini, sed aliis omnibus sit probabile, & multis longè probabilius, verum non est quod lex ejusmodi sit satis applicata, ut quemquam liget. Hic autem est casus noster, ut videre est in exemplis, quæ ponderata sunt in argumento. Deinde in ordine ad applicationem legis humanæ non attendendum est, quid huic homini, sed quid videatur communitati, ad quam dirigendam, & pro cujus commodo lex lata est. Quamvis enim particularis homo absolutè crederet legem dari, & sufficienter applicari, non tamen ideo lex illa esset sufficienter applicata ut obligaret, si apud communitatem res esset dubia, quia nisi obliget communitatem, neminem obligat. Unde ille particularis homo, stante illa dispositione, peccaret quidem contra conscientiam, si oppositum faceret, non tamen peccaret contra legem, utpote quæ neminem obligat. Cæterum talis homo non peccaret, ne quidem contra conscientiam, si reflectens ad debitam legis applicationem, agnosceret illam deesse, & sic inferret, nullam ex privata persuasione de existentia legis applicationem sibi inferri, cùm illa non probet legem sufficienter promulgatam, & applicatam fuisse communitati, ut quemquam obliget.

Opinio privata de lege non est sufficiens ejus applicatio, ut liget, nec arguit talem applicationem.

50. In eo etiam deficit, quod dicat tunc legem particulari homini sufficienter applicari, quando lex & legis promulgatio illi probabiliter constat. Tunc autem utraque constat probabiliter, quando prudenter potest judicare legem promulgatam fuisse, & non fuisse abrogatam, & non potest prudenter judicare oppositum. Hoc autem asserit tunc evenire, quando apparentia pro lege est probabilior apparentia pro non lege. Discursus iste præter jam dicta in duobus deficit: primum est, quia nemo obligaretur illa lege, quando apparentia illa esset æquè probabilis utrimque, tunc enim per illam homo non posset judicare legem dari. Hoc autem expressè contrariatur ipsius doctrinæ, & si concedatur, maxima ex parte nobis sufficit, & per legitimum discursum infert totum, quod intendimus. Secundus error est in supposito, quia supponit in tali casu non adesse sufficiens fundamentum ad prudenter judicandum quod lex non existat, &c. hoc autem repugnat casui, de quo loquimur, quia supponimus, utramque partem esse certò probabilem,& consequenter supponimus, utramque habere motivum sufficiens ad prudenter judicandum. Ergo non deest motivum sufficiens ad prudenter judicandum de veritate partis minus probabilis. Præterea *quæst.* 9. & 10. *de consc. prob.* latè probavi, motivum minus probabile ad prudenter judicandum sufficere.

Alii defectus argumenti notantur.

51. Demum Theologus iste, doctrinam hujus objectionis incongruè proposuit, quia supponit, eandem in casu argumenti nostri dari probabilitatem de promulgatione & applicatione legis, quæ datur de existentia legis, seu voluntatis

Objectio Theologi falsa suppositione nititur.

obligandi

obligandi in superiore. At hæc duo diversa sunt, eorumque probabilitates & scientiæ separari possunt. Fieri enim potest, ut superior, seu legislator condat legem, sed eam deinde, aut nullo modo, aut insufficienter promulget. Idem dico de applicatione requisita ad obligandum in actu secundo. Nostrum ergo argumentum in eo fundatur, quod universalis probabilitas de non existentia legis seu voluntatis in legislatore, longè efficacius inferat non existentiam promulgationis & applicationis, quàm ipsius legis; quia promulgatio & applicatio sufficiens constituunt in rebus, quæ facilius & efficacius manifestant seipsas, & sui mediatione legem, quàm lex ipsa possit seipsam manifestare. Unde probabilitas, quæ est de non lege, tota sua vi arguit non promulgationem, quæ essentialiter supponit legem. At argumenta, quæ suadent non promulgationem, non æqualiter probant non legem. Ergo perperam & contra veritatem supponit, argumentum nostrum procedere ex suppositione majoris probabilitatis de legis non promulgatione, cùm dicamus, universalem non probabilitatem legis ita inferre non promulgationem, aut non applicationem sufficientem, ut non sit probabile, sufficientem promulgationem & applicationem legis existere, quamvis dicta probabilitas non legis, non auferat probabilitatem de lege. Et sane ipsemet in suis principiis idem dicere tenetur, quia universalis major probabilitas de non lege, certò inferret non promulgationem, aut non applicationem sufficientem, cùm tamen probabilem de lege conjecturam non impediret.

Alia objectio. 52. Objicit secundò. Argumentum non procedit de omni casu dubio in observatione legis humanæ. Petrus enim certificari potest de existentia legis prohibentis opera servilia in die festo, & tamen dubitare, an pingere sit opus servile, & prohibeatur illa lege. At ubi constat de lege, & adest prudens fundamentum ad credendum opus aliquod contineri sub verbis legis, jam tale opus censetur absolutè prohibitum.

Contradicit sibi Theologus. 53. Respondeo primò, doctrinam hujus objectionis, ut jacet, primario hujus Theologi intento contradicere. Nam ille fatetur, licitum esse sequi apparentiam probabiliorem, etiam in casu legis certæ, quamvis detur motivum certò probabile & prudens, quod opus contineatur sub lege. Ergo falsum est, quod tale opus censeatur absolutè prohibitum per hoc, quod detur fundamentum prudens existimandi quod contineatur sub verbis legis. Tunc ergo solum habetur opus ejusmodi esse absolutè prohibitum, quando ita est probabile voluntatem legislatoris ad illud extendi, ut oppositum non sit probabile. Quare.

Casus quē ponit non solvit argumentum. 54. Respondeo secundò, argumentum nostrum procedere de omni dubio legis terminatæ ad opus, de quo quæritur, an prohibeatur. Lex enim, & anima legis consistit in voluntate legislatoris. Ergo si dubium sit an voluntas legislatoris extendatur ad hoc objectum, verè dubium est, an existat lex vetans hoc objectum, ad quod vetandum nullam influentiam habet voluntas ejusdem prohibens alia, nisi etiam ad hoc vetandum extendatur. Itaque dubium hoc est verissimum dubium legis, & consequenter argumentum nostrum æquè procedit de hoc casu, ac de quovis alio, cùm in nullo sit diversitas. Imo si sermo sit de lege humana, omnino præsumendum est, eam ad alia non extendi, quàm quæ communiter ab omnibus existimantur contineri sub verbis. Quod si omnes omnino dubitent, aut probabile existiment, quod aliquid non contineatur sub verbis, aut quod legislator noluerit illud comprehendere, datur præsumptio, quod superior humanus obligare nolit suos subditos ad illud ex præcepto faciendum, ut ostensum est *dicta quæst. 23. num. 14. & sequentibus*. Cæterùm, stante tali casu, voluntas illius non est sufficienter intimata & applicata, ut obliget.

55. Objicit tertiò. Quamvis in occursu opinionum lex directè vetans opera servilia in die festo non esset sufficienter promulgata ad obligandos subditos, ne pingant in diebus festivis, esset tamen certò proposita lex reflexa de evitando periculo violandi legem directam, de cujus existentia dubitatur, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et juxta regulam Juris; *In dubiis tutior pars est eligenda.* *Objectio 3.*

Respondeo primò, objectionem contradicentia continere. Ex una parte supponit legem non esse sufficienter promulgatam, & ex altera parte dari periculum violandi talem legem. Hæc sibi contradicunt, quia nullum potest esse periculum violandi legem, si lex certò non obligat. At lex sufficienter non promulgata certò non obligat. Ergo nullum est periculum violandi talem legem. *Objectio hæc contradicit sibi.*

56. Respondeo secundò objectionem duobus modis intelligi posse. Primò, ut sensus sit, dari certam legem reflexam prohibentem homines, ne operentur in dubio legis directæ, quamdiu practicè dubitant; id est, quamdiu dubitant, an lex illa obliget, & nullo modo formant conscientiam de honestate suæ operationis; textus enim illi de hoc solùm casu universaliter procedunt. Secundò, dari certam legem reflexam vetantem nos sequi partem minus tutam minusque probabilem, de qua sola lege nunc agimus. Primam legem ultro admittimus, sed secundam respuimus, immo nemo sine ingenti temeritate, & evidenti falsitate dicere potest, illam legem esse certam, cùm omnes fere Theologi negent talem legem existere. Unde longè majus dubium est de hac lege reflexa, quàm de ulla particulari lege directa, de qua opiniones contrariæ reperiuntur. Talem autem legem non dari, ex defectu sufficientis promulgationis & applicationis, efficaciter colligimus. Quæ cùm ita sint, existimo Theologum hunc non allusisse ad hanc secundam, sed ad primam legem reflexam; sapientior enim est vir doctus, quàm ut supponat, controversiam præsentem esse certam, cum multum illi sudandum erit, ut evincat suam sententiam esse probabilem. At prima lex nil obstat, quia sicut illa per hunc Doctorem non obstat in lege directa, quando quis prudenter existimat talem legem non dari, ita pariter non obstat nobis, quia ut quis licitè sequatur partem minus probabilem minusque tutam, necesse est ut ex rationibus reflexis prudenter judicet nullam legem prohibere hoc opus in istis circumstantiis, in quibus ponitur. Ergo non magis exponimur violationi hujus legis reflexæ in nostra opinione, quàm ille in sua, id est vere neutri tali periculo exponimur. *Non datur certa lex reflexa vetans usum minus probabilium.*

57. Objicit quartò. Argumentum non procedit de lege divina; lex enim naturalis, & lex æterna non indigent promulgatione exteriori, ut habeant vim legis, sed satis est quod internè proponantur per fundamenta rationis. Non est autem necesse, ut ratio proponens legem æternam sit manifesta, evidens, & convincens intellectum hominis, qui ea lege obligandus est; sed *Objectio 4.*

satis

satis est quod ille habeat prudens & rationabile fundamentum judicandi legem existere, ad hoc ut violatio talis legis ei imputetur ad culpam.

Argumentum à fortiori locum habet in lege divina positiva.

58. Respondeo jam ostensum esse, quod argumentum, proportione servata, æque procedat de omni lege; nec de hoc ullum potest esse dubium. Cæterùm objectio in eo aperte errat, quod universaliter dicat, legem æternam promulgatione externa non indigere, oppositum enim evidens est in omni lege divina positiva, quæ certè non minus indiget externa promulgatione, quàm lex humana, quamvis Deus pro suis legibus promulgandis non eas ceremonias requirat, quas legislatores humani sapienter præscribunt pro suis. Itaque loquendo de lege divina positiva, idem prorsùs dicendum in casu argumenti nostri, ac de lege humana, ut per se patet, & constat exemplo legis obligantis ad confessionem peccatorum. Immo argumentum nostrum fortius urget in lege divina, quia major est præsumptio, quod si talis lex verè extitisset & sufficienter proposita fuisset Ecclesiæ, nunquam fieri potuisset, ut omnes omnino de ejus existentia dubitarent, aut censerent probabile, quod nunquam extiterit.

Maximè vero urget in lege naturali.

59. Quod ad legem naturalem attinet, argumentum magis urget in illa, quàm in aliis, ut mox constabit. In primis existimo, nullam legem naturalem proximè obligare, nisi certò & evidenter obliget, quia omnis obligatio naturalis apertè reducitur ad aliquam legem, directam aut reflexam, illi certò notam, qui tali lege proximè obligatur. Sed de hoc nolo jam contendere, esto, ratio probabilis sufficiat, quando oppositum non est probabile. At si honestas operis alicujus sit certò probabilis apud omnes (de quo solum casu loquimur) datur manifesta præsumptio, quod illud non sit prohibitum lege naturali, quamvis aliqui probabilius existiment, opus illud esse prohibitum. Ratio est, quia lex naturalis facile innotescit: unde si post omnem considerationem adhibitam, nemo potuit certò scire, rem illam esse malam, præsumendum est, quod non sit intrinsecè mala, & lege naturæ prohibita. Constat ergo, peculiarem hominis opinionem, de majore probabilitate inhonestatis talis rei, non obstare, quo minus ex universali probabilitate contrarii rectè inferat, ac probabilissimè saltem judicet, hoc opus verè non esse malum, nec ulla lege naturali, aut existente, aut sufficienter hominibus applicata esse prohibitum. Itaque argumentum à me allatum in omni prorsùs lege est efficax.

QUARTA RATIO.

Obligatio dubia prudenter rejicitur.

60. CELEBRE est illud dictum Lactantii Firmiani *lib. 3. institut. cap. 27.* ubi hæc habet. *Stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.* Hoc Lactantii dictum rectissimè applicatur ad omnem legem dubiam, quia si post omnem conatum maneat incertum, an lata fuerit, neminem obligare potest; *Nam stultissimum est tali præcepto, ut præcepto velle parere, cùm an sit verum, an fictum præceptum dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum, quasi ad certum, obligatum se putare.* Hic est casus noster: nam post omnem conatum adhibitum, adhuc incertum est, an aliquid sit vetitum, nec ne. Immo supponitur manere probabile, quod liceat. Ergo eo ipso legitimè infertur, quod nulla ejusmodi obligatio urgeat. Formatur autem hic discursus. *Obligatio non supponitur, sed probatur: sed hæc obligatio post omnem industriam probari non potuit. Ergo non debet præsumi, sed præsumendum est quod nulla detur.* Similiter ille alius Syllogismus hoc modo deducitur. *Si lex aliqua hanc actionem prohiberet, illa post debitam diligentiam patuisset. At post omnem industriam non patet, quia res semper manet incerta. Ergo nulla lex prohibet hanc actionem.* Et hoc est in quo Auctores innumerabiles fundantur, qui tenent jus dubium non obligare, quia, dubio post debitam diligentiam remanente, prudenter præsumimus, legem non dari.

61. Præterea multis de causis, scimus legem dubiam omni obligandi vi carere. Inprimis ex vi sufficientis promulgationis obligare nequit. Sed de hoc in tertia ratione egimus, nunc aliis insistimus. Secundò lex ex sua essentia est regula & mensura operationum subditi, à superiore imposita. Atqui voluntas dubia superioris, quæ fortè existit, fortè non existit, non potest præcedere, dirigere, ac regulare operationes subditorum, quia dubitatur an actio sit, nec ne, conformis voluntati ac imperio superioris. Ergo lex dubia non potest obligare & regulare instar legis & regulæ arctantis & exercentis vim regulæ. Tertiò, si lex dubia obligaret, perinde deberemus nos gerere in dubio post legem investigatam, ac in certa cognitione legis. At hoc est falsum, quia post legem non inventam, prudenter præsumimus illam non dari. Talis autem præsumptio, sicut contraria est certæ notitiæ legis, ita fundat contrarios effectus; certitudo enim legis obligat, at prudens præsumptio non legis deobligat. Quartò, adversariis fatentibus, in dubio de sensu legis, si omnes communiter de illo dubitent, lex ad illum sensum non obligat. Ergo à fortiori dubium de ipsa lege ejus vim enervat, quia plus est dubitare de substantia legis, quàm, suppositâ ejus existentiâ, solum dubitare de ejusdem sensu. Quintò, lex dubia non aliter arctat, si existat, quàm si non existat; nam utcumque se habeat, stante dubio, iidem omnino sunt actus intellectus & voluntatis in operante. Ergo eodem modo peccat vel non peccat, sive existat lex illa, sive non existat. Sed lex dubia non existens non habet vim arctandi & obligandi, ut patet, quia voluntas superioris non existens non potest quemquam obligare, vel dirigere. Ergo neque si existat, potest arctare, aut, stante dubio, ullam malitiam in actum refundere, alioquin gravius peccaret, qui legem dubiam existentem, quàm qui non existentem violaret, quod est absurdum: ergo lex, post omnem diligētiam manens dubia, non obligat. At quoties, omnibus consideratis, probabile est, nullam legem existere, existentia legis post omnem diligentiam est dubia. Ergo neminem ligat. Undè intellectus ex dubio legis dubium de sua obligatione deponit, & rationabilissimè concludit, neminem ex vi talis legis obligari ad tutiora sectanda, sed licitum cuique esse in tali casu sectari minus tuta, cùm dirigatur per prudentem præsumptionem, quod opus sit licitum. Hæc & hisce similia prosecutus sum dicta *quæst. 23. à num. 27.* quæ utiliter videri possunt, quia efficacissimè probant intentum.

Lex dubia non obligat.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES dicti Theologi.

Replica 1.

62. OBJICIT primò. Argumentum hoc nimis probat, ergo nil probat. Probatur antecedens. Inprimis dictum Lactantii probat, occurrentibus rationibus potioribus pro existentia, quàm pro non existentia præcepti, stultum esse abstinere à re, de qua dubitatur an sit præcepta, ne transgrediamur præceptum. Hoc autem est manifestè absurdum, quia quamvis non esset obligatio sectandi partem tutiorem & probabiliorem, in occursu opinionis minus probabilis minusque tutæ, id tamen esset melius & perfectius.

Secundò: Dictum hoc Lactantii non est ad rem: loquitur enim de præceptionibus Philosophorum, non de præceptis Dei, vel humani legislatoris legitimam potestatem habentis. Præterea loquitur de præceptionibus, de quibus quis dubitat non an existant, sed an sint veræ vel falsæ. In hoc autem dubio stultum esset amplecti ut verum, id de quo dubitas an sit verum an falsum. At in nostro casu si constaret legem dari, nemo ambigeret de obligatione. Ergo abs re est exemplum, in quo de præceptionibus Philosophorum constat quod sint, & dubitatur an sint veræ; abs re, inquam, ad casum nostrum, in quo si constaret de existentia præcepti, nemo ambigeret de obligatione inde resultante.

Theologus iste non rectè intelligit Lactantium.

63. Respondeo Theologum hunc non rectè intellexisse Lactantium, qui universaliter non dicit, stultum esse facere, quæ philosophi docebant, quia multa dicebant esse honesta, quæ verè talia erant, ut ipse in eodem capite 8. agnoscit; sed solùm dixit, stultum esse illis parere, quando dubitabatur an verum, vel falsum dicerent; id est stultum est illa facere, tamquam ex obligatione virtutis debita, & agnoscere obligationem ob eorum sententias & opiniones, de quibus dubium erat, an essent veræ, vel falsæ. At hoc nimis non probat, sed ostendit, quod justissimum est. Itaque similiter dico, laudabile esse abstinere à parte minus tuta, non solum quando probabilius est quod sit mala, sed etiam quando ejus inhonestas est probabilis, sed minus probabilis ejusdem honestate. Verùm sicut hoc non obstante, stultum esset, per hunc Theologum, agnoscere se obligatum, quando honestas illius partis est probabilior, ita pariter ex ratione ac mente Lactantii idem dicendum est, quando utraque pars est æquè probabilis, aut pars tutior aliquanto probabilior; quia hoc est absque necessitate, & contra rationem agnoscere se obligatum, ubi nulla est ratio sufficiens ad obligationem astruendam, & convincendam.

Non solvit argumentũ.

64. Et sanè casus noster est planè similis casui Lactantii, nam utrobique sermo est de opinionibus Doctorum circa præcepta: Philosophi enim docebant talia esse mala, talia bona, & consequenter illa jure naturæ vitanda, hæc amplectenda, &c. Similia tradunt jam Doctores circa præcepta tam humana, quàm divina. Sed utris potius credendum est? Respondeo neutris, quamdiu incerta afferunt, & rem dubiam relinquunt, quod ratio Lactantii efficaciter probat. In utroque ergo casu par ratio dubitandi de lege, seu de honesto & inhonesto. Ergo par ratio in utroque casu ad respuendum omnem obligationem. Et sanè sicut illi non dubitabant de existentia præceptionum à Philosophis datarum, ita nos non dubitamus an diversæ opiniones Doctorum existant, sed tam dubitamus an istæ sint veræ, quàm illi dubitabant an opiniones Philosophorum veræ essent. Ergo exemplum maximè facit ad rem, in ordine ad quam verè abs re est dictum illud Theologi, quod nemo ambigeret de obligatione, si constaret de præcepto legitimi legislatoris. Quid hoc ad rem? Nonne idem dixisset Lactantius, si constitisset Philosophos verum dixisse, & non nisi declarasse existentiam legis certæ? Præterea quis, quæso, potest magis dicere, Doctores in casu nostro verum præceptum Dei proponere, quàm Philosophos illos proposuisse legem naturæ? nemo certè. Ergo nulla est disparitas.

64. Demum in eo errat Theologus, quod dicat, Lactantium in eo stultitiam posuisse, quod dubius de veritate talis præcepti crederet illud esse verum. Verùm Lactantius hoc non somniavit. Hoc enim non modo stultum est, sed prorsùs impossibile: stultum enim est illud solum, quod per imprudentiam fieri potest: non ergo loquitur de credendo illis in casu dubii, sed de parendo dictis illorum, ita se gerendo, ac si verè obligarentur ad illa, quæ Philosophi proponebant; quasi verò lex dubiè proposita obligaret. At hoc ipsum est, quod nos dicimus, ut patet.

Interim malè intelligit Lactantium.

Replica 2.

65. Objicit secundò. Si probabilitas de non præcepto evacuaret vim legis dubiæ, quando existentia legis probabilior apparet, sequeretur, quod nulla obligatio resultaret, quamvis homo motivis illis probabilioribus præstaret assensum, & actu crederet legem existere, quia adhuc non est certum, quod tale præceptum existat. Ergo adhuc liceret opus ponere, quia lex incerta non obligat. At hoc est absurdum, & contra illud, inquit, quod Tenllus tradidit *quæst.* 30. *de consc. prob.* ubi dixit, nemini licere agere contra propriam opinionem. In eo autem argumentum maximè peccat, quod requirat existentiam legis esse certam, ut resultet obligatio, quod tamen est falsum; alioquin in rebus controversis Doctores malè docerent talem vel talem contractum esse licitum.

Lex incerta nunquam obligat.

66. Respondeo, & peto ab isto Theologo, an, & undè obligatio resultet, quando quis, errore deceptus, judicat legem dari? quod obligatio resultet, uterque concedimus; sed undè veniat, ut apparet, dissentimus. Ego dico, & audacter dico, obligationem non refundi à lege falsò credita, quia lex non existens non potest veram directionem & obligationem causare. Datur tamen obligatio, sed illa fundatur in lege reflexâ certâ non operandi contra conscientiam, aut non operandi contra legem, quam credo existere, sive illa existat, sive non existat. Audirem libenter ab hoc Theologo aliam radicem hujus obligationis. Hoc autem admisso, nil absurdi diceret, qui contenderet nullam legem obligare, nisi & verè existat, & certò innotescat; quia congruentius est omnem obligationem refundere in legem certam, si possit in illam refundi. At omnis obligatio refundi potest in legem certam, vel directam, vel reflexam; in directam quando certò datur; in reflexam, quando lex directa certò non innotescit. Et sanè lex reflexa æquè obligat pro omni casu judicii dictantis legem directam existere. Ergo tam peccat contra illam, qui facit contra propriam opinionem probabilem veram, quàm falsam; ergo tota malitia facientis contra dictamen verum refunditur in hanc legem reflexam, quia non turpius peccat operans contra propriam

propriam opinionem veram, quàm falsam, si cætera sint paria, ut patet. Ergo frustra recurrimus ad legem incertam pro malitia refundenda, cùm tota quanta refundatur à lege certa. Et sane cùm sit proprium legis regulare, dirigere ac obligare, optime apparet quomodo per se ista præstet, si certò innotescat: at difficilius intelligitur, quomodo lex non certò proposita possit hæc præstare. Non ergo est tam absurda sequela, quàm Theologus iste supponit. Cæterum ex illa admissa non sequitur, Doctores frustra docere talem rem esse illicitam, quia hoc docendum est, & judicium probabile de existentia talis legis eliciendum, ut detur locus legi reflexæ, & obligationi ab illa certa lege provenienti.

Error replicæ.

67. Porro errat Theologus, dum asserit, argumentum supponere, quod nulla resultet obligatio, nisi lex proposita sit omnino certa: hoc ego non dixi, sed oppositum expressè tradidi *in dictis quæst. 22.* ubi argumentum hoc latius proposui; quia si lex, sufficienter promulgata, & communitati applicata, vere existat, & illa applicetur per absolutum judicium, per hoc sufficienter applicatur mihi, ut aliquem effectum & obligationem directè inducat, maximè si oppositum non sit probabile. Miror proinde, unde hic Theologus dicere potuerit, hoc argumentum supponere, nullam obligationem provenire à lege non certò proposita. Sed fortasse deceptus fuit voce illa *incerta*, quæ applicari potest rebus non solum dubiis, sed etiam opinatis. Verùm ex contextu argumenti patet, quod nomine *incerti* hoc loco aliud non intelligamus, quàm dubium consistens in suspensione judicii probabilis de utraque parte contradictionis. Rursus, quamvis lex incerta non obligaret, non ideo ulla esset umbra contradictionis in eo quod docui, scilicet nemini licere agere contra propriam opinionem, quia tota illa obligatio refundi posset in legem certam, non in incertam, ut dictum est. Cæterùm non tam crudè dixi, nemini licere contra propriam opinionem agere, ut hic Theologus proponit, sed multis cum limitationibus thesim illam exposui.

68. Objicit tertiò. Minor primi syllogismi in argumento allati est falsa, quia obligatio sufficienter probatur hoc ipso, quod post sufficientem diligentiam existentia legis appareat operanti verisimilior ejusdem non existentiâ; eo ipso enim quod hoc judicare possit, tenetur lege illa. Nec dicas: teneri quidem si formet judicium illud, sed potest judicium omittere, & tunc nulla obligatio resultabit. Nam contrà, quia in potestate creaturæ non est facere, ut præceptum non obliget, jugumve excutere voluntariè omittendo actum sibi liberum; sed hæc obligatio ei est necessaria. Ergo si præceptum intimetur sufficienter, ut de illius existentia homo judicium ferre possit, manet obligatus. Vel enim elicit judicium de inhonestate objecti, & obligatur ad tutius; vel suspendit judicium, & manet dubius, in dubiis autem tutior pars est eligenda. Similiter ne dicas, talem hominem posse formare judicium de honestate objecti ex vi motivi probabilis sibi propositi, & sic liberari ab obligatione: nam contrà, quia non est in potestate hominis imperare assensum partis minus probabilis, & quamvis physicè posset, non posset prudenter facere. Præterea absurdum est subjicere obligationem præcepti divini arbitrio hominis, ita scilicet, ut per suum judicium opinativum amoliri possit obligationem præcepti. Quare quamvis homo, stante repræsentatione verisimiliore de inhonestate rei, absoluto judicio crederet rem illam esse honestam, non excusaretur coram Deo, quia diceretur illi, quid refert, quod judicaveris rem esse licitam, cùm habueris majus fundamentum ad judicandum oppositum.

Apparentia dubia aut probabilis contra probabilem, nō probat legem.

69. Respondeo minorem allati Syllogismi esse verissimam: quæ enim probatio legis est illa, quæ post omnia considerata relinquit rem dubiam? an ne illa sufficiens probatio legis dicenda est, quod cùm utraque pars sit certò probabilis, pars legi favens, mihi apparet probabilior? Potestne mea major apparentia potius probare legem, quàm major apparentia oppositi in alio probare non legem? sed quid si aut omnes, aut plerique alii contrarium sentirent? anne adhuc mea major apparentia sufficienter probaret legem? aut fieri potest, ut eadem lex simul sufficienter probetur, & non probetur in republica? nullo modo: lex est regula universalis pro tota republica, quæ nisi probetur sufficienter pro tota multitudine, pro nemine probatur. Itaque nulla probatio sufficienter convincit legem, nisi universalis apparentia, qua lex aut certò innotescat, aut certè qua constet, existentiam legis esse probabilem, & oppositum non esse probabile. Nil infra hoc sufficienter probat legem pro communitate. Jam ad hoc probandum majoritas apparentiæ meæ nil facit in casu præsenti, ut patet: Itaque mihi videtur Theologus iste hoc loco confudisse applicationem legis jam probatæ, cum legitima legis probatione. Si lex semel sufficienter probata sit, tunc fortasse major apparentia mea de re contenta sub lege me obligabit, quia legem mihi applicabit, & major apparentia oppositi in alio illum deobligabit, quia lex illi non sufficienter applicatur. At jam non agimus de applicatione legis sufficienter probatæ, sed de ipsa probatione, quæ requiritur ut lex ipsa sufficientem vim habeat ad obligandum, & ut vim suam in communitatem extendere possit. Ergo non obstante mea apparentia majore pro lege, rectè concludo, legem non esse sufficienter probatam, & consequenter me non obligari hac lege, quamvis habeam fundamentum ad prudenter judicandum quod existat.

Par apparentia pro utraq; parte non satis probat legem.

70. Jam quamvis per hanc distinctionem replica ista penitus corruat, juvat tamen singula in ea contenta examinare, quia omnia à veritate deficere videntur. Sed ante omnia peto à Theologo isto, an lex sufficienter probaretur, si apparentia probabilis par esset pro utraque parte. Mirum, si concedat, quia evidens est, quod in casu paritatis argumentorum lex non magis probetur, quàm non lex. Ergo negabit legem tunc probari. Ergo pro eo casu paris probabilitatis Syllogismus concludit: ergo in æquè probabilibus pars tutior non cadit sub præceptum. Hoc autem admisso, pro praxi parvi momenti est, utrum pars minus probabilis, agnita ut talis, liceat nec ne; quia si non liceret, homines rarò affirmarent partem minus tutam esse minus probabilem, rarò enim certò constat, quæ pars sit probabilior, & maxima hominum pars judicare nequit de probabilitatis excessu. Ergo rarò aut nunquam veniremus ad hunc casum, ideoque quæstio sub istis terminis exigui momenti foret, ut latè declaratum est in proœmio tam *quæst. 21. quam 23. de conscientia probabili.* Cæterùm ut veritas certius pateret, nos quæstionem sub difficillima hac expressione proposuimus, illamque in hoc etiam sensu veram esse probavimus, & probamus.

71. Præterea evidenter falsum est, quod supponit

Sæpè est in potestate nostra impedire quominus lex nos obliget.

ponit ut notoriè verum, nempè non esse in potestate arbitrii obligationem imminentem amoliri. Inprimis certum est, quod operans in dubio peccet. At sæpe evidens est, quod homo poterat omittere bonam fidem, & dubitare quando illam format, & per eam certò excusatur à peccato, si sectetur partem minus tutam. Casum habes expressum *in cap. inquisitioni de sent. excom.* de eo, qui levi credulitate de impedimento matrimonii ad Pastoris consilium explosa, licitè petit debitum conjugale. Deinde miror, Theologum hunc talem propositionem protulisse, & ut verissimam habuisse, quam ipse expressè falsam reputat. Tenet enim cuique licitum esse sequi suam opinionem probabilem de honestate partis minus tutæ. At in potestate illius erat illud judicium non elicere, quia omnis assensus opinativus est liber, saltem libertate contradictionis, & quoad exercitium, ut omnes fatentur. Ergo in potestate illius est facere hîc & nunc ut obligetur, vel non obligetur ad partem tutiorem. Ecce Theologus iste in hoc argumento sibi contradicit. Quare dico, hominem illum obligatum iri ad partem tutiorem, si eliciat judicium, quo absolutè credat illam esse præceptam; sed hæc est obligatio legis reflexæ non contraveniendi suæ conscientiæ, non autem præcepti directi, quod fortè non existit, & si existat non sufficienter probatur existere ut vim exerat, & communitatem obliget. At si abstineat ab illo judicio, liber erit, quia ex una parte non ponet materiam, circa quam versatur lex reflexa; ex altera verò parte lege directa non sufficienter probata non obligabitur. Nec obstat, quod maneat dubius, an lex directa existat, quia hoc est dubium remotum & speculativum, non proximum & practicum, in quo solo locum habet regula illa. *In dubiu tutior pars est eligenda.* Nam non obstante dubio illo remoto rationabilissimè formatur conscientia dictans, legem dubiam non obligare, quia simpliciter dubia est, & non sufficienter probatur. Ergo aliquando est in potestate nostra obligari, & non obligari legibus divinis. Sed qui universaliter diceret positum esse in potestate nostra obligari, aut non obligari ejusmodi legibus, stultissimè erraret, quia sæpè evidens est tam legem ipsam, quàm ejus notitiam, & applicationem, atque materiam præviam extra nostram potestatem esse positam. Ergo tunc obligatio inevitabiliter irruit in nos, ut per se patet.

Contradicit sibi Theologus.

Alius Theologi error detegitur.

72. Rursus constat ex dictis contra hunc Theologum, quod, in casu objectionis, simpliciter positum sit in potestate operantis, non solum physicè, sed etiam prudenter, elicere assensum, quo absolutè judicet legem non existere; quod ex professo probatum invenies in *quæst.* 10. *de consc. probabili.* Cæterùm in eo casu, homo operans non existimaret existentiam legis esse probabiliorem, sed divideret se ab illa existimatione, & ex motivo prudenti ac prævalenti crederet non legem non solùm esse probabiliorem, sed etiam absolutè veram. Neque apparet undè accusari possit imprudentiæ, nam quod antea habuerit majus fundamentum nil facit, si majoritas fundamenti, prius agnita, non amplius existat, sed loco ejus succedat major apparentia oppositi; major, inquam, saltem in actu secundo per ipsum judicium prudenter elicitum, immo & major etiam in actu primo consequenter ad affectum innocuum uni parti additum. At totum hoc haberi potest in eo casu. Ergo qui sic judicaret, & se ab obligatione legis reflexæ eximeret, & in nullo turpiter ageret, sed ex duplici causa sciret se liberatum à lege directa. Primò, quia illa est dubia, & non sufficienter probata. Secundò, quia jam per illud judicium prudenti motivo nixum sine temeritate directè credit, rem esse à Deo permissam.

73. Objicit quartò. Major secundi Syllogismi in argumento allati est falsa: fieri enim potest, ut lex existat, quamvis post debitam diligentiam ejus existentia tibi certò non constet; non enim est de conceptu legis, ut certò constet omnibus subditis post adhibitam diligentiam. Deinde minor est incerta, nempè legem non patere post omnem diligentiam. Quis enim certus esse potest, se omnem diligentiam adhibuisse ad legem inveniendam? Certè ut ex non inventione quis certò inferat non legem, debet evidenter scire, se omnem diligentiam adhibuisse. Sed nemo hoc evidenter novit. Ergo Syllogismus in utraque præmissa claudicat. *Replica 4.*

Replica nō infirmat argumentū.

Respondeo Syllogismum illum non fuisse propositum tamquam demonstrationem ex præmissis evidentibus, sed tamquam Syllogismum probabilem ex complexo præmissarum tantum probabili conflatum. Ad intentum enim nostrum sufficit, si probabiliter concludamus, usum partis minus probabilis esse licitum. At replica nil probat contra hoc, quia quamvis non sit prorsùs necessarium legem non existere, si post debitam diligentiam non sufficienter mihi pateat, id tamen est valdè probabile, quia procul dubio propositio procedit de iis, quæ plerumque contingunt, etiamsi sermo restringatur ad quemvis hominem particularem, qui debitam diligentiam adhibet. At si loquamur non de particulari homine, ut iste Theologus, sed de universali subditorum multitudine, quorum plurimi rem diligentissimè investigarunt (qui propriè est casus noster) profectò non inventio certitudinis de veritate rei quæsitæ est longè probabilissimum argumentum, quòd lex non existat. Immò si restringamus nos, & dicamus sic, si post omnem diligentiam, ab omnibus adhibitam, non solum non est certum legem illam existere, sed non est ita probabile illam existere, ut oppositum non sit probabile, major propositio videtur saltem moraliter certa & evidens. At nos loquimur in hoc sensu, quia loquimur de opinionibus, quas certò & universali fama constat esse probabiles. Ergo major est verissima, saltem in sensu à nobis intento, & sufficiente ad id probandum, pro quo confirmando assumitur. Jam minor est probabiliter vera respectu singulorum, qui humanam & à probis ac peritis præscriptam diligentiam præmiserunt. Præterea minor est evidens, quia sæpè evidens est, talem hominem omnem diligentiam debitam adhibuisse. Verùm ista minor in casu præsenti sumitur respectu universitatis Doctorum, qui rem diligentissimè examinarunt, & post omnem conatum non solum veritatem ipsam certò scire non potuerunt, sed ne quidem invenire exclusionem magnæ probabilitatis pro non lege. Ergo minor est probabilissima & moraliter certa, quia moraliter certum est, debitam diligentiam à communitate fidelium & Doctorum fuisse adhibitam; & de hac diligentia loquitur minor, quando dicit, *Legem post omnem industriam non patuisse.* Ergo negari non potest quin conclusio sit probabilissima, immo prorsùs concedendum est, quod Syllogismus in hoc strictiori sensu acceptus sit moralis quædam demonstratio.

Æquivocatio hujus Theologi in eo consistit,

Detegitur æquivocatio Theologi.

quòd tam in hoc quàm in præcedenti argumento confundat apparentiam hominis privati de existentia legis, cum apparentia publica, quæ requiritur ad hoc ut lex respectu communitatis & sit & censeatur promulgata. Idem dico de ratione publica dubitandi de lege. Jam communitas non respicit ad id quod mihi apparet, sed ad apparentiam quæ à toto corpore habetur, & post diligentiam omnem adhibitam haberi potuit: si hæc sit anceps & dubia, procul dubio lex non est scita communitati, sed dubia. Quod si plus, aut tantum, aut fere tantum feratur pro non lege, quantum pro lege, lex nec est sufficienter promulgata, nec applicata sufficienter, ut communitatem liget. Quod si communitatem non liget, neminem ligat, quia omnis lex primariò respicit communitatem, nec quemquam afficit, quando scitur non habere ea quæ requiruntur ut rempublicam obliget. Quod si apparentia pro lege afficiens rempublicam esset evidens aut certa, tunc procul dubio lex illa haberet in actu primo vim proximè expeditam ad obligandum omnes. Idem dico, si apparentia pro lege esset probabilis, & apparentia opposita probabilis non esset; quia in rebus humanis talis probabilitas æquiparatur certitudini, & in rebus istiusmodi, aut nunquam, aut rarissimè repræsentat falsum. In his ergo casibus admittimus legem, sive certò sive non omnino certò existentem, particularibus sufficienter applicari per apparentiam probabilem, quando oppositum illis non est probabile. Sic enim & non aliter plurimæ leges communes ac certò notæ applicantur rudibus, qui de illis à peritioribus, & à suis Pastoribus informantur. Ita enim per aliorum informationem leges illis innotescunt, ut non sit probabile illas non existere, probabilissimum autem quod existant. Itaque talis applicatio sufficiens est respectu particularium, quando leges verè existunt, & sufficienter promulgatæ atque applicatæ sunt communitati, ut illam obligent, atque per illam, aut per præcipua ejus membra ad alios applicari possint ac debeant. Jam argumenta nostra de publica hac legum notitia ac ignorantia procedunt. Objectiones autem Theologi istius hanc non tangunt, quæ tamen unicè consideranda erant. Eâdem æquivocatione laborant, quæ affert contra rationem decimam quartam, ut infra patebit, cùm ad examen venerint. Itaque rationes illius non solum non infirmant, sed ne tangunt quidem fundamenta hæc, quibus benigna sententia nititur.

RATIO QUINTA.

Intellectus prudenter flecti potest ad assentiendum parti minus probabili.

75. INTELLECTUS ex imperio voluntatis absoluto judicio, ac prudenter assentiri potest objecto, quod in actu primo remoto erat minus probabile quàm oppositum, ut efficaciter ostensum est *quæst. 9. & 10. de consc. prob.* hoc judicium si eliciatur, fundat hunc Syllogismum: *Licitum est unicuique facere, quod omnibus pensatis prudenter judicat esse universaliter licitum. Sed ego hic & nunc, omnibus pensatis, prudenter judico hoc objectum esse universaliter licitum. Ergo hic & nunc licet mihi hoc facere.* Major est principium Synderesis reflexum certum & evidens, ut per se patet, & sufficienter constat ex dictis *quæst. 13. num. 26. quæst. 19. num. 6. & quæst. 20. num. 3. de conscientia probabili.* Id ipsum hîc etiam ostensum est in probationibus *assert. 1.* Minor est actus experimentalis evidens. Consequentia est dictamen conscientiæ certificans operantem de honestate suæ operationis, quidquid sit de honestate objecti, in quod fertur, si secundùm se consideretur independenter à præsentibus circumstantiis. Hæc ratio evidenter convincit, licitum esse sequi partem minus tutam, quoties ex vi motivi certò probabilis flectimus intellectum ad absolutè credendum illam esse omnibus universaliter licitam, ut proximè dictum est. At quotiescumque pars minus tuta est certò probabilis, ejusmodi judicium verè elici potest, non solùm ex vi auctoritatum & rationum reflexarum hactenus expensarum & expendendarum, de quo nullum est dubium, sed etiam ex vi rationum solùm directè minus probabilium, ut constat *ex quæst. 9. & 10. de consc. prob.* Ergo tam probabile est, quod liceat sequi partem minus probabilem, quàm est probabile, quod intellectus assentiri possit motivo minus probabili, si sumatur prout se habet in actu primo remoto. At hoc est probabilissimum. Ergo & illud. Et quidem hoc verum est, quamvis motiva solùm directè probantia considerentur, de quibus solis nunc agimus, comparando illa cum intellectu, prout ille subditur imperio voluntatis. Ergo major probabilitas benignæ sententiæ reflexè stabilitur ex consideratione imperii voluntatis supra intellectum ad assentiendum motivo minus probabili.

SOLVUNTUR THEOLOGI Responsiones.

76. OBIICIT sic. Miror quod evidens videri potuerit ista conclusio, seu dictamen viro docto. Nam efficaciter probavi, esse metaphysicè impossibile, ut intellectus ex imperio voluntatis assentiatur objecto, quod proponitur ipsi ut minus verisimile, quàm ejus contradictorium. Præterea, etsi assensus ille eliceretur, probavi illum non fore prudentem. Et quamvis Tertullus in omne latus se vertat, nunquam ostendere poterit, certum & evidens esse, quod intellectus assentiri, & prudenter assentiri possit sententiæ minus tutæ, minusque probabili, in occursu probabilioris, & tutioris; ad summum enim id probabiliter suadebit. Negarique non potest, esse evidenter probabilem sententiam oppositam, quod intellectus nequeat prudenter assentiri parti minus tutæ minusque probabili, quàm pars contradictoriè opposita. Et tamen ut Syllogismus ille esset evidens, deberet sententia, negans intellectum posse in tali casu assensum prudentem elicere, non esse certò probabilis. Nec hoc sufficeret, sed insuper evidenter ostendi deberet, intellectum flecti posse in assensum objecti minus probabilis in concursu contradictorii verisimilioris. Undè etsi major illius Syllogismi sit vera, & admittatur esse evidens, minor tamen est falsa, neque quisquam expertus est, se præstitisse talem assensum, quia eo ipso quo quis aliquam conclusionem amplectitur ut veram, paratus est illam defendere contra omnes ex vi rationum, quæ illum impulerunt ad assensum, sperat que se prævaliturum adversus impugnatores. Non speraret autem, si sciret rationes, quibus adductus est ad assensum, esse minus verisimiles rationibus contrariis. Rursus quamvis quis esset certus, se talem assensum elicuisse, non posset certificari, quod illum prudenter elicuisset, tum quia difficile est, quod sit certus de sufficienti diligentia ad veritatem inveniendam adhibita, tum quia non est certus, quod ex passione

Replica Theologi.

aut

aut amore inordinato non sit impulsus ad ita judicandum. Denique quia certus esse non potest, quod prudenter se gerat, cùm habeat motivum majus ad judicandum oppositum, & voluntariè se necessitet ad judicandum, quod pars minus tuta sit licita: ergo minor non est evidens. Immò satis efficaciter ostenditur esse falsa: ergo conclusio non est certa & evidens.

Theologus iste erravit in intelligendo argumento, nec illud solvit.

77. Respondeo, mirari me, & miraturum, ni fallor, Lectorem, quomodo ita decipi potuerit iste Theologus, ut existimaret, me proposuisse hunc Syllogismum tanquam absolutam demonstrationem, cùm disertè dicam, consequens solum probabiliter inferri ex Syllogismo isto, prout hîc proponitur præcisè ex vi subjectionis intellectûs imperio voluntatis. Si hoc concedat Theologus, concedit quod cupio. Si neget, nil moror, quia in omnem partem se versabit, antequam probet non esse probabile, immo non esse probabilius, quod talis assensus & elici, & prudenter elici possit ex imperio voluntatis. Sed ne tunc quidem post omnem conatum id præstabit, sed ad summum ostendet suam sententiam esse probabilem, & à se reputari probabiliore opposita. Quod nec nego, nec umquam negavi. Sed hoc non obstat, quo minus opinio mea contraria & vera sit, & reipsa probabilior opposita. Saltem non sequitur, illam apud nos non esse probabiliorem. Hoc autem sufficit, quia cùm major admittatur esse vera & evidens, & minor sit probabilis, & quoad nos probabilior oppositâ, utique & consequentia, utpotè legitimè deducta, est probabilis, & quoad nos saltem probabilior opposita; & hoc est totum, quod intendi probare per hanc rationem, quatenus est peculiaris ratio reflexa ad probandum usum directè minus probabilium esse licitum. Itaque Theologus iste in nullo ostendit argumentum totam suam vim non habere.

78. Hæc abundè sufficiunt ad objectionem hanc amoliendam, juvat tamen singula exactiùs tractare, nec id spero Lectori displicebit. Inprimis dixi, Syllogismum esse evidentem ex suppositione minoris, quæ locum non habet, nisi intellectus flectatur in assensum illius partis ex motivo certò probabili. Porro quia evidens est, quod intellectus hoc modo flecti possit in assensum talem ex vi rationum reflexarum, partim allatarum, partim afferendarum, ideo simpliciter assero moraliter certum esse, quod usus partis minus tutæ, & directè minus probabilis, sit licitus, atque id per allatum Syllogismum demonstrari. Quod totum procul dubio consonum est hujus Theologi principiis, modò intellectus talem assensum eliciat. Sed quia non certum est, sed solum probabile, quod intellectus vi rationum directè probantium possit tale judicium formare, ideo solum probabile est, quod præcisè ex vi rationum directè probantium inferatur per hoc argumentum, quod usus minus probabilium sit licitus.

Modus exponitur quo intellectus assentiri potest parti minus probabili.

79. Cæterùm si Theologus iste bene intellexisset quid doceam, quando dico intellectum flecti posse in assensum partis minus probabilis, clarè vidisset, me aliud non docere, quàm quod ipse docet. Inprimis admitto, intellectum non posse flecti in judicium partis minus probabilis, stante judicio finali comparativo dicente, partem oppositam esse probabiliorem, idque latè probavi *quæst. 8. de consc. prob. num. 25.* Nec tamen tam confidenter dico, illud esse metaphysicè impossibile. Viderit ipse, an hoc probaverit, quia metaphysica impossibilitas conjunctionis formarum rarò evincitur. Itaque non aliud dico quàm hoc, scilicet fieri posse, ut, omisso illo judicio comparativo (quod sæpè, si non semper omitti potest, quia inter certò probabilia utrimque, rarò aut nunquam constat, quæ pars tam extrinsecè, quàm intrinsecè sit probabilior) intellectus, ex imperio voluntatis, flecti possit in assensum partis verè minus probabilis, minusque allicientis, quàm pars opposita, si attendamus ad vim alliciendi, quam motiva habent in actu primo remoto, antecedenter ad omnem affectum uni parti singulariter impensum. Sed in hoc casu, quamvis intellectus feratur in partem verè minus probabilem, pars tamen illa ipsi videtur probabilior, & habetur simpliciter vera. Hoc autem totum possibile est juxta hunc Theologum, qui id non solum possibile, sed sæpius sufficiens reputat ad conscientiam ritè formandam. Porro in hoc casu, pars verè minus probabilis in actu primo remoto, dupliciter apparet probabilior opposita: Primò, in actu secundo per ipsum judicium, affirmans veritatem hujus, & respuens alterum ut falsum. Secundò, in actu primo proximo, prout remota veritatis propositio conjungitur affectui voluntatis erga illam partem, sine quo affectu prævio nullus assensus obscurus imperatur. Jam prior illa apparentia, huic affectui copulata, multum augetur (undecumque illud augmentum proveniat, sive per novum actum in intellectu elicitum, sive per potentiarum sympathiam, &c. quæ ad præsentem quæstionem supponi debent) ideoque jam intellectus fertur in illam partem, ut in probabiliorem, etiam in actu primo antecedenter ad judicium, & hac ratione pars verè minus probabilis probabilior apparet, quàm pars opposita. Et sanè Theologus iste nunquam explicabit, quomodo pars verè probabilior mihi videatur minus probabilis, nisi recurrat ad hanc potentiarum connexionem. Si enim pars illa verè sit probabilior, undè fieri potest, ut appareat minus probabilis? Non ex merito ipsius objecti, quod proponitur, quia supponitur majus; non ex propositione intellectuali rerum, quia illa ex se præcisè necessariò imitatur naturam motivorum, quæ proponuntur, & debitè ac seriò apprehenduntur, sicut in casu nostro supponuntur apprehendi. Ergo in omnem partem se verset iste Theologus, & tandem aliam rationem fundatam non inveniet, unde motivum, verè minus probabile, appareat probabilius contrario, quàm ex adjunctione minoris motivi intellectualis cum affectu voluntatis, inclinante ad illam partem, quæ jam post istam conjunctionem major apparet. Ergo hoc modo illa diversitas evenit, tam in casu admisso ab isto Theologo, quam in casu nostro. Et sic non solum verum est, quod intellectus assentiri possit motivo minus probabili in sensu à me intento, sed hoc ipsum planè coincidit cum eo, quod Theologus iste tenet, & ad conscientiam ritè formandam sufficere docet. Quid ergo reprehensione dignum invenit in argumento? nil prorsùs præter malam suam intelligentiam quæstionis, quasi illa acciperetur in sensu composito cum judicio illo comparativo, cùm non accipiatur, nec intelligatur nisi in sensu diviso, ut à me fusè offensum est loco proximè citato.

80. Jam quæstione in hoc sensu intellectâ, in quo intelligi debet, ut objectio contra argumentum à me allatum formetur, Theologus iste nunquam probabit, esse metaphysicè impossibile, ut intellectus, per imperium voluntatis, flectatur in

in assensum partis in actu primo remoto minus probabilis: nec mihi sudandum erit ad hoc probandum, quia id ipsum jam factum reperies *quæst.* 8. & 9. *de consc. prob.* & quod plus est *ibidem quæst.* 10. invenies probatum, quod tale judicium prudenter elici possit. Nec tamen dico, id absolutè demonstratum esse, sed solum longè probabilissimè probatum, quod procul dubio verum est. Imo iste Theologus ni ad principia, à me tradita, confugiat, sudabit & algebit etiam, ut ostendat, hominem posse irreprehensibiliter existimare, quod motivum verè probabilius, diligenter consideratum & inspectum, sit minus probabile motivo contrario, quod reipsa est minus probabile, & consequenter ex se minus aptum intellectum movere; hoc enim alia ratione fieri nequit, quàm quia affectio quædam innocua, ad unius augendam, & alterius apparentiam minuendam concurrat. Dixi, innocua, quia sine aliqua affectione ad rem, vel motivum, nemo potest quidquam judicare in obscuris. Sed hoc interest, quod aliquæ affectiones sint irreprehensibiles, eò quòd absque vitio contrahantur, quibus aut nemo, aut vix ullus inter homines caret. Jam si talis affectio accedat motivo certò probabili, etsi minori, illud ex hac conjunctione augebitur, & multo fortius movebit, quàm si aut solitariè acciperetur, aut cum affectione contraria conjungeretur, ideoque sufficiet ad assensum prudentem & irreprehensibilem, cùm nil, ex quo talis majoritas provenit, reprehendi possit. Immo aliquando motivum, quod in actu primo videtur probabilius, magnitudinem suam habet ab aliquo ejusmodi affectu. At ille effectus laudabilissimè suspendi potest, in quo casu pars altera & erit, & apparebit probabilior; ánne tunc etiam vituperandus erit, qui hac ratione parti prius minus probabili assensum præbet? nullo modo. Quæ cùm ita sint, haud dubiè probabilissimum est, quod assensus prudens irreprehensibiliter, & sine ulla temeritate præstari possit parti, in actu primo remoto minus probabili. An autem oppositum, in hoc sensu intellectum, sit probabile, non laboro, quamvis de evidenti illius probabilitate intrinsecâ valde dubitem, quia video Authores, de ea re loquentes, afferre rationes in vocum æquivocatione, & mala quæstionis intelligentia fundatas, tales autem rationes ad certam probabilitatem intrinsecam non pertingunt.

Et hic & omnes nobiscum sentiunt.

81. At quis unquam expertus est se præstitisse talem assensum? Respondeo innumeros quotidie id experiri, quoties affectio ad aliquam contradictionis partem variatur. Si affectio sit turpis & culpabilis, judicium plerumque est temerarium: si sit innocua, quales sunt plures affectiones, quibus homines sanctissimi non carent, nulla temeritas erit in judicio, quamvis nitatur fundamento minus probabili, quia fit dependenter à progressu, quem prudentes & probi in suorum judiciorum causalitate adhibere solent. Nec obsunt, quæ à Theologo objiciuntur; qui enim hac ratione judicium format, utique paratissimus est ad eam defendendam ex vi motivi, quo impulsus est ad ipsum eliciendum, speratque se prævaliturum adversus impugnatores, quia veritas illius ipsi apparet verisimilior, ac dignior assensu, quàm pars contradictoriè opposita. Quidquid autem dicitur in contrarium, procedit de subjecto non supponente, quia supponit hominem in sensu composito talis judicii credere, motiva contraria esse valentiora, quod est falsissimum, & contra legitimum sensum quæstionis.

Qui parti minus probabili assentitur, paratus est eam defendere.

82. Difficilius paulò est explicare, unde homo sit certus, se in tali casu prudenter judicare. Respondeo tamen, id non esse difficilius in hoc casu, quàm in ullo alio, nisi quando diversitas probabilitatis est nimis magna & evidens. Nominatim non est difficilius, quàm quando homo sequitur partem verè minus probabilem, quam falsò judicat probabiliorem esse. Ostendat iste Theologus, quomodo talis homo possit esse certus, se prudenter judicare (& ad hoc ostendendum, omniaque, quæ contra nos objicit, solvenda tenetur) & eâdem operâ videbit, quod homo in casu nostro, qui idem prorsùs est cum casu isto, certus esse possit de prudentia sui judicii. Sed Lector non libenter expectabit illius responsum. Ego ergo & pro me & pro illo (si tamen illi placuerit) respondebo. Inprimis ergo dico, plura requiri, ut homo certificetur, se prudenter judicare. Primum & præcipuum est, quod habeat motivum grave prudens & rationabile, ac dignum assensu, etiam in contradictione partis oppositæ. Secundum est, quod sciat se sufficientem diligentiam juxta qualitatem rei ad veritatem inveniendam adhibuisse. Tertium, quod extra violentam passionem constitutus, seriò circumspiciendo, non sit conscius se ex ullo turpi ac culpabili affectu vel passione impelli ad judicandum. Si hæc tria adsint, & ille ob tale motivum judicium eliciat, moraliter certificatur se prudenter ac irreprehensibiliter judicium elicuisse. At hæc certò haberi possunt. Primum supponitur adesse, ac certò innotescere. Secundum frequentissimè habetur, & nisi habeatur, non sumus in casu, pro quo procedit syllogismus allatus. Tertium etiam non est difficile, & sæpissimè certò habetur. Hac ratione tam ille, qui in istius Theologi opinione sequitur partem verè minus probabilem, quam reputat probabiliorem, quàm ille, qui, juxta intentum meæ assertionis, sequitur partem in actu primo remoto minus probabilem, quæ, affectu innocuo accedente, apparet ipsi probabilior, moraliter certificatur, se prudenter judicium elicuisse.

Homo scire potest se prudenter judicare in incertis.

83. Dices, habet motivum majus ad judicandum oppositum, & voluntariè se necessitat ad judicandum, quod pars minus tuta sit licita. Ergo non potest esse certus quod prudenter judicium eliciat. Respondeo, habet motivum in actu primo remoto revera majus pro opposito, concedo: habet motivum in actu primo proximo majus opposito, nego antecedens. Rursus distinguo antecedens, habet motivum verè majus pro opposito, sed innocuè creditum minus, concedo: majus & creditum majus, aut dubitatum quod sit majus, nego antecedens & consequentiam. Præterea falsum est, quod talis homo voluntariè & violenter adigat intellectum ad credendum id esse verum, quod reputat esse minus probabile; hoc enim naturaliter repugnat, & ab isto Theologo falsò supponitur. Omnia ergo ista non fiunt nisi plana, consueta, ac naturali via, & ita à nobis fieri supponuntur; nisi enim ita fiant, non sumus in casu de quo loquimur. Ex his habemus, minorem syllogismi allati esse veram, quia constat intellectum posse talem actum elicere, de cujus prudentia, si eliciatur, homo certificari potest. Et quamvis non omnimodè de hoc certificaretur, tamen prudentia talis judicii esset probabilissima, & quodammodo certa, quod sufficit ad intentum syllogismi, qui proindè stat inconcussus in sensu, quo à me propositus est, nec Theolo-

Solvitur quædam replica.

Theologus iste vim ejus imminuit, sed occasionem ejusdem efficaciam ostendendi dedit.

SEXTA RATIO.

Opus conforme opinioni probabili est licitum.

84. OMNE opus, conforme rectæ rationi, est licitum. Sed omne judicium certò probabile de universali honestate alicujus objecti, si post debitam diligentiam eliciatur, est ratio recta. Ergo opus conforme ejusmodi judicio certò probabili est licitum. Major certa est, & ab omnibus admittitur. Eam ex professo tradit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 19. *art.*3. & cum eo ibidem interpretes conveniunt. Minor efficaciter probata est; de *consc. prob. quæst.*12. *à nu.* 14. *ad finem* (& infra pluribus contra Celladeum efficacius stabilietur) consequentia legitimè deducitur, ex qua habemus, unumquemque licitè sequi partem minus tutam, quotiescumque omnibus inspectis, certò probabiliter judicat illam esse universaliter licitam. At aliud non requirimus.

OBJECTIO THEOLOGI solvitur.

Replicà Theologi.

85. TOtus discursus admittitur ut legitimus: sed illud subjunctum, *at aliud non requirimus*, admitti nequit. Constanter enim negamus, posse hominem formare ejusmodi judicium, quando inhonestas rei in actu primo repræsentatur ut verisimilior ejusdem honestate, præsertim quando excessus ille est evidens, & manifestus. Quamvis enim sententia, affirmans illud esse licitum, sit certò probabilis comparativè ad suos Auctores, quibus repræsentatur ut verisimilior sua contradictoria, non tamen est certò probabilis comparativè ad illum hominem, cui opposita sententia proponitur ut multo verisimilior; quia implicat ut intellectus, etiam ex imperio voluntatis trahatur ad assentiendum objecto, in quo magis apparet falsitas quàm veritas.

Rursus, fundamentum illius sententiæ, faventis libertati, etiamsi sit magnum secundùm se, & sufficiens ad assensum prudentem, si seorsim accipiatur, non est tamen magnum comparativè ad fundamentum oppositum manifestè majus, & verisimilius, sed est parvum, ut notavimus ex P. Esparza. Undè si intellectus in concursu motivi evidenter majoris assentiretur ex vi motivi evidenter minoris, eliceret assensum temerarium & imprudentem, utpote ex levi fundamento conceptum. Falsò ergo dicitur in fine argumenti, aliud ab Auctoribus benignæ sententiæ non doceri, quàm quod cuique licitum sit operari secundùm judicium certò probabile, quo credimus aliquid universaliter esse licitum; nam quæstio præcipua est, an possimus hoc judicium prudens formare, quando contradictorium in actu primo repræsentatur nobis ut verisimilius.

Solvitur replica.

86. Respondeo, nos verissimè aliud non docere, quàm quod discursus in argumento ponderatus continet. Asserimus enim, neminem licitè sectari partem minus tutam, nisi ex motivis probabilibus ac prævalentibus, directis aut reflexis, absolutè judicet illam esse licitam. Verùm quæstio principalis ex parte materiæ intervenit, utrum quis possit tale judicium formare de parte minus probabili: huic quæstioni respondemus primò, operantem, si tale judicium formare non possit, non excusari, excusari si possit; & hoc habito contenti sumus, quia totum sententiæ benignæ intentum principale in hoc solo consistit. Respondemus secundò, certissimum esse, tale judicium ex rationibus reflexis formari posse, etiam in sensu composito judicii dictantis partem minus tutam, directè tantum consideratam, esse minus probabilem parte tutiore, quia hoc non tollit, quo minus illud idem in ordine ad alias circumstantias per considerationem reflexam cognoscatur, & absolutè credatur licitum. Hoc autem judicium reflexum formari potest ex rationibus allatis, atque etiam ex afferendis, ut patebit. Respondemus tertiò, judicium hoc formari posse ex motivis directis certò probabilibus, etiamsi antecedenter & in actu primo remoto motivum sit, & credatur minus probabile, sed hoc intelligitur non in sensu composito, sed in sensu diviso talis judicii, ut in ponderatione proximi argumenti explicatum est. Porro hoc argumentum sextum eodem prorsùs modo procedit, sicut quintum procedebat, & solum reflectit supra notionem rationis rectæ, illamque applicat omni judicio probabili, etiam illi, quod ex motivo apparenter minus probabili elicitur. Tale autem judicium non elicitur, nisi homo mutet affectionem & propensionem, tunc autem facillimè elicitur, ut constat ex dictis.

87. Hinc respondetur ad contenta in objectione. Inprimis illi constanter negant, quod nos non asserimus: negant enim ejusmodi judicium formari posse in sensu composito judicii de majori verisimilitudine partis oppositæ. Nos autem solum asserimus illud elici posse in sensu diviso talis judicii; quod si illi negent etiam hoc, nil moramur, quia in illa sua opinione errant, & hunc errorem ex probabilissimis & prævalentibus argumentis cognoscimus. Unde sequitur, & ultro fatemur, tale judicium non posse formari, quando majoritas probabilitatis purè rationalis adæquatè sumptæ est evidenter nota; tunc enim sensus divisus talis judicii non est in potestate nostra. Cæterùm tunc solum datur hæc evidentia, quando evidens est, apparentiam adæquatam, qua antecedenter ad omnem affectum & inclinationem impellimur, esse ex se majorem & valentiorem. Hanc enim solam apparentiam voco rationalem, quia omnis alia non à solo merito objecti, sed aliquo modo à dispositione judicantis oritur. Itaque si sermo sit de majoritate, quæ per affectum aut judicium uni parti affixum habetur, quæque in illis consistit, aut ad illa consequitur, nullus excessus probabilitatis hujusmodi, etsi evidentissimus, tollit rationem veræ probabilitatis à motivo contrario. Et sanè homines quando loquuntur de excessu probabilitatis, rarò de alia probabilitate loquuntur, quàm quæ comitatur, aut consequitur affectum, & judicium uni parti affixum. Jam verò Auctores sagaces & prudentes concedunt, partem oppositam esse etiam apud ipsos certò probabilem, quamvis probabilitas opinionis, cui adhærent, concomitans aut consequens assensum præstitum, sit evidentissimè major, illosque incomparabiliter magis trahat, quàm apparentia opposita. Itaque, hac apparentia non obstante, opinio contraria etiam quoad illos est & habetur certò probabilis. Theologus autem iste ex hujus distinctionis defectu erravit dicens, opinionem illam non esse probabilem illis, quibus apparentia partis contrariæ apparet multò verisimilior, maximè quando excessus iste est evidens, quod dictum illius indistinctè prolatum, & universaliter acceptum est falsissimum. Ratio autem, qua id probat, est prorsùs inefficax: quamvis enim voluntas

Æquivocatio adversariorum.

Apparentia major consequens judicium non tollit probabilitatem judicii.

nequeat intellectum flectere ad assentiendum objecto, in quo falsitas magis apparet quàm veritas, in sensu composito talis majoritatis apparentis, potest tamen in sensu diviso illius talem assensum imperare. Cæterùm etsi in actu primo remoto detur excessus inter utrumque motivum, hoc non impedit, quò minus intellectus determinetur ad assensum motivo verè minori præstandum, per actum absolutè prælativum illius, maximè quando excessus ille certò non innotescit, & intellectus expressam comparationem de motivorum magnitudine, & excessu non instituit; tunc enim falli potest intellectus existimando motivum verè minus efficax esse potentius opposito. Et hoc modo intellectus semper fertur in objectum illud, quod verum reputat, quia judicium prælativum unius necessariò repræsentat illud ut verisimilius opposito.

Evidens excessus apparentiæ tollit probabilitatē oppositi.

88. Quod si loquamur de excessu unius motivi evidenter se prodente supra aliud, prout motiva illa se habent antecedenter ad omnem affectum, uni parti peculiariter affixum, utique concedo, motivum minus in illo casu non esse certò probabile illi, cui dictus excessus est evidens, ille enim necessariò videt motivum minus non esse dignum assensu in contradictione alterius, seque ex mera vi motivi præcellentis, inevitabiliter ac necessariò ita affici erga illud, ut nequeat absoluto judicio illud repellere ut minus motivo opposito. Porro Esparza de hac sola comparatione intelligendus est; est enim Auctor, qui de rebus enunciare non solet, prius quàm omnia ad quæstionem spectantia debitè considerarit, & singula juxta rerum exigentiam distinxerit, quem si alii imitati fuissent, non tot lites de quæstione præsenti movissent. Cæterùm casus iste rarissimè intervenit, quando sermo est de opinionibus, quæ à seriis & doctis viris reputantur certò probabiles: motiva enim illarum cum sint dissimilia, necessariò se mutuo excedunt secundum quid, & ita quidem, ut absolutus excessus unius ab alio certò discerni non possit; si enim certò & evidenter se proderet excessus, omnes in eodem sensu convenirent, quod fieri non videmus. Ergo excessus ille non est evidens. Porro excessus apparentiæ concomitans, aut consequens judicium, uni parti affixum, nil facit ad præsentem quæstionem, ut dictum est.

SEPTIMA RATIO.

Confessarius licitè absolvit cōtra propriā opinionem.

89. IN foro pœnitentiali licet Confessario conformare se cuicumque opinioni certò probabili, quam pœnitens sequitur, etsi Confessarius ipse teneat, oppositam tutiorem esse veram, & probabiliorem. In hoc omnes tam antiqui, quàm recentiores (si pauculos modernos excipias) conveniunt. Ratio est clara. Persuasio Confessarii non dirigit pœnitentem, quia unusquisque à propria tantum conscientia proximè dirigitur. Ergo si pœnitens formet conscientiam certò probabilem ac prudentem de honestate objecti quod ponit, eo ipso licitè operatur, nec Confessarius meritò potest aliter judicare, aut obligare pœnitentem ad sectandam partem tutiorem. Ponamus jam pœnitentem, autoritate ac ratione benignæ sententiæ motum, & credere sibi licitum esse sequi, & actu in praxi sequi opinionem directè minus probabilem: Confessarius licitè eum absolvit, tum quia penitens habet jus sectandi quamcumque opinionem certò probabilem, quam absolutè, omnibus inspectis, veram reputat, nec à Confessario eo jure privari potest; tum quia Confessarius præsumere debet, hominem sic operantem non peccare, sed rectè operari. Ergo benigna sententia est tuta regula omnibus, qui eam certò probabiliter veram reputant. At aliud nec docemus, nec suadere intendimus. Si quis enim ex rationibus ac auctoritatibus, quibus probatur, non possit certò probabiliter credere illam esse veram, illi ex ejus præscripto vitam suam regulare non licebit.

SOLVITUR REPLICA.

Replica Theologi.

90. OBJICIT Theologus, se peculiari quæstione ostensurum, doctrinam illam de Confessario esse falsam. Sed quamvis esset vera, inde non sequeretur, cuiquam in operando licitum esse sequi sententiam, quæ repræsentatur minus verisimilis, quàm opposita. Sic si pœnitenti occurreret opinio rigida illum obligans ad restituendum, & opinio benigna illum liberans ab hoc onere, Confessarius eum absolvere non posset, si ille sequi vellet benignam opinionem sibi minus probabilem, relicta rigida tutiore sibi verisimiliore.

Solvitur replica, & æquivocatio Theologi detegitur.

91. Respondeo, me quoque infra *quæst.* 47. expressè acturum de obligatione Cōfessarii contra Celladeum, ubi convincam, doctrinam hujus argumenti esse verissimam. In illum ergo locum rejicio, quæ Theologus iste contra doctrinam propositam peculiari illa quæstione habet, quæ certè Deo favente, non dissimulabuntur. Quod addit hoc loco Theologus, scilicet pœnitentem non debere absolvi, si sectetur opinionem minus tutam, quæ ipsi minus verisimilis apparet, quia non licet homini sic disposito sententiam illam sequi, æquivocatione sæpius in illius dictis detectā laborat; non enim esset absolvendus, si solis rationibus directis moveretur, & in sensu composito talis opinionis operaretur, quia bonam fidem non formaret. At si, non obstante judicio de minore probabilitate directā, ex rationibus reflexis formet conscientiam de honestate operis, aut ex rationibus directis, in sensu diviso dicti judicii comparativi, formet absolutum judicium probabile ac prudens de operis honestate, absolvendus est, quia est benè dispositus, ut constat ex ratione in argumento perpensa, cui proindè Theologus sufficienter non respondet.

RATIO OCTAVA.

Universalis ad jus naturæ spectantia à diligētiam adhibentibus nō ignorantur.

92. QUÆSTIO hæc spectat ad jus naturæ, cùm locum habeat independenter ab omni lege positiva. Ergo nulla datur obligatio sectandi partem aut tutiorem aut probabiliorem, si pars minus tuta sit certò probabilis, quamvis sit solum æquè, aut minus probabilis parte contraria. Tenet consequentia, quia quæ spectant ad jus naturæ, maximè si generalia sint, & frequentissimè in usum veniunt, vix quemquam latent. At obligatio sectandi tutiora latet omnes. Similiter omnes fermè Auctores, illique probi pariter ac periti, unanimiter tenent, quod cuique liceat sectari partem minus tutam, etiam directè minus probabilem, si tamen sit certò practicè probabilis. Ergo obligatio sectandi, aut tutiora aut probabiliora, aut etiam æquè probabilia latet omnes, cùm ab omnibus fermè negetur, & à nemine probari possit. Et tamen hæc obligatio, si quæ esset, ad jus naturæ spectaret, & ver-

& versaretur in re maximè universali, quæ frequentissimè & ferè semper in usum venit, cùm sit de electione opinionis ad licitè operandum sufficientis. Ergò locus est prudentissimæ præsumptioni, quod ad hoc non obligemur jure naturæ. At certum est, quod lege positivâ ad id non obligemur. Ergò datur evidens ac prudens præsumptio, quod nemo obligetur ad sectandam partem aut tutiorem, aut probabiliorem, aut æquè probabilem, sed cuique licitum sit, sectari partem minus probabilem.

Ex præsumptione fundata in ista ratione conscientia certa consurgit hoc modo. *Quod fit ex præsumptione certò prudenti, quod illud omnibus liceat, nullaq; lege prohibeatur, honestè fit. Sed habeo præsumptionem certò prudentem, & evidenter rationabilissimam, quod electio partis minus tutæ, directèq; minus probabilis, sit omnibus licita, nullaq; lege prohibeatur. Ergo si pars illa ex hac præsumptione eligatur, honestè eligitur.* Præmissæ sunt evidentes, consequentia est in forma. Ergò est evidens, est autem ipsa conscientia: ergo quævis certa probabilitas practica & directa, etsi minor, partique minus tutæ favens, fundat reflexam certitudinem conscientiæ, quod unicè probare intendimus.

REPLICA THEOLOGI solvitur.

Quæ spectant ad jus naturæ sunt in triplici differentia.

93. OBJICIT. Esto prima principia in moralibus ac practicis sint omnibus nota, quale est illud, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Similiter esto, conclusiones universales, facilè & quodammodo immediatè deductæ ex primis principiis, qualia sunt decem præcepta decalogi, neminem lateant; contrarium tamen dicendum est de conclusionibus valdè mediatis, quæ non nisi maximè sapientibus patent, illisque non certò, sed solùm probabiliter innotescunt. De hoc tertio genere præceptorum moralium S. Thomas 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 11. hæc habet. *Quædam sunt, quorum ratio non est adeo cuilibet manifesta, sed sapientibus, & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moysen & Aaron.* Atque hinc Theologi communiter docent, dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quoad conclusiones istiusmodi, quamvis non detur quoad prima principia & conclusiones fermè immediatas, & facilè deducibiles. His positis,

Aliqua jure naturæ prohibita non patent omnibus.

94. Respondet, quod sequi partem minus probabilem contra tutiorem, quæ etiam probabilior apparet, sit malum jure naturæ prohibitum; quia quando opinio est clarè & manifestè verisimilior, operans prudenter judicare potest rem esse malam. Qui autem potest hoc judicare, peccat si rem exequatur, perindè ac si contra expressum judicium de illius malitia operaretur; si autem utraque opinio repræsentetur ut æquè verisimilis, necessariò manet dubius: operari autem in dubio est manifestum peccatum. Jam ex eò quòd hoc sit jure naturæ prohibitum, non sequitur quod illud omnibus patere debeat. Sic plures contractus sunt prohibiti jure naturæ, quorum prohibitio omnibus non patet, alioquin nulla de illis inter Doctores controversia daretur; sed ex opposito, quoties Doctores controvertunt, an aliquid sit intrinsecè malum, sententia affirmans esset certò falsa, quia affirmat aliquid esse prohibitum jure naturæ, cujus prohibitio non est nota omnibus. At sequela est absurda.

An Medina primus docuerit benignam sententiam?

95. Præterea falsum est, hanc obligationem latere omnes, quia omnes antiqui Theologi, qui scripserunt ante annum 1577. unanimi consensu illam agnoscebant. Primus enim, qui invexit opinionem docentem, usum minus probabilium contra probabiliora esse licitum, fuit Bartholomæus Medina. Falsum etiam est, quod omnes ferme Doctores unanimiter teneant, usum minus probabilium esse licitum in occursu tutiorum ac probabiliorum. Nec obstat Terillum *quæst.* 22. multas coacervasse autoritates antiquorum Theologorum, nullum enim adducit Medinâ antiquiorem, qui expresè dicat, licitum esse sequi partem minus tutam, quando tutior operanti apparet probabilior, sed affert multos, qui expresè requirunt, ut in occursu tutioris operans feratur in minus tutam ut in probabiliorem. Itaque testimonia illa falsitatis convincunt Jansenistas & alios, qui usum probabiliorum negant esse licitum. At contra sententiam meam nil probant, sed eam confirmant.

Conclusiones probabiles, ad jus naturæ spectâtes, sunt in triplici differentia.

96. Respondeo, hîc multa ex antedictis repeti; ea verò, quæ ad argumenti solutionem videntur facere, nimis leviter examinari. Inprimis admitto triplicem illam distinctionem conclusionum moralium, unaque assero dari posse, & aliquando etiam dari ignorantiam invincibilem conclusionum magis remotarum, quia non est omnium posse tales conclusiones elicere. Cæterùm omnes fatentur, invincibilem ignorantiam longè rarius intervenire in tali materia, quàm in materia juris positivi. Rursus Auctores dicunt, ignorantiam talium conclusionum apud idiotas quidèm esse non infrequenter invincibilem, sed raro apud peritos, qui veritatem diligenter inquirunt, quique principia bene nota combinandi & applicandi capacitatem habent. Hinc ego quoque gradum facio, & opiniones probabiles de rebus jure naturæ prohibitis in tres classes divido. Prima classis continet opiniones negantes aliquid esse prohibitum, quibus aut omnes, aut longè major pars Auctorum subscribunt. Secunda continet opiniones classicas, quæ ex æquo ferme tenentur, & repudiantur à Doctoribus. Tertia classis complectitur opiniones, dicentes aliquid esse prohibitum, contra quos pauci, sed valdè graves viri opinantur, ita tamen ut omnes fateantur, paucorum illorum doctrinam esse certò probabilem; nam si illorum opinio non reputaretur certò probabilis, illius consideratio ad præsentem controversiam non pertineret. His positis.

Opiniones communes de non lege frequentiùs veræ sunt, quam falsæ in jure naturali.

97. Dico primò, si sumatur collectio opinionum in tertia classe contentarum, & illa reflexè consideretur, prout continet opiniones ad jus naturæ spectantes, de quibus Auctores modo dicto diserepant, potius præsumendum est plures quàm pauciores ex illis esse falsas, ex hoc capite, quod in materia juris naturalis post omnem conatum veritas non sat certò innotescat.

Ratio est, quia nulla materia moralis tam facilè patet diligenter inquirentibus, quàm quæ verè præcepta est jure naturæ. Hoc adeo verum est, ut plures doceant ignorantiam invincibilem juris naturalis non dari, saltem in mediocriter instructis. At quod detur in prudentissimis vix potest contingere. Et sanè cùm principia ista sint omnibus notissima, peritique omnes considerent connexionem quæstionis propositæ cum illis principiis, & aliis ab illis certò deductis, difficilè videtur fieri posse, ut veritas in tali materia à nemine certò percipiatur, aut saltem quin tanta vi innotescat, ut oppositum non reputetur probabile.

bile. Absurdum enim est existimare naturam ita sua præcepta instituisse, ut ea nemini non solum certò innotescere possint, sed ne quidem ita cognosci, ut oppositum non sit certò probabile. Nihilominus non omnino nego, quin veritas aliquando ita lateat in istis, ut non possit aut certò probari, aut ita convinci, ut oppositum non sit probabile, sed hoc valdè rarò evenit, & mihi potius videtur nunquam evenire. Ergò si tota collectio talium opinionum accipiatur, potius præsumendum est, plures quàm pauciores ex illis non veram sed apparentem tantum obligationem afferere.

Etiam in materia juris positivi.

98. Et ut meam de hac re in materia juris positivi, tam divini quàm humani, mentem aperiam, quamvis de rebus ejusmodi faciliorem & frequentiorem, quàm in rebus juris naturalis ignorantiam invincibilem admittam, existimo tamen ad minimum tot ex conclusionibus ad talem materiam, & ad tertiam hanc classem spectantibus esse falsas, quot sunt veræ. Ratio est, quia non est credibile, Deum aut prudentes legislatores humanos ea voluisse præcipere, & subditos ad ea obligare, quæ post legum illarum ponderationem non solùm nemini ut certò præcepta apparent, sed ne quidem tanta verisimilitudine probantur, quin oppositum ab omnibus agnoscatur certò probabile, & à nonnullis sapientissimis post omnia, ab omnibus allata, seriò inspecta, existimetur non esse prohibitum. Frustra enim talia præcipere viderentur. Cæterùm eam scio hominum imbecillitatem, ut non negem eos aliquando ita in hoc errare, ut omnes judicent aliquid probabiliter licitum, quod verè prohibitum est. Hoc autem tunc maximè locum habet, quando longè plurimi absolutè tenent illud esse licitum, & pauci ex gravissimis ac sapientissimis tenent oppositum, nam de aliis contra torrentem sapientissimorum opinantibus, exigua aut nulla ratio habenda est.

Maximè quando nō pauciores tenent legem non dari, quàm qui tenent illam dari.

99. Dico secundò, ex opinionibus in secunda classe contentis, quæ legem asserunt, plures sunt falsæ quàm veræ. Ratio à fortiori hoc convincit, quam in priori casu. Ergo si in illo opiniones legem astruentes potius magis quam minus frequenter à vero aberrabant, haud dubiè frequentius errant in casu isto. Ratio desumitur à naturâ & fine rerum præceptarum; illæ enim ideo institutæ sunt, ut omnibus, maximè diligenter quærentibus, innotescerent, ut sic in notitia legum verè latarum daretur uniformitas in republica, & omnes eadem regula uterentur. Procul dubio enim Deus, naturæ Auctor, ac primus legislator, singulariter providit de mediis, quibus mens illius in istis facilius & certius innotesceret, quam in aliis. At si loqueremur de aliis rebus, pro quarum notitia Deus & natura tantam curam non gerunt, opiniones ad istam classem spectantes ex æquo censendæ essent veræ & falsæ, quia nulla esset ratio nec ex parte materiæ aut intenti Dei ad illam manifestandam, nec ex parte hominis diligentiam adhibentis, ob quam plures præsumerentur veræ quàm falsæ, aut è contrario. At in præsenti casu longè aliter se res habet, maximè in rebus ad jus naturæ spectantibus. Ergo præsumendum est, quod major pars talium opinionum sit falsa.

Communis omniū aut ferè omniū consensus numquam aut rarissimè errat in materia juris naturalis.

100. Dico tertiò. Ex propositionibus in prima classe contentis paucissimæ sunt falsæ, nec ulla videtur dari præsumptio sufficiens, quod quævis illarum sit falsa.

Ratio est, quia repugnat fini naturæ, quod omnes probi & docti post omnem diligentiam errent in iis, quæ verè sunt intrinsecè mala, & ea vocent bona, quæ sunt essentialiter mala. Nonne natura frustra talia præcepta instituisset? Immò quomodo potest talia præcepta instituere? Stultum est præceptum ininvenibile dari. Eadem ratio locum habet, quando omnes fermè, pauculis demptis, tenent aliquid esse licitum jure naturæ, maximè quando pauci illi non sunt in classe eorum, quos mundus sapientissimos appellat. Quid enim? dicendumne est, longè maximam Doctorum ac sapientissimorum partem adeo cæcutire, ut intrinsecè mala à bonis non discernant, sed ea bona reputent, quæ sunt essentialiter mala? Hoc lumini naturæ, & fini ac suavi dispositioni naturæ adeo repugnat, ut in mentem hominis labi non posse videatur. Idem proportionaliter dicendum de vetitis lege positiva: Sed cum hoc discrimine, quod in istis error frequentius obrepat, quàm in rebus juris naturalis.

Homo lapsus facilius invincibiliter fingit legem, quàm verà legem naturæ invincibiliter ignoret.

101. Ratio à priori istorum omnium ex ipso vulnere naturæ lapsæ desumitur: vulnus illud in duobus consistit, scilicet in ignorantia & difficultate: utraque autem maximè in iis locum habet, quæ ad finem pertinent; difficultas nempè ea faciendi, quibus finis acquiritur; ignorantia eorum, quæ ad finem iuvant; & error in iis, quæ finem aut impediunt, aut difficultant. Hinc ita constituti sumus, ut tota massa naturæ corruptæ rarò invincibiliter neget præceptum verum, quia talis error parum noceret, parum enim conduceret ad finem impediendum. E contra verò sæpissimè, etiam invincibiliter, fingimus obligationes, ubi nullæ sunt, utrumque enim istorum ex æquo connecti videtur cum miserrimo naturæ lapsæ statu; nam sicut primus error non excusat errantes, ita secundus eosdem aggravat, & ad ruinam disponit. Et sanè qui dicta Patrum de statu naturæ lapsæ, de errore & ignorantia illius in ordine ad finem acquirendum; atque justam Dei in homine per ea in quibus peccavit puniendo vindictam attentius consideraverit, videbit utrumque hunc defectum justissimè inflictum fuisse; ut scilicet ille, qui in clara luce violavit præceptum, quo obligabatur, & finxit sibi beatitudinem in malo, idem in posterum non facilè invincibiliter ignoraret præcepta sibi imposita, ne sic ex suo malo emolumentum quodammodo reportaret non peccando, dum præcepta transgreditur, idemque invincibiliter sibi fingeret malum, & præceptum, ubi nil mali latet, & sic ex lapsu suo incurreret necessitatem pluribus præceptis obtemperandi, suamque ex hoc capite salutem difficiliorem redderet. Hinc est quod longè sæpius erremus in præceptis imponendis, quàm excusandis, quando sermo est de errore invincibili, atque inde oritur præsumptio, quod in directa legum assertione frequentissimè erremus, non item in invincibili earum negatione. Huic malo maximo Deus in eo aliqualiter remedium opposuit, quod hac notitia muniti per reflexas præsumptiones fundatas minueremus præcepta, quæ alioquin ultra debitum in immensum excrescerent.

Theologus non recte intellexit vim argumenti.

102. Dico ergo Theologum istum vim argumenti non benè percepisse: loquimur enim de re ad jus naturæ spectante, quæ in prima classe continetur. Certissimum enim est, omnes Theologos, qui ex professo de hac re tractarunt (& omnes ferme de illa ex professo egerunt) per centum ferme annos unanimiter docuisse usum opinio-

opinionis minus probabilis in occursu tutioris ac probabilioris esse licitum, ut evidens est ex eorum libris. Jam verò quamvis pauci aliqui ab ortu Jansenismi contrarium docuerunt, illi tamen & numero pauci sunt, & ni fallor, sapientia non æquiparandi cum illis, qui unanimiter oppositum tradidere. Ideoque illi non obstant præsumptioni præsenti, quæ tanta est, ut ex reflexione ad illam unusquisque illorum longè rationabiliùs suam sententiam deponeret, quàm ob motiva, quibus adhæret, illam tenet. Præterea ex illis paucis adversariis, nemo eandem cum aliis viam sequitur, sed singuli abeunt in singulas, & complures eorum ex mera æquivocatione à benigna sententia recesserunt, ut evinco *quæst. 22. de conscientia prob.* Jam argumenta Theologi istius nil evincunt, immò non tangunt punctum difficultatis, si doctrina allata præ oculis habeatur, quia si reflectamus ad materiam, de qua agitur, ad modum quo traditur, & ad multitudinem ac præstantiam eorum, qui illam tamdiu, absque ullo contradicente, unanimiter tradiderunt, ac ad pronitatem errandi in obligationibus imponendis, datur validissima præsumptio reflexa, quod opinio docens talem usum esse licitum sit vera, quia non est credibile, omnes Ecclesiæ auctores per integrum sæculum in re tali, tam universali, tamque omnibus ad usum frequentissimum necessaria errasse, quam omnes veram putabant, & ferme omnes, tamquam certissimam tradiderunt. Sed singula, quæ opponit, inspiciamus.

Solvitur illius replica per partes.

103. Inprimis, quamvis pars tutior appareat probabilior directè, tamen indirectè ex motivis validissimis, omnibus inspectis, apparet minus verisimilis, quàm pars minus tuta, quæ absolutè creditur esse vera. Præterea ex vi rationum directarum fieri potest, ut intellectus comparationem illam omittat, & sic per imperium voluntatis flectatur in assensum partis minus tutæ, illamque ut probabiliorem, & unicè veram respiciat, ut sæpius dictum est.

Destruit quæstioné.

104. Secundò, oblitus eorum, quæ paulo ante dixerat, destruit quæstionem in ipsa ejus propositione, loquitur enim de excessu evidenti & manifesto in motivo partis tutioris; antea autem dixerat, partem tanta apparentia veri superatam non esse probabilem in contradictione motivi ita prævalentis pro parte contraria. At nos loquimur tantum de certò probabilibus, in contradictione partis contrariæ probabilioris.

Illatio illius nō subsistit.

105. Tertiò. Argumentatio, quam instituit, nil concludit; ex eo enim quod quis prudenter judicare possit, aliquid esse prohibitum, & non judicet, non magis sequitur, quod peccet, si illud ponat, quàm sequitur, quod peccet, qui dubio deposito operatur, cùm dubitare potuisset, & prudenter omnem judicium suspendere. At hic non peccat, ergo nec ille, modo ex rationibus directis, vel reflexis formet judicium de honestate operis. Maximè autem in casu nostro non peccat, quia homo ille ita dispositus est, ut alterutrum ex contradictoriis pro imperio voluntatis prudenter judicare possit, si à comparatione illa abstineat, ut potest, si velit. Similiter ad illud quod habet de dubio in casu paris probabilitatis directæ, antea responsum est.

Alia argumenta invalida.

106. Quartò. Argumentum illud: *Quod hoc sit jure naturæ vetitum, non probat illud omnibus patere:* nec facit ad rem, nec locum habet in præsenti casu. Non facit ad rem, quia nec dictis in argumento, nec illatis ex illo opponitur: non enim dixi in argumento, quod omne jure naturæ prohibitum necessariò omnibus pateret; sed solum quod non lateret omnes, cui certè dictum hujus Theologi non opponitur. Ergo nil facit ad solutionem argumenti. Sed neque locum habet in casu præsenti, quia loquimur non de quovis objecto jure naturæ prohibito, sed de peculiari objecto, quod, si existeret, ob peculiares rationes, magis se prodere deberet, quàm multa alia. Similiter loquimur de objecto ab omnibus considerato, in quo tamen nemo ferme rationem rei præceptæ agnovit, sed omnes ferme illud ut certissimè honestum proposuerunt. At de tali objecto rectè infertur, quod si fuisset prohibitum, non omnes latuisset, immò manifesta præsumptio est, quod veritas præcepti non potuisset non certò innotescere aliquibus, aut tam efficaciter probari, ut oppositum non mansisset probabile. Jam si verum sit, quod Theologus in initio replicæ dixit, nempè conclusiones remotas, etiam in materia juris naturalis, non nisi maximè sapientibus innotescere, tamen non est verum, quod illis solum probabiliter innotescant; nam vel certò sciuntur ab illis, vel tanta apparentia innotescunt, ut oppositum non sit probabile: & hoc indicat S. Thomas loco citato; dicit enim tales conclusiones non cuilibet, sed solis sapientibus esse *manifestas:* quæ loquutio evidentiam indicat, aut certè summam probabilitatem, ita ut oppositum non sit probabile. Undè si rei inhonestas hoc modo nemini innotescat, sed oppositum omnibus, aut certè longè plurimis videatur; præsumendum est, rem illam esse jure naturæ non prohibitam.

Antiqui Theologi reipsa nobiscum senserunt.

107. Quintò demum falsum est, quod dicit, antiquos Theologos agnovisse obligationem sectandi tutiora, quando pars minus tuta illis apparebat minus probabilis; nemo enim hoc dixit nisi in eodem sensu, in quo nos idipsum docemus: non enim licet quidquam agere, de cujus honestate bona fides, & absolutum judicium non formatur. Ergo qui omnibus inspectis tendit in partem minus tutam, ut in minus probabilem parte tutiore, illicitè ponit illam, quia operatio illa non est ex fide. Ergò peccatum est. Cæterùm antiqui omnes in eo unanimiter conveniunt, quod qui bona fide sequitur judicium certò probabile de honestate sui operis, excusetur, & benè agat; ac proinde ex eorum principiis evidenter sequitur, omnes, qui bona fide amplectuntur benignam sententiam, & ita eam sequuntur sicut illa præscribit, excusari à peccato, & benè operari. Et ad hoc tantùm demonstrandum eos citavi. Cæterùm verissimum est, neminem illorum docuisse opinionem hujus Theologi, quia nemo mentionem fecit de quæstione præsenti in propriis terminis, sub quibus universaliter proponitur. Quando enim opinio minus tuta, directè considerata, est, & apparet minus probabilis parte tutiore, quæritur utrum dentur motiva reflexa, ob quæ intellectus meritò ac prudenter concludere possit, rem illam, omnibus inspectis, esse licitam. De hoc nemo illorum in genere quæstionem movit. Ergò nemo illorum potuit oppositum docere. Præterea certum est, eos in multis casibus particularibus, ob motiva reflexa, docuisse ea esse licita, quæ directè loquendo non erant probabiliora. Sic dixerunt, possessorem bonæ fidei in pari causa posse rem possessam sibi retinere, subditum in dubio debere obedire, nec dubium quin in aliis etiam casibus ex argumentis reflexis sæpè quæstionem solverint.

108. Ita,

Medina non fuit primus auctor benignæ sententiæ.

108. Itaque Medina sub una abstractione consideravit omnia directè minus probabilia practicè, quæ antiqui sparsim tantum & divisim sub diversis capitibus proposuerant, & quæstionem instituit, an omnia illa ex vi argumentorum reflexorum sufficienter probentur esse licita. Respondit affirmativè, eumque omnes omnino Auctores per integrum ferme sæculum absque ulla dissensione sequuti sunt, si loquamur de practicè probabilibus. Ex quo duo inferuntur. Primum, Medinam non invenisse novam doctrinam, unanimi antiquorum opinioni contrariam, alioquin à coætaneis & sequentibus hoc nomine impugnatus fuisset. Itaque omnes ejus coætanei, & ipse quoque optimè sciebant, illum nil novi docere, sed ea solum sub una generali abstractione proponere & probare, quæ antiqui diversis in locis sub diversis titulis proposuerant, & docuerant. Alterum est, Theologum istum apertè in eo errare, quòd contendat, non omnes Auctores, qui pro benigna sententia citantur docuisse nostram sententiam, sed complures eorum solùm tenere quod ipse docet, nempè licitum esse sequi minus probabilia, & quæ talia reputantur, modò ea ipsi operanti videantur probabiliora. Inprimis ex hoc ipso, quod hoc loco dicit, erroris convincitur, quia fatetur Medinam nobiscum sentire, idque notorium esse. At certum est, posteriores omnes citasse Medinam tamquam illum, cujus sententiæ accedebant. Ergò idem cum illo tenuerunt, alioquin stultè illum citassent pro sua sententia, seque cum illo sentire falsi fuissent. Præterea certum est, plurimos ex auctoribus nostræ sententiæ docuisse, licitum esse agere contra propriam opinionem, quæ utique apud illos probabilior est opposità. Ergo tenuerunt benignam sententiam in sensu à nobis asserto, non in sensu istius Theologi, qui aliud non docet, quàm cuicumque licitum esse sequi suam opinionem directam, si sit certò probabilis. Hoc autem idem est ac dicere, solùm licitum esse sequi opinionem probabiliorem, & qui probabiliorum tantum usum admittunt, hoc modo loquuntur. Ergò qui dicunt usum minus probabilium esse licitum aliud dicunt, nempè licitum esse sequi usum opinionis, quæ directè minus probabilis habetur. Et sanè ex Auctorum lectione manifestum est, hunc esse sensum illorum, nec quisquam præter hunc Theologum de hoc dubitavit. Præterea id ipsum ex hoc convincitur, quod ad thesim probandam utantur argumentis reflexis, quæ supponunt opinionem directam reputari minus probabilem. Ergò loquuntur de opinione, quæ directè apparet & supponitur apparere minus probabilis operanti. Sed quid? vellet Theologus iste non habere tot adversarios, quot inevitabiliter habere debet quicumque benignam sententiam impugnat; sed, velit, nolit, hos omnes, id est, omnes ferme totius mundi Doctores, sibi contrarios habet. Stat ergo, & Auctores hujus sæculi expresè tenere benignam sententiam, & antiquos à me citatos illi evidentissimè favere; neutros huic Theologo consentire, quatenus negat opinionem directè minus probabilem esse regulam objectivam, seu fundare discursum reflexum, per quem intellectus, omnibus pensatis, concludit, usum illius esse absolutè licitum.

Qui citantur pro nostra sententia, verè eã tradiderunt.

RATIO NONA.

109. Celebre est illud effatum apud Jurisperitos: *in dubio melior est conditio possidentis:* ex quo, apud omnes ferme quasi certum est, quod saltem in materia justitiæ liceat possessori sequi opinionem minus tutam, remque possessam absque peccandi periculo sibi retinere, quamvis dubius sit an illa ad alium pertineat; quod verum est, sive dubium sit purè negativum, seu positivum, ob rationes utrimque ex æquo faventes. Hinc sic universaliter arguo: Nil invenitur, quod excuset possessorem in casu paris probabilitatis, præter titulum possessionis junctum probabilitati sibi faventi. At hæc omnia æqualiter inveniuntur in omni alia materia, ad quam titulus possessionis extenditur, aut quæ possessionis titulum non destruit. Certum autem est, quod titulus possessionis ad alia extendatur, quàm quæ præcisè spectant ad justitiam. Ergò hæc regula æquè valet in aliis materiis, ac in materia justitiæ, in quibus scilicet titulus possessionis æquè invenitur ac in materia justitiæ.

Titulus possessionis cõvincit usum minus probabiliũ esse licitum.

110. Hinc cum Esparza *de act. human. quæst. 23. art. 3.* sic discurro. Evidens est, voluntatem esse sui juris, cæterasque potentias ipsi naturaliter ita subjectas esse, ut omnia tam intra, quàm extra hominem naturali hominis dominio subjecta sint. Ratione hujus Dominii voluntas ex naturali suæ conditionis excellentia est in plenissima possessione libertatis circa ista omnia, nec ab ea deturbari debet, nisi pari evidentia constet, usum hujus dominii aliqua lege esse restrictum, quatenus aliquis actus, aut ipsius voluntatis, aut subjectarum potentiarum legitimè prohibetur; neque enim quisquam incertas juris certi exceptiones tenetur admittere. Porro omnes leges, tam naturales, quam positivæ, sunt limitationes quædam & exceptiones dominii ac juris, quod naturaliter competit homini circa omnia inferiora, tam intra, quam extra hominem. Ergò donec pari certitudine constet, legem aliquam, restringentem dominium naturale ejusque usum, existere, non tenetur homo talem legem admittere, quia in dubio, seu in pari causa, melior est conditio hominis suam libertatem ac dominium possidentis. Ecce regula illa juris: *In dubio melior est conditio possidentis;* non solùm ex æquo, sed cùm manifesto excessu potiorem locum tenet in libertate relatè ad omnem omnino materiam, quam habet in materia justitiæ, quando nullum certum jus ad illam rem præcessit.

Titulus hic ad omnem materiam extenditur.

111. Ex hoc ratio quarta efficacissimè confirmatur: ibi enim ostendimus, legem dubiam non obligare. Hoc autem multo magis valet, quando dubitans est in possessione suæ libertatis, quia *in dubio melior est conditio possidentis.* Hæ duæ rationes sigillatim sumptæ evincunt intentum, sed si manum jungant, & simul copulentur validissimè probant intentum. Hæc delibavi ex nona probatione, quam fusius prosecutus sum *quæst. 23. de conscientia prob. à num. 42.* ubi multa huc spectantia addita invenies. Ego Lectorem ad illa remitto, quia hactenus dicta ad præsens intentum hoc loco abundè sufficiunt, maximè cum Theologus ille hoc solum contra rationem istam proponat, se alibi latè ostensurum, istam juris regulam non habere locum nisi in materia justitiæ. Cæterùm nos quoque ex professo de hac materia latè acturi sumus contra Celladeum *quæst. 57.* in

Titulus possessionis, junctus legis dubio, convincit intentum.

qua veritas hæc contra adversarios validissimè confirmabitur.

Theologus iste tenetur sua argumenta nullitatis damnare.

112. Interim dissimulandum non est, Theologum istum propriam sententiam evertere, per hoc quod admittat, licitum esse sequi partem æquè aut minus probabilem, minusque tutam in materia justitiæ. Ratio est perspicua, quia omnia ipsius argumenta æquè urgent illum in hoc casu, ac nos in ullo alio. Inprimis quando jus alterius apparet possessori æquè aut magis probabile quàm jus proprium; possessor in primo casu necessariò dubitat an retineat alienum. At in dubio tutior pars est tenenda. In secundo casu potest prudenter judicare rem esse alterius, eamque debere restitui, & non potest prudenter judicare oppositum. Ergo æquè tenetur illam reddere, aut ex parte dividere, ac si absolutè crederet rem ad alium spectare, & se ad illam reddendam obligari. Quid hac in re determinatè responsurus sit Theologus iste ad sua argumenta, ut illa amoliatur, nescio. Sed scio, illum nil posse respondere, nisi quod eorum vim prorsùs enervat. Dicere enim debet, quamvis illa vera sint, si res ex rationibus tantum directis consideretur, nihilominus, non obstante pari aut majori illa probabilitate directâ, intellectus per principia indirecta, & rei, de qua litigatur, extrinseca, consurgere potest ad formandum judicium probabile & prudens, quo absolutè credat, retentionem rei possessæ esse licitam. Stante autem hoc judicio, excusatur possessor, si rem illam sibi retineat. Hoc responsum, quod sanè verissimum est, totum Theologi hujus conatum evertit. Jam enim habemus, dispositionem & apparentiam illam directam, atque potentiam directè prudenterque judicandi in favorem partis tutioris, & impotentiam directè prudenterque judicandi oppositum, non facere ad rem, nisi probetur quod nulla detur ratio indirecta aut reflexa, vi cujus conscientia prudenter, totâ illâ apparentiâ ac impotentiâ non obstante, formari possit. At hoc nec probavit, nec unquam probabiliter ostendet. Ergo frustrà ubique obtrudit illa argumenta, quibus ipsemet per principia indirecta respondere tenetur, & quæ nullam vim habent, nisi in defectu talium principiorum, quæ nunquam desunt. Totus ergo labor ipsius in eo poni debebat, ad ostendendum nullum dari principium indirectum, cui homines prudenter assentientes concludere possint, rem aliquam verè esse licitam, etsi directè sit solùm æquè aut minus probabilis, quàm pars tutior opposita. At hoc non urgetur, ut par erat, nec sufficienter probatur. Ergò rationes illæ frustra toties obstrusæ sunt, sicut easdem in posterum sæpius, sed frustra obtrudi conspiciemus.

RATIO DECIMA.

Operari secundū magis & minus probabile non differt specie.

113. CERTUM est, non omne periculum peccati materialis, etiam certò probabiliter apparentis, fundare obligationem abstinendi ab opere, in quo dictum periculum apparet, alioquin major probabilitas non excusaret, quam tamen certò novimus excusare, ut ex prima assertione constat. Hoc posito, sic arguo. Quæ solùm differunt secundùm magis & minus, non differunt specie. At operari secundùm opinionem probabilem in contradictione opinionis minus aut æquè probabilis magisque tutæ, & operari secundùm opinionem minus probabilem minusque tutam in contradictione probabilioris ac tutioris, solùm differunt secundùm magis & minus, quacumque tandem ratione considerentur. Ergò illi duo modi operandi non differunt specie. Sed certum est, quod sequi opinionem probabiliorem, etsi minus tutam, sit licitum. Ergò licitum quoque est sequi partem minus tutam, quando illa est æquè tantùm aut minus probabilis parte tutiore. Tota ergo diversitas est, quod in uno casu periculum peccati materialis sit paulo majus, quàm in alio, cùm in neutro sit periculum peccati formalis, quod certè ex æquo imminet, aut non imminet in utroque casu. Adde rarò constare, an opinio quæ probabilior apparet, sit reipsa probabilior; excessus autem apparentiæ, de quo non constat, nullius momenti est ad regulandam conscientiam. Ergò si probabilior apparentia veritatis excuset, utique omnis opinio certè probabilis excusabit, quia ratio excusationis non est incertus gradus probabilioritatis, sed gradus certæ probabilitatis, qui æquè reperitur in opinione minus probabili, ac in probabiliore. Ergò omnis opinio certò probabilis æquè excusat.

THEOLOGI REPLICA solvitur.

114. OBJICIT sic. Duo illi modi operandi differunt moraliter specie, præsertim quando opinio tutior est evidenter probabilior minus tutâ; tunc enim minus tuta non manet absolutè probabilis, respectu operantis in illis circumstantiis, quia jam fundamentum illius comparatum cum motivo alterius partis, hic & nunc est parvum in existimatione operantis: est autem evidens differentia ab uno casu ad alium. Nam quando pars minus tuta apparet operanti clarè ut probabilior, tunc ipsi prudenter assentiri potest intellectus, absoluteque judicare rem illam esse universaliter licitam, quod sufficit, ut homo possit honestè secundùm illam operari. At quando apparet minus, vel ad summum æquè probabilis, nequit illi assentiri, nec judicare rem esse licitam; qui autem exequitur rem cum dubio an sit licita, absque dubio peccat. Objectio Theologi.

Respondeo, eadem hîc obtrudi quæ antea soluta sunt. Inprimis si excessus probabilitatis sit tantus & tam evidens, ut oppositum non maneat certò probabile, non sumus in casu. Ergo sermo restringendus est ad excessum inevidenter apparentem. In eo autem casu argumentum procedit, sive loquamur de operante ex vi rationum directè, sive reflexè probantium. Si rationes directè probantes solùm considerentur, intellectus potest omittere comparationem illam, & considerare motiva utriusque partis, ut mutuo se excedentia secundùm quid, de quibus hoc solum statuit, quod utrumque sit certò probabile, ac dignum assensu in contradictione alterius, nescire autem se quodnam sit majus. Hoc stante, ex affectu ac imperio voluntatis flecti potest in assensum partis cujusvis, etiam illius, quæ hîc & nunc apparet minus probabilis, si illa comparatio, ut potuit, omissa fuisset; in hoc enim casu intellectus flecti potest ad prudenter assentiendum cuilibet parti, ut sæpè dictum est, & ex professo probatum *quæst. 9. & 10. de consc. prob.* nec audiendus est hic Theologus, qui oppositum dicit, sed non probat. Itaque qui hac ratione operantur modò secundo probabilius, modò æquè aut minus probabile, in omni consideratione ad summum differunt secundùm magis Solvitur objectio.

gis & minus, nec umbra est diversitatis specificæ, ne quidem in consideratione morali.

Vis argumenti nostri clariùs exponitur.

115. Verùm quia hic modus operandi est controversus, & ab adversariis negatur, & quia loquimur in sensu diviso illius actus comparativi, cùm tamen præcipua quæstio videatur institui in sensu composito ipsius; ideo argumentum hoc non tam proponitur de iis, qui ex principiis directis, quàm qui ex principiis solum reflexis conscientiam formant, sive sectentur opinionem directè probabiliorem, sive æquè aut minus probabilem. Jam in hoc casu perspicuum est, duos illos modos operandi solum differre secundùm magis & minus, quia supponimus, hominem utrobique ex motivis tantum indirectis formare absolutum judicium de honestate sui operis, idque ex motivis apud ipsum semper prævalentibus, quæ tamen paulò efficacius ostendunt usum probabiliorum, quàm æquè aut minus probabilium esse licitum: & sanè nullum argumentum reflexum probat, usum probabiliorum, quibus directè non assentimur, esse licitum, quod non sufficienter probet, usum æquè aut minus probabilium esse licitum, ut videre est ex argumentis reflexis, quæ attulimus, & ex afferendis etiam patebit. Ergò modi illi operandi non differunt specie. Ergò uterque est licitus. Et sanè ut argumentum hoc vim suam habeat, oportet considerare duos, quorum unus ex motivis reflexis format conscientiam, quod liceat sequi partem directè probabiliorem, non obstante certa probabilitate partis tutioris; alter verò ex principiis pariter reflexis formet conscientiam, qua dicat, licitam sibi esse partem minus tutam, directè minus probabilem, non obstante majore probabilitate directa apparente pro parte tutiore. Hi duo bona fide operantes contemplandi sunt: objectum, in quod unus fertur, comparandum est cum objecto, in quod alius fertur: bona fides utriusque consideranda, & motiva apud illos prævalentia, quibus moventur, comparanda. His autem inter se collatis, nulla apparere poterit diversitas specifica, sive physica, sive moralis, sed tota diversitas erit secundùm magis & minus. Ergò uterque benè operatur, si alter eorum sciatur benè operari. At alter scitur benè operari. Ergò uterque benè operatur. Hoc est argumentum, cui Theologus responsionem non dedit. Nec respondere potest, si ipse casum applicet ad duos possessores, bona fide retinentes res possessas, quorum alteri æquè probabile videtur, rem possessam ad alium pertinere, ac ad se; alteri verò rationes juris alieni videntur paulò fundatiores. Respondeat ipse argumento simili in hoc casu, si possit; si non possit, sciat se argumento à me proposito non respondisse, nec posse respondere, quia argumentum meum idem est, nec in alio differt, quàm quod in universali proponatur, cùm eadem prorsùs sit ratio in universali illa consideratione, ac in hac particulari.

RATIO UNDECIMA.

Magis & minus probabile, se habent ut magis & minus honestum.

116. NEMO tenetur ad honestius & perfectius amplectendum, sed sufficit si sequatur honestum & perfectum. Ergò nemo tenetur sequi opinionem probabiliorem, sed sufficit sequi æquè aut minus probabilem; quia sequi opinionem probabiliorem, & sequi opinionem æquè aut minus probabilem in contradictione opinionis tutioris certò probabilis, se habent ut excedens & excessum, ut magis & minùs bonum in eodem genere. At certum est, quod liceat sequi probabiliorem contra tutiorem minus probabilem. Ergò licet etiam sequi minus tutam certò probabilem, contra tutiorem æquè aut magis probabilem, cùm uterque modus procedendi sit in eodem ordine, qui aliam comparationem non admittit, quàm minus honesti ad magis honestum.

Confirmatur: si daretur obligatio sectandi probabiliora, id esset, vel quia essent tutiora, vel rationabiliora; neque enim alia ratio excogitari potest. Non quia tutiora, quia nemo tenetur ad tutiora, ut ex S. Antonino, Majore, Landulpho, aliisque omnibus tam antiquis quàm modernis ostendi *quæst. 22. de conscientia probabili.* Præterea si teneremur ad tutiora, non liceret sequi probabiliora, quando sunt minus tuta. At hoc est falsum, ergò, &c. Non quia rationabiliora, quia ad vitandum peccatum, sufficit sequi quod rationabiliter & prudenter creditur bonum. Ergò ad non peccandum sufficit, si bona fide sequamur certò probabilia, quod verum est, quamvis sint minus probabilia, quia illa adhuc sub tali consideratione sunt verè rationabilia, ac certò prudentia, sicut sunt certò probabilia.

Ratio hæc in directa consideratione valida est, sed in reflexa prorsùs efficax.

117. Hæc ratio, sicut & superior, intelligi debet de actibus intellectûs & voluntatis, quos habent duo homines, quorum alter bona fide sequitur minus probabile contra tutius ac probabilius, alter verò bona fide sequitur partem probabiliorem, contra rationem certò probabilem. Dicimus enim dispositionem illorum hominum, atque objecta illis proposita, non differre nisi secundùm magis & minus, & secundùm honestius, & minus honestum. Et sanè licet hæc duo argumenta non clarè evincant intentum, si ad sola argumenta directè probantia respiciamus, quia in hac hypothesi non est certum, quod intellectus flecti possit in assensum partis minus probabilis; nihilominus etiam in hoc sensu probabilissimè concludunt, quia probabilissimum est, quod intellectus in talem assensum prudenter flecti possit: hoc autem habito, consequentia eâdem probabilitate infertur, quâ minor asseritur. Verùm si dispositiones considerentur, per quas sectans partem probabiliorem excusatur ex vi rationum reflexè probantium, illæ rem convincunt, quia æquè conveniunt omni opinioni certò probabili, quales sunt: *Quod licitè doceatur in scholis, quod sit quæstio spectans ad jus naturæ, quod lex non sufficienter promulgata fuerit, quod lex dubia non obliget, quod in dubio melior sit conditio possidentis, &c.* Ex his enim intellectus consurgit ad formandum dictamen, quòd æquè liceat sequi minus ac magis probabilia. Itaque in omnibus istiusmodi casibus, eadem specie est dispositio intellectûs ac voluntatis in sectante probabiliora, & minus probabilia. Ergò tam certum est unum non peccare quàm alterum, quia quando actus intellectûs & voluntatis duorum sunt similes, & in eadem specie, repugnat unum eorum laudabiliter agere, & alterum peccare; effectus enim formales tam diversi nequeunt provenire à causis formalibus adeo similibus.

Ratio magis declaratur.

118. Ratio à priori horum omnium est, quia quocumque modo tutiora in præsenti comparatione sumantur, semper contrariatur illis argumentum certò probabile, quòd committatur peccatum materiale. Similiter quomodocumque minus tuta sumuntur, ex opposito datur motivum certò prudens existimandi, quod nulla in illis

lateat

lateat vel materialis transgressio. Jam quidquid diversitatis reperitur inter istos terminos solùm variatur secundùm magis & minus. Sic si spes non errandi sit paulò major in uno quàm in alio casu, ita hoc verum est, ut semper sit prudens fundamentum existimandi errorem in opere latêre. Similiter si timor errandi sit paulò major, adhuc datur spes certò prudens, quod nullus futurus sit error. Quis non videt his dispositiones esse similes, & differre solùm secundùm magis & minus in eodem ordine? Et hoc quidem locum habet, si objecta illa merè considerentur ut substantia motivis directis. At si sumantur prout substant motivis indirectis ac reflexis, major probabilitas semper favet honestati partis minus tutæ, & sic diversitas inter illa objecta, atque inter actus intellectûs & voluntatis, quibus operantes feruntur in illa, est minor, quàm in casu solius directæ considerationis. Immò in casu reflexæ considerationis actus talium operantium sunt prorsùs similes. Ergò cùm constet unam existis dispositionibus fundare honestatem, ritè infertur eandem vim alteri quoque convenire.

REPLICA THEOLOGI solvitur.

Objectio Theologi. 119. OBJICIT sic. Dispositiones taliter operantium, non se habent solùm ut excedens & excessum, seu ut magis & minus bonum in eodem genere, sed comparantur ut honestum & peccatum; quia quando opinio, favens libertati, est operanti probabilior, & clarè verisimilior opinione tutiore contraria, tunc intellectus unicè potest judicare rem esse licitam; & hoc judicium est prudens. Non potest autem peccare contra legem is, qui operatur ex vi judicii prudentis dictantis legem non existere, & in iis circumstantiis, in quibus non potuit judicare legem illam existere. At quando opinio, favens libertati, est clarè minus verisimilis, quàm sententia tutior opposita; è contrario se res habet, quia intellectus unicè judicare potest rem illam esse licitam, idque judicio prudenti; & in casu paris probabilitatis, neutrum judicare potest, sed necessariò manet dubius. In utroque autem isto casu peccat, qui sequitur partem minus tutam. Ergò magna & notabilis valdè est dissimilitudo inter dispositiones horum operantium. Quod si omnia essent paria vel similia, & operans in utroque casu supponeretur præstitisse assensum prudentem opinioni minus tutæ, tunc utrobique operaretur rectè, sive opinio illa reipsa esset magis vel minus probabilis, quia operanti repræsentaretur ut probabilior, quod ad licitè operandum sufficit.

Solvitur objectio. 120. Respondeo, ultimam partem responsionis admittere totum, quod in præcedenti & in hoc argumento continetur. Loquimur enim ex suppositione, quòd uterque bona fide, & ex probabili judicio de honestate rei operetur; & tunc reflexè consideramus objecta proposita, & dispositiones operantium, quæ quia videmus esse prorsùs similia, & differre ad summum secundùm magis & minus, ideo dicimus, utrumque, vel neutrum excusari. Porro quia scimus unum non peccare, sed rectè facere, idem de altero legitimè inferimus.

Cæterum ad contenta in objectione jam sæpè responsum est. Inprimis Theologus loquitur de dispositione tantùm directa utriusque, cùm argumentum potissimè procedat de dispositione reflexâ. Secundò, quod dicit de dispositione directa non est verum in casu quæstionis, quia loquitur de evidenti excessu verisimilitudinis in una parte, quæ tollit certam probabilitatem à parte opposita. Ergo sumus extra statum quæstionis. Quod si loquamur de apparenti, sed inevidenti excessu probabilitatis, illa apparentia deponi potest, & intellectus prudenter flecti in assensum partis antea minus probabilis, in quo casu absurda quæ objicit, locum non habent, sed è contrario dispositio utriusque operantis est similis, & una differt ab alia secundùm magis & minus in eodem ordine, & consequenter uterque ex æquo benè agit. Itaque responsio ex præcipua parte non tangit, & ex nulla solvit argumentum.

RATIO DUODECIMA.

121. OMNIS subditus, maximè Religiosus, licitè obedit Prælato in omnibus, quæ sunt certò probabiliter honesta, quod verum est, etsi probabilius subdito appareat, quod res præcepta sit materialiter illicita. Hæc est Theologorum omnium, tam recentiorum, quàm antiquorum opinio, quæ etiam à SS. PP. à Mysticæ Theologiæ magistris, vitæque spiritualis ducibus unanimiter traditur. *Vide quæst. 23. de consc. prob. à num.* 79. ubi plures istorum citatos habes, totumque argumentum latè deductum, ex quo hic pauca tantùm afferam, quia infra *quæst.* 46. ex professo de hac materiâ agendum erit. Interim tam Theologi, quàm vitæ spiritualis magistri hanc doctrinam extendunt ad casum meræ ordinationis, absque præcepto obligante in conscientia. Undè sic arguo. Jubeat, vel ordinet id superior, quod subdito religioso, utpote viro docto, probabilius apparet esse illicitum quàm permissum. Peto an subditus ille superiori, talia præcipienti, licitè obedire possit? si neges, omnes uno ore te condemnant. Si concedas, habeo intentum; quia licet subdito sequi partem minus tutam, etsi illa ipsi appareat directè minus probabilis. Ergò benigna sententia locum habet in materia obedientiæ, quia subditus juxta eam licitè obedit. Nec solùm licitè obedit per conformationem voluntatis, sed prudenter flectit intellectum ad idem cum suo superiore sentiendum, propriumque judicium laudabiliter abnegat. Hic est, hic fuit sensus, atque consensus totius Ecclesiæ; hæc omnium sæculorum praxis à viris sanctissimis usitata, omnibusque commendata, tamquam ad perfectionem obedientiæ acquirendam utilis & necessaria. *Subditus licitè obedit superiori præcipienti minus probabilia.*

122. Hæc doctrina ad omnes pias animas extenditur, quæ suo judicio diffisæ, perito & probo Confessario se gubernandas tradunt, sine dubio enim illi obedire possunt, quoties injungit certò probabiliter licita. At omnes omnino homines hoc modo respiciunt aliquem ut superiorem. Ergò omnes homines licitè sequuntur opinionem ipsis directè minus probabilem, quoties consilium aut ordinatio pii ac periti Confessarii illi adjungitur. Ergò usus benignæ sententiæ est licitus omnibus, qui sibi diffisi alienæ prudentiæ se gubernandos tradunt. Et sanè nisi liceret obedire in eo, quod subdito minus probabile apparet, obedientiæ ordo everteretur, totaque respublica turbaretur. Si enim subditus dicat, rem præceptam, sibi videri probabiliùs inhonestam, quid faciet superior? Certè munus superioris esset prorsùs intolerandum, nec homines *Confessori docti probabilia esse honesta licitè obeditur.*

mines humano modo gubernari possent. Vide plura de hac re locis citatis.

THEOLOGI REPLICA.

Replica Theologi.

123. RESPONDET Theologus iste, honestatem rei, accedente Prælati præcepto, repræsentari subdito, ut verisimiliorem. Immò quamvis subditus judicaret peccatum esse v. g. laborare in die festo, deberet judicium suspendere, & sequi judicium sui superioris, juxta regulam certissimam, quòd subditus superiori obedire teneatur in omnibus, in quibus peccatum non cernitur manifestè. Tales autem sunt res omnes, de quibus est controversia inter Doctores, an sint licitæ, vel illicitæ.

Præceptum superioris non reddit rem solum indirectè probabiliorem.

124. Hæc responsio maxima ex parte est vera, ideoque valde laudo Theologum hunc, quòd rectissimè de obedientiâ superioribus debitâ sentiat. Verùm hæc ejus doctrina totum negotium conficit. Inprimis ex illa habemus, accessionem præcepti reddere rem præceptam verisimiliorem; hoc tamen non est verum de directa rei consideratione; non enim præceptum superioris minus docti efficere potest, ut subdito probabiliùs appareat, exercitium pingendi non esse opus servile, cui antecedenter ad præceptum probabilius apparebat esse opus servile. Sicut enim contraria superioris opinio & auctoritas illum non movebat ante præceptum ipsi impositum, sic nec potest eum movere, accedente præcepto, quia præceptum nec naturam rei immutat, nec auget auctoritatem superioris, aut ullum argumentum infert ad præsumendum, quod ideo rectius sentiat, quia juxta suam opinionem præcipit. Itaque si Theologus iste intendat, præceptum superioris universaliter reddere directam rei veritatem verisimiliorem subdito, procul dubio errat, quia manifestum est præceptum nullam ad hanc apparentiam mutandam vim habere. Itaque accessio præcepti in tantum reddit honestatem rei subdito verisimiliorem, in quantum est nova circumstantia extrinseca & indirecta, cui res illa jam substat. Honestas autem rei illius, ut tali circumstantiæ substantis, non solùm repræsentatur ut verisimilior, sed absolutè certò cognoscitur esse vera. Itaque jam admittit modum formandi conscientiam, quem nos exponimus, scilicet per principia reflexa, indirecta, & rei extrinseca, quorum efficaciæ major verisimilitudo directa de inhonestate rei non obstat. At talia principia adsunt in omni casu opinionis certò probabilis, quamvis sit, & habeatur directè minus probabilis, ut ostensum est.

Obediendū est etsi rei præceptæ inhonestas appareat probabilior.

125. Et sanè peto ab hoc Theologo, an subditus teneatur obedire, etsi opus præceptum in die festo verisimilius illi appareat esse servile? Si concedat, ergò jam, illo judicio, omnibusque, quæ putat cum illo connecti, non obstantibus, intellectus per principia indirecta & reflexa formare potest prudens judicium, quod positio talis objecti hîc & nunc sit licita. Si neget, non solùm omnes sibi contrarios sentiet, sed ipsemet sibi contradicet, quia per illum subditus tenetur obedire in omnibus, in quibus manifestè non cernitur peccatum. Hanc enim dicit esse regulam certissimam. Sed per majorem verisimilitudinem directam inhonestatis, contra certò probabilem apparentiam directam honestatis in aliquo opere, peccatum in illo non cernitur manifestè. Ergò subditus, majori illa verisimilitudine directa non obstante, & potest & debet obedire, & credere potest obedientiam esse licitam ac necessariam.

Theologus impugnatur ad hominem.

126. Habemus secundò, subditum, nullo novo argumento ullius momenti instructum, sæpè posse ac debere proprium judicium deponere & obedire. Ergò similiter deponere possumus judicium comparativum de excessu probabilitatis pro parte tutiore, quia utrumque supponitur esse obscurum. Illo autem suspenso intellectus non solùm ex vi argumentorum reflexorum, sed etiam ex vi rationum directè probantium flecti potest ad credendum & præsumendum, opus illud esse licitum, ut supra sæpè notatum est contra hunc Theologum, qui confundit sensum compositum talis judicii comparativi cum sensu diviso ejusdem.

Omne probabiliter honestum, certò honestatur per præceptum vel ordinationem superioris.

127. Ex his sequitur, omne certò probabiliter honestum, etiamsi appareat subdito minus probabile, esse objectum, quod non solùm per præceptum expressum, sed etiam per ordinationem superioris, atque per consilium & ordinationem prudentis confessarii, evadit certò honestum, quod solùm intendimus probare per hoc argumentum. Verùm ex hoc ulterius sequitur, quod tale objectum secundùm se sub ea notione acceptum, & reflexè consideratum, sit saltem probabiliter licitum, alioquin non esset materia præcepti, ordinationis, aut consilii. Neque enim obedire debeo præcipienti, aut consulenti rem, quæ rectè intellecta & benè penetrata, ita est probabiliter illicita, ut ejus honestas non sit probabilis. Talia enim sicut temerè ordinantur, ita temerè implentur. At usus minus probabilium, & consuli & præcipi, atque etiam impleri possunt absque temeritate. Ergò quicumque ex hoc ipso motivo probabili reflexo absolutè credit, usum talium esse licitum, licitè reducit talem usum ad praxim, quod probare intendimus. Ergò habemus intentum, quia neminem excusamus per benignam sententiam, nisi qui ex motivo probabili, saltem indirecto, absolutè credit illam esse veram. Ecce objectum directè minus probabile non solùm ut substans præcepto evadit licitum, verùm etiam cognoscitur esse licitum secundùm se, quia nisi esset probabiliter saltem honestum, non esset materia obedientiæ, ut dictum, &c. At hæc probabilitas, etiam in principiis hujus Theologi, iis omnibus sufficit, qui illâ moti prudenti judicio existimant, usum talem esse licitum. Vide plura huc spectantia *quæst. illa* 23. *loc. citato.*

RATIO DECIMA-TERTIA.

Onus legis esset intolerabile. Si usus probabilium non esset licitus.

128. SI certa probabilitas practica non esset tuta conscientiæ regula, sed Deus præciperet hominibus, ne alias quàm certas sententias pro suæ conscientiæ directione admitterent, per hoc ipsum onus legis servandæ gravissimum evaderet, quia in rebus moralibus, quarum usus semper obvius est & necessarius, paucæ sunt sententiæ certæ, in reliquis utraque pars contradictionis plerumque est probabilis. Ergo homo in omnibus ferme peccandi periculo exponeretur, nisi semper sectaretur partem tutiorem. At semper obligari ad partem tutiorem est onus intolerabile, & ultra vires fragilitatis humanæ, uti pluribus ostensum est *quæst.* 19. 20. *&* 21. *de consc. prob.* & hîc probabitur *quæst.* 9. Ergo nulla datur ejusmodi obligatio, alioquin lex Dei non esset *onus leve & jugum suave.* Ergo licitum est sectari minus tuta, si sint certò probabilia.

129. Idem

Idem dicendum si minus probabilia non sufficerent.

129. Idem inconveniens sequeretur, si minor probabilitas directa ad conscientiam regulandam non sufficeret, sed in omnibus teneremur vel partem tutiorem, vel directè probabiliorem amplecti. Hoc enim esset onus intolerabile; tum quia difficillimum est discernere, quænam opinio sit probabilior; tum quia id ipsum indagare plurimis est impossibile, & ipsis Doctoribus adeo difficile, ut sæpè, nisi post longam considerationem, de hoc judicium ferre non possint. Quocirca ipsi Doctores, donec omnes opiniones examinassent, in omnibus tenerentur sequi partem tutiorem. Alii autem omnes, qui de majori & minori probabilitate judicium ferre non possent, in omnibus tutiora sectari tenerentur. At hoc est onus intolerabile.

Intolerabilitatem hujus oneris, exemplis adductis, optimè urget Esparza *quæst. 23. de act. hum. art. 9* Inprimis in adversariorũ sententiâ, unusquisque statim post peccatum commissum teneretur sub mortali vel ad contritionem perfectam eliciendam, vel ad Sacramentalem Confessionem; singulisque vicibus, quibus peccati remedium differet, de novo peccaret. Rursus singulis diebus festis teneretur dolorem de peccatis excitare. Circumstantia peccati die festo commissi explicanda esset in Confessione, quibus alia innumera in quavis Summa inveniri possunt, quia in omni ejusmodi opinione, pars altera tutior est. Uno verbo quicumque legeret Summam aliquam, teneretur ad omnes opiniones strictiores, nisi posset discernere probabiliora à minus probabilibus. At plerique inepti sunt ad hoc discernendum. Præterea cùm difficile sit majorem probabilitatem discernere, aditus scrupulis in ea discernenda pateret, adeoque aut omnes aut plerique tenerentur ad partem tutiorem in omnibus sectandam; quod est onus intolerabile, maximè pro communitate.

Lex vetans usum minus probabilium esset nociva.

130. Hinc sic arguo. Lex obligans ad tutiora; aut certè ad probabiliora, ob nimiam difficultatem eam observandi, morali quadam necessitate incredibilem peccatorum copiam secum adduceret, quæ tamen facilè vitaretur, si quævis probabilitas ad conscientiam formandam sufficeret. Vitaretur, inquam, idque absque alio inconvenienti, quàm quod aliquando poneretur opus, quod fortè esset transgressio materialis, si sumeretur prout substat circumstantiis per se connexis cum tali objecto; certissimum enim est quòd sæpè nulla esset, ne quidem materialis transgressio. At talis lex esset nociva, quia plus incommodi secum ferret, quàm commodi; nam si lata non esset, parum inde mali sequeretur in republica, in qua innumera peccata ex morali necessitate provenirent, si talis lex verè daretur. Præterea sic insto. Finis omnis legis est vitare mala, alioquin oritura, per quæ ordo naturæ rationalis turbaretur. At lex istiusmodi non conduceret ad hunc finem, sed mala multiplicaret; ergò sibi ipsi repugnaret. Ergo Deus talem legem non tulit. Ergo quævis probabilitas ad conscientiæ securitatem sufficit.

REPLICA THEOLOGI solvitur.

Replica Theologi.

131. OBIICIT, seu potius reponit, primam partem objectionis non premere ipsum, sed eos solos qui ad licitè operandum requirunt certitudinem de honestate operis. Ad secundam objectionis partem negat, se obligare homines ad inquirendum, quæ pars sit probabilior, sed duntaxat imponere obligationem, quam omnes admittunt, nempè debitam diligentiam adhibendi, ut sciatur an res sit prohibita. Jam si, facta hac diligentia, appareat ipsi verisimilius, quòd res sit prohibita, non potest eam licitè ponere. Hoc autem non est onus intolerabile. Jam verò unusquisque facilè experitur, quænam ex sententiis oppositis magis illum pertrahit ad assensum. Illa autem est probabilior, quæ fortius movet ad assensum.

132. Respondeo, objectionem per ista non solvi. Inprimis si vera sit ejus opinio, omnes, qui ad suam, & aliorum directionem antea contenti erant opinione certò probabili, absque eò quòd curarent an esset probabilior nec ne, tenerentur cursum mutare, & nullam opinionem pro regula assumere, nisi, re iterum examinatâ, illa ipsis probabilior appareret. At innumeri animarum Pastores, & alii, qui Summas casuum legunt, non sunt idonei ad hoc discernendum. Ergò Theologus iste, una hac sua assertione, majori mundi parti imponit necessitatem in omnibus tutiora sectandi, quod est, ipso etiam fatente, onus intolerabile. — Replicâ nõ solvit argumentum.

133. Deinde si aliqui peritiores, assueti ad usum benignæ sententiæ, hujus Theologi opinioni subscriberent, eo ipso ad omnes strictiores sententias tenerentur; donec post diligens examen invenirent eas esse probabiliores oppositis. At hoc, si, ut oportet, seriò fiat (voluntaria enim & sine diligenti discussione opinionis etiam certò probabilis electio per istum Theologum non sufficit, alioquin in nostram sententiam incideret) est ipsis peritis difficile, & materia innumeris scrupulis exposita; quia cùm rationes sint dissimiles, & consequenter sese mutuo excedant secundùm quid, nec eorum excessus sit evidens, non potest non esse arduum scire, quænam meritò censeri possit probabilior. Præterea determinatio diligentiæ sufficientis esset ardua, & timoratis etiam peritioribus ingens anxietatis materia. Ergò hæc opinio non solùm in imperitos, sed etiam in peritos onus intolerabile imponit; imperitis quidem necessitatem sectandi omnia tutiora; peritis verò, & iis, qui illorum autoritate gubernantur; necessitatem sectandi omnia tutiora, donec ipsi per diligens studium determinaverint; quæ opinio meritò censeatur probabilior, & simpliciter vera. — Opinio hujus Theologi onus importabile omnibus imponit.

134. Tertiò ex eadem opinione sequitur, neminem posse seriò Ethicæ studere, quin per hoc ipsum deterioris conditionis evadat, quia ad omnia tutiora graviter obligabitur, modò illi appareant verisimiliora; necesse autem est ut plurima ita illi appareant. Ergò onus gravissimum sibi imponeret, qui Ethicæ studeret, quo liber fuisset, si aliorum mitiùs opinantium directioni se commisisset. At hoc est absurdum, finis enim Ethicæ est, ut homo facilius onus habeat, quia ignorantia multa secum onera fert, quæ per Ethicæ disciplinam evacuantur. — Studium Ethicæ noceret, si verum diceret.

135. Quartò, omnis conatus diligentissimorum Summistarum evaderet inutilis & noxius pro fine, ad quem ordinatur. Eò enim collimat, ut Pastores, aliique minus periti, qui de rebus & argumentis rectè judicare non possunt, habeant ad manum regulam, quam sequantur, & per quam alios dirigant. At ad hunc finem non serviret, quia minus periti non possunt judicare, quænam opinio sit aut meritò habeatur probabilior. Ergò tales libri nil utilitatis ad Pastorum instru- — Labor Summistarum esset inutilis & noxius in ejus opinione.

instructionem, & regimen animarum præberent, quia in omnibus tutiora tenenda essent, nec solum utilitate carerent, sed etiam nocumento essent, tum quia facerent hujusmodi homines dubitare de multis, de quorum honestate antea ex aliorum auctoritate prudentem credulitatem formaverant; eo ipso enim quod legerent aliquid, quod licitum putabatur, esse illicitum, aut non esse probabilius opposito, in dubium & perplexitatem inducerentur. Ergò tales libri onus gravarent, & multum nocerent.

Animarum regimen administrari nō posset.

136. Quintò, hinc etiam sequeretur, quod animarum regimen & officium Pastorum congruè administrari non posset: evidens enim est, omnes Paræcias non posse administrari per peritos Theologos, sed partem longè majorem iis committi debere, qui de rebus ipsis, atque opinionum fundamentis rectè judicare non possunt. Ergò illis non liceret ullam casuum summam adhibere, sed in omnibus & ipsi ad tutiora tenerentur, & subditi ad eadem adigerentur, quo nil perniciosius communitati accidere potest. Nam quamvis optimum esset omnes meliora ac tutiora sectari, tamen ad hoc omnes obligari esset pessimum, & innumerorum peccatorum causa existeret. Itaque tales homines omni medio ad officium suum etiam mediocriter præstandum carerent. Ergò munus illud à plurimis non posset rectè ministrari. Quod inconveniens tantum est, ut opinio hujus Theologi, si aliud non afferret, hoc ipso nomine esset rejicienda, & falsissima reputanda.

Propria cujusque existimatio esset regula cōscientiæ.

137. Sextò demum, ex illa sequeretur, propriam tandem cujusque persuasionem & apparentiam esse regulam objectivam, quam quisque sequi deberet. Nemo enim alieno judicio fidere posset, nisi illud ipse per suum judicium ut rationabilius, ac probabilius proponeret. Ergò tandem proprium cujusque judicium in se existens, & reflexè cognitum, esset regula objectiva, per quam conscientia formari deberet, cùm sine illo licitè formari non posset. At sequela est absurdissima: nemo enim proprium cujusque judicium pro regula objectiva Dei legem sufficienter indicante hactenus proposuit, sed omnes aliam regulam objectivam assignarunt. Nec mirum, quia nil tam fallax ac variabile quàm propriũ cujusque judicium de rebus difficilibus ac incertis. Homines enim passionibus ac affectionibus sæpissimè incitantur ad assensum, quem rationabilis apparentia veritatis sine indebita passione nunquam induxisset. Deinde ponitur regula prorsùs inepta ad regulandum, quia homo vix unquam certò scire posset, se regulam debitam adhibere; non enim quodvis judicium proprium, etiam temerè conceptum, sufficit, sed judicium maturum post debitam diligentiam sine passione indebitè excæcante & propellente elicitum. At nemo, vel fere nemo scire potest suum judicium has conditiones habere. Ergò regula inutilis proponitur. Præterea hæc regula admissa ingentem confusionem in rempublicam, immò in quodvis collegium ac domum induceret, quia tot essent regulæ diversæ, quot capita; unusquisque enim sequi deberet, quod ipsi verisimilius apparet. Et unus contenderet tale opus esse omnibus licitum, atque illud ut tale in praxim reduceret. Alter, cui oppositum verisimilius appareret, illud aversari deberet, nec alteri accommodare se posset. Unde ingens confusio, ac animorum dissensio in œconomiam omnem necessariò induceretur, maximè cùm multi præsidentes, sibique nimium adulantes, omnia ferme justâ prætensione mutarent, atque ita vel ab aliorum moribus turbulenter se subducerent, aut peccaminosè cum illis communicarent. Nec dicas, homines privatos, etiam doctos, posse ac debere in multis sibi non fidere, sed quando contra gravissimos auctores opinantur, posse suam opinionem suspendere, ac præsumere oppositam esse rationabiliorem, quia jam novam regulam non explicatam inducis, nec unquam explicari poterit, quando quis aut possit, aut debeat suam opinionem explodere, & alteri adhærere. Præterea si hoc in ullo casu sit licitum ac necessarium, illud utique locum habet in opinione peculiari istius Theologi, quia nemo habere potest majorem rationem diffidendi sibi, & aliis credendi, quàm iste, qui contra innumeros sapientissimos, immò contra omnes ferme Ecclesiæ Doctores insurgit, novamque opinionem pro regulanda omnium conscientia proponit. Hæc aliaque ejusmodi incommoda, debilitati fundamentorum hujus auctoris (qui etiam propria argumenta solvere debet) adjuncta, unà cum insufficienti prorsùs solutione rationum benignæ sententiæ faventium, non solùm suadent, regulam hanc esse prorsùs insufficientem, sed eam sine fundamento congruo propositam, reipublicæ noxiam, &, quatenus benignæ sententiæ opponitur, falsam esse efficacissimè persuadent.

Regula hujus Theologi ingentem confusionem induceret.

RATIO DECIMA-QUARTA.

138. EVIDENS est, invincibilem ignorantiam legis divinæ in omni materia à peccato excusare. At omnis certa probabilitas de non prohibitione objecti, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contraria, necessariò connectitur cum ignorantia invincibili legis divinæ prohibentis tale objectum. Ergò quævis certa probabilitas excusat à peccato, & ad securitatem conscientiæ sufficit. Major apud omnes rectè sentientes certissima est. Minor mihi certa videtur. Sumo enim ullam materiam moralem, de qua Theologi post longam disputationem, & studium diuturnum variant: his affirmantibus, illis negantibus, rem illam esse licitam, sed omnibus fatentibus certò probabile esse, quòd non sit prohibita. In hoc casu assero homines de tali lege ignorantiam invincibilem habere. Nonne illa ignorantia invincibilis est, quæ post dubium tot annorum, totque ingeniorum desudantium acutissimas investigationes vinci non potuit? Stultum enim est existimare, illam solam ignorantiam esse invincibilem, quæ à totali alicujus objecti incogitantia procedit; illa enim est materialis, & mortua, ut ita dicam, ignorantia, quæ merè per accidens est invincibilis. At illa, quæ, post propositionem objecti, per diligens studium, immò per totam naturæ humanæ industriam superari & vinci non potest, illa enimvero est ignorantia formaliter & per se invincibilis. Talis est ignorantia legis divinæ, contra cujus existentiam motiva certò probabilia militant. Ergò in omni materia apud Theologos discussâ, & propter argumenta hinc inde probabilia adhuc dubia, datur formalissima ignorantia talis legis, illaque planè invincibilis.

Probabilitas non legis connectitur cum invincibili legis ignorantia.

139. Huc collimant Auctores, qui communiter docent, dubium legis, post debitam diligentiam perseverans, posse prudenter deponi, & hominem non teneri ad abstinendum ab opere prius dubio, quia in tali casu lex invincibiliter ignora-tur.

Lex manēs dubia invincibiliter ignoratur.

tur. Hæc ratio multo magis valet, quando dantur præsumptiones probabiles, quod objectum liceat, & multo maximè, quando objectum absoluto judicio probabiliter creditur esse licitum, tunc enim omnes ferme, tam antiqui quàm recentiores expresse agnoscunt ignorantiam invincibilem in tali judicio contineri. Vide *quæst. 23. de conscientia prob. nu n. 110.* in fine, ubi Auctores antiquos, ita sentientes citatos habes. Ecce principium, quo utimur, & lumine naturæ notum est, & ab omnibus communiter pro vero habitum; consequentia autem legitimè deducitur.

Minor probabilitas ab legis infert hinc ignorantiam invincibilem.

140. Et sanè nullum dubium est, quin argumentum efficacissimum sit, quando rationes pro non lege sunt probabiliores, aut æquè probabiles ac rationes pro lege. Valet etiam quando rationes pro lege videntur aliquibus esse probabiliores, dummodo rationes certò probabiles pro non lege non desint.

Ratio est duplex. Prima est, quia cùm excessus probabilitatis sit incertus, suspendi potest omne judicium de tali excessu, & tunc homo reducitur ad statum æqualis probabilitatis, aut ad probabilitatem pro utraque parte cum ignorantia, quæ pars prævaleat. Secunda ratio est, quia, stante apparentia de majore probabilitate pro lege, adhuc omne judicium de lege suspendi potest, in quo casu homo dubitat, & verè ignorat legis existentiam, idque invincibiliter, cùm illa ignorantia superari non possit. Non enim superatur ignorantia legis per apprehensiones, aut per motiva probabilia, aut etiam per judicium incertum de illius existentia, sed solùm per hoc, quod certò moraliter innotescat. Ergò quamdiu non ita innotescit, non tenetur homo ex vi illius ita se gerere, ac se gerere deberet, si sciret legem existere, sed hoc illius arbitrio relinquitur ut consilium, non imponitur ut præceptum, quia invincibilis ignorantia excusat, & certò reflexè cognita de excusatione nos certificat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. Theologi.

141. OBJICIT primò Theologus iste. Esto, habeat ille ignorantiam invincibilem legis, qui post diligens examen nec evidenti nec probabili cognitione eam vincere potuit. Similiter, disputandi gratia, admitto illum invincibiliter ignorare malitiam, qui post sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, nec evidenti nec probabili judicio dicere potest, rem esse illicitam. At asserere, quod ille habeat ignorantiam invincibilem, qui judicio opinativo prudenti censet rem esse malam, mihi videtur absurdum, ne dicam ridiculum; alioquin non peccaret, qui immediatè post illud judicium opinativum prudens poneret rem illam. At hoc est evidenter falsum, & contrariatur principiis Terilli. Probatur sequela. Non est peccatum operari cum invincibili ignorantia malitiæ. At qui operatur cum judicio opinativo de malitia, habet ignorantiam invincibilem malitiæ, cùm tale judicium ignorantiam illam non removeat. Ergò operari cum judicio opinativo de malitia, non est peccatum. Tenet ergo sequela. Ergò falsissimum est dari ignorantiam invincibilem legis divinæ, contra cujus existentiam motiva probabilia militant. Stat enim motiva talia contra eam militare, & simul existentiam illius judicio opinativo prudenter credi, in quo casu lex invincibiliter non ignoratur.

142. Respondeo primò Theologum hunc re-

vera admittere quantum cupimus, quia admittit ignorantiam legis esse invincibilem, quando probabilitas pro non lege, est par probabilitati pro lege, in eo enim casu homo per illum non potest prudenter judicare legem existere. Ergò tunc invincibiliter ignorat legem. Jam à fortiori idem concedit, tam quando probabilitas pro non lege est major, quàm quando res absoluto judicio prudenter creditur esse licita. Itaque tota quæstio vertitur ad casum majoris probabilitatis apparentis pro lege; sed hæc etiam controversia cessat, si intellectus abstineat à tali comparatione, ut potest, quia excessus ille est incertus quando oppositum est certò probabile, tunc enim intellectus reducitur ad quandam æqualitatem apparentiæ pro utraque parte, & ignorat quænam præferri mereatur. Ergò si homines à tali comparatione abstineant, versantur in invincibili legis ignorantia, quoties motiva pro non lege sunt certò probabilia. Itaque duo remanent investiganda. Primum, an judicium opinativum de majore probabilitate legis; secundum, an judicium probabile de absoluta existentia legis invincibilem ejus ignorantiam impediat. Hoc loco agendum est de secundo casu, qui omnium difficillimus est contra nos. Itaque contendit Theologus, propositionem illam, quâ dixi, *ignorantiam legis non superari per judicium incertum de illius existentia, sed solùm per hoc quod moraliter certò innotescat*, esse absurdam videríque ridiculam, & expressè contrariari opinioni meæ, quæ dicit, judicium opinativum directum de malitia objecti fundare dictamen reflexum evidens de malitia operationis. Sed quàm immeritò, quamque debili & falsa argumentatione hæc objiciat, mox apparebit.

Theologus iste admittit quantum cupimus.

Æquivocatio Theologi detegitur.

143. Itaque ut res tota omnibus appareat, sciendum est, nos expressè loqui in argumento tam de notitia, quàm de ignorantia publica legis. Tunc lex publicam notitiam habet, quando post diligens omnium aut sapientissimorum studium, talia extant indicia, quæ ita legem manifestant, ut subditi, seu respublica dici nequeat legem ignorare, sed illam meritò scire dicatur. At respublica seu subditi non possunt dici scire legem, quamdiu argumenta pro lege evidenter non excedunt argumenta pro non lege. Sed omnes subditi fatentur rem esse incertam, nec posse aut evidenter, aut certò moraliter cognosci. Quod si aliqui præferant motiva pro lege ut excedentia, alii non minus periti & sapientes existimant opposita prævalere: Quærimus jam an ista apparentia sit sufficiens pro publica legis notitia apud subditos, hæc omnia impartialiter & reflexè considerantes. Respondeo audacter non sufficere, quia quoad communitatem, nil est quod præponderet pro ulla parte, sed quædam æqualitas pro utraque se prodit. At hæc non sufficit, ut lex dicatur publicè scita & cognita, alioquin sufficeret etiam ut non lex esset publicè scita & cognita, cùm par pro utraque parte sit ratio. At evidens est, utramque contradictionis partem non posse simul sciri & non sciri ab eadem communitate. Ergò evidens pariter est, talem apparentiam non esse sufficientem, ut lex dicatur simpliciter & publicè scita à communitate, omnia hinc inde considerante. Ergò cohæret cum ignorantia legis, quæ quia per omnem subditorum conatum vinci ac superari non potest, rectè dicitur, & verè est ignorantia invincibilis. Ergò in tali casu communitas invincibiliter ignorat legem; & quod plus est, scit se illam

Probabilitas non legis infert publicâ legis ignorantiam invincibilem.

illam invincibiliter ignorare; ideoque scit se lege illa non obligari, quia scit illam aut non existere, aut invincibiliter publica invincibilitate ignorari. Porro quia leges statuuntur pro communitate, illæ neminem ligant, nec sufficienter applicatæ sunt ut quemquam afficiant, quamdiu post omnia, quæ utrique parti conveniunt, considerata modo dicto latent communitatem; nam lex neminem ligat, cujus adæquata notitia, quæ undecumque habita est, & haberi potuit, non magis reddit legem scitam quàm ignoratam à communitate. Immò talis lex verè ignoratur à communitate, & quidem invincibiliter. Ergò non ligat communitatem. Ergò neminem ligat. Porro particulare judicium incertum alicujus de existentia legis nil facit in ordine ad augendam vel minuendam publicam illam apparentiam toti reipublicæ deservientem; ideo dixi, & verè dixi, ignorantiam legis, scilicet publicam & universalem ejus ignorantiam, per tale judicium non superari. Et quia dum quærimus, an lex ignoretur, vel unicè vel primariò quærimus de publicâ ignorantiâ, ex qua sola determinandum est an lex obliget nec ne; ideo dixi, non attendendum esse ad incertum privati hominis judicium, cùm illud publicam hanc notitiam, aut carentiam notitiæ publicæ non immutet.

Sed ut hoc rectius intelligatur, peto, an temerarium & imprudens judicium de lege, invincibilem ejusdem ignorantiam publicam evacuet? Nemo, ni fallor, hoc dixerit. Transeamus ergo ad assensum probabilem de lege in hoc homine, & illum conferamus cum assensu probabili de non lege in alio, & cum tota apparentia de lege & non lege, & clarè perspiciemus, eandem in utroque casu rationem militare, & neutrum ex illis judiciis publicam legis ignorantiam evacuare. Ergò neutrum tollit fundamentum debitè formandi conscientiam, & licitè operandi.

144. Sed quid? nonne peccat ille contra legem, qui contra probabile ac prudens suum judicium de lege operatur? Respondeo, & peto, an ille peccet contra legem publicè invincibiliter ignoratam, qui contra judicium suum de legis existentia temere conceptum operatur? Secundò idem peto de eo, qui contra judicium erroneum de lege operatur: & quæstio hæc secunda tam de probabili, quàm de temerario judicio procedit. Nescio quid Theologus responsurus sit: sed quidquid dixerit, ego respondeo primò, utrumque peccare contra conscientiam, violando legem reflexam certam, & certò applicatam, sive violent, sive non violent legem publicè ignoratam, de qua est sermo. Et hoc dico, modò judicium illud de existentia legis sit prorsùs absolutum, & non quodammodo conditionatum, alioquin tale judicium non impediret bonam fidem de honestate operationis, sed homo licitè posset contra illud operari, ut latè probavi *quæst. 30. de consc. prob.* Et sanè quando judicium operantis esset erroneum, non daretur alia lex, quæ posset violari, quia lex affirmata non existeret. Ergò lex tantùm reflexa, certè existens & applicata, violaretur. Idem dico de eo, qui ageret contra suum judicium temerè aut probabiliter conceptum in casu præsentis quæstionis; ille enim peccat contra legem conscientiæ, sed verè non violat legem affirmatam, quia illa neminem obligat, cùm à communitate publicè ignoretur, idque invincibiliter. Talis enim lex neminem afficit, cùm verè non habeat quæ ad legem obligantem requiruntur.

Qui operatur contra conscientiã sæpe non violat legẽ affirmatam.

145. Magna porrò latet æquivocatio in argumento, quo Theologus probat, talem hominem non peccaturum: non enim universaliter verum est, eum non peccare, qui operatur cum invincibili ignorantia malitiæ, sed ad hoc requiritur, ut ignorantia illa antecedat & causet opus, ut omnes tradunt ad primam secundæ, ubi agitur de voluntario, & involuntario. Atqui ignorantia invincibilis in tali homine, nec antecedit, nec influit in opus, quia vult illud facere, quamvis existimet illud esse malum, & lege prohibitum. Ergò non excusatur titulo ignorantiæ etiam invincibilis, cùm ignorantia illa non causet opus; nulla enim ignorantia aliter antecedit & causat, quàm per hoc, quod si abfuisset, opus factum non fuisset. At hic homo non abstinuisset ab opere, quamvis ignorantia illa non fuisset, quia putans illam abesse, adhuc operatur. Rursus propositio illa: *Non est peccatum operari cum ignorantia invincibili legis:* distinguenda est. Operari cum invincibili ignorantia legis non est peccatum contra illam legem, concedo. Non est peccatum contra aliam legem non ignoratam, nego. Sic, qui stante publica ac universali ignorantia, immo & scientia non legis, temerè & falsò crederet legem existere, peccaret quidem contra legem conscientiæ certò existentem & applicatam, sed verè non peccaret contra legem falsò creditam, nec illam verè violaret; idque ex eo titulo, quia lex illa publicè invincibiliter ignoratur, & ideo neminem obligat, quo tamen non obstante, homo ille peccat eadem specie malitiæ, quatenus in sua opinione illam transgreditur, & per hoc violat legem conscientiæ, vetantem ne tali modo operetur. Stat ergò verissimum esse, illam legem invincibiliter ignorari, contra cujus existentiam motiva certò probabilia militant, publicæque huic, ac universali ignorantiæ judicium probabile incertum non obstare. Cogitet hæc Theologus, & videbit non solùm non esse ridiculum, aut absurdum, sed verissimum, quod judicium ejusmodi obscurum rectè cohæreat cum ignorantia verè invincibili, ex cujus consideratione legitimè infertur, legem talem non obligare: sed ille confundit veram ignorantiam cum ignorantia apparente. Illi quidem homini verè inest ignorantia insuperabilis, sed illi falsò videtur non inesse; nos autem reflexè scimus, illum invincibiliter legem ignorare, id est scimus illum non habere motiva sufficientia ad hoc, ut per illa debitè considerata, atque cum aliis omnibus comparata, dici possit: *Hæc lex, ea veritatis apparentia proponitur communitati, ut meritò dici possit sciri.* Ad hoc enim ad minimum requiritur, ut stante probabilitate pro lege, non sit probabile legem non dari; nulla enim apparentia ista minor sufficit ut lex dicatur non ignorari, sed sciri à communitate, ut patet. Ex his habemus, objectionem hanc ex terminorum confusione ortam fuisse: si enim Theologus advertisset ad ignorantiam & scientiam publicam communitatis, in ordine ad quam solam simpliciter statui potest, an lex sciatur, vel invincibiliter ignoretur, & consequenter an obliget, vel non obliget universaliter, & illam distinxisset à privata determinati hominis apparentia, vidisset nullam in ea re difficultatem latere, sed antecedens argumenti non connecti cum consequente. Similiter nunquam dixisset, doctrinam hanc meam aliis à me assertis repugnare, cùm omnia apertè cohæreant, ut vidimus.

Peccare potest qui operatur cũ invincibili ignorantia legis.

Excusatur operans in ignorantia legis invincibili.

146. Ex hac doctrina habemus, quod si quis

non

Corollariũ notandum. non eliciat judicium absolutum de lege, sed maneat suspensus de veritate rei, ut prudenter potest, iste per discursum reflexum circa universalem invincibilem ignorantiam talis legis, rectè potest formare conscientiam, & absoluto judicio prudenti dicere, nullam dari obligationem faciendi rem illam, quia lex illam præcipiens, non est scita à communitate, sed ab ea invincibiliter ignorata, ideoque neminem obligat, cùm communitatem non afficiat.

147. Objicit secundò. Quamvis in casu argumenti homo non eliceret judicium absolutum de existentia legis, posset tamen illud prudenter elicere, quia lex supponitur apparere probabilior quàm non lex. At hoc sufficit, ut non dicatur invincibiliter ignorare legem. Ergò non datur invincibilis ignorantia legis in eo, cui post diligens examen, sententia affirmans rem esse illicitam apparet manifestè probabilior, quàm sententia opposita.

Solvitur objectio. 148. Respondeo objectionem hanc ex dictis ad primam à fortiori esse solutam, quia major illa probabilitas privata nil facit ad affirmandam vel negandam ignorantiam, de qua est sermo. Sic præceptum obligans ad confitendas circumstantias solùm notabiliter aggravantes in eadem specie invincibiliter ignoratur ab Ecclesia, cui non obstat, quod existentia talis legis mihi appareat probabilior, quàm ejusdem non existentia, aut etiam quòd ego judicem legem illam verè existere, quia hoc nil facit in ordine ad legitimam legis notitiam, per quam solam sufficienter applicatur ut obliget, juxta dicta supra *num. 45. & seq.* Et sanè Theologus iste in tota hac re eandem ubique æquivocationem passus est, confundit enim peculiarem privati hominis dispositionem, per quam ille aliqua lege arctatur, cum dispositione universali & publica, ad quam solum respiciendum est, quando agitur de legibus pro tota communitate latis, quæque non aliter afficiunt singulos, quàm si communitatem afficiant, & in eam vim suam exerant. Cæterùm hic quoque ut vim argumento adderet, illud destruxit; quia loquitur pro casu evidentis excessûs in probabilitate pro lege, in quo casu argumentum procedit de subjecto non supponente, quia quæstio nostra restringitur ad casum, in quo certa probabilitas pro utraque parte subsistit. At illa non subsistit, etiam per ipsum, quando excessus unius partis supra aliam, antecedenter ad omnem affectum, & assensum uni parti peculiariter impensum, est manifestus & evidens.

Theologus suum argumentũ destruit.

149. Nec tamen multum miror, quod ad casum evidentis excessus se restrinxerit, quia si excessus sit inevidens, judicium illud comparativum prudenter suspendi potest, in quo casu absolutè tenemus intellectum ab imperio voluntatis flecti posse, idque prudenter, tam in assensum de legis existentia, quàm de illius non existentia. Hoc cùm sciret, simulque adverteret, oppositum non debere supponi, maluit ad casum evidentis excessûs argumentum restringere, in quo videtur impossibile, ut intellectus flectatur in assensum partis minus verisimilis. Verùm perinde est, quocumque tandem modo procedat: si enim ad evidentem excessum se restringat, sumus extra casum præsentis controversiæ; si non restringat, tanta est apparentia pro utraque parte, ut intellectus flecti possit ad alterutrum pro libitu judicandum, ut fusè probatum est, *quæst. 8. 9. & 10. de conscientia probabili.* At hoc admisso ignorantia legis est invincibilis, cùm nil feratur pro una parte, quin tantumdem quoad nos, aut ferè tantumdem, quantum discernere possumus, feratur etiam pro opposita parte. Hoc autem non facit, ut lex meritò dicatur sciri. Ergò non tollit ignorantiam invincibilem legis.

150. Objicit tertiò. In sententia Terilli lex non ignoratur invincibiliter, ne quidem quando apparentia pro lege est par, aut etiam minor quàm apparentia pro non lege, quia adhuc per illum intellectus prudenter flecti potest ad existimandum legem dari. At homo non ignorat invincibiliter illud, quod prudenter affirmare potest. Objectio 3.

151. Respondeo inprimis eandem, quæ in aliis objectionibus, æquivocationem hic quoque intervenire, quia argumentum meum loquitur de publica ignorantia legis relatæ ad communitatem, objectio autem loquitur de alia prorsùs re, quæ nullam cum illa connexionem habet. Solutio 1.

152. Deinde Respondeo, fieri quidem posse, ut in illo casu intellectus flectatur in assensum alterutrius partis, sed longè facilius suspendere potest omne judicium, in quo casu manifestum est, quod ignoraret legem. Nec obstat, quod habeat apparentiam pro lege sufficientem ad assentiendum, quia simul habet parem aut majorem ad dissentiendum. Absurdum est autem dicere, quod talis apparentia sufficiat, ut lex dicatur sciri & non ignorari; alioquin etiam non lex, eadem aut potiori de causa, esset scita; ergo utraque pars contradictionis simul sciretur esse, quod est absurdum. Itaque dico, eum absolutè ignorare legem, & quidem invincibiliter; qui non habet majorem apparentiam pro lege, quàm pro non lege, quamvis intellectus per imperium voluntatis flecti possit ad assentiendum utrilibet, modò neutri assensus præbeatur, & homo per diligentiam debitam ad meliorem legis notitiam pervenire non possit. Quod si actu credat legem dari, tunc quidem lex quoad illum non est omnimodè ignorata, quia existimat illam dari, ideoque ex lege conscientiæ tenetur se illi accommodare, nihilominus lex illa, tunc etiam ab illo homine invincibiliter ignoratur, quia ita ignoratur ut nullam ab illa lege obligationem habeat, eo quod lex non sit scita, nec sciri possit ab illo ea scientia, quæ requiritur ut lex sufficienter applicetur ad obligationem inducendam in communitatem; hoc autem est legem invincibiliter ignorari, si loquamur propriè de ignorantia invincibili, per quam fit ut lex simpliciter non obliget, quatenus non obligat communitatem, qua non obligata, nemo obligatur. Solutio 2.

153. Objicit quartò. Quando loquimur de ignorantia invincibili excusante, sermo est de invincibilitate, quæ non solum reddat innocentem ipsam ignorantiam, sed etiam opus subsecutum ad talem ignorantiam. Evidens autem est, quod quamvis error inexistens judicio probabili falso de existentia legis (si contingat judicium illud esse erroneum) sit innocens, operatio tamen consequens ad judicium non est innocens; quamvis enim non peccet, affirmando rem esse prohibitam, peccaret tamen ponendo rem illam, quamvis error ipse, & ignorantia legis in illo contenta, sit invincibilis; quia culpæ illi verti nequit, quod legem ignoret, sed credat illam existere, quando non existit. Hæc est insignis æquivocatio Terilli; ex dictis enim constat, probabilitatem de non lege non connecti cum invincibili legis ignorantia, quæ sufficit ad opus excusandum, etsi connectatur cum ignorantia, Objectio 4.

quæ inculpabile reddit judicium de lege, si contingat illud esse erroneum. Cæterùm tale judicium connecti potest cum toto eo, in quo per illum invincibilis legis ignorantia consistit. At evidens est, non operari cum ignorantia invincibili legis prohibentis illum, qui operatur cum judicio determinato, quod objectum sit prohibitum.

154. Respondeo, me nondum videre, in quo aut æquivocationem passus sim, aut errârim, sed nec Theologus iste hanc æquivocationem vidit, quia in argumento meo expressè dixi, invincibilem legis ignorantiam non superari per judicium incertum hominis privati. Ergo non æquivocatione deceptus fui, sed sciens & videns omnia admisi, ex quibus ille suas objectiones format, & quod plus est, probavi illa omnia rectè cohærere cum ignorantia legis invincibili sufficiente ad eum à peccato excusandum, qui ex tali ignorantia operatur. E contrariò veritas est, Theologum istum in pluribus æquivocationem passum, nec vim argumenti rectè intellexisse. In primis argumentum procedit de ignorantia, seu de carentiâ scientiæ publicâ, relatè ad communitatem, quia illa sola inspicienda est, ut sciamus, an lex in incertis sufficienter sit scita, vel invincibiliter ignorata. Ille autem loquitur de peculiari judicio incerto unius hominis, quod nec probat, nec improbat ignorantiam, de qua argumentum procedit. Deinde incongruè confundit operationem factam cum ignorantia invincibili, & operationem factam ex ignorantia legis invincibili. Et quia evidens est, non omnem operationem factam cum ignorantia insuperabili esse honestam, miserrimè deceptus intulit, ignorantiam illam non esse invincibilem, cui peccatum in operatione annectitur.

Duplex Theologi æquivocatio.

155. Porro ut ille, & omnes confusam hanc rerum diversissimarum æquivocationem videant, ponamus aliquem invincibiliter ignorare legem aliquam, & insuper prudenter existimare, legem illam non dari. Hic homo dupliciter operari potest cum hac ignorantia. Primò ita ut ignorantia antecedat operationem, & in illam influat, eò quòd homo iste, si legem scivisset, aut illam dari credidisset, non elicuisset talem operationem. Hic homo non peccat, quia ignorantia invincibilis influens in opus, cum qua & ex qua homo operatur, eum excusat. Secundò operari potest cum hac ignorantia, ita ut illa nec causet operationem, nec in illam influat, in quo casu non excusat operationem. Sic si homo taliter ignorans & judicans legem non dari, expressè diceret, *ego verè ignoro legem hanc, & puto illam non dari, tamen quamvis daretur, aut putarem illam dari, adhuc idem opus facerem.* Hic, inquam, non excusatur, quamvis operetur cum ignorantia invincibili legis, quia ex illa non operatur, seu quia ignorantia non est causa illius operis. Jam Theologus iste hæc tam distantia ac diversa in omnibus suis objectionibus apertè confudit, quibus distinctis, universa, in quibus vim maximam ponit, sponte corruunt; quamvis enim evidens sit, eum non operari ex *ignorantia legis*, qui judicat illam dari, & nihilominus contra illam operatur, evidens tamen non est, illum non operari cum *invincibili ejusdem ignorantia:* Immò sæpè oppositum est evidens, scilicet quando judicium est falsum, & contra publicam scientiam non legis temerè conceptum. In illo enim casu & ille & omnes invincibiliter ignorant legem, quia nec ille nec quisquam habet scientiam legis, aut talem illius notitiam, ut illa vi talis notitiæ communitatem, aut etiam privatum quemquam obliget.

Aliud operari cum, aliud ex ignorantia invincibili.

156. Tertia ejus æquivocatio in eo consistit, quòd confuderit peccatum contra legem certam, cum peccato contra legem aut non existentem, aut non obligantem. Manifestum quidem est, hominem, facientem quod judicat esse prohibitum, verè peccare. Hinc quia ille putat legem prohibere opus, quod facit, hic Theologus ut certum intulit opus illud contrariari illi legi, & ideò esse peccatum. Sed hæc est insignis æquivocatio, nam opus illud verè non est contra legem illam, si lex non detur, nec ideò est peccatum, quia legem illam violat, sed ideò quia contrariatur certissimæ legi reflexæ, quæ tales operationes vetat, sive existat, sive non existat lex existimata. Perperam proinde intulit, hominem judicantem legem dari, non habere invincibilem ejusdem ignorantiam, nec excusari à violatione talis legis ob dictam ignorantiam, si contra judicium illud operetur, eò quòd tale opus sit peccatum. Perperam, inquam, quia hoc solùm probat, opus illud esse violationem alterius legis certæ, ab oppositione cum qua totam suam malitiam desumit, nullatenus autem probat, quod malitiam desumat à contrarietate cum lege affirmata, si illa non existat, aut invincibiliter non affirmetur ea scientia, quæ requiritur ut lex publicè dicatur scita, & vim obligandi exerat.

Æquivocatio 3. Theologi.

157. Quarta demum, & maximè consideranda, quamvis Theologo huic non adeo imputanda, æquivocatio est, quòd argumentum à me allatum solùm intelligatur juxta directam rerum considerationem, cùm illud idem longè validius probet intentum, si sumatur in sensu reflexo. Rem explico: quæritur, an circumstantiæ solum notabiliter aggravantes in eadem specie sint necessariò confitendæ?

Æquivocatio 4.

Argumentum duos sensus habet.

Quæstio hæc, directè discussa, est utrimque probabilis, sed pars affirmativa mihi videtur probabilior. Quæritur, an, si reflectamus præcisè super hanc directam rerum apparentiam, meritò dicere possimus, legem præcipientem Confessionem talium circumstantiarum invincibiliter ignorari. Respondeo, illam invincibiliter ignorari non solum ab Ecclesia, sed etiam à me, qui non obstante majore illa probabilitate mea, rectè concludo, illam ab Ecclesia ignorari, apparentiamque meam publicæ huic ignorantiæ non obstare, neque efficere ut lex illa dici possit à me scita, scientiâ illâ, quæ opponitur ignorantiæ invincibili legis, seu scientiâ sufficiente, ut illa communitatem obliget, aut obligationem in me derivet. Et hactenus quidem in hoc tantum sensu argui contra hunc Theologum, qui alium sensum in argumento meo non latêre existimavit.

Primus sensus.

158. Verùm aliter se res habet: nam præter considerationem legis hoc modo propositæ, quæri potest; an confessio talium circumstantiarum, stante hac directa incertitudine de existentia legis illam præscribentis, præcepta sit, non obstantibus rationibus reflexis moventibus ad existimandum, quòd à tali onere liberemur; talia sunt motiva desumpta à paritate in materia fidei, à non sufficienti legis promulgatione, à titulo possessionis libertati faventis, &c. adeo ut jam quæramus, an lex præcipiens Confessionem talium circumstantiarum etiam in istis circumstantiis reflexis invincibiliter ignoretur. Respondeo, talem legem ignorari prorsùs invincibiliter,

Secundus illius sensus.

biliter; quia quidquid sit, an probabilitas directa de lege mihi videatur major, quàm probabilitas opposita, nihilominus loquendo de lege præcipiente Confessionem circumstantiarum merè aggravantium etiam in istis circumstantiis reflexis, probabilius nobis apparet illam non dari, immò absolutè putamus quod non existat. Ergò illa lex invincibiliter ignoratur. Jam argumenta hujus Theologi ne quidem tangunt argumentum, si in hoc sensu intelligatur, in quo certè æquè intelligendum erat ac in sensu directo, quia plura argumenta indirecta jam fuerant proposita, in quæ argumentum hoc æquè reflectit, ac in argumenta directa.

Argumentum hoc est particularis ratio, & in quo sensu.

159. Cæterùm argumentum hoc, ut probationem reflexam peculiarem constituat, alligari debet soli considerationi directæ, quia quæritur an lex illa, ex iis præcisè, quæ in directa consideratione occurrunt, verè ignoretur invincibiliter. Respondetur affirmativè, & ex dictis sufficienter probatur. Indè autem sumitur argumentum reflexum, quo intellectus format conscientiam hoc modo. Lex à communitate invincibiliter ignorata non obligat. Hæc lex invincibiliter ignoratur à communitate. Ergò non obligat, ergo non teneor tales circumstantias confiteri. Ergo licitè eas in Confessione omitto.

RATIO DECIMA-QUINTA.

Multa pericula probabilia peccandi formaliter non sunt prohibita.

160. CERTUM est, plura non esse præcepta, sed solùm sub consilio proposita, quibus omissis, homines peccandi periculo subjacent. Talia sunt religionem ingredi, continuis orationibus & jejuniis vacare, quæ si fiant, innumera peccandi pericula præciduntur, quibus mundani subjacent. Nemo tamen tenetur religionem ingredi, ut ista vitet. Undè sequitur, omne periculum, non dico materialiter, sed formaliter peccandi non esse prohibitum; nam qui vocatus à Deo ad religionem, statum sæcularem innumeris negotiis implexum prælegit, eo ipso evidenter conjicit se in probabile periculum sæpius graviter peccandi. Hoc tamen periculum per seriam status religiosi, ad quem à Deo vocatur, exercitationem tolleretur; nemo tamen, ut vitet hoc periculum, religiosum statum arripere tenetur. Hoc posito sic arguo.

161. Si ulla esset ratio, cur Deus præciperet usum opinionis tutioris, aut saltem probabilioris, esset, quia in usu opinionis minus tutæ, & multò magis in usu opinionis minus tutæ minusque probabilis inveniretur periculum, seu dubium peccandi. At in dubiis tutior pars est eligenda, *nam qui amat periculum, peribit in illo.* Hoc est potissimum adversariorum fundamentum. Iuvat autem considerare, quale sit hoc periculum. Inprimis est periculum junctum cum probabilitate, quod actio illa non sit ne quidem materialiter mala. Ergo totum periculum est de peccato materiali. Nam directè nullum est periculum peccati formalis, quod utique nunquam separari potest à transgressione præcepti certi.

Omne peccatum formale est transgressio legis certæ.

Nam qui operatur in dubio, non ideo peccat, quia violat legem dubiam, sed quia violat legem certam, quæ reflexè prohibet, ne quis in dubio operetur, nisi sectetur partem tutiorem, vel aliquo modo dubium deponat. Ergò totum periculum est, ne sic operans materialiter peccet.

162. Hinc sic arguo. Periculum materialiter violandi legem, quæ per indicia certò probabilia apparet non dari, non est malum, quod mereatur prohiberi. Ergò non prohibetur, maximè in casu nostro, quia versamur in materia juris naturalis, in qua nil prohibetur, nisi quod natura sua malum est, & meretur prohiberi. Consequentia tenet. Antecedens probatur sic. Majora mala imminent ex eo, quòd quis, ad religionem vocatus, Deum vocantem non sequatur, sed sæcularem statum præeligat, &c. quàm ex usu opinionis minus probabilis minusque tutæ, nam ille amplectitur statum manifestè expositum probabili periculo plurium peccatorum formalium. At hoc est majus malum, & periculum mali majoris, quàm quod ex usu dictæ opinionis imminet; ex hoc enim solùm imminet periculum transgressionis materialis, cùm tamen adsint motiva certò probabilia suadentia, operationem illam non esse ne quidem peccatum materiale. Malum autem hoc est incomparabiliter minus illo. Ergò si malum illud, etsi majus, non mereatur prohiberi, à fortiori hoc minus id non meretur.

Malum contentum in benigna sententia nō meretur prohiberi.

163. Confirmatur. Usus opinionis probabilioris contra probabilem tutiorem continet periculum peccati materialis. Hoc tamen periculum non meretur prohiberi lege naturali, quia usus talis opinionis est licitus. Hinc sic arguo: Inconveniens, quod ex usu opinionis minus probabilis minusque tutæ superadditur malo imminenti ex usu probabilioris, parvum est, & insensibile. Parvum quidem, quia utrumque est in eodem genere, & sæpè unum parum distat ab altero. Insensibile verò, quia vix unquam, aut potius verè nunquam certò discerni potest, quæ sit opinio probabilior. Hoc autem malum junctum inconvenienti priori nullam sensibilem varietatem inducit. Ergò si prior usus sit licitus, iste secundus, ex adjunctione tam parvi incommodi in eodem genere, nequit evadere illicitus. Præterea sive totum inconveniens, sive pars illa, quæ ex usu opinionis minus probabilis superadditur inconvenienti ex usu opinionis probabilioris, comparetur cum periculo imminente ex dicta status electione, manifestè apparebit, hoc periculum esse malum incomparabiliter majus illo inconvenienti. Ergò illud inconveniens multo minus meretur talem prohibitionem. Ergò usus opinionis magis tutæ, aut certè magis probabilis, si sit minus tuta, non cadit sub præceptum, sed ad summum est materia consilii, sicut status religiosus præ statu vitæ sæcularis non est materia præcepi, sed consilii.

Id ipsum probatur exemplo majoris probabilitatis.

164. Confirmatur secundò. Ideo non datur præceptum aut sequendi consilia, etsi illa sint tutior via ad salutem, aut vitandi periculum peccati connexum cum vita sæculari, quia omnibus consiliis conformari est opus adeo arduum, ut homini fragili difficillimum sit illis se conformare. Ergò si illorum usus esset præceptus, major peccatorum formalium copia jure timeri posset, quàm si non esset præceptus; plurimi enim formaliter peccarent non subdendo se illi statui; plurimi deinde post statum admissum peccarent contra consilia, quæ non tam sponte quàm quodammodo coactè elegissent; atque ita in totâ multitudine hominum tale præceptum, stante humana fragilitate, innumerabilium peccatorum seminarium evaderet. At eadem ratio æquè valet in casu nostro, in quo non est minus difficile in omnibus sequi tutiora aut probabiliora, quàm sequi dicta consilia. Rursus præscindendo à lege reflexa (de qua quærimus an detur) nullum est pericu-

Id ipsum confirmatur ratione.

periculum nisi peccati materialis ut ostensum est. Ergò hoc periculum non solùm non debuit prohiberi, sed debuit non prohiberi, ne ad vitanda aliqua peccata materialia, fragilitas humana in evidens periculum innumera peccata formalia committendi conjiceretur.

OBJECTIONES THEOLOGI solvuntur.

Objectio 1. 165. OBJICIT primò: Regula illa, *In dubiis tutior est pars eligenda*: non est consilium, sed præceptum, quando dubium est, an actio sit prohibita. Datur enim lex certa reflexè prohibens, ne quis se exponat periculo operandi contra legem Dei.

Solvitur objectio. Respondeo regulam illam, generaliter sumptam, haud dubiè non continere præceptum. Quod si dubium sit, an actio sit prohibita, continet quidem præceptum, si dubium sit proximum & practicum, si verò sit remotum & speculativum, nullum continet præceptum, quia tunc datur fundamentum aliquod reflexum sufficiens ad dubium deponendum. Multa talia fundamenta dantur in casu præsenti, quorum unum in præsenti argumento continetur. Sed de hac regula infra ex professo agendum erit *quæst. 54. & 55.*

Objectio 2. 166. Objicit secundò. Falsum est, quod hic solum agatur de periculo peccati materialis; qui enim elicit actionem reipsa prohibitam in iis circumstantiis, in quibus habet majus fundamentum ad judicandum esse, quàm non esse prohibitam, non solum materialiter transgreditur illam legem, sed etiam formaliter, quia talis transgressio est imputabilis, cùm homo possit prudenter judicare rem esse præceptam, & non possit prudenter judicare oppositum; est autem perinde operari cum potentia proximè expedita ad judicandum aliquid esse prohibitum, ac operari cum actuali judicio de malitia talis actionis.

Usus probabilium solum affert periculum peccati materialis. Respondeo, præscindendo à lege reflexa, (de qua quæritur hoc loco an detur, & quam non dari probamus) nullum esse periculum nisi peccati materialis. Ratio est clara, quia homo non aliter peccat in hoc casu, si lex existat, quàm si non existat, ut patet. At si non existat actio illa, non potest esse peccatum formale per oppositionem cum illa lege directa, quæ non datur. Ergò neque potest esse peccatum formale respectu legis verè existentis: quia lex illa non aliter applicatur quàm lex non existens, ideoque non potest majorem malitiam formalem refundere in actum, quàm lex non existens. Et sanè absque dubio ex æquo homo peccat vel non peccat formaliter, sive lex existat, sive non existat. At non peccat formaliter, quando lex directa non existit, si præscindamus à lege reflexa. Ergò si ab eadem præscindamus, non peccat formaliter, quamvis lex directa verè existat, & ratio est, quia non applicatur sufficienter, ut vim suam exerat. Ergò præscindendo à lege reflexa, nullum datur periculum, in casu nostro, nisi peccati tantùm materialis. At hoc stabilito, argumentum nostrum est urgentissimum, ut patet. Porro rationes in objectione contentæ æquè applicantur operanti contra legem merè apparentem, ac contra veram. Ergò non probant ullam transgressionem formalem aut imputabilem intervenire, si præscindamus à lege reflexa. Ergò ad præsens intentum nil faciunt.

167. Præterea non semper est idem operari cum potentia proximè expedita ad judicandum, quod opus sit prohibitum, ac cum actuali judicio de illius prohibitione, quia sæpè adest potentia proxima ad temerè judicandum aliquid esse illicitum. v. g. Eucharistiam non esse adorandam, ut hæretici nonnulli autumant. Et tamen non est peccatum adorare Eucharistiam, si apparentia illa antecedens contemnatur, ut contemni potest. At est peccatum Eucharistiam adorare, stante illo judicio. Ergò non ita se habet ad peccandum, qui operatur contra actuale judicium de præcepto, & qui solùm operatur stante potentia proxima ad ita judicandum. Itaque dictum hoc tunc solùm verum est, quando apparentia, constituens potentiam proximam prudenter opinandi legem existere, non potest prudenter contemni, nec judicium ipsum prudenter suspendi; si enim ex motivo prudenti suspendi potest, & ob rationes æquales, aut ferè æquales contemni ut in casu nostro, nulla est paritas inter potentiam judicandi & judicium actuale in ordine ad malitiam refundendam in actum, quia unum prudenter contemni ac repelli potest, non autem alterum; & sic conscientia & bona fides formari potest in uno casu, & non in altero. Dixi, *ut in casu nostro*, quia falsum est, quod Theologus iste ubique supponit, intellectum non posse prudenter flecti in assensum motivi minus probabilis, quia in sensu diviso judicii illius comparativi prudenter flecti potest in assensum illius, sed ita ut tunc quod priùs apparebat minus probabile, per hoc ipsum judicium & ultimam ad illud dispositionem probabilius appareat. Operari cũ potentia judicandi rem esse malam non semper est peccatũ.

168. Porro sive eliciatur judicium illud incertum, sive non, operatio non evadit imputabilis præscindendo à lege reflexa; sic adoratio Eucharistiæ, stante illo judicio erroneo temerè concepto, non esset imputabilis ratione legis falsò existimatæ, quia nulla datur lex ejusmodi, cujus contraventio merè ratione illius evadat imputabilis. Ergò tota imputabilitas provenit à lege reflexâ. Ergò præscindendo ab illâ nullum est periculum, nisi materialis peccati; quando homo eligit partem minus tutam minusque probabilem. His tamen non obstantibus, sectans partem minus tutam peccat, si pars tutior illi appareat probabilior, nisi per principia directa vel reflexa contemnat illam apparentiam, formetque conscientiam, quod opus liceat. Sed peccatum illud non esset imputabile, quia legi illi dubiæ, sed quia legi certæ reflexæ non operandi in dubio opponeretur, ut sæpè dictum est. Itaque in casu nostro, si præscindamus à lege reflexa, nullum est periculum nisi peccati materialis. Totum periculũ provenit à lege certa.

169. Objicit tertiò, nulla est paritas inter electionem status sæcularis, relicto statu religionis ad quem homo vocatur, & electionem partis minus tutæ minusque probabilis, probabiliori ac tutiore relicta. In primo enim casu utraque pars supponitur esse certò honesta. At in secundo adest fundamentum majus ad dicendum, quod objectum sit malum, quàm quod non sit malum. Ergò ex eo quòd vita sæcularis honestè ac prudenter præferatur religiosæ, non sequitur, quod pars minus probabilis minusque tuta prudenter præferri possit parti probabiliori ac tutiori. Objectio 3.

Respondeo hæc non tangere argumentum; supponitur quidem electio vitæ sæcularis esse certò licita, sed simul supponitur periculum peccandi, per se cum illo statu annexum, non impedire hanc Solvitur objectio.

hanc certitudinem. Inde autem à potiori probo, periculum contentum in usu opinionis minus probabilis minusque tutæ non reddere illum usum illicitum, quia usus ille involvit periculum minoris mali, quàm electio status sæcularis. Et sanè si quis controverteret, an vocatus ad religionem peccet præeligendo statum sæcularem, non minori fundamento concluderet illud esse malum, quàm usus minus probabilium probetur illicitus. Undè è converso inferimus, quod sicut rationes illæ sunt invalidæ, ita sint & istæ. Itaque argumentum per hanc replicam non solvitur. Immò miror, Theologum hæc objecisse, cùm eadem longè efficacius objecta, atque etiam soluta videre potuisset, si non solùm ad argumentum meum attendisset, sed solutionem objectionum percurrisset.

Objectio 4. 170. Objicit quartò, vel periculum peccandi in electione vitæ sæcularis est proximum, vel remotum; si proximum, sumus extra casum, tunc enim taliter vocatus, ad vitam religiosam capescendam obligaretur: Si remotum, paritas est nulla, quia periculum peccati in usu opinionis minus probabilis minusque tutæ est proximum, quia periculum elucet in actione hîc & nunc exercendâ.

Solvitur objectio. Respondeo hæc omnia fusè explicata & soluta esse *quæst. illa 23. num. 128. & seq.* Jam breviter dico, periculum peccandi in electione status supponi remotum, sed tamen est periculum peccandi formaliter & imputativè. In altero autem casu periculum est solùm peccati materialis, quod etiam probabiliter non imminet. At illud periculum est minus isto. Ergò si illud non reddat electionem statûs malam, nec hoc usum opinionis minus probabilis inficiet. Præterea certum est, periculum proximum peccati materialis separari non posse ab usu opinionis probabilioris; & tamen certum etiam est, tale periculum non inferre obligationem abstinendi à tali opere. Ergò periculum illud proximum in casu præsenti frustra objicitur, cùm sit longè minus malum, quàm periculum remotum cum sæculari vita conjunctum. Vide *quæst. 23. loco citato.* ubi hæc omnia latè explicantur, & unà ostenditur, periculum peccati materialis, quod connectitur cum benigna sententia, non esse minus remotum, quàm peccandi periculum cum statu sæculari connexum.

RATIO DECIMA-SEXTA.

Qui sequitur minus probabile, prudenter operatur. 171. OMNIS doctrina certò probabilis, etiam in contradictione partis oppositæ probabilioris, est doctrina certò prudens. Ergò qui illi doctrinæ certò probabili se accommodat, prudenter agit. Ergò certò non peccat; qui enim prudenter operatur, & ideo sic operatur, quia reflexè cognoscit se prudenter agere, procul dubio non peccat. Honoratus Fabri, dialogo de opinione probabili, argumentum hoc modo proponit. Certò scio, opinionem hanc esse probabilem. Ergò certò scio, assensum prudenter illi præstari posse; seu quod in idem recidit, certus sum præsumptionem de absoluta rei veritate esse prudentem. Ergò certus sum, hujus opinionis electionem esse prudentem, & usum licitum, quia certum est electionem & usum cujusvis opinionis esse licitum, quæ prudenter judicatur aut præsumitur esse vera. Ergò certò judico, me prudenter agere, operando juxta illam opinionem, quia certum est, operationem terminatam ad objectum, fundans prudentem præsumptionem de sui honestate, esse licitam, modò ideo ad illud terminetur, quia objectum illud fundat dictam præsumptionem, aut assensum prudentem, ut fit in casu nostro. Sed illud licitè fit, quod certò judico prudenter & licitè fieri. Ergò certò licitè sequor opinionem minus probabilem minusque tutam.

172. Idipsum honoratus Fabri deducendo ad impossibile confirmat hoc modo. Si fieri possit, vera sit sententia opposita. Ergò non est certum me prudenter agere dum illam sequor. Ergò non est certum me illam prudenter eligere. Ergò non est certum, quod prudens illi assensus præbeatur. Ergò non est certum, opinionem illam esse probabilem. Ergò certum est, & non est certum, eandem opinionem esse probabilem, quod est impossibile. Alia ratio deducens ad impossibile.

173. Hæc ratio efficax est, eoque Auctores benignæ sententiæ utuntur tanquam valido & irrefragabili argumento, quia fundatur in verâ notione opinionis certò practicè probabilis. Et sanè cùm certum sit, talem opinionem esse probabilem, certum est, intellectum ex imperio voluntatis posse prudenter præsumere illam esse veram. Dico præsumere; quia de absoluto judicio circa rei veritatem, omnes non conveniunt, nam aliqui tenent, quod non possit absoluto assensu illi adhærere, quod verum est in sensu tantùm composito judicii comparativi, dicentis illam esse absolutè minus probabilem, ut sæpè dictum est. Sed hoc non obstat, quo minus homo per modum præsumptionis & suppositionis ita se gerat, ac si assensum præbuisset; quia certò scit, assensum forè prudentem, si motivo illi præberetur. Hoc autem est præsumptionem, & suppositionem veritatis pro parte minus tuta esse certò prudentem, & rationabilem. Voluntas enim eam imperando non peccat, sed laudabiliter operatur: stante autem hac præsumptione, aut absoluto judicio de honestate operis, manifestum est, operationem illi conformem esse honestè eligibilem. Hoc autem & non aliud intendimus. Præsumptio prudens æquivalet judicio prudenti.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

174. OBJICIT primò Theologus iste. Antecedens procedit de subjecto non supponente, si loquamur de probabilitate extrinsecâ, per denominationem ab intellectu potente probare opinionem aliquam per assensum. Nam opinio, favens libertati in contradictione opinionis oppositæ probabilioris, nequit approbari per assensum, & consequenter non manet probabilis in illo occursu. Ruit ergo argumentum, cùm fundetur in eo, quòd opinio minus probabilis in occursu contrariæ opinionis, quæ apparet probabilior, sit hoc modo extrinsecè probabilis, ut per assensum approbari possit. Objectio I.

Respondeo inprimis, argumentum nostrum æquè procedere de præsumptione, ac de judicio veritatis contentæ in opinione minus probabili. Sed apparentia majoris verisimilitudinis pro una parte non impedit hanc præsumptionem pro parte altera, sive præsumptio ista se teneat solùm ex parte intellectûs, sive ex parte voluntatis, aut ex parte utriusque. Ergò apparentia illa non solvit argumentum, nec probat, illud procedere de subjecto non supponente. Solvitur objectio.

175. Respondeo secundò, antecedens esse verissimum, quia loquimur de opinione probabili, in occursu contradictoriæ, quæ probabilior apparet.

apparet. Ergò opinio illa & est & supponitur esse certò probabilis, etiam in occursu opinionis contrariæ. Ergò supponitur esse, & est doctrina certò prudens, etiam in contradictione opinionis contradictoriæ apparenter probabilioris. Nec obstat, si concedamus, intellectum non posse hic & nunc assensum præbere illi motivo, quia hæc impotentia non oritur à defectu sufficientiæ in motivo, sed solùm à judicio comparativo inevidenti, & forsan falso, quod pro omni instanti suspendi potest. At tale impedimentum conscientiæ formandæ non obstat, sicut aliud impedimentum simile non obstat conscientiæ formandæ de licito usu partis probabilioris, quamvis judicium directum de illius veritate, stante eo impedimento, formari non possit. Tale impedimentum esset, si quis absolutè nollet assentiri parti, quæ ipsi videtur probabilior. Hæc volitio impediret quidem assensum directum de absoluta veritate partis directè probabilioris, non tamen impediret reflexum judicium, quo homo prudenter diceret, hoc non obstante tale objectum licitè poni. Talis enim volitio nil de merito ac prudentia motivi directi detraheret, & consequenter non impediret, quo minus conscientia reflexa prudens formaretur. At hic est casus etiam noster. Quia judicium illud, comparativum & incertum, nil detrahit de merito motivi, quod judicat esse minus. Ergò cùm illud sit prudens in se, etiam in contradictione oppositi, nullatenus impedimur per judicium illud comparativum, quo minus reflexè prudenter eligamus opinionem minus probabilem, & credamus usum illius esse licitum, quamvis hic & nunc per accidens non possimus formare judicium directum de illius honestate. Ratio est eadem in utroque casu, quia scilicet hujusmodi impedimenta assensûs directi nullo modo variant discursus reflexos & indirectos, quamdiu non imminuunt dignitatem ac meritum motivorum, quibus accedunt. Hinc enim fit, ut per discursum reflexum eodem modo conscientiam formare possimus, sicut potuissemus si illa impedimenta abfuissent. At si abfuissent, potuissemus ex reflexa consideratione formare conscientiam, circa licitam electionem, & usum certò prudentem partis minus tutæ, præscindendo ab eo, quod sit vel non sit probabilior. Ergò idem pariter possumus, non obstante dicta comparatione.

Impedimentum judicii directi conjungi potest cum judicio indirecto de honestate operis.

176. Et sanè, cùm hoc loco instituamus argumentum reflexum, in sola notione certæ probabilitatis fundatum, idque independenter ab assensu directo ulli parti dato, miror Theologum istum id non vidisse, sed confudisse impedimentum assensûs directi, cum impedimento assensûs reflexi, cùm tamen impedimentum primi non sit impedimentum secundi, ut evidens est in praxi eorum, qui benignæ sententiæ subscribunt, & ex vi illius bonâ fide ad operandum procedunt: & sanè si vis & progressus argumenti inspiciatur, clarè apparebit, in eo solùm nos insistere, quod quævis pars certò probabilis, reflexè cognita ut talis, eligi possit, & credi licita, quia nititur motivo certò prudenti, & quia conformatur doctrinæ certò prudenti, sive illa vi considerationis directæ actu credatur licita, sive non. Sicut enim cognoscere possum aliquam doctrinam esse certò prudentem, quamvis actu non credam illam esse veram, sic reflexè scire possum, ejus usum esse licitum, quia est conformis doctrinæ prudenti, quamvis nullum eliciatur judicium directum de illius veritate. Hic est casus noster. In hoc ergo æquivocavit Theologus iste, quod confuderit judicium reflexum cum directo; & quia videbat comparationem illam esse impedimentum judicii directi de absoluta honestate rei, putavit nullum judicium, ne quidem reflexum, de licito illius usu formari posse, sed in hoc erravit. Hæc qui perspexerit, videbit argumentum validissimum esse, & ab hoc Theologo, non solùm non expugnari, sed vix aut ne vix quidem impugnari.

Argumentum nostrum clarius explicatur.

177. Respondeo tertiò, loquendo etiam in sensu directo, judicium illud comparativum simpliciter loquendo non obstare, quo minus intellectus in eodem instanti flecti possit in assensum prudentem de honestate partis minus probabilis; quamvis enim tale judicium elici non possit in sensu composito talis comparationis, si illa sit absoluta totius apparentiæ directæ comparatio, in sensu tamen diviso talis comparationis, qui sensus divisus est in nostra potestate, dictum judicium elici potest, ut fusè ostensum est *quæst. 9. & 10. de conscientia probabili.* Itaque antecedens argumenti, ne quidem in sensu hujus Theologi, est de subjecto non supponente, sed rectè subsistit, omnesque consequentiæ, ex illo deductæ, veritatem à nobis intentam manifestant.

Alia solutio.

178. Objicit secundò, si probabilitas sumatur pro verisimilitudine opinionis ex vi motivi, cui nititur, antecedens argumenti absolutè negatur. Nam ex eò quòd opinio sit certò probabilis, solùm sequitur, quod possit aliquando approbari per prudentem assensum, & in praxim deduci, nempè quando operanti apparet verisimilior oppositâ; ac proinde solùm sequitur, quod sit prudens respectu intellectûs, cui proponitur, ut verisimilior oppositâ. Non autem sequitur, quod sit certò prudens in omni rerum occursu, etiam quando opposita apparet verisimilior; tunc enim non esset prudentia, sed ingens temeritas secundùm eam opinionem minus tutam minusque probabilem operari. Ut latè ostensum est, multis in locis.

Objectio 2.

Respondeo, multa hic dici, sed nil eorum probari. Dico ergo, antecedens esse verum, etiam in sensu hic expresso. Nam opinio, de qua loquimur, supponitur apparere certò probabilis etiam illi, qui judicat illam esse directè minus probabilem, qui proindè potest non solùm indirectè ex vi argumenti allati illam per prudentem assensum approbare, sed etiam per assensum directum, in sensu diviso judicii comparativi, ut dictum est. Jam verò usus talis opinionis ex reflexâ consideratione prudentissimè judicatur licitus, quia hoc non solùm apparet probabilius opposito, sed absoluto judicio verum creditur. Quod si sistamus in sola probabilitate directa, judicium elicitum ob motivum creditum minus, in sensu diviso talis comparationis, nullam temeritatem includeret, sed esset judicium simpliciter prudens, quamvis in infimo prudentis judicii gradu consisteret, ut sæpius insinuatum est, & videri potest *quæst. 10. de conscientia probabili.* ubi hoc ipsum ex professo probatum invenies.

Solvitur objectio.

179. Ex dictis Lector facile advertet, argumentum, hoc loco à nobis allatum, fundari in mera reflexione super probabilitatem directam utriusque partis, hac enim duntaxat ratione est peculiare argumentum, ab aliis omnibus distinctum; nam si, præter probabilitatem directam, reflecteremus super alios titulos reflexos, v. g. titulum possessionis, legis non sufficienter promulgatæ, &c. inveniremus majorem probabilitatem

Sensus nostri argumenti reflexi ulterius explicatur.

tatem

tatem reflexam non præcisè ex notione probabilitatis, sed ex aliis capitibus, ut patet. At hoc loco ex mera contemplatione probabilitatis directæ argumentum formamus, per quod reflexè probamus, & ut probabilius, ac ut absolutè verum inferimus, quod usus opinionis directè minus probabilis minusque tutæ sit licitus. Sed in hoc argumento omnino præscindimus ab eo, quod intellectus ex vi rationum directè probantium formet assensum de veritate rei secundùm se, quia ex hac consideratione aliud peculiare argumentum supra deductum est. Jam ergo considerantes ipsam naturam opinionis probabilis, conferimus inter se motiva utrique parti faventia, & inspicimus quomodo se habeant ad invicem, & quanta sit vis & meritum unius in alterius contradictione; & quia scimus etiam illud, quod directè repræsentatur ut minus, esse verè magnum & prudens, ac ex se dignum assensu, etiam in contradictione oppositi, quod majus creditur, ideo scimus doctrinam illam esse simpliciter prudentem, & dignam assensu nostro directo, quamvis assensus ille directus hîc & nunc per accidens non eliciatur, aut etiam propter judicium illud comparativum elici non possit, nisi in sensu diviso illius. Quare præscindendo ab omni judicio directo, & ab omni ejus impedimento, consideramus quid prudenter eligi, ac cui doctrinæ possimus nos in praxi prudenter accommodare. In hoc sensu argumentum procedit, & validè probat intentum. Argumento autem in hoc sensu sumpto objectiones hujus Theologi non contradicunt, nam ille totam vim in eo ponit, quod assensus directus de veritate partis minus probabilis, qui per accidens tantùm impeditur, elici non possit. Verùm hoc hîc non quæritur, sed solùm an illo judicio non elicito, adhuc possimus reflexè concludere, usum partis minus probabilis esse licitum. Hæc paulò subtiliora sunt, & ideo explicari debuerunt, ut soliditas argumenti nostri, & insufficientia objectionum in contrarium omnibus clariùs pateret.

Idem argumentum exemplo exponitur.

180. Sed ut hæc omnia clariùs adhuc, etiam minus subtilibus, innotescant, rem totam in exemplo repræsentare volo. Quæstio sit, an reipsâ, & in praxi absolutè tenear confiteri circumstantias purè aggravantes in eadem specie? Suppono, opinionem affirmantem hanc obligationem mihi videri probabiliorem; quæritur utrùm, hac apparentia non obstante, prudenter affirmare possim, me absolutè non teneri ad illas confitendas. Respondeo me posse id prudenter affirmare, idque præcisè ex probabilitate opinionis contrariæ mihi perspectâ. Ratio est, quia scio opinionem illam esse certò prudentem, etiam mihi, non obstante comparatione illa, qua mihi videtur minus prudens; quia quamvis non possim illi hîc & nunc assentiri, id non oritur ex defectu meriti in motivo, sed ob comparationem incertam, quam sine necessitate interpono. Undè infero, me, non obstante tali comparatione, posse doctrinæ huic certò prudenti, à S. Thoma aliisque innumeris traditæ, practicè me accommodare, illamque prudenter eligere pro praxi, quia doctrina illa secundùm se sana est & prudens, quamvis, ut dixi, ob peculiare impedimentum accidentale hîc & nunc nequeam directè affirmare, quod usus ille non sit prohibitus. Quare omisso judicio directo, reflexâ viâ incedo, & ex ipsâ naturâ probabilitatis illi faventis reflexè infero, usum illius esse licitum, doctrinamque illam prudenter eligi etiam à me, ut illam in praxi sequar.

RATIO DECIMA-SEPTIMA.

Benigna sententia auctoritate inspecta, est moraliter certa.

181. AUCTORITAS favens benignæ sententiæ est incomparabiliter major, quàm quæ favet sententiæ rigidæ. Auctoritas hæc ad duo capita reducitur. Primum sumitur ab exemplis, & doctrina summorum Pontificum, qui utraque via veritatem illius satis apertè declararunt. Plura illorum exempla habes expressa in *quæst. 22. de conscientia prob. à num. 185.* ubi praxim illorum circa probabilium usum fusè declaratam invenies. De doctrina verò illorum infra *quæst. 8.* ex professo agetur, ubi ostendam, sententiam benignam ab iis pro regula conscientiæ satis expressè fuisse traditam. Alterum à multitudine ac qualitate Doctorum illam tradentium desumitur. Certissimè enim constat, omnes Ecclesiæ Doctores, numero plurimos, doctrinâ præstantissimos, per integrum sæculum illam in expressis terminis tenuisse, atque, post rem à fundamento examinatam, in eandem sententiam unanimi concordia ivisse. Verùm ab ortu Jansenismi res hæc, ob illorum clamores, novæ discussioni subjecta fuit, factumque est, ut pauci aliqui Theologi Catholici negaverint, usum opinionis minus probabilis esse licitum, verùm hi pauci sunt numero, & inter se plurimum divisi, nemo enim cum alio in re ipsa consentit, & vix quisquam illorum est, qui benignam sententiam in sensu legitimo, & ab ejus Auctoribus intento impugnavit. Hæc omnia fusè demonstrata sunt *quæst. 22. de conscientia prob. per totam, ubi nu. 210.*

Probatur paritate judicii in foro externo.

Hoc argumentum formo. In omni tribunali quoties pro una parte sunt decem aut plures testes omni exceptione majores, contra unum pro parte opposita, eumque non majoris, sed potius minoris existimationis, quàm quivis priorum, toties quod à decem illis affirmatur, habet plenam probationem, & est humano modo moraliter certum, & evidentissimè confirmatur motivo, quod non solùm plerumque verum dicit, sed rarissimè fallit, ideoque præbet regulam judicandi moraliter certam. At hic est casus noster. Evidens enim est ex dictis *tota illa quæst. 22.* quod ad minimum decem stent pro benigna sententia, contra unum pro opposita, illique non minoris, sed potius majoris doctrinæ ac probitatis laude conspicui. Undè evidenter sequitur, benignam sententiam, auctoritate inspecta, non solùm esse multo probabiliorem opposita, sed humano modo moraliter certam. Ratio est, quia si auctoritas tantùm spectetur, præsumendum est, plures hosce, omni exceptione majores, verum dicere præ illis pauculis. Ad quod confirmandum multum facit quod traditur *in Codice Theodosiano titulo de responsis.* Ubi hæc habentur. *Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potiùs vincit numerus Doctorum; vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus eminet, qui ut singulos vicit, ita cedit duobus.* Hoc ipsum traditur. *distinct. 19. cap. in canonicis.* Quod desumptum est ex August. *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* Hic excessus probabilitatis fundat quandam moralem certitudinem, quia fundat tam firmam persuasionem de veritate rei, ut in rebus humanis absque ultiori investigatione contenti esse soleamus, uti fit, quando auctoritas testium pro una parte longè excedit auctoritatem testium pro parte opposita. Atque hinc est, quod omnes, qui rationes discutere nequeunt, sed sola auctoritate gubernantur, respicere debeant benignam sententiam,

tentiam, non solùm ut longè probabiliorem, sed etiam ut humano modo moraliter certam, ex quo reflexè certificantur, se prudenter sequi illam in praxi; evidens enim est, quod qui advertenter conformat se auctoritati gravissimæ, quæ omnem auctoritatem in contrarium superat, prudenter operetur. Ergò omnes tales, qui sequuntur benignam sententiam, reflexè certificantur, se eam sectando licitè operari. Qui vim hujus argumenti latiùs deductam videre cupit, legat *quæst. 22. de conscientia prob.* quæ tota in eo versatur, ut extrinsecam benignæ sententiæ probabilitatem exponat, eamque cum auctoritate sententiæ rigidæ componat. Ibi enim omnia hîc dicta fusè deducta, & clarè demonstrata inveniet.

182. Rationem hanc Theologus iste non tetigit, nisi indirectè tantùm in quadam objectione superius posita. Verùm quidquid in contrarium dici potest, nullius est ponderis, cùm res hæc ex facto omnibus evidenti, nempè ex numero & qualitate Auctorum utrique sententiæ patrocinantium, dependeat. Hoc autem citra ambages evidenter noscitur, ideoque nulla esse potest difficultas circa quæstionem præsentem, cùm evidens sit incomparabiliter plures, eosque etiam majoris doctrinæ famâ celebres, pro benigna sententia stare quàm pro rigida, pro qua verè admodum pauci reperiuntur. Et sanè excessus hujus Auctoritatis tantus est, ut nemo adversariorum propter illius resistentiam non possit non meritò formidare de veritate suæ opinionis, illamque prudenter in praxi relinquere, atque alienæ auctoritati tantopere prævalenti se accommodare. Sic enim rectius facerent, & ad consilium illud, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, opere implendum, prudentius sese accommodarent, quàm propriæ opinioni nimis inhærendo, suamque sententiam ac auctoritatem omnibus præferendo, nunc faciant.

RATIO DECIMA-OCTAVA.

Omne directè probabile practicè est absolutè probabilius opposito.

183. LICITUM est sequi opinionem probabiliorem, minus probabili minusque tutâ relictâ. Ergò licitum est sequi opinionem directè minus probabilem, tutiore ac directè probabiliore relicta. Antecedens *quæst. 19. & 20. de conscientia prob.* atque hic *Assert. 1.* latè demonstratum est. Consequentia sic demonstratur. Reflexè probabilius est, quod liceat sequi opinionem directè minus probabilem minusque tutam, tutiore ac directè probabiliore relicta. Hoc perspicuum est, tum ex auctoritate, tum ex rationibus utrique parti faventibus, si invicem comparentur. Ex auctoritate quidem, ut constat ex ratione proximè allata, & iis, quæ in illa citantur. Ex rationibus verò, ut patet ex argumentis hîc allatis. Quorum nonnulla tam clarè evincunt intentum, ut non sit opus quidquam in contrarium examinare. Reliqua verò multum prævalent fundamentis adversariorum, ut patet, tum ex dictis contra hunc Theologum, tum ex tractatu de *conscientia probabili*, ubi argumenta eorum non solùm exactissimè examinata & soluta invenies, sed eadem nobis favere, nostramque sententiam maxima ex parte stabilire miraberis. Sed in hoc opere idipsum contra Celladeum ejusque argumenta efficacissimè stabilietur. Undè sic arguo.

Qui rationibus & auctoritate benignæ sententiæ convictus, illi subscribit, formet hoc judicium. *Probabilius est, usum opinionis directè minus probabilis minusq; tutæ, omnibus pensatis, esse licitum, quamvis opposita sit tutior, ac directè probabilior. Sed hæc opinio directè discurrendo est practicè probabilis, quamvis opposita tutior directè videatur probabilior. Ergò, omnibus pensatis, probabilius est ejus usum esse licitum. Ergò ejus usus licitus est, quia certum est, usum opinionis absolutè probabilioris esse licitum.* Major nobis est perspicua, cùm illi, post omnem industriam, rationibus & auctoritatibus longè prævalentibus convicti, assensum præbeamus. Et sanè talis est major, ut nemo meo judicio possit eam non approbare, qui rationes & auctoritates utrique parti faventes absque animi passione considerat. Minor supponitur certa & evidens. Consequentiæ omnes legitimè deducuntur. Et sanè per hoc argumentum reflexum veritas assertionis positæ non solùm probatur utcumque, sed certò demonstratur, quidquid aliqui in contrarium contendant, qui immeritò carpunt Caramuelem, quod in Apologemate utatur hoc argumento tanquam demonstratione. Caramuel enim in hoc verum dixit, ut mox clarius patebit.

184. Hoc argumentum ego iterum sic propono. Intellectus absolutè assentiri potest omni motivo prævalenti & probabiliori. Ergò cùm probabilius sit, usum opinionis directè minus probabilis minusque tutæ esse licitum, Intellectus potest absoluto assensu, eoque evidenter probabili ac prudenti, affirmare hanc veritatem: *Licitum est, sequi quamvis opinionem certò probabilem practicè, quamvis sit minus tuta & videatur directè minus probabilis.* Stante hoc judicio, subsumitur hæc minor. *Sed hæc opinio est certò probabilis practicè.* Undè infertur. *Ergò licitum est hanc sequi, quamvis sit minus tuta, & videatur esse directè minus probabilis.* Stante hac conclusione particulari, immo stante sola illa majori universali, omnis conscientia de turpitudine hujus electionis excluditur; nam judicium dictans rem hanc omnibus consideratis esse illicitam, non potest conjungi cum dictis propositionibus, quia sunt enunciationes sibi contradicentes. Ergò tale judicium certò honestat electionem hujus opinionis directè minus probabilis, quia certò prudenter excludit conscientiam peccati, adeoque reddit peccatum impossibile in sensu composito talis judicii.

Universaliter licet sequi omnem opinionem practicè probabilem.

Rursus ex illa conclusione particulari per primum principium synderesis formatur hic Syllogismus reflexus. *Licet facere quidquid, omnibus pensatis, prudenter judico esse licitum. Sed ego omnibus pensatis certò prudenter judico licitum esse sequi hanc opinionem, etsi directè minus probabilem, minusq; tutam.* Ergo licet eam sequi. Hæc conclusio evidens est, quia legitimè deducitur à præmissis evidentibus. Itaque in ordine ad intentum præsens perinde est, sive intellectus absolutè judicet opinionem minus probabilem esse veram, sive certò judicet eam esse probabilem, nam eadem paulatim inferuntur per istas præmissas reflexas, quæ inferri potuissent per judicium absolutum directum, si illud elicitum fuisset. Stat ergo assertionem esse veram, quia ejus veritas per hos discursus reflexos absolutè demonstratur.

185. Præterea sic pergo. Omnis regula practica pro dirigenda conscientia prudenter eligitur, quando est evidens, immò quando probabilius est, rationes & auctoritates, suadentes ejus veritatem, esse potiores illis, quæ afferuntur in oppositum. Ratio est, quia tunc possum certò prudenter judicare illam regulam esse absolutè veram.

Regula practica eligitur quando absolutè creditur vera.

veram. Hujusmodi enim regulæ non aliter eliguntur & admittuntur, quàm per judicium, quo absolutè existimantur veræ; eo ipso enim, quòd certò prudenter affirmantur esse veræ, ita uniuntur animo, ut voluntas, amplectendo objectum ab ipsis propositum, laudabiliter operetur, quia conformat opus regulæ practicæ certò prudenti. Jam quæritur an hæc regula, *usus omnis opinionis certò practicè probabilis est licitus*, prudenter eligi possit? Assero posse, quia illa propositio ad minimum est evidenter probabilis, & quoad nos post omnem industriam manifestè probabilior oppositâ. Ergò prudenter illi assentimur. At per hoc, quòd illa propositio objectiva affirmetur, evadit regula practicè directiva voluntatis, quia repræsentat objectum ut licitum, prudentique assensu unit honestatem objecti cum mente, quod est regulare voluntatem in actu primo, ut patet. Ergò ea ratione admittitur ut regula, qua judicatur vera. Sed certò prudenter judicatur vera. Ergò certò prudenter eligitur in regulam. At posito quod hoc modo eligatur in regulam, absque dubio ad conscientiæ securitatem sufficit. Ergò certum est, quod liceat sequi quamcumque opinionem certò probabilem practicè, quod in idem recidit, quòd quævis opinio certò probabilis practicè, sit regula objectiva sufficiens ad conscientiam debitè formandam, quia omnis ejusmodi opinio, etiam quæ apparet minus probabilis oppositâ, tot & tam validis argumentis reflexis, tantaque auctoritate roboratur, ut honestas rei, de qua loquitur, omnibus inspectis, fit longè probabilior, quàm ejusdem inhonestas, & quod plus est absoluto prudentique judicio credatur vera. Hinc enim habemus, quod tam certum sit, posse nos, omnibus inspectis, licitè sectari partem etiam directè minus probabilem, quàm certum est, usum opinionis directè probabilioris esse licitum. At hoc certum est ex dictis, ergo & illud.

SOLVITUR REPLICA Theologi.

Objectio Theologi.

186. REPONIT hoc modo. Hoc fundamentum, cui Caramuel maximè fidit, suprà latè discussum & enervatum est. Porrò ex dictis in probatione nostræ sententiæ, & ex solida perspicuitate, qua omnia adversariorum fundamenta diluimus, luce meridianâ clariùs constat, omnino gratis dictum esse, opinionem de usu licito opinionis minus tutæ in occursu probabilioris ac tutioris esse evidenter probabiliorem oppositâ, quam hucusque propugnavi, cùm potius clarissimè constet, nostram sententiam eis fundamentis niti, quæ rem videantur convincere, & quæ difficillimam solutionem habent. Et sanè vix ullam in controversiis Theologicis sententiam solidiùs ac nervosiùs comprobatam video, quàm præsentem hanc, quod scilicet usus opinionis minus tutæ in occursu sententiæ tutioris ac probabilioris non sit licitus. Hæc & non alia sunt, quæ Theologus iste contra hanc ultimam rationem objecit, sicut quæ antea proposui, contra alia argumenta objecerat; nil enim omisi, sed omnia fermè ad verbum ex illo proposui, ne quid omitteretur in re tanti momenti, sed omnia plenè discuterentur.

Responsio ad objectionem.

187. Respondeo. Argumentum, à nobis allatum, planè rem convincere, eandemque in principiis istius Theologi prorsùs demonstrare. In hoc enim ipsius doctrina consistit, quòd unicuique liceat sequi opinionem verè minus probabilem, si ipsi appareat probabilior. At sententia benigna post omnem industriam, omniumque hinc inde considerationem nobis probabilior videtur, & quod plus est absolutè creditur esse vera. Ergò ex doctrina istius Theologi prudenter illi assentimur; eamque in praxi licitè sequimur. Idem dicendum de iis, qui nobiscum sentiunt, seque per illam opinionem regulant, si, nobis credentes, eandem probabili judicio veram reputant. At hoc est totum, quod intendimus; aliud enim non docemus, quàm talem usum esse licitum, eo quòd sciamus hoc esse certò probabile, atque id ipsum longè probabilius appareat, quàm oppositum; undè inferimus, judicium de licito talium usu esse certò prudens & probabile iis omnibus, qui rationibus & auctoritatibus nobis faventibus convicti, benignæ sententiæ subscribunt. Inde autem progredimur ulterius, & dicimus, opus tali judicio regulatum esse licitum, quia est conforme judicio certò prudenti. Hæc omnia evidenter vera sunt ex principiis hujus Theologi, qui proinde non potest non ista admittere. Ergò admittit totum quod cupimus atque docemus. Si enim tam nobis, quàm iis, qui nobis fidunt, licitum sit sequi quamcumque opinionem practicè probabilem, contenti sumus & habemus intentum. Verùm hoc nullibi impugnavit, nec impugnare potest. Ergò non impugnavit benignam sententiam in sensu præcipuo ac finali à nobis intento. Solùm autem circa materiale à nobis dissentit, quatenus prætendit objectum illud, reflexè consideratum, non esse dignum assensu. At nos illud invenimus assensu dignissimum, illudque absolutè approbamus, quod ipse rejicit. Hæc autem illius consideratio contra intentum nostrum nil facit, ut patet; quia sicut in aliis quæstionibus controversis unusquisque per ipsum licitè sequitur opinionem, quæ ipsi probabilior apparet, quamvis alii eam improbent, & ut minus probabilem rejiciant; ita pariter in casu nostro evenit, nos enim, non obstante illius impugnatione, non minus tuti sumus, quàm si eam non impugnasset. Immò, ut dixi, directè nostram sententiam non impugnat, sed solùm indirectè; nec aliud suo conatu efficere potest, quam aliquos fortasse ad suam sententiam allicere, eosque ab assensu benignæ sententiæ præstando retrahere, atque ita efficere, ut ipsis tamdiu non liceat uti benignâ sententiâ, quamdiu falsam reputant. Verùm hoc non probat non esse licitum sequi illam sententiam, sed solùm quod illis eam sequi non liceat, qui illam falsam reputant. At nos hoc non negamus, sed solum dicimus, licitum esse sequi illam, si illa ex probabili ac prævalenti motivo credatur vera. Hoc ille non expugnavit, sed ne impugnavit quidem. Ergò non impugnavit benignam sententiam in vero ac legitimo sensu, in quo asseritur esse regula. Idem dico de aliis, & de ipso etiam Celladeo, qui in hoc sensu benignam sententiam non impugnat, cùm hoc unicè faciendum fuisset, si rem à se intentam conficere voluisset.

Qui sequuntur benignã sententiam tuti sunt ex sentẽtia hujus Theologi.

188. Hinc necesse est, omnia, quæ Theologus iste contra Caramuelem, in hoc argumento reflexo fundatum, objecit, nullius esse roboris, ad probandum usum benignæ sententiæ non esse licitum illis, qui eam non solùm ut probabiliorem, sed etiam ut absolutè veram habent. At Caramuel aliud non intendit; neque enim vult omnes per eam tutos esse, etiam eos, qui eam falsam

Objecta cõtra Caramuelem nullius sunt momenti.

falsam credunt. Ergò Theologus iste nil momenti in ordine ad finem præsentis controversiæ objecit, nec solvit argumentum, quod est insolubile, nisi neget usum opinionis probabilis propriæ esse licitum, quem tamen expresè asserit omnibus esse permissum.

Theologus iste nec clarè, nec solidè respondet argumentis.

189. Sed quid dicemus de solutione, quam argumentis hic allatis reposuit? Ille quidem dicit, se solidè & perspicuè ea solvisse, sed ego è contrario invenio, illum nec solidum nec clarum responsum adhibuisse; nam ubique fermè æquivocatione deceptus fuit, nec vim argumenti percepit. In aliis à veritate aberravit. Argumenta autem, quibus niti videtur, alia non sunt, quàm quod in dubiis tutior pars sit tenenda, quodque nemo, ne quidem physicè, & multò minus prudenter assentiri possit opinioni minus probabili in occursu contradictoriæ, quæ verisimilior apparet. At hæc fundamenta vix tangunt præsentem quæstionem, nam regula illa intelligitur de dubio practico, quod in casu nostro non invenitur, quia absolutè credimus usum minus probabilium esse licitum. Deinde impossibilitas illa assentiendi parti minus probabili non habet locum in consideratione reflexa, ut patet. At nos hoc loco solùm loquimur juxta considerationem reflexam. Rursus in consideratione directa, talis impossibilitas simpliciter non datur, quia in sensu diviso judicii comparativi, qui sensus divisus possibilis est, assensus prudens dari potest parti minùs probabili, ut diximus. Ergò illius fundamenta sunt verè debilia, & vix tangunt præsentem quæstionem.

Argumenta ipsius sunt debilia.

Benigna sententia est certò probabilior opinione rigida.

190. Unde infero, nos non gratis, sed ex manifestâ rationum prævalentiâ dicere, benignam sententiam esse evidenter probabiliorem oppositâ. Certè rationes & auctoritates pro nostrâ sententiâ ita prævalent, ut oppositæ vix habeant quod ad probabilitatem requiritur; nec dubium, quin nobis major ista probabilitas sit manifesta. Verùm quia hæc apparentia fortasè consequitur ad assensum opinioni benignæ præstitum, & non omnino antecedit omnem affectum & assensum uni parti impensum, ideo non dico, oppositam opinionem in omni casu esse improbabilem, sed dico eam in minimo probabilitatis gradu consistere, si comparetur cum sententiâ benignâ, quæ haud dubiè est longè probabilissima. Quòd si rigida sententia sumatur universaliter, non possum admittere illam ad probabilitatem pervenire, quia subditus in materiâ obedientiæ, atque etiam possessor bonæ fidei in materiâ justitiæ, haud dubiè licitè sequuntur opinionem æquè aut minus probabilem, contra oppositam probabiliorem ac tutiorem, quod tantâ vi probatur, ut ad moralem certitudinem pertingat, ideoque oppositum non est probabile. In aliis verò materiis, ut dixi, probabilitatem aliquam contrariæ sententiæ non nego; sed dico eam esse prorsùs exiguam, si cum benignâ sententiâ comparetur. Nec obstat, quòd Theologus iste exceptionem luce meridianâ, ut ait, clariorem ponat contra excessum probabilitatis pro benignâ sententiâ, simulque dicat, clarissimam esse prævalentiam argumentorum suorum: non obstat, inquam, quia ex illorum fundamentorum debilitate, facilique solutione, atque ex infirmitate responsionum ad argumenta nostra, satis constat, totam illam prætensam apparentiæ claritatem non in rebus ipsis fundamentum habere, sed solùm consequi ad opinionem jam stabilitam, & vehementem affectum erga opinionem conceptam. At talis apparentia nullius momenti facienda est, quia reperitur vel maximè in iis, qui ex vehementi passione temerè judicant. Quare è contrà concludo, benignam sententiam tantâ veritatis apparentiâ probari, ut in rebus controversis nulla sit in universâ Theologiâ, quæ validioribus argumentis stabiliatur. His contra Theologum istum, ejusque objectionem dictis, nonnulla corollaria ponam, quibus totam doctrinam nostram, jam probatam, in paucas lineas colligam, & uno quasi obtutu conspiciendam proponam.

COROLLARIUM PRIMUM.

Qui dicunt licita esse minus probabilia, reipsa docent non licere nisi probabiliora.

NOS, qui docemus, licitum esse sequi opinionem directè minùs probabilem, reipsâ docemus, nulli licitum esse sequi, nisi quod & nos judicamus, & scimus esse probabilius, & quod ipsi operanti probabilius est, & apparet.

191. Ratio est, quia objectum, directè minùs probabile, reflexè consideramus, atque novis argumentis convicti, asserimus, illud objectum, si consideretur in ordine ad circumstantias indirectè & reflexè cognitas, esse absolutè licitum, ejusque honestatem esse longè probabiliorem ejusdem inhonestate. Idem dicimus de omnibus, qui illam sequuntur; nisi enim benignæ sententiæ subscribant, illamque veram habeant, atque ita demum bonâ fide existiment objectum, in quod feruntur, esse absolutè licitum, peccant si partem minùs tutam sectentur. Immò quod plus est, nemo ex animi sententiâ unquam docuit, aut potest veraciter docere, quidquam licitum esse, cujus honestatem absolutè putat esse minùs probabilem ejusdem inhonestate. Patet hoc, quia suum cuique opinatum probabilius est, quàm oppositum. Ergo si credat aliquid esse licitum, utique existimat illud esse probabilius quàm oppositum. Unde detegitur æquivocatio eorum, qui putant nos docere licitum esse sequi absolutè minùs probabilia, quod tamen lumini naturæ repugnare videtur, quia repugnat conscientiam & bonam fidem formari de re, quam absolutè putamus minùs probabilem. Verùm hallucinantur, quia non distinguunt probabilitatem directam à reflexâ, & confundunt motiva directa cum reflexis. Quòd si hæc distinguerent, clarè viderent, illa esse absolutè probabiliora, quæ directè considerata sunt, & habentur minùs probabilia.

COROLLARIUM II.

Omnis opinio certò probabilis practicè est sufficiens regula objectiva remota cõscientiæ.

OMNIS opinio practicè probabilis, etiam æquè aut minùs probabilis directè quàm opposita, reflexè considerata, est regula objectiva remota sufficiens ad conscientiam debitè formandam.

192. Hæc propositio est ipsa assertio secunda, quam hactenus probavimus, sed eam inter corollaria pono, ut omnia, ad substantiam nostræ sententiæ spectantia, sub unum quasi obtutum præ oculis habeantur. Probatur. Omne objectum, quod seriò & diligenter consideratum ducit nos in assensum probabilem & prudentem de honestate illius rei, est regula objectiva remota sufficiens ad conscientiam debitè formandam, quippe quæ per talem assensum debitè formatur, ut patet. At omnis opinio certò practicè probabilis, etiam quæ directè minùs probabilis est, est objectum, quod seriò & diligenter consideratum ducit nos in assensum prudentem & probabilem

babilem de honestate illius rei, ut manifestum est ex dictis. Ergo omnis ejusmodi opinio est regula objectiva remota sufficiens ad conscientiam debitè formandam. Dicitur autem regula objectiva remota, quia est objectum sufficienter manifestativum regulæ objectivæ præcipuæ, quæ est voluntas Dei permittentis usum talis rei.

COROLLARIUM III.

Licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem.

VNIVERSALITER licitum est sequi quamcumque opinionem certò probabilem practicè, etsi sit minùs tuta, & habeatur directè minùs probabilis opinione contrariâ. Hæc etiam propositio coincidit cum corollario superiore; & est ipsa assertio secunda, quam hactenus probavimus. Ex rationibus autem & auctoritatibus prævalentibus ostendimus, illam esse verissimam. Cæterùm hanc etiam propositionem ideo inter corollaria posui, ut Lector simul habeat omnia ante oculos, quæ ad præsentem controversiam pertinent.

COROLLARIUM IV.

Argumenta allata, etsi solum probabilia sufficiunt ad demonstrandum usum minus probabiliũ esse licitum.

ETSI argumenta, ad licitum minùs probabilium usum comprobandum hactenus allata, concedantur non esse ne quidem moraliter demonstrativa, adhuc probabilitas, quam habent, ad plenam conscientiæ securitatem sufficit, imò sufficit ad demonstrandum, quod bonâ fide sequens opinionem directè minus probabilem minusque tutam non peccet.

193. Demonstratur. Probabilitas horum motivorum sufficit, ut absque temeritate, post diligens examen, certò prudenter & probabiliter illis assensum præbeamus, ut constat ex dictis. Hic assensus est regula conscientiæ, quia est judicium dictans quid sit licitum. Est autem assensus evidenter rationabilis ac prudens, qui proinde prudenter, & absque temeritate admittitur. Est ergo regula conscientiæ evidenter rationabilis ac prudens. Ergo certum est ex primâ assertione, quòd sit sufficiens regula conscientiæ ad licitè operandum. Certum, inquam, quia prima assertio non utcunque probata, sed ad minimum moraliter demonstrata est. Ergo demonstratum est, quòd qui bonâ fide sequitur sententiam benignam, non peccet. Ecce ex eo quòd argumenta allata probabiliter convincant, usum probabilium esse licitum, quodque quis benignæ sententiæ ex vi motivorum allatorum assensum præbeat, seu, quod idem est, illam in regulam suæ conscientiæ admittat, certum est, quòd eam sectando non peccet. Quod si aliquis illa motiva improbet, & oppositam opinionem rigidam veram habeat, ille non poterit uti benignâ sententiâ, ne contra conscientiam agat. Itaque quod nos asserimus, solùm extenditur ad eos, qui benignæ sententiæ rationabiliter & sine temeritate subscribunt.

Idem probatur ex doctrina S. Thomæ.

194. Rursus corollarium hoc iterum demonstratur ex doctrinâ S. Thomæ *quæst. 17. de veritate, art. 3. ad 4.* ubi hæc habet. *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat, ut quando errat circa ea, quæ scire tenetur; si autem esset error circa ea, quæ quis non tenetur scire, ex conscientiâ suâ absolvitur.* Hinc sic arguo. Qui bonâ fide modo dicto assentitur benignæ sententiæ, eamque in praxim deducit, non peccat contra conscientiam, quia sequitur dictamen conscientiæ suæ. Rursus non peccat contra legem, quia non peccat in assensu, quo benignam sententiam amplectitur, tum quia in eo assensu non errat, tum quia, si erret, ex conscientiâ suâ absolvitur. Ergo nullo modo peccat.

COROLLARIUM V.

Sensus & progressus benignæ sententiæ consistit in tribus judiciis.

INFERTUR ex his, quis sit sensus & progressus benignæ sententiæ in hac controversiâ.

Primum judicium quale?

195 Inprimis reflexè consideramus objectum directè minùs probabile, illudque consideramus in ordine ad circumstantias, quæ in argumentis nostris exprimuntur, &c. Post diligentissimum autem studium, tandem rationibus & auctoritatibus prævalentibus convicti concludimus, illud objectum licitè poni posse. Hoc est primum judicium, quod propriè ad præsentem controversiam pertinet, & est materia benignæ sententiæ, ut mox dicam.

Secundum quale?

196. Secundò, iterum reflexè consideramus qualitatem hujus judicii, & novo judicio dicimus, illud esse ad minimum certò probabile, & nobis quidem longè probabilius opposito. Hoc secundum judicium est evidens. Unde certò inferimus, homines, post diligentiam debitam, prudenter & absque temeritate primum illum assensum elicuisse. Quo nil certiùs, aut evidentius dici potest, si ex rationum & auctoritatum prævalentiâ illi assensum præbeant.

Tertium quale?

197 Tertiò, aliud judicium elicimus, quo asserimus, judicium, cujus qualitatem jam expressimus, esse sufficientem conscientiæ regulam formalem, etsi proponat objectum minùs tutum, & directè minus probabiliter honestum. Hoc ultimum judicium est demonstrativè verum, quia veritas, quam affirmat, evidenter demonstrata est in primâ assertione. Hisce tribus judiciis tota præsens controversia, & adæquatus sensus benignæ sententiæ exprimitur. Primum judicium præsupponitur tanquam materia proxima, circa quam benigna sententia versatur. Nam nisi tale judicium præcesserit, nullus est locus præsenti controversiæ; agimus enim de formali conscientiæ regulâ, quæ consistit in judicio dictante rem aliquam esse licitam. Ergo proprium objectum, seu propria materia hujus controversiæ reflexæ, de sufficiente conscientiæ regulâ, est judicium quodvis dictans rem esse licitam. Tale proinde est judicium dictans, usum opinionis directè minùs probabilis esse licitum. Ergo hoc judicium elicitum ab intellectu, & vitaliter mentem informans, est objectum proprium benignæ sententiæ reflexæ, quæ docet illam esse sufficientem conscientiæ regulam. Itaque benigna sententia, quæ agit de regulâ formali, tanquam de suo objecto, præcipuè consistit in duobus sequentibus judiciis: quorum primum exprimit qualitatem judicii dicentis, usum partis minùs probabilis minusque tutæ esse licitum; secundum verò dicit, illud sufficere ad conscientiam debitè regulandam. Ergo si hæc duo judicia sint vera, tota benigna sententia, quæ agit de formali conscientiæ regulâ, est verissima. Atqui ista duo judicia sunt certa & evidentia. Ergo benigna sententia reflexa, etiam quando agit de objecto directè minùs probabili, est certa & evidens, quamvis objectum proximum, seu materia immediata ipsius sit judicium solùm probabiliter verum. Ecce proprium sensum, & progressum benignæ sententiæ perspicuè declaratum habes.

COROLLARIUM VI.

Benigna sententia à nemine hactenus impugnata fuit in proprio ejus sensu.

HINC sequitur, nec benignam sententiam formalem, de quâ præcipuè agitur, nec proprium ejus objectum, ab ullo hactenùs impugnatum fuisse, nisi ab iis, qui nullum actum nisi certum pro formali conscientiæ regulâ admittunt. At illi non sunt Catholici rectè sentientes, si sermo sit de remoto conscientiæ dictamine, de quo solo nunc agimus, quia proximum, seu ultimum conscientiæ dictamen, ex opinionum electione & usu formatum, & est, & ex proximè dictis demonstratur esse evidens.

198. Ratio est, quia nemo hactenus impugnavit veritatem duorum illorum judiciorum, in quibus doctrina benignæ sententiæ consistit, neque quisquam directè conatus est probare, objectum à duobus illis judiciis assertum esse falsum. Nec mirum, quia qui illud aggrederetur, progredi non posset, sed statim in negotio prorsus desperato deficeret.


199. Jam si veritas illorum duorum judiciorum admittatur, nos totum intentum habemus, quidquid sit circa alia annexa, an illa ab adversariis concedantur esse vera, nec ne? Mirabitur fortassis Lector hæc audiens, & dicet, quid ergo fecerunt illi, qui tot clamores contra benignam sententiam excitarunt? Fierine potuit, ut aërem verberaverint, sententiamque, quam expugnare contendebant, ne quidem impugnaverint? Respondeo, ita re verâ accidisse. Impugnarunt quidem illi veritatem primi judicii, de quo loquimur, & dixerunt illud esse falsum; nos verò è contrario sustinemus, illud esse verissimum. Et in hoc tota lis hactenus stetit. Verùm hæc controversia non magis impugnat benignam sententiam, quàm alia similis Auctorum discrepantia de directâ veritate. Quidam asserunt tale quid esse verum & probabilius, alii reclamant, & dicunt esse falsum, & minùs probabile. Hi tamen secundi non impugnant benignam sententiam, quæ dicit, licitum cuique esse sequi opinionem certò probabilem, quam ipse reputat veram, & respicit ut absolutè probabiliorem. Idem pariter evenit in casu nostro, quia in utroque casu benignæ sententiæ veritas non pendet à reali veritate judicii, supra quod reflectit, sed solùm à veritate probabiliter & sine temeritate per illud præsumptâ & affirmatâ. Quamdiu enim tale judicium sine temeritate ob motivum certò probabile elicitur, tamdiu est, & scitur esse sufficiens conscientiæ regula, quamvis per accidens sit erroneum. Itaque totus adversariorum labor irritus est in ordine ad finem præsentis controversiæ; non enim sufficit probabiliter concludere, judicium illud esse falsum, nisi falsitas ejus tantâ claritate ostendatur, ut ejusdem veritas non sit ampliùs probabilis. Si hoc probaretur, tunc quidem locum non haberet benigna sententia supra tale judicium reflectens, quia materia seu objectum ejus proprium tolleretur, cùm supponat, judicium debere esse probabiliter verum, ut de illo affirmet quòd sit sufficiens conscientiæ regula. Quòd si judicium illud non esset probabile, è converso intellectus statim quæstionem resolveret, diceretque tale judicium, utpotè non prudens, non probabile, sed temerarium, non esse sufficientem conscientiæ regulam.

Clarissimo exemplo ostéditur neminem hactenus impugnasse benignam sententiam.

Benigna sententia hactenus obliquè tantum & indirectè impugnata fuit.

200. Itaque qui solùm impugnant veritatem talis opinionis, remotè tantùm, & quasi per accidens impugnant benignam sententiam; quatenus conantur veritatem suæ sententiæ demonstrare; quod si perficerent, proximam hujus controversiæ materiam destruerent, & sic tandem rectè ostenderent, benignam sententiam in talibus locum non habere. Verùm si probabilitas opinionis seu judicii illius subsistat, & homines absque temeritate & peccato, ob motiva certò probabilia & ipsis probabiliora, illi prudenter assensum præbeant, benigna sententia quoad illos locum habet; quæ proinde directè non impugnatur, nec impugnari potest, nisi quis probet, judicium ex motivis propriis nostræ sententiæ conceptum non esse probabile & prudens, sed temerarium & imprudens; & consequenter non esse sufficientem morum regulam, nec excusare eos, qui illam sequuntur. Hoc deberent probare, qui nobis adversantur; sed vix est, qui audeat talia dicere, aut imaginari. Solus Celladeus in hoc semel atque iterum collimat, sed non satis exprimit mentem suam, unde non possum dicere, quod absolutè teneat, docentes & utentes benignâ sententiâ absolutè peccare peccato imputabili, quamvis ad hoc opinandum multum inclinare videatur. Cæterùm, quæ Celladeus tradit, singillatim suis locis examinanda erunt. Nunc ad præsentem quæstionem hæc dicta sufficiant. Allata enim argumenta ita animum alliciunt, ut quis meritissimè in illis mentem figat, simulque stimulant, ut ad omnia dicenda ritè penetranda animum seriò adjiciat; nullus enim labor nimius videri potest, quo res tanti momenti debitè examinatur, & solidè stabilitur.

Ostenditur quid agere deb.ant qui illam ritè impugnare volunt.



QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm voluntas, concordans rationi seu conscientiæ invincibiliter erranti, sit bona?

1. HÆC, ut *quæst.* 1. præfatum est, est secunda quæstio principalis hujus controversiæ, quæ ideirco diligenter tractanda est, ne de veritate illius ullum supersit dubium. Inprimis ergo certum est, voluntatem concordantem rationi seu conscientiæ vincibiliter erranti non esse bonam, sed malam, ut Theologi unanimiter docent cum S. Thomâ 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Similiter communis omnium persuasio est, & fuit, voluntatem concordantem rationi seu conscientiæ invincibiliter erranti esse bonam, in quo haud dubiè sequuntur opinionem S. Thomæ in eodem articulo, qui de hoc mentem suam ibi tam clarè explicat, ut mirum sit, oppositum ulli in mentem venire potuisse. Celladeo tamen aliter visum est, qui in hoc sicut in multis aliis singularem opinionem sectari voluit; cùm enim videret ex suâ sententiâ necessariò sequi, quòd volitio errori invincibili conformis non sit bona & honesta, haud territus est, ut oportebat, absurditate sequelæ, sed è contrario fixus in priori persuasione tanquam verâ, audacter se extendit ad veritatem consequentis admittendam; nec solùm fassus est, sequelam esse veram, sed omni nisu conatur probare, quòd ipse solus in hâc parte reliquis omnibus oculatior fuerit, tam in intelligendâ S. Thomæ mente, quàm in veritate ipsâ percipiendâ. Itaque *lib.* 3. *quæst.* 4. duo prosequitur; primum est, S. Thomam docere, voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti non esse bonam. Secundum, id ipsum rationibus efficacissimis convinci esse verissimum. Ego è contrario, communem omnium Theologorum sententiam secutus, duo statuam prorsus contraria, scilicet & S. Thomam oppositum tenere, & rationes ac auctoritates irrefragabiles communem Theologorum opinionem confirmare. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

S. Thomas tenet, voluntatem rationi seu conscientiæ invincibiliter erranti concordantem esse bonam.

Opus conforme errori invincibili est bonū ex mente S. Thomæ.

2. DEMONSTRATUR primò *ex* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. & 6. *In art.* 5. S. Thomas quærit, *utrùm conscientia discordans à ratione errante sit mala?* Huic quæsito sic respondet. *Idem est quærere, utrùm voluntas discordans à ratione seu conscientia errante sit mala, quàm quærere, utrùm conscientia errans obliget.* Hoc supposito, ostendit, conscientiam errantem semper ligare, asserens eos, qui contrarium arbitrati sunt, *irrationabiliter* locutos fuisse. Unde concludit, *quòd simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive rectâ sive erroneâ, semper sit mala.* Deinde *in art.* 6. quærit, *utrùm voluntas, concordans rationi erranti, sit bona?* Mox in corpore respondet hoc modo. *Dicendum, quòd sicut præmissa quæstio eadem est cum quæstione, quâ quæritur, utrùm conscientia erronea liget; ita illa quæstio eadem est cùm illâ, quâ quæritur, utrùm conscientia erronea excuset.* Ecce ex mente S. Thomæ idem est quærere, utrùm voluntas concordans conscientiæ erranti sit bona, ac quærere, utrùm conscientia erronea excuset. Ergo si ex mente S. Thomæ conscientia erronea excuset, voluntas illi conformis erit bona, quia ex mente ipsius hæc duo sunt unum & idem. At S. Thomas immediatè post verba proximè citata subjungit, conscientiam dupliciter errare posse, primò involuntariè ac invincibiliter, secundò vincibiliter, ac voluntariè. Atque demum expressis verbis concludit, conscientiam vincibiliter errantem non excusare; sed excusare, si invincibiliter erret. Atque hactenùs quidem expressis S. Thomæ terminis usus sum, qui in formam syllogisticam complicati, dant istas præmissas. *Idem est, voluntatem conscientiæ erranti concordantem esse bonam, ac errorem, cui concordat, excusare, sicut idem est, voluntatem conscientiæ erranti disconformem, esse malam, ac errorem, à quo discordat, ligare. Sed voluntas concordans conscientiæ invincibiliter erranti est conformis conscientiæ excusanti, sicut voluntas discordans à conscientiâ errante est discordans à conscientiâ ligante.* Ex quibus præmissis inevitabiliter ac legitimè deducitur hæc consequentia. *Ergo voluntas concordans conscientiæ invincibiliter erranti est bona, sicut voluntas discordans à conscientiâ errante est mala.* Et hæc absque dubio est expressa sententia S. Thomæ, de quâ nemo ambigere potest, qui dictos articulos absque indebitâ animi propensione legit & considerat.

3. Demonstratur secundò. S. Thomas 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 8. probat, actus aliquos esse indifferentes secundùm speciem; sed, hoc non obstante, *art.* 9. expresè tradit, nullum dari posse actum humanum, à ratione deliberativâ procedentem, qui in individuo, seu individualiter sumptus, sit indifferens. Sic autem discurrit. Non datur actus indifferens in individuo. *Actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Vnde necesse est, omnem actum hominis, à deliberativâ ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum.* Ita S. Thomas. Ex hâc autem doctrinâ sic arguo: Actus ab errore invincibili procedens est actus humanus, qui procedit à ratione deliberativâ. Ergo talis actus, sumptus in individuo, vel malus est, vel bonus. Atqui talis actus non est malus, ut omnes rectè tenentes fatentur, & S. Thomas expresè tradit 1. 2. *quæst* 6. *art.* 8. quia invincibilis ignorantia à toto excusat. Ergò talis actus, in individuo sumptus, est bonus. Hæc ergo est certissima sententia S. Thomæ, cùm evidentissimè & immediatè ex ejus doctrinâ sequatur. Cæterùm certum est, S. Thomam hîc agere de bonitate & malitiâ formali, & expresè negare, ullum

ullum actum deliberatum dari posse, qui, in individuo sumptus, careat bonitate, vel malitiâ formali; quia & ratio S. Thomæ id ipsum probat, & totum intentum articuli, ac quæstionis propositæ ad aliud non collimat, ut mirum sit, Celladeum §. 5. ausum fuisse hoc argumentum eludere, dicendo, S. Thomam loqui de bono & malo materialiter sumpto. Sed quid volumus? Ita dicere debuit ad tuendum positum, & ideo ita dixit, etsi sine ullo fundamento contra veritatem & communem omnium sensum id ipsum dixerit.

Opus errori invincibili cōforme esi moraliter bonum.

4. Et sanè, cùm in prioribus locis S. Doctor expressè & ex æquo comparationem instituat, inter bonum operis concordantis cum ratione invincibiliter errante, & malum operis discordantis à ratione errante, perspicuum est, quòd proportionalia tradat de bono primi, & de malo secundi. At certum est, quòd sentiat malum actûs secundi esse formale; quia opus ipsum, seu objectum actûs, est materialiter bonum; actus verò est formaliter ac moraliter malus. Ergo certum pariter est, quòd sentiat, bonum actûs primi esse formaliter & moraliter tale, quia objectum talis actûs secundùm se, seu materialiter sumptum, est malum. Similiter, cùm in secundo loco loquatur universaliter de omni opere individuali, utique assertio ipsius complectitur etiam operationem concordantem cum ratione invincibiliter erroneâ, quæ dicit malum esse bonum. Ergo sentit, actum ejusmodi non esse malum, sed bonum in individuo. Atqui certum est, quòd non sit materialiter bonus, cùm objectum, quod ponit, supponatur esse malum. Ergo aliam bonitatem non habet quàm moralem. Ergo tantum abest, ut replica Celladei enervet argumentum, ut è contrario apertè convincat, S. Thomam loqui de bonitate formali ac morali, quia bonitas objectiva non datur, & omnis alia bonitas est impertinens ad quæstionem à S. Doctore eo loco institutam; quia illa quæstio expressè instituitur de bonitate morali, ut patet. Præterea bonitas transcendentalis non est ad rem, quia ex æquo invenitur in actu discordante, ac in concordante cum ratione erroneâ. Ergo non est illa bonitas, de quâ S. Thomas loquitur, quia illa bonitas non est communis utrique actui, sed tribuitur uni, & negatur alteri. Patet ergo, quòd loquatur de bonitate morali. Ergo voluntas, conformis rationi invincibiliter erranti, est moraliter bona juxta mentem S. Thomæ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

5. OBJICIT primò. S. Thomas 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. quærit, an voluntas discordans à ratione errante sit mala, & affirmat. Mox *art.* 6. quærit, an voluntas concordans rationi erranti sit bona, & negat. Ita Celladeus *lib.* 3. *quæst.* 4. *in initio.*

Celladei error in intelligendo S. Thomâ.

6. Respondeo, Celladeum hâc in re certissimè falli, palpabilemque errorem Lectori imponere. Nullibi enim S. Thomas aut dicit aut insinuat, nullam voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, sed in toto articulo eò collimat, ut ostendat, aliquas ejusmodi voluntates esse malas, alias bonas. In argumento, *sed contra*, affert exemplum voluntatis conformis rationi vincibiliter erroneæ in iis, qui Apostolos occiderunt, arbitrantes se obsequium Deo præstare, eamque voluntatem asserit fuisse malam. Ex quo infert, *Ergo voluntas concordans rationi erranti potest esse mala*, quod ab omnibus admittitur. Verùm ubi infert S. Thomas, quòd omnis voluntas conformis rationi erranti sit mala? aut quòd nulla talis voluntas sit bona? Hoc ostendere debuisset Celladeus, ne Lectori imponeret. At S. Doctor non hoc, sed oppositum tradit; nam in corpore articuli distinguit rationem errantem, in vincibiliter, & in invincibiliter erroneam: tum probat, priorem non excusare, quin voluntas illi conformis sit mala; secundam verò excusare, & consequenter efficere, ut voluntas illi conformis sit bona; quia idem est, voluntatem esse bonam, & eam esse ab omni malo excusabilem. Hinc evidens est disparitas inter modum arguendi *in 5.* & modum arguendi *in 6. art.* In 5. resolutio quæstionis est universalis, scilicet, *quod omnis voluntas, discordans à ratione sive rectâ sive errante, semper sit mala.* At *in 6. art.* non infertur universaliter, quòd nulla voluntas rationi erranti conformis sit bona, aut quòd omnis ejusmodi voluntas sit mala; sed S. Doctor totam rem universaliter propositam distinguit, & juxta distinctionem resolvit quæstionem, dicendo, voluntatem conformem rationi erranti non semper, sed aliquando esse bonam. Errat ergo Celladeus, parificando doctrinam utriusque articuli, & contendendo S. Thomam universaliter negare, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, sicut universaliter asserit, omnem voluntatem à ratione discordantem esse malam.

7. Objicit secundò, Potissima, & fermè unica ratio dicentium, voluntatem rationi erranti concordantem esse bonam, est, *quòd sicut voluntas discordans à ratione tendit in id, quod ratio judicat malum; ita voluntas concordans rationi tendit in id, quod ratio judicat bonum. Sed voluntas discordans à ratione, etiam errante, est mala. Ergo voluntas concordans rationi, etiam erranti, est bona.* At hæc ratio est argumentum de verbo ad verbum, quod S. Thomas primo loco sibi objecit ad probandum, quòd voluntas conformis rationi erranti sit bona. Verùm in responsione illam rejicit ut futilem, eamque solvit. Ergo S. Thomas censet, voluntatem rationi erranti conformem non esse bonam, dum potissimum illorum argumentum repellit ut inane. Ita Celladeus *hic* §. 1.

8. Respondeo, mirandum esse, res tam evidenter falsas è calamo Theologi elabi potuisse. Cedo, Celladee, quis Theologorum unquam usus est hoc argumento, ut jacet, ad probandum quòd voluntas rationi invincibiliter erranti conformis sit bona? Unum ullius notæ affer, & ultrò fatebor, me tibi calumniam inferre. Si neminem ita differentem inveneris (neminem autem invenies) fatêre te inaccuratè loqui, atque hoc loco contra compertam veritatem ignoranti Lectori falsa pro veris obtrudere. Ego enim & assero, & scio, Auctores ad hoc probandum non uti hoc argumento, cùm omnes illud solvant, ut ostendant, quod omnes unanimiter tenent, voluntatem, rationi vincibiliter erranti conformem, non esse bonam, sed malam. Nemo ergo utitur hoc argumento sub illis terminis universalibus, sed ulteriùs requirunt, ut error sit invincibilis, & tunc cum S. Thomâ asserunt, voluntatem illi conformem esse bonam, quia sicut invincibilitas excusat à malo, ita infert bonum.

Celladeus affingit S. Thomæ oppositum ejus, quod tenet.

9. Cæterùm, ideo S. Thomas hoc argumentum sibi objecit, quia necessariò solvendum erat, ut veritatem suæ sententiæ stabiliret; argumentum enim probat, omnem voluntatem rationi erranti

erranti conformem esse bonam, cùm ipse teneat, non omnem sed aliquam tantùm ejusmodi voluntatem esse honestam. Itaque respondet, argumentum non concludere, quia *bonum, ut dicit S. Dionysius. lib. 4. de divin. Nom. causatur ex integrâ causâ, malum autem ex singularibus defectibus. Ideo ut objectum voluntatis dicatur malum, sufficit si verè sit, aut si apprehendatur tale. At ut sit bonum, non sufficit ut sit, aut ut credatur bonum, sed debet esse bonum utroque modo.*

Ratio, cur voluntas errori cónformis sit bona, vel mala?

Huic solutioni insistendo, dico, voluntatem conformem rationi vincibiliter erranti non esse bonam, sed malam; quia oritur ab errore vincibili, & consequenter à peccato, per quod ille error inductus est. Quidquid enim à quolibet voluntatis defectu, seu à quovis peccato ortum sumit, & ab eo quodammodo informatur, haud dubiè malum est; *quia malum ex quolibet defectu.* Econtrà, voluntas rationi invincibiliter erranti conformis bona est, quia non procedit ab ullo peccato, aut malitiâ hominis, qui errat; sed ex opposito derivatur à voluntate bonâ, seu à recto appetitu finis, ut ostendi *quæst. 12. de consc. prob. à num. 14.* Unde sequitur, nullum in tali homine dari defectum, à quo voluntas tali rationi conformis aut privetur bono, aut malum contrahat.

10. Dices primò. Talis voluntas dirigitur ab errore intellectûs. At omnis error est defectus, & malum. Ergo voluntas illa dirigitur à defectu, & à malo. Ergo non est bona, sed mala, quia bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.

Solus defectus voluntatis refundit malum morale in actum.

Respondeo, axioma illud S. Dionysii, si ad bonum & malum morale restringatur, ut fit in præsenti, non posse intelligi, nisi de defectu ipsius voluntatis, quia certum est, voluntatem conformem rationi invincibiliter erranti non esse malam. Ratio ergo est, quia operatio non procedit ab ullo defectu voluntatis, licet error intellectûs illam dirigat. Itaque sicut error ille intellectûs non refundit malum in volitionem, quam dirigit, cùm non sit defectus ex quo malum ejusmodi refundi possit; ita non est defectus tollens bonum ab illâ volitione, quam dirigit, cùm nullum defectum præsupponat in voluntate, nec ullam connexionem habeat cum malo morali, cui soli bonum morale privativè opponitur. Et quidem hoc modo respondeo, loquendo solùm de actibus directis intellectûs, quia illi soli sunt erronei; nam judicium ultimum, quo voluntas dirigitur in hoc casu, non est erroneum, ut sæpe dicendum erit, & mox ostendetur uberiùs. Cæterùm loquimur jam, ac si volitio illa non nisi ab errore dirigeretur, alioquin quæstio procederet de subjecto non supponente. Præterea hîc investigamus mentem S. Thomæ, qui non agit nisi de actibus directis, & supponit judicium, à quo voluntas dirigitur, esse erroneum. Ergo juxta hanc suppositionem respondendum erat.

11. Dices secundò. S. Thomas *in responsione ad 1. argumentum* supra à nobis ex ipso propositum, hæc habet. *Vt dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd secundùm suam naturam sit malum, sive quòd apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quòd sit bonum, requiritur quòd utroque modo sit bonum.* Ergo hæc est mens S. Thomæ. At voluntas concordans rationi, etiam invincibiliter erranti, fertur in illud, quod naturâ suâ est malum. Ergo talis voluntas ex mente S. Thomæ non est bona.

Respondeo, S. Thomam aliam doctrinam non afferre in responsione, quàm quæ sufficit ad elidendum argumentum. Ad hoc autem sufficit, si voluntas concordans rationi vincibiliter erranti sit mala, eò quòd vincibiliter feratur in rem naturâ suâ malam, & sic excusari non possit. Et sanè S. Thomas aliter intelligi non potest, nisi dicatur *in responsione ad 1.* contradicere dictis in corpore articuli, ubi ex professo probat, voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem non esse malam. Illa tamen fertur in rem naturâ suâ malam. Ergò dum in Responsione dicit, sufficere ad malum, si res sit naturâ suâ mala, etsi credatur bona, loquitur de malo vincibiliter credito bono, nec aliter intelligi potest. Ergo similiter, quando in eodem contextu dicit, *ut aliquid sit bonum, requiritur quòd utroque modo sit bonum*, intelligendus est loqui cum eâdem exceptione, ut scilicet utrumque requiratur, nisi contingat malum invincibiliter reputari bonum. Ratio est, quia loquens in uno eodemque contextu non censetur alterare sensum terminorum, nisi id expressè significet. At nil tale hoc loco significatur. Præterea ex corpore articuli constat, talem voluntatem esse bonam. Ergo nisi doctrina responsionis dictâ ratione limitetur, contradicit doctrinæ articuli. At quando doctrina articuli videtur repugnare cum doctrinâ responsionis, hæc per illam, non illa per hanc limitari ac explicari debet, quia doctrina articuli semper est, & debet esse exacta, cui omnia in responsione ad argumenta subserviunt. Econtrà in responsionibus sufficit, si doctrinæ illarum eam veritatem habeant, quæ ad solutionem argumenti requiritur, nec opus est, ut omnia in illis contenta ita ad litteram in omni universalitate vocum sint vera, ut nullam exceptionem aut limitationem patiantur, ut per se patet, & in Auctoribus etiam primariis videre est.

Mens S. Thomæ de bonitate morali actûs explicatur.

12. Est & alia limitatio huic S. Thomæ dicto necessariò adhibenda; illud enim, ut jacet, dicit, nil esse bonum, nisi quod ex naturâ suâ est tale, & insuper existimatur tale. At hoc falsum est, ut jacet, certissimæque S. Thomæ, aliorumque omnium doctrinæ contrariatur; constat enim opera, quoad speciem indifferentia, evadere bona, si ad bonum finem debitè ordinentur. Ergo ad bonum non requiritur, quod sit tale utroque modo. Ergo hoc dictum S. Thomæ non unâ limitatione indiget. Porro secunda limitatio confirmat primam; sicut enim quod non est bonum naturâ suâ, evadit bonum, si ad debitum finem ordinetur, ita quod ex naturâ suâ malum est, evadit bonum, si ex unâ parte invincibiliter credatur bonum, & ex altera ad debitum finem ordinetur. Stantibus enim his duobus, bonitas talis volitionis est inimpedibilis. Quidquid enim reddere potest bonum, quod ex se est indifferens, & tollere malum ab eo, quod naturâ suâ malum est, illud idem efficere potest, ut quod naturâ suâ malum est, hîc & nunc per accidens terminet voluntatem bonam. Sed de hoc fusiùs in assertione sequenti.

Alia limitatio dicti S. Thomæ.

13. Objicit tertiò. Non intelligit sensum quæstionis à S. Thomâ propositæ, qui aliud ex illo colligit, quàm excusationem à peccato. Ergo non intelligit quæstionem illam, qui ex illâ infert, operationem conscientiæ erranti conformem esse bonam. Probatur antecedens. S. Thomas in toto corpore articuli, aliud non agit, quàm ostendere, voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem non esse malam. Ergo, qui putat aliud ibi tradi, non intelligit quæstionem illam.

Præ-

Præterea S. Thomas *quæst. 17. de verit. art. 4. in corpore*, impugnat dicentes, conscientiam errantem in rebus per se malis non ligare, & hæc habet. *Qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundùm hoc enim conscientia ligare dicitur, quòd aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurreret, non autem hoc modo, quòd aliquis implens rectè faciat.* Ergò ex veritate rei, & ex mente S. Thomæ non intelligit quæstionem hanc, qui putat voluntatem implentem dictamen conscientiæ errantis esse bonam. Ita Celladeus §. 2.

Alius Celladei error in intelligẽdo S. Thom.

Respondeo, & audacter dico, eum non intelligere sensum quæstionis hujus, qui dicit, nil in eâ tradi de bonitate actûs rationi invincibiliter erranti conformis. Ratio est, quia S. Thomas in titulo articuli expresè quærit, an talis actus sit bonus. Deinde in corpore articuli respondet, hoc idem esse, ac quærere, an talis error excuset. Demum hac protestatione præmissâ, ostendit, talem errorem excusare. Nec aliud expresè dicit, quia alio opus non erat, cùm antea dixisset, idem esse, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam, ac errorem, à quo dirigitur, esse invincibilem, & excusare. Estne hoc nil tradi in isto articulo de bonitate actûs ab errore invincibili regulati? Sanè qui hoc dicit, quæstionem non intelligit. Itaque quamvis S. Doctor, post protestationem illam, totus sit in probando, quòd error ille excuset, uno tamen eodemque opere probat utrumque, quia ex duobus indistinctis unum probari nequit, quin alterum simul realiter inferatur.

Nullitas argumenti à Celladeo allati.

14. Quod affertur ex *quæst. 17. de verit.* non est ad rem, quia illi, quos S. Thomas ibi redarguit, non explicabant, ut debebant, conscientiæ ligamen per hoc, quod peccatum incurratur, si opus ponatur contra conscientiam; sed per hoc quod opus esset bonum, si fieret juxta conscientiam. At primum sufficit, ut conscientia liget, quæ proinde sæpe ligat, quando opus illi conforme non est bonum, scilicet quoties ratio vincibiliter errat. Hinc autem non sequitur, illum non intelligere mentem S. Thomæ, qui dicit voluntatem rationi invincibiliter erranti conformem esse bonam, quia nulla est connexio inter antecedens & consequens. Absurdum quidem esset universaliter dicere, omnem operantem juxta conscientiam bene agere, quia oppositum est certum, quando conscientia vincibiliter errat. At distinguere cum S. Thomâ rationem errantem in invincibilem, & vincibilem, & dicere, opus conforme errori vincibili esse malum, & opus conforme errori invincibili esse bonum, est loqui cum S. Thomâ, & intelligere quæstionem sicut ille intellexit. Certè si S. Doctor absolutè intendisset probare, nullam volitionem rationi erranti conformem esse bonam, ut fingit Celladeus, frustra adhibuisset distinctionem rationis vincibiliter & invincibiliter errantis; talis enim distinctio impertinenter se habuisset ad intentum, quia quocumque modo se haberet ratio errans, voluntas illi conformis nunquam esset bona. At longè aliter discurrit S. Thomas, qui propriam quæstionem rectè intellexit, ideoque non otiosam, sed prorsus necessariam quæstioni dirimendæ distinctionem adhibuit; ac proinde haud dubiè censet, omnem voluntatem, rationi invincibiliter erranti conformem, esse bonam.

ASSERTIO II.

Voluntas conformis conscientiæ invincibiliter erroneæ est bona.

PRIMA PROBATIO EX Sacrâ Scripturâ.

Volitio côcordans rationi invincibiliter erranti est bona.

15. INPRIMIS pondero illud *Psalmi 118. Beati immaculati in viâ*, & sic arguo. Qui vitam hanc humanam absque peccato transigunt, vocantur beati. At qui sequuntur dictamen conscientiæ invincibiliter errantis, per hoc ipsum, si in aliis non peccent, constituuntur immaculati in viâ hujus vitæ. Immo quando conscientia invincibiliter dictat, malum esse bonum præceptum, aut bonum esse malum vetitum, non aliter potest homo esse immaculatus in viâ, quàm sectando conscientiam erroneam, cùm errorem deponere non possit. Ergo per hoc ipsum, quod homo in viâ, id est in hac vitâ, modo humano operans, sequatur dictamen conscientiæ invincibiliter errantis, si in aliis non peccet, est & meritò dicitur beatus, quia *immaculatus est in viâ.* At nemo meritò prædicatur beatus propter operationem humanam, nisi illa sit bona. Ergo operatio, seu volitio, conformis conscientiæ invincibiliter erroneæ est bona, cùm propter illam, & per illam, sicut homo est immaculatus, ita pariter est, & dicitur beatus.

Liberè non peccare, est positivè bonum & laudabile.

Rursus Ecclesiastici 31. *vers. 8. & seq.* hæc habentur. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ & Thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ecce Ecclesiasticus non solùm attribuit beatitudinem diviti, qui vitam sine peccato traducit, uti Psalmista proximè citatus fecit, sed insuper expresè addit, eum hoc nomine laudandum. At laus est proprius effectus solius virtutis; actioni enim non bonæ laus tribuenda non est. Ergo actiones humanæ, quibus homo ex electione liberâ peccatum vitat, non sunt indifferentes, quia merentur laudem. At tales sæpe sunt actiones ab errore invincibili regulatæ, quia sæpe peccatum, sine talibus actionibus vitari non potest. Ergo illæ actiones sunt bonæ.

Liberæ vitationi peccati præmiũ debetur.

16. Deinde sic arguo. Omnis actus, cui debetur præmium, est bonus. Sed actibus humanis, quibus peccata vitantur, præmium tribuitur, quia stabiliri in Deo magnum bonum est, quod liberæ peccati vitationi adscribitur, tanquam effectus illi debitus, & proportionatus. Ergò tales actus sunt boni. Major per se patet. Ad probationem minoris, considera illud: *Qui potuit transgredi, & non est trangressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino:* Et videbis dictum stabilimentum liberæ peccatorum vitationi ascribi tamquam præmium, illi saltem de congruo conveniens. Hoc enim indicat causalis *ideo*, quæ reflectit supra liberam peccatorum vitationem tamquàm causam, cui stabilimentum in Domino tanquam effectus correspondet. At opus, cui tale præmium correspondet, est bonum. Ergo libera peccati vitatio est opus bonum: sed voluntas conformis conscientiæ invincibiliter erranti est libera peccati vitatio,

ut

ut per se patet, & Celladeus apertè fatetur. Ergo talis voluntas est bona.

Præterea sic arguo. Cuicumque tribui potest, quod allatus textus ponit pro antecedente, illi tribui potest consequens, quod idem textus ex illo antecedente deducit. Sed sectanti conscientiam invincibiliter errantem tribui potest antecedens hujus textûs, de illo enim verissimè dicitur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Immo hoc antecedens tribui illi posset, quamvis supponeretur in omnibus omnino invincibiliter errare (quam suppositionem Celladeus facit *lib. 3. quæst. 3.* ut ex illâ probet opus ex errore regulatum non esse bonum) quia talis homo faceret, quod posset ad vitandum peccatum, & sic faciendo illud vitaret. Ergo tali homini tribui debet illud consequens: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ergo talis homo hoc ipso bene & laudabiliter operatur, alioquin talis merces illi reddenda non esset.

Idem ex S. Paulo colligitur.

17. Tertiò S. Paulus 1. *ad Corinth.* 7. agens de virginibus & nuptiis duo tradit. Primum *versu.* 28. ubi dicit, nubentes non peccare. Secundum *versu.* 38. ubi hæc habet. *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit meliùs facit.* Unde sic arguo. *Qui matrimonio jungit virginem suam, eo quòd sit superadulta,* & satis videat, illam ad nuptias anhelare, facit omnia, quæ Apostolus requirit, modò omnem diligentiam adhibeat, ut viro digno, nulloque impedimento gravato eam locet. Ergo talis homo, ex mente Apostoli, non solùm non peccat, sed bene facit. Homo tamen sic operans aliquando ex errore invincibili concurrit ad conjunctionem, aut materialiter fornicariam, aut certè illicitam, eo quòd adsit impedimentum, vel prohibens, vel etiam dirimens talem contractum. Ergo aliquando contingit operationem esse bonam, quæ versatur circa malum, quod invincibiliter creditur bonum.

Homini hos actus elicienti non est fortuitò bene vel male operari.

18. Et sanè, quis non videt, talem Patrem ab omnibus laudem mereri, quòd dicta ratione filiam nuptui tradat. Porro dicere, quod bene operetur, si non erret, sed quod bene non operetur, quomodocumque erraverit, perinde est, ac si quis diceret, fortuitum esse, quod homo bene operetur, etsi omnem ad bene operandum conatum adhibeat, similesque prorsùs eliciat actus intellectûs ac voluntatis, sicut alius, qui bene operatur, quia fortuitum est, quod non erret, tametsi omnem diligentiam adhibeat. Immo aliquando contingit illum errare, quamvis similes prorsùs actus habeat in intellectu ac in voluntate, sicut ille, qui non errat, & bene operatur. Ergo bona operatio esset fortuita conanti, & similia prorsùs facienti, ac ille, qui bene operatur, quo nil à ratione magis alienum dici potest.

Bonitas moralis operationis liberæ non pendet ab aliena malitia.

19. Præterea non solum fortuitum esset, hominem, taliter conantem & operantem, bene operari, sed ab aliena malitia dependeret, quod bene, vel non bene operaretur. Si enim aliquis sua malitia apponat impedimentum dirimens, vel impediens illud matrimonium, tunc Pater ille non bene operaretur; bene autem operatus fuisset, si aliena malitia ejusmodi impedimentum non apposuisset. At absurdum est dicere, quod ab alienâ malitiâ dependeat, hominem, hos numero actus intellectûs & voluntatis elicientem, bene vel non bene operari, quia bonitas moralis actuum constitueretur per merè extrinsecum, & non ex propria operatione, libertate, ac modo operandi, sed ab aliena libertate & malitia dependeret, adeo ut si ille non peccârit, aut ita operatus sit, tunc ego bene operor; sed si ille, me inscio, aliter operetur, tunc ego eodem prorsùs modo agens, eosdemque actus eliciens, non bene operor. Quis tales illationes non exhorreat? Certum tamen est, illas ex singulari Celladei opinatione legitimè deduci. Rejicienda ergo est illius sententia, ex qua absurda tam patentia, naturali rationis lumini, communique omnium doctrinæ repugnantia, inevitabiliter deducuntur.

SECUNDA PROBATIO EX SS. Patribus.

Liberè non peccare est laudabile.

20. AUGUSTINUS serm. 19. *de verbis Apostoli.* citatum Ecclesiastici locum explanat, sicut ego illum exposui. Sic loquitur initio *cap.* 6 *Beatum scriptura dicit, qui post aurum non abiit, qui potuit transgredi, & non est transgressus, qui facere mala potuit, & non fecit.* Hactenus August. Ergo beatum dicit Scriptura inter alios, qui sectatur conscientiam invincibiliter errantem, ille enim potuit transgredi, & non est transgressus. Pergit August. & loquens de eo, qui reddit accommodatum, quando ipse solus conscius est, rem sibi accommodatam fuisse, hæc habet. *Si tunc reddidisti, si mortuo, qui commodavit, nescienti filio reddidisti: tunc te laudabo; quia, post aurum non isti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti.* Hæc etiam laus debetur illi, qui conscientiam invincibiliter errantem sectatur, quia casus indifferens est, ut statuatur per conscientiam veram, vel per conscientiam invincibiliter erroneam. Si enim commodatum non erat illius, qui commodavit, sed alterius, quem ille injustè re sua privavit, tunc restituens commodatum, habet conscientiam erroneam, quia putat rem illam ad jura commodantis pertinere. At hoc judicium erroneum est, & voluntas illi conformis materialiter peccat, quia disponit de rebus alienis invito domino: tamen talis homo meretur laudem ex mente Augustini. Ergo bene operatur.

S. Augustinus contrarius Celladeo.

Casus iste à fortiori eminet in restituente sacculum pecuniæ à se inventum, de quo agit Augustinus *ibidem cap.* 7. Supponit inventorem publicè pitacium proposuisse, quo declaravit, se sacculum pecuniæ invenisse, paratumque esse cum domino restituere. Accedit deinde homo, qui sacculum ad se pertinere ait, nec dicit tantùm, sed tempus & locum perditionis memorat, materiam & magnitudinem sacculi, nummorum numerum & qualitatem aperit, ita ut nemo prudens suspicari possit, quin ille sit, qui sacculum perdidit. Fieri tamen potest, ut alius sacculum perdiderit, hic autem omnium circumstantiarum conscius se præsentet, cùm sciat verum Dominum peregrè profectum, & in itinere mortuum, vel quia ipsemet sacculum furatus erat, &c. Jam quæro ab omnibus, qui sermonem illum legerunt, an talis inventor, & reipsa, & ex mente Augustini non sit laude dignus, si post omnem diligentiam adhibitam, & sufficientem temporis expectationem viro illi inventum restituat? Si neges, & ipsum lumen rationis, & totum Augustini discursum tibi contrarium senties; si concedas, habemus intentum, quia voluntas conscientiæ invincibiliter erranti conformis bona est, & laudabilis. Et sane nemo non videt talem resti-

restitutionem esse bonam, cùm perspicuum sit, inventorem parem laudem mereri, sive vero domino, sive falso domino, sed invincibiliter credito vero, inventum restituat.

Error directus sæpe fundat conscientiam reflexam veram & rectam.

21. Dices. Voluntas restituentis inventum aut accommodatum in hoc casu non regulatur à cognitione erronea, sed à cognitione reflexâ verissimâ, & evidentissimâ, qua omnibus notum est, laudabile esse, talia in talibus circumstantiis restituere. At hoc admisso, numquam verificatur, voluntatem rationi erranti conformem esse bonam.

Respondeo replicam esse verissimam, & in omnibus ejusmodi casibus locum habere, utpote in quibus ultimum conscientiæ dictamen est certum & evidens. Sed hoc nec suffragatur Celladeo, nec solvit argumentum. Non suffragatur Celladeo, quia ille nullas ejusmodi cognitiones reflexas, quibus conscientia certò reguletur, admittit. Non solvit argumentum, quia hîc non loquimur de ultimo conscientiæ dictamine reflexo, sed solùm de directo, quod erroneùm est, & cui voluntas est etiam conformis, quamvis aliæ accedant cognitiones reflexæ, à quibus potissimè regulatur. Cæterùm quamvis tales cognitiones reflexæ non darentur, adhuc doctrina allata esset vera, quia perspicuum est, talem voluntatem esse bonam ac laudabilem, quando reflexè consideratur. Unde reflexè scimus, errorem, si sit invincibilis, non tollere bonitatem ab actu regulato.

Præterea Augustinus *in eodem sermone cap. 8.* hæc habet. *Quid est magnum timere malum? magnum est non facere malum, magnum est amare bonum.* Unde subsumo. Sed sequens conscientiam invincibiliter errantem, liberè & ex electione sua non facit malum. Ergo magnum quid facit. Ergo bonam volitionem elicit; in rebus enim magnis, quæ mole carent, idem est esse majus & melius, ut alibi elegantissimè observat idem Augustinus, ideoque idem est magnum & bonum.

S. Augustinus tenet nullũ actũ esse indifferentem in individuo.

22. Legatur etiam Augustinus *lib. de utilit. credendi*, in quo multa ad fidem invincibiliter erroneam, & ad effectus ab illâ regulatos spectantia tradit, quos ut bonos, ac reipublicæ, naturæque humanæ proficuos approbat. Exemplum sume *ex cap. 12.* ubi hæc habet. *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus: cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? solus igitur sapiens non peccat: stultus ergo omnis peccat nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit, &c.* Ex prima parte hujus textus perspicuum est, nullum opus, ex mente Augustini, esse indifferens in individuo, quia omne illud est peccatum, *quod non est rectè factum.* Nec quidquam rectè fit, quod non à rectâ ratione, ac à virtute & prudentia proficiscitur. At opus à tali ratione regulatum, non est indifferens, sed bonum. Et quidquid à tali ratione non regulatur, est peccatum. Ergo omne opus humanum vel est bonum, vel peccatum ex mente Augustini. At certum est, voluntatem, ab errore invincibili regulatam, non esse malam. Idque ex mente Augustini, & omnium est indubitatum. Ergo mens Augustini est, quod talis voluntas sit bona. Ecce quoad hoc punctum S. Augustinus S. Thomæ præluxit, nec dubium, quin uterque idem teneat, nempè idem prorsus esse opus humanum ac liberum excusari à peccato, & esse bonum.

23. In secunda parte hujus textûs Augustinus docet, utilius ac rationabilius esse rudibus, aliisque (quos ibi stultos nominat) si sapientibus per fidem obtemperent, quàm si per rationem propriam seipsos gubernare satagant, eò quòd omne illud sit peccatum, quod à sapientia ac recta ratione ortum non habet. Hinc subsumo, sed certum est, ex mente Augustini in eodem capite, quod liberi, parentibus non veris, sed invincibiliter existimatis obtemperantes, non peccent. *Quis enim, ait, non videt pietatem, nisi ita sit* (scilicet, nisi liberi credant hos esse suos parentes) *sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent?* Ergo liberi, errore invincibili decepti, non peccant colendo parentes putatos, & veros parentes non colendo. Ergò rectè faciunt ex mente Augustini, alioquin eo ipso peccarent.

Vtilius est rudibus prudentibus credere quã proprio judicio se gubernare.

24. Hinc sequitur ulterius, eos recta ratione directos operari, quia opus rectum non nisi ex præscripto rectæ rationis proficiscitur. Ergo opus ex errore invincibili ortum, ex mente Augustini, est opus virtutis. Unde sequitur Augustinum reipsa agnoscere, liberos sic errantes regulari in operando à ratione recta & sapienti. At illa ratio non est judicium directè enuncians de honestate, & obligatione colendi hos & non alios, ut veros parentes, quia tale judicium est erroneum; quod proinde nec verum est, nec sapiens juxta phrasim Augustini hoc loco, qui accipere videtur rationem rectam & sapientem non solùm pro ratione vera, sed etiam pro ratione certa & manifesta. Ergo supponit dari aliam rationem reflexam, certam, sapientem, & propriè prudentem, à qua diriguntur, quæque dictum errorem, si forte intervenerit, respiciat tamquam circumstantiam objectivam, prout Auctores benignæ sententiæ fusè declarant, & ego hoc in opere non semel dixi, & dicturus sum, sed potissimè *quæst. 41.* ubi fusè de hac re tractandum erit. Quod si hoc non admittas, necessariò dicendum erit, ipsum errorem invincibilem esse ex mente Augustini rationem rectam; aliqua enim ratio recta est necessaria ad opus bonum, seu non malum. Ergo illa est vel cognitio directa invincibiliter erronea, vel cognitio reflexa vera, certa, & evidens. Quodcumque dicatur, doctrina Celladei evertitur, & quæ à nobis tradita sunt, stabiliuntur. Cæterùm utraque cognitio ad opus concurrit, sed diversimodè. Cognitio reflexa est certa & evidens, atque ad sapientiam seu prudentiam strictè acceptam pertinet. Ab hac cognitione voluntas immediatè dirigitur. Judicium verò invincibiliter erroneum solùm remotè concurrit ad opus à perfectâ & rigorosâ prudentiâ regulatum, quatenus est objectum novæ consultationis, ut dictum est, & loco citato explicabitur. Cæterùm ipsa etiam ratio invincibiliter erronea oritur à prudentiâ strictè dictâ, nempe à cognitione certâ & evidenti, ut ostendi, *quæst. 12. de consc. prob. à nu. 14.* atque ab illâ meritò vocatur ratio recta, seu rectè & prudenter elicita. Rursus eadem ratio est conformis appetitui recto, & ex hoc etiam capite non impropriè est, & vocatur ratio recta & prudens. Sed de his fusius *quæst. 41.* Interim præsens Augustini doctrina quomodocumque sumatur per omnia contrariatur Celladeo, nobisque per omnia consentit.

Liberi honestè obtemperant parentibus tantùm existimatis.

25. Rursus Augustinus *lib. 22. contra Faustum, cap. 75.* & refertur *cap. quid culpatur. 23. quæst. 1.* hæc

Subditus licitè bellat si non constet bellum esse injustum.

hæc habet. *Ergo vir justus si forte sub rege, homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Hîc duo dicuntur. Primum est, subditum militantem sub rege injusta jubente, esse innocentem, modò non sit certum, regem injusta præcipere. Secundum est, quod subditus ille rectè bellet. Unde subsumo: sed recta operatio apud omnes significat actum bonum & honestum. Ergo ex mente, immo ex expressis Augustini verbis habemus, voluntatem, tendentem in opera materialiter mala, aliquando esse rectam & bonam. Jam si unquam talis sit, utique talis est, quando error & ignorantia sunt prorsùs invincibiles, ut in casu, quo subditus ille bellans, absque omni suspicione contrarii, crederet bellum esse justum. Ergo Augustinus in terminis expressis Celladeo contradicit.

Demum August. *epist.* 126. respondens cuidam, à quo propter virtutem, quam in se non agnoscebat, laudatus fuerat, expresse dicit, hanc laudem, seu dilectionem ipsi prodesse, etiam quoad meritum æternæ vitæ. *Tibi*, inquit, *prodest ipsam diligere bonitatem: quam profectò diligit, qui eum diligit, quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quàm creditur, habeat.* Deinde subdit hæc alia. *Unus tantum in hac re cavendus error: ne quisquam, non de homine, sed de ipso hominis bono, aliter sentiat, quàm ipsa veritas postulat.* Ecce ex mente August. non officit bonitati, & merito actûs, si quis inculpatè erret, applicando bonitatem, quam diligit, subjecto vel personæ, quam ob illam bonitatem falsò illi attributam diligit, modò bonitas, quam diligit, sit bonitas vera & non ficta; quod totum S. Doctor verbis sequentibus clariùs expressit dicens: *Tibi ad mercedem beatitudinis* (æternæ) *quod ad hanc rem attinet; satis est, quod nos tales credens, quales oportet esse servos Dei, toto cordis affectu amplecteris.*

Amor personæ falsò creditæ bonæ sæpe est honestus, & meritorius.

Porro, ut etiam ad hunc locum August rectè observat Esparza *in Appendice art.* 201. eadem quoad hoc est ratio de deceptione circa bonitatem personarum, & circa rerum bonitatem; quod & in se verum est, & conforme menti Augustini, qui idem prorsùs tradit de errore circa res, ut constat *ex cap. quid culpatur*, jam proximè expenso, ubi expressè asserit, subditum rectè bellare, quando à Rege suo vocatur ad bellum revera injustum, modò invincibiliter ignoret injustitiam belli. Hoc autem est ipsum, quod hîc contendimus.

Item & amor rei malæ, si invincibiliter credatur bona.

26. S. Bernardus *de præcepto & dispensat. cap.* 12. tradit subditum in rebus incertis obedire debere suo superiori non aliter, quàm si Deus id ipsum præciperet. Tum ostendit nil interesse subditi, sive superior in percipienda Dei voluntate fallatur, sive fallat in præcipienda. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Et paulò post cùm sibi objecisset: *Sed homines, inquit, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt.* Statim respondet. *Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es, præsertim cùm teneas de scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia angelus Domini exercituum est? requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit; de hujusmodi quippe, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est; sed quod ità latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrum Deus sic vel aliter forte velit, si non de labiis custodientibus scientiam & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur, &c. Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus.*

S. Bernadus Celladeo contradicit.

Ecce Bernardus sentit, obedientem in rebus incertis laudabiliter ac meritoriè operari, etsi contingat opus materiale vere esse contra legem Dei, alioquin plurimum subditorum interesset, quod superior nec falleretur in cognoscenda, nec falleret in præcipienda Dei voluntate; plurimum enim nostrâ interest, quod opera nostra plena sint non vacua. At vacua forent, quoties superior erraret, si Celladeus verum diceret. Ergo plurimum nostrâ interesset, quod superior non erraret, nec ulla dari posset pax in obediendo. At Bernardus vult plenam in obediendo pacem, asseritque nostrâ non interesse, quamvis superior in incertis aut fallatur, aut fallat. Ergo talia opera obedientiæ per Bernardum sunt plena, bona, & proficua. Ergo Bernardus Celladeo repugnat.

Error in præcepto non nocet obedienti.

21. Hinc alius Celladei error ex hac Bernardi doctrinâ refutatur. Celladeus contendit, nos nunquam posse per rationes reflexas magis certificari de honestate operationis, quàm per cognitiones directas certificemur de honestate operis. Et sane, nisi hoc sustineat; tota ejus machina funditus ruit; quia si hæc certitudo reflexa semel admittatur, illa in omnibus aliis casibus controversis reperiri poterit, quod cùm Celladeus perspectum haberet, omnem, ut consequenter procederet, certitudinem reflexam negavit. At Bernardus asserit, subditos in rebus directè incertis debere obedire, eosque securos reddit de honestate obedientiæ, eò quòd in talibus Deus non ab ipsis, sed à superiore requisiturus sit, an materialiter peccarint, nec ne. Præterea probat ex sacra Scriptura, & ex ratione, quod Deus velit subditos in casu tali obedire. Ergo talis obedientia est honesta. Nec mirum, quia providentia Dei fuisset manca, nisi subditis providisset de regula conscientiam formandi pro tali casu. At providentia Dei non est manca. Ergo providit de tali regula, illamque nobis manifestavit. Hæc regula, est ipsa Dei voluntas reflexa, quâ sibi complacet in obedientia subditi, implentis jussionem superioris materialiter malam, quando non constat illam esse prohibitam. Ergo dantur regulæ reflexæ, per quas certificamur de honestate operationis, quando desunt regulæ directæ, quibus de honestate operis certificemur. Errat ergo Celladeus docens oppositum, nec errat utcumque, sed in hoc ipso SS. PP. sacram Scripturam interpretantibus contradicit.

Subditus certior est de honestate operationis, quàm operis.

28. Idem Bernardus *cap.* 17. *de præcepto & dispensat.* expressis verbis docet, bonam intentionem, etsi in errore fundatam (intellige de errore invincibili) esse laudabilem, nec condigna retributione fraudandam, licet opus ipsum sit materialiter malum, & à Deo prohibitum; hæc enim habet. *Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam, nec planè condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocumque non erit decepta simplicitas.* Quod ultimum ideo dicit, quia opus illud est materialiter malum, quod est aliquale malum, tam intellectûs, quàm voluntatis; intellectûs quidem, quia deceptus est, quod

Voluntas mali crediti boni est meritoria.

utique illi malum est; voluntatis verò, quia volitio illa non est tam meritoria, quàm si non ex errore, sed ex cognitione certâ regulata fuisset, ut ex professo ostendam *quæst. sequenti. Vide quæst. 27. de consc. prob. à num. 30.* ubi hunc Bernardi textum expendens, ostendi illum à nobis contra adversarios stare, & quidquid in contrarium objectum fuerat, dilui.

Bonaventura obedientiam in malo credito bono laudabilem esse asserit.

S. Bonaventura *tract. de gradibus virtutum cap. 2.* docet altissimum perfectissimumque obedientiæ gradum esse, *cùm obedimus homini indiscreto & discolo, & despecto, in persona Dei, qui multa imperat cum impetu, & sine discretione & deliberatione,* &, quod utique inde consequens est, non pauca (tametsi non manifestè) contraria rationi & legi Dei. Totum hoc confirmat S. Doctor ex verbis S. Petri *epist. 1. cap. 2.* & ad illa alludens hæc subjungit. *Quasi dicat, non est meritum magnum bonis & modestis obedire, sed malis & discolis.* Tandem mentem suam apertè prodit, eam cautionem ad extremum adjiciens: *Tamen cautè videatur, ne obediatur contra salutem:* quod ex mente SS. PP. tunc solùm evenit, quando quidpiam præcipitur, quod manifestè peccatum est. Hoc ergo excepto, dicendum juxta Bonaventuram, quamcumque obedientiam inculpatam esse bonam, & continere veram virtutem, etiam illam, in qua superior discolus aut indiscretus malum, quod tamen manifestè malum non est, præcipit.

Idem tradit S. Gregorius.

S. Gregorius Papa *in 1. Reg. cap. 3.* hæc habet. *Ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiretur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.* At in sententiâ adversariorum, nisi qualitas operis inspiciatur, illudque bonum esse reperiatur, obedientia nil juvat ad vitam æternam promerendam. Ergo contradicunt S. Gregorio, cujus verba ad omnem casum, in quo malitia operis non est manifesta, ex eo extendi convincuntur, quod sæpiùs inculcet ac iteret particulam exclusivam, ut cùm in antecedentibus, de obediente loquens, dicit: *Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat si præceptis obediat.* Item, *obedientis animus in eo, quod agit, non nisi obedientiæ bonum pensat. Præceptum namq; in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum, &c.*

S. Ignatius Celladeo repugnat.

29. S. Patrem nostrum Ignatium allatis Sanctis adjungo, quia similia prorsùs de obedientia tradit, idque non solum in Constitutionibus, sed etiam ex professo in Epistola de obedientia. Textus infra *quæst. 46.* afferentur, & ponderabuntur, *ex qua quæst* multa huc transferri possent, sed ego malo eò Lectorem remittere, quàm nimis multa absque urgenti necessitate duobus locis repetere. Itaque his hoc loco omissis, aliquid ex libro exercitiorum spiritualium excerpam, quia Paulus III. librum illum post rigidum ac diligentissimum examen approbans, disertissimè dicit, *se omnia & singula in exercitiis illis contenta Authoritate Apostolica, ex certâ scientiâ approbare, collaudare, ac præsentis scripti patrocinio communire.* Itaque Ignatius propè initium *in annotatione 15.* vetat, tradentem exercitia impellere exercitatum potius ad unum, quàm ad aliud vitæ institutum, & dat hanc rationem. *Licet extra exercitia licitum sit, & pro merito ducendum, si quis cœlibatum, religionem, & aliam quamcumque Evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus, quos ex personarum & conditionum ratione probabile sit fore idoneos; longè tamen convenientius meliusq; est, inter exercitia ipsa id non attentare, sed Dei potius voluntatem quærere & præstolari, &c.* Ecce S. Pater non solùm dicit eum non peccare, sed etiam meritoriè agere, qui extra exercitia suadet religionem illi, quem probabiliter judicat ejusmodi statui esse idoneum. Et tamen optimè norat, homines, talia judicantes, in probabili illo judicio nonnunquam errare. Eos tamen & à peccato excusat, eorumque industriam merito tribuit, quos imprudentiæ arguisset, si viros, tali statui non probabiliter creditos idoneos, ad id genus vitæ induxissent. At si inidoneum inducant, benè faciunt, modò probabiliter judicent eum esse idoneum; maximè verò, si summè probabile sit, tales viros esse valdè idoneos, nec ulla ratio in contrarium appareat. Et sanè exemplum hoc S. Patris est adeo manifestum, ut nemo videatur id posse negare. Sed saltem post Pontificis approbationem, adeo solemnem, nemo in posterum ejus rei veritatem negare audebit.

Agnoscit errore regulatâ esse bonum.

Error probabilis fundat actum bonum.

30. Idem S. Pater in eodem libro, *in generali conscientiæ examine sub finem tituli de loquela*, explicat quandonam liceat de alterius peccatis loqui, & dicit, non solùm licitum esse loqui de publicis criminibus, sed aliquando etiam de occultis, *quoties, scilicet, occultum alterius crimen indicatur alteri, per cujus subventionem, ille relevari à peccato possit: dummodo rei hujus probabilis aliqua ratio vel conjectura offeratur.* Ecce S. Pater in eadem doctrinâ persistit, eamque aliis etiam materiis applicat. Et quamvis hic solùm dicat, licitum esse in eo casu delictum manifestare, non autem expressè addat, id esse meritorium, tamen absque dubio idem de hoc ac de priori actu sentit, quia eadem est ratio, ut patet. Et tamen qui sic manifestat delictum alterius decipi potest, illud ei revelando, qui non solùm non est relevaturus peccatum, sed novum scandalum positurus. Itaque S. Ignatius, ejusque doctrina à sede Apostolica, etiam quoad hoc ipsum, approbata, nostram communemque sententiam confirmant.

Opinio Celladei cōtrariatur SS. PP. & meritum obedientiæ perfectæ imminuit.

Itaque hæc Celladei sententia apertè contrariatur communi Sanctorum Patrum sensui de merito ac studio obedientiæ cæcæ. Præter jam citatos, longum PP. Catalogum habes *quæst. 46.* in qua ex professo tractatur de merito obedientiæ cæcæ, etiam in casu erroris. Omnes enim in eo conveniunt, quod nil referat, sitne superior bonus an malus, discretus an indiscretus. At multum profectò, immo plurimum subditorum interesset, superiorem bonum esse & discretum, si merito obedientiæ carerent, quoties superior malus aut indiscretus ex pravitate vel ignorantiâ malum præciperet, quando malitia rei præceptæ subditos lateret. Itaque sententia ista communi SS. PP. opinioni ac consensui repugnat. Eademque plurimum de merito studio obedientiæ cæcæ, à SS. PP. summopere laudatæ diminuit, cùm sollicitos reddat omnes, ne superior sit malus vel indiscretus, ut patet; quia si ille mala præcipiat, quod à malo vel indiscreto superiori fieri pronum est, subditus omni obedientiæ merito privatur, quamvis absque dubio existimet se bonum operari. Nemo ergo nisi imprudenter studio obedientiæ cæcæ se exerceret, cùm per hoc ipsum periculo frustra in multis obediendi se committeret. Itaque sententia hæc, ex hoc etiam capite & falsitatis convincitur, & prorsùs rejicienda est.

PRO-

PROBATIO TERTIA
Ex jure Canonico & communi Auctorum consensu.

Pontifices declarant opus ex errore invincibili ortum esse licitum & bonum.

31. Eadem assertio, meo judicio, satis apertè definita est, in *cap. inquisitioni. 44. de sent. excom.* ubi Innocentius III. declarat, quod conjux, qui ex levibus tantùm indiciis, putat suum matrimonium esse nullum, licitè possit exigere debitum conjugale, si ad consilium Pastoris levem illam credulitatem explodat. *Et quidem*, inquit, *ad sui Pastoris consilium (conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ) licitè potest* (conjux) *non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* unde sic arguo. Quidquid Deus per Ecclesiam declarat esse licitum, id certò licitum est, & à Deo permissum. At Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti conjugalis esse licitam in circumstantiis dictis. Ergo illa certò est licita in illis circumstantiis, & à fortiori, quando nulla prorsùs adest suspicio de impedimento matrimonii. Ergo Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti esse licitam in dictis circumstantiis, quamvis præter intentionem contingat, matrimonium esse nullum, modò aut nulla omnino sit suspicio de impedimento, aut certè si quæ fuerit levis tantùm & temeraria suspicio, conjux, debitum petiturus, illam ex Pastoris sui consilio explodat. Ergo Deus per Ecclesiam declarat, petitionem debiti conjugalis in dictis circumstantiis esse licitam, quamvis illud postulans reguletur à conscientia erronea, quâ invincibiliter putat se à propria uxore debitum petere. Hinc autem sequitur, talem petitionem esse actum bonum & honestum, quia certum est, quod conformetur voluntati Dei permissivæ, aut etiam præceptivæ, si loquamur de redditione debiti. At quidquid tali voluntati conformatur, est bonum & honestum, maximè si ideo ponatur, quia cognoscitur esse conforme dictæ voluntati, cùm per hoc primæ & infallibili omnis honestatis ac moralitatis Theologicæ regulæ conformetur. Ergo voluntas, rationi etiam circa prohibita jure naturæ invincibiliter erranti conformis, est bona.

Omnes Theologi Celladeo contrariantur.

32. Demum constans & unanimis omnium Theologorum sensus est, actus conformes judicio invincibiliter erroneo esse moraliter bonos. Neque ex Auctoribus, qui à centum annis scripserunt, quemquam aliter sentientem reperio. Sed apud Sanchez *lib. 1. in Decalogum cap. 11. prorsùs in fine*, lego, Martinum de magistris, & Angestum docuisse oppositum, quorum opinionem Almainus, & posteriores Theologi unanimiter exploserunt. Porro omnes communiter, & efficaciter quidem, inde probant, tales actus esse bonos, quod actus indubiè specificentur à suis objectis, non præcisè ut sunt in se, sed ut repræsentantur per intellectum. Ergo si objectum in se malum invincibiliter repræsentetur ut bonum, malitia illius est prorsùs involuntaria, nec influere potest ad actum specificandum. Ergo actus ille specificabitur à bono, quod invincibiliter proponitur. Et sanè repugnat, actum non accipere speciem à motivo, in quod tendit, juxta rationem, sub qua tendit. At tendit in illud sub ratione boni: Ergo actus accipit speciem bonitatis illius. Ergo est bonus, & quidem illa specie bonitatis, quæ absque vitio intellectûs aut voluntatis repræsentatur. Præterea verissimum motivum virtutis repræsentatur, quamvis falsò applicetur huic objecto materiali. Ergo nil impedit, quo minus verum motivum virtutis specificet actum, ad quem movet, illique speciem ejusdem virtutis tribuat.

Auctoritas, infra infallibilem maxima, tenet opus ex errore esse aliquando bonum.

33. Hæc ratio, etsi sola afferretur, efficaciter concluderet intentum, verùm mox plures afferam. Sed & autoritas huic assertioni favens tanta est, ut, infra infallibilem, vix aut ne vix quidem major reperiatur. Periculosum autem est à ratione tam efficaci, & multo magis à tanta auctoritate recedere, saltem sine gravissimis fundamentis, quibus certè Celladeum in hac re carere paulò post in solutione objectionum convincam. Nunc eo capite redarguendus est, quod cùm in operis sui initio jactet se ex sacra scriptura, & ex SS. PP. doctrinam suam hausturum, in re tamen tanti momenti, nec locum ullum ex sacra scriptura, nec textum unum ex S. Patre, nullum Canonem, sed ne vel unum quidem Theologum pro se citârit, aut ex famosis, qui à centum annis scripserunt, ni fallar, citare possit. Quis ergo audebit illi soli contra talem testium nubem, & contra auctoritatem tantam, rationemque tam validam assensum præbere?

PROBATIO QUARTA
Ex multiplici ratione desumpta.

Ratio 1.

34. Probatur primò. Quamvis intellectus in directa consideratione erret, tamen, si error sit invincibilis, per considerationes reflexas verissimas consurgere potest ad formandam conscientiam veram & certam de honestate operationis, ut constat ex allatis exemplis, & fusè ostensum est in quæstionibus *de conscientia prob.* & infra, multis in locis, pluribus convincetur. Ergo licet error invincibilis per se non sufficeret ad honestatem refundendam in actum, honestas tamen, occasione illius erroris, sæpè refunderetur in actum per principia reflexa certa & evidentia, quæ dictant, opus illud hîc & nunc esse licitum, & à Deo permissum, ac proinde illud conformari divinæ voluntati, quæ est prima regula omnis honestatis. Ergo talis actus verè est honestus. Sed de his exemplis plura inferius dicenda erunt.

Ordinatio ad finem bonum inducit bonitatem in opus.

Præterea hinc sic arguo. Omne licitum honestè eligitur, si ad finem debitum ordinetur. Ergo quod ex errore est licitum, honestè eligitur, quando ad finem debitum ordinatur. Antecedens est certum, quia omnia quoad speciem indifferentia evadunt honesta, si ad finem bonum ordinentur. Certè S. Paulus expresè consulit, ut quæcumque facimus, ad Dei honorem faciamus. Nominat autem complures res quoad speciem indifferentes. Tenet consequentia, quia quod ex errore licet, continetur sub universali expressione antecedentis, nec est, cur unum ex contentis per additionem boni finis potius evadat bonum, quàm aliud. Præterea cùm certò sciamus, opus ex errore invincibili factum non esse malum, etsi ad nullum bonum finem ordinetur, utique scimus illud ita acceptum esse indifferens, id est nec bonum, nec malum; est ergo indifferens quoad speciem. Ergo si addatur finis bonus, opus illud æquo jure evadet bonum, ac quodvis aliud opus indifferens.

Ratio 2.

35. Probatur secundò. Error invincibilis, quo malum creditur bonum, vel bonum putatur malum, duplex est; alius solùm dictat illud esse permissum, alius enunciat illud esse præceptum, vel vetitum. Prima ratio procedit in casu primi erroris; hæc secunda arguit ex suppositione secundi

cundi erroris. Existimet judex invincibiliter, se debere condemnare innocentem, legitimè probatum reum (suppono jam sententiam illam esse falsam, quod si illa supponatur esse vera, exemplum ponatur in judice invincibiliter credente se obligari ad innocentem, legitimè probatum reum, non condemnandum, quia perinde est, in quo casu argumentum exemplificetur) dico voluntatem, tali judicio conformem, esse bonam. Probatur sic, qui implet obligationem, qua inevitabiliter premitur, bene facit, quia voluntati Dei hîc & nunc præcipientis obedit, illique se submittit; quod bonum est, & patenter honestum. At iste condemnando innocentem, implet obligationem, qua inevitabiliter premitur, quia invincibiliter credit se ad hoc obligari, quo errore stante sequitur certa persuasio, quod Deus in istis circumstantiis illum obliget ad innocentem condemnandum, quia verè tenetur ad illud faciendum, & ipse certò scit se ad illud teneri, nec aliter posse obligationem implere, quàm innocentem condemnando. Ergo bene facit hîc & nunc innocentem condemnando. Idem argumentum à fortiori valet in casu reddentis debitum conjugale, quia Ecclesia expresse declaravit id reddi debere, quando non constat matrimonium esse nullum, &c.

Error invincibilis obligans fundat actum bonum.

Confirmatur: qui facit quantum scit & potest, ut peccatum vitet, & sic faciendo illud vitat, laudabiliter operatur, quia implet omnem obligationem, nec in ullo deest suo officio & obligationi. At judex condemnans innocentem in casu allato, facit quantum potest ad vitandum peccatum, illudque sua libera electione vitat, ergo honestè & laudabiliter operatur.

Confirmatur secundò. Judex ille format hunc discursum: Deus hîc & nunc, omnibus inspectis, obligat me ad condemnandum innocentem; scio enim me inevitabiliter ad hoc ipsum obligari. Ergo bene facio illi obediendo. At non aliter illi obedire possum, quàm condemnando innocentem, quia nisi illum condemno, inevitabiliter pecco. Ergo bene facio innocentem condemnando, quia stante hac persuasione, quam nec debeo nec possum amoliri, verè obligor ad hoc faciendum.

Ratio 3.

36. Probatur tertiò. Malitia moralis non est essentialiter connexa cum ullo objecto, cujus malitia invincibiliter ignorari potest, quia omne objectum ejusmodi poni potest ex tali ignorantia, & consequenter absque peccato. Ergo omne ejusmodi objectum est indifferens, ut refundat, vel non refundat malitiam moralem in sui prosecutionem, quia, prout substat hisce circumstantiis, inducit malitiam, sed prout substat aliis, illam non inducit. Unde sic arguo: objectum, quod prout substat variis circumstantiis, modò est, modò non est moraliter malum, est etiam indifferens, ut, prout substat aliis circumstantiis, evadat moraliter bonum. Ratio est, quia denominatio mali vel non mali moraliter in tali objecto completur per additionem harum, vel illarum circumstantiarum. Ergo ratio mali moralis separatur à tali objecto, quando circumstantiæ, quibus subest, nil mali includunt, ratione cujus prosecutio objecti in illis possit esse peccaminosa. Talis circumstantia est omnimoda incogitantia vel ignorantia invincibilis mali latentis, aut error invincibilis dictans objectum esse bonum. Ergo si objectum illud substet circumstantiis non solum non malis seu excusantibus, sed etiam bonis & ad bonum finem ordinatis, evadet honestè eligibile; sicut enim istæ circumstantiæ efficiunt opus bonum, quod ex sua specie est indifferens, & auferunt malitiam ab eo, quod verè est malum, quia communicant suam qualitatem objectis, quibus applicantur; ita pariter eandem qualitatem bonitatis tribuunt malo, quod invincibiliter creditur bonum. Neque enim est causa aut possibilitas, ob quam reddant bonum, quod ex se bonum non est, aut efficiant non malum, quod naturâ suâ est malum, quæ æquè non probet, quòd non possint omne illud bonum reddere, à quo aliæ circumstantiæ omnem malitiam prius abscindunt. Stat ergo voluntatem errori invincibili conformem esse bonam.

Voluntas errori invincibili conformis est bona.

37. Probatur quartò. Omne malum est involuntarium, quoties illius malitia invincibiliter ignoratur, aut reipsa invincibiliter creditur bona. Ergo malitia objecti in talibus circumstantiis nullo modo applicatur voluntati, sed in ordine ad actus humanos eodem modo se habet, ac si realiter non esset in ipso objecto; nil enim pertinenter se habet ad actus humanos, nisi quod est, & quatenus est voluntarium. Ergo quod non est voluntarium, ad illos perinde se habet, ac si non existeret. Sed si tale objectum reipsa non esset malum, hæc ipsa ejus electio in istis circumstantiis esset honesta. Ergo eadem hîc & nunc est honesta, quamvis objectum ipsius sit reipsa prohibitum; tum quia hæc numero volitio, aut certè alia ejusdem penitus speciei, elicita fuisset in illo casu; tum quia malitia objecti nullo modo applicatur voluntati. Ergo sicut ob defectum hujus applicationis nequit malitiam refundere in volitionem, per quam ponitur, ita nequit impedire bonitatem & honestatem, quæ resultaret in prosecutionem ipsius, si abesset. Ergo voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est bona. Ratio 4.

38. Probatur quintò. Impossibile est, ut ex duobus hominibus unus bene, alter non bene operetur, quando uterque habet similes prorsus actus tam in intellectu, quàm in voluntate. Ratio est, quia omnis perfectio nostra est nobis intrinseca, nemo enim per extrinsecum perficitur formaliter; si omnia intrinseca maneant prorsus invariata. Præterea Deus, utpote æquissimus Judex, unumquemque amat aut odit juxta qualitatem actuum, quos elicit. Ergo non potest unum amare, & alterum non amare, si uterque similes prorsus actus eliciat. At amaret unum & non alterum ob actus prorsus similes, si unus illorum bene, & alter non bene ageret. Ergo fieri nequit, ut unus illorum bene agat, quin alter etiam honestè operetur. Tertiò demum, similis causa formalis in eodem subjecto semper dat similem effectum formalem. Ergo si hi actus reddant hunc hominem bene operantem, alii actus prorsus similes eum etiam bene operantem constituent; alioquin formæ prorsus similes eidem subjecto inexistentes constituerent composita dissimilia, ac specie diversa, quod repugnat. Hinc sic arguo. Si voluntas rationi invincibiliter erranti conformis non esset bona, ex duobus habentibus actus prorsus similes in intellectu & voluntate unus bene, alter non bene operaretur. At consequens est falsum. Ergo & antecedens. Sequela majoris est evidens in casibus innumeris. Sufficiat unum expendere. Contingit sæpè duo matrimonia celebrari in circumstantiis apparentibus omnino similibus, quamvis ex una parte & non ex alterâ detur impedimentum matrimonii. Ratio 5.

Duo, similes actus habentes, eodem modo operantur.

nii. In hoc casu conjuges isti bonâ fide petentes & reddentes debitum habent actus prorsus similes, tam in intellectu quàm in voluntate, cùm omnia specificativa talium actuum sint prorsus similia, actusque illi eodem modo repræsentent sua objecta, atque eodem modo erga illa afficiantur. Nihilominus unus eorum invincibiliter errat. Ergo si voluntas illius non sit bona, ille petendo & reddendo debitum non bene faciet. Alter tamen bene facit. Ergo sequela majoris est manifesta. Idem argumentum locum habet in omni casu erroris invincibilis, ut patet.

Ratio 6.

39. Probatur sextò. Omnis actus prudens est honestus. Sed voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est prudens, & regulatur à judicio prudenti; quia tam actus voluntatis regulatus, quàm actus ille erroneus regulans est conformis appetitui recto, ideoque est propriè prudens, ut ostensum est *quæst. 12. de conscientia probabili à num. 14.* & fusius declarabitur inferius *quæst.* 41.

Ratio 7.

40. Probatur septimò. Omne judicium invincibiliter erroneum, & omnis volitio à tali judicio regulata originem ducunt à judicio prudente, certo & evidente, & à voluntate certò honestâ, à quibus derivantur tamquam effectus à propria causa, & sunt fructus proprii talis arboris. Ergo sunt actus boni & honesti, quia *omnis arbor bona bonos fructus facit*, testante Christo *Matth. 7. vers.* 17. Et sane impossibile est, ut quod per propriam causalitatem à bono descendit non sit bonum. Tenet ergo consequentia. Antecedens latè probatum est *quæst. 12. de conscientia prob.* ex qua argumentum, quo usus sum, breviter sic expono. Omne judicium obscurum dependet ab imperio voluntatis, & quia non datur processus in infinitum, necesse est, ut judicium, à quo voluntas imperans dirigitur, sit evidenter verum, alioquin opus esset alio imperio, & consequenter alio judicio, & sic in infinitum. Ergo imperium imperans assensum invincibiliter erroneum est bonum & honestum, quia dirigitur à cognitione vera & evidente. Rursus cognitio evidens, à qua voluntas imperans assensum obscurum dirigitur, non impertinenter se habet ad judicium imperatum, sed dictat, judicium illud rectè ac laudabiliter imperari. Ergo judicium invincibile subsequens ortum sumit à cognitione vera, & à volitione honestâ. Ergo non potest non esse judicium prudens, & ratio recta, cùm sit conforme appetitui recto antecedenti, à quo regulatur, & imperatur. Jam si hoc judicium erroneum dictet, aliquid esse bonum, quod est malum, & multo magis si dictet aliquid esse præceptum, quod verè est prohibitum, perspicuum est, volitionem objecti sic propositi esse connaturalem ac immediatum effectum judicii erronei, à quo dirigitur, quia homo non nisi turpiter & peccaminosè sistere potest in illo judicio, omittendo ulteriorem illius causalitatem, ut patet. Ergo à primo ad ultimum tam judicium invincibiliter erroneum, quàm volitio ab illo regulata ortum sumunt à cognitione certâ & evidenti, ac à volitione certò honesta per conformitatem cum suo objecto. Ergo sunt actus prudentes, boni, & honesti; quia quod per directam causalitatem sequitur à prudentia & honestate, non potest non esse prudens, bonum, & honestum. Si plura de hoc argumento cupias, lege *quæst.* 12. proximè citatam *à num.* 14. *usque ad finem*, maximè verò *num.* 21. *& 22.* ubi plura huc spectantia, & quidem perspicuæ veritatis efficaciter stabilitæ, invenies.

Judicium invincibiliter erroneũ est ratio recta.

41. Probatur octavò. Actus, conformis regulæ suæ proximæ à Deo institutæ, & cui ille vult actionem conformari, est bonus, rectus, & honestus. At voluntas, conformis rationi invincibiliter erranti, est conformis regulæ suæ proximæ, nempè conscientiæ optimo modo nobis possibili constitutæ, cui Deus vult & jubet nos actiones nostras conformare, quoties illa proponit rem ut præceptam, & semper permittit actionem poni juxta illam. Nec dubium, quin Deus ipse homini lapso regulam hanc stabiliverit pro ejus directione, cùm aliter aut melius dirigi non possit. Ergo voluntas conformis rationi erranti est bona. Ratio 8.

42. Probatur nonò. Omnis actus liber, qui procedit à voluntate in omnibus rectè dispositâ est bonus. Sed omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti est actus liber, qui procedit à voluntate rectè disposita. Ergo omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti est bonus. Consequentia haud dubiè legitima est. Major patet, quia actus liber est actus potentiæ volitivæ, ideoque non potest non imitari dispositionem potentiæ, à quâ procedit. Ergo si dispositio potentiæ illius sit bona, actus, qui prodit à potentiâ sic dispositâ, erit bonus, sicut erit malus, si prodeat à potentiâ malè dispositâ; quia arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos, nec aliter potest evenire. Minor ex eo constat, quod homo, bona fide sequens dictamen conscientiæ invincibiliter errantis, amet motivum virtutis, ideoque ut optimè constituatur alio non indiget, quàm rectificatione intellectûs, quod pluribus probabitur *quæstione* 41. Ergo talis homo nullum habet defectum ex parte voluntatis. Ratio 9.

43. Atque hinc iterum sic arguo. Quod procedit à corde rectè disposito bonum est, & placitum coram Deo & hominibus; coram Deo quidem, quia ipse intuetur cor, & non secundùm faciem, sed juxta cordis dispositionem judicat. Præterea ipse Deus in sacris literis frequenter laudat eos, quorum cor erat rectum coram ipso, eosque reprehendit, quorum cor rectum non erat. Ratio est, quia omnis actus meritorius & demeritorius est proprium opus cordis; omnis enim virtus, & omne peccatum è solo corde procedit. Unde si cor sit rectum, omnia bene procedunt coram Deo, qui scrutatur corda & renes, & intuetur cor, & judicat non secundùm faciem, sed secundùm cor. Ratio autem id ipsum evincens est perspicua, quia Deus nil emolumenti aut detrimenti accipit ex operibus nostris, sed hoc unum à nobis exigit, ut ipsum honoremus, & quantum possumus voluntatem ipsius impleamus, atque ut illum sincero corde diligamus. Hoc qui præstat, Deo placet, & Deo Deique voluntati conjungitur. Ergo bene operatur. Atqui perspicuum est, hæc omnia ab illo impleri ac perfici, qui sequitur conscientiam invincibiliter errantem, quia Deum honorat, & ad Dei placitum divinique præcepti impletionem, quantum scit & potest, anhelat. Ergo bene facit. Opus ab errore invincibili regulatum procedit à corde bono & recto.

Idem locum habet in humanis; nemo enim non amaret hominem, qui omnia faceret, quæ, post omnem diligentiam in veritate indagandâ adhibitam, invincibiliter putaret ipsi placere, quamvis per accidens contingeret illum errare. Ratio est, quia opus ex bono & amicabili affectu proce-

procederet, ideoque voluntas executiva operis esset amicabilis, & consequenter homini grata, quidquid sit de opere secundùm se considerato. Jam si hoc locum habeat in homine, cui opus ex errore patratum potest esse nocivum, etsi credatur proficuum, multò magis locum habet in Deo, cui nil damni potest inferri.

Ratio 10. 44. Probatur decimò, exemplis manifestis. Primum sumitur ab uxore reddente debitum viro non suo, sed qui absque ullâ ratione dubitandi invincibiliter creditur esse suus. Talis redditio debiti est non solùm licita, sed præcepta, ut constat tum lumine naturæ, tum ex perspicuâ Ecclesiæ declaratione, *in cap. inquisitioni, de sententiâ excom, & cap. Dominus, de secundis nuptiis*, ergo est honesta. Et sanè, quis non videt talem fœminam eo titulo laudabilem esse, quòd viro suo debitum reddat, sicut esset vituperabilis, si illud denegaret. At nemo laudabilis est, nisi propter actum virtutis, ut patet. Ergo talis redditio debiti est honesta.

Secundum exemplum est Judicis ex errore invincibili condemnantis reum, legitimè convictum criminis. Judex enim per hoc quòd hìc & nunc talem hominem damnet, munus suum implet, à quo turpiter deflecteret, nisi illum mortis reum pronunciaret, mortique traderet. Ergo Judex aliquando honestè damnat innocentem, quia propter talem damnationem omnes illum laudant; nec solùm illum laudant, quamdiu præsumptio manet, quòd à testibus deceptus non fuerit, sed etiam postea, quando aliunde constat, testes falsa deposuisse, dummodo simul constet, Judicem partes suas implevisse, & invincibiliter ac inculpabiliter deceptum fuisse. Hæc laus, judici taliter judicanti ab omnibus attributa, est evidens indicium, quod bene fecerit taliter judicando.

Liberi obtemperâtes parentibus putativis implent legem naturæ. 45. Tertium exemplum sumitur à filio familias negante obedientiam filialem, & alia obsequia vero patri, eaque tribuente patri invincibiliter existimato; filius enim iste licitè ac laudabiliter negat obedientiam patri vero, modò nullam habeat, aut habere possit notitiam, quòd sit ipsius pater. Similiter honestè tribuit obsequia filialia illi, qui non est nisi putativus ipsius pater. Nec mirum, quia sicut meretur vituperium, qui patri taliter putato non obtemperat, ita laude dignus est, qui cæteris paribus ejus voluntatem alienæ suasioni ac voluntati præfert, cùm per hoc ita impleat præceptum naturale, quo unusquisque ad obedientiam parentibus exhibendam obligatur, ut aliter illud implere non possit. Et sanè negare, liberos sic operantes rectè & benè facere, est negare, homines implentes legem naturæ benè facere. Certè liberi isti non aliter implere possunt legem obediendi parentibus, quàm operando ut operantur; quia aliter operando illam violarent, ut patet.

46. Quartum exemplum sumitur à fidelibus Eucharistiam cultu latriæ adorantibus. Haud dubiè enim talis adoratio licita est & honesta, etsi adorantes eam, certi non sint Christum verè latêre in Hostia, quam adorant. Hoc posito sic, contingit aliquando hostiam cultui expositam non esse verè consecratam, ita tamen ut defectus consecrationis ab astantibus nullatenus discerni possit. In hoc casu adorantes Eucharistiam eosdem prorsus actus eliciunt tam in intellectu, quàm in voluntate, quos elicuissent, si hostia verè consecrata fuisset, ideoque non minùs honestè operantur, quàm quando hostiam verè consecratam adorant. Ergo æquè sanctè operantur in uno ac in alio casu. Sed & ipsi rustici talem adorationem exhibentes certò sibi persuadent, & clarè vident, se in hoc honestè operari. Plurima alia ejusmodi exempla sunt obvia. Puta possessoris retinentis rem verè alienam, atque de illa eleëmosynam largientis, quando ne per umbram quidem suspicari potest, rem illam ad se non pertinere. Adde tam religiosum obedientem Prælato, quàm subditum sub rege bellantem, quando invincibiliter credunt, omnia justa juberi. Idem valet de medico, qui juxta artis præscriptum invincibiliter errat ob latentia morbi signa, & medicinam noxiam præscribit. Hi omnes bene agunt, & norunt se bene agere, etsi error in judicium fortè irrepat.

47. Jam nos in hisce omnibus certam & indubitatam honestatem agnoscimus, non quia opus ipsum secundùm se sit honestum, sed quia quamdiu ita se res habent, ut, factâ omni diligentiâ, nemo nisi imprudenter & temerè dubitare possit, quin res illa sit materialiter honesta, statim per principia reflexa conscientia certa & evidens formatur de honestate operationis, quidquid sit, an opus ipsum secundùm se verè sit tale, an solùm putativè tale habeatur. Scio, Celladeum non libenter audire quidquam de istis discursibus reflexis, sed, velit nolit, veritas stabit, & unicuique oculos non claudenti patefiet. Quis enim non videt, homines in talibus casibus operantes longè certiùs agnoscere, se non peccare, sed bene & laudabiliter operari, quàm quòd in discursu suo directo non errent? At hæc major certitudo, aliunde provenire nequit, quàm à principiis reflexis, ut patet. Ergo illa locum habent, ubi principia directa desunt, majoremque certitudinem afferunt, quàm quæ à principiis directis haberi potest.

48. Præterea si Celladeus, aut alius quivis neget hujusmodi exempla vim habere, asseratque nullas hujusmodi actiones bonas esse, aut ullam moralitatem habere, profectò is plurimas, nobilissimas, atque etiam difficillimas vitæ humanæ actiones, pro quibus homines ab omnibus naturæ instinctu laudantur, omni honestate privabit, quod quàm à ratione alienum sit, nemo non videt. Quod si dicat, actiones istas esse bonas, ut omnis cordatus dicere debet, tota ipsius machina funditùs evertitur, & quidquid contra benignam sententiam congessit, atque supra debile hoc fundamentum extruxit, sponte labitur; neque enim ulla ratio afferri poterit, ob quam actiones istæ, etsi materialiter malæ, evadant bonæ, quæ universaliter non probet, omnes omnino actiones, à judicio practicè probabili regulatas, non solùm ab omni turpitudine esse immunes, sed etiam, quod consequens est, easdem laudabiles esse & honestas, quod unicè *hac in quæst.* probandum suscepimus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

49. OBJICIT primò. Qui dicit, conscientiam erroneam facere operationem bonam, dicit, conscientiam erroneam facere voluntatem rectam; nam omne bonum est rectum. At hoc est dicere, conscientiam erroneam esse rectam, quia nil potest esse rectum per hoc, quod conformetur non recto. Ergo qui dicit voluntatem conformem conscientiæ erroneæ, per conformitatem ad illam, esse rectam, dicit conscientiam erroneam esse rectam, quæ est aperta Objectio 1.

contra-

contradictio; quia est dicere, conscientiam non rectam esse rectam, cùm conscientia recta distinguatur ab erroneâ. At idem valet de ratione errante, quia ex ratione errante sæpe resultat conscientia erronea. Et sanè, dicere operationem esse rectam per conformitatem cum regulâ errante, seu non rectâ, perinde est ac dicere, lineam esse rectam, quæ ducitur juxta processum lineæ curvæ. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus non imitatur S. Thomam, quem sequi prætendit.

50. Respondeo mirum mihi videri, quòd Celladeus, ex occasione doctrinæ S. Thomæ hæc tractans & objiciens, nullibi mentionem fecerit distinctionis cōscientiæ vincibiliter & invincibiliter erroneæ, cùm tamen S. Thomas totus sit in eâ distinctione explicandâ, & juxta illam totam suam doctrinam tradat. Nonne mirum est, virum doctū prætendere se sequi alium, illiusque vestigiis inhærere, atque in ipsius ratiocinatione se fundare, & tamen in toto suo discursu non uti nisi terminis generalibus absque ulla distinctione, cùm tamen ille alius totus in eo sit, ut terminos generales distinguat in membra opposita, atque juxta terminos sic distinctos quæstionem resolvat? Hoc præstat Celladeus, quia prætendit sequi S. Thomam, aliis tamen quàm generalibus terminis conscientiæ erroneæ non utitur, cùm S. Thomas totus in eo sit, ut erroneam conscientiam in vincibiliter & in invincibiliter erroneam distinguat, & juxta distinctionem illam quæstionem resolvat. Hoc præmisso.

In primis respondeo, argumentum procedere de subjecto non supponente, quia in præsenti casu erroris & ignorantiæ invincibilis, intellectus per principia synderesis reflexa consurgit ad formandum ultimum conscientiæ dictamen certum & evidens, & hæc est regula, cui operatio honesta conformis est, & à quâ rectitudinem accipit. Itaque nos nunquam dicimus, conscientiam erroneam, sed solùm conscientiam rectam ac veram reddere operationem rectam & bonam, ut patet. Æquivocatio Celladei in eo est sita, quòd confuderit dictamen directum & non ultimum cum ultimo dictamine conscientiæ, & quia sæpe contingit primum falsum esse, quando secundum est verum, arguit, ac si nullum esset aliud dictamen, quàm illud erroneum, quod est ex subjecto non supponente procedere.

Conscientia invincibiliter erronea est recta.

51. Verùm demus Celladeo, nullum in ejusmodi casibus exsurgere conscientiæ dictamen certum & evidens, sed solùm incertum & probabile. Hoc posito sic. Judicium istud, saltem quando verum est, sufficit ad refundendam honestatem in actum. Ergo simile dictamen, etsi sit falsum, honestatem etiam refundet in operationem, quia similes causæ haud dubiè similes effectus producunt. Dixi, *simile dictamen*, id est, dictamen invincibiliter erroneum, quia hoc solum, ut pote simili motivo nixum, & à simili volitione imperatum, est simile judicio probabili vero, ut patet. Itaque, stante hypothesi, dico conscientiam invincibiliter erroneam esse conscientiam rectam, non per conformitatem cum suo objecto, sed per conformitatem cum appetitu recto, ut ostensum est *quæst. 12. de consc. prob. à num. 14.* & infra fusè deducetur *quæst. 41.* Præterea talis voluntas est recta, quia conformis est omnibus legibus, quibus homo illam eliciens verè ligatur. At quod illis conforme est, & ab illis regulatur, est rectum, ut patet. Est etiam recta, quia originem ducit à primo dictamine vero, quod enunciat, illam honestè, laudabiliter, ac rectè elici. Rursus est regula, quam Deus lapsis hominibus dedit, ut illi suam operationem conformarent, quia Deus aliam illis regulam proximam non dedit, quàm quæ ab illis haberi potest, id est optimum dictamen, quod per debitam diligentiam haberi potuit. Neque enim aliud à nobis exigit Deus in conscientiâ formandâ, quàm ut illam formemus optimo modo, quo possumus. Ergo qui conscientiam sic format, adhibet regulam, quam Deus vult illum adhibere, & cui vult operationem ipsius conformari. Talis autem operatio bona est, quia conformis est regulæ à Deo institutæ.

Ratio erronea logicè, sæpe est ethicè recta.

52. Nec dicas, nullam rationem erroneam esse rectam; conscientiam autem illam supponi erroneam, ac proinde non esse rectam. Nam contra est, quia tametsi ratio illa non sit logicè recta, sed erronea, tamen, ethicè loquendo, recta est, cùm in ordine ad operationes humanas dirigendas æquivaleat veræ, & juxta considerationem moralem habeatur instar cognitionis veræ, quamvis reipsa logicè loquendo à veritate aberret. Hoc autem est rationem esse ethicè rectam. Stat ergo, conscientiam invincibiliter erroneam, esse solum logicè falsam, sed ethicè rectam. Et sanè in hoc omnes ethicam tractantes naturæ ductu cum Aristotele consensisse videntur, quia omnes conscientiam ac rationem dividunt, non in veram & falsam, sed in rectam ac erroneam; qua certè locutione aliud significare intendebant, quàm conscientiam logicè loquendo esse veram aut falsam. Itaque, nomine conscientiæ erroneæ simpliciter dictæ solùm intelligebant conscientiam vincibiliter errantem, & illam opposuerunt conscientiæ in latiori significatione rectæ, tanquam membrum prorsùs oppositum, sicut revera oppositum est. At, nomine conscientiæ in latiori significatione rectæ, intellexerunt conscientiam invincibiliter formatam, illa enim est regula hominibus data, & consequenter est apta regulare operationem rectam, ac proinde ipsa ethicè recta est. Rursus illa eadem est conformis appetitui recto, & à judicio vero, rectâque voluntate suam originem ducit, ideoque recta est in sensu ethico, in quo solùm nunc loquimur, etsi logicè loquendo recta non sit, cùm logici ad solam veritatem seu conformitatem cum objecto, ethici verò potissimè ad leges divinas, & regulas à Deo statutas, ac ad operationes intellectûs & voluntatis à quibus actiones nostræ derivantur, respiciant, ut illas rectas nominent. Dicimus ergo, retentâ hypothesi, conscientiam invincibiliter erroneam esse ethicè rectam, in quo nulla est contradictio, nisi quam Celladeus falsò imaginatus est; neque enim sunt membra opposita, conscientia logicè erronea, & conscientia ethicè recta, sed solùm conscientia ethicè seu vincibiliter erronea, & conscientia recta, ut constat ex dictis, &, stante hypothesi, ex unanimi omnium consensu (si Celladeum excipias) convincitur.

Error invincibilis non errat in eo, quod regulat honestatem.

53. Respondeo tertiò, rationem seu conscientiam invincibiliter erroneam non errare in repræsentando vero motivo virtutis, sed solùm in illo indebitè applicando materiali objecto. Hoc perspicuum est, totamque objectionem evertit. Conscientia siquidem logicè erronea, non aliter reddit volitionem bonam & rectam, quàm quia repræsentat verum motivum virtutis, à quo actus voluntatis specificatur. Fateor ergo, nil esse posse rectum per hoc, quod conformetur non recto, si illud non sit rectum in eo, à quo alterum debet rectificari. Sed si conformetur non recto in

in eo, à quo non debet rectificari, hoc non impedit illius rectitudinem, modò conformetur illi in eo, à quo solo rectificari debet. Doctrinam hanc, paulò subtiliorem sed verissimam, exemplo declaro: existimet quis, se mortaliter peccasse, quando nullo modo peccavit. Excitet se homo ad actum contritionis de peccato suo existimato, non vero, atque per contritionem detestetur opus illud tamquam crimen verè à se commissum. Hic actus voluntatis regulatur à judicio falso, quo homo ille judicat se indigere contritione ad destruendum peccatum, & gratiam recuperandam, quod judicium falsum est, sicut illud, quo credit se mortaliter peccasse. Jam contritio elicita imitatur ista judicia, quia detestatur illud tamquam peccatum actuale à se commissum, quod peccatum non est, sed actus bonus, ut contingere potest in multis casibus. Ergo contritio illa procedit de subjecto non supponente ex parte objecti materialis, immo aliquando detestatur bonum, quod certè honestè detestari non potest, nisi ex errore credatur malum. Nihilominus actus ille contritionis bonus est & rectus, quia conformatur judicio proponenti verum motivum contritionis, cui motivo actus voluntatis conformari debet, ut ab illo speciem seu perfectionem contritionis accipiat. At judicium non errat in hoc motivo debitè repræsentando, quamvis erret indebitè applicando illud objecto materiali. Hæc rectitudo repræsentandi verum motivum virtutis sufficit, ut actus amans illud motivum accipiat speciem talis virtutis, & evadat honestus, quia per hoc fundatur in vero motivo virtutis, & ab illo suam speciem & perfectionem accipit. Porro omnis alius error in judicio, quo voluntas dirigitur, materialiter se habet, quia actus regulatus ab illis prædicatis speciem & perfectionem suam non sumit.

Quod si actus intellectûs non proponeret verum motivum virtutis, actus regulatus ad eam virtutem non spectaret; sicut enim erraretur in motivo proponendo, ita erraretur in specificativo actus, qui propterea non esset actus talis virtutis, quamvis invincibiliter crederetur esse talis. Sed si verum motivum virtutis repræsentetur ac ametur, actus erit honestus in illa specie virtutis. Nec obstat, quòd idem actus non conformetur objecto materiali, cui illud motivum indebitè applicatur; hoc enim impertinens est ad moralitatem actûs, ut videre est in contritione detestante peccatum ut existens, quod verè non existit: nec alia desunt exempla; sed illud aliis prætuli, quia neminem credo dubitaturum, an talis actus sit bonus, eo quòd tendat in objectum materiale non verum, sed solùm repræsentatum.

Æquivocatio Celladei, & nullitas argumenti postremi. 54. Itaque redeo ad argumentum, & dico, actum voluntatis esse posse rectum per hoc, quod conformetur judicio non recto in compositione vel divisione terminorum, si sit rectum in eorum propositione, seu repræsentatione; quia judicium illud est rectum in eo proponendo, à quo actus voluntatis specificari debet; hoc autem sufficit, ut actus regulatus suam speciem accipiat. Jam ratio seu conscientia invincibiliter erronea in tantum dicitur recta, seu in tantum est regula, in quantum post debitam diligentiam repræsentat verum motivum virtutis, quia per hoc solùm concurrit ad specificandum actum regulatum, qui ab altero prædicato, in quo error residet, non specificatur. Nullam ergo contradictionem incurrimus; non enim dicimus, conscientiam simpliciter erroneam esse simpliciter rectam, sed solùm dicimus, eandem rationem esse logicè erroneam & ethicè rectam, seu, quod idem est, solùm dicimus, eandem rationem esse erroneam secundùm quid, & rectam secundùm quid, quia est erronea in uno prædicato, sed non in alio; non enim errat in repræsentando vero motivo virtutis, quamvis illud indebitè uniat objecto materiali. Itaque paritas lineæ curvæ non urget, quia linea curva nil habet, per cujus conformationem alia linea reddi possit recta. At judicium, solùm erroneum in compositione terminorum, habet repræsentationem veri motivi virtutis, per cujus applicationem fit, ut actus illi commensuratus, & ab illo regulatus sit actus veræ virtutis. Ergo paritas illa nulla est.

Hinc habetur ratio à priori distinctionis allatæ de rectitudine ethicâ ac logicâ respectu unius ejusdemque actus intellectûs; nomine enim rectitudinis ethicæ aliud non intelligimus, quàm conformitatem judicii cum appetitu recto antecedenti, unà cum repræsentatione veri motivi virtutis, cumque similibus in responsione ponderatis; quia hæc sunt, quæ requiruntur & sufficiunt, ut actus à tali judicio regulatus constituatur in specie virtutis, & sit honestus. Rectitudo autem logica est conformitas judicii, quatenus componit vel dividit terminos, cum objecto quod repræsentat. Error ergo logicus est dissonantia in uniendis vel dividendis terminis propositionis. Jam ille error optimè cohæret cum rectitudine priori. Nulla ergo umbra contradictionis invenitur in eo, quòd voluntas rationi invincibiliter erranti conformis sit bona. *Rectitudo ethica conscientiæ, in quo differat à rectitudine logicâ ejusdem?*

55. Objicit secundò. Nulla operatio, quæ non elicitur ab aliquâ virtute morali est honesta. Sed nulla operatio conformis rationi erranti elicitur ab ullâ virtute morali. Ergo nulla operatio conformis rationi erranti est honesta. Probatur minor: virtus moralis definitur, *quæ facit ut homo operetur conformiter ad rationem rectam.* Sed ratio errans non est ratio recta. Ergo nullus actus conformis rationi erranti elicitur ab ullâ virtute morali. Ergo nullus talis actus est bonus. Ita Celladeus §. 3. *Objectio 2.*

Respondeo, argumentum hoc eâdem, quâ præcedens, æquivocatione laborare, eandemque prorsus solutionem admittere, in quâ adhibendâ cùm nulla sit difficultas, opus non est illi solvendo inhærere.

56. Objicit tertiò. Nulla datur accusatio, ac proinde nulla defensio per se loquendo est necessaria pro operatione bonâ. Sed quoties voluntas concordat rationi erranti, per se loquendo datur locus accusationi, ac proinde necessaria est defensio; quia omnis operans contra legem legitimè accusatur, & opus habet defensione; quæ si sit legitima, absolvitur; si illegitima, vituperatur, ut videre est tam in foro, quàm in familiâ. Ergo nulla voluntas concordans rationi erranti est bona. Ita Celladeus §. 3. *Objectio 3.*

Respondeo majorem veram esse de quâvis operatione, modò constiterit eam esse bonam. Cæterùm si bonitas ac malitia actionis revocetur in dubium, utique, stante tali ignorantiâ, locus datur accusationi, ac proinde, stante tali hypothesi, per se loquendo necessaria est defensio, per quam ostendatur, quòd actio illa non sit mala sed bona, quamvis ejusmodi defensio non sit simpliciter necessaria per se, quasi verò necessitas illius in ipsâ operatione bonâ fundetur. Quod ad *Operans ex errore invincibili, per se nulla indiget defensione, sed solum per accidens.*

ad minorem attinet, illa in suâ universitate falsa est, quia includit operationes tam vincibili quàm invincibili errori conformes; nam etsi operationes à vincibili errore regulatæ sint per se accusabiles, & damnabiles per titulum in ipsâ operatione ejusque causis fundatum, tamen operationes ab errore invincibili profectæ non per se sed solùm per accidens accusari possunt. Non per se, quia titulus accusandi fundari nequit neque in ipsâ operatione secundùm se, neque in causis ipsius operationis, cùm omnia ista ab omni malitiâ sint prorsus immunia. Unde nemo ob talia opera in justo Dei judicio accusabitur. Nec mirum, quia illa sola sunt per se accusabilia, quæ, cùm veritas constiterit, sunt condemnabilia; illa enim sola habent in se meritum & titulum accusationis ac damnationis justæ, ut patet. At, quoad nos & per accidens, talia opera subjacent accusationi, & consequenter defensione indigent, quia cùm ignorantia ipsa, & multò magis invincibilis ignorantia non præsumatur, tam in foro quàm in familiâ legitimè accusantur, qui contra legem operati sunt. Verùm illa accusatio merè accidentaliter se habet ad operationem ipsam, ejusque causas, quia fundatur in ignorantiâ rei gestæ, si enim omnia debitè constarent, nec accusationi nec objurgationi locus daretur, ut patet. Certum ergo est illationem non subsistere, cùm minor sit evidenter falsa, clarèque constet, Celladeum in eâ efferendâ confudisse titulum accusandi per accidens, & quoad nos ex suppositione ignorantiæ nostræ, cum titulo accusandi per se, casu quo veritas totius modi operandi certò constaret.

Bene operans, per accidens, aliquando defensione indiget.

Dices. Ratio errans non potest esse primaria, nec secundaria regula rectæ operationis. Non primaria, quia hoc proprium est legis æternæ, quæ errare non potest. Non secundaria, quia hæc non potest esse recta, nisi conformetur regulæ primariæ, seu legi æternæ, cui certè conscientia errans non conformatur. Ergo opus à ratione errante regulatum non est bonum, cùm repugnet opus esse bonum, quod nec primariæ nec secundariæ rectæ operationis regulæ conformatur.

Respondeo primò, retorquendo argumentum in casu obedientiæ cæcæ, quando subditus obedit superiori malum præcipienti, quod tamen non manifestè malum apparet, sed ab utroque invincibiliter creditur bonum; eodem enim modo probatur, quòd voluntas superioris non sit regula nec primaria nec secundaria rectæ operationis, cùm nec sit lex æterna, nec illi conformetur. Et tamen, hoc non obstante, obedientia illa est actus veræ virtutis, ut ex unanimi Patrum doctrinâ constat. Ergo similiter argumentum non obstat, quò minùs in aliis etiam casibus opus, quod conscientiæ invincibiliter erroneæ conformatur, sit bonum.

Respondeo secundò directè, & dico, rationem invincibiliter errantem esse circumstantiam objectivam, ex quâ recta ratio reflexa, quæ legi æternæ pariter reflexæ conformis est, formatur. Hoc ex dictis efficaciter probatum est. Unde semper habemus regulam tam primariam quàm secundariam, cui opus à ratione taliter errante regulatum conformatur, & propter eam conformitatem evadit bonum. Et sanè Deus numquam prohibet quidquam, quin reflexè præcipiat illud fieri pro omni casu, quo invincibiliter creditur esse præceptum, & quin illud reflexè permittat, quando invincibiliter creditur bonum, aut à superiore religioso præcipitur, quando malitia rei præceptæ non est manifesta illi, cui præceptum imponitur. Hanc doctrinam expressè tradit Gabriel *in 2. dist. 39.* in fine his verbis. *Vult Deus, quòd voluntas se conformet conscientiæ (erroneæ) non culpabili.* Et sanè verba Salvatoris, *qui vos audit me audit*, locum habent etiam quando superior errat, quia etiam tunc, quamdiu error subditum latet, spectandus est tamquam Dei vicarius, & quod ad nos attinet, ut regula secundaria, seu ut regula inferior divinæ regulæ subordinata; quod tamen esse nequit nisi ratione voluntatis reflexæ, quâ Deus vult se agnosci in superiore, etiam quando præcipit malum, modò malitia rei præceptæ non sit manifesta.

Respondeo tertiò, rationem non errantem circa objectum formale, sed solùm circa applicationem ejusdem ad objectum materiale, esse regulam secundariam conformem legi æternæ, quâ Deus vult nos amare tale motivum, & ex vi illius extendere potentiam volitivam ad omne opus, quod invincibiliter creditur contineri sub illo motivo; nisi enim lex æterna pro hoc etiam casu providisset, manca & insufficiens fuisset Dei providentia pro gubernandis hominibus, qui in rebus ejusmodi cognoscendis sæpe non possunt non errare.

58. Objicit quartò. Aliud est esse excusabile, seu non dignum pœnâ, aliud esse laudabile, seu præmio dignum; sæpe homines excusant alios mentientes, aut alia mala contra legem patrantes, quia judicant illos nullâ pœnâ dignos, idque vel ob impotentiam, vel ob ignorantiam invincibilem. At nemini videtur venisse in mentem, talia opera esse præmianda. Certè mendacia, adulteria, & alia ejusmodi non possunt esse bona, nec propterea cœlo donari possumus, ut urget Guilielmus Parisiensis. Ergo neque voluntas, quâ in illa ferimur, potest esse bona; alioquin ipsa opera redderentur bona, quia haberent eandem causam honestantem, nempè rationem invincibiliter errantem. Objectio 4.

Præterea repugnat, voluntatem faciendi quod bonum & laudabile non est esse laudabilem. Quin ideo voluntas laudabilis est, quia quod per illam facere volumus est laudabile. Et sanè, mendacia, furta, adulteria, & alia ejusmodi nunquam esse Deo grata, sed ad summum excusari posse, adeo rationi consonum videtur, ut oppositum violentissimâ & maximâ probatione indigeat. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo inprimis, Celladeum hâc in objectione & sibi & apertæ veritati contradicere. Veritas aperta est, communem Theologorum sententiam ac suppositionem esse, quòd voluntas terminata ad hujusmodi objecta, invincibiliter credita bona, sit bona & honesta. Huic veritati in ingressu *hujus quæst. 4.* Celladeus ipse apertè subscribit, ait enim, *multi sunt, qui supponendo magis quàm disputando, alii brevi disceptatione rem expediendo, & , ut putant, S. Thomam sequendo, tenent, voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti esse bonam, & honestam.* Ergo & apertæ veritati & sibi ipsi mox contradicit §. 3. ubi expressè hæc habet. *Nemini videtur venisse in mentem, talia esse etiam præmianda.* Quid dicis Celladee? Nónne plurimis, te fatente, in mentem venit, tales operationes esse bonas & honestas. At idem apud om[illegible] est operationem bonam esse, & esse mer[illegible]iam, seu meriti capacem, nec tu ipse, ni fi[illegible], inficias ibis. Ergo plurimis in mentem venit (& ipse tu id fateris) Celladei contradictio.

quod

quod tales operationes meritoriæ sint, & præmiandæ.

Non communis, sed singularis opinio indiget vehementi probatione.

58. Deinde respondeo, aliud esse ex suo conceptu, hominem esse excusabilem seu non dignum pœnâ; aliud, illum esse laudabilem, seu præmio dignum, quia hæc duo separari possunt; homo enim absque libertate operans, aut nullo etiam modo operans, sed dormiens, sæpe est excusabilis, nullâque pœnâ dignus, quia malè non operatur; nec tamen laudabilis est, aut præmio dignus, quia ad hoc liberè & honestè operari debet. Verùm ista duo non sunt separabilia in operatione liberâ, quæ deliberatè & invincibiliter fertur in aliquid ut bonum, quia in tali operatione illud ipsum, quod excusat operationem à malo, reddit illam bonam; nec ad hoc credendum, sed ad oppositum affirmandum opus est violentissimâ probatione; quæ enim conformia sunt communi Doctorum persuasioni, facillimæ probationis sunt, quia communis Doctorum consensus sufficientem fidem conciliat. Contra verò, quod communi Doctorum persuasioni opponitur, difficillimæ probationis est, quia nemo absque violentissimâ probatione meritò recedit à communi opinione. At certum est, opinionem, asserentem hujusmodi operationes esse bonas, fundari in communi Doctorum persuasione, cui singularis Celladei opinatio repugnat. Ergo ipsius opinio, non nostra, indiget probatione vehementissimâ; nec indiget tantùm, sed eâ caret, cùm nostra validissimis rationibus confirmetur, ut patet.

Homicidiû invincibiliter creditû medela est opus meritorium.

59. Ad id, quod ex Gulielmo Parisiensi sed absque loci citatione affert, fateor, mendacia, furta, & cætera ejusmodi non esse bona, & vitæ æternæ meritoria, quando proponuntur sub notionibus, quas verba exprimunt. In hoc enim sensu objecta illa sunt tam apertè mala, ut eorum malitia aut nullo modo aut non nisi vincibiliter latêre possit; ideoque non modò non sunt bona, sed semper sunt mala; quæ proinde excusari non possunt. In hoc verum dicit Gulielmus Parisiensis, nec nos ab eo dissentimus. At quæstio præsens est longè alia; loquimur enim ex suppositione, quòd objecta materialiter mala invincibiliter proponantur ut bona. Puta quando medicus invincibiliter existimat, se non mortiferam sed salutiferam medicinam præscribere. Ubi autem dicit Parisiensis, aut quivis alius, dempto Celladeo, hujusmodi objecta, in talibus circumstantiis sumpta, non esse bona, aut vitæ æternæ meritoria? Hoc ostendat Celladeus, & aliquam auctoritatem pro se habebit. Præterea Parisiensis loquitur de eo, quod per se & plerumque evenit, non de eo quod merè se habet per accidens. Loquendo autem per se, verum est, quòd objecta sub dictis expressionibus proposita semper proponantur ut mala, aut non nisi vincibiliter existimentur bona. At si in casu aliquo raro per accidens contingeret hominem invincibiliter decipi, & existimare talia esse bona, aut permissa, aut etiam præcepta, ille per accidens benè operaretur ea volendo.

Objecta intrinsecè mala aliquãdo evadunt bona.

60. In hoc porro casu admitto, non solùm voluntatem ad istiusmodi objecta terminatam, sed etiam ipsa objecta esse bona; quia etsi illa secundùm se sint physicè mala, tamen non sunt adeo mala, quin omnis malitia moralis ab illis separari possit, ut in datâ hypothesi omnes fatentur. Itaque sicut quædam circumstantiæ reddunt talia objecta à malo immunia, ita etiam aliæ sunt, quæ reddunt illa bona & honesta; non quòd objectum tale per se præcisè sit bonum; sed quod bonum sit & meritò eligibile prout talibus subsstat circumstantiis. Nec mirum, quia, prout illis subsstat, non solùm à Deo permittitur, sed sæpè etiam præcipitur. Ergo haud dubiè honestum est. Alia ratio id ipsum convincens est ista. Objectum illud, prout dictis circumstantiis subest, non est malum. Ergo est bonum, vel indifferens. Si bonum, habeo intentum. Si indifferens, ergo in illis circumstantiis ita se habet sicut alia objecta, quæ secundùm speciem sunt indifferentia. At illa in individuo evadunt bona, quando referuntur ad bonum finem, ut omnes fatentur, & ipse Celladeus §. 5. & alibi apertè concedit. Ratio est, quia ad bonitatem electionis sufficit, objectum materiale non esse malum, si motivum formale sit bonum, *ut patet*, inquit Celladeus, *quando versamur circa indifferentia ex bono fine*. Nec dubium quin sancti homines quotidiè se exerceant circa indifferentia voluntate bonâ, dum sectantes doctrinam Apostoli, *sive manducent, sive bibant, sive aliud quid faciant, omnia in honorem Dei agunt*. At eadem ratio valet de malo materiali, quando propter circumstantias peculiares evadit formaliter indifferens; in tali enim casu, si ordinetur ad bonum finem, evadet bonum, sicut alia, quæ secundùm se sunt indifferentia. Et sanè mirum est, Celladeum argumenti hujus vim non vidisse, cùm ex propriis ipsius principiis ac dictis stabiliatur. Ille enim ut ostendat, electionem indifferentium esse bonam, quando nititur motivo honesto, sic arguit. In tali casu locus est prudentiæ ac veritati, eò quòd verum sit, objecta non esse mala, ideoque esse ordinabilia ad bonum finem, & ut sic ordinata esse bona; unde conscientia prudens & vera formatur, quâ concluditur, quòd talia hîc & nunc sint bona. At eadem ratio eodem prorsùs modo concludit, objecta ex se mala esse hîc & nunc bona, quia, prout substant hisce circumstantiis, constat ea esse saltem indifferentia, & consequenter honestè ordinari posse ad bonum finem, & ut sic ordinata esse bona. Adeo sibi in omnibus contrariatur Celladeus, ut cùm maximè se putat triumphare, ibi potissimè propriis telis vulneretur, & vincatur.

In consequẽtia Celladei, quã propriis principiis confutatur.

Replica.

Dices. *Quamvis probabile sit speculativè, triplicem contractum v. g. carere maculâ usuræ, nullus tamen unquam ante Terillum his opinionibus aut actionibus asseruit positivam honestatem virtutis, sed ut summum à quibusdam eximuntur à culpâ beneficio ignorantiæ invincibilis.* Ita objicit Theologus quidam, qui hanc objectionem ex proximè allatâ doctrinâ Celladei sumpsisse videtur.

Solutio.

Respondeo mirum videri, talia à Theologis objici potuisse, cùm omnibus peritis notum sit, ea palmarem falsitatem continere. Inprimis notorium est, opinionem, quæ operi à ratione errante regulatæ honestatem tribuit, esse communissimam inter Theologos, & vix, aut ne vix quidem ullum inter orthodoxos reperiri, præter Celladeum, & hunc Theologum, qui à centum & ampliùs annis id in dubium revocaverit.

Mens S. Thomæ ex ejus interpretibus declaratur.

Deinde certò constat (liceat mihi hoc iterum dicere) hanc esse expressam S. Thomæ opinionem, qui 1. 2. *quæst. 19. art. 6.* cùm proposuisset: *Vtrùm voluntas concordans rationi erranti sit bona?* præmittit initio corporis, *hanc quæstionem eandem esse cum illâ, quâ quæritur, utrùm conscientia erronea excuset?* Unde manifestum est, S. Thomam censere, voluntatem rationi erranti concordantem esse bonam, quando conscientia erronea

erronea à peccato excusat. Alioquin absurdè diceret, eas duas quæstiones coincidere, si ex unâ parte conscientia errans aliquando excusaret, & ex alterâ voluntas ei concordans numquam esset bona. Hoc adeo clarum est, ut Valentia, Silvius, Malderus, aliique interpretes statum præsentis quæstionis eo articulo ita exponant, ut idem sit quærere, utrùm conscientia errans excuset à peccato, & utrùm voluntas concordans cum ratione errante sit bona.

Nec obstat, quod dicit S. Thomas *ad 1.* Nempè ad hoc ut opus sit bonum, requiri ut neque ex naturâ suâ, neque in apprehensione operantis sit malum, quia hoc, ut dicti Auctores ibidem explicant, intelligendum est de eo, quod est per se, & extra casum, quo ignorantia à peccato excusat. Cùm enim argumentum videretur intendere, (quod argumentum secundum expressiùs intendit) quòd sicut voluntas discordans à ratione errante semper est mala, ita voluntas concordans rationi, quæ falsò judicat aliquid esse bonum, semper sit bona: S. Doctor in suâ responsione negat inter hæc paritatem reperiri, quia ut quid dicatur malum, sufficit quòd secundùm naturam suam sit malum, nisi (inquiunt) per accidens ignorantia excuset à peccato.

Eidem doctrinæ magno consensu, idque non obiter, sed eam ex professo discutientes Theologi Societatis subscribunt. Suarez *de actibus hum. disp. 12. sect. 4. num.* 8. Sanchez *lib. 1. summæ cap. 11. num. 17.* Valentia, Vasquez, Azor, Salas, Becanus, Esparza, Amicus, & passim alii. In eodem alii etiam Theologi consentiunt. Almainus, Lorca, Corduba, Duvallius, Sylvius, Malderus, Pezantius, Wiggers, & fortassis alii omnes præter Celladeum, & Theologum istum. Qui enim ex antiquis in contrarium citantur, Martinus de Magistris & Angelus, ita ab Azorio explicantur, ut fortè solâ voce dissentiant.

Opinio nostræ contraria est singularis.

Contra apertam ergo veritatem objecit iste Theologus, *nullum ante Tertullum his actionibus asseruisse positivam honestatem virtutis*, cùm certissimum sit, Auctores ferme omnes in hoc mecum convenire. Ego autem verissimè contra hunc Theologum objicio, aut nullum, aut vix ullum ex Auctoribus, qui à centum annis scripserunt, præter unum Celladeum, talibus actionibus positivam virtutis honestatem negasse. Audiatur Petrus Lorca ad dictum S. Thomæ articulum, *disp. 37. membro 1. In hoc puncto*, inquit, *consentiunt Auctores in his propositionibus. Prima: si conscientia certa errans proponit aliquid ut bonum, quod in se aut malum aut indifferens sit, ignorantiâ invincibili, voluntas quæ illi commensuratur est bona.* Nec hic solùm est communis Doctorum, sed etiam fidelium sensus, ut exempla *num. 44. & seq.* allata convincunt; siquidem omnes planè existimant errores ejusmodi, utpote invincibiles, actuum ab illis directorum bonitatem non impedire. Ratio autem à priori hujus doctrinæ ab Augustino supra indicata fuit, eamque Lorca evidentem appellat. *Ratio*, inquit, *est evidens, quoniam qui sequitur hujusmodi conscientiam, excusatur ignorantiâ invincibili ab omni malitiâ actûs, & ex aliâ parte habet objectum bonum, quantum est ex parte regulæ & proponentis immediatè. Nil ergo deest ad rectitudinem voluntatis.* Hæc ratio Lorcæ coincidit cum ratione Augustini, quæ si ad terminos à Theologis usitatos reducatur, in eo fundatur, quòd actus specificentur ab objecto formali, in quod tendunt. Cùm ergo actus ejusmodi ex unâ parte ob ignorantiam invincibilem indubiè sint innocentes, & ex alterâ habeant motivum formale honestum, actus voluntatis, qui prodit à tali ignorantiâ talique motivo, non potest non esse honestus, speciemque ab honestate motivi, in quod fertur, accipere. Id autem ex eo maximè verum esse apparet, quòd intellectus verissimam bonitatem apprehendat, eamque voluntati proponat, quamvis eam objecto materiali falsò & indebitè applicet.

61. Objicit quintò. Bonitas Dei moralis est mensura, & prima regula omnis bonitatis moralis creatæ. Ergo voluntas repugnans divinæ bonitati morali nequit esse voluntas bona, quia discrepat à suâ propriâ regulâ. Sed omnis voluntas, quâ volumus mala, ut furta, mendacia, &c. repugnat divinæ honestati ac bonitati morali. Ergo nulla ejusmodi voluntas est bona. Confirmatur id ipsum exemplo intellectûs, cujus perfectio nequit esse assensus objecto, quod contrariatur divinæ veritati. Neque enim potest esse perfectio intellectûs creati dicere ea, quæ intellectus divinus dicere nequit. Sic autem se habet honestas ad voluntatem, sicut veritas ad intellectum. Ita Celladeus §. 4. Objectio 5.

Celladei contradictio.

Respondeo argumentum hoc Celladeum premere, quia probat omnem voluntatem, quâ volumus mala, ut furta, &c. esse malam; haud dubiè enim voluntas, quæ divinæ bonitati morali repugnat, non solùm non est bona, sed est absolutè mala, cùm omnis malitia moralis actuum nostrorum à repugnantiâ cum morali Dei bonitate derivetur. Ergò si hujusmodi voluntates repugnent divinæ bonitati morali, ut contendit Celladeus, haud dubiè sunt malæ. Celladeus tamen expressè tenet, voluntates illas non esse malas. Ergo sibi contradicit, & ex propriis argumentis falsitatis convincitur.

Opus ex errore invincibili factũ non repugnat morali Dei bonitati.

61. Respondeo secundò, voluntates malorum, quæ invincibiliter creduntur bona, morali Dei bonitati non repugnare, quia certum est, quòd non sunt malæ moraliter. Itaque minor à Celladeo sumpta est certò falsa, & consequenter conclusio ex illâ deducta est patenter nulla. Neque solùm voluntates illæ non repugnant bonitati Dei morali, sed ei conformantur, quia Deus habet voluntatem, quâ nobis ejusmodi objecta permittit, & sæpe præcipit, cùm sæpe citra peccatum omitti non possint. Ergo tales voluntates non solùm non sunt malæ, sed etiam sunt bonæ & honestæ.

Error semper est malum intellectûs, sed nõ semper infert malum voluntatis.

62. Porro confirmatio, à paritate intellectûs desumpta, manifestâ disparitate solvitur. Esto enim, perfectio intellectûs creati nequeat consistere in assensu falso, eò quòd talis assensus contrarietur judicio Dei, cùm id affirmet, quod Deus negat, & ideo esto, talis assensus non solùm non sit bonum, sed absolutè malum intellectûs nostri, cùm in nullo casu conformari possit judicio Dei essentialiter vero. At omnia contrariâ ratione se habent in voluntate nostrâ, quia Deus, stante errore invincibili, semper permittit, & sæpe præcipit opus, quod creditur bonum, quamvis secundùm se sit malum. Unde tale opus in hisce circumstantiis, & voluntas illud amplectens conformatur divinæ voluntati, & ideo opus illud in talibus circumstantiis non solùm non est malum, sed etiam est bonum voluntatis. Ecce disparitas manifesta; sed & Celladeus ipse disparitatem afferre debet, quia error semper est malum intellectûs, cùm tamen voluntas mali, invincibiliter bonum crediti, non sit malum voluntatis. Itaque etiam hic, ut in cæteris,

Celladeus tenetur solvere proprium argumentum.

teris, propriis argumentis implicatur, quæ solvere nequit, nisi propria principia deserat.

63. Objicit sextò. Omnis bona voluntas est à Deo auctore. Nulla malorum voluntas est à Deo auctore, quia absurdum est dicere, mendacia, furta, & alia ejusmodi esse à Deo auctore, & consequenter absurdum est dicere, voluntatem illorum à Deo auctore prodire. Ergo nulla malorum voluntas est bona. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, hoc etiam argumentum ab ipso Celladeo esse solvendum, quia omne positivum, quod non est malum, existit Deo auctore. At voluntas malorum, quæ invincibiliter creduntur bona, & positiva est, & non est mala. Ergo existit Deo auctore. Major videtur certa, & haud dubiè comprehendit etiam actus indifferentes in individuo, si qui tales existant, nil enim in illis reperitur, quod Deo repugnet, aut impediat, quo minùs antecedenter velit illa, voluntate saltem permissivâ, eademque ad finem à se intentum ordinet. At omnium talium Deus est Auctor. Jam certum est, plures malorum voluntates esse ejusmodi. Ergo sunt à Deo Auctore.

Deus est auctor aliquorum per se, aliorum per accidens.

64. Respondeo secundò, Deum dupliciter dici rerum auctorem, primò absolutè & per se, secundò ex suppositione & per accidens. Deus absolutè & per se est auctor omnium, quæ immediatè per seipsum fecit, item omnium, quæ necessariò ex illis consequuntur, sed & omnium eorum, quæ per bonum usum libertatis creatæ producta sunt. Ratio est, quia Deus per seipsum hæc omnia directè intendit, & vult. Talium autem Deus est Auctor, & quidem directè & per se. Jam alia sunt, quæ nunc quidem existunt, sed nunquam extitissent, nisi creatura libera malè usa fuisset suâ libertate. Talia sunt mors, morbi, & alia corporis mala. Item ignorantia veri in intellectu, & difficultas, quam in prosequendo bono experimur in voluntate. Talia etiam sunt pœnæ inferni, &c. Jam Deus non est auctor illorum absolutè & per se, quia *Deus mortem non fecit. Sapient. 1. 13.* sed homo suo peccato, contra intentionem Dei, illam sibi accersivit. Nihilominus, posito semel peccato, Deus consequenter ad illius suppositionem dici potest & est auctor mortis & damnationis, illasque in pœnam peccati infligit, juxta illud Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Et illud Ecclesiastici 11. 14. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Nec quisquam hoc negare potest, quin simul neget, opera justitiæ vindicativæ à Deo auctore procedere, quo nil falsius dici potest. Talium ergo rerum Deus est auctor, non absolutè, per se, & ex primariâ intentione, sed solùm per accidens, ex suppositione, & ex intentione secundariâ.

Mala, invincibiliter credita bona, sunt à Deo auctore.

65. Hac distinctione positâ, argumentum spontè labitur, major enim universaliter admitti potest, modò terminus ille, *Deo auctore*, complectatur tam auctorem per se, quàm auctorem per accidens, & ex suppositione. Sed neganda est, si ad alteram tantùm acceptionem restringatur, quia omnis voluntas est bona, quæ quocumque tandem modo procedit à Deo auctore. Minor simpliciter negari potest, sed meliùs distinguitur hoc modo: nulla voluntas malorum est à Deo, ut ab auctore per se & ex primariâ intentione, conceditur minor. Nulla est à Deo auctore per accidens, ex suppositione, & ex intentione secundariâ, negatur minor, & consequentia. Absurdum quidem esset dicere, mala, cognita ut mala, aut mala, vincibiliter credita bona, esse à Deo auctore. At dicere, mala, invincibiliter credita bona, & multò magis credita præcepta, esse à Deo auctore, stante suppositione erroris invincibilis, non est absurdum, sed sine intolerandâ absurditate negari non potest. Sanè judex, Deo auctore, condemnat innocentem legitimè convictum, quando nullum adest indicium innocentiæ. Quomodò enim Deo auctore non sit, quod Deus fieri jubet, quòdque nisi fiat, mortem animæ, suæque amicitiæ jacturam minatur? At certum est, Deum, stante ejusmodi errore invincibili, præcipere condemnationem innocentis, &, ni condemnetur, mortem animæ, suæque amicitiæ jacturam minari. Ergo talia objecta eorumque voluntas respiciunt Deum ut auctorem. Idem valet de omni voluntate, quæ rationi invincibiliter erranti conformatur.

Hinc sequitur, Celladeum frustra objecisse longum malorum catalogum, ut probaret, absurdissimum esse concedere, ea omnia Deo auctore existere; nemo enim concedit ea omnia ab ullo homine patrari posse absque peccato; eò quòd naturaliter nemo de omnibus invincibilem ignorantiam habere possit. Cæterùm si suppositio de invincibili omnium ignorantiâ admittatur, sicut absurdum non est, quòd mala illa materialia non sint formaliter mala, ita absurdum non est, sed congruum, quòd eadem, ut talibus circumstantiis substantia, sint formaliter bona, & consequenter à Deo auctore.

66. Objicit septimò. Operatio conformis rationi invincibiliter erranti non aliâ ratione est honesta, quàm quia operans sequitur dictamen suæ conscientiæ, & facit quod invincibiliter judicat esse bonum. At hæc ratio non probat intentum, quia falsæ nostræ existimationes non tribuunt operationibus nostris bonitates & malitias falsò existimatas; qui enim falsò invincibiliter putaret se esse in gratiâ, atque inde concluderet, se meritoriè de condigno operari, non ideo poneret actum meritorium de condigno. Similiter, qui invincibiliter putat malitiam peccati esse infinitam, non ideo contrahit malitiam infinitam, si opinio dicens malitiam peccati esse infinitam sit falsa. Similiter credens se ponere malitiam finitam non ideo non poneret malitiam infinitam, si opinio ipsius esset falsa. Idem dicendum de eo, qui falsò putaret actum unius virtutis esse magis meritorium actu alterius virtutis, aut mensuram meriti correspondentis tali actui esse tantæ magnitudinis, cùm non sit tantæ; non enim ideo actus virtutis, falsò creditæ melioris, esset melior, nec actus meritorius unius gradûs ideo mereretur mille, quia operans putaret illius meritum ad tot gradus extendi. Ex his infertur, voluntatem malorum non esse bonam, quamvis illa invincibiliter credatur esse bona. Ita Celladeus §. 5.

Falsæ existimationes non semper tribuunt actibus bonitatem & malitiam existimatam.

67. Respondeo, paritates istas non urgere, quia operationes, de quibus talia judicia enunciant, eodem modo se habent, sive præcesserint sive non præcesserint, sive vera sive falsa fuerint ejusmodi judicia. Sint duo, quorum alter verè, alter falsò judicet se esse in gratiâ, & ideo mereri de condigno suis actibus honestis; dico utrumque illud judicium impertinenter se habere, ut operatio evadat, vel non evadat meritoria de condigno, quia neutrum ponit, vel aufert ea, per quæ meritum constituitur tale; sicut enim homo non meretur, quia falsò putat se mereri, sic non meretur,

Ratio, ob quam eum non tribuunt, exponitur.

meretur, quia verè putat se mereri; eodem enim modo meritus fuisset, si illud judicium abfuisset. Idem valet in aliis casibus allatis, quia æquè in omnibus judicia illa impertinenter se habent ad inferendum vel impediendum objectum, quod enunciant. Ratio à priori est, quia judicia illa, quà talia, non sunt regula seu mensura proxima operationum, de quibus enunciant, ideoque operationes illæ nec speciem nec augmentum bonitatis vel malitiæ à talibus cognitionibus recipiunt. At omnia contrario modo se habent in casu nostro; loquimur enim de cognitione immediatè practicâ, seu de dictamine conscientiæ, quæ est regula proxima, & mensura bonitatis & malitiæ moralis, quæ in actus à tali dictamine regulatos refunditur. Et sanè hoc adeo verum est, ut Celladeus ipse teneatur ita respondere ad paritates, quas attulit; nam sic arguo. Dictamen conscientiæ vetans rem aliquam, necessariò refundit malitiam in electionem objecti, quod prohibet, quamvis illud ex se sit bonum. Peto unde hoc eveniat, cùm in casibus allatis error intellectûs nec bonitatem, nec malitiam existimatam in operationes refundat? Aliam rationem non reddet Celladeus, quàm jam dictam, nempè quia practicum conscientiæ dictamen est proxima regula moralitatis contentæ in operatione. Alia autem judicia non sunt regula operationum, de quibus enunciant. At dictamen invincibiliter erroneum est regula proxima operationis illi conformis. Ergò necessariò refundit honestatem in operationem, quam dirigit. Est enim regula à Deo statuta, ut juxta eam operemur. Ergo est mensura moralitatis, illamque communicat volitioni, quam regulat.

Celladeus tenetur respondere, & nostram solutionem adhibere.

68. Cæterùm in eo erravit Celladeus, quòd universaliter dixerit, bonitatem & malitiam falsò existimatam non refundi in operationes à talibus judiciis regulatas; certum enim est, quòd sæpe omnem bonitatem & malitiam falsò existimatam in ipsius objecti electionem refundant. E. g. Petrus occidit feram, putans se hominem occidere. Dico, Petrum non minùs peccare, quàm si hominem interfecisset. Ratio est, quia occisio continetur in vi talis volitionis, quæ eam de facto induxisset, si homo loco feræ constitisset. Cùm ergo Petrus posuerit causam sufficienter illativam mortis, nec per ipsum steterit, quò minùs homicidium patraretur, perspicuum est, totam malitiam homicidii in talem volitionem refundi, quamvis homicidium non committatur, nisi in mente talis hominis. Idem locum habet in errore circa bonitatem materialem actûs exerciti. Qui enim invincibiliter putat se dare aureum in eleëmosynam, non minùs placet Deo, nec quoad nos minore laude dignus est, eò quòd nummus, quem largitus est, inveniatur fuisse aurum adulteratum. Ratio est, quia Deus intuetur cor. Cor autem illius absolutè & efficaciter dispositum erat ad aureum largiendum. Per ipsum ergo non stetit, eleëmosynam non fuisse qualem putabat. Cùm ergò elicuerit actum liberalitatis sufficientem ad tantum tribuendum, nec præmio ullo apud Deum, nec laude apud homines privabitur, eò quòd invincibiliter deceptus minus dederit quàm putabat. Itaque certum videtur, actus rationi invincibiliter erranti conformes esse moraliter bonos, quia cùm motivum virtutis, in quod voluntas fertur, sit positum in nostra potestate, atque actu in illud feramur, utique honestè operamur, quia voluntas quoad illius prosecutionem est tam efficax, quàm fuisset si intellectus non errasset applicando illud objecto materiali indebito. Quæ cùm sint tam perspicua, miror Celladeum ea non considerasse, sed existimasse exempla à se allata tam pertinenter se habere ad bonitatem & malitiam in actus nostros refundendam, quàm practicam conscientiæ cognitionem, seu judicium, quo immediatè dirigimur ad operandum.

Aliquando cognitiones falsæ refundunt malitiam & bonitatem affirmatam in actus.

69. Hæc omnia legitimè procedunt, quamvis demus Celladeo, quòd in istiusmodi casibus ultimum conscientiæ dictamen sit falsum. Verùm è contrario se res habet, quia ultimum conscientiæ dictamen, à principiis reflexis deductum, est evidens, ideoque omnia illius argumenta procedunt de subjecto non supponente. Exemplo sit judex, qui credit reum legitimè convictum verè esse reum, & ideo illum condemnat. In hoc casu ultimum dictamen, quo Judex regulatur, non est directum judicium, quòd accusatus sit reus; quippe quod incertum est, & aliquando est falsum; sed est consequentia hujus syllogismi reflexi. *Deus & respublica præcipiunt, ut eum damnem tanquàm reum, qui legitimè convictus est reus, quemque ego reum judico, maximè quando nulla adest ratio pro illius innocentiâ. Sed hic adest reus legitimè convictus, quem ego reum judico, nec ulla adest ratio pro illius innocentiâ. Ergo Deus & respublica præcipiunt, ut hunc condemnem tamquam reum. Ergò licitè & laudabiliter eum condemno, quia licitè & laudabiliter obedio legi Dei & reipublicæ.* Similis aut proportionatus syllogismus reflexus elici potest pro omni casu, quando invincibiliter erramus in judicio directo.

Ex cõscientiâ invincibiliter erroneâ surgit conscientia recta & vera.

70. Dices, argumentum in hoc principio reflexo fundatum apparet quidem validum, sed scitur non concludere, quia nimis probat. Tollit enim conscientiam erroneam, eamque in veram resolvit. At nos loquimur pro casu conscientiæ erroneæ verè existentis. Ergo argumentum destruit suppositum, & nil probat. Ita Celladeus §. 6.

Conscientia erronea nõ resolvitur in veram.

Respondeo, conscientiam reflexam veram non tollere directam falsam, sed in eâ fundari, cùm ipsam præsupponat, & super illam, ut existentem, illiusque qualitates reflectat, ut perspicuum est ex minore syllogismi allati. Ergo quando ex conscientiâ directâ erroneâ consurgimus ad formandum dictamen reflexum verum, conscientia erronea non resolvitur in veram, sed semper manet falsa. Itaque solùm præbet occasionem novæ consultationis, per quam intellectus, comparando idem objectum ad novas circumstantias, aliter de illo enunciat, quàm antè enunciaverat, & verissimè concludit, illud hîc & nunc esse licitum.

ASSERTIO III.

Propositum sit ulteriùs explicare, in quo ethica conscientiæ rectitudo consistat, simulque communem conscientiæ divisionem in rectam & erroneam exactè proponere.

71. INPRIMIS ex dictis constat, rationem seu conscientiam invincibiliter erroneam esse quidem erroneam logicè, sed ethicè rectam, quod hoc argumento confirmatur. Optima ratio, quam possumus & debemus habere, quâque citra temeritatem carere non possumus, est moraliter seu ethicè recta. Ethica enim mores tantummodò considerat. Ergo ratio in considera-

Conscientia invincibiliter erronea est ethicè recta.

tione ethicâ non potest non esse recta, si sit optima, quam possumus habere, seu si sit qualem habere debemus quâque citra temeritatem & turpitudinem carere non possumus. Ille enim ethicè loquendo rectè se habet, qui se habet ut potest & debet, quique post debitam diligentiam ad optimum, cujus capax est, ita pervenit, ut citra temeritatem aliter se habere sive in intellectu sive in voluntate non possit. At ratio invincibiliter erronea est optima, quam habere possumus. Sæpissimè etiam citra temeritatem & turpitudinem illâ carere non possumus, ut patet ex allatis exemplis. Ergo talis ratio est ethicè recta, & solùm logicè erronea.

Divisio cōscientiæ.

72. Quoad secundum, quamvis conscientia directè constituta dividi possit in rectam & erroneam, tam juxta considerationem logicam quàm ethicam, simpliciter tamen loquendo divisio illa à Theologis communiter accipitur in sensu ethico, quia hoc solùm modo refertur ad mores. Jam, in tali consideratione conscientia invincibiliter erronea æquivalet rationi logicè rectæ, quia regulat operationem honestam, ut dictum est. Itaque talis ratio seu conscientia non impropriè est, & vocatur recta, quamvis logicè loquendo sit erronea, seu falsa.

Ratio recta non definitur per veritatem.

73. Præterea Theologi definiunt rationem rectam per respectum, non ad veritatem logicam, sed ad appetitum rectum, omnemque rationem, tali appetitui conformem, rectam appellant; quia juxta considerationem ethicam recta est, eò quòd per rectam causalitatem ab appetitu recto descendat, eidemque appetitui recto conformis sit. At certum est apud Theologos, quòd ratio invincibiliter erronea sit conformis appetitui recto, quódque proinde ethicè loquendo sit ratio recta. Veritatem hanc fusè declaratam habes *quæst. 12. de conscientia probabili à num. 14.*

Sæpe conscientia vera non est recta.

74. Et sanè certum est, Theologos hâc in re non respicere præcisè ad veritatem, seu rectitudinem logicam; quia sæpe contingit homines æquè peccare sectando conscientiam veram, ac falsam. Non enim minùs peccat uxor negando debitum viro verè non suo, quando illa contra persuasiones efficacissimas temerè putat illum non esse suum, & ideo illi debitum negat, quàm quando reddit debitum viro non suo, quem falsò credit esse suum. Immò in primo casu nunquam deest peccatum, quia temeritas nunquam deest; in secundo verò plerumque peccatum non incurritur, quia error ille plerumque est invincibilis, & absque temeritate incurritur. Itaque quòd ratio seu conscientia sit vera vel falsa, nil præcisè facit, ut actio, quam regulat, sit honesta, vel peccaminosa, ut patet. Itaque in obscuris opus est aliâ regulâ, nempe conformitate cum appetitu recto, quæ nunquam deest, quin actus illâ carens sit malus, nec unquam habetur, quin honestatem tribuat in actum, quia arbor bona bonos fructus facit, ut dictum est.

Notabilis Celladei error.

75. Hinc sequitur, Celladeum errasse *lib. 3. quæst. 5.* ubi, absque debitâ rerum distinctione, bonitatem ac malitiam humanorum actuum universaliter resolvit in veritatem ac falsitatem logicam actuum intellectûs, à quibus diriguntur. Censet proinde omnem rationem logicè veram esse ethicè rectam, quo nil absurdius dici potest; certò enim constat ex dictis, multa judicia vera non esse ethicè recta, cùm operationem, quam regulant, à peccato non excusent.

76. Ex dictis infertur primò, nullam esse rationem ethicè erroneam præter illam, quæ est vincibiliter erronea, quia ex omnibus erroribus solus error vincibilis non est conformis appetitui recto; constat enim ex dictis, rationem invincibiliter erroneam appetitui recto esse conformem. Scio rationem logicè veram, sed temerè conceptam, nec esse, nec inferre conscientiam rectam; ratio tamen illa in rigore dici nequit erronea, quia hæc appellatio supponit errorem præcessisse in intellectu, illique superaddit difformitatem cum appetitu recto. Itaque ratio vera temerè concepta opponitur conscientiæ rectæ, quia difformis est appetitui recto, ideoque meritò appellatur ratio non recta, seu non rectè sed temerè formata; & quia in hoc æquiparatur rationi vincibiliter erroneæ, dici potest ratio æquivalenter erronea, quamvis reipsâ sit ratio logicè vera, & absolutè non erronea.

Sola ratio vincibilis est ethicè erronea.

Divisio cōscientiæ in rectā & erroneam nō est adæquata.

77. Infertur secundò, rationem practicam, seu conscientiam directè constitutam, non dividi adæquatè in rectam & erroneam. Ratio est, quia ratio vera temerè concepta nec recta est, nec erronea. Sæpè tamen est ratio practica, & conscientiam constituit. Itaque ut adæquatam ac immediatam conscientiæ divisionem habeamus, illa dividi debet in rectam, & non rectam. Recta complectitur non solùm cognitiones certas ac evidentes, sed etiam probabiles absque temeritate elicitas, quia omnes ejusmodi cognitiones practicæ sunt conformes appetitui recto. Quòd si contingat, aliquam ex illis esse falsam, illa est quidem logicè erronea, sed ethicè recta, & fundat actum honestum. Itaque conscientia recta subdividitur in certam ac probabilem. Certa, alia est evidens, alia certa sed obscura. Probabilis subdividitur in eam, quæ est conformis tam objecto, quàm appetitui recto; & in eam, quæ est difformis objecto, sed conformis appetitui recto. Demum conscientia non recta dividitur in erroneam vincibiliter, id est, in falsam temerè conceptam, quæ tam veritati quàm appetitui recto contrariatur; & in veram, sed temerè conceptam, quæ solùm appetitui recto repugnat. Quæ omnia cùm ex dictis apertè constent, aliud illis non est addendum.

Conscientia exactè dividitur.

Duo Celladei errores.

78. Infertur tertiò, Celladeum plures incurrisse errores *in quæst. 5. lib. 3.* Primus est, quòd dicat, nullam esse conscientiam rectam, quæ non sit vera; nec ullam veram, quæ non sit recta. Constat enim ex dictis, utramque hujus asserti partem esse falsam. Secundus est quod § 3. dicat, homines nunquam teneri ad deponendam conscientiam rectam, intelligendo veram nomine rectæ. Hoc apertæ falsitatis convincitur ex dictis, quia sæpe conscientia seu ratio vera est adeo temeraria, ut citra ingentem temeritatem retineri non possit. Talis ergo conscientia, etsi logicè vera, haud dubiè deponenda est, cùm sine vituperio retineri nequeat. Exemplum sume à filio negante obedientiam patri, quem obstinatâ temeritate, cum logicâ tamen veritate, credit non esse suum, quamvis rationes efficacissimæ persuadeant, illum esse verum patrem, nec quidquam præter frivolam apparentiam fertur in contrarium. Hic filius haud dubiè tenetur judicium illud deponere, & contra illud operari, obedientiamque patri tantùm existimato exhibere. Tertius error est majoris momenti, quoad præsentem controversiam, contra quem pono sequentem assertionem, ut occasionem habeam solvendi ea, quæ ad illum probandum Celladeus affert dictâ *quæst. 5. lib. 3.* illa enim cùm consectaria sint ad ea,

Sæpe tenemur deponere conscientiam veram.

ad ea, quæ in *quæst.* 4. tradiderat, hoc non alio loco examinari debuerunt.

ASSERTIO IV.

Alius Celladei error.

Hæc Celladei propositio: Nulla ratio falsa non solùm constituit, sed ne quidem infert conscientiam rectam, aut ad eam pertinenter se habet: *est manifestè falsa.*

Ratio falsa sæpe infert conscientiã rectam.

79. PROBATUR, & quidem inprimis ratio invincibiliter erronea secundùm se est ethicè recta, ut ostensum est. Deinde quamvis hoc non admittatur, certum est, judicia taliter erronea conformari appetitui recto, ac fundare novam consultationem, quâ intellectus per principia synderesis reflexa format conscientiam certam & evidentem, ac proinde rectam, ut apertè constat ex rationibus & exemplis in hâc ipsâ quæstione allatis. Quæ cùm manifesta sint, perspicuum quoque est, aliquam rationem falsam fundare conscientiam rectam, & ad illam pertinenter se habere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

80. OBJICIT primò. Si conscientia probabilis falsa esset conscientia recta, nulla esset conscientia erronea, quia conscientia erronea nec consisteret in falsâ, nec ab illâ inferretur. At sequela est absurda; certum enim est dari conscientiam erroneam, tam vincibilem quàm invincibilem. Ita Celladeus §. 3.

Nullitas objectionis.

Respondeo, consequentiam non sequi ex antecedente, quia, antecedente admisso, adhuc daretur conscientia vincibiliter erronea, quæ nec esset recta, (utpote nec objecto, nec appetitui recto conformis) nec conscientiam rectam inferret. Dividitur quidem conscientia erronea in invincibilem & vincibilem, sed non inde sequitur, nullam dari conscientiam simpliciter erroneam, eò quòd conscientia invincibiliter erronea aut sit recta, aut inferat rectam. Ratio est, quia proprietates uni membro divisionis debitæ non impediunt proprietates alterius membri. Ergo quamvis ratio invincibiliter erronea aut sit recta, aut inferat rectam, eò quòd proprietates illius hoc probent, adhuc stat, rationem vincibiliter erroneam esse simpliciter talem, quia proprietates illius necessariò impediunt, quò minùs illa sit recta, aut rectam inferat.

81. Dices Conscientia dividitur in rectam & erroneam, tamquam in membra opposita. Ergo nulla conscientia erronea est recta. Sed omnis conscientia invincibiliter errans est erronea, cùm omnes dividant conscientiam erroneam in vincibilem, & in invincibilem Ergo nulla conscientia invincibiliter erronea est recta.

Nulla conscientia erronea est recta in sensu rigoroso.

Respondeo ex doctrinâ jam allatâ, quòd consueta illa divisio conscientiæ in rectam & erroneam intelligatur de conscientiâ omni modo & rigorosissimè recta, quæ conformatur tam objecto quàm appetitui recto. Jam conscientia invincibiliter erronea opponitur conscientiæ rectæ hoc modo sumptæ, quia non est conformis objecto. Sed hoc non impedit, quò minùs conscientia invincibiliter erronea sit conscientia recta in sensu minùs rigoroso, quatenus est conformis appetitui recto, & consequenter ethicè recta, & sufficiens in suo genere ad fundandam operationem honestam, quamvis non sit rectissima, quia est logicè difformis objecto. Rursus, etsi conscientia invincibiliter erronea non sit perfectè recta, fundat tamen aliam reflexam, quæ rectissima est, ut ostendimus. Cæterùm cùm constet, non omnem rationem logicè veram esse ethicè rectam, Theologi dividentes conscientiam, illam partiti non sunt in veram & erroneam, sed in erroneam & rectam; subtiliter enim viderunt, plus requiri, ut conscientia sit recta, quàm ut sit vera. Itaque pro conscientiâ absolutè rectâ seu undique perfectâ duo requirunt, nempè veritatem in actu intellectûs, & conformitatem ejusdem cum appetitu recto; adeo ut, alterutrâ deficiente, conscientia non sit absolutè & simpliciter recta in sensu rigoroso.

Conformitas cum appetitu recto est potissimum prædicatũ conscientiæ rectæ.

82. Porrò ex duobus istis prædicatis, quibus conscientia simpliciter recta constituitur, potissimum in ratione ethicâ est conformitas cum appetitu recto; illud enim est principalius prædicatum ex duobus, quo solo habito, ratio plus participat de conscientiâ rigorosè rectâ ejusque effectibus, quàm participet per alia prædicata, hoc remoto. At ratio conformis appetitui recto plus participat de naturâ & effectibus conscientiæ rigorosè rectæ, quàm ratio vera appetitui recto non conformis; in primo enim casu peccatum arcetur, quod in secundo ob temeritatem incurritur; in primo casu honestas inducitur in operationem, non in secundo; jam certum est, nil præstantius inveniri in conscientiâ undique rectâ, quàm quòd peccatum arceat, & honestam operationem inducat. Ergo conformitas cum appetitu recto est præcipuum prædicatum in conscientiâ absolutè & simpliciter rectâ.

Præterea tam Aristoteles in Ethicis, quàm Theologi & Philosophi illum sequuti, definiunt rationem rectam per hoc, quòd sit conformis appetitui recto. Ergo haud dubiè censent talem conformitatem in consideratione morali, de quâ agunt, esse potissimum prædicatum in conscientiâ rectâ, aliàs perperam illam definirent per ejusmodi prædicatum.

Id ipsum probatur ex eo, quod S. Thomas præclarè observat 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. *ad.* 3 nempe quòd sicut nil firmiter constat per rationem speculativam, nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia, ita nil firmiter constat per rationem practicam, nisi per ordinationem ad finem ultimum. At hæc ordinatio ad finem ultimum consistit in recto appetitu finis, & in iis, quæ à tali appetitu originem ducunt. Ergo potissimum, maximè firmum ac radicale, quod elucet & ad quod attenditur in conscientiâ, est conformitas cum appetitu recto, per quem ratio illa ad ultimum finem ordinatur.

Unde conscientia invincibiliter errans dicatur recta?

83. Atque hinc est, quòd conscientia invincibiliter erronea, præcisè sumpta secundùm se & sua principia, sit & dicatur ethicè recta, licèt non sit recta logicè, nec in sensu maximè rigoroso, qui exprimitur, quando conscientia à S. Thomâ aliisque dividitur in rectam & erroneam. Ratio est, quia conscientia invincibiliter erronea est conformis appetitui recto, ideoque participat potissimum ac maximè essentiale prædicatum conscientiæ tam logicè quàm ethicè rectæ. Ergo meritò & propriè vocatur recta, quamvis non in sensu rigorosissimo, sed solùm in sensu ethico, quia revera ethicè recta est; habet enim prædicatum, in quo talis rectitudo consistit, quamvis non sit rectissima, eò quòd logica conformitas cum objecto illi desit.

Objectio 2.

84. Objicit secundò. Si conscientia invincibiliter erronea fundaret conscientiam rectam, esset

esset propter Syllogismum reflexum, quo quis sic discurreret. *Qui sequitur suum judicium probabile, non peccat. Sed ego sequor meum judicium probabile. Ergo non pecco.* At hoc dici nequit, sic enim conscientia erronea tolleretur, quia hâc ratione resolvitur in veram, non enim amplius falsum est, quòd non peccet, supponebamus autem judicium dicens, *non pecco*, esse falsum & erroneum.

Præterea hic discursus reflexus nil enunciat de ipso opere, sed solùm dicit, me non peccare. At conscientia, dirigens nos circa opus, judicare debet de ipso opere, & dictare, an sit bonum vel malum, quia velle formare conscientiam de non peccato in operando, & nolle de ipso opere enunciare, an sit malum vel bonum, est velle peccare non peccando.

Demum, velle operari, non formatâ conscientiâ an opus sit vel non sit contra legem Dei, est velle peccare. At si conscientia formetur de ipso opere, erit erronea, si opus sit prohibitum, nec alia quàm erronea conscientia resultare poterit. Ita Celladeus §. 4.

Conscientia erronea & vera differunt ex parte objecti.

Respondeo, conscientiam invincibiliter erroneam fundare conscientiam reflexam in omni rigore rectam, quæ est conclusio dicti Syllogismi, aut alterius non multùm dissimilis. Cæterùm in eo æquivocat Celladeus, quòd cùm subindè utamur eisdem verbis ad exprimendam conscientiam reflexam, quam veram & rectam dicimus, quibus utimur ad exprimendam conscientiam, quam supponimus esse erroneam, intulerit aut conscientiam erroneam tolli, aut nos contradictoria docere. Verùm non advertit, objecta diversa sæpe significari per eadem verba, prout illa in diversis circumstantiis accipiuntur. Hoc ut omnes intelligant, sciendum est, Auctores benignæ sententiæ docere, quòd conscientia, in casu erroris invincibilis ex principiis reflexis formata, solùm dictet, opus in illis circumstantiis non esse malum malitiê formali & imputabili. Non autem dicit illud non esse malum malitiâ materiali & non imputabili. At hoc secundum affirmatur à conscientiâ directâ, quæ propterea sæpe erronea est. At primum affirmatur à conscientiâ reflexâ, quæ propterea vera est, & absolutissimè recta. Porro Celladeus ipse admittit verum esse, quòd malitia formalis absit, quoties error est invincibilis. Ergò hoc ipsum cum veritate ac rectitudine affirmari potest reflexè. Ergo in ipsius sententiâ stare potest falsitas directa de non peccato materiali, cum veritate reflexâ de non peccato formali. Et quidem si termini *materialis & formalis* non exprimantur, veritas reflexa de non peccato cohæret cum falsitate directâ de non peccato in eodem opere. Ergo ipse tenetur proprium argumentum solvere, & ostendere, quomodò conscientia reflexa vera & recta non tollat conscientiam directam falsam & erroneam; & quomodo rectè cohæreant ista duo, quòd una propositio cum veritate affirmet malitiam formalem abesse, & altera erret negando malitiam etiam materialem adesse. Tamen hæc duo mirum in modum insectatur §. 4. Adeo sibi contrarius est, ut, in omnibus ferme, propriis argumentis implicetur, nec ea solvere possit, nisi recurrat ad sententiam, quam impugnat.

Celladeus debet respõdere proprio argumento.

Sed quid? est ne verum, conscientiam rectam nil enunciare de ipso opere, sed solùm de non peccato? Ita autumat Celladeus, sed haud dubiè fallitur; quia hæ duæ expressiones, non pecco hîc & nunc in hoc opere, & hoc opus hîc & nunc est licitum, unum idemque significant, & qui unum dicit, æquivalenter saltem dicit & alterum.

At, inquit, si conscientia reflexa enunciat de ipso opere, non minùs errat, quàm directa. Ergo conscientia erronea ita manet erronea, ut rectam fundare, aut in rectam resolvi nequeat.

85. Respondeo, me jam ostendisse quomodò utraque ratio enunciet de ipso opere, una tamen sit vera, altera falsa. Immò ostendi Celladeum ipsum ita sentire, suoque argumento debere respondere. Deinde dico, conscientiam reflexam æquè falsam fore ac directam, si utraque enunciaret de eodem objecto relatè ad easdem circumstantias. At si reflexa consideret idem objectum in ordine ad alias circumstantias, quàm directa, illa poterit esse vera, ista falsa. Hic est casus noster, nam conscientia reflexa enunciat de objecto materiali considerationis directæ in ordine ad istas circumstantias, quòd adhibita fuerit diligentia ad veritatem indagandam, quódque post debitam diligentiam objectum illud ex probabili fundamento credatur esse simpliciter omnibus licitum. Unde per principia reflexa legitimè infertur, quòd hîc & nunc sit mihi licitum, quòdque ad peccatum imputari nòn possit; quæ vera sunt, quamvis judicium directum, quod considerat objectum illud secundùm se & circumstantias illi ex naturâ rei connexas, sit falsum. Exemplum habes in judice damnante reum legitimè convictum. Judex enim certus est, se licitè condemnare reum illum, quia certus est, eum legitimè convictum esse, seque suum in processu faciendo, &c. officium implevisse. Certus etiam est, se hîc & nunc juxta legum præscripta judicare. Unde certò infert, se licitè posse, ac etiam debere hominem illum condemnare. Immò certò novit hoc verum esse, etsi contingat, ut aliquando evenit, testes falsa deposuisse. Ecce Judex non est certus, hominem illum esse reum, certus tamen est, se illum licitè condemnare. Hæc certitudo oritur à principiis reflexis, quæ supponunt debitam diligentiam fuisse præmissam, reumque legitimè convictum juxta legum præscripta condemnari debere. Verùm hæc principia nullatenus variant directum judicium de reatu capitis ob delictum, sed illud in suâ incertitudine relinquunt. Stat ergo, rationem invincibiliter erroneam fundare conscientiam reflexam absolutè rectam, tam objecto quàm appetitui recto conformem.

Conscientia reflexa considerat alias circumstantias quàm directa.

86. Objicit tertiò. Si vera essent, quæ diximus, omitti posset judicium directum de carentiâ malitiæ materialis, & solùm elici judicium de carentiâ malitiæ formalis. Ergo tolleretur conscientia erronea excusans, quod est contra omnes. Ita velle videtur Celladeus §. 4. in fine. *Objectio 3.*

Respondeo, multa principia synderesis reflexa præsupponere judicium directum præcessisse, quæ proinde applicari non possunt ad conscientiam certam ac rectam inferendam, nisi judicium directum actu animam informet. In istis autem casibus toties datur conscientia erronea excusans, quoties judicium directum invincibiliter errat. Excusat enim primò vi suâ, quia propter invincibilitatem error imputari non potest; excusat secundò, quia fundat judicium reflexum verum, per quod conscientia absolutè recta constituitur. Non ergo tollimus conscientiam erroneam

Judicium directũ sæpe præmitti debet, ut conscientia certa formetur.

neam excusantem, sed eam stabilimus, & simul ostendimus, quâ ratione excuset à malo, & inducat bonum.

Cæterùm, quando principia reflexa non reflectunt supra judicium directum, non est opus, ut illud eliciatur; immò aliquando elici non potest, ut patet in conjuge dubio de validitate matrimonii, & in possessore dubio, an res ad aliam pertineat. Isti enim sæpe non habent unde dubium deponant; certificantur tamen, se licitè reddere debitum, & rem possessam licitè retinere. Pontifices enim declaraverunt, debitum in dubio reddi debere; & omnes fermè in eo conveniunt, quòd res illa titulo possessionis licitè retineri possit, non obstante dubio, ad quem de jure pertineat.

QUÆSTIO QUARTA.

Vtrùm Opus ab Errore invincibili directum sit tam bonum, quàm opus directum à cognitione verâ?

1. UÆSTIO hæc affinis est præcedenti, multumque conducit ad decisionem controversiæ contra Celladeum initæ. Ille enim frequenter jactat, veritatem ipsam inutilem fore, si error non solùm excusaret, sed etiam honestatem in operationem refunderet. Accusatio ista efficaciter rejecta est *quæstione præcedente*; eadem autem ulteriùs in istâ rejicietur. Verùm quia quæstionem hanc à nemine in terminis propositam aut decisam reperi, ideo cautiùs atque ordinatiùs in eâ determinandâ procedendum erit, ne dum sine duce viam aliis aperio, ipse à veritate aberrem. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Cæteris paribus, opus à cognitione certâ & evidenti regulatum melius est, quàm opus à cognitione verâ, sed incertâ directum.

Opus à cognitione certâ regulatum præstat operi à cognitione incertâ regulato.

2. PROBATUR. Sint duo, quorum alter, nempe Petrus, certò ac evidenter sciat, eleëmosynam hîc & nunc rectè dari huic homini, quia verè egenus est, & quia ipsi suppetit, unde eleëmosynam licitè largiatur. Alter verò, scilicet Paulus, quoad alia omnia ita se habeat, sicut prior; sed in eo discrepet, quod neutrum illorum certò sciat, sed solùm probabiliter, quamvis veraciter credat utrumque. Porrò utrque pari voluntatis conatu juxta præviam intellectûs dispositionem, eleëmosynam tribuat. Dico, Petrum eliciturum actum meliorem, ac honestiorem. Ratio à priori est, quia dispositio, seu totus actus primus, à quo operatio Petri procedit, perfectior est quàm dispositio, seu actus primus, à quo operatio Pauli ortum sumit; quia ille certam ac claram, iste obscuram & incertam boni faciendi cognitionem habet. Ergo plus boni refunditur in operationem Petri, quàm in operationem Pauli, quia actus primus perfectior ampliorem perfectionem refundit in actum secundum, quàm actus primus imperfectior. Hoc verum est, sive dispositio illa intellectûs dicatur effectivè, sive solùm dispositivè influere in actum voluntatis: si effectivè, ut ego quidem existimo, res est clara, quia nobilior causa meliorem gignit effectum: si solùm dispositivè, idem sequitur; quia eadem causa, idemque motivum eò nobiliorem effectum producunt, quò meliùs disponuntur, & clariùs aut propinquiùs applicantur. Unde sequitur, aliquid honestatis deesse actui à cognitione incertâ regulato, tam quoad affectum erga medium, quàm erga finem; quia voluntas minùs afficitur erga medium, de quo formidat, an connectatur cum fine, quàm erga medium evidenter connexum cum fine.

Præterea minùs firmiter applicat medium fini, quod videt non necessariò connexum cum fine, quàm si sciret illud esse necessariò connexum. Similiter loquendo de ipso fine, haud dubiè voluntas fortiùs adhæret illi, quando certò videt illum adesse, quàm quando formidat & vacillat, an adsit necne. Ergo in hoc casu operatio Petri est perfectior operatione Pauli; quia illa regulatur à cognitione certâ ac evidenti tam de præsentiâ finis, quàm de conducibilitate medii; ista verò dirigitur solùm à probabili conjecturâ utriusque.

Aliæ rationes ad idem confirmandum.

3. Confirmatur multipliciter. Inprimis, non aliâ de causâ amor beatificus in patriâ est melior, quàm amor charitatis in viâ, quàm quia intellectus lumine gloriæ instructus clariùs Deum cognoscit; ex parte enim voluntatis principia radicalia amandi Deum non variantur. Secundò, qui clarè videt iter esse planum, omnique offendiculo carere, alacriùs pergit, quàm qui ob defectum luminis non clarè discernit, sed formidat, an in offendicula sit incursurus. Tertiò, ipsa ratio voluntarii à prævia cognitione dependet & regulatur, nam si cognitio prævia de bono sit clara & evidens, voluntarium absque involuntarii admixtione prodit; aliter accidit, si intellectus de mali admixtione formidet. Similiter si cognitio prævia sit supernaturalis ex parte objecti (ut ego cum multis existimo fidem esse) etiam effectus voluntatis sequens erit pariter supernaturalis ex parte objecti, quia actus voluntatis, seu voluntarium æmulatur ac imitatur naturam cognitionis, à quâ dirigitur. Hæc omnia, præsenti assertioni applicata, eam validissimè confirmant.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

4. OBJICIT. Quando cognitio directa est incerta, prius quàm voluntas operetur, intellectus recurrit ad principia reflexa, per quæ certò & infallibiliter cognoscit, operationem hanc hîc & nunc esse honestam. Ergo etiam tunc voluntas regulatur à cognitione certâ & evidenti. Ergo non est cur non æquè benè operetur, sicut quando dirigitur à cognitione directâ certâ & evidenti.

Solvitur.

Respondeo inprimis, rationes à nobis allatas concludere adversus eos, qui solùm considerant opera-

operationem voluntatis à cognitionibus directis regulatam. Ergo concludit adversus Celladeum, qui non admittit regulationem istam per principia reflexa.

Intenta per se à naturâ præstant iis, quæ intenduntur per accidens.

5. Deinde respondeo, operationem Petri adhuc meliorem esse operatione Pauli, quia certitudo & evidentia directa de honestate operis secundùm se melior est, quàm certitudo & evidentia de honestate operationis, cum incertitudine ac formidine de honestate operis. Ratio est, quia quæ per se intenduntur à naturâ, meliora sunt, quàm quæ intenduntur solùm per accidens; hæc enim non aliâ de causâ instituuntur, quàm ut meliorum locum aliqualiter suppleant, quando ex imperfectione nostrâ ad perfectiora pervenire non possumus. At certitudo & veritas directa de rerum honestate per se intenditur, veritas autem & certitudo reflexa solùm per accidens, & in defectum certitudinis directæ. Ergo certitudo & veritas directa melior est, magisque divinæ voluntati conformis, quàm reflexa. Ergo & operatio, à certâ cognitione directâ regulata, melior est, quàm quæ à reflexâ solùm regulatur.

Plura concurrunt ad bonitatem, quando adest certitudo, quàm quando sola probabilitas habetur.

6. Ratio ulterior, & fundamentalis hujus rei est, quia principia reflexa à fortiori locum habent, quando cognitio directa est certa. Si enim evidens sit, sequentem opinionem probabilem non peccare, à fortiori evidens est, eum non peccare, qui sequitur cognitionem certam. Ergo omnia principia refundentia honestatem in operationem Pauli adsunt, & honestatem refundunt in operationem Petri.

Præterea operatio Petri ex aliâ etiam parte oritur ex principiis directis refundentibus honestatem, ex quibus operatio Pauli nullam honestatem haurit. Ergo operatio Petri melior est operatione Pauli.

Demum evidentia reflexa considerat opus in ordine ad peculiares circumstantias, à cognitione directâ non expressas. At opus, reflexis illis circumstantiis tantummodò substans, non est tam bonum, quàm opus substans illis ipsis, atque etiam aliis directis, à quibus certò honestatur; quia certitudo honestatis in secundo casu duplex est, nempe certitudo honestatis de operatione hîc & nunc, atque etiam certitudo de honestate operis secundùm se, in quod proinde majori alacritate ac vi animus se effundit, quàm quando solâ reflexâ certitudine utitur.

Demum voluntas Dei, quæ est prima regula honestatis in operationes nostras refundendæ, non una eademque obversatur utrique operanti. Nam Paulo obversatur voluntas merè permissiva in istis circumstantiis ob nostram ignorantiam, &c. At Petro objicitur voluntas directè intentiva ac volens. Jam voluntas Dei intentiva, cognita & applicata, majorem honestatem refundit in opus, quàm voluntas solùm permissiva; nec de hoc dubium esse potest. Ergo operatio Petri est melior operatione Pauli. Stat ergo, operationem à cognitione directâ certâ regulatam, cæteris paribus, meliorem esse operatione, quæ à cognitione directâ tantùm probabili dirigitur.

ASSERTIO II.

Cæteris paribus, melior est operatio à cognitione directâ certâ & evidenti regulatâ, quàm quæ ab errore invincibili dirigitur.

Opus ab errore regulatum est minùs bonũ, quàm opus regulatum à cognitione certâ.

7. PROBATUR. Operatio ab errore invincibili directa non potest esse melior operatione regulatâ à cognitione verâ & æquè probabili, ac est ipse error. At operatio, à cognitione directâ certâ & evidenti regulata, melior est, quàm operatio à cognitione verâ sed solùm probabili regulata. Ergo melior est, cæteris paribus, quàm operatio, quæ ab errore invincibili dirigitur. Major est indubitata, minor constat ex *assert.* 1. consequentia legitimè deducitur.

ASSERTIO III.

Operatio ab errore invincibili regulata, cæteris paribus, tam bona est, quàm operatio à cognitione verâ sed solùm probabili regulata.

Opus ab errore invincibili ortũ est tam bonum, quàm opus à cognitione probabili verâ regulatum.

8. PROBATUR. Si cætera sint paria, actus probabilis erroneus est intrinsecè tam perfectus, quàm actus probabilis verus, quia in istiusmodi actibus veritas formalis est denominatio partim extrinseca, & consequenter accidentalis actui vero. Ergo fieri poterit, ut actus erroneus sit tam perfectus, quàm actus verus. Rursus actus ille erroneus tam prudenter à voluntate imperari potest & solet, quàm actus probabilis verus. Ergo est etiam extrinsecè à prudentiâ tam perfectus, & aliquando perfectior, quàm actus verus. Ergo actus voluntatis ab istis cognitionibus directi, si cætera sint paria, æquè boni sunt. Neque enim est, unde sumatur diversitas, cùm similis prorsùs sit dispositio in intellectu & voluntate utriusque, quamvis unus erret, alter non erret in suo judicio. Sic duo, eodem prorsùs fundamento putati & habiti fratres, si cætera sint paria, æquè honestè operantur obediendo patri putato, & negando obedientiam filialem aliis; quamvis unus illorum erret, existimando illum esse suum patrem, qui pater illius non est, alter verò non erret. Ratio autem est, quia in isto casu nulla est diversitas neque in directis neque in reflexis actibus, quibus isti conscientiam suam formant. Similiter nulla est diversitas in actibus præviis, vi quorum prudentialiter imperant assensus, quibus credunt illum non alium esse suum patrem. Demum ex parte voluntatis & inclinationis ad finem nulla est diversitas. Ergo actus voluntatis, qui à talibus cognitionibus regulantur, sunt prorsùs similes, & æquales, nec unus eorum magis placere Deo potest quàm alter; quod adeo clarum videtur, ut mirum sit, illud à Celladeo in dubium revocari potuisse. Monstro enim simile est, quòd unus duorum benè, alter non benè agat, quòd unus Deo placeat, alter non placeat, aut quòd unus benè, alter meliùs operetur, quando uterque eodem modo conatur rectè operari, atque eosdem omnino, aut prorsùs similes actus intellectûs & voluntatis elicit. Et tamen monstrum hoc ex doctrinâ Celladei, si ea vera esset, nasceretur, quia ille docet, nullam operationem ab errore directam esse bonam, cùm tamen certum sit, operationem prorsùs

prorsùs similem, à cognitione & affectu pariter similibus ortam, esse bonam, quando cognitio est vera.

Dices. Ergo nil refert, utrùm erremus, an verum dicamus. At hoc absurdum videtur. Ita Celladeus.

An, & cur referat non errare? 9. Respondeo, errorem in hujusmodi casibus, si sit invincibilis, nil prorsùs obesse in ordine ad finem voluntatis, & ad placendum Deo, modò error ille in eâdem prorsùs aut pari præsumptione fundetur, atque pari prudentiâ à voluntate imperetur, ac judicium verum. At in aliis casibus error, etiam invincibilis, obest, quia impedit majorem honestatem, quæ à cognitione directâ certâ, si ea adesset, in actum refunderetur. Præterea in omni casu error semper contrariatur fini intellectûs, quia privat veritate, ad quam intellectus essentialiter ordinatur; ideoque in omni casu simpliciter loquendo plurimùm refert non errare.

10. Ex duabus istis quæstionibus tota Celladei doctrina funditùs evertitur, quia totâ in eo fundatur, quòd nulla operatio, ab errore regulata, esse possit bona, quamvis aliqua sit non mala; illa scilicet, quæ suum ab errore invincibili ortum sumit. Et hoc quidem ejus assertum in quæstione præcedenti convellitur; in hâc verò alius, & quidem fermè continuus, ejusdem error detegitur. Ubique enim supponit, errorem in sententiâ probabili aliquando latentem esse nobis tam utilem, quàm sit certissima veritas directa. Unde infert, miseram prorsùs fore scientiam moralem, si nostra sententia admitteretur, quia tanti esset in illâ errare, quanti scire. Verùm sicut ex dictis constat, falsum esse antecedens, ita pariter ex eisdem constat, consequens esse falsum, & consequentiam nullam. Sed de his singillatim agendum erit uberiùs, ubi Celladeus, aut datâ aut etiam quæsitâ opportunitate, eadem tamquam absurda ex nostrâ sententiâ provenientia obtrudet. Ex quo capite doctrina Celladei evertatur?

QUÆSTIO QUINTA.

Vtrùm Celladeus in referendâ sententiâ, quam impugnat, fideliter se gesserit?

1. IN *tract. de conscientia prob.* multis locis, atque hîc etiam *quæst. 2. num. 198. & sequentib.* ostendi, adversarios benignæ sententiæ non impugnare illam in sensu ab ejus assertoribus intento, sed solùm à se confictо; similiter ostendi, quosdam novam excogitasse opinionis probabilis notionem ab aliis non admissam, atque ita demum improbasse usum opinionis probabilis ut illicitum, atque verbis tantùm contra alios multùm declamasse, cùm neminem adversarium haberent, sed propria tantùm phantasmata, & miras ex illis deductiones tanquam absurdas impugnarent. Videndum ergo est, utrùm Celladeus hâc in parte æquiùs se gesserit, quia *lib. 1. quæst. 4. & 5.* proponit, quid Auctores benignæ sententiæ nomine opinionis probabilis intelligant, & quomodo eam dividant.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus minùs fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis.

Celladeus minùs fideliter est in referendâ notione opinionis probabilis. 2. PROBATUR. Potissimi Theologi, qui de notione & naturâ opinionis probabilis exactiùs egerunt, disertissimis verbis duo ad eam requirunt: primò, ut gravi fundamento nitatur, secundò, ut nil certi in contrarium afferatur. Ego fusè de hâc re egi *quæst. 2. de consc. prob.* ubi *num. 41.* definivi opinionem probabilem esse *judicium absolutum sed incertum de aliquo objecto, nixum motivo prudenti, cui proinde homo, omnibus inspectis, irreprehensibiliter assensum præbet.* Porro ante hanc definitionem explicui, quid sit motivum prudens, unà cum reliquis terminis, qui difficultatem ullam continent. Nullum autem motivum est prudens, quod & absolutè in se, quatenus directè impellit ad assensum, & comparativè ad omnia, quæ afferuntur in oppositum, tantæ magnitudinis non sit, ut inducere possit hominem peritum & probum ad assensum, quando in ferendo judicio non ex indebita passione movetur, sed, sicut decet virum doctum & pium, judicium format. Porro, ex definitione illâ reliquisque antea dictis, ibidem intuli, nil esse posse probabile, quod aut solido fundamento caret, aut rationi manifestæ repugnat. Rursus intuli, omnia illa esse indubitanter improbabilia, quæ sacræ Scripturæ, Patrum traditioni, Ecclesiæ definitioni, Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis repugnant. Idem expressè tradunt complures Theologi gravissimi, ac potissimi sententiæ benignæ Auctores, qui certè non frustra horum omnium tam disertè meminerunt; non enim tam operosè, tam notanter de illis egissent, nisi singularem eorum omnium considerationem habendam judicarent, quoties determinandum est, an aliquid in materiâ morum & fidei sit probabile, nec ne. Ergo quicumque ex instituto intendit eorum sententiam refellere, & ideo ex professo in limine disputationis suæ eorum sententiam sedulò exponere prætendit, & actu exponit; quicumque, inquam, hoc præstat, minùs fideliter se gerit, si, nonnullis expressis, taceat alia, de quibus Auctores, quos impugnat, maximè solliciti sunt, ut eorum peculiaris ac expressa notio habeatur. Atqui hoc modo se gessit Celladeus in referendâ sententiâ Auctorum de notione & essentiâ opinionis probabilis; nullum enim verbum habet, quòd exigant, ne quid certum in contrarium afferatur. Ergo minus fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis; reticuit enim quod minimè reticendum erat, sed eâdem fidelitate ac significatione exprimendum; quâ Auctores id signanter exponunt, & ad essentiam opinionis probabilis requirunt.

3. Dices: non est necesse, ut in explicatione opinionis probabilis explicitè apponatur, *quòd in contrarium nil certi obstet*, quia hoc sufficienter includitur in aliis particulis, quas Celladeus attulit; Replica.

attulit; nempe in eo, quòd opinio probabilis niti debeat digno ac sufficienti fundamento, hoc enim involvit illud.

Solvitur. Respondeo, Celladeum non futurum fuisse solummodò minùs fidelem, sed falsarium, si utrumque omisisset; sed absit hoc vel cogitare de tali viro. Cæterùm, sicut ipsi Auctores non fuêre contenti hâc implicitâ inclusione unius in alio, sed justis de causis utrumque exprimere fategerunt, ne in re tanti momenti deceptio irrueret; ita pariter Celladeus eadem exprimere debebat; quæ cùm omiserit, quamvis illa ab Auctoribus benignæ sententiæ habeantur magni momenti, effugere non potest, quin minùs fidelis & exactus meritò habeatur. Verùm tolerabile esset, si hoc tantùm in loco id omisisset; sed cùm sæpe in decursu operis in idem recidat, ut suis locis observabitur, id minùs ferendum est.

ASSERTIO II.

Celladeus minùs fideliter se gessit in referendis Auctorum sententiis, de divisione opinionis probabilis.

Celladeus minus fideliter refert aliorum opinionē de divisione opinionis probabilis. 4. PROBATUR. Inprimis §. 2. ita refert sententiam docentium, unum Auctorem ad opinionem probabilem reddendam sufficere, ut id crudè & absque ullis limitationibus proferat, tamquam absolutè ab illis assertum; cùm tamen certum sit, Auctores illos plurimas limitationes apponere ad hoc, ut unus Doctor sententiam suam reddat probabilem. Ergo hâc in parte minùs fideliter se gessit. Et sanè hujusmodi modus proponendi hanc sententiam ex se aptus est efficere, ut Lector statim de eâ sinistram opinionem concipiat, quia durum videtur, quòd unius Doctoris assertum simpliciter & universaliter habeatur probabile, maximè contra unanimem aliorum omnium opinionem. Jam certum est, Auctores hoc in tali universalitate non docere; & tamen sententia illorum ita proponitur, ac si disertè, & tam crudè illud tenerent, sicut ille proponit.

5. Secundò, §. 4. ita refert opinionem quorundam dicentium, omnes opiniones reputari debere tutas in praxi, quæ in ullo Auctore gravi reperiuntur, modò nec à superioribus, nec ab aliis Doctoribus ullâ censurâ notentur, ita, inquam, hæc refert, ac si Auctores benignæ sententiæ communiter ita sentirent, cùm tamen vix sit unus aut alter, nec magni nominis viri, qui ista tradiderint; nam alii omnes propositionem illam, illâ generalitate acceptam, ut falsam & intolerabilem damnant. At hoc est minùs exactè ac fideliter opiniones referre, ut patet.

Alii similes defectus Celladei. 6. Tertiò, *totâ quæst. 4.* ita proponit opiniones Auctorum benignæ sententiæ circa definitionem ac divisionem opinionis probabilis, ac si magnæ inter eos essent lites & dissentiones de rebus summi momenti, omnesque loquerentur terminis, quibus mentem suam insufficienter explicarent, atque tota doctrina illorum ad laxitatem tenderet; qui enim totam quæstionem illam quartam perlegerit, alium ex vi illius conceptum non formabit, quàm quem jam exposui. At hoc est minùs fideliter se gerere in explicandis Auctorum sententiis, quas eo loco diligenter explicandas, & nullo modo impugnandas suscepit. Et sanè in rebus momenti magna inter Auctores illos est concordia, omnesque clarè ac disertè mentem suam explicant. Præterea omnes fermè valdè cautè se gerunt, ne ad laxitates deflectant. Hoc inde factum videtur, quòd cùm hæc scriberet Celladeus, non aspexerit, quæ Doctores de hâc re tradiderant, sed ea solùm protulerit, quæ memoria dimidiatè tunc suggerebat. Quòd si legisset sex priores quæstiones *ex tract. de conscientia probabili*, aliter, ni fallor, hæc omnia proposuisset; in illis enim clarè proposui omnia, quæ ad essentiam, proprietates, ac divisionem opinionis probabilis pertinent, ad quæ Lectorem remitto, quia ibi inveniet distinctè proposita, quæ Celladeus minùs adæquatè, minùsque fideliter expressit.

ASSERTIO III.

Celladeus alicubi palpabili falsitate, materialique calumniâ gravissimâ proponit sententiam eorum, quos impugnat.

7. PROBATUR. Celladeus *lib. 1. quæst. 5. §. 2.* ubi prosequitur declarationem sententiæ benignæ, quam impugnandam suscipit, hæc habet. *Si verò quæratur, an opinio* (quam dicunt esse sufficientem conscientiæ regulam) *debet reipsâ esse probabilis; an sufficiat eam videri, existimarique probabilem? Inprimis ipsi nihil hanc distinctionem de esse & de videri aut curârunt, aut explicârunt, nec explicare, credo, possunt in viâ suâ, ut lib. sequent. constabit.* Hæc Celladeus non solùm minùs fideliter, sed patenter falsò nobis imponit. Provoco eùm, ut verum esse ostendat, quod dicit; hoc ni fecerit, patienter feret, si dicamus, eum, juxta præsentem propriæ imaginationis repræsentationem, non juxta veritatem olim ex sedulâ lectione haustam, aliorum sententias proponere. Immò quocùmque se verterit, haud fugere poterit hanc notam, quia certum est, plures Auctores de hâc re diligenter egisse, eosque omnes (uno aut altero dempto) expressè requirere, opinionem esse debere certò probabilem, ut pro regulandâ conscientiâ sufficiat. Ego *in tract. de consc. prob.* multis in locis, præsertim *quæst. 5. & 6.* in alio solicitior non fui, quàm ut ostenderem signa infallibilia, per quæ certò scire possimus, quænam opiniones sint certò, quænam verò solùm probabiliter probabiles, ut sic certi esse possimus, nos in operando legitimam regulam adhibere. Nec dicat, me solùm hoc præstitisse, meumque librum ad manus ipsius non pervenisse; ego enim in hoc ipso alios imitatus sum. In initio *quæst. 21.* citavi Lugo, Bresserum, Honoratum Fabri, Bardum, aliosque plures, qui expressè asserunt, opinionem, ut eam tutò sequi possimus, esse debere certò probabilem. Magnam ergo & palpabilem falsitatem nobis imponit, dum dicit nos distinctionem hanc, *de esse & de videri* opinionem esse probabilem, nec curasse, nec explicasse, cùm omni diligentiâ utrumque præstiterimus.

Celladeus illis, quos impugnat, falsum imponit.

8. Scio, antiquiores expressè non distinxisse inter opinionem certò & probabiliter probabilem, recentiores autem apertè distinxerunt. Unus quidem aut alter expressè tenent, probabilitatem solùm probabilem pro regulandâ conscientiâ sufficere. Reliqui omnes, qui absolutè tenent probabilitatem sufficere ad excusandos sectantes minus tuta, aut supponunt, aut expressè tradunt, probabilitatem de honestate operis esse debere certam, ut operantem certò excuset. Cæterùm

Auctores expressè requirūt probabilitatem certam pro regulâ conscientiæ.

terùm illi etiam, qui tenent probabilitatem probabilem sufficere, non dicunt illam sufficere, si quomodocumque videatur aut existimetur adesse, quia opinio aliqua potest imprudenter reputari probabilis; in quo casu probabilitas sic apparens neminem excusaret. Ut ergo excuset, requiritur, ut judicium affirmans illius existentiam sit saltem probabile. Nemo ergo prorsùs est, qui probabilitatem utcunque existimatam sufficere arbitretur. Ergo toto cœlo errat Celladeus, dum confidenter oppositum asserit, nec solùm errat simpliciter, sed magnam suis adversariis calumniam materialem imponit.

Aliam falsitatem nobis imponit Celladeus.


9. Probatur secundò. Non minùs turpiter erravit, nec minorem calumniam nobis imposuit Celladeus eâdem *quæst* 5 §. 1. in explicatione sententiæ benignæ, ubi dicit, multos benignæ sententiæ Auctores docere, posse quemlibet tutò operari, absque eo quòd de rebus ipsis opinetur ac judicet; sed abundè sufficere, si, ipsis nil opinantibus, inveniant dari opinionem probabilem libertati faventem. Et quidem ut ex hoc abominationem excitet contra illam sententiam, expresè asserit, hunc procedendi modum in Academismum declinare. Hæc ille. Sed in omni apice apertè errat, quia ne unus quidem ex omnibus Auctoribus nostræ sententiæ assignari potest, qui expresè non requirat judicium saltem reflexum, quo judicet omne illud esse licitum quod est probabile, ac proinde hoc esse licitum, quia hoc est probabile. Et ne videar nimis jactanter & universaliter hoc asserere, provoco illum, ut vel unum ostendat aliter loquentem, aut fatentem sufficere, quòd quis credat aliquid esse probabile, quamvis non existimet omne probabile esse licitum, aut ex aliquo alio ejusmodi principio formet absolutum judicium, aut directum, aut reflexum, de honestate operis, quod facit. Sanè, ut vitet notam Auctoris aliis imponentis quæ non asserunt, tenetur aliquem assignare, qui ita loquatur. Verùm nunquam id præstabit, cùm oppositum sit certissimum omnibus, qui Auctores legerunt & ex illorum lectione certò discunt, quid ipsi senserint.

Academici toto cœlo à nobis discrepant.

10. Hinc autem invidia Academismi, in quem Celladeus impingere nos arbitratur, longissimè arcetur. Academici enim aiebant, prudentem ita gerere se debere, ut nil judicando ea agat, quæ ipsi agenda videntur. Unde omnes excusabant, qui in dubio operabantur; eos autem condemnabant, qui ex judicio priùs formato ad opus se extendebant; quia omne ejusmodi judicium aut pro falso habebant, aut certè summo errandi periculo carere non posse asserebant; omnemque proinde, qui ex præconcepto judicio operabatur, imprudentem appellabant, quia prudentem nunquam errare, aut erroris periculo se exponere debere asserebant. At nos è contrario dicimus, neminem à peccato excusari posse, si in dubio operetur. Deinde asserimus, quòd pro honestâ operatione necessarium sit, operantem formare judicium, quo absolutè credat se honestè operari. Præterea de conceptu probabilis apud nos est, ut nil adsit certum in contrarium; hoc autem est de subjecto, ut aiunt, non supponente apud Academicos, quorum præcipuum dogma erat, nil certum nobis esse posse. Itaque tam natura probabilis, de quo nos agimus, quàm noster procedendi & opinandi modus, Academicis in omnibus contrarius, evidenter ostendunt, neminem magis quàm nos, ab Academicorum opinione recedere quamvis Celladeus, falsâ & à se confictâ nostræ opinionis expositione deceptus, magnum Academismi periculum in benignâ sententiâ litère existimaverit. Sed de hoc argumento fusius infra *quæst*. 25. tractandum erit.

Alia Celladei calumnia materialis.

11. Probatur tertiò. Eadem *quæstione*. 5 §. 2. Celladeus expresè dicit Auctores benignæ sententiæ docere, actum quemvis, etiam illum, quo Paganus idola colit, & Christianos talis cultûs impugnatores diris tormentis cruciat, esse honestum, modò Paganus ille, aut quivis alius absolutè existimet, se benè operari in eo, quod facit. At hæc est calumnia gravissima; quia etsi nonnulli aliqua similia nonnunquam excusent à peccato, quia putant tales homines invincibiliter posse in his errare, omnes tamen aperto ore dicunt, eos non excusari, si in his vincibiliter errent, in quibus plerumque contingit, errorem esse vincibilem. Et tamen tunc operatio conformis est existimationi absolutæ de honestate ipsius. Ergo omnes dicunt, operationem, existimationi seu conscientiæ conformem, sæpe esse peccatum, & non actum honestum. Ergo Celladeus non in unâ re, sed in multis referendis minùs fideliter se gessit, & in nonnullis gravem calumniam materialem benignæ sententiæ intulit. Sed de hoc argumento plura dicentur *quæst*. 13. ubi hanc à nostrâ sententiâ calumniam ex professo propulsabimus.



QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

Vtrùm Celladeus meritò deseruerit benignam sententiam ob auctoritatem Sacræ Scripturæ, & Sancti Augustini.

Celladeus deseruit benignā sententiam.

1. QUI diu alicui sectæ aut opinioni adhæserunt, non levem illi notam inurunt, quando, post longam illius considerationem, tandem eam deserunt, & oppositæ assensum præbent: quod maximè verum est, quando meritò sententiam mutaverunt. Celladeus ergo, ut etiam ex hâc præsumptione benignæ sententiæ detrahat, apertè fatetur, se multis annis adeo fixum in illâ fuisse, ut vix patienter audire potuisset quemquam, qui illam in dubium vocare ausus fuisset. Hoc tamen non obstante, asserit, se tandem, veritate victum, mutasse sententiam; & ne immeritò eam deseruisse videatur, statim ab initio sui operis plura allegat, quæ illum non solùm terruêrunt, sed etiam aliam inire viam coëgerunt. Quocirca operæ pretium erit prætensa hæc motiva examinare, earumque insufficientiam ostendere. Incipio à locis ex Sacra Scripturâ & S. August. desumptis, quia illa summi sunt momenti, & si ipsi faverent, & me, & omnes cordatos ad idem cum ipso sentiendum pellicerent. Reliqua in aliis quæstionibus examinanda erunt. Sit ergo.

ASSERTIO UNICA.

Auctoritates Sacræ Scripturæ atque S. Augustini, à Celladeo initio sui libri allatæ, non continent motivum sufficiens ad recedendum à communi sententiâ, sed potiùs suadent in eâ manendum.

Sed sine fundamento eam deseruit.

2. PROBATUR assertio examine textuum, quos citat; ex illorum enim ponderatione, verum invenietur quod dico. Cæterùm aptiorem viam eos examinandi non invenio, quàm si per modum objectionum proponantur; sic enim breviùs & expeditiùs ad intentum perveniam.

SACRA SCRIPTURA

Celladeo non favet.

OBJICIES primò. Qui tradunt probabilitatem sufficere ad regulandam conscientiam, redarguuntur à *Prophetâ Isaiâ cap. 5. nu. 20.* dicente. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Certum enim est, eos, qui Theologiam ac Summas casuum scripserunt, plurima solùm probabiliter resolvisse, & in aliquibus deceptos fuisse. Eo ipso autem quòd errent, dicunt bonum malum, aut malum bonum; alioqui non errarent. Ergo subjiciuntur væ à Prophetâ intentato. Quis ergo talem doctrinam tradere audebit?

Rursus, *Marci 7. vers. 7.* Christus hanc sententiam protulit: *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* Unde sic argui potest. Qui docet opinionem, etiam probabiliorem; si erret, non Dei sed hominum doctrinam docet. Ita fermè Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 4.* qui hisce S. Scripturæ locis territum, & à communi sententiâ meritò revocatum se fuisse declarat.

Sacra Scriptura non favet Celladeo, sed eū arguit.

3. Respondeo inprimis, Celladeum, hæc quasi periculosa contra alios objicientem, propriâ sententiâ seipsum illaqueare, atque ore proprio quodammodò condemnare. Qui enim sic objicit, fatetur, *væ* illud Propheticum omnes in materiâ morum errantes impetere. Ergo si Celladeus erret, *væ* illud illum impetit; quia unusquisque secundùm propriam conscientiam judicatur. Hinc contra te, Celladee, sic arguo: Tu dicis, licitum non esse sequi probabilia, immò nec probabiliora. Tu asseris, solam veritatem esse sufficientem conscientiæ regulam. Tu dicis, opus ex ignorantiâ invincibili peractum bonum non esse, licet non sit malum. Tu plurima istiusmodi in progressu doces. Ergo periculo summo te committis; si enim erres, *væ* Propheticum capiti tuo imminet, quia aut malum bonum, aut bonum dicis esse malum. Si erres, salvatoris sententia te premit, quia non Dei, sed hominum doctrinam tradis. Sed quòd non erres, certum non est; quòd erres, probabilissimum, quia in omnibus à communi Doctorum tramite declinas, & in multis propriam contra unanimem aliorum omnium sententiam tenes. In talibus autem probabilissimum est errorem non vitari, quod loquendo de collectione opinionum moraliter certum est. Sed & suis locis te in omnibus errasse demonstrabo. Cur ergo contra propriam sententiam tanto periculo te committis?

Theologi munus periculosum est, & cur?

4. Respondeo secundò, cum Sancto Thomâ, *quodl. 9. art. 15.* quæstionem dubiam de moribus periculosè determinari, in quamcumque partem resolvatur, quia non minùs periculosum est conscientias nimis arctare, quàm eas minimùm laxare. Munus ergo Theologi est, ut maturè rem consideret, & quod rationi magis consentaneum repererit, id demum enunciet. Auctores benignæ sententiæ ita fecerunt. Ergo nullum illis *væ* imminet, si errent, quia munus suum impleverunt. Sancti ipsi, Bonaventura, Thomas, Antoninus, aliique contraria de moribus tradiderunt, ac proinde aliqui illorum malum bonum, aut bonum malum vocaverunt, & doctrinam hominum, non Dei tradiderunt. Annè ideo quisquam illorum terribili illi Prophetæ *væ* obnoxius fuit? minimè. Itaque certum est, sæpe malum bonum, aut bonum dici malum, doctrinasque non Dei, sed hominum doceri, absque incursu, immò absque magno periculo incurrendi *væ* Prophetici, quia illud non tangit eos, qui in rebus verè incertis post diligentem veritatis indagationem rationabiliter & probabiliter quæstionem resolvunt; hi enim certò sibi persuadent, se, de hoc labore suo, quamvis ex humanâ infirmitate erraverint, non vituperationem & pœnam sed laudem & præmium reportaturos. At Celladeus, qui sibi ipsi periculum statuit, erroremque etiam

etiam materialem vitio vertit, habet unde timeat; debuissetque à talium scriptione abstinere; sic enim tutus fuisset. Quomodo autem aliter tutus fuerit, haud apparet, nisi in praxi à suâ sententiâ recesserit.

In incertis opinio probabilis sine periculo tenetur.

5. Præterea peto à Celladeo, quosnam afferre possit sacræ Scripturæ Interpretes, qui loca ista in sensu ab illo intento intelligant? Si nullos (nullos autem afferre potest) quomodò audet sacras literas ad alienos sensus detorquere? Itaque Interpretes ita loca ista exponunt, ut ii tantùm reprehendantur, qui vitia pro virtutibus prædicant, ut moderni hæretici, qui votum castitatis repudiant ut malum, quique matrimonium post votum etiam solemne castitatis honestum prædicant, &c. Reprehendendi ergo sunt illi soli, qui in rebus certis veritatem deserunt, aut in incertis absque sufficienti indagatione effutiunt quod sibi commodum, aut honorificum putant. At qui in rebus verè incertis, atque hinc inde probabilibus (qui est casus noster) post diligens examen, rationabili fundamento moti, alterutram partem amplectuntur, nulli periculo obnoxii sunt, alioquin nemo sacræ Scripturæ, Jurisprudentiæ, aut Theologiæ absque evidenti animæ periculo operam navare, aut ullam in fidei & morum materiâ sententiam incertam tenere posset; quo nil absurdius dici potest.

SANCTUS AUGUSTINUS

Celladeo non favet.

An ulla ignorantia fuerit insuperabilis Augustino?

6. OBJICIT secundò. August. *lib. de utilitate credendi cap. 8.* hæc habet. *Vt enim trans mare abscessi, cunctabundus atque hæsitans, quid mihi tenendum, quidve dimittendum esset, &c. sæpe mihi videbatur non posse inveniri, magniq; fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragia ferebantur. Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latêre veritatem, nisi quòd in eâ modus quærendi latêret, eundemq; ipsum modum ab aliquâ divinâ auctoritate esse sumendum.* Ecce Augustinus, infractus veritatis indagator, fatetur veritatem ipsam erui posse, si debitè quæratur, eamque ipse tam in materiâ morum quàm fidei tam certò assecutus est, ut nemo negare possit citra errorem, eum Cœlo potitum esse. *Fieri enim non potest* (inquit idem Aug. de quant. animæ cap. 13) *quâdam providentiâ divinâ, ut religiosis animis sepsos & Deum suum, id est, veritatem piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.* Unde sic arguere licet. Veritas debitè quæsita inveniri potest, Augustino non solùm teste luculento, sed manifesto exemplo. Ergo qui errant, culpabiliter errant. Ergo sola veritas, non opinio, est regula morum. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 4.* Ubi omninò alludere videtur ad illationem à me factam, quamvis eam non expresè intulerit. Nec mirum, quia ille, aut nullum, aut vix ullum errorem invincibilem in materiâ fidei & morum, præsertim circa jus divinum, admittit. Et sanè nisi ita inferat, frustra præmissas illas posuit.

Error Celladei detegitur.

7. Respondeo, Celladeum certò errare, sive velit nullam prorsùs veritatem latêre quemquam debitè quærentem, sive se ad fidei morumque materiam restringat; quia innumeræ veritates ad fidem moresque spectantes ita latent, ut à nemine certò dignosci possint. Argumento sit, Sanctissimos doctissimosque viros, Thomam, Bonaventuram, aliosque, de iisdem rebus tractantes, in oppositas abiisse sententias, aliosque ita post se traxisse, ut adhuc post omnem conatum certò scire nequeamus, ex quâ parte veritas lateat. Quod si Celladeus adhuc dubitet, & contrarium sentiat, apertè fallitur. Unde nil refert, si in re tam apertâ adhuc reclamare pergat.

Augustinus fatetur in multis ignorantiam sibi fuisse insuperabilem.

8. Sed quid ad Augustinum, quem citavit? Respondeo, Aug. certissimè nobiscum sentire, quia multis in locis ignorantiam in agendis ac docendis sibi insuperabilem agnoscit. Audiatur *in tract. ad Orosium* contra Priscillianistas & Origenistas, *cap. 11. Esse Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cælestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitatâ fide teneo. Sed* (nota viri humilitatem) *quo me contemnas, quid inter se differant nescio.* Mox modestè de hujus ignorantiæ imputabilitate sic subjungit. *Nec eâ sanè ignorantiâ periclitari me puto, sicuti in obedientiâ, si Domini præcepta neglexero.* Hactenus de speculativis quæstionibus aliquo modo ad fidem spectantibus loquitur Aug. sed paulò post *cap. 12.* de rebus nobis propinquioribus, earumque ignorantiâ plura subjungit, & quidem in rebus summi momenti, qualis est illa, an omnes animæ ab unâ procedant, dicitque se vehementer optare & expetere, ut per Orosii preces Deus hanc à se ignorantiam auferat, & sic concludit. *Tamen si, quod absit, minimè meruero, patientiam mihi peto à Domino Deo nostro. In quem sic credimus, ut aliqua nobis non aperiri etiam pulsantibus, nullo modo adversus eum murmurare debeamus.* Et paulò post. *Multa alia similiter nescio, quæ commemorare, vel numerare non possum, & hoc tolerabiliter ignorarem, nisi* (nota benè) *metuerem, ne aliqua istarum opinionum contra illud, quod firmissimâ retinemus fide, incautis obreperet mentibus.* Rursus *lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 16. post medium*, dubitat, an uxor à marito dimissa committat Mœchiam, si, priore marito superstite, alteri viro copuletur: *Si autem*, inquit, *dimittatur à viro, cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundùm Domini sententiam, sed utrùm & ipsa tali crimine teneatur, incertum est.* Ibidem paulò infra dubitat, an aliquando liceat uxori, consentiente marito, alteri commisceri, & hæc subdit. *Quamquàm nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur.* Mox, relato casu illo Antiocheno, sic concludit: *Nil hic in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit.* Sed & *epistola 65. ad Paulinum*, legenda est, in qua frequentes suas circa Dei legem hæsitationes & ignorantiam Paulino exponit. Certum ergo est, multas veritates & speculativas & practicas, ad fidem & mores spectantes, Augustinum latuisse, nec alium testem cupio, quàm Augustinum ipsum, qui talia de se profitetur, qualia proferre debuisset, si totum Celladei intentum, ex professo evertere satagisset.

Necessaria ad salutem neminem debitè quærentem latent.

9. Itaque dico, Augustinum, locis à Celladeo citatis, de illis solùm agere, quæ sunt simpliciter necessaria, seu necessaria necessitate medii ad salutem. Probatur hoc, quia *in lib. de utilitate credendi* expresè agit de inveniendâ verâ Fide Catholicâ, ut patet ex contextu; illa autem est absolutè necessaria ad salutem. Cæterùm in eodem libro plurima tradit de ignorantiâ & errore prorsùs invincibili, quibus homines decepti agunt, quæ ex veritate agere non debebant; talia sunt negare obedientiam veris parentibus, & illam

illam reputatis tantùm parentibus tribuere, & alia ejusmodi. Homines tamen sic decepti, & talia agentes, non peccant; sed laudabiliter operantur. Hæc Augustini Doctrina totum Celladei intentum, atque operis ipsius scopum prorsùs evertit. In altero autem libro agit de inveniendo Deo, & de animæ immortalitate, quorum utrumque est necessariò credendum ad salutem. At de necessariis necessitate medii omnes Catholici uno ore fatentur, ea ab omnibus, divinâ providentia opulante, inveniri posse, ac tandem inveniri, si debitè quærantur; quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, nec ea cuiquam abscondit, sine quibus sibi vitam æternam parare non potest. Itaque Celladeus, qui ex istis locis contendit, Augustinum ea tamquam universalia tradere, quæ in illis expressit, verè abutitur auctoritate Augustini, eumque sibi contradicere cogit; cùm si communis Scholarum distinctio adhibeatur, omnia facillimè concilientur. Cæterùm verba, quæ Celladeus citat ex libro de quantitate animæ, non sunt in loco, nec propè locum, quem Celladeus indicat. Nec tamen audeo dicere, quòd in toto libro non reperiantur.

Quæ Celladeus citat ex Aug. nil faciunt ad rem.

10. Præterea hæc dicta Augustini, in sensu universalissimo accepta, Celladeo non favent. Quæritur enim, an sententia benigna docens probabilium usum esse licitum, an sententia rigida opposita sit vera? Communis opinio Celladeum, ille communem opinionem erroris arguit. Ille citat Augustinum in genere dicentem, veritatem tanti momenti neminem debitè illam quærentem latère. Quid hoc ad rem? annè ideo nostra sententia falsa, & illa Celladei vera esse probatur? ubi hoc dicit Augustinus? Afferatur locus, qui apparenter saltem hoc dicat. Non fiat fucus per auctoritates non magis uni quàm alteri parti faventes, quia hoc est ludere magis, quàm seriò agere.

Sed illum redarguunt.

11. Sed quid dico ego has auctoritates non uni potiùs, quàm alteri parti favere? illæ certè, si in sensu à Celladeo intento sumantur, nobis favent. Certum enim est, plures ex Auctoribus & sequacibus benignæ sententiæ fuisse viros omni doctrinæ ac sanctitatis genere conspicuos; quos citatos habes *quæst. 22 de conscientiâ probabili*, & inter eos, SS. Thomam, Bonaventuram, Antoninum, Bernardinum, Franciscum Salesium numeratos invenies. Incredibile autem est, neminem ex omnibus veritatem hanc debitè quæsivisse, aut illuminationem à Deo humiliter constanterque petiisse, atque etiam impetrasse, cùm res sit summi momenti, & ad conscientiarum directionem maximè serviat. Atqui omnes isti veram habuerunt benignam sententiam. Ergo illa est, & præsumi debet vera; eò quòd Deus præsumatur viris tam sanctis singulari providentiâ astitisse, eosque in unanimem hanc sententiam induxisse. E contra, nemo pari confidentiâ præsumere potest, Celladeum aut tantâ instantiâ petiisse, aut tantâ humilitate ac probitate peculiarem illuminationem meruisse. Neque enim ægrè feret vir doctus juxta ac pius, si eum universitati omnium Auctorum nobis faventium in his nonnihil cedere præsumamus. Audiatur Aug. *lib. de quantitate animæ cap. 7. Aliud est cùm auctoritati credimus, aliud cùm rationi. Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor.* Et paulò post. *Tales enim homines* (id est imperitiores, quorum animos tardiores implicatioresque esse proximè dixerat) *quorum profectò maxima multitudo*

Utile est imperitioribus sequi benignam sententiam ex mente Augustini.

est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facilè decipiuntur, & in varias noxias opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari aut nunquam aut ægerrimè queant. His ergò utilissimum est excellentissimæ auctoritati credere, & secundùm hoc agere vitam: quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multùm approbo. Ecce Augustinus maximæ hominum parti suadet, atque tamquam tutius proponit, ut excellentissimæ auctoritati credat. At certum est, auctoritatem benignæ sententiæ faventem, quantum in rebus humanis haberi potest, esse excellentissimam; eam autem, quæ contrariatur, & esse & præsumi debere longè inferiorem. Hoc maximè locum habet adversus singularem Celladei sententiam; cujus rationes longè etiam inferiores nostris inveniet, qui præsentem tractatum perlegerit. Ergo ex mente Augustini utilissimum, imo & tutius est benignæ sententiæ, quàm singulari Celladei opinationi adhærere.

12. Sed & alibi plura in eundem scopum, observatu dignissima, tradit Augustinus. *Lib. de utilitate credendi cap. 7.* hæc habet. *Quærendi sunt hujus rei* (religionis) *professores. Fac nos reperisse, alios aliud opinantes, & diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes, sed inter hos excellere fama interim celebritate quosdam, atque omnium pene occupatione populorum. Utrùm illi verum teneant magna quæstio est. Sed nónne priùs sunt explorandi, ut quamdiu erramus, siquidem homines sumus, cum ipso genere humano errasse videamur.* Ecce, cùm præsens quæstio maximi momenti sit, atque in eâ alios aliud opinantes inveniamus, ex mente Augustini ita nos gerere debemus, ut dùm veritas inquiritur, eos sectemur, qui famæ celebritate, omniumque consensu populorum aliis præcellunt. Certum autem est, tales esse nostræ sententiæ patronos, quibus proinde inhærendum est, ut quamdiu erramus, cum humano genere potiùs, quàm cum paucis non tantæ famæ hominibus erremus.

Idem ex alio loco Aug. probatur.

13. Rursus *in eodem lib. cap. 12.* hæc habet August. *Nemini dubium est, omnes homines, aut stultos, aut sapientes esse. Nunc autem sapientes voco, non cordatos & ingeniosos homines, sed eos, quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes. Cæteros autem, &c. stultorum in numero deputaverim. Quæ cùm ita sint, quis mediocriter intelligens non planè viderit, stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium, quàm suo judicio vitam degere?* Unde sic discurro: si hoc in omni vitæ genere expediat, idem à fortiori locum habet in religione. Et sanè haud dubiè idem ex mente August. locum habet in moralibus, quæ ad religionem pertinent, cùm eadem de omnibus ratio ex æquo procedat. Unde sic arguo. Certum est, plures ex Auctoribus benignæ sententiæ fuisse, quales Augustinus hoc loco vocat sapientes. Ergo ex mente ipsius, & ex ipsâ veritate, utiliùs ac salubriùs sibi consulunt, non solùm ignorantes, sed cordati etiam & ingeniosi homines, si ex illorum præceptis atque sententiis, quàm ex proprio judicio vitam instituant. Ergo ex mente Augustini tuti sunt, qui sequuntur benignam sententiam, non ab uno tantùm sapiente, sed ab omnibus unanimiter traditam, donec à paucis annis pauci quidam homines eam in controversiam revocârunt.

Alius textus Aug. idipsum probat.

14. Dices. Idem argumentum favet adversariis, cùm aliqui etiam illorum sint & reputari debeant sapientes. Ergo aliorum erit illorum

Non omnes ingeniosi & cordati sunt sapientes ex mente Aug.

rum præceptis non proprio judicio vitam degere.

Respondeo, Augustinum satis explicasse, quos sapientes appellarit. Ego, si juxta strictam illius hoc loco explicationem loquamur, ultrò fateor me inter stultos ab illo esse comprehensum. De adversariis autem loquuturus, quia res invidiosa est, admitto illos & cordatos esse & ingeniosos, doctosque ac probos, neque tamen quemquam illorum puto ea sibi tribuere, aut ab aliis tribuenda existimare, quæ Augustinus ad sapientem constituendum hoc loco requirit. Inprimis neminem illorum præstanti famâ sanctitatis excellere hactenus audivi. Hoc tamen juxta Augustinum ad sapientiam requiritur. Rursus opera illorum hactenus edita non ostendunt, illos habuisse tantam sui Deique cognitionem firmissimè perceptam, quanta homini inesse potest. Et tamen hoc etiam Augustinus ad sapientem constituendum requirit. Ego certè opera fermè omnium evolvi, in quibus, ut ostendo *in tract. de consc. prob.* plura dissona, sibique contradicentia reperi, non paucas hallucinationes, rerumque confusiones detexi, & quod plus est, inveni eos impugnare sententiam benignam non in sensu, quo à nobis defenditur, sed in sensu ab ipsis tantùm imaginato. Similia etiam in libro Celladei, & quidem numero plurima, contineri, omnibus in progressu ostendam; adeo ut elogium doctrinæ, juxta mentem Augustini, sapienti tribuendæ nulli illorum audeam ascribere, quamvis omnes & singulos magno honore prosequar, illosque doctrinæ ac probitatis non vulgaris viros esse palam profitear. Ergo juxta mentem Augustini tam ego, quàm alii omnes, infra gradum sapientiæ ab illo positum constituti, utiliùs ac salubriùs vitam instituimus juxta præscriptum benignæ sententiæ, quàm si aut proprio judicio, aut aliorum cordatorum & ingeniosorum sententiâ nos gubernemus.

15. Ex his apertè sequitur, Auctoritates à Celladeo hoc loco allatas non continere sufficiens motivum ad recedendum à communi sententiâ, sed è contrario suadent in eâ manendum. Et sanè Augustinus in libris à Celladeo contra nos citatis tam apertè loquitur in favorem benignæ sententiæ, ut nemo non videat, utilius tutiusque esse, illi quàm contrariæ fidem dare, si quis juxta præscripta Augustini regulam vivendi sibi assumat.


Celladeus immeritò recessit à benignâ sentent.â.

16. Unum hic adverto, & finio, scilicet sacram scripturam & SS. PP. ex æquo damnare eos, qui nimis stringunt, ac qui nimis laxant, nec plures vel significantiores textus proferri contra laxantes, quàm contra stringentes. Unde certum est, omnia ejusmodi frustra & abs re afferri, nisi probetur minor; scilicet aut quod benigna sententia nimis laxet, aut quod rigida nimis arctet. At adversarii toti sunt in cumulandis textibus, qui nimis laxantes culpant, parum autem aut nil dicunt de minori, scilicet, quòd benigna sententia nimis laxet, cùm tamen de hoc solùm sit difficultas. E contra nos rarò urgemus textus reprehendentes nimiùm stringentes, quia scimus, tam illos quàm textus contra nos allatos potissimè intelligi de dogmatibus certis; adeo ut solùm illos reprehendant, qui certò honesta persuadent esse inhonesta, aut qui certò mala proponunt ut licita. Cæterùm aliquando urgemus textus illos, sed tunc toti sumus in probandâ minori, scilicet, quòd doctrina adversariorum nimiùm stringat, ut apparet *ex tract. de conscientia prob.* & ex præsenti tractatu certiùs apparebit. Inde autem legitimè inferimus, rigidam sententiam esse falsam.

Scriptura & PP æquè reprehendunt laxatites ac stringentes.

Cæterùm non opus est textus illos, aut à nobis contra adversarios allegabiles, aut ab ipsis contra nos citati solitos afferri, id enim esset actum agere. Qui eos præclarè examinatos videre cupit, legat *appendicem Esparzæ, qui ab art. 14. ad. 67.* omnia huc spectantia, contra Sinnichium luculentissimè tractat, clarissimeque demonstrat, ea omnia abs re contra nos afferri, cùm nullo modo juvent ad probandum, quòd benigna sententia nimis laxet, in quo tamen solo tota difficultas vertitur. Certè tam plenè rem hanc tractat, ut nil ad plenissimam Lectoris satisfactionem deesse videatur. Proinde librum illum censeo esse dignissimum, qui ab omnibus veritatis amatoribus diligenter perlegatur, quia demonstrat, quàm frivola & nulla sint argumenta ab adversariis benignæ sententiæ contra nos congesta. Ad illum ergo subinde Lectorem remittam pro pleniore rei declaratione, postquam ipse argumentis ad meum institutum spectantibus ea attulero, quæ Lectori satisfacere possint.

Esparza omnes hujusmodi textus egregiè tractat.



QUÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm congrua sint, quæ in primâ quæstione proœmiali pro se & contra nos congessit Celladeus?

1. PLURIMA tangit Celladeus in primâ quæstione libri primi, quæ omnia eò tendunt, ut quædam in nostram sententiam præjudicia in ipso operis exordio conjiciat, & præsumptiones vehementes contra singularem suam opinationem amoliatur. Nonnulla eorum, quæ primâ hâc quæstione protulit, peculiaribus quæstionibus examinavi ac improbavi; reliqua autem in præsentem quæstionem rejeci, ne quidquam omisisse videar, & ut in omnibus falsitatem opinionis, atque argumentorum ejus nullitatem patefaciam. Sic ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Falsa & incógrua objicit Celladeus.

Incongrua sunt & falsa, quæ Celladeus quæstione primâ tamquam præjudicia contra benignam sententiam proponit.

PROBATUR ASSERTIO,

Proponendo & examinando ea, quæ dictâ quæstione congessit; neque enim aliter probari potest hujusmodi assertio.

Objectio 1. 2. OBJICIT ergò primò. *Plurimorum opinio est*, doctrinas opinionesque morum, non quà veras aut falsas, sed quà probabiles aut non probabiles censendas esse. Ita Celladeus *hac quæst.* 1 §. 5. At hoc absurdum est, cùm sola veritas omnis inquisitionis finis esse debeat. Unde videtur inferri, quòd illis benignæ sententiæ Auctoribus in rebus conscientiæ credendum non sit, qui tam præposterè de rebus ejusmodi agunt. Tandem, paulò post, ibidem tamquam proprium & singularem suum sensum profert, *pluris sibi esse conclusionem probabilem veram, quàm probabiliorem, aut etiam apparenter certam, sed falsam.*

Omnes censent opiniones, quà veras, aut falsas.

Respondeo Celladeum non posse ullum bonæ notæ Auctorem citare, qui tam imperitè loquatur. Provoco enim illum, ut loca afferat, ex quibus constet, *plurimos* nostræ sententiæ Auctores ita loqui, aut hoc docere. Verùm hoc nunquam præstabit, quia certum est, Auctores omnes non aliter solere opiniones censere, quàm quà veras. In eo æquivocat Celladeus, quòd aliquando disputemus directè de rebus ut sunt in se, aliquandò verò reflexè tantùm de illis agamus, prout subsunt alicui peculiari circumstantiæ. In primo casu omnes enunciant, propositiones esse veras aut falsas, nisi fortè non veritatem rei, sed solùm rei apparentiam considerent; tunc enim dicunt, talem rem esse vel non esse *evidentem, probabilem, temerariam, &c.* Verùm in hoc etiam casu propositio, de quâ agitur, semper censetur ut vera aut falsa, non enim agitur de ipsâ re, sed solùm de illius evidentiâ, probabilitate, &c. quæ pronunciatur esse vera aut falsa, ut patet. Quòd si reflexè agant de rebus ut probabilibus, tamquam de regulâ operationis, tunc quidem Auctores benignæ sententiæ censent, *omnem opinionem certò practicè probabilem sufficere ad conscientiam debitè formandam*, id est, censent propositionem hanc esse veram, quam Celladeus ut falsam rejicit. Ergo in omnibus semper censent conclusiones, de quibus agunt, ut veras aut falsas, non ut probabiles aut non probabiles; neque aliter fieri potest à quoquam, qui de ullâ re controversâ suam sententiam promit.

3. Hinc sequitur, Celladeum immeritò, ut proprium sensum, sibi applicasse, quòd pluris faciat conclusionem veram, quàm probabiliorem, aut apparenter certam, sed falsam; hoc enim, si rectè intelligatur, omnibus veritatem quærentibus commune est, quia omnes veritatem cæteris omnibus anteferimus. Sed quia veritas sæpe certò reperiri non potest, reflexè quærimus, an certa probabilitas practica conscientiæ ritè formandæ sufficiat, in quâ etiam quæstione non probabilitatem, sed veritatem ipsam quærimus, eamque aliis omnibus anteponimus.

Omnes veritaté quærunt in suis resolutionibus.

4. Cæterùm in hoc ipso Celladei dicto, nisi rectè intelligatur, aperta conspicitur terminorum contradictio; impossibile enim est, quod quis actu existimet propositionem aliquam esse veram, simulque reputet oppositam esse probabiliorem aut certam. Unde ergo potest quis pluris facere veram, quàm probabiliorem aut certam? Profectò probabilioritas, & multò magis certitudo aliquid addit veritati apparenti. Si ergò veram multi facit, quomodò veriorem, imò apparentem certò veram pluris non faciet? Quicumque aliquid aut certum esse putat, aut probabilius opposito, eo ipso, Celladeo id non solùm fatente, sed plurimis in locis hujus tractatûs operosè probante, intellectualiter præfert illud opposito; quia reputat hoc ipsum esse aut certum, aut verisimilius opposito. Ergo licèt in hoc judicio erret, non tamen potest simul intellectualiter pluris facere oppositum, tametsi unicè verum. Et sanè si de prælatione intellectuali loquatur, (de quâ loqui videtur) non potest nisi incongruè, & cum contradictione dictos terminos usurpare, tùm unusquisque eâdem mensurâ alienam opinionem damnet, quâ suam illi contrariam approbat.

Incongruá est Celladei locutio, nisi debite explicetur.

5. Sed juvat dictum istud exponere, quod Celladeus non explicuit. Quando dicimus, nos pluris facere veritatem, quàm probabilioritatem aut certitudinem merè existimatam, sermo non est de prælatione intellectuali exercitè sumptâ, sed solùm de prælatione aliquâ affectivâ, aut intellectuali reflexâ; nam sensus est, nos unicè quærere veritatem, atque ita in illam ferri, ut si optio daretur, præoptaremus per probabilem rationem incidere in veritatem, quàm per rationes probabiliores, aut etiam per existimatas certas decipi & errare. Porro quia reflexè judicamus hoc esse melius, ideo hoc modo reflexè præferimus veritatem probabiliter obtentam falsitati etiam certò existimatæ.

Exponitur sensus dicti prioris.

6. Obji-

6. Objicit secundò, Plerique probabilium assertores ita poscunt judicium evidens & infallibile pro regulâ morum, ut judicium probabile pro conscientiâ formandâ tamquam insufficiens rejiciant. Hæc autem opinio nimis stricta videtur. Ita Celladeus hic §. 5.

Æquivocatio Celladei detegitur. Respondeo, Celladeum hîc æquivocare, ac confundere dictamen directum & remotum cum reflexo & proximo. Plerique nostræ sententiæ patroni, immo, si pressè loquamur, omnes tenent, ultimum conscientiæ rectè operantis dictamen esse debere certum & evidens, quod verissimum esse latè probavi *quæst. 13. de conscientiâ probabili.* Et sanè Sanchez, & præterea unus vel alter, qui alicubi simpliciter dicunt, dictamen probabile sufficere, convincuntur loqui de dictamine directo, quia iidem dicunt, certissimum esse, quòd unicuique liceat sequi opinionem probabilem, non certam. Ergo censent opinionem benignam, & dictamen conscientiæ ultimò per illam formatæ esse certa, & plusquam probabilia. Quòd si sermo sit de dictamine directo ac remoto, nemo prorsùs invenitur ex patronis nostræ sententiæ, qui dicat illud debere esse certum, cùm omnes expressè supponant, illud sæpissimè esse solùm probabile & incertum. Jam benigna sententia, juxta hanc distinctionem accepta, nec nimis laxa est, nec nimis rigida, sed auream mediocritatem servat.

Objectio Celladei. 7. Objicit tertiò, una veritatis inventio est dubii solutio. Ergo Probabilistæ errant, qui dubia per probabilitatem solvunt, non per veritatem. Immò sic faciendo nullo modo dubium solvunt. Antecedens expressè traditur à Celladeo hîc §. 5. Consequens est unum ex præcipuis, quæ probanda assumpsit in plurimis libri sui locis.

Antecedens falsum, & consequentia nulla. Respondeo, antecedens esse patenter falsum, dubium enim solvitur tam per falsam, quàm per veram enunciationem. Certè quando duo de eodem dubio interrogati contraria respondent, uterque dubium resolvit, cùm tamen unus eorum necessariò fallatur. Consequens etiam non sequitur, quia probabilium assertores per enunciationem absolutam omnia dubia resolvunt. Sed hoc interest in eorum resolutionibus, quòd aliquando per principia directa, aliquando per reflexa quæstionem resolvant. Quando directè resolvunt, non per probabilitatem, sed per veritatem existimatam terminant quæstionem, & tunc aliquando errant. Sed quando quæstionem solvunt indirectè, dicentes licitum esse sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem, etiam per veritatem solvunt quæstionem, & numquam errant, ut evici *in tract. de conscientiâ probabili*, & in hoc opere multis argumentis monstratum est, & ulteriùs comprobabitur in sequentibus.

ASSERTIO II.

Alia incongrua & falsa Celladei dicta notantur. *Incongrua sunt & falsa, quæ Celladeus ad invidiam à singulari suâ opinione avertendam ibidem accumulat.*

8. PROBATUR, sicut prior assertio, confutatione eorum, quæ affert. Inprimis sic discurrit. Potissimum, quod in rigidâ suâ sententiâ potest offendere, est, quòd sit contra consuetum. Consuetudo enim habitum inducit, qui per modum naturæ inclinat. Unde quod est contrà consuetum, videtur esse contra naturam. Cùm ergo homines jam à multo tempore sententiæ benignæ assueverint, si quid in contrarium dicatur, ferunt ægerrimè. Thomistis scientia media non probatur, nec Auctoribus Societatis prædeterminatio physica, idque non aliâ de causâ, quàm quia ab initio juventutis ad contrarias opiniones assueverunt; si enim eadem ingenia ab initio contrariæ sententiæ assuevissent, utique æquali nisu in contrarias opiniones abjissent. Itaque quòd benigna sententia tam altas radices egerit, consuetudini tribuendum est. At consuetudo non probat rem consuetudine firmatam esse veram. Ergo cùm versemur in re magni momenti, quæ ad animarum salutem pertinet, veritas severioris sententiæ proponenda est, quamvis malè auditura sit apud complures, eò quòd sit contra consuetum. Ita Celladeus hîc §. 6.

Respondeo, Celladeum loco citato benè quidem depingere vim consuetudinis, sed incongruè illam applicare ad præsentem controversiam. Consuetum enim moribus tribuitur, non doctrinis; cùm nemo, propriè loquens, doctrinas appellet consuetas, sed unanimes, vel communes. Deinde doctrinâ illâ de vi consuetudinis abutitur adversùs unanimem omnium Ecclesiæ Doctorum opinionem, per sæculum integrum continuatam. Et hoc quidem verum esset, si ille, majore probabilitate contentus, minorem vel æqualem tantummodò rejiceret. Verùm quòd hoc modo loquendi utatur ad introducendam suam singularem sententiam, *quod ne quidem major probabilitas ad conscientiam ritè formandam sufficiat*, est prorsùs intolerandum, non præcisè quia novum est, seu ut ipse vult, contra consuetum, sed quia novum est in materiâ morum, in quâ periculosissimum est communem Ecclesiæ praxim, unanimemque Auctorum omnium sententiam falsitatis arguere, & longè absurdissimum, illam nomine consueti (quod nomen vulgaris doctrinæ, atque etiam vitæ flagitiosissimæ hominibus commune est, aut etiam quodammodò proprium) traducere. Quid enim hoc aliud est, quàm prætendere, Deum per plura sæcula Ecclesiam suam deseruisse, permisisseque omnes ejus Doctores in re tam universali ac necessariâ, quàm est doctrina dè regulâ formandi conscientiam in rebus incertis, in talem errorem labi, ut homines eorum doctrinam sequentes non excusarentur, sed innumeris peccatis per se imputabilibus illaquearentur? Nónne hoc est, quod persuadere prætendis, Celladee? At quomodò animus tuus ad talia non horrescit? Quomodò audes novissimam ac singularissimam tuam sententiam quasi unicam pro salute animarum venditare? Ergonè Deus plus tibi, quàm omnibus doctissimis juxta ac Sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus revelavit? Nec plura tantùm revelavit, sed alios omnes turpiter damnoseque errare passus est, ut te demùm instar novi Legislatoris ad errores omnium Ecclesiæ Doctorum corrigendos eveheret? Hæc atque hisce similia sunt, Celladee, quæ opus tuum legentibus vehementer displicent, quæque illis absurdissima videntur, quamvis tibi visa fuerint publicâ luce dignissima.

Consuetū non Doctrinis, sed moribus convenit.

Quid in Celladeo displiceat.

9. Præterea, argumentatio, ex hoc capite desumpta, est prorsùs nulla. Inprimis nemo Novatorum, contra communem Ecclesiæ sensum temerè opinantium, inveniri potest, qui simili prologo, eisdemque verbis suam novitatem, ac temeritatem tegere, ac apud vulgus cohonestare nequeat; aliud enim non legitur, quàm universalis

Argumentum Celladei indifferens est ad verum & falsum.

salis quædam declamatio, à vi consuetudinis desumpta, contra opinionem communem, sub nomine *consueti* graphicè depictam. At hæc contra omnem opinionem, veram juxtà ac falsam, certam & incertam, ex æquo applicari possunt, ac proinde ad intentum persuadendum nil prorsùs ponderis habent. Ergo indigna sunt, quæ à serio Theologo afferantur.

Paritas à doctrinis propriis Scholarum Celladeo nō suffragatur.

10. Deinde paritas de propriis diversarum Scholarum doctrinis ad intentum nil facit. Ratio est, quia ex hâc Auctorum divisione apertè constat, utramque sententiam esse probabilem; ac proinde ineptum foret ex hoc capite prætendere, ullam ex illis determinatè sumptam esse falsam; quia in tali casu communitas doctrinæ in unâ familiâ non magis fundat præsumptionem, quòd illa opinio sit vera, quàm universalitas doctrinæ contrariæ ab aliâ Scholâ traditæ fundet præsumptionem, quòd sit falsa. Verùm casus noster non est huic similis, quia in casu isto homines aut privatis legibus, aut affectu peculiari ad suas sententias defendendas incitantur. At nos loquimur non de unâ aliquâ Scholâ aut familiâ, sed de unanimi omnium Scholarum ac familiarum, atque etiam singularium omnium Doctorum sententiâ, quam nec affectus privatus promovere, nec leges domesticæ inducere, nec consuetudo stabilire potuit. Quæro enim, cur omnes omnino in benignam sententiam consenserint, cùm circa alia fermè omnia mirè discrepent? Non affectus privatæ familiæ, quia locum non habet. Non leges domesticæ, quia nullæ talem sententiam præscribunt. Non consuetudo, à Celladeo prætensa, (causa enim hujus consuetudinis quæritur) efficere potuerunt, ut tot homines nullis opinandi legibus coërciti, tam diversa ingenia, indoles tam contrariæ, Auctores denique Scholasticis alioquin factionibus divisi, in hanc sententiam conspirarent. Non ergo aliâ de causâ consenserunt, nisi quia aut patens veritas eos impulit, aut suavis Dei providentia, quæ in universali morum regulâ discernendâ Ecclesiam suam errare non permittit, tantam in Ecclesiæ Doctoribus concordiam inspiravit; perspicuum enim est, unanimem omnium consensum in alias causas refundi non posse. In hoc ergo casu unanimis omnium consensus, seu, si impropriè loqui velis cum Celladeo, consuetudo universalis veritatem tam potenter arguit, ut præsumptio ex hoc solo capite desumpta longè præponderet omnibus, quæ in contrarium aut hactenus allata sunt, aut meritò putantur afferenda.

Celladeus in consequentiæ arguitur.

11. Demùm in hoc ipso inconsequenter locutus est Celladeus, qui tum hîc §. 4. tum alibi admittit, unanimem consensum Doctorum esse motivum sufficiens ad indubiè affirmendum, quòd ignorantia invincibilis excuset à toto. Cur ergo par omnium consensus non meretur fidem, quòd liceat sequi opinionem saltem probabiliorem? Sed libuit illi in eodem contextu inconsequenter loqui, & modò idem motivum omnibus præferre, modò idem suæ opinationi postponere; cùm tamen in merito utriusque causæ, atque in motivo utriusque conclusionis nulla sit diversitas; tanta enim est Auctorum concordia in uno, quanta in altero illorum asserendo; & si sit ullus excessus, ille favet benignæ sententiæ, cùm ex Recentioribus, post Jansenium, plures doceant, ignorantiam invincibilem juris naturalis in infidelibus ac peccato addictis à toto non excusare. Quare sic insto. Si quis exurgeret, ac doceret, ignorantiam invincibilem non excusare à toto, simulque contrariam communemque omnium sententiam nomine consueti traduceret. Celladeus eum haud ferendum, & meritò quidem, clamaret. Non ergo miretur, si nova ac singularissima ejus opinio eâdem de causâ à nobis tamquam absurda & haud toleranda rejiciatur; quia eodem prorsùs fundamento illam repellimus, quo ille aliam omni nisu rejiciendam putat.

Multa pro suâ sententiâ honestâ affert Celladeus.

12. Objicit secundò. Alterum, quod in rigidâ sententiâ displicere potest, est, quòd sit contra consuetum largius, conscientias arctet, Confessariisque manus liget, &c. At hoc obstare non debet, quia in totâ morum doctrinâ nil videtur tam largum, atque Confessariis tam commodum, quàm quòd juxta omnes opiniones probabiles, etiam contradictorias, etiam nihil opinando, etiam opinando contrarium, responsa dare, & Sacramenta administrare possint. Certè Confessarii & consultores, ex tot contrariis opinionibus directionem capientes, omnibus placere poterunt in restitutionibus, solutionibus, & contractibus, &c. Item in eleëmosynâ, jejunio, in parvitatibus, in bello & pace; quia ætas hæc Collectorum moralium libris abundat, apud quos in omni materiâ facilè est contrarias Auctorum gravium opiniones reperire; quibus disjunctim utentes omnibus ad gustum respondere poterunt. At hoc nimis laxum est, ideoque meritò restringi debet. Interim restrictio displicet, quia est contra laxius. Adeo autem difficile est, novam doctrinam contra antiquam laxiorem inducere, ut Patres & Theologi inde probent, doctrinam Christianam non nisi divinâ virtute inductam fuisse, quia consuetum laxius damnat. Ita Celladeus §. 7. Tum fatetur, desperandum esse, ut ipsius sententia unquam recipiatur & prævaleat nisi Dei unius gratiâ ac virtute, sine quâ impossibile videtur contra consuetum laxius unquam proficere.

Putat illam nōnisi magnâ Dei gratiâ induci posse in mentes hominum.

13. Hâc de causâ §. 8 quodammodò desperandum judicat, ut aliquis ex libro suo fructus existat in seniorum Theologorum animis; quare spem omnem in juvenibus ponit, speratque fore, ut invicta veritas primùm in aliquorum juvenum animos illabatur, atque illis eam alios docentibus tandem prævaleat. Porro, ad hanc suam quà spem quà desperationem confirmandam, primò citat Aristotelem *Ethic. cap. ult.* ubi Philosophus observat, *præcepta & verba ad reddendos probos homines* (in malo inveteratos) *non sufficere, &c. quæ tamen videntur posse liberales adolescentes hortari, atque incitare, moresq; eorum ex virtute sibi obnoxios, generosos, ac veræ honestatis studiosos reddere: at plerosq; ad probitatem provocare non posse: non enim pudori, sed timori obedire, neque abstinere à malis ob dedecus, sed ob pœnam consueverunt. Nam cùm ex affectu vivant, proprias voluptates, atque ea, ex quibus existunt, persequuntur, doloresq; oppositos fugiunt. Ejus autem quod honestum est, & verè jucundum, cùm id prorsùs non degustârint, ne notionem quidem ullam habent. Eos igitur, qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio possit?* Ita Aristoteles, quæ omnia ad suam causam aptissimè transferri putat Celladeus; in quem etiam finem citat Nazianzenum (sed locum non apponit) sic discurrentem. *Minoris est negotii rudi adhuc animæ veritatem primùm instar ceræ nondum signatæ imprimere, quàm super litteras, hoc est pravas doctrinas & dogmata, pium sermonem scribere ita, ut posteriora cum prioribus confundantur, & perturbentur. Neque enim ut planam & tritam viam præstat incedere, quàm asperam, nullisq; pedum vestigiis impressam, &c.* ita

ita commodius quoque fuerit animum depingere, cui vitiosa aliqua doctrina impressa sit, improbaq; litterà altissimè consignata. Alioquin pio scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, ut & priores formas deleat, & probabiliores digniores q; quæ maneant, substituat.

Celladeus scopum suū deserit.

14. Respondeo Celladeum hîc deserere scopum suum, transit enim à consideratione doctrinæ reflexæ, de quâ præcisè quæstionem instituerat, ad accusationem doctrinæ directæ, in quam nos etiam plura nimis laxa irrepsisse fatemur, & dolemus; quæ omni nisu evelli ac destrui cupimus. Sed ad doctrinam reflexam redeamus. Fateor benignam sententiam Confessariis esse valde commodam, & quodammodò necessariam; at dicere, nil in totâ morum doctrinâ esse tam largum ac laxum, calumnia est non ferenda. Quid ais, Celladee? ergo communis gravissimorum, immo omnium integri sæculi Auctorum opinio tam larga est, ut nil in totâ morum doctrinâ sit tam laxum? unde ergo factum putas, ut aliis quàmplurimis laxitatibus nuper ab Ecclesiâ damnatis, contra sententiam hanc, contra quam etiam vehementer clamatum est, nil omnino statutum sit? Dicam. Norunt Pontifices, norunt Cardinales, norunt omnes æqui rerum judices, nil esse posse rationabilius, quàm id, in quod omnes omnino Auctores consentiunt. Consenserunt autem omnes, & etiam consentiunt in benignam sententiam, si pauculos, nec tanti nominis, scriptores excipias, qui & ipsi ferè omnes non nisi in modo loquendi, idque ex terminorum æquivocatione decepti, ab aliis discrepant, ut à me demonstratum est *quæst. 22. de conscientiâ probabili.* Quomodo ergo opinionem adeo rationabilem pro laxâ rejicerent? sed quid? estne benigna sententia (ab omnibus, ut dictum est, tradita) laxior doctrinis illis, quas Ecclesia tamquam laxas, omnique probabilitate carentes damnavit? cave ne talem censuram unanimi omnium opinioni inuras.

Intolerandâ censurâ benignæ sententiæ inurit.

Alia ejus calumnia gravissima.

15. Cæterùm, ingentem calumniam benignæ sententiæ infers, Celladee, dum dicis, Confessarios, Summis casuum probabiles tantùm opiniones continentibus utentes, posse omnibus placere, illisque ad gustum respondere in restitutionibus, solutionibus, occisionibus, eleemosynis, jejuniis, parvitatibus, &c. Putásne ergo, neminem ex pænitentibus in officio contineri à Confessariis, qui benignam sententiam sequuntur? Accedant huc, qui sua furta, homicidia, aliaque peccata apud tales deposuerunt, omnesque uno ore dicent, se licentiam quidvis agendi à suis Confessariis non accepisse, se severè objurgatos, atque ad restitutionem obligatos fuisse, nec aliter absolutionem impetrasse, quàm proximâ peccandi occasione relictâ, aliisque quà exhibitis, quà promissis juxta qualitatem eorum, quæ clavibus subjecerunt. Porro evidens est, neminem ex præscripto benignæ sententiæ satisfacere muneri Confessarii qui hæc aliaque plura rigidiora non præstet. Mirum proinde est, talia è calamo Theologi elabi potuisse.

Atque hîc totum mundum judicem appello, an non optimè cum mundo Catholico ageretur, si nemo aliud ageret, quàm quod benigna sententia docet esse licitum? quàm præclara rerum facies foret, si omnia ita se haberent? frustra ergo, & non nisi falsa fingendo queritur Celladeus, per benignam sententiam nil non reddi licitum. Confessarioque pro arbitratu suo omnia juxta pænitentium placita permittere posse, atque juxta illorum desiderium respondere. Cæterùm quando pænitens petit à Confessario quid sibi liceat, & quousque strictâ obligatione urgeatur, tenetur Confessarius veritatem aperire, quamvis frequenter illa desiderio pænitentis sit conformis, alioquin suo officio non fungeretur.

Benignâ sententia moderatè loquitur de Cōfessariis, Celladeus immoderatè.

16. Cæterùm objectio invidiosè & infideliter proponit benignam sententiam; non enim tam crudè dicimus, Confessarium sequi posse quamcumque opinionem certò probabilem, etiam nil opinando, etiam opinando contrarium; sed ejus officium & obligationem multis limitationibus arctamus. Dicimus enim illum, si nil prorsùs judicet, non posse fungi officio suo, cùm strictè obligetur ad ea sola peragenda, & pænitentibus permittenda, quæ judicat esse licita: alioquin aut in dubio operaretur, aut contra conscientiam ageret. Quòd si distinguamus inter directum ac reflexum conscientiæ dictamen (quæ Celladeus ubique fermè confundit) potest Confessarius pænitentem dirigere juxta sententiam directam, quamvis ipsemet eam falsam reputet; dummodò sciat eam esse certò practicè probabilem, & formet conscientiam juxta benignam sententiam. Hæc omnia, sicut etiam, an & quomodò liceat agere aut consilium dare contra propriam sententiam, fusè declaravi *quæst. 30 de conscientiâ probabili*, in quâ adversariorum æquivocationes detexi, ostendique quomodo sententiæ apparenter diversæ concilientur. Sed de illis iterum ex professo agendum erit *quæstione 47.*

Comparatio doctrinæ suæ à Celladeo instituta est perabsurda.

17. Et hactenus quidem à Celladeo dicta non placent, sed præ omnibus displicet comparatio, quam instituit inter singularem suam sententiam relatè ad opinionem communem, & fidem Christianam relatè ad Ethnicorum mores & dogmata. Si enim ulla sit paritas ad rem faciens, vel erit in merito credulitatis, vel in praxi doctrinæ. Non in merito credulitatis, quia motiva fidei Christianæ adeo excellunt, ut omnia in contrarium prorsùs evanescant, & nullam probabilitatem habeant. At motiva sententiæ rigidæ non ita excedunt rationes benignæ sententiæ, sed è contrario ita exceduntur ab illis, ut quodammodò evanescant, ut fusè demonstratum est tum *in hoc*, tum in *toto tractatu de conscientia probabili.* Non in praxi doctrinæ, quia fides Christiana ita damnat certissima Ethnicorum scelera, ut simul omnis virtutis exercitium præscribat. Idem præstat benigna sententia; supponit enim omnia fidei dogmata, & omnia indubitata morum præcepta debere integerrimè servari. De incertis ita hominem instruit, ut suadeat perfectiora, simulque doceat quæ minùs perfecta citra peccatum fieri possint; neminemque in operando tutum esse permittit, qui absque rationabili judicio de honestate suæ operationis ad opus se extendit. Quid ergo est in benignâ sententiâ, quod cum turpissimis Ethnicorum sectis comparari potest? Nil planè; ut indignum sit, unanimem Catholicorum opinionem tam absurdis comparationibus contra fas omne dehonestari.

Paritates Celladei ad intentū nil conducunt.

18. At, inquies, in eo est paritas, quòd benigna sententia, sicut & sectæ, permittat quæ placent. Rigida verò, sicut lex Christiana, eadem condemnet. Rursus in eo est paritas, quòd sicut doctrina Christiana absque singulari Dei gratiâ induci non potuit eò quòd duriora præcepta contra laxissimas praxes & opiniones tradiderit, ita absque Dei gratiâ nunquam induci poterit

terit sententia rigida, quia viam largiorem coarctat.

Prima paritas est prorsus indigna.

Respondeo, comparationem illam, verè intolerandam, adhuc malè urgeri, quasi verò benigna sententia aut eadem, aut similia sensui placentia rationique contraria permitteret, qualia Ethnicorum sectæ permittebant, cùm certissimè contrarium constet. Sed hoc omisso (pudet enim illud ulteriùs prosequi) respondeo, sectas non ideo abominabiles esse, quia utcumque permittunt quæ placent. Profectò lex Christiana adeo evacuavit legis antiquæ onera, ut meritò dicatur status libertatis, respectu cujus lex antiqua erat durissima servitus. Rursus permittit nuptias, etiam iteratò fieri, quas nonnulli hæretici ut illicitas rejiciebant. Similiter multa alia placentia lex Christiana permittit. An ideo abominabilis est & falsa? Ideo ergò sectæ Ethnicorum sunt abominabiles, quia permittunt, aut parvi pendunt usum rerum sensui placentium, quamvis ratio certa dictet, eas malas esse, & detestandas. Quid ergo absurdius, quàm communem omnium Doctorum pietate præstantium opinionem, quæ omnia prorsùs Christianæ fidei dogmata morumque præcepta amplectitur, nilque rationi certæ contrarium permittit, cum ejusmodi sectis comparare?

Secunda paritas est frivola.

19 Secunda paritas est magis frivola. Duplex gratia est necessaria ad inducendam Doctrinam Christianam: altera ad credendum, seu firmiter assentiendum mysteriis, sicut oportet: altera ad operandum, seu ad implenda talis doctrinæ præcepta. Peto jam à Celladeo, ad quid putet gratiam pro suæ sententiæ profectu esse necessariam? an ut habeatur vera? an ut integrè servetur? si primum, errat; quia assertio illa non est articulus fidei super omnia firmissimè credendus, sed naturalis opinio, quæ proinde absque auxilio gratiæ proponi, capi, & credi potest. Rursus æquo jure prætendere possumus, gratiam ad fidem nostræ sententiæ dandam esse necessariam. Nec obstat, benignam sententiam esse rigidâ mitiorem; nonnullæ enim hæreticorum sectæ severiora præcepta tradunt, quàm fides Catholica. An ideo gratia necessaria est ad fidem erroribus illis præbendam? aut ideo gratia ad mysteria fidei Catholicæ debitè credenda non est necessaria? Nugæ. Demum præposterè procedit Celladeus, nam ut gratia sit necessaria pro fide dandâ alicui sententiæ, illa debet esse vera. Severitas autem veritatem non probat. Ergo ut gratia pro illâ admittendâ debitè asseratur necessaria, multa præter severitatem consideranda, & legitimè probanda sunt, ex quibus veritas illius constare possit, ut inde fortassis gratiæ necessitas inferatur. At Celladeus contrario modo procedit, nil enim horum probat, sed ad summum absque probatione supponit, & ex solo titulo severitatis sententiam suam veram esse, & gratiam ad illam requiri asserit. At utraque illatio est nulla, & præpostera.

Gratia non est necessaria ad credendam opinionem rigidam.

20. Quòd si dicat, gratiam non ad credendam, sed ad opere implendam suam sententiam esse necessariam, nil dicit; gratia enim, & quidem magna gratia necessaria est, ut homo intra terminos benignæ sententiæ se contineat. Quod autem amplior gratia requiratur ad vitam severiorem peragendam, & consequenter ad peccatum vitandum, ex suppositione conscientiæ juxta rigidæ alicujus sententiæ præscriptum constitutæ, non probat opinionem illam esse potiùs veram quàm falsam. Sic si quis falsò putaret, se ad omnia meliora semper peragenda esse obligatum, magna utique gratia necessaria esset ad vivendum juxta talem persuasionem; inde tamen nullatenus sequitur, persuasionem illam esse veram. Hic est ipsissimus Celladei casus. Unde miror, hominem doctissimum talia accumulasse.

Necessitas gratiæ ad implendam opinionem rigidam, nō probat eam esse veram.

21. Præterea inconsequenter discurrit, dum spem omnem in juvenibus ponit, cùm tamen asserat, propagationem suæ sententiæ per solam Dei gratiam haberi posse. Gratia enim Dei nulli ætati alligata est, ac proinde non minorem vim in animos virorum maturæ ac devexæ ætatis, maximè si pietate ac doctrinâ præstent, quàm juvenum exerere solet. Hoc in Infidelium conversione ad fidem cernitur, quia gratia Dei æquè in senum ac in juvenum animis convertendis elucet, & imprudenter ageret Præco Evangelicus, qui spem in solis juvenibus convertendis reponeret, modò soli gratiæ fideret. Scio seniores sæpe esse vitiosiores junioribus, eoque difficiliùs errores moresque corrigere; hoc tamen non obstante, gratia Dei non minùs hos, quàm alios lucratur, quando novis peccatis voluntarium obstaculum non opponunt. Ergo cùm sectatores benignæ sententiæ sint viri probi, qui in suâ opinione tenendâ non peccant, nec ullum obstaculum peccatis suis Dei gratiæ opponunt, inconsequenter procedit Celladeus, dum spem omnem in juvenibus ponit, cùm spem illam ex solâ Dei gratiâ complendam esse existimet. Nónne gratia illa prætensa tibi, in contrariâ opinione enutrito, ita illuxit, Cellade, ut te in oppositum traxerit? Cur ergo eandem similes effectus in aliis non dissimili modò dispositis operaturam desperas?

Celladeus inconsequenter discurrit.

22. Sed independenter ab hâc inconsequentiâ, & præscindendo à gratiæ necessitate, incongruè discurrit, dum spem omnem in juvenibus reponit. Juvenes enim non minùs apti, immò aptiores sunt ad novitates falsas admittendas, quàm viri graves. Non minùs quidem apti, quia intellectus eorum est instar tabulæ rasæ, cui falsum tam facilè inscribitur, quàm verum: aut instar ceræ, quæ æquè capax est figuræ pravæ ac rectæ. Aptiores verò, tum quia, ob inexperientiam & indolem magis flexibilem, novitatibus ipsis absque debitâ rerum ponderatione faciliùs abripiuntur, quàm viri graves, qui longâ rerum experientiâ edocti, non nisi post maturam rerum considerationem assensum præbere consueverunt; tum quia juvenes profundâ scientiâ, principiisque ad veritatum difficilium ac latentium perceptionem necessariis carent. Ergo juvenes ac indocti faciliùs labuntur in errorem, quàm periti; quia veritas una est, & difficilè reperitur; errores autem, & errandi viæ sunt plurimæ, in quas juvenes & imperiti Sophismatibus & apparente tantùm veritate abducti facilè labuntur; tum demum quia seniores benignæ sententiæ asseclæ, (absit verbo invidia) haud paulò probiores, Deoque conjunctiores sunt, quàm juvenes; ideoque nemo non existimabit, veritatem practicam summi momenti, & ad vitam rectè instituendam prorsùs necessariam, citiùs, faciliùs, ac suaviùs ab ejusmodi senioribus, quàm à junioribus admittendam esse; omnia enim ad hoc facientia, etiam uberiora Dei auxilia, in maturiores magis quàm in juniores conspirant. Et sanè tam in novis hæresibus, quàm etiam in novitatibus philosophicis, videmus juvenes atque minus peritos falsitatibus illis longè faciliùs abripi, quàm seniores multâ doctrinâ instructos. Quot ex junio-

Alia in ejus discursu incongruitas.

Juvenes minus apti sūt ad veritates difficiles ritè addiscendas quàm maturi ac docti.

junioribus eò adducti sunt, ut formas omnes præter animam rationalem rejiciant? Qui tamen, si maturioris judicii, profundioris doctrinæ, ac pietatis solidioris fuissent, in tales ineptias non incidissent. Frustra ergo spes in juvenibus præ aliis collocatur, quando non sequacium numerus, sed veritatem sectantium multitudo requiritur.

Aristoteles Celladeo non favet.

23. Demum auctoritates, quas Celladeus pro hac suâ spe firmandâ adducit, non sunt ad rem, cùm loquantur de solis evidenter veris aut certis, non de iis, quæ sub opinionem utrimque certò probabilem cadunt. Inprimis Aristoteles apertè dicit, plerosque ex affectu proprias voluptates prosequi consuevisse, eosque à malis non ob dedecus & inhonestatem, sed solùm ob pœnam abstinere consuevisse. Tales autem ad virtutem & honestatem, quam nunquam degustarunt, reducere difficillimum esse pronunciat, non quòd illi non videant se malè facere, sed quia ex habitu incitati voluptates illicitas prosequuntur. E contrario longè facilius est, generosos adolescentium animos, nondum malis habitibus vitiatos, & veritate imbuere, & ad praxim honestatis, ac demum ad ipsam virtutem obtinendam inducere. Hæc vera sunt, sed quomodo Celladeo, qui de doctrinâ incertâ, eâque ut putat à probis omnibus admittendâ, tantùm agit, faveant, non apparet.

Nazianzenus æquè contra Celladeum ac pro illo facit.

24. Nazianzenus similiter agit *de doctrinâ vitiatâ litteris improbis altissimè mentibus impressa*, de quarum evulsione sollicitus erat. Asserit autem, veritatem contrariam (utpote certam, cum de incertis, maximè si sint probabiles, neutra pars dici possit doctrina vitiosa, aut litteræ improbæ) non nisi duplici labore in animos talium induci posse, cùm & prior error eradicandus sit, & nova veritas in mente plantanda. At quid hoc ad præsentem quæstionem pertineat, aut cur id potiùs Celladeo quàm nobis faveat, Oedipus est, qui dixerit. Generales istæ loquutiones non magis uni quàm alteri parti applicari possunt, nisi priùs independenter ab illis altera pars probetur falsa, vitiosa, improba. Cur ergo tales auctoritates ad suam opinionem confirmandam adhibuit Celladeus? Dicam: voluit aliquas afferre, ne auctoritate carere videretur; meliores non habuit, & ideo has adduxit, quæ ignorantibus fucum facere possunt, sed intelligentibus nullam probationis speciem exhibent. Aptæ proinde sunt ad juvenes, in quibus spem ponit, decipiendos; sed ad viros doctos movendos, de quibus ad se convertendis desperat, prorsùs ineptæ.

An opinio Celladei sit communis, vel singularis?

25. Objicit tertiò. Esto, rigida sententia non ita pridem ab omnibus rejiceretur, modò tamen ejus asseclæ, negantes usum æquè aut minùs probabilium esse licitum, adeo creverunt, ut eorum opinio meritò censeatur communis. Ita Celladeus *quæst.* 1. §. 3. sub finem, ubi Auctores illos extollit tamquam nervosè differentes, fortissimasque rationes pro se afferentes. Mox §. 4. seriò affirmat, Auctores illos secum convenire, & sic concludit, *si me illis*, inquit, *adversari arbitreris, hoc gratia peto, ut non te, qui utrisque contrarius es, sed ipsos illos, doctrina suæ satis intelligentes, judices habeam. Expertus enim loquor, & me & illos improbari magis à quibusdam quàm considerari.* Unde sequitur, Celladeum non singularem sed communem sententiam sequi. Nimis ergo invidiosè, immò falsò singularitas opinandi ipsi objici videtur.

Respondeo, Celladeum debuisse nominare complures illos eximiosque Auctores, qui negant licitum esse sequi æquè aut minùs probabilia. Ego *quæst.* 22. *de conscientiâ probabili* demonstravi non plures quàm quinque aut sex pro illâ opinione citari posse. Cæterùm ibidem ostendi, paucos illos ingenti æquivocatione deceptos fuisse, nullumque illorum sententiam benignam in sensu à nobis asserto impugnasse. Præterea probavi, plures eorum sibi contradixisse, & neminem inter illos reperiri (si fortè Sinnichium, hâc in parte expressè sibi contradicentem, multisque in locis manifestis æquivocationibus deceptum, exceperis) qui in ullo sensu à benignâ sententiâ in sensu legitimo intellectâ recedat.

Opinio rigida non est communis.

Itaque sententia rigida, sive numerum, sive consensum Auctorum illam tradentium spectemus, nec est, nec meritò dici potest communis. Non si numerum, quia pauculi, illique non maximi nominis Theologi contra innumeros, imò contra alios omnes afferuntur. Non si consensum, quia in substantiâ rei, ac in ipsâ terminorum intelligentiâ ab invicem dissentiunt, atque ita divisi sunt, ut sibi ipsis mutuò non placeant. Nec mirum, pronum enim est homines, regiam ac tritam viam deserentes, diversos calles terere, propriumque dictamen sectando absque ullâ concordiæ spe in diversas opiniones ire. Itaque opinio rigida, docens usum æquè ac minùs probabilium non licere, non est communis, sed & est, & meritò reputatur singularis.

Opinio Celladei est singularissima.

26. Cæterùm certissimè constat, omnes Auctores illos à Celladeo toto cœlo discrepare; illi enim majorem probabilitatem pro conscientiâ debitè regulandâ sufficere expressè contendunt, cùm Celladeus tradat, nec majorem probabilitatem, nec certitudinem existimatam ad hoc esse sufficientem. Atque hinc est, quòd illi Auctores reipsâ à nobis non discrepent, cùm nos majorem etiam probabilitatem, saltem reflexam, exigamus. Celladeus verò solus contra omnes est, illisque juxta ac nobis adversatur.

Petitio Celladei non est justa.

27. Sed quid ad petitionem ipsius dicam? Illa justa esset, si Auctores illos præsentes haberemus, tunc enim ex proprio ore cujusvis sensum explorare possemus. Quòd si postulet, ut à viris illis longo intervallo dissitis per litteras exploremus, quid senserint, petitio hæc abest ab eo, quod decet, quàm longissimè. Sed non est, cur se aut nos in hâc parte fatiget Celladeus. Auctores illos eorumque opera coram oculis habemus, illos propriis verbis loquentes audimus, illis ipsis suam opinionem post longum studium exactè ac maturè declarantibus fidem damus; nec quisquam meliùs eorum mentem exprimit, quàm ipsi. At illi ore pleno & ex professo docent, majorem probabilitatem regulandæ conscientiæ sufficere. Quo uno doctrinam Celladei, ut falsam, duram, ac intolerabilem, pleno & constanti sermone rejiciunt.

Immeritò queritur, se aliosque fuisse rejectos.

28. Demùm difficile est assequi, quò querela illa, de se aliisque improbatis magis quàm consideratis, tendat; nisi indicare velit, quòd alibi etiam longè apertiùs significat, doctrinam hanc suam ab aliquibus rejectam fuisse. Hoc quidem experiri potuit, si id contigerit; & mirandum foret, nisi contigisset; fieri enim nequit, quin opinio singularissima, omnibus omnino in re tanti momenti contraria, sinceris veritatis amatoribus vehementer displiceat. Sed quomodò tàm se quàm alios magis improbari quàm considerari expertus fuerit, non assequor; hoc enim non ad ipsius sed aliorum legentium ac rejicientium

tium experientiam pertinet. Præterea certum est Auctorum illorum libros sedulò lectos, nec antè à sapientibus rejectos fuisse, quàm seriò considera tos. Idem præsumendum est de iis, si qui sint, qui doctrinam ipsius rejecerint. Immeritò ergò & incongruè queritur, expertum se, quòd tam ipse quàm alii magis rejecti fuerint quàm considerati.

QUÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm praxis & decreta Romanorum Pontificum faveant benignæ sententiæ?

Status quæstionis.

1. OMANUM Pontificem, utpotè universalem Christi Vicarium, in fidei morumque doctrinâ, quam fidelibus proponit, errare non posse, certum mihi est, illudque pro certâ ac pernecessariâ Theologiâ optimè admittit Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 7.* ubi super hoc ipsum, tanquam super fundamentum firmissimum, suam sententiam stabiliri existimat; contendit enim, decretum quoddam Alexandri VII. sibi favere, communique aliorum omnium sententiæ refragari. Verùm in hoc manifestè fallitur, ut in hac ipsâ quæstione evincam.

Cæterùm, ut amplior disputationi scopus detur, ego praxim Pontificum eorundem decretis adjungendam duxi; non quòd praxis illorum tantæ auctoritatis sit ad assertionem aliquam comprobandam, quantæ sunt eorum decreta, cùm in operando peccare possint, quamvis ex peculiari Dei assistentiâ in docendo errori non sint obnoxii; sed quia communis Pontificum pietate præstantium praxis, ingens honestatis argumentum est. Itaque si constiterit, Summos Pontifices, probitate, ac sapientiâ præcipuos, opinione benignâ usos fuisse, atque suas ex eâ operationes regulasse, nemo, ni fallor, eam ampliùs falsitatis aut periculi audebit condemnare, & in tantos animarum suarum Pastores insurgere. Sed quia de hâc Pontificum praxi sat fusè egi *quæst. 22. de conscientiâ probabili, num. 185. & seq.* ideo ea hoc loco solùm indicabo, quæ ibi tradidi; mox alia complura afferam illis potentiora, per quæ constabit, licitum opinionis benignæ usum, etiam quoad minùs probabiliа, tantùm non à Summis Pontificibus declaratum ac definitum fuisse. Sed ad rem ipsam. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Praxis Summorum Pontificum, pietate ac prudentia conspicuorum, apertissimè favet benignæ sententiæ, rigidæq; ac singulari Celladei opinioni penitùs refragatur.

Pontifices in rebus maximis sæpe sequūtur partem minus tutā, contra tutiorem probabilem.

2. PROBATUR. S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 11.* (quem Thomistæ unanimiter sequuntur) expressè docet, Summum Pontificem in voto solemni dispensare non posse. Alii contrariam sententiam tenent, quam etiam S. Thomas *in commentariis in lib. sentent.* tenuerat. Similiter S. Bonaventura, Scotus, Scotistæ omnes, aliique quàm plurimi docent, Papam in matrimonio rato dispensare non posse. Alii è contrario docent oppositum. Certum tamen est, complures Summos Pontifices, prudentiæ ac probitatis laude conspicuos, in utroque casu sæpius dispensasse, non obstante, quòd valde probabilis Theologorum opinio doceret, tales dispensationes esse invalidas. Ergo Summi Pontifices, non solùm ut privatæ personæ, sed ut supremi Pastores, in rebus summi momenti frequenter sequuti sunt opinionem probabilem minùs tutam, quamvis opposita esset probabilis, aut etiam probabilior illâ quam sequebantur. Argumentum hoc fusè explicatum habes *quæst. 22. de conscientiâ probabili à num. 185. usque ad 200.* Quæ autem contra objiciuntur, soluta habes *in eadem quæst. num. 227. & seqq. usque ad finem.* Ibidem habes plura circa alias materias dispensationum exempla, quæ validissimè confirmant benignam sententiam, oppositamque Celladei opinationem prorsùs evertunt.

ASSERTIO II.

Decreta Summorum Pontificum, & nominatim tam decreta quàm indubitata sententia Alexandri VII. nobis favent, Celladeo autem adversantur.

3. PROBATUR primò. Innocentius III *in cap. Inquisitioni tuæ, de sent. excom.* expressè definit, partem minùs tutam sæpe esse licitam, etiam quando adsunt rationes dubitandi, quibus homo, jam operaturus, antea credulitatem & assensum præstiterat. Expressè enim docet, conjugem, qui dubitat, imò qui credit matrimonium suum esse invalidum, posse non solùm reddere, sed etiam exigere debitum conjugale, si illa credulitas sit levis seu temerè concepta, modò prudenti ratione vel consilio tamquam talis explodatur ac contemnatur. Audi verba formalia. *In secundo distinguimus, utrum habeat* (conjux) *conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temerariâ, an verò ex probabili & discretâ: Et quidem ad sui Pastoris consilium* (*conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ*) *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale, &c.* Et quidem hoc traditur in materiâ juris naturalis, & in rebus, quæ sunt essentialiter, & intrinsecè malæ. Ergo illud ipsum à fortiori locum habet in materiis juris positivi; difficilius quippe est honestare quæ ad jus naturæ, quàm quæ ad jus positivum pertinent. Vide *quæst. 19 de consc. prob. à num. 15.* ubi argumentum in hoc canone fundatum ponderavimus. Vide etiam *quæst. 23. in eodem tractatu à num. 65.* atque etiam *quæst. 26. à num. 37.* quia ibi etiam plura ad hunc textum spectantia sunt dicta. At hæc omnia expressè repugnant Celladeo, qui nec majorem probabilitatem, immò nec ipsam certitudinem existimatam pro regulandâ conscientiâ asserit sufficere.

Innocentius III Celladeo refragatur.

Rursus tota *quæstio 26. de conscientiâ probabili* consulenda est; ubi ex professo ostendi, sacros Canone

Canones à præcipuis Summis Pontificibus dictatos nobis favere, & tantùm non benignam sententiam expressè tradere; simulque solvi quidquid in contrarium allatum est.

Leo X. approbavit benignam sententiam.

Probatur secundò. Leo X. ut refert Casarubius *verbo declarare*, concessit Fratribus Minoribus, qui scrupulis vexantur, *ut possint in omnibus dubiis, securâ conscientiâ, stare determinationi suorum Superiorum.* Hoc privilegium non aliâ ratione potuit concedi, approbari, ac declarari pro sufficienti conscientiæ regulâ, quàm quia assertio viri probi & periti in omni materiâ reddit sententiam suam probabilem, & consequenter fundat sufficientem regulam pro conscientiâ ritè formandâ, modò se gerat ut decet virum peritum & probum; quales esse, & qualiter se gerere meritò supponendi sunt, qui in sanctissimo illo sapientissimoque Ordine in Superiores eliguntur. At hoc est totum, quod asserimus. Ergo hæc Leonis X. declaratio ex unâ parte supponit veritatem benignæ sententiæ, & ex alterâ eam approbat, & quodammodò exercitè definit illam esse veram.

Urbanus VIII approbavit benignam sententiam in latissima ejus acceptione.

3. Probatur tertiò. Ex decretis Pontificum recentiorum. Inprimis Urbanus VIII. videtur absolutè declarasse, usum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem, esse licitum. Hoc ut probem, exscribendum mihi est integrum caput 15. *libri historiæ Paraquariæ Provinciæ, Patris Nicolai del Techo Soc. Iesu*, in eâdem Provinciâ Missionarii, ex cujus lectione id ipsum clarè constabit. Sic ergo scribit.

Guaranæ gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido & auctoritas à popularibus suis impetrabat, nec aliud erat majus capessendæ religionis nostræ impedimentum, quàm cùm monerentur, unicâ uxore Christianos ex lege divinâ contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, demptò scrupulo, religionem Christianam ineuntibus, quamcumque vellent ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem inde natam, quòd Doctores Scholastici de eâ re inter se dissentiant, ad Summum Legum interpretem recursum est, & Ioannes Lugo, postmodùm Cardinalis, rem totam his verbis Vrbano VIII. Pont. Max. exposuit. ,, Sanctissime Pater, in Provinciâ & regno Paraquariæ, in Indiâ Occidentali, maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt: Gens quippè ex innatâ barbarie passim conjuges (si verè conjuges dicendi sunt) dimittunt, non aliter quam nostri famulas & famulos. Et hoc solùm, quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domûs curam habere, vel quia jam senescit; imò frequenter non unam solùm uxorem accipiunt, sed simul cum eâ omnes ejus filias, vel sorores, si quas habet: ex quibus postea donat amicis aliquam, vel famulo in gratiam obsequii, quam postea repetit, si famulus discedat; aliis sola loci mutatio causa est deserendi conjugem, ne eam secum ferat. Itaque plerique putant, non esse, saltem communiter, apud illos verum matrimonium, sed concubinatum: atque ideo permittunt, quòd conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad repetendam primam conjugem, ex quo magna incommoda sequuntur. Primò, quòd multi hoc terrore baptismum aversantur. Secundò, quòd mentiuntur dicentes, se nullum alium conjugem habuisse, & malâ fide cum alio contrahunt. Tertiò, quòd fingunt se repetere primam uxorem, sed reverâ aliam habent, nec de primâ curant. Quartò, quòd frequenter difficillimum est primam agnoscere, quia vix recordantur in tantâ multitudine, quæ fuerit prima; & illâ inventâ oportet rursum inquirere, an illa prius habuisset viros, & rursum de iis viris, an priùs alias habuissent uxores. His accedit, quòd frequenter in iis conjugiis non utantur signo aliquo externo speciali diverso ab eo, quo concubinam ad hebdomadam vel mensem accipiunt. Quare sæpe non invenitur signum externum expressivum consensûs ad matrimonium requisiti. Unde attentâ eorum praxi, & consuetudine, multi pii & docti viri putant communiter, non fieri apud ipsos verum contractum matrimonii. Cæterùm ad tollendos scrupulos & dubia, & ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis, conversionis ad fidem, à Sanctitate vestrâ humiliter petitur, ut quandoquidem juxta virorum doctorum doctrinam, Sedes Apostolica ex gravi causâ potest aliquando matrimonium infidelium dissolvere, prout sanctitas vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesimâ Octobris, anno 1626. & rursus in alio simili die 17. Septembris, anno 1627. his verbis. *Nos attendentes hujusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint, &c.* ,, Et quidem in hoc gravissimæ causæ sunt, imò necessitas ad conversionem illorum infidelium: dignetur Sanctitas vestra ex benignitate Apostolicâ concedere Provinciali Societatis JESU facultatem, ut ipse, & ii ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, & communicandum censuerit, possit occurrente casu, & facto examine, & manente dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti, vel magnâ difficultate inveniendi veritatem, vel magnâ difficultate repetendi primum conjugem jam dimissum, possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in fide & obedientiâ legum Ecclesiasticarum, dispensare cum ejusmodi conversis, ut possint post baptismum contrahere verum matrimonium in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas vestra Infidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem Dæmon occludere conatur, prout de vestræ Sanctitatis benignitate sperare jubet, quam Deus, &c.

Vrbanus Octavus indicto sapientum virorum super eâ re consulto, pronuntiavit, non videri sibi speciali suâ dispensatione opus esse, ubi Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent: sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum, barbaris favorabiliores, salvâ interim utriusque partis auctoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Constans igitur sociorum, plerorumque in his terris degentium, opinio praxi confirmata fuit, horum barbarorum matrimonia, ob rationes supra relatas, nulla esse, & posse barbaros ad fidem conversos, quamcunque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibuêre cautelam, quam rei gravitas postulabat. Hactenus P. Nicolaus del Techo.

Ex hâc narratione multa sciuntur. Primum est, Urbanum VIII. à Missionariis Evangelicis interro-

terrogatum fuisse, quomodò in re difficili, ad jus naturæ atque matrimonii validitatem spectante, se gerere deberent. Hi enim, ut absque scrupulis, ac tutiùs procederent, suppliciter rogarunt, ut facultatem cum infidelibus illis ad fidem conversis dispensandi tribuere dignaretur, quando post factum examen dubium adhuc esset, an matrimonium in infidelitate contractum esset validum, &c. Pontifex, quod sui muneris erat, eos directurus, ac saluti & conscientiis tam Missionariorum, quàm infidelium conversorum consulturus, examen peritorum adhibuit, illoque præmisso, respondit sibi videri, opus non esse speciali dispensatione, quando probabiles hinc inde Doctorum sententiæ existerent; sequerentur proinde opiniones barbaris favorabiliores, sic enim tutos fore, nec alio opus esse ad dubia scrupulosque tollendos. Hoc respondit Pontifex, & nisi hoc respondisset, quæstioni petitæ non satisfecisset, nec oves anxias, quod humillimè petebant, direxisset. Hæc autem responsio prorsùs docet, licitum illis esse sectari quamcumque opinionem certò probabilem barbaris favorabiliorem, quamvis illa minùs probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII. quoad omnia benignam sententiam esse veram non tam censuit, quàm curam ovium exercens, fidelesque requisitus post maturam consultationem pascens, declaravit.

Adversarii meritò victoriâ clamarent, si talem pro se decisionem haberent.

6. Quid diceret Celladeus, quid alii adversarii dicerent, si Summus Pastor, à suis ovibus interrogatus, quomodò in tali casu tuti esse possint? respondisset, *eo ipso quòd probabiles sententiæ hinc inde existerent, sibi videri nulli licitum esse sequi partem minùs tutam; sequerentur proinde in tali casu partem tutiorem, nec ab eâ absque expressâ dispensatione recederent.* Haud dubiè longè lateque victoriam clamarent, dicerentque, Pontificem in suum favorem quæstionem solvisse, ac proinde infallibili morum regulæ absque ulla amplius hæsitatione credendum esse. Cur ergo ipsi non dant manus, cùm Pontifex quæstionem in favorem benignæ sententiæ resolverit, & quodammodò definiverit? existimo quidem homines, contrariæ sententiæ non admodum ardenter addictos, his lectis, veritatem visuros, illique subscripturos; sed vereor, ut proprii Auctores rigidæ sententiæ in illâ permaneant, & variis interpretationibus ac limitationibus clarissimam hanc prudentissimi ac vigilantissimi Viri, Summique Pastoris decisionem obfuscare conentur; sed frustra erunt omnia, cùm factum pateat, & claritas decisionis nullis tenebris involvi possit.

R. P. Mutius Vitelleschius jussit suis, ut probabili resolutioni uniformiter se accommodarent.

Porrò ut nostri Missionarii juxta hanc Urbani declarationem uniformiter procederent, R. P. Generalis, Mutius Vitellescchius in hæc verba ad Provincialem scripsit. *Circa matrimonia infidelium, quando ad Evangelium reducuntur, utrùm solvenda sint nec ne, &c. Respondeo per P. Procuratorem, qui referet responsum suæ Sanctitatis, & sensum etiam aliorum Doctorum. Totum in hoc resolvitur. Videndum an Punctum, quod controvertitur, sit probabile, nec ne. Rogo reverentiam vestram, injungat Magistris doctis, ut quæstionem examinent, informationemque faciant, & statuatur quod probabile fuerit, & hoc uniformiter in Provinciâ reducatur in praxim.* Hæc hispanicè scripta habentur *in Registro Epistolarum R. P. Mutii Generalis ad diem 31. Iulii anni 1639.* Ea ego in latinum transtuli.

Urbanus VIII. expressè supponit, utrã

7. Secundum est, quòd Pontifex apertè supponat, utramque opinionem contradictoriam esse posse simul probabilem, nec supponit tantùm, sed expressè vult, ut, non obstante declaratione, quòd Missionarii tutò sequantur opinionem minùs tutam, alteri opinioni nil suæ probabilitatis & Auctoritatis decedat, sed unicuique sua opinandi libertas relinquatur. Hæc omnia Celladeo expressè repugnant, cùm in omnibus istis contraria sentiat.

que partem esse probabilem.

Pontifices sectantes unã opinionem, oppositam in suâ probabilitate relinquunt.

8. Tertium est, quòd sagacissimus & prudentissimus Pastor per hoc expressè declaraverit, verum esse, quod *quæst. 22. de conscientiâ probabili num. 187.* tradidi; nempe Pontifices, quando in dispensando uni sententiæ se accommodant, non ideo declarare alteram esse falsam, aut ullam ei notam inurere, sed illam in suâ probabilitate, atque etiam homines in opinandi libertate relinquere.

Sequaces benignæ sententiæ non minùs cauti sunt, quàm illi à quibus laxones appellantur.

9. Quartum est, quod Missionarii illi Evangelici, qui, hâc Urbani responsione instructi, sciebant sibi licitum esse sequi opinionem probabilem minùs tutam, cautelam semper adhibuerint, quam rei gravitas postulabat. Adeo verum est, Auctores & sequaces benignæ sententiæ, quamvis à nonnullis adversariorum palpones, laxones, aliisque id genus nominibus appellentur, verè laxos non esse, sed prudentes & cautos, cùm non nisi cautè adhibeant remedium, quod tamen licitè applicari posse sciunt. Verùm omnia tentant, ut quantum fieri potest negotia optimo modo administrentur. Atque utinam omnes, qui in benignæ sententiæ professores insurgunt, parem in praxi cautelam ac moderationem sectentur, nec laxiùs casus resolvant, quàm illi, quos laxones appellant.

Alexander VII. Celladeo contrariatur in praxi.

10. Porrò quod ad Alexandrum VII. in quo Celladeus se solidissimum fundamentum habere jactat, attinet; ille, ut refert Caramuel in Apologemate, non solùm dispensavit, ut Illustrissimus D. Iosephus de Conti ab uno Episcopo, & duobus Abbatibus consecraretur, sed etiam indulsit, ut electus Episcopus de Assumptâ, ad Provinciam Paraquariæ pertinens, ab uno Episcopo posset consecrari. Verùm ille, antequam facultas obtenta ad suam pervenisset notitiam, ab uno Episcopo cum duobus Canonicis ordinatus est. Porro cum hæc ordinatio in dubium vocata esset, sacra Cardinalium Congregatio die 15. decembris anno 1657. declaravit, *supradictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum & impressionem characteris, fuisse validam, &c.* & Alexander VII. declarationem hanc per litteras Apostolicas in formâ Brevis confirmavit. Hæc ex Caramuele olim notata iterum cito, quia decreta ipsa nondum videre licuit.

In re summi momẽti sequutus est opinionem minùs tutã, contra probabilem tutiorem.

Hinc sic arguo. Plurimi, gravissimique Auctores censent, Pontificem in hâc re dispensare non posse. Diana *parte 10. resolut. 19.* fatetur hanc sententiam esse oppositâ communiorem. Castro-Palaus *tom. 4. tract. 27. puncto 14.* opinionem hanc validissimis rationibus & Auctoritatibus roborat, eamque tamquam contrariâ longè veriorem supponit. Unde cum Caramuele sic subsumi potest contra Celladeum. Alexander VII. in re summi momenti, quæ non solùm ad privatam ejus personam, sed etiam ad publicum ipsius officium pertinebat, sequutus est opinionem minùs tutam, etsi solùm æquè, aut etiam fortassè minùs probabilem oppositâ; minùs, inquam, tutam, quia agitur de necessitate medii, in quo si erretur, bona fides non sufficit. Illi enim non essent veri Episcopi, nec ab eis ordinati forent veri Sacerdotes; sine veris autem Sacerdotibus

cerdotibus Sacramenta Eucharistiæ, Pænitentiæ, & Extremæ Unctionis nulla sunt. Ideoque populi, quibus illi præficiuntur, mediis ad salutem valde necessariis privarentur. Ergo Alexander VII. existimavit licitum sibi esse sequi opinionem probabilem contra tutiorem etiam probabilem, alioquin contra conscientiam egisset; quod certè de Viro summi ingenii, experientiæ multiformis, atque probitatis eximiæ, nemo nisi impudentissimè dixerit, aut judicaverit, maximè in rebus istiusmodi, in quibus liberrimum ei fuit, tales dispensationes concedere aut negare. Ita cum Caramuele aliisque urgeri potest hoc argumentum, de quo tamen ego *quæst. 22. de conscientiâ probabili à num* 191. paulò aliter, ac Sedi Apostolicæ multò favorabiliùs censui. Locus consulatur, ubi multa de hâc materiâ scitu digna exponuntur. Cæterùm haud dubiè argumentum convincit, Alexandrum VII. in rebus summi momenti hinc inde probabilibus sequutum esse partem minùs tutam, contra oppositam partem tutiorem; ac proinde existimasse, benignam sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam.

Decreta Alexādri VII. probant benignā sententiam esse veram.

11. Et hæc quidem de praxi Alexandri VII. dicta sunto; de quo etiam aliundè constat, quòd privata ipsius sententia fuerit, licitum esse usum probabilium contra tutiora pariter probabilia, aut etiam probabiliora, ut ex dicendis in solutione Objectionum constabit. Quocirca superest, ut de ejusdem Decretis, ac de doctrinâ, quam Ecclesiæ tenendam proposuit, aliquid dicamus. Inprimis anno 1661. celeberrimam edidit Bullam in favorem Immaculatæ Conceptionis, in quâ tamen ita se gessit, ut ex contrariis sententiis neutram censurâ ullâ notaverit; quin è contrario satis apertè ostendit, se credere, neminem ex eo peccare, quòd ullam ex illis opinionibus sectetur. *Vetamus*, inquit, *quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cùm à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. &c. gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contra facientes huic nostræ constitutioni superius inflximus.* Certè si existimasset, eos peccare, qui asserunt Beatissimam Virginem fuisse in peccato conceptam, minùs rectè fecisset, dando illis occasionem continuandi in suâ opinione, dum pœnas exaggerat contra eos, qui illam peccati condemnare audent.

Aliud Alexandri VII. decretū nobis favens.

12. Rursus anno 1667. quinto Maii, non diù ante mortem in generali Sanctæ Inquisitionis Congregatione decretum edidit circa dissensiones Auctorum de materiâ Attritionis, in quo hæc habentur. *Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. cùm acceperit non sine gravi animi mœrore Scholasticos quosdam acriùs, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pænitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus; Sanctitas sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, &c. Hoc præsenti Decreto in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, &c. præcipit cunctis & singulis, &c. ut si deinceps de materiâ attritionis præfata scribent, aut libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem, necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sanctâ Sede fuerit aliquid in hâc re definitum, &c.* Ecce Pontifex, tam in materiâ fidei quàm morum, ita versatur inter opiniones contrarias, quæ aut communiter aut certè ab aliquibus probabiles reputantur, ut utramque toleret; & ab aliis omnibus toleratam velit, cùm severissimè prohibeat, ne quisquam censurâ ullâ, aut contumeliæ notâ quamvis illarum taxare audeat. Porrò in materia Immaculatæ Conceptionis, saltem juxta eorum opinionem, qui minùs piam sententiam tenent, magis tutum est ab omni opinione assensum cohibere; sic enim certissimè non erratur, cùm errandi periculo se exponat, quicumque illi sententiæ assensum præbet. In materiâ verò contritionis, pars negans necessitatem dilectionis est minùs tuta, quæ tamen à suis assertoribus proponitur tanquam pro praxi sufficiens. Constat itaque Alexandrum VII. non solùm ut privatum Doctorem, sed ut publicum Ecclesiæ Pastorem censuisse, licitum cuique esse in materiâ fidei ac morum ex contrariis opinionibus certò probabilibus sequi quamcumque pro libito, modò illi tanquam veræ adhæreat. Si enim contrarium censuisset, debuisset subditos à sequendis ejusmodi opinionibus aut terrere, aut saltem dissuadere, & non præbere eis occasionem sectandi illas opiniones, quarum usum noxium & peccaminosum reputabat. His addendum est Decretum, quod Alexander VII. septimo Calendas Julii an. 1665 edidit contra duas censuras Sorbonicas; ex illo enim adhuc clariùs apparet, Summum istum Pastorem nobiscum sensisse. Sed Decretum mox opportunius afferetur in solutione objectionum.

13. Quis jam non videt, quantum & privata opinio, & publica Alexandri VII. documenta à singulari Celladei opinione recedant? Celladeus omni nisu contendit, tutiorem partem inter probabilia esse tenendam, nec speculativè tantùm loquendo hoc contendit, sed practicè asserit, contrariam sententiam esse periculosam, & rarò aut nunquam à peccato excusare, si sit falsa, quamvis bonâ fide credatur vera, & reputetur esse certissima. Et quidem loquitur de peccato non materiali sed formali, quod scilicet malitiam peculiarem per se imputabilem continet. Alexander VII. si hoc verum reputasset, nunquam tolerasset sententiam minùs tutam, sed ad minimum illam ut periculosam proposuisset; hortatusque fuisset fideles, ut ab illâ in praxi abstinerent. At hoc non præstitit, sed è contrario illam tanquam communiorem, nullaque censurâ dignam proponit, imò sub gravissimis pœnis vetat, ne quisquam ullâ censurâ talem opinionem taxet. Ergo decreta Alexandri VII. Celladei opinioni omnino contrariantur.

Alexander VII Celladeo contrariatur.

14. Cæterùm, haud facilè se extricabit Celladeus à periculo incurrendi censuram ab Alexandro VII. hoc in decreto adversus eos, qui ullam ex contrariis opinionibus censurâ Theologicâ taxant, interminatam. Dicere, opinionem aliquam esse adeo periculosam, ut quomodocunque operans sibi conscientiam formet eam sectando, adhue

Doctrina Celladei nō caret periculo incurrendi censurâ ab Alexandro VII. interminatam.

adhuc periculo peccati formalis se exponat, ac utique peccet, si contingat eam esse falsam, quamvis non solùm probabiliùs, sed certò credat eam veram ac licitam, est censuram Theologicam gravem illi inurere. Dicere docentes talem opinionem esse licitam graviter peccare, non solùm materialiter, sed peccato per se imputabili, casu quo errent, modò probabile sit quod errent, est magnam injuriam ac infamiæ notam tali opinioni inurere. Celladeus utrumque universaliter tradit de omni opinione minùs tutâ, de cujus veritate Auctores dissentiunt. Ideoque si generalem suam doctrinam ad hanc peculiarem materiam de attritione applicet, aut concedere debet, opinionem, negantem aliqualis dilectionis Dei necessitatem, esse gravi censurâ dignam, aut totum suum opus retractare. Cesset ergo jactare, Alexandrum VII. à suis partibus stare.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Alexander VII. meritò queritur, doctrinam moralem fuisse laxatam.

15. OBJICIT primò. Alexander VII. anno 1665. Decretum edidit, in quo plures propositiones in re morali nimis laxas damnavit. Verba Decreti sic se habent. *Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit, alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, Sanctorumq́; Patrum doctrinâ, & quem si pro regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quarè ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animorum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem S. D. N. ut oves sibi creditas ab istiusmodi spatiosâ, lataq́;, per quam itur ad perditionem, viâ Pastorali sollicitudine in rectam semitam revocaret*, &c. Hinc sic arguit Celladeus. Hæc est mens Romani Pontificis, qui in tradendâ fidei ac morum doctrinâ errare non potest. *Ergo non mecum*, inquit, *sed cum Romano Pontifice contendant, & obtendant laxandum esse; sin minùs, offendicula apponi, perplexitates induci, &c.* Ita Celladeus *lib. 1 quæst.* 1. §. 7. qui proinde hoc scuto se tutum arbitratur, sibique laudi ducit, *quod summæ luxuriantium ingeniorum licentiæ*, ut Decretum loquitur, *in dies magis excrescenti*, viribus omnibus obsistat.

Respondeo, multa absque dubio irrepsisse in doctrinam moralem, quæ meritò rejecta, & damnata fuerunt, eò quòd laxitatem saperent non ferendam; laudandus proinde foret Celladeus, si aut solùm in genere, aut etiam in specie, tales doctrinas impugnasset, neque nullatenus sibi contradicentem, sed ubique applaudentem audiret; ægerrimè enim fero, semperque tuli ejusmodi laxitates, & valde gaudeo plures ejusmodi propositiones ab Alexandro VII. fuisse proscriptas. Verùm cùm Celladeus communem omnium Auctorum, omniumque ætatum opinionem convellere studeat, singularemque & priùs inauditam morum regulam inducere studeat, non plausum meretur, sed impugnationem. Negat ille ullam opinionem controversam, etsi probabiliorem, etsi unicè probabilem, etsi certam existimatam, à peccato per se imputabili excusare, quo uno omnibus prorsùs Catholicis scriptoribus contrariatur, & apertè errat, ut fusè evici *in tractatu de conscientiâ probabili*, & in hoc opere fusiùs evinco. Rursus asserit, solas opiniones veras esse sufficientem regulam operationis honestæ, cùm tamen neminem, pro se citare possit, aut rationem afferre, quæ speciem probabilitatis (etiam illius, quam consuetam appellat, & sub nomine consueti traducere conatur) habet, ut *quæst.* 3. ostensum est. Hæ, aliæque ejusmodi sunt doctrinæ tuæ, Celladee, quibus obsistimus. Tibi in his, non Romano Pontifici nil talia docenti, contradicimus. Illius definitioni tanquam certæ regulæ morum in omnibus obtemperamus, & acquiescimus. Cum illo dicimus, non esse laxandum, sed stringendum, quia quæ nimis laxa sunt, stringi debent; sed contra has tuas assertiones laxandum dico, quia sunt contra omnes, quia nimis strictæ sunt, quia falsæ, quia cœlum hominibus claudunt. Tibi ergo obsistimus, non Rom. Pontifici, in cujus Decreto nil habes, quo peculiares has tuas doctrinas vel apparenter cohonestes.

Nos Celladeo non R. Pontifici resistimus.

Celladeus scopum deserit, & Decreto Pontificis abutitur.

16. Respondeo secundò, Celladeum hoc in loco & scopum suum deseruisse, & Decreto Pontificis abusum esse. Scopum sibi præfixerat, ut doctrinam reflexam, quæ asserit, licitum cuique esse sequi opinionem certò practicè probabilem, impugnaret; hoc autem omisso, ad doctrinas directas à Pontifice pro laxis damnatas divertit, illasque accusat, atque per hoc se causam suam præclarè egisse existimat. Sed inprimis aërem verberat, cùm neminem sibi contradicentem habeat; deinde in vanum laborat, cùm ex hoc nullum pro suâ doctrinâ confirmandâ subsidium reperiat. Neque tantùm scopum deseruit, sed hoc Alexandri VII. decreto abusus est, Decretum enim illud nullam ferit opinionem, quam Pontifex, aut ejus Consiliarii probabilem judicabant. Constat siquidem ex Decreti tenore, examen damnatarum opinionum pluribus Theologis commissum fuisse, atque etiam Cardinalibus, qui Generalium Inquisitorum munera funguntur, eorumque singulos suam sententiam Summo Pontifici sigillatim exposuisse. Itaque absque dubio Decretum hoc in Qualificatorum censurâ fundatum est. Notorium autem est, omnes & singulos illorum Qualificatorum tenuisse doctrinam reflexam, quam Celladeus impugnat. Rursus Qualificatores nullam opinionem censuerunt, quam credebant esse probabilem, quin & ipse Pontifex, ut reprobaret duas ex propositionibus damnatis, nempe 27 & 40. damnavit dicentes illas esse probabiles. Itaque certum videtur, Alexandrum VII. nullam propositionem damnasse, quam ipse & Qualificatores non reputarent esse improbabilem. Celladeus ergo abutitur hoc Decreto, dum ex illo stabilire conatur suam sententiam, quâ omnem opinionem probabilem minùs tutam tanquam in praxi periculosam, eoque nomine omni explosione dignam rejicit.

Pōtifex solas opiniones improbabiles dānavit.

Occasio & finis hujus decreti evertunt doctrinā Celladei.

17. Quòd si occasionem ac finem Decreti præ oculis habeamus, ex illis efficacissimum contra Celladeum argumentum deducitur. Occasio hujus decreti, ut in ipso ejus exordio narratur, fuit rumor sparsus de multitudine opinionum laxarum quotidiè invalescentium, contra quas non pauci vehementiùs insurrexerant. Jansenistæ hâc in parte aliis præluxerunt, nemo enim ab initio præter illos universalem doctrinam reflexam condemnavit. Post hos nonnulli Catholici scriptis suis nimias laxitates reprehendere cœperunt,

runt, plerique ad opiniones particulares, de rebus directè concludentes, sese prodenter restringebant. Pauci animo impetuosiore, ac minùs considerate in universali doctrinam reflexam condemnabant, in quo imitabantur Jansenistas, qui ideo potissimùm contra opinionem benignam insurgebant, quòd arbitrarentur, nil se efficere posse, quamdiu illa staret, cùm illa omnem opinionem practicè probabilem pro sufficienti conscientiæ regulâ sufficere traderet. Clamores isti aures, atque etiam animum Alexandri VII. perculerunt. Dum hæc ita se haberent, Amadæus Guimenius librum edidit, in quo plures opiniones collegit, quas multi diu ante tamquam laxas condemnaverant. Liber iste Guimenii plurium animos pupugit. Itaque undique per Galliam ac Belgium contra eum clamatum est. Facultas Parisiensis censurâ gravissimâ Guimenii librum notavit. Pontifex clamoribus istis atque dissentionibus glifcentibus, atque in dies crescentibus, hanc summi momenti causam coram se examinari voluit, atque quantum fieri potuit terminari. Inprimis ergo septimo calendas Julii anno 1665. per Breve speciale Facultatis Parisiensis censuram tanquam præsumptuosam, temerariam, ac scandalosam damnavit, illamque cassam, & irritam esse voluit. Et hactenus quidem explicui occasionem, atque originem, ex quâ Decretum à Celladeo citatum emanavit. Finis autem ejusdem edendi duplex erat, primarius quidem, ut ex textu Decreti patet, fuit ovium Summo Pontifici creditarum salus, quæ hîc & nunc exigebat, ut scirent quid in tantâ opinionum varietate habendum, quid non habendum esset pro laxo. Et consequenter quid esset, quid non esset vitandum? Secundarius autem finis fuit, ut Sancta Sedes vigilantiam suam testatam redderet, simulque reipsâ probaret, se non parvi facere excellentissimam Facultatem Parisiensem, quòd nuperam ejus censuram damnasset. Itaque post tres menses à dictæ censuræ condemnatione, nempè 24. Septembris ejusdem anni 1665. Decretum edidit, in quo damnavit 28. propositiones laxas in materiâ morali. Deinde 10. Aprilis anni insequentis 1666. Guimenii librum prohibuit, qui plures opiniones laxas in unum collegerat. Nec hîc stetit zelus & prudentia Alexandri, siquidem 18. Maii ejusdem anni 1666. alias 17. propositiones laxas condemnavit, ita ut universum 45. propositiones laxæ à vigilantissimo Pastore damnatæ sint.

Guimenii liber à Facultate Parisiensi censuratur.

Alexander censurâ Facultatis Parisiensis dãmnavit atque cassavit.

18. His de occasione atque fine hujus Decreti habitis, perspicuum est, Alexandrum toto cœlo à singulari opinatione Celladei dissentire. Nam doctrina reflexa de licito usu opinionis probabilis erat potissima, contra quam, ut laxitatum omnium radicem clamabant adversarii, & consequenter absque dubio in rigidum examen deducta est; illa nihilominus nullâ censurâ notata est, nec digna inventa, quæ damnaretur. At nulla ex damnatis tam necessariò prohibenda fuisset quàm ista, si illa ad conscientiam ritè formandam, & malitiam peccati, ratione sui imputabilis, excludendam non sufficeret. Itaque Pontifex non solùm insufficienter functus fuisset officio suo, opinionem illam non taxando, si illa periculum à Celladeo somniatum involveret, sed, quod plus est, contra conscientiam suam peccasset, seque ipsum, ovesque sibi creditas in apertam damnationem præcipitasset, si opinionem jam in examen adductam non condemnasset, quam existimabat esse omnium periculosissimam, sciebatque ab omnibus passim in praxim deduci. Quis autem talia de tanto Pontifice vel suspicari audeat? Constat ergo Alexandrum, non solùm ut privatum Doctorem, sed etiam ut publicum Ecclesiæ Pastorem ab opinione Celladei, ac rigidâ sententiâ fuisse prorsùs alienum.

Celladei opinio ex fine & occasione hujus Decreti evertitur.

19. Hoc, etsi ex hactenus dictis sit perspicuum, adhuc clariùs patebit, si perpendantur verba singularis illius Brevis, quo Alexander VII. duplicem censuram Facultatis Parisiensis damnavit, atque cassavit. Facultas duos libros censuraverat, unum gallicè scriptum à Jacobo de Vernant, cui titulus: *La deffence de N. S. P. le Pape contre les erreurs de ce temps*; alterum ab Amadæo Guimenio latinè exaratum, in quo Auctor plures, ut præfertur, opiniones morales laxiores collegerat. Verba Brevis ita se habent, *cùm ad aures nostras pervenerit, duos prodiisse libros, &c.* (in quibus scilicet censuræ dictæ continebantur) *in quibus libris præsumptuosâ censurâ notantur aliqua propositiones, eaq; præsertim, quæ ad Romani Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem, Parochorum munus, Privilegia à S. Sede concessa, dispensationes Apostolicas, actionumq; moralium regulam pertinent, & alia, quæ & gravissimorum auctoritate scriptorum, & perpetuò Catholicorum usu nituntur, & cùm fieri non possit sine publico Catholicæ religionis detrimento, ut prædictæ censuræ in commemoratis libris sine debitâ Ecclesiæ animadversione, & damnatione remaneant. Nos, &c. ut gravissimo scandalo, quod inde Catholicis accidere possit, occurramus, habitis priùs doctissimorum ac insignium in sacrâ Theologiâ Magistrorum ac Professorum, &c. quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, nec non auditis suffragiis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum, motu proprio, & ex certâ scientiâ nostrâ, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatas censuras, uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas haberi volumus, easque nullius valoris, & roboris fuisse, sed cassas & irritas esse declaramus.* His dictis, sub gravissimis pœnis dictas censuras prohibet, *sicut & libros, scripturas, & alia opera, in quibus præfatæ censuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur.* Demum post pœnas injunctas hæc subduntur. *Cæterùm ulterius de præfatis censuris judicium, deq; opinionibus in prædictis libris Iacobi Vernant, & Amadæi Guimenii contentis, &c. nobis ac S. Sedi Apostolicæ reservamus.*

Causæ, ob quas Pontifex censurã Parisiensẽ damnavit, explicatur.

20. Ex tenore hujus Brevis perspicuum est, Alexandrum VII. existimasse, ac publicè omnes docuisse, opiniones ad actionum moralium regulam pertinentes, maximè si illæ gravissimorum scriptorum auctoritate & perpetuò Catholicorum usu nitantur, non esse censurâ dignas, & multò minùs præsumptuosè censurandas. Constat secundò, talium opinionum censuras in publicum religionis Catholicæ detrimentum cedere, easque proinde esse prorsùs intolerabiles, quia hoc expressè asseritur in decreto, & affertur tanquam motivum, quod condemnationem dictarum censurarum non tam persuasit, quàm extorsit. His positis, sic arguo. Certum est, doctrinam reflexam de licito cujusvis opinionis probabilis, maximè probabilioris usu, non solùm gravissimorum, sed omnium omnino, ante Celladeum, Catholicorum scriptorum auctoritate, perpetuoque Catholicorum usu ac praxi esse confirmatam. Præterea sententia illa proponitur ut regula actionum moralium. Ergo non est censurâ

Opinio rigida Celladei ex mente Alexandri VII. est intolerabilis.

surâ digna, & multò minùs præsumptuosè censuranda; imò omnis acrior ejus censura in publicum religionis detrimentum cedit, nec absque malo tam gravi tolerari potest. Hæc non ego, sed Alexander VII. post Theologorum consultationem & Cardinalium Inquisitorum Generalium suffragia expressè tradit. Hoc ergo posito, peto, an singularis Auctor absque præsumptuosâ censurâ insurgere possit contra unanimem omnium Doctorum sententiam, in re spectante ad conscientiæ ritè formandæ regulam, quam omnes omnium sæculorum Catholici ut legitimam & sufficientem in praxi secuti sunt, & non solùm speculativè loquendo contra illam differere, sed practicè eam ut periculosissimam arguere, prorsusque contendere, neminem à peccato per se imputabili excusari posse, qui bonâ fide, imò qui certissimâ conscientiâ amplectitur opinionem ullam, si fortè eam falsam esse contingat? nónne hoc est conscientias priùs rationabiliter quietas turbare? gravissimamque omnibus prorsus scriptoribus Catholicis, universisque eorum dicto se gubernantibus, id est totius Ecclesiæ praxi censuram inurere? Celladeus ipse, ni fallor, ægrè ferret, si quisquam de aliquâ ipsius opinione tam rigidè sentiret, illamque per hoc ipsum gravi censurâ notatam esse conquereretur. Agnoscat ergo idem à fortiori locum habere in communi aliarum omnium sententiâ, quod in privatâ suâ opinione locum haberet. Peto etiam, an sententia ulla, quoad substantiam rei, præsumptuosior esse possit, quàm si unus singularis Auctor, aliorum omnium auctoritate & praxi postpositâ, in re tanti momenti novam sententiam priori contrariam non solùm invehat, sed per eam omnes alios gravissimi sceleris reos arguat. Si hoc non sit præsumptuosè opinari, nemo dixerit quid sit opinio præsumptuosa. At qui asserit, neminem à peccato excusari per se imputabili, qui bonâ fide & certâ conscientiâ sequitur opinionem probabilem, etiam probabiliorem, condemnat omnes alios gravissimi sceleris. Inprimis sceleris condemnat omnes Auctores, qui talia proposuerunt, quique aliorum conscientias juxta illorum opiniones dirigunt; quia omnes isti proximos in peccandi periculum conjiciunt. Rursùs omnes condemnat, qui suam conscientiam juxta probabilia aliorum dicta conformant. Ergo omnes omnino gravissimorum ac frequentium peccatorum condemnat.

Alexander VII. omnes animat ad Celladei conatibus resistẽdum.

21. Cogitet hæc seriò Celladeus, & inveniet singularem suam opinionem, non juxta meam, sed juxta expressam Alexandri VII. sententiam, Ecclesiæ universæ explicatam, separari non posse à non tolerandâ censurâ contra doctrinam reflexam, id est contra benignam *opinionem, quæ ad actionum moralium regulam pertinet, quæq; gravissimorum auctoritate scriptorum & perpetuo Catholicorum usu nititur.* Solus enim communem omnium aliorum doctrinam ac praxim ita impugnat, ut omnibus gravissimorum peccatorum incursum imponat. Nullatenus enim stare potest veritas sententiæ, quam tenet, nisi omnes ferè Catholici in rebus, quas ex communi omnium Doctorum consensu licitas credebant, damnabiliter operati sunt. Hæc cùm detexerit, resipiscat aliquando, & fateatur opinionem suam singularem, & re ipsâ, & juxta Alexandri VII. mentem atque doctrinam omnibus publicè traditam, in publicum Ecclesiæ detrimentum cedere, nec sine debitâ animadversione tolerari debere. Ignoscat ergo mihi, si, tam necessario tanti Pontificis documento nixus, ipsius conatibus obviam eam. Quod me ad hoc impellit, non est contradicendi, non contendendi ardor, sed publici detrimenti metus, sed omnium Ecclesiæ Doctorum fama, quorum alterum amoliri, alteram omni nisu in suo splendore conservare molior. *Hæc sunt*, Celladee, ut verbis tuis utar, *offendicula, quæ apponit, hæ perplexitates, quas induceret tua sententia, quæ timorem nimium incuteret, & peccata multiplicaret, &, quod summum est, pauciores salvari, quàm alioquin salvarentur, permitteret*, si semel admitteretur ut vera, aut efficeret, ut contraria opinio in dubium vocaretur.

Alexander VII. injunxit Generali Prædicatorum, ut laxitatem in materiâ morum exterminaret.

22. Objicit secundò. Alexander VII. teste Julio Mercoro, Magistro Generali Ordinis Prædicatorum injunxit, ut probabilibus restinguendis curam omnem adhiberet. Hinc factum est, ut, ipso Magistro Generali adhortante, Mercorus ipse, Baronius, & Gonet adversus illa scripserint. Ergo Alexander VII. censuit, illicitum esse sequi probabilia, alioquin probabilium exterminationem Prædicatorum Generali nunquam injunxisset. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 7.*

Hoc Celladeo non favet.

Respondeo, Celladeum hîc ita loqui, ut haud facilè appareat, quid sibi velit. Si solùm contendat, Alexandrum Generali Prædicatorum generaliter injunxisse, ut invigilaret, ne Magistri sui Ordinis opiniones nimis laxas sub nomine probabilium latentes docerent, imò ut tales opiniones omni conatu extirpare satagerent, libenter admitto, quod dicit; talis enim exhortatio & vigilantissimo Pastore digna, & menti ac zelo Alexandri, qui postea 45. propositiones damnavit, est prorsùs consentanea. Verùm hoc ad Celladei intentum non conducit, quia hîc solùm quæritur, quid de doctrinâ reflexâ Alexander senserit, & an illius extirpationi studuerit, de quâ quæstione ex generali illâ exhortatione nil inferri potest, nisi aliundè probetur, Alexandrum existimasse doctrinam reflexam de licito probabilium usu esse nimis laxam. Verùm hoc nec ex dictâ illâ adhortatione, nec aliunde probari potest, cùm ex dictis constet, oppositum esse verissimum, & id ipsum ex dicendis ulteriùs confirmabitur.

Pontifex non voluit doctrinam reflexã impugnari.

23. Quòd si Celladeus ex obscurâ illâ locutione indicet, atque supponat, Alexandrum VII. imposuisse Generali Prædicatorum curam exterminandi doctrinam reflexam, ut indicare atque supponere debet, si ad finem & scopum intentum collimet; inprimis supponit, quod erat probandum, & procedit de subjecto, ut aiunt, non supponente. Deinde haud dubiè fallitur, cùm omnibus, qui probè Alexandrum norunt, notorium sit, zelantissimum Pontificem tenuisse communem opinionem reflexam, atque in moralibus eximium Suarianæ doctrinæ sectatorem fuisse. Alexander ergo non injunxit Generali Prædicatorum curam exterminandi doctrinam communem reflexam, sed solùm sollicitus fuit de doctrinis directis nimis laxis, quas exterminari voluit, easque ipsemet magnâ ex parte efficaciter exterminavit, damnando 45. ejusmodi opiniones. Quod si Alexander doctrinam reflexam nimis laxam credidisset, cur illam cum reliquis directis non damnavit? illa certè, non minùs quàm reliquæ, coram illius tribunali in examen venit, mansit tamen intacta, quia nemo ex Qualificatoribus, nec Alexander ipse existimavit doctrinam reflexam esse nimis laxam; imò certum est, omnes unanimiter existimasse eam esse

esse sufficientem conscientiæ regulam. Præterea ex dictis constat, quis fuerit Alexandri sensus de opinionibus, communi doctissimorum consensu & perpetuâ Catholicorum praxi confirmatis. Noluit ille tales doctrinas damnari, sed omnem earum censuram ut malam, & intolerandam rejecit.

Mercorus, Baronus & Gonet Celladeo adversantur.

24. Rursus quidquid illud sit, quod Pontifex Generali Prædicatorum injunxit, certum est, Mercorum, Baronum, Gonettum toto Cælo à sententiâ Celladei discrepare. Mercorus enim plurimas opiniones probabiles recenset in tertiâ parte, quas ut tutas proponit. Deinde concedit, unumquemque, qui bonâ fide ex motivo rationabili conscientiam format, esse tutum, etsi sectetur partem minùs tutam, & erret. Baronus in tantum videtur à communi sententiâ discrepare, in quantam novam affert probabilitatis definitionem; expressè enim fatetur, usum opinionis probabilis esse licitum, si illa tantùm sint probabilia, *quæ prudentem assensum fundant*: ita habet *disp.* 1. *sec.* 2. *art.* 2. §. 2. Verùm evidens est, omnem assensum probabilem esse prudentem, ut fusè ostendo *totâ quæst.* 2. *in tractatu de conscientiâ probabili*, in quâ circa finem *num.* 10. ostendo, definitionem Baroni esse prorsùs falsam & insufficientem. Præterea idem Baronus *disp.* 2. *sec.* 1. *ar.* 3. fatetur, licitum cuique esse sectari opinionem quamcumque verè probabilem, si nulla in contrarium probabilitas urgeat, talem enim opinionem, etsi erroneam, tutam reputat. Imò fatetur, licitum esse sequi opinionem longè probabiliorem, etsi aliqua probabilitas exigua in contrarium afferatur. Gonet docet, majorem probabilitatem ad conscientiæ securitatem sufficere. Ecce tres illi Dominicani adversantur Celladeo, qui omnem probabilitatem, imò & certitudinem existimatam pro regulandâ conscientiâ contendit esse insufficientem. Quorsùm ergo istos Auctores, aut Alexandri VII. exhortationem Generali Dominicanorum factam pro se adduxerit, non apparet, cùm illi omnes ipsi contrarientur ex professo.

Objectio 3

25. Objicit tertiò. Certum est, Alexandrum VII. sensisse doctrinam moralem esse nimis laxatam, quia de hoc expressè conqueritur in Decreto supra citato. Rursus nemo saltem hâc ætate de rigore doctrinæ conquestus est, laxiorem dolent universi. Hoc 45. propositiones laxæ proscriptæ, hoc ipsorum Sacrorum Ordinum justæ sanctiones testantur. Mutius Vitelleschius Soc. JESU Generalis ad Superiores pridem scripsit, ut caverent diligenter, ne sui in delectu opinionum eâ normâ uterentur, *Tueri quis potest, probabilis est, Auctore non caret*. Ita Celladeus *lib.* 1. *quæst.* 1. §. 7. ubi Mutio Vitelleschio prænominatum Prædicatorum Generalem cum tribus proximè citatis adjungit, & sic concludit. Hinc præter tot Auctores præclaros, sensum etiam habes circa ista probabilia & Romani Pontificis, & Generalium harum sapientissimarum Religionum.

Quis sit sensus Ordinis Prædicatorum circa probabiliû usum.

Respondeo inprimis, nil horum ad intentum facere, quia querelæ istæ solùm impetunt doctrinas directas nimis laxas, de reflexâ mentionem non faciunt, ut constat ex dictis. Quod si de sensu sapientissimæ atque doctissimæ Prædicatorum Familiæ sermo sit, illa non ex generali Alexandri VII. ordinatione, obscurè satis à Mercoro propositâ, sed ex antiquis illius Constitutionibus, & communissimâ Auctorum suorum sententiâ eruendus est. Constitutiones autem S. Dominici *in glosâ Prologi ad litteram* I. hæc habent. *Declaramus quod tria sint præcipuè, quæ salutem animarum impediunt.* Omitto duo priora. *Tertium est, austeritas in consiliis & opinionibus, terrentur enim homines in tantùm, ut salutem propriam negligant, quapropter relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Auctores verò ejusdem Ordinis omnes uno ore subscribunt benignæ sententiæ, si tres istos à Celladeo proximè citatos excipias; & quidem major longè pars in terminis expressis docet, usum opinionis minùs probabilis minùsque tutæ esse licitum; reliqui verò omnes id ipsum de majori saltem probabilitate apertè agnoscunt, à quibus illi tres, qui cæteris strictiores videntur, reipsâ parum aut nihil discrepant. Hic est sensus sapientissimi sanctissimique Ordinis, à quo Celladeus toto cœlo discrepat, cùm solus rigidissimam, atque austerissimam sententiam, in quâ unâ omnis rigidissimarum opinionum rigor comprehenditur, sectetur, neque ullum dicti Ordinis Auctorem ostendere possit, qui ipsi in præsenti quæstione principalique intento non contradicat. Libitum tamen fuit Celladeo lectori fucum facere, atque sensum tantæ familiæ ut sibi faventem venditare.

Sensus Societatis & R. P. Mutii Vitelleschii Celladeo côtrariatur.

26. Neque fœlicior est Celladeus in mente R. Patris Mutii Vitelleschii investigandâ; ille enim solùm agebat de delectu opinionum, quas à suis subditis eligi optabat. In hoc autem aliud non contendebat, quàm quòd Magistri Societatis novitates fugerent, & solidas, antiquas, communes, & benè fundatas doctrinas sectarentur, ad quod ipsæ eorum Constitutiones eos adstringunt. Siquidem *parte* 3. *Constitutionum cap.* 1. *ad litteram* O. Declarationes ita se habent. *Novæ opiniones admittendæ non sunt, & si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subjicere, ut in examine declaratum est*, in examine autem *cap.* 3. *num.* 11. qui admitti petit in Societatem interrogatur, *an habuerit, vel habeat opiniones ab iis differentes, quæ communiùs ab Ecclesiâ, ejusq; Doctoribus ab eâdem approbatis tenentur. Et si quando hujusmodi opiniones animum subierint, num paratus sit ad judicium suum submittendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate de hujusmodi rebus sentire oportere.* Hic sensus Sancti Patris Ignatii in suis Constitutionibus, qui nullum suæ familiæ idoneum reputat, qui singularibus opinionibus contra communem Doctorum Catholicorum sensum ita addictus est, ut non sit paratus ad sentiendum, sicut à Societate constitutum fuerit. Rursus Quinta Congregatio Generalis *Decreto* 41. in regulis pro delectu opinionum Theologicarum *num.* 3. hæc habet. *In iis etiam, in quibus nullum fidei, pietatisve periculum subest, nemo in rebus alicujus momenti novas introducat quæstiones, nec opinionem ullam, quæ idonei nullius Auctoris sit, iis qui præsunt inconsultis, nec aliquid contra Theologorum axiomata, communemve scholarum sensum doceat.* Hic est sensus tum Societatis, tum sacratissimi sapientissimique Ordinis Prædicatorum, quorum dictamina si Celladeus secutus fuisset, nunquam in re tanti momenti communem scholarum omnium sententiam deseruisset, novamque sibi contra omnes confinxisset, sed illi libuit Ordines illos laudare, atque eorum dictamina tanquam sibi faventia venditare, cùm tamen ab eorum præceptis in hâc singulari suâ opinione expressè recedat, atque è diametro illis contrarietur. Præterea minimè omnium citare debuisset

debuisset R. P. Mutium Vitelleschium, de quo ex dictis *num.* 6. constat, quòd jusserit, resolutionem probabilem semel factam à totâ Provinciâ Paraquariensi assumi pro uniformi regulâ operandi in re summi momenti, qualis illa erat, de quâ agebatur. Ergo R. P. Mutius non solùm in judicio suo, sed etiam in Ordinationibus suis prorsùs contrariatur Celladeo.

Rerum sui tẽporis notitia desideratur in Celladeo.

27. Respondeo secundò, non exiguam in hâc Celladei objectione eruditionem, ac rerum gestarum notitiam desiderari. Ait enim, *neminem hac saltem ætate de rigore doctrinæ conquestum esse*. Verùm hoc evidenter falsum est, sive de directâ, sive de reflexâ doctrinâ sit sermo. De reflexâ dubium nullum est, omnes enim, qui in defensionem doctrinæ reflexæ scripserunt, sunt autem plurimi, expressè queruntur, doctrinam moralem nimis restringi ab iis, qui negant licitum esse sequi opinionem practicè probabilem, quod adeo notorium est, ut Celladeus ipse in eâdem paginâ, in quâ dicit, *neminem hâc ætate de rigore doctrinæ conquestum esse*, fateatur plurimos contendere ac obtendere per rigidam sententiam viam salutis reddi difficiliorem, peccata multiplicari, pauciores salvari, &c. adeo parùm sibi constat, sibique apertè contradicit in iis, quæ immediatè inter se copulat, & nobis sub uno oculi obtutu legenda exhibet. De doctrinis etiam directis idipsum nimis notorium est. Alexander enim VII. plures integros libros Abbatis Sancirani, Episcopi Alctensis, & aliorum in Galliâ, qui renovare volebant antiquam, ut aiebant, severitatem pœnitentiæ aliosque rigores, condemnavit. Similiter plures assertiones rigidæ contra Regularium privilegia non ita pridem prodierunt, quarum duæ, cum aliis quatuor ad favorem Regularium pertinentibus, Alexandro VII. oblatæ fuerunt, ut suum de illis judicium, tanquam indubitatam rectè sentiendi regulam interponeret. Pontifex post diligentem rei inquisitionem declaravit duas illas propositiones, suppositis Privilegiis Apostolicis, nullam mereri censuram, quamvis alias quatuor gravi censurâ notarit. Prodiit Decretum 30. Jan. an. 1659. ut refert Fagnanus *in cap. ne innitaris, de constit. num. 339. propè finem*, eoque Decreto mandavit Pontifex, qualificationem & declarationem hanc suam à cunctis tenendam, & in praxi observandam esse. Ecce hâc nostrâ ætate opiniones non paucæ nimis rigidæ aut noviter prodierunt, aut è cineribus suscitatæ sunt, quas supremum Ecclesiæ Caput, auctoritate suâ interpositâ, explosione atque condemnatione dignas censuit. Porro mirum est, hæc tam notoria, tam recenter in omnium oculis gesta, & à scriptoribus recentissimis recensita, Celladeum latuisse. Latuerunt tamen, ut apparet, cùm oppositum pro explorato habeat.

Celladei cõtradictio.

Hac ætate plures nimis strinxerunt conscientias.

Incongrua exaggeratio Celladei, quæ illum premit nobis favet.

28. Demum adverto, mirum videri, quomodo vir Theologus, qui tres tantùm Auctores citaverat, concludere ausus sit his verbis magnificis, *hinc, præter tot Auctores præclaros, habes sensum Romani Pontificis & Generalium harum sapientissimarum Religionum*. Quis hæc legens non crederet, illum ingentem Auctorum numerum pro se citasse. Certum tamen est, quod trium tantùm mentionem fecerit. Præterea ex illis tribus nemo est, qui in principali quæstione ipsi apertè non contradicat; sicut etiam sensus Romani Pontificis, ac duarum illarum Religionum è diametro ipsi adversatur. Cæterùm miserrimum est illud arguendi genus, quod cum veritate applicari potest sententiæ, contra quam affertur, cùm opinioni, cui confirmandæ adhibetur, non nisi apparenter, impropriè, & cum intolerabili hyperbole applicari possit. Hoc tamen arguendi genere usus est Celladeus. Si enim ille pro suâ sententiâ confirmandâ pondus in eo posuerit, quod tot præclaros Auctores pro se habeat, cùm tres tantùm protulerit, quomodò non addetur majus pondus sententiæ, quam impugnat, quæ non solùm tres, sed absque exaggeratione trecentos Auctores præclaros, imò, demptis paucis, omnes omninò pro se citare possit? Præterea pauci illi reipsâ parum aut nihil à communi sententiâ discrepant, & nullus illorum est, qui Celladei opinationem non explodat. Cæterùm hæc Celladei exaggeratio faciliùs tolerari potuisset, si Auctoribus illis, sapientissimisque Religionibus singularissimam suam sententiam falsò non affinxisset. Verùm cùm in hoc aliis præjudicârit, ut sibi suæque opinioni auctoritatem conciliaret, id absque debitâ animadversione omitti non debuit.

29. Objicit quartò. Romani Pontifices nunquam usi sunt opinione practicè minùs probabili, esto secuti sint opinionem speculativè minùs probabilem. Dato enim, quòd in universali sit minùs probabile, Papam posse dispensare in matrimonio rato, tamen in raris illis casibus, in quibus dispensatum est, Pontifices habuerunt circumstantias, & causas particulares discordandi ab opinione universali, ob quas practicè probabilius erat dispensationes illas validè & potuisse, & fortè etiam aliquo modo debuisse concedi. Hac responsione dissolvuntur, quin & retorquentur quæcunque ex factis Romanorum Pontificum satis odiosè producunt aliqui Recentiores. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 17. §. 4. in fine.* qui similia repetit *lib. 3. quæst. 1. §. 2. in fine.* Ubi dicit, Romanos Pontifices, dispensantes in voto solemni aut in matrimonio rato, habuisse circumstantias aliquas, per quas universalis opinio, negans tales dispensationes esse validas, corrigitur, sicut lex universalis corrigitur per Epijkiam; sed quia dispensatio non fit per Epijkiam, quæ locum non habet in dubiis, ideo tunc necessaria erat dispensatio. Ita ille.

Pontifices non habuerunt peculiares circũstantias, ratione quarũ certificaretur de validitate dispensationis.

Respondeo, opinionem docentem, Matrimonium ratum à Papâ dissolvi non posse, ad omnes prorsùs circumstantias extendi, ita ut sensus illius sit, facultatem illud irritandi, seu in eo dispensandi in Papâ non residere, eò quòd in nullis prorsùs circumstantiis validè dispensare possit. Quòd hic sit sensus illius sententiæ est indubitatum. Hoc autem stante, repugnat ullas afferri circumstantias, quibus validitas dispensationis reddi possit probabilior ejusdem invaliditate; quia nil affertur in particulari, quod antea in generali non rejiciebatur. Et sanè, si ullæ tales circumstantiæ afferri possent, eo ipso opinio universaliter affirmans dispensationem talem esse invalidam esset falsa, majoremque suam probabilitatem perderet. Verùm nullæ ejusmodi circumstantiæ hactenus aut in particulari, aut in generali assignari potuerunt, quia, omnibus illis non obstantibus, opinio negans validitatem subsistit, nihilque de suâ probabilitate amittit, quamvis neget etiam in illis talem potestatem subsistere. Ergo nil in particulari affertur ad formandam conscientiam, quod antea non erat consideratum & rejectum ab opinione universaliter negante, potestatem Papæ ad tales circumstantias extendi. Ergo nil est per quod talis dispensatio

satio in particulari reddi possit practicè probabilior, si in universali, speculativè loquendo, sit probabilius Papam absolutè carere tali potestate pro omnibus circumstantiis. Itaque haud dubiè nulla est hæc Celladei responsio; idque non solùm juxta rei veritatem, sed etiam consequenter ad illius doctrinam, quia ille *tum in hâc quæst. tum alibi* expressè docet, quod judicium practicum particulare discrepare nequeat à speculativo seu universali, (hoc enim se intelligere nomine judicii practici & speculativi expressè declarat) nisi adsint rationes & circumstantiæ novæ, quæ in judicio universali formando non erant consideratæ & rejectæ. At omnia è contrario se habent in casu præsenti. Ergo, juxta Celladei doctrinam, Pontifices in datâ suppositione sequuti sunt opinionem practicè minùs probabilem, minúsque tutam. Quòd si res hæc non directè sed reflexè consideretur, & quæratur, non quid validè fiat, sed quid, stante opinionum directè enunciantium diversitate, Pontificibus liceat, utique assero, probabilius illis fuisse, se licitè dispensasse; verùm eædem rationes reflexæ æquè procedunt de omni opinione probabili directâ minùs tutâ, nec Celladeus contrarium persuadere poterit, donec aliquid in particulari attulerit, vi cujus ostendat, Pontifices habuisse aliquid peculiare talibus materiis appropriatum, quod aliis applicari nequit. Præterea ex historicâ narratione harum dispensationum, quam *quæst. 22. de conscientiâ probabili, num. 85 & seq.* relatam habes, constat nullas ejusmodi circumstantias peculiares intervenisse. Fucum ergo facit Celladeus, dum nullâ probatione allatâ sub terminis generalibus dicit oppositum contigisse.

Pontifices habuerunt majorē probabilitatem reflexam, quod dispēsatio esset licita.

30. Et sanè hoc argumentum, à praxi ac Doctrinâ Romanorum Pontificum desumptum, tam efficax est, ut illud solum benignæ sententiæ veritatem prorsùs evincat. Certè si talia pro sententiâ rigidâ afferrentur, ergo statim manus darem, atque illi, veritate cogente, subscriberem. Sed hoc indicasse sufficiat, quia æquus Lector ex ipsâ quæstionis hujus ponderatione id ipsum sufficienter intelliget. Quòd si quis desideret videre solutionem eorum, quæ alii ad eludendam Pontificum praxim, nobis nimis apertè faventem, attulerunt, adeat *quæst. 22. de conscientiâ probabili*, ubi à *num. 227.* omnia ejusmodi collecta & soluta inveniet.

QUÆSTIO NONA.

Vtrùm rigida sententia repugnet illi textui Sacræ Scripturæ, Iugum meum suave est?

1. QUOD benigna sententia conformis sit Sacræ Scripturæ, & fundamentum in illâ habeat, latè ostendi *quæst. 25. de conscientiâ probabili*, ubi plures textus attuli, & quæ in contrarium allata fuerant dissolvi. Inter reliquos autem textus, illum *Matt. 11. versu 30. Iugum meum suave est, & onus meum leve:* ponderavi, & ex illo aliisque idem exprimentibus communem sententiam stabilivi. At Celladeus *lib. 1. quæst. 2.* vehementer insurgit in eos, qui nituntur hoc textu, quod ideo se facere testatur, ut in exordio suæ disputationis removeat argumentum, quod in omnium ore versatur, & ubique obtruditur. Itaque ut hoc argumentum convellat, duo conatur ostendere. Alterum est, legem Christianam, ejusque facilitatem non à rebus præceptis, sed aliunde esse sumendam. Alterum est, paradoxum prorsùs incredibile, & communi omnium experientiæ contrarium, nempe benignam sententiam non reddere Christi legem leviorem, sed eam efficere longè graviorem, quàm eam reddat sententia rigida. Quocirca ut paradoxum hoc falsitatis convincatur, examinandum est, quæ & quanta sit difficultas legis Christianæ, ex cujus quæstionis determinatione apertè constabit, benignam sententiam ex citato Sacræ Scripturæ textu validè comprobari. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Nil aptè dici potest onus grave vel leve, nisi priùs determinetur status aliquis virium, cum quibus onus comparetur.

Nil est grave aut leve nisi respectū virium determinatè sumptarū.

2. PROBATUR. *Onus grave & leve* sunt denominationes relativæ, non absolutæ; nam pondus, quod puerum opprimit, viro robusto est levissima sarcina. At denominationes relativæ intelligi nequeunt, nisi fundamentum quod refertur, & terminus ad quem refertur, proponantur. Ergo nil aptè dici potest onus grave vel leve, nisi vires determinentur, cum quibus onus comparetur. Itaque impossibile est ritè intelligere ac determinare, utrùm lex Christi sit onus leve vel grave, nisi consideremus naturam humanam in aliquo statu determinato, & conveniamus quænam sint vires naturæ in illo statu consideratæ.

ASSERTIO II.

Stabilito statu naturæ, viribusque illi statui convenientibus determinatis, gravitas legis aliundè desumi non potest, quàm à rebus ipsis, quas lex præscribit.

Stabilitis viribus naturæ convenientibus, gravitas legis à solis rebus præceptis desumitur.

3. PROBATUR. Quamdiu vires sumuntur in mensurâ determinatâ, repugnat quidquam esse grave aut leve respectu illarum, nisi denominatio illa compleatur per res ipsas; quia solæ res sunt

sunt correlativæ ad vires in ordine ad hoc, ut respectu potentiæ, cum quâ comparantur, dicantur graves, vel leves. Sic onus leve respectu viri, potest esse grave respectu pueri. Idem valet in moralibus, ut patet. Quod enim ita comparatum est ad vires, ut absque magnâ difficultate feratur, dicitur onus leve; quidquid autem à viribus illis absque notabili conatu & labore ferri non potest, est & dicitur grave. Errat proinde Celladeus, dum ait, gravitatem ac levitatem legis Christianæ non à rebus ipsis, sed aliunde desumi. Errat, inquam, quia ut intelligibiliter uti possimus terminis istis, *grave & leve*, vires statui alicui convenientes determinandæ sunt. At, iis semel taxatis, gravitas & levitas non aliunde quàm à rebus desumi potest.

ASSERTIO III.

Propositum sit explicare, quibus lex Christiana sit dura & gravis, ac quibus prorsùs importabilis.

Lex Christiana superat vires naturæ lapsæ.

4. INPRIMIS natura lapsa, sumpta secundùm vires tali statui proprias, adeo debilis est, ut sit moraliter impotens ad totam legem naturalem diù servandam. Immò præ suâ debilitate nulli tentationi violentæ absque divinæ gratiæ auxilio resistere potest. Ergo à fortiori natura lapsa impotens est ad legem Christi servandum, utpote quæ, præter totam legem naturalem, involvit præcepta circa actus supernaturales, ad quos natura lapsa ex se est physicè impotens. Hæc certa sunt ex tractatu de necessitate gratiæ contra Pelagianos.

Lex Christi gravis est omnibus qui vitiis se dedunt.

5. Secundò lex Christiana gravis est illis omnibus, etiam fidelibus, qui peccata peccatis addentes, absque Dei timore illicitis naturæ corruptæ desideriis se tradunt. His enim, tum ob pravum habitum contractum, tum ob carentiam uberis auxilii in pœnam peccatorum communiter inflictam, admodùm difficile est, non dico legem servare, sed vel seriò proponere se ampliùs non peccaturos. His adjungi debent omnes in proximâ peccandi occasione constituti, illis enim difficillimum est, & moraliter impossibile non labi, nisi extraordinariis gratiæ auxiliis roborentur.

Item iis, qui voluptatibus licitis valde addicti sunt.

6. Tertiò. Lex Christiana, prout non solùm præcepta sed etiam consilia complectitur, valde difficilis est illis, qui multùm voluptatibus etiam licitis addicti sunt. Hisce voluptatibus magnâ ex parte privari debent, qui consilia sectantur. At sine dolore & magnâ difficultate non amittitur, quod cum amore possidetur. Unde homines ejusmodi prorsùs inepti sunt ad consilia sectanda, nisi priùs affectiones suas mutent, & animum à rebus caducis avocent. Porrò quò magis aut minùs fideles istiusmodi affectionibus gravati fuerint, eò tum præcepta tum consilia illis faciliora vel difficiliora evadunt.

Lex Christi gravis est homini inferiori, id est, carni & sanguini.

7. Demum lex Christiana, maximè prout etiam consilia complectitur, est onus grave carni & sanguini, seu homini inferiori, quia ejus propensionibus in omnibus fermè contrariatur. An non durum est carni & sanguini voluptates omnes abjicere? Christum nudum sequi? Vitam omnem sub continuo mortificationis jugo transigere? *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* teste Apostolo, ad *Gal. 5. 24.* At carnem voluptatibus, ad quas propendet, violenter privari, ab illis quasi camo & fræno retrahi, & in contrarium adactis, ut ita dicam, calcaribus propelli, imò & cum concupiscentiis ipsis crucifigi, durum est carni & sanguini, ut patet. Quod certè verissimum est etiam in iis, qui fervore spiritûs, ac superioris hominis robore hæc omnia parvi pendunt, & quodammodò pro nihilo reputant. Sed quia in talibus pars superior longè prævalet, ideo onus legis simpliciter evadit illis leve, quia cum dulcedine quâdam spirituali impletur, quamvis impletio illius carni ac sanguini, hominique inferiori sit valde dura ac molesta.

8. Porro, ut tam ista, quàm sequens assertio meliùs percipiatur, notandum est, præcepta legis Evangelicæ dupliciter sumi posse ac debere. Primò relatè ad difficultates, quæ per se juxta consuetum humanæ vitæ cursum interveniunt, omnesque etiam probos frequenter molestant. Secundò relatè ad difficultates extraordinarias, quæ solùm per accidens eveniunt. Tales sunt difficultates à propriâ vel alienâ voluntate aut malitiâ provenientes. A propriâ malitiâ provenit, homines pravis habitibus debilitari, terrenarum voluptatum amore absorberi, atque sæpe etiam peccandi occasione illaqueari. Ab alienâ malitiâ homines sæpe gravissimis tentationibus urgentur. Quot omni virtutum laude conspicui, aut gravibus tormentis fracti, aut blando voluptatum lenocinio victi, primò pietatem, mox etiam fidem abjecerunt? Cæterùm difficultates istæ per accidens se habent ad legem Christianam, quia plurimi totam absque illis vitam transigunt, cùm tamen nemo consuetas difficultates ac tentationes absque extraordinariâ Dei protectione evadere possit. Hâc ergo distinctione positâ. Sit.

Difficultas legis servandæ, alia per se, alia per accidens.

ASSERTIO IV.

Lex Christiana, præcisè secundùm se sumpta, est onus leve respectu fidelium, qui omnium virtutum, & potissimè perfectæ charitatis exercitio incumbunt. At, sumpta cum difficultatibus per accidens connexis, est onus valde grave, quod nullâ præviâ virtutum exercitatione reddi potest leve.

9. PROBATUR. Prima pars est expressa mens Augustini multis in locis, quorum plures Celladeus benè expressit: non est opus loca afferre, tum quia de rei veritate constat, tum vel maximè quia omnes omnino SS. PP. & Theologi mystici ita sentiunt. Prætereà ratio id ipsum evincit, quia proprium est virtutis promptè & delectabiliter operari in rebus, ad quas virtutis motivum extenditur. Consonat etiam experientia, quia ferventes Christiani longè faciliùs ferunt jugum Christi, quàm qui eò solùm collimant, ut mortalia peccata vitent. Ratio est, quia priores ob exercitium fidei peculiari claritate percipiunt, nil caducum esse amore dignum. Unde dum spe ad bona æterna anhelant, Deumque ferventer diligunt, omnia illis facilia videntur præ magnitudine tum amoris erga Deum, quem diligunt, tum præmii promissi, quod firmiter sperant. Si enim Jacob ob Rachelis amorem tam libenti animo septem annis duram servitutem servierit, ut *viderentur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Gen. 22 20.* Quid mirum, si fervens æternorum,

Lex Christi per se loquendo, est onus leve fidelibus piè viventibus.

norum, maximè verò Dei ipsius super omnia amor, spesque firmissima æternæ beatitudinis omnes consuetas hujus vitæ difficultates pro nihilo reputet?

Lex eadem per accidens gravis est etiam ferventissimis.

10. Probatur secunda pars. Experientiâ nimis dolendâ constat, homines omni virtutum exercitio insignes, tot ab alienâ malitiâ difficultates passos fuisse, ut illis, præ difficultate eas superandi, cesserint. Talia sunt bonis omnibus propter fidem aut alias virtutes spoliari, tormenta acerbissima, ac martyria diuturna potiùs pati, quàm peccare, aut fidem vel apparenter negare. Quot ferventissimi Christiani, longâ malorum perpessione fracti, hoc sæculo in Japoniâ ceciderunt? Christianitatem illam tanto fidei zelo, tantoque charitatis ardore toti mundo conspicuam, quam prorsùs insuperabilem sperabamus, gravissimâ diuturnæ persecutionis mole obrutam fuisse, & jam quodammodò extinctam jacere ingemiscimus. Quod si aliqui steterint usque ad lentam pœnosissimamque mortem tolerandam, id singularissimo, longeque extraordinario gratiæ auxilio de novo concesso, non facilitati ex fervore pristino acquisitæ tribuendum est. Et sanè Christus ipse, de diuturnâ sævæ persecutionis molestia loquens, apertè fatetur, eam esse moraliter insupportabilem, nisi singularissimis præsidiis homo fulciatur. Quid enim aliud expressit, cùm dixit *Matth. 24. 22. Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Verùm difficultates istæ per accidens se habent ad legem ut patet. De illis ergò amplius agendum non est, quia per accidens se habent, & parum aut nil conducunt ad præsentem quæstionem, quæ procedit de difficultate legis Christianæ per se acceptæ, seu de difficultate, quam ex se communiter affert fidelibus, communibus gratiæ auxiliis roboratis. Interim hoc semper fixum in mente manere debet, quòd levitas oneris nostri, nullatenus haberi aut intelligi possit, nisi per res præceptas cum viribus, quibus instruimur, comparatas.

ASSERTIO V.

Lex Christiana per se sumpta, si comparetur cum viribus justificatorum, est onus moraliter portabile, & simpliciter loquendo leve.

Lex Christi est onus portabile & simpliciter leve, respectu justificatorum.

11. PROBATUR ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 11.* ubi hæc habentur. *Nemo temerariâ illâ & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti audeat, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia, nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve. Qui enim sunt Filii Dei Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus, quod utique cum divino auxilio præstare possunt.* Et infra, *Deus namq; suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Hinc sic arguo. Hæc doctrina Concilii omnibus & singulis justis convenit. Ergo singulis dantur vires, quibus præcepta Dei sunt moraliter portabilia, & onus simpliciter loquendo leve. Immò auxilia seu vires istiusmodi debentur illi statui, ideoque juxta legem ordinariam negari non possunt. Alioquin Deus quodammodò dici posset deserere justum, antequam ab eo deseretur. Quomodò enim non aliquo modo desereret justum & amicum suum, si ipse per se onus illi imponeret, aut moraliter importabile, aut certè quòd absque valdè magnâ difficultate portari non posset?

12. Præterea: Concilium dans rationem, cur justi servare possint legem, non solùm dicit mandata Dei non esse impossibilia, sed expressè asserit, *illa non esse gravia.* Sed *onus leve.* Quia scilicet diligentibus Deum datur auxilium, quo onus illud ferre possunt, & quidem absque magnâ difficultate, alioquin onus esset grave. Hoc applicatur omnibus justis. Ergo ubi dicitur, justos Christum diligere, aut solùm, aut principaliter sermo est de dilectione habituali, quia plures justificantur per Sacramenta, absque eò quòd Deum perfectâ charitate actuali diligant. Certè locus non potest intelligi de frequenti ac ferventi charitatis exercitio, quia nemo justificatorum statim ab initio suæ justificationis diu ac ferventer se in talibus actibus exercuit, multique longo tempore vivunt justi, qui raró talibus actibus se exercent. His tamen omnibus lex Christiana non est gravis, sed onus leve. Ergo Tridentinum sentit, levitatem oneris, quod justi portant, non à solo frequenti charitatis ac virtutum exercitio, sed aliunde haberi, quia mandata ab ipso justificationis initio non sunt gravia, sed onus leve, alioquin Deus dilectis suis amicis ac filiis legem dedisset, cujus observatio esset onus grave. Ergo mandata Dei essent ipsis justis simpliciter gravia, nec fierent levia, nisi postquam diu cùm gemitu ac labore valdè arduo servarentur. At hoc repugnat infinitæ bonitati Dei, qui est amantissimus Pater. Repugnat dicto illi Spiritûs sancti, *1 Ioan. 5. mandata ejus gravia non sunt*, quod videtur simpliciter intelligendum. Repugnat verbis Salvatoris dicentis, *onus meum leve.* Demum repugnat Tridentino, quod universaliter loquitur de omnibus justis, cujus proinde doctrina ac definitio multis convenit, qui diu multumque in charitatis perfectæ exercitio nondum se exercuerunt. Errat ergo Celladeus, & his omnibus contrariatur, dum ita asserit, levitatem legis Christianæ à frequenti charitatis exercitio dependere, ut eam à charitate habituali raró operante, aliisque virtutibus non diu multumque exercitatis haberi neget.

Lex Christi levis est absque diuturno & ferventi charitatis perfectæ exercitio.

13. Demum illa Dei increpatio; *quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Isaiæ 5. 4. aliæque similes locutiones id ipsum suadent. Nónne incuriè satis coleretur ille justus, illique manu parum liberali provideretur, qui mediis careret, sine quibus absque ingenti difficultate suam justitiam conservare non posset. Profectò si aliter se res haberet, interrogationi illi responderi posset, viam salutis adeo justis complanari debuisse, ut sine magnâ difficultate per eam incedere absque deviatione possent; legem dari debuisse, quæ non solùm non esset onus grave, si diu ferventerque portaretur, ut vult Celladeus, sed quæ non esset onus grave, ut à justis portaretur. Ergo via justorum ita de facto complanata fuit, atque lex illis data non solùm est levis, si diu lubenterque portetur, sed illa ipsa non est illis gravis, ut portetur, alioquin Christus eos vocasset ad legem simpliciter illis valde gravem, & non ad libertatem. Cæterùm in sensu Celladei lex Christi paucis valde esset onus leve, quia valde pauci frequenti illa ac ferventi charitatis, aliarumque virtutum praxi se exercent, quæ tamen ad legem facilem reddendam per ipsum est necessa-

Opinio Celladei de levitate legis repugnat S. Scripturæ & Con Tridentino.

necessaria. At nec Christus talem legem vocasset onus leve, nec Apostolus unquam dixisset, legem ejusmodi non esse gravem, lex enim respectu Communitatis sumitur, quia ad illam refertur, cùm eam obliget. Ergò lex falsò diceretur levis, si respectu communitatis esset gravis, imò gravissima, ut vult Celladeus, quamvis respectu paucorum, qui multo nisu gravitatem superassent, facta esset levis.

ASSERTIO VI.

Lex Christiana, omnibus fidelibus eam acceptantibus, simpliciter & per se loquendo levis est, sive justi sint, sive nondum justificati. Propositum autem sit explicare, in quo levitas legis Christianæ consistit, & à quo habeatur.

Lex Christi simpliciter loquendo levis est omnibus fidelibus eam acceptantibus.

14. PROBATUR primò ex dictis. Christus vocavit omnes ad legem, cujus onus leve est, & cujus præcepta simpliciter non sunt gravia. Ergo lex illa per se loquendo simpliciter talis est omnibus, qui eam per fidem acceptant, alioquin ipsi collum subdidissent legi simpliciter gravi, ac respectu virium illis datarum portatu difficili, quod auctoritatibus allatis repugnare videtur.

15. Probatur secundò. Illa lex est facilis, quæ præbet media facilia, quibus omnes difficultates communiter occurrentes facilè superari possunt. Talis est lex Christiana omnibus fidelibus eam acceptantibus, quia exercitium fidei & spei non est difficile. Non fidei, quia teste Davide *Psal. 92. 5. Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis.* Non spei, quia arduum non est concupiscere beatitudinem, & abhorrere ab æternâ miseriâ, quando fides certò proponit utramque per talia determinata media citra ingens incommodum obtineri posse, & sine illis non posse obtineri. Exercitium autem fidei & spei, omnia planè facilitat, quamvis non exercentibus se in illis ea appareant, & sint difficillima, aut etiam impossibilia. Patet hoc. Per fidem proponitur nobis, quod absque fugâ peccati, & virtutum exercitio non possimus æternam ac insupportabilem miseriam vitare, quódque sine virtutum exercitio æternam beatitudinem consequi nemo possit, quam tamen infallibiliter consequetur, qui legem servat, vitando malum, & bonum prosequendo. Hoc modo certificati per fidem de magnitudine pœnæ ac præmii æterni, quorum alterum ex necessitate inevitabili subeundum est, facilè est per spem ferri in bonum æternum, illudque nobis amare; in quo si hæreat quis, difficultatemque sentiat, est quia nondum se exercuit in fide, nec per fidem apprehendit ista ut inevitabilia. At, posito semel amore æternorum bonorum, & odio malorum similiter perennium, alia omnia facilia evadunt. Quid difficilius in lege Christianâ, quàm peccata homini confiteri? quàm inimicos diligere? Ista tamen facilia sunt homini exercenti se in fide ac spe. Per fidem scimus, aliud peccatorum remedium non esse præter integram eorum Confessionem. Per fidem necessitas absoluta hujus remedii proponitur, nam damnandus est ad æterna supplicia, æternâque beatitudine privandus, quicumque hoc remedio uti noluerit. Similiter per fidem certò credimus, Deum nobis peccata nostra minimè condonaturum, nisi nos inimicis nostris offensas dimittamus. Matth. 6. 15. *Si non demiseritis hominibus: nec Pater vester demittet vobis peccata vestra.* Mercatori pecuniis inhianti difficillimum est merces gratis donare: fac tamen eum tempestate jactatum de vitâ certò periclitari, nisi navis onere mercium sublevetur; non ampliùs durum illi est merces in profundum ejicere, ipse primus est, qui manum admovet, quique alios ad ipsum animat. Quod eò libentius facit, quò certiùs apprehendit, se hâc ratione evasurum, cùm sciat aliam viam se salvandi non superesse. Qui scit se inevitabiliter collocatum inter duo mala collectivè inevitabilia, facilè amplectitur minus, si per hoc spes elucescat, & multò magis si certò sciat, hâc ratione majus malum esse evitandum. Evasio majoris mali dulcescere facit perpessionem mali minoris. At fides certò proponit, nos in his ipsis circumstantiis versari, nam si peccata debitè confessi fuerimus, remittet illa Deus, qui etiam promisit se peccata remissurum iis, qui hominibus condonant. *Dimittite, & dimittemini. Lucæ 6. 37.* clariùs & expressiùs idem traditur Matth. 6. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Itaque nec peccatorum Confessio, nec inimicorum dilectio difficilis esse potest illi, qui se in fide exercet; nil enim ex communiter occurrentibus ulli difficile est, sine quo scit æternam miseriam vitari non posse, & per quod firmiter tenet, se bonum incomparabiliter majus obtenturum. Augetur autem facilitas, si per spem talia bona frequenter amemus, & in eorum desiderio ac expectatione nos exerceamus. Ergo lex Christiana levis est, cùm facilia media præbeat, per quæ difficillima quæque facilitantur.

Exercitium fidei & spei omnia facilitat, etiam ea quæ censentur gravissima.

16. Probatur tertiò. Ex sacrâ Scripturâ, quæ justorum vitam & victoriam fidei ac spei attribuit. *Justus ex fide vivit Rom. 1. 17.* Universalis autem difficultatum victoria fidei tribuitur à S. Paulo *ad Hebr. 11.* incipiendo enim à fidei definitione, dicit illam *esse sperandarum substantiam rerum argumentum non apparentium.* Et mox inductione factâ ab origine mundi expressè docet, Justos, in sacrâ Scripturâ memoratos, per fidem mirabilia & ardua virtutum opera perfecisse: & tandem *à versu 33.* post recapitulationem omnium Sanctorum antiquorum & Prophetarum, qui plurima passi sunt, sic concludit: *Per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, &c.* tum enarrat tormenta, quæ passi sunt, atque tandem concludit, *eos omnes testimonio fidei probatos fuisse.* Et sanè haud dubiè per claritatem ac firmitatem fidei bona majora proponentis fortitudinem ac robur acceperunt, atque etiam adepti sunt in plurimis magnam facilitatem & alacritatem.

Sacra Scriptura difficultatû victoriâ fidei attribuit.

17. Quòd si fidei certæ spes & amor æternorum accedat, mirum quàm facilia evadant objecta carni ac sanguini durissima. Christus ipse, teste Paulo *ad Heb. 12. 2. proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Et sanè tantus est excessus bonorum æternorum, ut quidquid in hâc vitâ durum occurrit, momentaneum ac leve reputetur respectu futurorum bonorum, quæ parata sunt iis, qui hujus vitæ miserias patienter tolerant. Audi Apostolum *2. Corinth. 4. 17. momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce omnia hujus vitæ incommoda, omnesque difficultates pro nihilo habentur ab eo, qui æternis inhiat, quibus acquirendis temporalium perpessio viam parat.

Spes facilitatem hanc plurimum auget.

parat. David etiam apertè declarat, quàm facili & hilari animo inclinaret cor suum ad obedientiam mandatorum Dei, propter spem retributionis à Deo faciendæ. *Psal. 118 112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

Aug. levitatem legis fidei & spei attribuit.

18. Idem expressissimè ac fusè tradit Augustinus *sermone 9. de verbis Domini*, in quo explicat ex professo illud Christi, *jugum meum leve est, & sarcina mea levis* (sic enim ille legit.) Dicit ergo quosdam mirari hoc dictum, cùm Christus videatur homines non à labore ad quietem, sed à quiete ad laborem vocasse. Quia omnes, *qui volunt in Christo piè vivere persecutionem patientur.* Vocavit etiam otiosos in foro ad laborandum in vineâ, ut ferrent æstum diei. Tum enumerat patientiam, tribulationem, necessitates, angustias, & plagas Pauli Apostoli, quæ tamen asserit fuisse sarcinam levem ob fidem, & spem bonorum æternorum. *Aderat*, inquit Augustinus, *illi Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & gustatâ requie spirituali in affluentiâ deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Ecce quàm suave jugum Christi portabat, & quàm levem sarcinam: ut omnia illa, quæ superiùs enumerata dura, & immania omnis auditor inhorrescit, levem tribulationem diceret: intuens interioribus, & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, sed sine ulla sollicitudine perfrui æternâ fœlicitate justorum.* Tum ponit exempla ægrorum, militum, nautarum, aliorumque, qui propter spem & amorem bonorum temporalium, magna quæque & asperrima cum gaudio tamquam levissima patiuntur, & sic concludit; *sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva, & immania prorsùs facilia, & ferè nulla facit amor. Quantò ergo certiùs ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur qualibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitiâ dixit, non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis.* Alia in eundem sensum subjungit, ex quibus perspicuum est, levitatem oneris legis Christianæ ab Augustino referri in fidem ac spem, per quas certò cognoscimus, certoque expectamus, ac amamus æterna bona, quæ quia sine temporalium malorum perpessione haberi non possunt, ideo præ amore æternorum temporalia quæque contemnuntur ut exigua, & pro nullis reputantur. Unde patet quàm longè dissideat Augustinus à Celladeo, qui facilitatem jugi nobis impositi non in aliud, quàm in exercitium frequens perfectæ charitatis referri contendit, & quod plus est pro se Augustinum allegat. Sed Augustinus longè aliter sentit. Facilitas enim & levitas ista ab Augustino in fidem & spem rejicitur, quibus si accedat perfecta charitas, sarcina legis Christianæ non solùm levis evadit, sed fit suavis prorsùs ac delectabilis. Hoc secundum ita perfectæ charitatis exercitio convenit, ut primum antecedenter ad illud per fidem, & spem habeatur, imò & secundum per spem præstetur, licet in gradu inferiore, quàm per charitatem.

Augustinus Celladeo contrariatur.

19. Ex his patet, levitatem legis Christianæ consistere in auxiliis gratiæ divinæ, quæ Deus omnibus ejus doctrinam acceptantibus, & eam ferre conantibus concedit. Gratia possibile reddit, quod naturæ corruptæ, quod carni & sanguini durum est & impossibile; idem autem oculis fidei leve videtur & nullum, atque ideo per fidem redditur facile. Quod si idem per spem desideretur, ametur, & ferventer expectetur, per hoc ipsum res illa non solùm evadit facilis, sed etiam aliquo modo delectabilis. Et quidem hâc ratione per exercitia facilia, dura omnia redduntur mollia, atque homo disponitur ad Deum ipsum perfectâ charitate amandum, quod ex se omnium præceptorum maximè arduum est & difficile, ut fiat; & tamen per fidem & spem facile redditur. Charitate autem semel elicitâ, per illam homo fortificatur, & omnia legis onera faciliora & suaviora fiunt. Cæterùm ad ista omnia facilitanda, fidei ac spei oratio adjungenda est, quâ Dei opem humiliter postulemus, quod est etiam exercitium facile, per quod vires impetrantur, quibus durissima quæque absque magno labore tolerari queunt. *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.* Ut supra dictum est ex Tridentino.

Exercitia in quibus legis facilitas consistit.

20. Neque tamen hæc ita accipienda sunt, quasi omnem difficultatem tollant à lege; non ita est, illa semper est difficilis, semper carni ac sanguini, totique homini interiori dura. Sed ita accipienda sunt, ut quamvis caro semper maneat infirma, atque in multis non parùm reluctetur, spiritus tamen per gratiam, mediantibus dictis exercitiis, promptus evadat, fiatque superior illis difficultatibus, atque eas comparatione æternorum parvi pendat, quamdiu ab æternorum amore ac desiderio non desistit. Cæterùm in illo ipso fidei ac spei exercitio aliqua difficultas sentitur, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sap. 9. 15.* & terrena, oculis semper subjecta, avocant mentem à cælestibus & futuris, quæ non videntur. Rursus post mentem in fide ac spe exercitatam adhuc difficultas manet in operis boni executione; unde simpliciter loquendo via virtutis difficilis est, & ita quidem ut Paulus de ipsis Apostolis *ad Rom. 8. 23.* dixerit, *nos ipsi primitias spiritûs habentes; & ipsi inter nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.* Nihilominùs lex Christi simpliciter dicitur onus leve, non quòd onus non sentiatur, sentitur enim, alioquin onus non esset, sed quia vires spiritui collatæ superant onus, adeo ut cum superioritate animi, & quâdam spiritus quiete ac voluptate ferri possit, etiam carne reluctante.

Lex semper est difficilis carni & sanguini.

21. Difficultas itaque legis non opponitur levitati oneris, sed præsupponitur, quia in illâ ratio oneris consistit, ut patet. Cæterùm hæc difficultas eò minor evadit, seu eò faciliùs superatur, quò quis in fide & spe, ac humili oratione magis se exercet. Sed quia lex ad communitatem refertur, & pauci sunt, qui valde sedulò se in istis exercent, ideò pauci sunt, à quibus difficultas legis servandæ notabiliter non sentiatur, & consequenter onus legis gravius est majori parti, quàm illis, qui ad virtutum exercitium diligenter incumbunt. Nihilominùs omnibus non planè pigris & negligentibus, sed mediocri saltem diligentiâ conantibus, & se aliquando in fide ac spe atque in oratione humili exercentibus, lex Christiana simpliciter est onus leve per se loquendo, quia

Difficultas legis non opponitur levitati oneris.

quia vires talium superant onus, ut dictum est. Quòd si quis *concupiscentiis carnis, quæ militant adversus animam*, indulgeat, aut in peccato sordescat, nec curet se in gratiam restituere, sed voluntariè remaneat in statu peccati, aut omne ferme exercitium fidei, spei, ac orationis negligat, tribuat sibi, si gravetur hoc onere, & succumbat, quia absque magnâ difficultate poterat vim oneris superare, sed noluit. Itaque lex Christiana omnibus simpliciter eam acceptantibus est onus leve, per se loquendo, quia vires superiores onere omnibus dantur, omnesque absque magnâ difficultate adhibere possunt media, quibus oneri ferendo evadant superiores, idque jam multò magis, quàm ante Christum, quia nunc fides est clarior, & bona æterna promissa majora sunt, & clariùs proposita. His positis, superest videndum, an & quomodo benigna sententia ex citatis sacræ Scripturæ locis stabiliri possit. Quod ut fiat. Sit.

ASSERTIO VII.

Doctores suis interpretationibus reddere possunt legem gravè & importabilem.

Nulla est lex à Deo hominibus data, quam Doctores ipsius, opinionibus, præceptis, ac interpretationibus suis, non possint reddere graviorem, ac humano modo importabilem.

22. PROBATUR ex *Matth. 23. 4.* ubi Christus reprehendit Scribas & Pharisæos dicens: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Hoc est (inquit Cornelius à Lapide in interpretatione hujus loci) *multitudine, magnitudine, & gravitate præceptorum, ac tributorum populum onerant, deprimunt, & penè opprimunt.* Porrò quòd onera illa dicantur *importabilia*, solùm significat ea fuisse valde difficilia ad portandum, si enim prorsùs impossibilia fuissent, subditos non obligassent, quia nemo obligatur ad impossibile. Quod si quæras, quænam fuerint hæc onera. Audi Cornelium citatum. *Talia erant, rigidæ legis interpretationes, ac insuper plurima alia, quæ præter legem ipsi præcipiebant populo, circa oblationes, decimas, primitias, &c. quæ ipsi rigidissimè à populo exigebant. Tam rigidè Sabbati observationem præscribebant, ut nec Christum ægros curare, nec famelicos ejus discipulos spicas vellere, & comedere permittebant.* Hinc sic arguo: Scribæ & Pharisæi interpretationibus, præceptis, ac traditionibus suis legem Dei, à Moyse traditam, longè graviorem, ac humano modo importabilem reddiderunt. Idem evenire potest in omni lege, si Doctores illius eam in populo exponant, sicut Scribæ & Pharisæi legem Moysis interpretabantur. At certum est, Doctores cujusvis legis posse à munere suo deficere, Scribarumque rigorem imitari. Ergo nulla est lex à Deo tradita, quam Doctores illius non possint suis doctrinis reddere difficillimam, & moraliter humano modo importabilem.

Idipsum inductione probatur.

23. Probatur secundò experientiâ, per omnes ætates continuatâ. Numquam defuerunt in Ecclesiâ, qui aut nimio zelo decepti, aut lucri spe, vel certè existimationis atque æmulationis æstro perciti, tales interpretationes, atque præcepta legi, ut aiebant, consona, & ex eâdem consectaria, statuerunt, ut illam gravissimam ac intolerabilem redderent. Quidam ab Ecclesiæ exordio contendebant, circumcisionem Evangelio jungendam. Hoc S. Petrus *Act. 15.* vocat jugum, *quod nec ipsi, nec ipsorum Patres portare potuerant.* Alii nuptias illicitas esse prædicabant, alii pœnitentiam lapsis negabant. Quid plura? nuperrime vidimus plures in Galliâ, zelo nescio quo, libros scripsisse, quibus antiquam, ut aiebant, severitatem restituere, moresque reformare intendebant. Verùm onera imponebant durissima, quæ ne tandem importabilia evaderent, Alexander VII. prudenter cavit, dum librorum illorum lectionem, ac retentionem severissimè interdixit.

ASSERTIO VIII.

Lex Christiana, præceptorum ac legum Ecclesiasticarum adjectione, facta est difficilior, quàm esset tempore Apostolorum, aut cùm primum promulgata est.

Lex Christi gravior est nunc, quàm esset ab initio Ecclesiæ.

24. PATET assertio. Ab initio, præter fidem explicitam Christianæ legis, & necessarium Sacramentorum usum, nil obligabat sequaces Christi, exceptis iis, quæ lege naturæ omnibus erant communia, si dilectionem inimicorum, & alia fortè paucula (si tamen illa etiam ad legem naturæ quoad strictam obligationem non pertinerent) exceperis. Hæc erat libertas Evangelica omnibus proposita, quæ quidem pro onere levi meritò proposita est iis, qui à lege veteri ad Christianam accedebant; à servitute enim ad libertatem transire videbantur, si res in utrâque lege præceptæ compararentur; idque multò magis verum erat, si vires utrique statui ac legi determinatæ in comparationem venirent. At nunc tot abstinentiæ ac jejunia, tot onera ac præcepta, tot censuræ & inhabilitates, tot leges & canones, tot restrictiones & exceptiones paulatim adjectæ sunt, ut difficillimum sit, viros doctos, etiam post diuturnum studium, ea omnia mente complecti, nedum opere complere. Quot dubia & perplexitates in animis tam Confessariorum quàm pænitentium quotidiè experimur circa onera juris humani, de quibus ab Ecclesiæ exordio nulla erat mentio. An hæc & hisce similia nullam observandi difficultatem secum ferunt? Nugæ. Quis non videt, levius esse onus illorum, qui, cæteris paribus, paucioribus præceptis obligantur? Quis secum severiùs agi, quàm cum reliquis non putaret, qui præter communia omnibus onera, ad quotidianum jejunium, aut verberationem ex præcepto singulariter & solus obligaretur?

Confirmatur ratione.

25. Probatur secundò. Lex à Christo tradita, ex novorum præceptorum additione, evadere potest difficillima, & moraliter importabilis, ut constat *ex assert. 7.* At hoc fieri nequiret, nisi additio præceptorum eam difficiliorem redderet; non enim aliunde provenit importabilitas ex præceptorum additione, quàm ex difficultatis argumento, absque eo quòd vires oneri ferendo proportionaliter augeantur. Ergo cùm innumera nova præcepta legi à Christo latæ addita sint, haud dubiè legem Christianam difficiliorem reddiderunt, quàm esset ab initio, quia præceptorum novorum additio novas vires oneri proportionatas non addit.

Confirmatur auctoritate.

26. Atque hîc ponderatio Caietani in illa verba. *Alligant onera gravia, &c.* locum habet. Sic autem ait. *Vtinam hæc verba Domini Iesu in sedentibus super Cathedram Moysi finem habuissent. Vtinam hodiè non verificarentur. Tot jam onera sunt super*

utrius-

utriusque testamenti honestissima præcepta imposita super humeros hominum, ut Christiani facilè se servire Christo credant, si tot laqueis non subjicerentur: & Confessores fælices se arbitrarentur, si de solis divinis præceptis solliciti esse deberent. Cùm his tamen omnibus parendum est Iesu dicenti, omnia quæcumque dixerint servate, & facite. Ecce quantâ animi significatione grave onus hominum humeris à superioribus Ecclesiæ impositum doctissimus, zelantissimusque Cardinalis deplorat. Interim stat verissimum esse, legem Christianam hac ætate esse servatu difficiliorem, quàm erat tempore Apostolorum, aut cùm primùm promulgata fuit.

ASSERTIO IX.

Obligari ad partem tutiorem in omnibus est onus importabile.

Opinio docens, homines in omnibus obligatos esse ad partem tutiorem, etiam quando est probabile, immò probabilius, aut unicè probabile, quòd oppositum sit licitum, est onus gravissimum, ac moraliter loquendo importabile, maximè pro totâ communitate.

PRIMA RATIO.

27. PROBATUR. Rigidæ legum interpretationes onus legis aggravant, ut constat ex *assert. 7. & 8.* Rursus quò rigidior est interpretatio, eò lex evadit gravior, quia causâ crescente, pariter & effectus crescit. Ergo si leges in mitissimâ interpretatione suam difficultatem, & quidem notabilem habeant, ut sine dubio habent, difficillimum erit, eas juxta rigidissimam interpretationem observare, eò autem magis crescit hæc difficultas, quò leges per se difficiles numero plures sunt, & actus, quibus servari debent, frequentiùs occurrunt. Porro difficultas ex istis capitibus orta eòusque crescere potest, ut non labi evadat difficillimum, ac moraliter impossibile. Hoc posito sic. Lex Evangelica, etiam prout à Christo promulgata est, est servatu difficilis, quia abundat præceptis carni & sanguini, totiusque hominis inferioris propensionibus prorsùs contrariis, ut certum est. In solâ castitate servandâ, *quotidiana est pugna*, inquit Augustinus, *& rara victoria.* Rara autem victoria in luctâ non potest non esse difficilis, quia in rebus ejusmodi raritas difficultatem arguit. Ergo à fortiori tota lex est servatu difficilis etiam juxta mitissimam illius acceptionem, cùm pauci eam servent illibatam, & nemo non aliquando gemat sub onere. Quid jam dicemus de istâ lege, si innumera alia præcepta, etiam servatu difficilia, quorum observatio frequenter urget, adjiciantur. Sanè onus evadet gravissimum. Talis est præsens status, quem Caietanus deplorat, & quodammodò importabilem reputat. Quòd si omnium istorum præceptorum non rigida, sed rigidissima interpretatio accedat, quæ omnes obliget ad eam exactissimè servandam, onus eòusque excrescet, ut fiat gravissimum, & moraliter loquendo evadat importabile, maximè respectu communitatis, cujus major pars est debilis, & oneris tam gravis haud patiens. At hic est casus præsens, quia opinio universaliter docens, partem tutiorem in omnibus ex præcepto tenendam esse, æquivalet rigidissimæ omnium legum interpretationi, cùm nulla esse possit interpretatio rigidior, quàm quòd tutiora in omnibus sint tenenda, & nulla probabilitas à tutiore parte sectandâ liberet. Ergo talis sententia reddit Legem Christi respectu omnium difficillimam, & vel maximè respectu communitatis importabilem.

SECUNDA RATIO.

Experientiâ idipsum confirmat.

28. PROBATUR secundò. Experientiâ constat, cuique difficilius esse restituere possessa, quæ certò novit probabiliter ad se spectare, quàm quando constat illa esse aliena. Omnes enim probi in secundo casu haud ægrè se privant bonis alienis, qui tamen ægerrimè adduci possunt ad restituendum ea, quæ ipsi probabilius judicant ad se pertinere. Idem dico de recitatione divini officii, quando probabile est illud jam esse dictum, nullamque obligationem illud repetendi urgere; longè enim difficilius homini est illud in eâ circumstantiâ recitare, quàm si certò sciret, se illud non recitasse. Nec mirum. Durum siquidem est ex propriâ quodammodò electione tantum onus subire, quando non constat illud à Deo exigi, & multò magis, quando probabilissimè constat, nullam dari ejusmodi obligationem; unusquisque enim naturaliter amat libertatem suam, & impetu naturæ abhorret ab onere, quo sub æternæ damnationis reatu obligatur ad id, quod sine difficultate servari non potest. Obligari enim tali onere periculosissimum est; nemo autem nisi illibenter, & quodammodò coactè tali periculo se committit. Hoc onus eò gravius esset, quò frequentiùs ferendum occurreret, quòque probabilius esset, nullam ejusmodi obligationem dari. At sententia rigida imponit hoc onus respectu omnium præceptorum, etiam apparentium; quia in omnibus ponit obligationem sectandi tutiora, etsi probabilius sit, nullam ejusmodi obligationem extare. Nec semel aut iterum hoc onus imponit, sed pro omni casu apparentis obligationis, etiam contra rationes probabilissimas, quod certè frequentissimè accidit. Ergo sententia rigida est onus grave, & moraliter importabile, maximè respectu communitatis.

Confirmatur sic. Omnes experimur singularem cordis mæstitiam, quando versamur in dubio, utrùm aliquid ex se molestum ac difficile sit præceptum nec ne. Quòd si periti, quos consulimus, casum in favorem libertatis determinent, mirâ afficimur voluptate, quia gravi onere nos liberari sentimus. Ergo qui asserit homines in omnibus omnino obligari ad tutiora, etiam quando probabilissimum est, eos ad illa non teneri, gravissimum onus, immo innumera gravissima onera illis imponit, legemque reddit moraliter importabilem, quia talia onera difficillimè tolerantur, cùm naturali libertatis appetitui maximè repugnent; & consequenter tale onus moraliter loquendo à communi hominum fragilitate tolerari non potest.

TERTIA RATIO.

Onus legis proportionatur viribus subditorum.

29. PROBATUR tertiò. Deus supremus Dominus, sapientissimus legislator, atque justissimus meritorum ac demeritorum judex, ita misericordiam justitiâ, atque rigorem clementiâ temperavit, ut onus ferendum subditorum viribus proportionaretur, ne desperarent de victoriâ, si præcepta vires quodammodò superarent, aut meritum evaderet exiguum, si onus vires quodammodo non æquaret. Ergo onus à Deo

Deo impositum, juxta moralem rerum æstimationem, quodammodò æquat vires hominibus datas. Ergo qui onus hoc à Deo, qui omnia in pondere & mensurâ operatur, viribus nostris commensuratum magnoperè aggravat, reddit illud moraliter importabile, maximè à communitate. At sententia rigida dupliciter aggravat hoc onus. Primò ponendo præcepta, quæ Deus nunquam injunxit. Secundò tam hæc à se invecta, quàm alia à Deo tradita durissimè interpretando; in utroque autem sæpe à veritate aberrat. Inprimis sententia illa multiplicat præcepta, quia in multitudine opinionum probabilium plura ut illicita damnantium, necesse est plures earum esse falsas. Ergo rigida sententia tot præcepta multiplicat, quot sunt opiniones falsæ docentes præceptum existere, quando non existit. Illæ autem sunt plurimæ. Ecce sententia rigida plurima invehit præcepta, quæ nec Deus, nec Respublica Dei vicaria, unquam constituit. Similiter tot nova onera injungit, quot sunt falsæ opiniones circa interpretationem omnium legum, sive verè, sive solùm apparenter existentium. At plurimæ opiniones circa talium legum interpretationem sunt falsæ. Ergo rigida sententia ita aggravat legem Dei, ut illam reddat onus gravissimum.

Sententia rigida plurimum auget onus à Deo impositum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 30. OBJIC. primò. Hoc argumentum æquè probat, benignam sententiam tollere plura præcepta à Deo statuta, atque in reliquis eorundem rigorem à Deo etiam intentum minuere. Tot enim præcepta tolluntur, quot sunt opiniones probabiles falsæ, dicentes legem non dari. Tot etiam sunt restrictiones rigoris intenti, quot sunt falsæ opiniones rigorem illum negantes. At, juxta benignam sententiam, istæ opiniones probabiles, etsi falsæ, (in multitudine autem omnium plurimæ sunt falsæ) evacuant legem, rigoremque à Deo intentum tollunt. Ergo datur compensatio, quia quantum oneris additur per rigidas opiniones falsas, tantundem aufertur per opiniones benignas pariter falsas.

Rigida sententia undique aggravat.

Respondeo hoc argumentum illis favere, qui volunt, quòd unicuique licitum sit sequi suam opinionem probabilem directam excusantem, ita tamen ut obligetur etiam ad conformandum se suæ opinioni directæ obliganti, quia hinc sequitur, onera quodammodò ex æquo minui ac gravari, ut constat ex argumento. Verùm si loquamur de sententiâ rigidâ universali reflexâ, omnia è contrario se habent, quia favorabilis ac probabilis interpretatio nil minuit de rigore legis, sicut opinio probabilis de legis non existentia nullo modo legis obligationem evacuat, ut ipsi expressè docent. Ergo sententia rigida undique arctat legem per se difficilem, & consequenter reddit illam onus gravissimum, ac moraliter importabile.

Objectio 2. 31. Ob. secundò. Benigna sententia universalis reflexa approbat ut licitum, quidquid ulla opinio probabilis directa asserit esse permissum. Ergo in multis tollit leges à Deo latas, & in aliis evacuat rigorem à Deo intentum, quia honestat non solùm veras sed etiam falsas opiniones probabiles, libertati faventes, tam circa leges, quàm circa earum interpretationem. At hoc est inconveniens, maximè cùm fiat sine compensativo, quod daretur, si solùm liceret sectari opiniones probabiles de honestate rerũ directè enunciantes.

Respondeo inprimis, homines ob istas opiniones reflexas ita constitutos esse, ut vel aliquid de rigore apparentium legum remittendum sit, vel onus legis ultra debitum plurimùm excrescat. Esto ergo, utrumque sit inconveniens. Ergo inevitabiliter versamur inter duo mala disjunctivè necessaria. Ergo minimum illorum est eligendum, maximè si illud meritò præsumatur esse magis consentaneum voluntati supremi legislatoris. At malum, ex benignâ sententiâ imminens, est incomparabiliter minus malo, quod sententia rigida invehit. Inde enim materialis tantùm, hinc formalis transgressio legum timetur. Rursus hoc minus malum est magis consentaneum voluntati, ac propensioni Dei, qui magis propendet ad favorem, quàm ad rigorem. Proprium enim legislatorum est, ut præsumi velint faciliores ad mitem legum interpretationem, quàm existimari rigidi ad omnia juxta severissimum earum sensum exigenda, quia prior præsumptio amorem, secunda timorem & aversionem quandam excitat; Legislatores autem præsumuntur velle potiùs ut subditi amore, quàm timore regantur. Quòd si hoc verum sit in humanis, multò magis locum habet in Deo, cujus miserationes eminent super omnia opera ejus. Itaque benigna sententia haud dubiè præferenda est.

Inconveniens benignæ sententiæ, si quod habeat, est longè minus inconvenienti sententiæ rigidæ.

Respondeo secundò, nullum ex benignâ sententiâ sequi inconveniens, illa enim nullam legem evacuat, sed solùm enunciat, eas leges apparentes non habere vim legum, quæ verè illam non habent, nulla enim lex apparens vim obligandi exercet, nisi sufficienter applicetur & promulgetur, ut patet. At quoties post diligens examen manet probabile, legem non existere, talis lex non est sufficienter applicata & promulgata, ut constat *ex quæst. 23. num. 14. de conscientia probabili*, & fusè declarabitur *quæst. 43.* Ergo non obligat. Præterea, stante conditione & ignorantiâ naturæ humanæ, non est inconveniens, quòd leges aliquæ non sufficienter applicentur ac promulgentur, quamvis per se loquendo legislator intendebat nos per illas obligare. Non, inquam, est inconveniens, quia quod necessariò sequitur ad aliquid, illo posito, non est inconveniens, sed illi consentaneum. At stante conditione humanæ naturæ necesse est, aliquas leges non esse sufficienter applicatas. Ergo hoc non est inconveniens respectu naturæ humanæ. Ergo neque inconveniens est, sed valde conveniens hoc sciri. Scitur autem & traditur per benignam sententiam, quæ proinde nullum secum inconveniens trahit. Quod ex eo etiam clariùs patet, quòd quando benigna sententia enunciat opus tale esse licitum, consideret illud prout substat aliquibus circumstantiis illud honestantibus, sub quibus à nulla lege prohibetur. Ergo benigna sententia nullam legem evacuat, sed ad summum leges aliunde non sufficienter promulgatas & applicatas considerat, atque de illis juxta meritum illarum enunciat, quod convenientissimum est. E contrà verò magnum in sententiâ rigidâ invenitur inconveniens, quia præter leges certas à Deo stabilitas, plures novas graviter obligantes inducit, atque ideò onus legis summopere adauget, plurimisque peccatis committendis moralem necessitatem inducit. At benigna sententia nullam legem certam evacuat, nec quidquam docet esse honestum, quod verè honestum non est, prout sumitur in circumstantiis, quas illa considerat.

Benigna sententia nullã legem evacuat, nec ullum secum inconveniens affert.

32. Ob.

Objectio 3.

32. Objicit tertiò. Curanda non sunt ista onera, quia Deus semper dat vires proportionatas oneri ferendo, quod imponit. Ergo nil refert, quòd onera augeantur, quia simul augentur & vires. Ergo sententia rigida non reddit legem Dei onus importabile.

Deus lege ordinaria non auget vires quãdo onera indebitè augentur à superioribus vel Doctoribus.

Respondeo, Deum ita se gerere cum hominibus, maximè cum fidelibus legem servare conantibus, ut semper det vires proportionatas oneri ferendo, quod ipse imponit. Similiter non parum adjuvat extraordinariè, quando consueta onera à Ministris Reipublicæ justis de causis augentur. Tunc enim illi agunt, quod Deus vult per illos fieri, ut patet. At quòd Deus lege ordinariâ omnibus taliter assistat, ut contendit objectio, etiam quando Publici Magistratus, ac superiores abutuntur potestate sibi concessâ, & quod plus est, quando privati homines ex suis capitibus per doctrinas rigidas contra communem omnium Auctorum reclamantium consensum hæc onera multiplicant, falsum esse convincitur, non solùm ex verbis Christi dicentis, *scribas alligasse onera gravia & importabilia super humeros hominum*, sed etiam ex communi omnium persuasione, quòd superiores indiscreti, Doctoresque nimis rigidi sæpe eòusque onera augeant, ut illa à subditis moraliter loquendo ferri non possint. Hæc autem vera non essent, si Deus semper novas vires adderet, quando illi nova onera imponunt, quia tunc eadem semper maneret proportio inter vires & onera, ergo onus nunquam evaderet importabile. Applica hæc contra Celladeum, qui contra omnes alios singularem invexit sententiam, eamque rigidissimam, & videbis illum singulari suâ doctrinâ legem Christianam aggravare, atque importabilem reddere, maximè à communitate.

QUARTA RATIO.

Nonnulla rigidæ sententiæ onera & inconvenientia proponuntur.

33. PROBATUR quartò, enumerando aliqua capita, ex quibus legis difficultas summopere cresceret, si rigida sententia admitteretur esse vera. Inprimis omnis peccans statim post peccatum teneretur ad actum perfectæ contritionis, aut ad Sacramentalem Confessionem. Hoc parum est, unusquisque pro singulis instantibus denuò peccaret, qui tam de peccato præterito, quàm de morâ, quâ peccatum habituale retinuit, non ita pœniteret, ut peccati remissionem obtineret, quia sunt opiniones docentes, peccatores ad ista obligari. Ergo si tutiora sectanda sint, hæc utique præstanda erunt. Sunt autem onus durissimum, cùm homo tunc temporis minimè idoneus sit ad resipiscendum, & gratiam recuperandam, ut experientiâ constat, & ex ipsis rerum naturis apertè colligitur.

Primum onus peccantibus incumberet.

Secundum onus litigãtibus immineret.

34. Secundò. Vix ullus ex litigantibus licitè posset aut bona possessa retinere, aut quæ probabilissimè sua sunt à possessore exigere; quia uterque teneretur ad partem sibi tutiorem, quæ alia non est, quàm quod possessor bona ad alium probabiliter pertinentia abjiciat, ne alienum invito Domino retineat, quodque actor litem non intentet, ne verum Dominum molestet, suâque re privet. Jam quoties litigatur, plerumque res ita constitutæ sunt, ut probabilitas utrique parti faveat. Ergo vix ullus ex litigantibus unquam esset tutus in conscientiâ. Quid autem reipublicæ accidere potest magis importabile, quàm istiusmodi consequentias admittere?

35. Tertiò, omnes fermè tenerentur Confessionem generalem totius vitæ instituere, quia vix ullus invenitur, qui vel ex propriâ electione, vel certè ex Confessarii tolerantiâ in multis rebus ad speciem, numerum, ac gravitatem peccatorum spectantibus, &c. non sit sequutus opinionem probabilem, contra aliam tutiorem etiam probabilem. Ergo vix quisque integrè Confessus est. At omnes ad integram peccatorum Confessionem tenentur, quam vix ullus juxta præscriptum rigidæ sententiæ fecit. Ergo omnes fermè iterum tenerentur generalem Confessionem instituere; idque non solùm, quia non essent confessi omnia, quæ tenebantur confiteri; sed etiam quia actu peccassent sectando opinionem probabilem contra oppositam probabilem tutiorem, dum se gratiam adipisci sperabant. At hoc est onus intolerabile, cùm sine gravissimâ conscientiarum anxietate, & labore fermè insupportabili subiri non possit, maximè si omnia observanda sint, quæ rigida sententia præscribit.

Tertium vix quisquã quietus esse posset de valore suarum Confessionum.

Quartum scrupulosis nullum daretur remedium.

36. Quartò. Scrupulosi nullam quietem, aut perplexitatis suæ levamen invenire possent. Vexatio enim illorum in eo versatur quòd in omnibus teneantur sequi tutiora. Ergo cùm ipsi ad dubia occurrentia solvenda non sint idonei, si pace frui velint, aliorum directioni ac sententiæ stare debent. At hoc eis non liceret, quia adhuc periculo se committerent, siquidem nuda directoris assertio solum probabile reddit quod dicit, nec aufert probabilitatem oppositi. Ergo si contingat illum errare, scrupulosus ejus directionem sequens peccat contra legem. Porro quia in rebus dubiis & utrimque probabilibus, probabile est directorem errare, utique qui sequitur ejus directionem, exponit se probabili periculo errandi: ergo peccat ob temeritatem, cùm sectando partem tutiorem omni possit periculo liberari. Ergo si rigida sententia esset vera, scrupulosus omni remedio humano careret, & per consequens in manifestum peccati ac damnationis periculum incideret; difficillimum enim illis est semper sectari tutiora, cùm vix unquam se tutos autument. Ergo rigida sententia scrupulosis omnibus, id est, magnæ timoratæ conscientiæ parti imponit onus gravissimum. Ergo sententia illa contrariatur divinæ providentiæ, quæ suaviter omnibus providet.

Immò omnes in innumeros scrupulos conjiceret.

37. Quid quod eadem sententia, si admitteretur, omnes in innumerabiles scrupulos conjiceret, à quibus liberari non possent. Conjiceret in scrupulos, quia unusquisque in rebus incertis meritò formidaret, an pars tutior esset ex necessitate tenenda. Ergo semper teneretur eam amplecti, & sic innumeri scrupuli, & perplexitates orirentur in mentibus omnium, qui conscientiæ curam gererent. Immò si homines per nullam, ut vult Celladeus, probabilitatem, immò nec per certitudinem existimatam partis minùs tutæ excusarentur, omnes formidare deberent peccatum, quoties vel levissimam haberent mali latentis suspicionem, etiam contra rationem probabilem pro honestate operationis. Ergo omnes conjicerentur in scrupulos, quia essentia scrupuli consistit in affingendâ ac timendâ obligatione propter motivum improbabile. Tunc autem scrupulus evadit summus, quando obligatio non solùm fingitur ob motivum improbabile, sed ruminatur adhuc, & timetur in sensu composito motivi probabilis suadentis oppositum. Ergo sententia rigida, ejusque praxis, est praxis scrupulorum, & obligatio practica sectandi in omnibus stimulum conscientiæ scrupulosæ, quo nil absur-

absurdius, aut importabilius dici potest. Rursus nullum esset remedium liberandi homines à talibus scrupulis. Cùm enim directa evidentia de rerum veritate non habeatur, ad summum habere possumus probabilitatem contra motiva levia & improbabilia. At hoc non sufficeret ad scrupulum deponendum, quia unusquisque in eo etiam casu ad partem tutiorem teneretur. Ergo omnes conjicerentur in scrupulos irremediabiles, quod esset onus gravissimum & importabile.

Quintum, officia reipublicæ necessaria administrari nō possunt.

38. Quintò. Si tutiora in omnibus tenenda essent, officia Confessarii, Theologi, Judicis, & alia ejusmodi essent onera importabilia, cùm nemo nisi imprudentissimè posset se illis submittere. Quas quæso difficultates, quæ pœnitentium odia incurreret Confessarius, qui in omnibus tutiora juberet, quamvis pœnitentes pro se rationes probabilissimas, communemque omnium auctoritatem haberent? Nónne tale onus esset insupportabile? quis prudens vellet illud subire? Idem de Theologo casum resolvente dicendum est, is enim graviter peccaret, si in suâ resolutione erraret, quia proximo resolutionem sectanti scandalum præberet, peccaret enim illam sectando, quia faceret contra legem, ut vult sententia rigida, quam modo impugnamus. Ergo munus Theologi, qui debet casum resolvere secundùm id quod sentit, esset periculosissimum, & à nemine prudenter subiri posset. Immò peccaret talis Theologus quomodocunque se gereret, si casum pro parte minus tutâ resolveret. Inprimis peccaret, si erraret, ut dictum est. Deinde etsi verum diceret, peccaret, quia exponeret proximum periculo agendi contra legem, atque seipsum inevitabiliter exponeret periculo errandi in re gravissimâ, cùm in opinando sectaretur partem minùs tutam; nam tutior pars est à tali officio abstinere, nec similibus immisceri. Ergo Theologus semper peccaret, si resolveret casum in favorem partis minùs tutæ. Immò periculo peccati subjaceret resolvendo casum in partem tutiorem, quia si erraret, legem ipse contra Dei intentum induceret, & fratrum conscientiam indebitè oneraret. Semper autem periculo hoc præstandi se exponeret. Unde munus illius absque peccato administrari non posset.

Theologus non tenetur resolvere quæstionē in favorem partis tutioris.

39. Dicere autem, Theologum semper teneri in incertis ad resolvendam quæstionem in favorem partis tutioris, est evidenter falsum; tunc enim frustra eos consuleremus, & illi frustra laborarent, quia jam tum constaret, partem tutiorem esse tenendam, & illos ita respondere debere. Præterea Theologi est, dicere quod sentit. Ergo si sentiat legem non esse, tenetur ita respondere, alioquin mentiretur, & in re gravi proximum oneraret ad id, ad quod ipse putat eum non obligari. Demum si Theologi tenerentur casum resolvere in partem tutiorem, omnes peccassent, qui quæstionem solvissent pro parte minùs tuta. Peccassent ergo S. Thomas, Bonaventura, S. Antoninus, aliique innumeri sanctitate conspicui, cùm omnes plurimos casus in favorem partis minùs tutæ resolverint. At sequela absurda est & blasphema. Ergo Theologus non tenetur resolvere quæstionem in favorem partis tutioris, sed illius, quam veram reputat. Sed hoc faciendo per adversarios semper peccat, si errat, quia semper facit contra aliquam legem; errando enim vel minuit, vel auget legem Dei. Utrumque autem est malum. Et si non erret, peccat tamen exponendo se & alios periculo peccandi. Ergo officium Theologi esset prorsùs tremendum & importabile.

Eadem est ratio de Judice, qui semper versatur in ancipiti, ne erret, & litigantes suo jure defraudet. At si erret, peccat, etsi sequatur partem, quam probabiliorem & veriorem reputat. Rursus tutius illi esset à tali officio abstinere. Ergo non posset illud licitè suscipere. Ergo sententia rigida omnis generis officia reddit importabilia, quorum tamen administratio est reipublicæ prorsùs necessaria.

Sextum, obedientia & imperium impedirentur.

40. Sextò. Superiores non possent sequi opinionem probabilem in præcipiendo, nec subditi in obediendo. Ergo tota respublica turbaretur. Certum enim est, plurima Magistratuum ac Regum præcepta in vectigalibus imponendis, obsequiisque postulandis fundari in solâ probabilitate directâ de honestate operis præcepti. Ergo non possent licitè præcipere ejusmodi. Similiter subditi non possent obedire, quando non esset certum superiores præcipere obsequia honesta. Hinc autem quanta turbatio oriretur in republica? Superiores jurisdictione privantur, subditi in superiores armantur. Absurda ergo & non toleranda est sententia, ex quâ talia consequuntur.

Onus sententiæ rigidæ est prorsùs intolerabile.

41. Collige hæc omnia in unum, & specimen habebis maximæ difficultatis, ac moralis importabilitatis, in quam sententia rigida homines conjicit. Specimen, inquam, quia quæ sex istis capitibus continentur, sunt pars exigua difficultatum, quas secum fert illa sententia, utpote, quæ omnes obligat ad partem tutiorem in omnibus prorsùs materiis ac opinionibus, quæ sunt innumeræ. Ergo sententia illa innumera onera, & quidem gravia, magnâque ex parte gravissima, injicit in humeros hominum. Unde sic arguo. Hoc onus, si extaret, superaret vires fragilitatis humanæ, hominesque conjiceret in moralem necessitatem committendi plurima peccata; necessitas enim hæc est inseparabilis ab onere gravissimo, quando occasio ac necessitas illud ferendi semper est obvia, & frequentissimè occurrit, ut in casu nostro.

Lex præcipiens praxim sententiæ rigidæ esset noxia & fini legis repugnaret.

42. Porrò ex gravissimo onere hujus sententiæ sequitur, nullam dari legem, quæ usum illius præcipiat, quia lex talis esset nociva, pluraque longè incommoda secum ferret, quàm commoda. Si enim nunquam lata fuisset, aliud incommodum non sequeretur, quàm materialis violatio legis, quando homo rationabiliter judicaret, se nullam ne quidem materialem violationem incurrere. At hoc exiguum est inconveniens, maximè cùm in tali casu, lex quæ violari videtur, non sit sufficienter promulgata & applicata ut obliget. Si verò lex ejusmodi lata esset, eo ipso innumera peccata ex morali necessitate consequerentur, totaque respublica turbaretur, omnibusque onus intolerandum injiceretur. Ergo lex, per quam Deus malorum diminutionem intenderet (finis enim legis est vitare mala alioquin oritura, per quæ ordo naturæ rationalis turbaretur) eorum multiplicationem non solùm foveret, sed morali necessitate induceret. Ergo esset lex noxia, proprioque legum fini repugnaret. At Deus nec est, nec esse potest Auctor talium legum. Ergo nulla datur lex ejusmodi.

ASSER.

ASSERTIO X.

Non existentia legis, obligantis homines ad tutiora in omnibus sectanda, optimè probatur ex illo loco Matt. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve: *atque etiam ex illo.* 1. Joan. 5. Mandata ejus gravia non sunt.

Falsitas rigidæ sententiæ ritè probatur ex levitate legis Christianæ.

43. PROBATUR. Lex illa, quæ, si existeret, totam rempublicam turbaret, mala non minueret, sed multiplicaret, homines scrupulis innumeris inquietaret, illosque onere gravissimo, & moraliter importabili gravaret, lex, inquam, illa non est jugum suave & onus leve, sed è contrario est mandatum gravissimum. At lex Christi est *jugum suave & onus leve*, & *mandata Christi gravia non sunt.* Ergo lex illa non est lex Christi, nec à Deo lata est. Major patet. Minor perspicua est ex dictis. Consequentia legitimè deducitur.

Gravissimi interpretes hos textus in favorem benignæ sententiæ exponunt.

44. Rursus, gravissimi Patres, & Auctores hos textus in hunc sensum explicant. S. Antoninus *parte. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.* & Sylvester *verbo scrupulus num. 3.* locum illum Matthæi adducunt, ad probandum quòd liceat nobis sequi probabilem interpretationem legis, quia alioquin non esset verum, *Iugum Christi esse suave, & onus ejus leve.* Similiter Conradus *quæst. 100. de Contractibus*, ex professo probat, quòd opiniones falsæ circa præcepta & obligationes aggravent onus legis Christianæ, illudque grave reddant cùm sit leve; ibidem autem contendit, licitum esse sequi opinionem minus tutam, quam quis probabiliorem reputat. Verba horum Auctorum dedi *quæst. 22. de conscientiâ prob.* ubi videri possunt, nec desunt alii, qui loca ista in eodem sensu intelligunt, ut ibidem videre est.

Didymus & Oecumenius nobiscū sentiunt.

45. Oecumenius, Didymum sequutus, apud Justinianum in commentario illorum verborum: *mandata ejus gravia non sunt:* monet, Apostolum Joannem aliter locutum, quàm Christum. Christus dixit, *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Joannes dicere maluit, *mandata ejus gravia non sunt. Propterea*, inquit, *quod ei, qui in virtute jam provectus est, etiam ea, quæ valde gravia sunt, levia habentur*, quibus verbis indicat, Christum locutum esse de provecto in virtute; Joannem non item, sed considerasse præcepta secundùm se, relatè ad vires omnibus communiter collatas, qui fide & spe erecti cupiunt mandatis obtemperare, & de mandatis sic acceptis dicit, quod gravia non sint. *Propterea*, inquit, *mandata ejus gravia non sunt. Quid enim gravitatis, ac molestiæ in se habet fratrem amare? Quid visere eos, qui in carcere sunt, gravéne est? Non enim è carcere educere, ac liberare, quod molestiam quandam præ se fert, sed invisere tantummodò jubet. Neque ægrotantem morbo liberare, sed visere, neque esurientem opiparâ mensâ excipere, aut nudum pallio ornato ac magnifico induere præcipit, sed ea tantùm exhibere, quæ necessariæ indigentiæ succurrant, quod & qui esurit, & qui nudus est, requirit.*

Mandata Christi per se non sunt gravia.

Prima pars hujus expositionis supponit, mandata non esse gravia, ut serventur; adeoque carentiam gravitatis non in solum charitatis virtutumque fervens exercitium, sed in vires antecedenter datas, ex quibus illud exercitium potest consurgere, rejicit. Secunda pars ostendit, res præceptas secundùm se non esse graves relatè ad multitudinem populi Christiani, & consequenter relatè ad ordinaria auxilia Christianis concessa. Quæ omnia contrariantur iis, quæ Celladeus probare contendit, sed de sensu horum textuum plura infra dicentur.

Hoc experientiâ fidelium legem servantium constat.

46. Porro experientia docet, mandata Christi per se loquendo non esse gravia fidelibus, qui fide & spe erecti vel mediocriter saluti suæ invigilant; plerique enim fidelium, qui pravis habitibus corrupti non sunt, & à proximâ peccandi occasione remoti vivunt, facilè servant præcepta, modò mediocrem curam adhibeant, etsi ferventibus charitatis exercitiis non inflammentur. Hoc autem clarè probat, onus legis Christianæ, per se consideratum, non esse grave, sed leve, quia ordinaria auxilia gratiæ ad illud delectabiliter ferendum abundè sufficiunt. Neque enim quemquam illorum de onere isto, tamquàm de pondere vires superante, querentem audies. Qui verò pravis habitibus impliciti sunt, magnum onus sentiunt, non quòd res ipsæ sint difficiles, sed quia jam illas facere non possunt, nisi vitiosas suas inclinationes frangant, quod absque luctâ non fit. Verùm istiusmodi difficultates non à rebus præceptis sed à pravâ ac voluntariâ hominum dispositione proveniunt, quæ proinde in legem ipsam, ad quam per accidens se habent, transferendæ non sunt, cùm nulla lex tam suavis excogitari possit, quæ difficultatibus istiusmodi non sit obnoxia.

Exemplā à Mercoro & Celladeo allata sunt incongrua.

47. Celladeus ergo, Mercorus, aliique, qui hujusmodi exempla ad legis difficultatem arguendam afferunt, indebitè arguunt, quia ponunt exempla, quæ sicut per accidens se habent ad legem Evangelicam, ita ad rem præsentem non faciunt. Certè de fide est, legem Christi esse onus leve, & mandata ejus non esse gravia, & tamen in illis circumstantiis, per accidens se habentibus, nil est per quod onus illud leve fiat; nisi recurramus ad gratiæ miracula, quibus omnis pœnæ ac voluptatis sensus hebetetur. Difficillimum enim est in diuturnis tormentis fidem fateri, & pauci sunt, qui, demptis extraordinariis illis auxiliis, non cedant, quod profectò arguit, onus illud esse gravissimum.

48. Dices: nónne est gravissimum onus peccata gravia, secreta, & pudenda alteri confiteri?

Difficultas peccata confitendi per accidens se habet ad legē Christi.

Respondeo primò, difficultatem hanc, quæcumque tandem sit, per accidèns se habere ad legem Christi, omnes enim per baptismum integram peccatorum remissionem consequuntur, simulque gratiam recipiunt, quâ absque magnâ difficultate in futurum peccata vitare possunt. Quare si quis Deum deserat, atque per suam culpam difficultatem istam incurrat, non eam legi tribuat, sed sibi, qui eam propriis humeris imposuit.

Onus Confessionis simpliciter non est grave.

Respondeo secundò, Confessionem peccatorum non esse onus grave homini per fidem apprehendenti, confusionem æternam inevitabiliter sibi imminere, nisi exiguam ac momentaneam confusionem subeat confitendo homini, Dei vicario, peccatum suum in hac vitâ. Alia etiam media suppeditat fides, quibus Confessio facilitatur, maximè si spes etiam accedat. Sed & Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* de hâc re loquens, hæc habet. *Ipsa verò hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisq; commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè*

mè conferuntur. Ecce Tridentinum facilitatem hujus præcepti, quod aut difficillimum, aut ex difficillimis est, in spem commodorum per absolutionem obtinendorum rejicit. Errat proinde Celladeus, ac Tridentino repugnat, dum contendit levitatem legis Christianæ non in aliud refundi, quàm in fervens ac frequens charitatis virtutumque exercitium. Certum enim est difficultatem hujus præcepti aliunde tolli, cùm peccatores ante Confessionem ferventi frequentique charitatis virtutumque omnium exercitio rarò aut nunquam se exerceant. Atque hinc confirmatur, quod dixi de experientiâ levitatis legis Christianæ. Certè onus Confessionis, etsi videatur & sit unum è maximis, leve est, quia ab omnibus fermè, fide mediocriter instructis, in praxim reducitur. Hoc autem levitatem oneris probat.

Celladei opinio Tridentino côtrariatur.

49. Hæ interpretationes, adjunctâ etiam experientiâ, probant legem Christi esse simpliciter, & absolutè onus leve; sed alii verba illa Christi non tam absolutè, quàm comparativè accipiunt, & exponunt. Inprimis Cornelius à Lapide, græcâ lectione adjutus, dicit Jugum Christi dici suave, quatenus est commodum, humanum, ac benignum præ lege veteri. Est ergo lex Christi Jugum suave ac onus leve comparatione legis Mosaicæ. Primò quia pauciora & faciliora habet præcepta. Secundò quia præbet auxilia majora, quæ onus mandati valde alleviant. Jam Christus protulit ea verba Judæis, quos ad se vocabat, & verissimè dixit, *Iugum suum suave esse, ac onus leve*, quia respectu legis veteris erat prorsùs tale. Hoc sensu Hieronymus *lib. 2. dial. adversus Pelagianos* exponit hunc locum, dicens: *levia certum est dixisse Evangelii mandata ad comparationem superstitionis Iudaicæ, in quâ varia ceremoniarum genera quærebantur, quæ juxta litteram, & Apostoli Petri sententiam nullus poterat explere.*

Lex Christi levis est, cõparatione legis Mosaicæ.

50. Deinde, alia legem Christi levem reddunt in comparatione legis Mosaicæ, quæ videri possunt apud Cornelium à Lapide, sed potissimum est, quòd lex Evangelica certissimâ & explicatâ incomparabilis felicitatis spe suorum sequacium animos attollat & recreet, cùm lex vetus explicitè promitteret sola bona temporalia. Ad hanc causam Theophilactus respexisse videtur, dum tradit, præcepta esse levia propter superexcellentem retributionem, *etsi ad breve gravia esse videantur*, quod explicat illis locis Sacræ Scripturæ, quæ supra attuli *ad assert. 6.* Verùm istæ rationes & comparationes probant legem Christi non solùm relativè, sed etiam absolutè, & simpliciter esse onus leve. Itaque & Theophilactus hîc, & Aug. supra citatus tam præsentem, *quàm 6. assertionem* suâ auctoritate corroborant. Jam Sacra Scriptura juxta P. P. ac Doctorum sensum accipienda & interpretanda est, qui quomodò contrarietur sententiæ rigidæ, mox dicetur uberiùs.

Alia, quæ legẽ Christi levem reddunt.

ASSERTIO XI.

Rigida sententia absolutè repugnat duobus istis textibus, ex Sacrâ Scripturâ allatis.

51. ASSERTIO hæc principaliter quidem intenta fuit in hâc quæstione, sed per modum Corollarii ex dictis sic probatur. Sententia rigida reddit mandata Dei simpliciter gravia, facitque onus legis grave, ut multis ostensum est. Ergo repugnat dictis Sacræ Scripturæ textibus, qui contrarium affirmant.

Sententia rigida repugnat S. Scripturæ.

52. Et sanè summa difficultas sententiæ rigidæ ex eo etiam patet, quòd intoleranda videatur viris etiam probis, qui in omni virtute sese quotidiè exercent. Novi ego viros Ecclesiasticos, qui absolutè dicerent, vix quemquam posse salvari, si sub præcepto teneremur eam sequi, seque tandem aut in dementiam, aut in scrupulos intolerabiles necessariò lapsuros, si illam pro verâ haberent. Quid dicam de Confessariis? Complures audivi profitentes, se nulla ratione velle tale munus subire, nisi & se & alios juxta benignæ sententiæ præscriptum regulare possent. Idem ego de me ipso profiteor, nec dubito, quin Celladeus ipse, si Confessionibus excipiendis operam det, in praxi utatur benignâ sententiâ, quidquid in scriptis contra eam declamet. Ergo sententia rigida non solùm communitati ac plebi, ut ita dicam, Ecclesiæ, sed præcipuis ac omni virtute conspicuis est onus intolerabile.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

53. OB. primò. Lex Christiana, si res præceptæ considerentur, est valde ardua ac difficilis. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Christo attestante. Sed & Psalmista ait, *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Ergo suavitas & levitas legis Evangelicæ desumi nequit à rebus ipsis, quæ præcipiuntur. Talis enim suavitas Mahumetanismo ac Lutheranismo convenit. Et sanè difficultas legis Christianæ est principium per se notum, & ut tale assumitur ad probandam evidentem credibilitatem fidei nostræ; quippe quæ præscribit res ad credendum obscuras, ad sperandum arduas, ad operandum difficiles, carnique ac sanguini repugnantes. Immò illi ipsi, qui in materiâ de fide hæc tradunt de lege Christianâ, in præsenti quæstione, sui immemores, sibi contradicunt, dum ex levitate legis Evangelicæ satagunt probare, usum opinionum probabilium esse licitum. Quid plura? Quæstio hæc olim in terminis à S. Hieronymo discussa & terminata fuit, *lib. 2. dial. contra Pelagianos*, ubi probat legem Christianam esse adeo difficilem, ut absque gratiæ auxilio, onus minuente & omnia dulcorante, servari non possit. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 2.* ubi Hieronymum aliosque SS. Patres citat, & ex illis benè probat, (quod nemo Catholicorum negat) legem Christianam virtutum omnium, potissimè verò charitatis ferventis exercitio reddi levem & suavem.

Lex Christiana unde & cui sit difficilis.

54. Respondeo, hoc ultimum ex Divo Hieronymo contra Pelagianos abs re assutum esse argumento præsenti; illi enim impiè asserebant, naturam humanam primi parentis peccato in nullo læsam fuisse, sed ex se sufficere ad omnia præcepta implenda, & beatitudinem consequendum. At omnes Catholici agnoscunt, naturam humanam adeo læsam ac debilitatam fuisse ex lapsu Adami, ut absque adjutorio gratiæ nullo modo possit meritoriè operari, aut legem diu servare, vel gravibus tentationibus resistere, &c. Hæc certa sunt, sed ad præsentem quæstionem nil conducunt, quia quando Christus dixit, *jugum meum suave est, & onus meum leve*, & quando S. Joannes pronunciavit: *mandata ejus gravia non sunt:* non in Pelagianorum, sed in Catholicorum sensu locuti sunt. Eodem cum illis sensu loquimur nos, qui status distinximus, quibus lex Evangelica

Celladeus abs re citat Hieronymum.

lica levis est, & quibus difficilis ac importabilis. Hoc si Celladeus, ut oportebat, præstitisset, nunquam talia objecisset.

Textus efferentes & minuentes onus legis sibi non contradicunt.

55. Respondeo secundò, cum Augustino *sermone 47. de diversis, cap. 1.* omnes illos textus, tam efferentes difficultatem, quàm extollentes facilitatem legis esse verissimos, sibique in nullo contradicere, *quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene charitas facit*; sicut alia multa, nominatim fides & spes, ut ex eodem Augustino, Theophilacto, & aliis ostensum est. Itaque eadem lex, quæ carni & sanguini dura est, & à naturâ lapsâ importabilis, eadem gratiæ, fidei, ac spei, & potissimùm perfectæ charitati levis est.

Celladeus immeritò sugillat quosdam, & contradictionis insimulat.

56. Cæterùm Celladeus immeritò sugillat Auctores, quos tanquam sui immemores, sibique contradicentes inducit; perspicuum enim est, nullam nisi somniatam & fictam contradictionem in illis assertis contineri. Solùm enim asserunt, legem Christi carni ac sanguini, hominique inferiori esse difficilem, naturæque corruptæ sibi relictæ importabilem. Hoc tamen non obstante, omne genus hominum legem illam acceptavit, illiusque vigore mundana omnia contempsit, atque in praxim reduxit, quæ naturæ ipsi repugnant, viribusque naturæ sunt impossibilia. Hinc evidenter sequitur, credibile esse, quod Doctrina Christiana, Deo auctore, nobis tradita fuerit, cùm sit incredibile tales effectus à naturâ contra ipsam naturam provenire potuisse. Quid hoc discursu efficacius dici potest ad evidentem fidei credibilitatem comprobandum? Hactenus Auctores illi comparant legem Christianam cum naturâ lapsâ secundùm se; &, si ita velis, summam legis difficultatem tamquam principium per se notum adhibent. At iidem Auctores, quando comparant onus legis Evangelicæ cum naturâ reparatâ, instructâ per fidem, roboratâ per spem, & ordinariis gratiæ auxiliis adjutâ, dicunt onus legis non esse grave, sed per se loquendo facile; in quo nec est, nec esse potest vel umbra contradictionis, cùm affirmatio & negatio difficultatis in lege contentæ referantur ad diversa, ut patet.

Celladeus in multis reprehendendus.

57. Reprehendendus ergo est Celladeus, quòd contra asserta tam perspicuè sibi cohærentia insurrexerit, illaque sibi contradicere asseruerit. Reprehendendus etiam est, quòd ob indistinctionem ac æquivocationem terminorum ista objecerit; usus enim est terminis relativis, *grave & leve*, absque determinatione status ac virium, in ordine ad quas tales denominationes conveniunt, & ab Auctoribus, quos immeritò reprehendit, referuntur. Reprehendendus est tertiò, non solùm quòd dixerit, legem esse difficilem secundùm se, cùm nil sit aut esse possit difficile, nisi relatè ad aliud, ut constat; sed vel maximè quòd dicat, præcepta levia Mahumetanismo, non Evangelio convenire. Non ita est, Celladee, lex quidem carni ac sanguini consentanea à Mahumetanis traditur, qui propterea tamquam Epicurei à probis contemnuntur. At lex Christiana fidelibus simpliciter levis est, sed sanctissima, carnique ac sanguini contraria. Itaque similitudo illa abs re, & absurdè adjecta fuit argumento.

Objectio 2.

58. Ob. secundò. Absurdum & peccaminosum est eo consilio de moralibus scribere, aut aliorum opiniones taxare, ut via salutis reddatur facilior aut durior. Absurditas ex eo patet, quòd res hæc non magis sit in potestate nostrâ, quàm motus Cœlorum. Peccatum ex deordinatione consilii contra supremum Dei Dominium & proximi bonum ostenditur. Ita Celladeus §. 1. *in fine*.

An & quomodò sit in potestate nostrâ minuere obligationes.

Respondeo, leges Dei per se obligantes, quoad realem earum existentiam, à nostra libertate non pendere, quæ proinde à nobis augeri, vel minui non possunt. At leges & obligationes, quæ se habent per accidens, augeri minuique possunt per homines. Nonne Christus ipse testatus est, Scribas & Pharisæos onera gravia & importabilia hominum humeris imposuisse? Ecce motus cœlorum non erat in potestate Scribarum, in eorum tamen potestate erat, obligationes augere, & viam salutis difficiliorem reddere, quia falsis & rigidis suis interpretationibus persuadebant populo, leges Dei ad ea obligare, quæ Deus non prohibuerat. Effecerunt ergo, ut populus formaret sibi conscientiam erroneam de obligatione, ubi nulla erat obligatio. At hoc est obligationes augere, quia omnes tenentur ad non contraveniendum conscientiæ, etiam erroneæ. Similiter obligationes à Deo intentæ, per accidens & quoad nos minui possunt; si nimirum Pastores animarum ex ignorantiâ, vel malitiâ detineant populum in ignorantiâ invincibili talium legum. Quæ cùm sint tam clara, miror Celladeum dixisse, hæc non magis esse in potestate nostrâ, quàm motus cœlorum.

Aliquandò licitum est scribere eo fine ut via salutis reddatur facilior aut difficilior.

59. Hoc posito. Esto, sit peccatum scribere eo consilio, ut obligationes certò existentes, & à Deo per se intentæ augeantur vel minuantur, etiam quoad nos & in opinione nostrâ, ut hâc ratione via salutis reddatur facilior aut difficilior: non tamen est peccatum scribere, aut aliorum opiniones taxare, ut augeantur vel minuantur obligationes, quæ per accidens se habent, & aut in errore fundantur, aut absque sufficienti fundamento in homines conjiciuntur. Christus ipse exemplum præbuit, omnesque Pastores, zelum animarum habentes, ipsum secuti clamant contra eos, qui populum in errore detinent, aut absque sufficienti fundamento gravant; sive error ille augeat, sive minuat obligationes, quia Deus eos ad veritatem ipsis aperiendam obligat, &c. Itaque in his casibus non est peccatum scribere, vel taxare aliorum opiniones, ut via salutis facilior aut difficilior reddatur; sed è contrario sæpe est peccatum hæc omittere. Adeo debilia & à veritate aliena sunt, quæ Celladeus, ut validissima & per se nota objicit.

60. Nos ergo non scribimus, ut obligationes per se existentes, & à Deo certò intentæ augeantur vel minuantur, hoc enim severissimè prohibetur *Deuteronomii 4. Apocal. 22.* sed eo fine scribimus, ut sciamus quæ præceperit, quæ permiserit Deus. Multa invenimus certò prohibita, multa certò permissa. Alia reperimus, de quibus probabile est, quòd non sint prohibita. De his dicimus, talia non esse omnibus prohibita, sed illis solis, qui aut manent in dubio, aut credunt illa esse vetita. Probamus enim eum non peccare, qui bonâ fide facit id, quod rationabili ac prudenti judicio credit omnibus esse permissum. In hoc docendo nullum est peccatum, aut peccati periculum magis quàm in opposito, utrimque enim in ancipiti versamur, ne conscientias nimis laxemus, aut easdem indebitè stringamus. Ergò neutra pars excusatur, nisi rationabiliter suam sententiam proferat. Nos, omnibus inspectis, invenimus nullam in hoc casu obligationem urgere; è contrario, videntes oppositam opinionem absque sufficienti fundamento con-

scientias arctare, præcepta multiplicare, viamque salutis difficiliorem reddere quàm par est, dicimus & probamus, sententiam illam pro conscientiæ regulâ admitti non debere.

Nil legi divinæ addendum aut detrahendũ est.

61. Ob. tertiò. Esto, sententia rigida reddat viam salutis difficiliorem, benigna verò faciliorem, adhuc periculosum est ex hoc titulo obligationes addere vel minuere, quia hoc ad nos non pertinet. Deinde si hoc argumentum valeret, plura præcepta difficilia tolli possent, quia sic lex facilior redderetur. Demum *Deuter.* 2. 4. expressè prohibetur, ne quid addatur, vel detrahatur præceptis Dei: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Item Apocalip. 22. 18. hæc habentur. *Si quis appofuerit ad verba hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Idem valet de quibusvis partibus Sacræ Scripturæ, præceptisque divinis. Ita Celladeus §. 1.

Respondeo, omnia ista à fortiori objici posse contra Celladeum, qui singulari suâ opinatione communem Doctorum Ecclesiæ opinionem, communemque fidelium praxim condemnat. Cæterùm argumentum haud dubiè non valet, quia admisso antecedente, quòd scilicet sententia rigida augeat præcepta ultra mensuram à Deo stabilitam, aut quod legem Christi ipsis fidelibus reddat valde gravem & importabilem, rectè concluditur, Deum usum talis opinionis non præcepisse, ac proinde opinionem illam esse falsam. Non tamen ideo manuducimur ad minuendas obligationes à Deo institutas, sed solùm ad cognoscendum, quòd Deus obligationem à tali sententiâ assertam non instituerit, quamvis per hoc ipsum tollamus obligationem gravissimam, quam rigida sententia, præter Dei intentum, imponit in humeros hominum. Jam ergo ad nos pertinet hujusmodi obligationes minuere, ut proximè dictum est *ad 2.* similiter in dubiis nostrum est veritatem investigare, & conscientiam juxta rationabilem ac prudentem quæstionis decisionem formare, quamvis per hoc ex accidente contingat, legem, quæ ex directo Dei intento debebat omnes arctare, ob defectum applicationis seu promulgationis, vel ob ignorantiam invincibilem ipsius, aut ob alias præsumptiones hîc & nunc non obligare.

Aliquando pertinet ad nos obligationes hominibus impositas minuere.

Additio & diminutio legis prohibita non extenditur ad casum dubiũ de lege.

62. Auctoritates, ex sacrâ Scripturâ allatæ, ad quæstionem præsentem non pertinent, quia solùm intelligi possunt de rebus quodammodò certis & indubitatis, non autem de rationabilibus dubiis circa legem ipsam exortis; illa enim necessariò determinanda sunt, ut lex servetur incolumis, siquidem par periculum est addendi, si pars tutior admittatur ut præcepta, ac minuendi, si pars minùs tuta habeatur pro non præceptâ. Ergo lex ista, ne sibi contrarietur, intelligi debet de certâ, aut certè de irrationabili ac temerariâ additione ac diminutione. Ergo necessariò admittit rationabilem dubiorum determinationem. At præsens quæstio versatur circa res incertas, & supponit utramque partem esse probabilem, veritatemque certò sciri non posse. Ergo in talibus necesse est locum dari interpretationi, illamque, si sit rationabilis, pro conscientiâ debitè formandâ sufficere. Textus ergo isti non improbant, sed comprobant benignam sententiam, ostenduntque illius usum esse licitum.

63. Sed quid? Sequiturnè ex hoc arguendi modo, plura præcepta difficilia tolli posse, ut lex Christi facilior evadat? Ita quidem dicit Celladeus, sed ne verbum ad id probandum affert. Nos dicimus, sententiam rigidam admitti non debere, quia onus legis ultra debitum auget, illudque reddit importabile; cùm tamen constet illud esse leve. Rursus dicimus, in incertis leges obligare non posse, quæ omnia vera sunt. At hinc non sequitur, præcepta certa auferri posse, ut lex facilior evadat; cùm enim certum sit, viam salutis juxta leges certò latas talem determinatam difficultatem habere, ex hoc nullum medium afferri potest ad probandum, talem determinatam legem non existere, eò quòd, si non existeret, lex esset facilior quàm est, quia non debet esse facilior; Deus enim hanc determinatam difficultatem instituit, quam proinde nulli licet imminuere. Pudet hæc prosequi, sed aliquid dicendum fuit, ne dictum illud Celladei incautos deciperet, magnique periculi speciem excitaret, ubi nullum est periculum.

Nulla lex certa tolli debet ad onus faciliandum.

64. Ob. quartò. Opinio benigna facit hominem litigare contra Deum, ac possessionem libertatis, aliaque contra legis obligationem allegare, sicut homo facit, quando contra hominem litigat. Ergo benigna sententia difficilia reddit Dei præcepta. Dura enim nobis sunt & gravia, quæcumque non nisi per vim manifestæ probationis coacti acceptamus. Rursus eadem sententia respicit præcepta Dei tamquam odiosa, ideoque restringenda. At hoc est irrationabile, quia mandata Dei sunt maxima beneficia, juxta illud Psal. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ergo benigna sententia est irrationabilis. Ita Celladeus §. 4.

Objectio 4.

Respondeo primò argumentum nimis probare; si enim mandata Dei nunquam respici possent ut odiosa, sed absque probatione cogente admitti deberent ut beneficia, non obstante possessione libertatis, &c. sequeretur, nullam dari posse doctrinam eo capite rejiciendam, quòd præcepta multiplicet, & viam salutis difficiliorem reddat. Tali enim de causâ repelli nequit, nisi mandata illa respiciantur ut odiosa, & nimis gravantia. At certum est sequelam esse falsam. Ergo certum etiam est, Celladeum falsum esse in antecedente, ex quo consequens tam absurdum infertur.

Aliqua Dei & Ecclesiæ præcepta respici possunt ut onerosa.

Respondeo secundò, homines sæpe rationabiliter respicere in obligationes, etiam certas, tamquam in onera, quæ mitigari, aut etiam auferri cupiunt & procurant. Quot, quæso, reperiuntur, qui votorum, jejuniorum, aliarumque obligationum relaxationem enixè petunt? An omnes isti irrationabiliter agere dicendi sunt? Nil minus. Qui enim in earum observatione magnam experiuntur difficultatem, & vident se latiori ac lætiori corde Deo servituros, si tali onere leventur, prudenter relaxationem petunt. Præterea si relaxatio semper irrationabiliter peteretur, ea nunquam concedenda esset, ut patet. Conceditur autem aliquando & quidem rationabiliter. Ergo homines non imprudenter respiciunt tales leges ut onera.

65. Quid quod superiores ipsi, qui dispensant, magnum beneficium se præstare autumant. Nónne Pontifex beneficium se fidelibus conferre arbitratur, quando Jubilæum, aut alia indulta, & dispensationes concedit? Non sum, qui putem, Hispanos, viros doctissimos juxta ac maximè probos, Celladeique contribules, ægrè ferre, quod communis rigor abstinendi à carnibus die Sabbathi ipsis relaxatus sit. Certè & qui concessit,

Qui dispensant beneficium præstant, & qui dispensantur beneficium recipiunt.

cessit, & qui receperunt illam relaxationem, legem communem ut onerosam respiciebant. Fortasse plurimi eorum, debitâ ad Deum reverentiâ, illud sibi applicant. *Non fecit taliter omni nationi.*

Naaman Syrus respexit Dei legem ut onus, & dispensationē obtinuit.

Nonnè Naaman Syro, qui infidelitatem jam exploserat, durum est visum, si sibi non liceret regem suum comitari, ejusque brachium fulcire, & eo flectente flectere, etiam quando falsos Deos adorabat? Nónne dispensationem super hoc, mediante Elisæo, à Deo petiit, & obtinuit? non sic egisset Celladeus, sed si propria principia secutus fuisset, onus oneri imposuisset, Naamanque persuasisset, hoc reliquis præceptis additum esse facilius, nec ulla Dei mandata respici debere tamquam onerosa. At sapiens Propheta aliter se gessit.

Christus dispensationē favorabilē fuisse judicat.

Sed & Christus ipse *Matth. 19.* supponit, facultatem dimittendi uxores, dando illis libellum repudii, à Moyse concessam fuisse favorabilem, & legem contrariam duris Judæorum cordibus futuram fuisse oneri. Non ergo absurdum est, hominem fragilem, paucisque difficultatibus facilè territum, aliqua Dei & Ecclesiæ præcepta respicere ut ipsi aliquo modo onerosa, & periculosa, quia in illis servandis difficultatem sentit.

Præcepta incerta meritò respiciuntur ut odiosa & sine coactione non admittuntur.

66. Respondeo tertiò, quidquid sit, an præcepta indubitata respicienda sint ut onerosa & quodammodo odiosa, certum est, præcepta incerta meritò respici ut talia, maximè quando probabile est, illa non dari, aut certè non urgere; tale enim præceptum justè repellitur tamquam onus, cùm, si admittatur, ita libertatem arctet, ut opus absque peccato poni non possit; sæpe autem multis de causis sollicitamur ad illud ipsum ponendum; & fieri vix potest, quin tale præceptum communitati hominum fragilium non sit offendiculo. Itaque talia præcepta nec debent, nec possunt meritò respici ut beneficia, maximè respectu communitatis; nec ea admitti convenit ut omnes obligantia, donec sufficienter constiterit, Deum velle illa ab omnibus observari. Et hoc est, quod benigna sententia docet.

Lex esset favorabilior si aliqua præcepta fuissent solùm cōsilia.

67. Psalmi locus solùm indicat, Deum singulariter favere illi nationi, cui legem dictat, quod verum est, quamvis multa sint in lege, quæ relicta tamquam consilia, non proposita ut præcepta, onus legis sublevassent, ut constat ex lege Mosaicâ, quam nemo negaverit fuisse observatu difficilem, idque ob multitudinem præceptorum, illorumque difficultatem. Fuisset ergo observatu facilior, & fortasse majus beneficium, si pauciora, & minus gravia præcepta habuisset. Nihilominùs tota lex simul sumpta est maximum beneficium, quia per illam homo dirigitur ad vitam æternam. Alii autem, quibus Deus nullam legem præscribit, in deteriori conditione versantur, ut patet.

INCREDIBILE CELLADEI

Paradoxum refutatur.

68. OB. quintò. Minuere obligationes non facilitat, sed difficultat onus legis Evangelicæ. Ergo ex eo, quòd jugum Christi sit suave, non sequitur obligationes esse minuendas. Ex nullo enim antecedente vero inferri potest consequens antecedenti repugnans. At ablatio obligationum repugnat cum suavitate jugi Christiani, quia illud difficultat. Ergo ex illo antecedente non sequitur prætensum consequens, nempe, usum cujusvis opinionis certò probabilis esse licitum. Antecedens probatur exemplis, experientiâ, & ratione. Incipio ab exemplis.

Adjectiō majoris pōderis aliquando reddit onus levius.

Equus facilè trahit vehiculum onustum, si rotæ adjiciantur, quod sine rotis movere non poterat, quamvis rotæ adjectæ pondus trahendum augeant. Similiter pennæ avium pondus augent, & tamen volatum facilitant. Idem valet de lege Christi. Audiatur Augustinus *serm. 22. de verbis Apostoli. Hæc Sarcina gravis est, fides, spes, charitas? ista enim humilem, istæ mitem reddunt. Et vide, quia oneratus non eris, si ipsum audieris. Iugum enim meum lene est, Sarcina mea levis. Quid est, levis est? Quid si habet pondus? sed minus. Plus habet avaritia, minus justitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum Sarcinas. Et quid dicimus? portant illas in terris, portantur ab illis in cœlo. Si misericordiam velis prabere avi, præsertim æstate, & dicas, miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terrâ remanebit, cui subvenire voluisti: Porta ergo pennas pacis; alas accipe charitatis; hæc est Sarcina, sic impletur lex Christi.* Similiter S. Bernardus *Epistola 34. Nam ut omnino simus inexcusabiles, in viâ vitæ, quò citiùs, eò faciliùs curritur, & leve salvatoris onus quò crescit amplius, eò portabilius fit, &c. quia portat potiùs quàm portatur.* Exempla ista, & tantorum Patrum auctoritas evincunt, legem Christi obligationum diminutione fieri graviorem, earumque adjectione evadere leviorem.

Virtute præditi facilius portāt onus legis, quàm alii.

69. Experientia id ipsum confirmat. Qui charitatis virtutumque omnium praxi diligenter se exercent, faciliùs servant legem, & rariùs labuntur in peccata mortalia, quàm qui non adeo multùm virtutibus se exercent, sed eò tendunt, ut gravia peccata vitent. Hoc indicat, legem posterioribus esse graviorem, leviorem prioribus. Nónne Religiosi plura onera habent, quàm sæculares? quis tamen negaverit, Religiosos faciliùs ferre omnia sua onera, quàm sæculares? ecce experientia ipsa evincit, legem obligationum additione fieri leviorem, earumque ablatione graviorem evadere.

Aliquando facilius est servare cōplexum totum, quàm unam partē finealia.

70. Demum ratio evincit id ipsum. Lex Christi multa præcipit carni & sanguini valde repugnantia, & consequenter difficilia, quæ tamen virtutum, & potissimè charitatis exercitio redduntur facilia, ut PP. asserunt, & experientia confirmat. Ergo qui aufert obligationem charitatis & virtutum, non minuit, sed auget difficultatem legis, quique dictam obligationem astruit, legem facilitat, quamvis numerum præceptorum augeat, quia ille aufert, hic ponit ipsam legis observandæ facilitatem, quæ in virtutum, ac potissimùm in charitatis exercitio consistit.

Rursus, *facilius est*, inquit Chysostomus, *servare utrumque, scilicet neque videre neque adulterare, quàm videndo non adulterare.* Hinc sic arguo. Vel tota lex obligans, sumpta sine considerabili dilectionis affectu (ad quem multi putant nos rarò obligari) est servatu facilior, quàm complexum ex totâ lege & affectu illo charitatis, vel non. Non primum, quia & experientia, & auctoritas SS. repugnat. Ergo secundum. Ergo lex additione obligationum evadit facilior.

Oratio necessaria est ad legē implendam.

71. Demum Tridentinum *sess. 6. cap. 11.* hæc habet. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, &c.* Ecce Tridentinum, ut ostendat unde præcepta Dei fiant facilia, supponit orationem aliquando necessariam esse ad Dei legem servandam, cùm

 sine

sine illâ aliquid supponatur esse nobis impossibile. Et sanè hic ordo, ex Evangelio desumptus, per nostras opiniones immutari nequit. Ergo aliquando aliquid non possumus, nisi petamus, & petita obtineamus. At secura & audienda petitio multa requirit difficilia, etiam assuetis orare; ac proinde inassuetis difficillima. Debitè autem, & quâ par est instantiâ ac fiduciâ petere difficillimum est ipso pugnæ tempore. Ergo deobligare à frequenti exercitiò orationis non est legem faciliorem, sed difficiliorem reddere. Ergo quando quæritur, an quotidiè orare teneamur, incongruè solvitur quæstio, dicendo, nos non tam frequenter ad id teneri, quia id esset nimis grave. Nam è contra durissimum esset hæc tempora præterire, & tunc solùm tepidos ad orandum obligare, quando vehemens tentatio urgeret, quo tempore ferventes ipsi vix sibi constant. Nónne hoc esset homini misero, qui unâ gravi tentatione tantùm non obruitur, aliam gravem obligationem debitè orandi tunc imponere? Certè hoc non est benignè sed rigidissimè sentire in ordine ad sublevandum onus talis hominis. Qui enim unam legem servare vix potest, quomodò duas implebit? Ita Celladeus *quæst. 2. à §. 3. usque ad finem.* Ubi diffusissimè tractat hoc argumentum, & in eo tamquàm in re nimis patenti gloriatur. Unde infert, plures opiniones de occasione proximâ, quæ benignæ dicuntur, non esse benignas, sed rigidissimas, quod & experientia probat, quia difficile ac rarum est, hominem in eis non labi.

Paradoxum hoc ut jacet Christi verbis contrariatur.

72. Respondeo, paradoxum hoc, sicut primo aspectu apparet incredibile, ita examinatum ex omni parte reperitur indigestum, ac falsum. Inprimis peto à Celladeo, an existimet, hoc argumentum probare, nullam præceptorum additionem, nullamque opinionum rigorem reddere posse legem gravissimam & importabilem? Si affirmet, errat & adversatur Christo arguenti Pharisæos, quòd onera importabilia hominibus imponerent. Si neget, frustra utitur hoc argumento ad probandum, quòd benigna sententia legem Christi difficiliorem reddat; quia nil est in argumento isto sub generalibus terminis contento, ex quo, stante exceptione propositâ, potiùs inferri possit, opinionem benignam quàm rigidam contineri in numero earum, quæ legem reddunt graviorem. Immò si hæ duæ opiniones invicem comparentur, apertè sequitur, rigidam opinionem legem gravare, quia si ulla opinio directa est nimis rigida, illa profectò, quæ omnium talium opinionum rigorem reflexè approbat atque in se continet, est rigidissima, legemque reddit graviorem. Talis est sententia Celladei, ut patet. Ergo illa est quæ aggravat. E contrario benigna sententia, huic contradicens, non potest non onus alleviare, quatenus corrigit opinionem nimis gravantem.

Argumentum Celladei nimis probat.

73. Respondeo ergò secundò, argumentum nimis probare, quia, ut jacet, tendit ad probandum, legem per nullam præceptorum additionem fieri posse graviorem, quod certò falsum esse constat ex verbis Christi. Præterea, si Ecclesia, aut superior omnibus præciperet rigidissimum toto anno jejunium, sævam ac quotidianam verberationem, devotissimam plurium horarum flexis genibus, ac junctis manibus meditationem, aliaque plura istis simillima, legem conderet observatu difficillimam, paucique ex totâ hominum collectione eam servarent, aut etiam moraliter loquendo servare possent. Ecce aliqua præcepta, aliis juncta, reddunt legem difficillimam. Ergo non omnis, sed ad summum aliqua tantùm legum adjectio potest onus alleviare, Sed quænam illa? Dicet fortasse Celladeus, illam obligationem hoc præstare, quæ charitatis virtutumque omnium exercitium præcipit, quia charitas omnia dulcorat, & exercitium virtutum efficit, ut promptè & delectabiliter operemur. Sed contra primò, quia omne præceptum ad alicujus virtutis exercitium obligat. Ergo si obligari ad virtutis exercitium onus alleviat, nullum non præceptum onus alleviabit. At hoc est certò falsum. Ergo argumentum ne quidem hoc modo sumptum subsistit. Contra secundò, distinguendum enim est inter hæc duo. *Charitas, aliæque virtutes alleviant onus, si exerceantur. Obligari ad frequens & fervens charitatis & virtutum omnium exercitium, etiam pro priori antequam exerceantur, alleviat onus & obligationem.* Primum est verum, quia tales minus onus sentiunt, quàm alii, aut quàm ipsimet ab initio. Secundum falsum est, ut experientia demonstrat. Paucissimi enim sunt, qui hæc faciant; quod si raritas difficultatem arguat, ut Celladeus ex Hieronymo contendit, manifestum est, valdè difficile esse ferventi perfectoque amore Deum diligere, seque omni virtutum exercitio excolere, quia paucissimi hoc præstant. Præterea ratio id ipsum evincit, alioquin obligari ad Deum centies de die perfectè amandum super omnia, &c. non esset onus grave. At hoc est falsum. Ergo non solùm universaliter, sed etiam in omni particulari materiâ falsissimum est, quod obligationum additio legem reddat leviorem.

Æquivocatio Celladei.

In omni materia additio obligationum auget onus.

74. Respondeo tertiò. Si hæc doctrina esset vera sequeretur, leges innumeras de rebus perfectissimis prudentissimè addi posse ac debere, quia per hoc lex evaderet facilior, & gloriæ abundantioris consecutio certior. Profectò superiores, quorum curâ subditi ad æternam fœlicitatem dirigendi sunt, munere suo præclarè fungerentur, si leges ejusmodi quàmplurimas conderent, cùm nil fini obtinendo conducibilius facere possent. Nec quisquam de tali superiore conqueri posset; nemo enim de eo queritur, qui onus ferendum alleviat.

Prudentiæ esset leges gravissimas multiplicare, si Celladei paradoxum subsisteret.

Præterea unusquisque privatâ lege per votum prudentissimè se obligaret ad innumera, eaque strictissima & perfectissima; quia hâc ratione legem redderet faciliorem, certiùsque vitam æternam consequeretur. Cur ergo Celladeus voto se non obstringit ad mille actus contritionis quotidiè eliciendos? cur quotidiè non jejunat, omnique mortificationis genere ex voto se exercet? Si hæc durum legis onus levem sarcinam reddant, cur illa non præstat? Quid plura? omnes prudenter sectarentur S. Theresiam, votoque ad optima semper facienda se obstringerent, idemque aliis rationabiliter persuaderent, si Celladeo credimus. Hæc, aliaque ejusmodi absurda innumera ex hâc Celladei doctrinâ inevitabiliter sequuntur, si illa, prout jacet, & ab illo exposita est, accipiatur. Sed ad singula, quæ profert, respondeamus.

Rotæ & pennæ curtationem aeris facilitent.

75. Rotæ vehiculo, & pennæ alis avium debitè applicatæ motum quidem facilitant, sed longè aliter, quàm putat Celladeus, qui hæc rudi tantùm & ad vulgi captum explicatione proponit. Duabus de causis rota tractionem facilitat; prima est, quia rota in exiguâ tantùm parte tangit pavimentum, cum traha sine rotis magna sui parte terram premat, nec trahi possit onus, nisi omnes inæqualitatum occurrentium prominentiæ frangantur,

gantur, quod sine magnâ vi fieri non potest. Minor ergo vis requiritur ad pondus trahendum, si vehiculum rotis imponatur, quia pauciores inæqualitates pavimenti sunt conterendæ. Secunda ratio, quia rota habet rationem vectis, ratione cujus non est necesse, ut scabrities & inæqualitas pavimenti frangatur, sed pondus unà cum rotâ supra illud attollitur, sicut pondus per vectem movetur circa Hypomochlium. Atque hinc quò rotæ sunt majoris diametri, eò magis, cæteris paribus, motionem facilitant, quia proportionaliter ad suam altitudinem vectis rationem adaugent.

Rotæ aliquando difficultant lationem oneris.

76. Ex hâc rotarum constitutione sequitur primò, illas plerumque plurimùm juvare motum & lationem vehiculi onusti; juvant enim, quando pavimentum durum est, pressionique rotarum parùm cedit. Sequitur secundò, rotas sæpe nocumento esse ad ferendum pondus; si enim latitudo rotæ sit exigua, & per loca paludosa, aut per lutum profundum & crassum incedendum sit, rotæ nimium immerguntur; unde cùm ratio vectis imminuatur, & innumeræ partes glutinosæ ex omni parte rotæ adhærescant, vehiculum rotis innixum difficiliùs trahitur, quàm si instar trahæ semipaludosis illis glebis incumberet. Sequitur tertiò, rotas, si sint nimis crassæ ac ponderosæ, quales essent magnæ ac latæ rotæ plumbeæ, non facilitare sed impedire motum, maximè quando pondus ferendum est exiguum, quia ipsæ per se vix moveri possunt. Sequitur demum, pondus rotarum semper impedire; nunquam facilitare motum, quamvis rotæ aliquando motum adjuvent; si enim haberemus rotas levissimas, imò si fieri posset, omni pondere carentes, illæ cæteris paribus præferendæ forent, quia omni ex parte motum facilitarent, eumque suo pondere non impedirent. Verùm quia rota fortis & valida absque pondere haberi non potest, ideo necesse est pondus ponderi addere, ut totum faciliùs trahatur mediantibus rotis, quàm trahi potuisset illis non mediantibus; non quia pondus adjectum tractionem facilitat, ut Celladeus innuit, hoc enim semper est falsum, sed quia res, cui pondus aliquod hîc & nunc inhæret, propter rationem vectis plus adjumenti tribuit ad movendum pondus, quàm impedimenti afferat per pondus innatum. Itaque in casu rotæ, propositio illa: *pondus ponderi adjectum reddit totum facilius trahibile, quàm esset pars sine comparte:* in rigore semper est falsa, quia ratio facilitatis non consistit in adjectione ponderis, ut patet. Solùm ergo vera est illa propositio in sensu materiali, quando non loquimur de ipso pondere, sed de re, quæ ponderosa est, quæque per alia accidentia plus præbet adjumenti, quàm pondus impedimentum afferat.

Pondus rotarû semper impedit, nunquam juvat lationem oneris.

Gravitas pennarum non juvat volatum.

77. Idem proportionaliter dicendum de pondere pennarum, illæ enim non juvant motum, quia ponderosæ, sed quia cum exiguo pondere magnum vectem, avium viribus ac moli proportionalem, constituunt. Porro quia vis per vectem illum addita superat pondus pennarum, ideo pennæ volatum juvant. Cæterùm si pennæ nullam aut minorem gravitatem haberent, eò meliores essent, modo nullam longitudinis, figuræ ac duritiei jacturam facerent. Præterea si pennæ alarum aquâ aut alio corpore adscititio graventur, plurimum inde impedimenti aves sentiunt.

78. His constitutis, non sequitur ex istis exemplis, quodcumque præceptum aliis additum minuere onus legis, sed oppositum evidenter infertur, si in paritate sistamus. Omne enim gravitatis additamentum, in eodem genere factum, motum difficultat. Onus vehiculo aut corpori avis additum non juvat, sed impedit motum. Rursus si rotæ ipsæ, aut pennæ sint graviores, cæteris paribus, minùs juvant. Itaque ad summum sequitur ex hac paritate, jugum Christi illorum tantùm præceptorum adjectione fieri leviorem, ex quorum existentiâ semel admissâ, vel plus difficultatis aufertur ab aliis præceptis, quàm novum mandatum continet, vel certè novæ vires in eâ copiâ adduntur, ut jam impletio omnium illorum præceptorum sit facilior & superabilior, quàm fuisset impletio partis, si aliud mandatum non accessisset. At nil horum evenit. Primò per illorum præceptorum additionem nullæ vires novæ adduntur, ut patet. Deinde aliorum difficultates nondum minuuntur, sed solùm difficultates undique accumulantur. Quamvis enim, si aliqua fiant, alia facilitentur, illa tamen non ideo simpliciter evadunt faciliora, quia ipsa media adhibenda sunt difficilia, & nisi ponantur, homo peccat, & ob peccatum debilitatur, multisque auxiliis meritò privatur, quas difficultates non incurrisset, si medium illud non ut præceptum, sed ut consilium propositum fuisset. Præterea hoc medium non facilitat, nisi diu ferventerque exercitum fuit. At hoc ipsum valdè difficile est, & illo habito, adhuc reliqua difficultatem continent. Ergo, omnibus inspectis, impletio legis facilior & superabilior est sine illo novo mandato per se difficili.

Paritates istæ evincunt non omne additamentum obligationis alleviare onus.

79. Rursus, quamvis additamenta onerum aliquando facilitent ponderis lationem, id tamen non efficiunt, si additio illa sit exorbitans, & improportionata indoli ac viribus agentium, quibus fit additio, ut videre est in nimiâ rotarum gravitate, ac improportionatâ pennarum longitudine, &c. Ergo nisi præcepta allevantia hanc proportionem servent, difficultabunt, non facilitabunt observationem legis.

Additio oneris nô facilitat, si sit improportionata viribus ferentis onus.

80. Quæ cùm ita sint, ex omni parte non solùm labitur argumentum Celladei, sed contra ipsum facit, quia illius sententia undique aggravat legem, cùm in omnibus tam facilitantibus quàm non facilitantibus stringat, & ad opiniones rigidas sectandas cogat. Certum est autem, talem onerum additionem aggravare, non facilitare legem, quia gravamina cumulat, & vires ad ferendum non auget. Præterea ut paritas subsistat, præcisa præceptorum additio debet reddere onus ferendum levius, id enim in rotis evenit. At hoc non est verum ex mente Celladei, qui supponit facilitatem non nisi ex usu ferventique legum observatione provenire. Ergo per meram legum adjectionem onus non evadit levius, quamvis fiat facilius, si præcepta illa aliquamdiu diligenter serventur. At hoc idem evenisset, si absque novo præcepto illa opera redacta fuissent in praxim. Ergo quòd præcipiantur, non facilitat, sed difficultat legem. Et sanè quod maximè facilitat præcepta est praxis consiliorum, & non nuda præceptorum observatio, ut patet, quia neminem fortè invenies, qui præcepta custodiat, absque eò quòd aliqua supererogationis opera exerceat. E contra, qui consilia sectantur, longè faciliùs servant præcepta, quàm alii.

Paritates istæ Celladeum erroris convincunt.

80. Demum præcepta facilitantia (si quæ sint) commensurari debent viribus communitatis. Hanc commensurationem solus Deus novit. Credibile autem est, Deum de facto omnia præcepta dedisse, in quibus hæc facilitas consistit, quæ

Solus Deus novit quæ præcepta facilitent legem.

quæ certè non in incertis, sed in legibus indubitatis fundari debuit; hoc enim ad Dei providentiam pertinere videtur, ne communitas notitiâ legum facilitantium careret. Jam qui taxam majorem statuit, onus & impedimentum adjicit, nam *qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Proverb. 30. 33.* Peto jam à Celladeo, quâ probabilitate dicere potest, quòd si alia præcepta certis istis & indubitatis adjiciantur, per hoc totius legis observatio facilior fiat? Unde probat, novam illam adjectionem esse potiùs proportionatam, quàm improportionatam fidelium viribus? Quis illi dixit, sententiam rigidam, quam inducere conatur, esse præceptum illud viribus nostris adeo proportionatum, ut legis facilitas ab eo singulariter dependeat? Omnes alii dicunt contrarium, & probant quod dicunt; ille autem nil horum aut probat aut probare potest, cùm tamen omnia & singula illorum probanda sint, tum ut argumentum, in ista paritate fundatum, ipsum juvet, tum ut quæstio undecumque tandem in favorem ipsius resolvatur.

Celladeus nullâ habet probabilitatem pro eo, quod docet.

82. Augustinus affertur quidem contra nos, sed nobiscum per omnia sentit, quia refert levitatem oneris Christiani in fidem, spem, & charitatem; quod ita verum est, ut tamen fides, & spes antecedenter ad charitatem omnia facilitent, ut expressè probat loco supra citato *num. 18.* & quidem ita de hoc loquitur, ut per ipsum exercitium harum virtutum, quæ exiguam difficultatem habent, alia reddantur facilia; non autem refundit hanc facilitatem in frequens ac fervens exercitium, ut sit facilitas quædam habitualis, sed in ipsum actum, quo intellectus illuminat voluntatem, & voluntas amat æterna præ temporalibus. Porrò quod habet hoc loco, coïncidit cum eo quod aliàs tradiderat; in hoc enim sermone aliud non contendit, quàm ostendere peccata & vitia esse sarcinas multò graviores onere legis Christianæ. Deinde probat, legem Christi, ejusque observationem esse sarcinam, sed levem; idque non esse impossibile ostendit exemplo pennarum, quæ sarcina sunt, nec tamen impediunt volatum, sed juvant. Ita pariter fides, spes, charitas sarcina sunt, sed levis, quia gravissimo peccatorum pondere nos liberant, & ad finem ultimum elevant, & conducunt: sed esto, quod Augustinus dicit hoc loco, applicetur sarcinæ præceptorum certò obligantium, & sensus sit, quod tota lex sit sarcina levis eam amplectentibus, & in eâ se exercentibus, meritoque comparetur non ponderi onerati, sed alæ volaturi; hinc certè non sequitur, opinionem rigidam alis potiùs comparari debere, quàm ponderi. Quid ergo juvat Celladeum hic textus? Verùm aliter se res habet. Augustinus non solùm loquitur de præceptis, sed etiam de consiliis, de quibus omnibus affirmat, quòd, si in praxim reducantur, sint instar alæ nos attollentis è terrenis ad cælestia, & consequenter reputari debeant sarcina levis. Præterea nos hîc non agimus de facilitate legis, si servetur, sed ut servetur. Quamvis ergo hic locus probaret illam esse levem, si servetur, non tamen probat quòd sit levis, ut servetur. Verùm locus hic, sicut & alter à nobis allatus, probat utrumque, scilicet legem levem esse si servetur, & levem esse ut servetur; facile enim est credere & sperare; per fidem autem & spem omnia reliqua redduntur facilia, ut ex Augustino, & manifestâ ratione ostensum est.

Augustinus Celladeo nô favet, sed nobiscum sentit.

83. Verba Bernardi, ut sonant, videntur favere Celladeo, sed revera nullam difficultatem habent; scribit enim ad Monachos S. Bertini, quos de disciplinæ observatione laudat, & ad fervorem hortatur. Dicit ergo Religiosorum pigritiam esse inexcusabilem, eò quòd pigri plus difficultatis sentiant, & minus meritum acquirant. Ad quod declarandum attulit verba, à Celladeo citata, quibus similitudinem pennarum adjecit. His prænotatis. Inprimis certum videtur, Bernardum loqui non tam de rigorosis præceptis, quàm de consiliis, quia & personæ, quas alloquitur, & modus illas alloquendi, totusque contextus hoc evincunt. At loquendo de consiliis verum est, quod dicit, quia hoc onus eò portabilius evadit, quò ampliùs crescit, modò incrementum intra mensuram discretionis contineatur; indiscretam enim augmenti præscriptionem omnes ut noxiam & importabilem explodunt. At nos agimus de observatione præceptorum omnibus communium, de quâ dispar est ratio, ut ex dicendis constabit.

Bernardus loquitur nô tâ de præceptis, quàm de consiliis.

84. Deinde Bernardus loquitur de facilitate oneris totius ex suppositione quod feratur, non ut feratur. Sicut enim onus vitæ religiosæ perfectæ, si exerceatur, levius est onere imperfectorum, qui multa contra suas inclinationes agere coguntur; ita pariter idem onus difficilius est onere imperfectorum, ut feratur. Si enim onus vitæ perfectæ levius & suavius esset ad ferendum, quàm onus vitæ non adeo perfectæ, omnes aut plerique evaderent ferventissimi, nec à proposito perfectæ vitæ toties deficerent. At validè ferventes sunt pauci; plurimi verò à repetito proposito vitæ perfectæ resiliunt. Ergo vita perfecta est onus grave, ut feratur, & exerceatur; paucitas enim sectantium vitam aliquam, & multitudo conantium sed in conatu deficientium à vitâ illâ clarè arguit, vitam illam difficilem esse, ut feratur. At nos loquimur de facilitate legis strictè obligantis, non si servetur, sed ut servetur. Ergo Bernardus nobis non adversatur, sed Celladeo repugnat; quia si loquamur de facilitate faciendi totum, opera consiliorum perfectè servatorum (de quibus Bernardus agit) difficiliora sunt, ut serventur, quàm sit pars. Ergo idem de præceptis inferri potest,& debet: Celladeus autem utitur hoc loco, ad probandum oppositum, scilicet quod totum faciliùs servetur, si plura servanda adjiciantur, quod certè & Bernardo, Bernardique doctrinæ hîc traditæ repugnat, & adversatur veritati, nisi cum multis limitationibus accipiatur, ut ostensum est.

Bernardus loquitur de facilitate oneris, si feratur, non ut feratur.

Quæstio præsens est de levitate oneris, ut feratur.

85. Experientia à Celladeo allata solùm probat, observantiam legis reddi faciliorem per constantem & diuturnam illius custodiam, & multò magis per consiliorum exercitium, quàm sit antecedenter ad ista; quod verum est, quia per exercitium facilitas aliqua acquiritur, & amplior gratia obtinetur. Verùm hoc nil facit ad præsentem quæstionem de facilitate legis, ut servetur. Jam quod Religiosi faciliùs ferant & nova & antiqua onera, quàm antea ferrent antiqua & pauciora, verum quidem est, sed hoc non oritur ab adjectione novorum onerum, ut vult Celladeus, sed aliunde. Inprimis, status religiosus multa auxilia peculiaria annexa habet, quæ ad gratiam vocationis pertinent. Deinde, status ille removet occasiones peccandi, pluresque legem servandi difficultates arcet, quibus implicantur degentes in sæculo. Tertiò, Religiosi tot adjutores, ac correctores habent, quot eis superiores & Patres spirituales præficiuntur, à quibus quà spe, quà metu, quà amore deterrentur à malo, & ad bonum

Experientia probat facilitatê legis, si servetur, non ut servetur.

Facilitas Religiosorum non à novo onere, sed aliûdè provenit.

rum stimulantur. His de causis facilius est Religiosis simul tam votorum quàm totius legis onus ferre, quàm sæcularibus sola mandata observare; sed hæc facilitas à novo votorum onere non procedit; qui enim in sæculo victurus talia vota emitteret, non solùm non facilitaret mandatorum observantiam, sed, omnibus inspectis, majori periculo subjaceret, quàm sæculares, quia in eisdem cum illis occasionibus versaretur, & tamen multa illi essent illicita, ad quæ natura sollicitaret, provocaret exemplum, & occasio alliceret, quæ tamen sæcularibus essent permissa. Hinc rarò suadendum est hominibus in sæculo viventibus, ut talia vota emittant, quia plerumque res ex consilio non succedit, sed illos facti pœnitet; quod arguit, talia vota viam salutis illis non facilitare. Per omnia ergo errat Celladeus, qui facilitatem hanc incredibili paradoxo in solam obligationum adjectionem refert.

Lex charitatis omnes obligat, sed non ut vult Celladeus.

86. Ad primam Celladei rationem respondeo, legem quidem charitatis eliciendæ ad omnes extendi, non tamen exigere tam fervens & frequens perfectæ dilectionis exercitium, quàm Celladeus imaginatur. Peto enim ut determinet frequentiam, intensionem, ac fervorem actuum dilectionis Dei, ad quos præceptum charitatis directè & per se obligat. Si rationabiliter respondeat, intricatum proprio argumento se sentiet, si obligationem augeat, dicatque omnes ad perfectum amoris & contritionis actum sæpiùs quotidiè eliciendum obligari; etiamsi non occurrant illæ circumstantiæ, in quibus communis opinio illam obligationem ponit, gravissimum in homines onus absque sufficienti ratione conjiciet; quia majori hominum parti difficillimum est tam perfectos charitatis actus frequenter elicere. Quamvis enim tale exercitium suave sit, si fiat, non tamen facile est, aut suave ut fiat, quia præter fidem vivacem, magnamque divinæ bonitatis existimationem, multam animi recollectionem, difficultatum omnium contemptum, propriarumque cupiditatum summam aversionem postulat. At ista sunt difficilia, & à paucis in praxim reducuntur. Deinde longè maximam Christianorum partem frequentis peccati mortalis condemnat; constat enim, paucissimos tales actus elicere, cùm tamen non pauci ab aliis peccatis mortalibus, Deo opitulante, ita se custodiant, ut in hoc onus valde grave non sentiant. Vel ergo peccant, vel non peccant, illos charitatis actus non eliciendo. Si non peccent, eò quòd ignorantia eos excuset; ergo lex non est gravis & importabilis, quamvis homo non se exerceat in frequentibus ac ferventibus actibus charitatis. Ergo facilitas seu non gravitas legis non est charitas, sed aliunde desumitur. Si dicat eos peccare, fortiùs urgetur, quia si, non obstante hoc peccato, residuum legis non difficulter servetur, profectò facilitas legem servandi à charitatis exercitio non necessariò dependet, cùm non solùm absque illo, sed etiam cum peccaminosâ charitatis transgressione perseveret. Ergò qui tale præceptum charitatis adjungit, non facilitat, sed difficultat observationem legis totius, cùm major spes eluceat servandi residuum, si hoc præceptum non extaret, quàm sit servandi difficile hoc præceptum cum reliquis. Idem argumentum valet de aliis præceptis positivis, quæ non obligant pro semper.

Qui negant strictam obligationē charitatis nō tollunt facilitatē legis.

87. Præterea, quamvis sola charitas esset facilitas legis, non inde sequeretur, facilitatem servandi legem tolli per eos, qui non tam strictam charitatis obligationem ponunt; talis enim assertio nec tollit, nec impedit fervens ac frequens charitatis exercitium; sed solùm docet illud sub præcepto stricto non cadere. Cæterùm asserunt illud esse materiam consilii, ad quod omnes hortantur. Certè eximius fervor in omni virtute legem facilitat; nemo tamen dixerit hanc facilitatem auferri, eò quòd fervor ille eximius sub præceptum non cadat. Adhuc enim est materia consilii, ad quod hortamur omnes, ut minorem in lege servandâ difficultatem sentiant. Idem valet in casu nostro. Itaque in hac etiam sequelâ erravit Celladeus.

Celladeus confundit facilitatem antecedentem cū consequente.

88. Verba Chrysostomi, sed non locum citavit Celladeus, unde locum inspicere non licuit, ut genuinum verborum sensum exprimerem. Respondeo tamen, quòd sæpe respectu peculiaris hominis facilius sit servare utrumque, scilicet & non videre & non concupiscere, quàm videndo non adulterare in corde; quia sæpe parva est difficultas in non aspiciendâ alienâ, quâ tamen visâ oritur difficultas non concupiscendi. Cæterùm universaliter loquendo audacter dico, longè difficilius esse ut fiat utrumque, scilicet ut homines nunquam oculos in alienam conjiciant, & illam non concupiscant, quàm videndo non concupiscere. Ratio est, quia difficillimum, & respectu communitatis moraliter impossibile est, nunquam cum fœminis alienis sermonem habere, aut in eas oculos conjicere, vel contractus ac negotiationes cum eis miscere. Ergo majus onus esset utrumque, quàm alterum tantùm prohiberi. Et sanè si utrumque esset prohibitum, innumera prorsùs peccata ex morali necessitate sequerentur, quæ non sequuntur de facto, quia unum tantùm illorum universaliter prohibetur. Quare in complexo legum non videndum est, quid esset facilius, si una pars servaretur, sed quid sit facilius, ut & illa pars, & reliquæ etiam serventur. Sed Celladeus hæc non distinguit, & ideo in æquivocationes incidit.

Obligatio charitatis, qualē Celladeus ponit legem redderet difficiliorem.

89. Quare dico, totam legem unà cum considerabili affectu charitatis, qualem Celladeus exprimit, indubitanter esse servatu difficiliorem, quàm reliquam legem sine tali affectu, quamvis primum esset facilius, si charitas ita exerceretur. Et sanè praxis ipsa hoc esse verum evincit, cùm paucissimi ex plebe sint, qui in talibus actibus perfectæ charitatis se exerceant; cùm tamen plurimi illorum à cæteris peccatis mortalibus non ægrè se abstineant. Jam raritas in rebus istiusmodi difficultatem arguit, & Celladeus idipsum ex Hieronymo tamquam certum admittit. Itaque absque dubio peccata multiplicarentur in mundo, si talis esset obligatio charitatis, qualem Celladeus hîc insinuat. Sed nónne Patres contrarium dicunt? minimè. Illi enim eodem modo loquuntur de ferventi aliarum virtutum ac de charitatis exercitio, quod à Deo non est præscriptum sub præcepto, sed propositum sub consilio. Difficilius autem est, maximè toti communitati, sequi consilia perfecta ex obligatione, quàm legem strictè obligantem servare, & ea solùm ex consiliis, quæ singulis magis arrident, adhibere. Præterea PP. loquuntur de facilitate consequente, & ex suppositione, quòd charitas ferventer exerceatur, non autem de facilitate antecedente, ut totum fiat, de quâ solâ tamen præsens quæstio principaliter procedit.

Moderata charitatis obligatio reddere potest totam legem faciliorem.

90. Hoc tamen non obstante, admitto totum complexum legis, involvendo moderatam illam charitatis obligationem quam communis graviorum Theologorum sententia statuit, esse

servatu

servatu facilius, etiam respectu communitatis, quàm esset residuum legis, si obligatio charitatis prorsùs cessaret. Ratio est, quia Deus, qui omnium vires & propensiones comprehendit, potuit legem condere, quæ tota simul sumpta esset servatu facilior, quàm pars reliqua, si præceptum charitatis, utpote nobilissimum & ad Dei præstantissimum cultum immediatè spectans, tolleretur. Ergo credibile est, eum ita de facto sua præcepta in lege gratiæ constituisse; quia hoc ipsi gloriosius, & nobis utilius est, quàm si aliter legem instituisset.

Ratio probans idipsũ.

91. Præterea ratio id ipsum confirmat, quia moderata illa charitatis obligatio non est adeo difficilis, ut servetur. Non enim difficile est Deum propter se diligere, quando ejus bonitas proponitur, & nulla gravis tentatio in contrarium urget. At omnes, qui mediocrem salutis curam gerunt, sæpe versantur in tali dispositione. Ergo non est illis valde difficile Deum aliquoties ex charitatis affectu diligere. Ergo lex ista non est difficilis ut servetur. Rursus, si servetur, multùm facilitat ad alia, quia ex unâ parte animum in bono figit per fortissimum propositum in potentissimo ac suavissimo motivo fundatum: & ex aliâ parte uberiora gratiæ auxilia secum fert ad alia in posterum servanda, quàm cujusvis alterius virtutis exercitium. Nec sufficeret, si hoc charitatis exercitium solùm sub consilio proponeretur, quia homines tunc pigriores essent ad aliud frequentandum, quàm stante præcepto, ut videre est in aliis materiis v. g. in auditione Missæ, &c. Ergo si charitatis exercitium nunquam esset præceptum, homines rarissimè illud frequentarent, & consequenter illis privarentur auxiliis, quibus perfecti Dei amatores fortificantur, atque ita ad reliqua præcepta servanda debiliores efficerentur. Itaque omnibus inspectis, fateor, legem Christi ita institutam esse, ut illa per accidens evaderet aliquanto difficilior, si præceptum charitatis tolleretur. *Per accidens*, inquam, quia major illa difficultas hominum tepiditati, non rebus præceptis tribueretur; si enim homines in eo casu æquè ferventer ac frequenter diligerent Deum ex consilio, sicut nunc faciunt, stante præcepto, lex illis tam facilis esset, quàm de facto est nobis. Fieri enim nequit, ut ex ipsâ præcisè obligationum multiplicitate facilitas omnia servandi crescat per se, cùm eadem præstari possent sine obligatione, per quæ facilitas servandi alia supponitur conferri. Proinde errat Celladeus, qui contendit, ipsam legum additionem esse propriam causam, ex quâ facilitas observandi totam legem per se dependet.

Ista facilitas non per se, sed per accidens oritur ab obligatione charitatis.

Moderata obligatio orãdi per accidens reddit totam legem observatu faciliorem.

92. Ad illud ex Tridentino de necessitate orandi Deum pro auxiliis, quibus indigemus, fateor ordinem à Deo statutum per nostras opiniones alterari non posse; quare ultrò concedo, homines, qui in occasionibus à Deo stabilitis ad Deum per orationem non recurrunt, sæpe egere auxiliis, sine quibus observatio legis admodum difficilis redditur. Nihilominùs ex opinionibus fieri potest per accidens, ut homo non peccet novo peccato, quamvis hîc & nunc non oret, quando per se loquendo tenebatur orare. His positis, quæres, an lex tota esset facilior observatu, ablato quàm posito orationis præcepto? Respondeo eodem modo, sicut proximè respondi ad similem quæstionem de obligatione charitatis; nempe moderatam orandi obligationem (qualem communis graviorum Theologorum opinio statuit) efficere saltem per accidens, ut tota lex facilior sit, quàm si nulla foret ejusmodi obligatio. Ratio est eadem, quia tale præceptum facilè servatur, servata autem, plurima ad alias leges servandas auxilia impetrat. Cæterùm si orandi fervor, continuatio, & assiduitas (ad quas argumentum Celladei collimat) essent præceptæ, haud dubiè lex evaderet observatu difficilior, quàm est; quia licèt præceptum illud orandi, si impleretur, reliquorum observationem facilitaret, tamen quia difficillimum esset illud ipsum orandi præceptum implere, pauci illud implerent. Rursus post illud impletum, adhuc reliqua essent difficilia, & multi in illis deficerent. Ergo tunc tota lex esset difficilior, quàm nunc.

NONNULLA CELLADEI
dicta redarguuntur.

93. SOLUTIS argumentis, notanda & arguenda sunt nonnulla, quæ in discursu Celladei displicent. Primum est, quòd falsò supponat, orationem, in gravi necessitate ac tentatione adhibendam, non inassuetis tantùm, sed etiam sedulò orare assuetis esse valde difficilem. Certè per talem obligationem lex non facilitaretur, sed difficilior evaderet, ut ex proximè dictis constat. Nec obstat, orationem, quâ salus æterna & perseverantia finalis petitur, multa requirere, ut effectum infallibiliter obtineat; ideo enim difficile est talem orationem adhibere, & pauci sunt etiam ex diligentioribus, qui vi suæ orationis salutem infallibiliter consequantur. Unde sequitur, talem orationem sub præceptum non cadere; quod enim adeo difficile est, ut rarò fiat etiam à diligentioribus, non est materia præcepti, sed consilii; si enim talis oratio esset præcepta, vix ullus salvaretur, cùm vix ullus ita oret. Itaque tale præceptum, si daretur, non facilitaret observantiam legis, sed innumera peccata multiplicaret, redderetque salutem respectu multitudinis seu communitatis moraliter inacquisibilem.

Oratio, in gravi necessitate præcepta, non est valde difficilis.

94. Idem dicendum de oratione necessariâ ac præceptâ ad impetranda auxilia, quando magna difficultas ingruit; si enim illa tot tamque difficiles conditiones requireret, ut in orandi studio diligentissimis, etiam extra vehementis tentationis impedimenta constitutis, esset difficilis, ex hoc ipso sequeretur, talem orationem non esse præceptam, quia esset onus, quod à communitate ferri non posset. Et sanè tale præceptum vix ad aliud, quàm ad peccata multiplicanda, & salutem impediendam deserviret. Ergo deobligare ab oratione ejusmodi, & multò magis à valdè frequenti illius exercitio, est reddere legem observatu faciliorem; obligare autem ad illam, est legem facere à communitate moraliter importabilem.

Nec requirit tot conditiones quot Celladeus indicat.

95. Existimo ergo, omnem fidelem Christianum, maximè justificatum, in necessitate constitutum à Deo exaudiri, si juxta graviorum Theologorum præscriptum fideliter petat adjutorium, quo simpliciter indiget. Ratio est multiplex. Inprimis severior obligatio respectu communitatis videtur intolerabilis. Secundò, Tridentinum nullas conditiones apponit orationi, quâ innuit auxilia necessaria esse petenda & obtinenda. Quis ergo audebit plures ac difficillimas conditiones apponere, ac asserere orationem aliter factam non sufficere? Certè hoc alienum est

Fidelis gratiæ petitio in necessitate sufficiens auxilium impetrat.

est à mente Concilii, quod media illa proponendo intendebat ostendere, mandata Dei non solùm non esse impossibilia, sed etiam simpliciter levia. Tertiò, ea est Dei misericordia, ut sæpe contentus sit actibus imperfectis ad impetrandum quod postulatur. Voces illæ Apostolorum *Matth. 8. 25. Domine, salva nos, perimus:* sicut & illæ Petri. *Matth. 14. 30. Domine salvum me fac:* effectum impetrarunt, etsi Christus eos ob modicam fidem reprehenderit. Sed & illa oratio patris offerentis filium Dæmoniacum *Marci 9 23. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*, imitanda est à tentatis circa fidem; nec dubium videtur, quin tales orationes fideliter & fidenter probatæ adjutorium sufficiens sint impetraturæ. Deus enim cognovit figmentum nostrum, & fragilitati nostræ compatitur, nec facienti quod in se est, denegat gratiam. Homo verò fragilis, angustiis ac tentationibus implicitus, si modo dicto oret, censetur facere quod potest, ideoque Deus illum non deserit, sed auxilium sufficiens benignè largitur. Hoc enim suadet, & summa Dei benignitas, & copiosa Christi redemptio, atque humana imbecillitas id postulat. Hoc tamen non obstat, quò minùs Deus plus exigat à perfectis, quàm ab imperfectis & orare non assuetis; quia plus meritò exigitur ab eo, qui plus accepit.

Sæpe oratio iteranda est in eadem tentatione vel necessitate.

96. Et sanè homini fideli, salutisque suæ cupido, atque in angustiis deprehenso, non adeo difficile est ad Deum recurrere, à quo solo credit remedium posse subministrari, quemque sibi haud defuturum sperat. Nec tamen existimes, homini sufficere si semel oraverit; invocatio enim Dei, & petitio hujusmodi iterandæ sunt, quando aut prior tentatio perseverat, aut nova ingruit. Determinare autem in particulari, quæ & quanta sit obligatio orandi, & quando ac quoties urgeat, difficillimum est, nec quæstio præsens postulat id hoc loco determinari. Hoc solùm dicendum est, obligationem illam esse debere moderatam, juxta meliorum Theologorum præscriptum, non verò tot tamque difficilibus & frequenter repetitis circumstantiis difficultari, quot Celladeus exigit, quia hac ratione lex respectu communitatis evaderet importabilis, quæ tamen per alteram opinionem cernitur esse facilis.

Obligatio orandi frequentiùs urget, quàm obligatio charitatis.

97. Cæterùm obligatio orandi frequentiùs urget, quàm obligatio perfectæ charitatis, quia facilè est frequenter orare, cùm difficile sit Deum super omnia frequenter diligere. Rursus frequens oratio plura impetrat auxilia, quàm oratio minùs frequens. Nec tamen ideo frequenter orantes eximuntur à communi obligatione orandi, quando gravissima adest aut imminet tentatio. Quo posito, ruit quidquid Celladeus opponit. Non enim durissimum est, hominem, moderatè suis temporibus orantem, iterum obligari ad orandum, quando vehemens urget tentatio; hoc enim commune est etiam iis, qui multùm se in oratione exercent, & absque magna difficultate perficitur ut oportet. Nos ergo non statuimus duo onera gravissima ferenda, quando homo tantùm non labitur sub uno, sed unum leve ponimus, quo alterum onus plurimum minuitur. Ille verò duo gravissima statuit, nempe non cedere tentationi, & orare cum circumstantiis à se requisitis; quod adeo difficile est, ut paucissimi unquam ita orent; quo uno omnes ferme homines continui peccati mortalis absque fundamento condemnat. Ergo sententia Celladei non benigna, sed rigidissima est; utpotè quæ vires communitatis superat, & cœlum hominibus obstruit.

Celladeus ponit duo onera gravissima, quando uno vix ferri potest.

98. Idem de aliis opinionibus ad peccandi occasionem pertinentibus dicendum est; illæ enim, quæ juxta qualitatem rerum moderatam & rationabilem tantùm obligationem ponunt, (qualem communis gravissimorum Doctorum sententia statuit) verè sunt benignæ, non durissimæ; quamvis, teste experientiâ, sæpe contingat, homines illis utentes denuò labi. E contrario oppositæ sententiæ dicuntur & verè sunt rigidæ; quamvis enim facilitarent observationem alterius præcepti, si observarentur, sunt tamen observatu adeo difficiles, ut paucissimi illas observarent, quamvis essent præceptæ, sed in duplici peccato sordescerent; hominesque, omnibus inspectis, ex quadam necessitate plura peccata committerent, quàm committant de facto, stante moderato obligationum rigore.

Opiniones Celladei sūt rigidissimæ: illæ, quas taxat, sunt benignæ.

99. Secundus Celladei error circa materiam præsentem in eo vertitur, quòd cùm videret consiliorum observationem onus legis plurimùm facilitare, intulerit, congruum fore, si illa etiam præciperentur. Verùm in hoc confudit id, quod est facile simpliciter, cum eo quod est facile ex suppositione, quæ duo toto cœlo differunt; maximè in casu nostro, in quo difficillimum est, ut suppositio purificetur. Præterea, ea est consiliorum natura, ut toti communitati præcipi non possint, quia magnam perfectionem continent, cujus obtinendæ ob rei difficultatem tota communitas non est capax. Præclarè in hanc rem dixit Cardinalis Pallavicinus *1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 2. num. 12. In condenda lege quærendum est optimum, sed optimum in jubendo, non optimum in faciendo; lex enim, per quam juberemur facere omnia optima, esset pessima, & inobservabilis, ac perpetua causa peccati & damnationis.* Hæc ille, quibus alludit ad communem doctrinam, quòd leges debeant esse utiles, & moraliter à communitate observabiles. Tales non essent leges præcipientes optima, quia plura secum ferrent mala quàm commoda, & ob summam difficultatem à communitate moraliter loquendo observari non possent. Hæc cogitet Celladeus, videbitque sententias, quas falsò rigidissimas appellat, benignas esse non rigidas; è contrario autem rigidas illas, quas pro benignis venditat, verè esse rigidissimas, & moraliter inobservabiles; inter omnes autem perspiciet, sententiam suam reflexam esse onus durissimum, legemque Dei difficillimam reddere, & moraliter à communitate inobservabilem.

Lex præcipiens consilia, per quæ legis observatio facilitatur, esset lex pessima.

L QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA.

Vtrùm sententia rigida saluti animarum sit noxia?

1. De hac re fusè egi *quæst. 31. seu ultimâ de conscientia probabili*; quare breviter hîc & per modum Corollarii de illa agam, ut cuidam objectioni Celladei respondeam; nam quod dictis in illa quæstione addatur, vix invenietur.

ASSERTIO UNICA.

Rigida Celladei opinio animarum saluti noxia est.

Rigida Celladei opinio, si admittatur pro conscientiæ regula, saluti animarum noxia est.

2. PROBATUR. Illa sententia est noxia, & salutem animarum impedit, quæ gravat jugum Christi, innumeras perplexitates inducit, Sacramentorum administrationem difficillimam reddit, peccata multiplicat, cœlum hominibus claudit, efficitque ut pauciores salventur. Talis est rigida Celladei sententia, ut constat ex quæstione superiori, quia si admitteretur pro regula conscientiæ, omnia ista inferret. Ergo rigida Celladei sententia noxia est, & salutis animarum impeditiva.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

3. OBJIC. primò. Ratio ad stabiliendam assertionem allata nullius momenti est. *Vix sanè nugæ non sunt* (inquit Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 7.*) *nobis ita opinantibus plures vel pauciores salvari. Optandum esset, ut omnes salvi fierent. At nemo, ait Augustinus, optando facit, ut verum sit quod verum non est. Similiter dicamus nos, nemo opinando facit, ut verum sit quod verum non est. Si probabilis recta salutis via non sunt, salutem haud afferunt, sed perniciem inferunt animabus. Similiter, si non sint recta regula administrandorum Sacramentorum, illa rectè per eam non administrantur. Porro satius est ea Sacramenta rectè quàm sæpe administrari.* Ergo satius est admittere sententiam rigidam quàm benignam. Ita Celladeus loco citato.

Opiniones efficere possunt ut pauciores salvêtur, quàm alioquin salvandi fuissent.

Respondeo, neminem dicere, numerum prædestinatorum, qui de facto est, augeri aut minui; hoc enim non nugatorium, sed stultum esset; dicimus tamen, & indubitanter dicimus, opiniones, sectas, & peccata hominum efficere, ut pauciores salventur, quàm alioquin salvandi fuissent. Quis non videt hæreticorum sectas, Mahumetismum, sceleratorum hominum peccata, horrendas persecutiones efficere, ut non solùm innumeri parvuli, sed etiam adulti damnentur, qui alioquin æternam vitam consecuti fuissent. In eo ergo æquivocat Celladeus, quòd in Deo confundat voluntatem signi cum voluntate beneplaciti, seu voluntatem inefficacem cum efficaci. Hæc Dei voluntas nunquam frustratur, nec frustrari potest; illa verò impeditur, & sæpe per usum liberi arbitrii quodammodo frustratur. Hoc apertè constat ex eo, quòd innumerabiles homines damnentur, etsi Deus seriò velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Impeditur ergo Deus, ne salvet quos salvare intendebat. Similiter non solùm dicimur consilium Dei impedire, sed etiam irritum facere, juxta illud Psalmistæ. *Consilium Altissimi irritaverunt.* His positis, dicimus, nimis strictas Theologorum sententias perplexitates inducere, peccata multiplicare, & quod plus est efficere, ut pauciores salventur, non quàm sint verè salvandi de facto, sed quàm salvandi fuissent, si tales opiniones nunquam traditæ fuissent, quo nil certiùs aut evidentiùs in Theologia dici potest. Porro hominum istorum perditio talium opinionum Auctoribus sæpe tribuitur. Videat proinde Celladeus, atque etiam videat, ne singulari sua rigidissimáque sententia laqueum animabus injiciat, pluresque in infernum detrudat, quæ, si ipse tam rigida non scripsisset, in æternùm cum Deo regnassent.

Celladeus confundit voluntates quæ in Deo formaliter, distinguuntur.

Homo opinando orando,&c. facit plura esse vera, quæ alioquin vera non fuissent.

4. Eodem æquivoco laborat quod dicit, neminem optando, aut opinando, (addo ego orando aut laborando) facere, ut verum sit quod verum non est, quia evidenter repugnat idem simul esse, & non esse verum. Nihilominùs certissimum est, homines opinando, orando, laborando efficere, ut plura sint vera, quæ absque tali opinione & conatu nunquam vera fuissent. Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset, & si Christus non venisset, & locutus fuisset Judæis, peccatum non haberent. Itaque opinio & conatus non alterant ea, quæ independenter ab illis sunt vera aut falsa, sed plurima immutant ab ipsis dependentia, efficiuntque ut vera evadant, quæ alioquin fuissent falsa. Hac ratione viri Apostolici optando, orando, Evangelium prædicando efficiunt, ut multi salventur, qui sine tali ministerio damnati fuissent. Eadem porro est ratio de opinione, illa enim non facit esse verum quod actu verum non est, sed verum reddit quod alioquin fuisset falsum. Hoc tam patenter verum est, ut mirum sit, Theologum potuisse id in dubium revocare. Profectò omnis, qui operatur in dubio aut contra conscientiam, peccat; qui tamen nullo modo peccasset, si ante operationem invincibiliter judicasset operationem esse licitam. Ergo non solùm opinio, sed error sæpe facit verum esse, quod ablato errore verum non fuisset.

Celladei inconsequentia.

5. Atque hinc manifesta Celladei inconsequentia se prodit. Admittit ille ignorantiam & errorem invincibilem à peccato excusare, cùm tamen certum sit, errorem & ignorantiam invincibilem non reddere vera quæ vera non sunt, nec efficere, ut aut non patrentur peccata, quæ fiunt, aut ut ullus ex actu reprobis in numerum prædestinatorum transferatur. Hoc tamen non obstante

obstante asserit, vitationem peccati, & prædestinationem plurium, talem cum hac ignorantia connexionem habere, ut illæ dependenter ab hac suum effectum sortiantur. Ecce ipsemet urgetur iis, quæ contra nos objicit, nec aliter ea solvere potest, quàm si idem nobiscum respondeat.

Celladei contradictio.

6. Porro æquivocum etiam est, quod dicit, *si probabilia recta salutis via non sunt, non salutem, sed perniciem animabus afferunt.* Peto enim, quid per *rectam salutis viam* intelligat? si, ut ex totius libri contextu videtur, intelligat veritatem judicii probabilis, quo dirigimur in operando, toto cœlo aberrat, & sibi contradicit, quia in hoc sensu error invincibilis *non est recta salutis via;* error tamen ille non perniciem, sed salutem animabus creat, ut apud omnes, Celladeo fatente, certum est. Quòd si per rectam salutis viam intelligat dictamen, aut dispositionem, quâ peccatum formale excluditur, tunc verum est, *probabilia perniciem non salutem afferre, si non sint recta salutis via.* Verùm in hoc sensu certum est, quòd sint recta salutis via, quodque salutem afferant, cùm absque dubio à peccato formaliter imputabili excusent. Eadem doctrina, eademque interrogatio, ac distinctio locum habet in administratione Sacramentorum, ut patet. Quod si Celladeus contendat, rectam salutis viam esse dispositionem, non quâ peccatum præcisè vitatur, sed quâ opus bonum perficitur, ideoque velit probabilia falsa non esse rectam salutis viam, quia opus bonum non producunt; inprimis in hac sua singularissima sibique soli propria opinione errat, ut *ostensum est quæst. 3.* Deinde hoc admisso, malam illationem colligit, quia admittit errorem invincibilem excusare à peccato, etsi opus bonum non fundet. Ergo sicut per ipsum error invincibilis perniciem animabus non infert, etsi salutem non afferat, ita pariter consequens non est, probabilia perniciem animabus inferre, si recta salutis via non sint, & salutem non afferant.

Objectio 2.

7. Ob. secundò, si rigida sententia esset noxia, & benigna saluti animarum proficua, hoc inde sequeretur, quod, stante benignâ sententiâ, facile esset conscientias dirigere, cùm illæ per præscripta in Summis casuum dirigi possent. E contra, conscientiarum directio difficillima esset & perplexa, si rigida sententia assumeretur pro regula, tunc enim non liceret uti Summis casuum pro directione conscientiæ, sed opus esset magnâ doctrinâ ac sapientiâ ad tale munus administrandum. At hoc non est inconveniens. Nam ex adverso sic arguo.

Si vera esset benigna sententia, omnes etiam juvenes, & Theologiæ parum periti, statim evaderent absolutissimi Magistri conscientiæ, & peritissimi animarum Rectores, quia quisque accipere posset Summam casuum conscientiæ, & secundùm illam & se & alios tutò dirigere. At hæc ipsa rei tantæ facilitas satis apertè arguit ejusdem sententiæ falsitatem, quia ut Nazianzenus *Orat. 1. Apol.* præclarè argumentatur, si nulla disciplina, & ne quidem ars canendi tibiâ, aut saltandi absque diuturna exercitatione, plurimoque labore acquiri possit, *Sapientiam (quæ rerum divinarum humanarumq; scientia est) quæque omnibus præest, & bona omnia complexu suo tenet, rem usque adeo levem, & protritam existimabimus, ut ad hoc, quod quisquam sapiens sit, voluntas sola requiratur?* At benigna sententia est illa, quæ sapientiam non solùm disciplinis omnibus faciliorem, sed absolutè adeo facilem reddit, ut sola

Nazianzenus.

quodammodò voluntas Summam casuum legendi sapientissimum reddat. Ergo falsa & animarum saluti noxia est benigna sententia, ex qua tantum absurdum sequitur. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 5. §. 1.* Ergo sententia rigida animarum saluti non officit.

Industria peritorum faciliorem reddit disciplinæ acquisitionem.

Respondeo, omnem disciplinam peritorum Magistrorum industriâ reddi leviorem. Fieri ergo poterit, ut quis longè citiùs plurima discat, si voce aut scripto Magistri dirigatur, quàm si ipse per se eadem discere tentaret. Sic facilè est aliquem jam discere historiam Romanorum v. g. si diligenter legat unum aut alterum librum, in quo tota rerum ab illis gestarum series continetur, qui tamen notitiam illam totâ vitâ discere haud potuisset, si ipse collectiones ab aliis factas per seipsum in unum coacervare debuisset. Idem proportionaliter in aliis, & nominatim in casibus conscientiæ quodammodò locum habet. Peritissimi enim Magistri ideo collegerunt casus in unam Summam, ut minùs periti labore levarentur, ac brevi tempore discere possent, quæ absque talium Magistrorum subsidio vix totâ vitâ scire potuissent. Itaque haud dubiè, qui tales Summas, nullis opinionibus prohibitis aut practicè improbabilibus fœdatas, ad manus habent, brevi attingere possunt ad quandam pro idiotarum directione sufficientiam, si illas sedulò evolvant, modò hebetes non sint, sed ingenio polleant, & aliquam in doctrinis Theologicis institutionem habeant.

Celladeus proprio argumēto respondere debet.

8. Et sanè peto à Celladeo, quid ipse ad idem argumentum dicat? nonnè magna sapientia est in omnibus aut pluribus exactè scire positivum illud probabile, quod ipse pro conscientiæ formandæ regula proponit? nonnè longum planè studium & ingens labor requiritur, ut quis omnia illa probabilia sciat, & in unum corpus colligat? Ponamus jam ipsum Celladeum unà cum aliis viris doctissimis omnia illa probabilia in unam Summam colligere, atque id ipsum talibus argumentis & testimoniis probare, ut dubium nullum supersit, quin omnia & singula in illa Summa contenta ad eum probabilitatis positivæ gradum pertingant. Peto jam, an homo ingeniosus, de hac veritate planè convictus, diligenter perlegens talem librum, non possit brevi ad magnam sapientiam atque peritiam in casibus conscientiæ solvendis, atque animabus regendis pervenire? Certè ille plus sciret ex mente Celladei, meliusque ad illud munus instructus esset, quàm quivis Theologus peritissimus, quia nemo omnium est, qui omnia illa disertè novit, aut possit talia probabilia ab aliis absque novo atque ingenti labore discernere. Sed quid? illa facilitas essetne signum falsitatis, quia nemo evadit facilè sapiens? Ecce argumentum ab ipso Celladeo solvendum est, eodemque quidem modo ab ipso solvi debet, quo à nobis solutum est.

Utens Summâ casuum, & rectè alios dirigens, nō ideo simpliciter dicitur vir sapiens.

9. Cæterùm in his ipsis casibus, etsi homo hâc ratione de rebus illis superficialiter instructus, si interrogaretur, dicere posset, hoc licitum est, hoc illicitum; hoc est peccatum mortale, hoc solùm veniale, &c. non tamen simpliciter loquendo sapiens esset, aut juxta mentem Nazianzeni sapiens dici posset. Non enim absolutus Theologus est, qui omnes Theologiæ assertiones in libro aliquo concervatas habet, quamvis interrogatus de aliqua quæstione Theologica, si librum consulat, facile respondere, & assignare possit, quid illa de re sentiendum sit, aut à peritis sentiri soleat. Similiter, qui propo-

sitiones Euclidis collectas tenet, earumque sensum callet, non ideo peritus geometra dici debet, quamvis per modum assertionum plurima dicere possit, atque instar veritatum certissimarum proponere. Idem proportionaliter locum habet in casu nostro de Confessario, qui Summâ casuum ad pœnitentes dirigendos utitur. Ille enim non est sapiens Theologus, quamvis in multis ac plurimis tam alios quàm seipsum etiam possit dirigere. Ratio est, quia ille solùm sapiens Theologus dici potest, qui non solùm quid tenendum, sed etiam quare ita sentiendum sit, novit; quique omnium assertionum ordinem atque connexionem benè callet, rationesque in contrarium afferri solitas solvere, suasque Theses validis rationibus munire potest. At hoc à nemine, etiam ingeniosissimo, utente Summâ casuum, statim acquiri potest; magno enim labore, diuturnoque tempore opus est, ut ad talem sapientiæ gradum quis pertingat; & magna hominum pars prorsùs inepta est, ut ad talem scientiæ gradum ascendat.

Summæ casuum utiles sunt, & necessariæ ad Cõfessarios dirigendos.

10 Cæterùm miror, cur hæc facilitas conscientiam per Summas casuum regendi Celladeo displiceat. Putatnè fortasse consultum fore Ecclesiæ, si nullæ ejusmodi Summæ extarent? aut certè si à nemine nisi à consummato Theologo legerentur? At quis tunc rusticorum in omnibus pagis degentium curam gereret? ubi inveniet ille tot consummatos Theologos, qui possint, aut velint omnibus omnino Ecclesiis Parochialibus inservire? Profectò longè melius est ut tales libri extent, ex quibus minùs periti juventur, quàm si aut non extarent, aut minùs periti iis non uterentur. Necesse enim est, maximam Parochorum partem non esse viros in Theologiæ ac Canonum peritiâ consummatos, cùm juxta conditionem humanam tot docti inveniri non possint, qui omnibus omnino locis præfici possint, aut velint. Ergo congruum prorsùs est, ac quodammodò necessarium, ut officium animas regendi per hujusmodi libros facilitetur, quia longè plura incommoda provenirent, si Pastores animarum talibus præsidiis destituerentur, quàm ex eorum usu de facto veniunt. Quod cùm ita sit, ex hac ipsâ talium librorum necessitate confirmatur benigna, & rigida Celladei sententia confutatur, quia illa ita constituit rempublicam, ut illi de idoneis ministris animarumque Pastoribus provideri non possit. Impossibile enim est invenire sufficientem numerum eorum, qui ex propriâ scientiâ conscientias dirigere valeant. Sed de hoc argumento iterum disserendum erit in sequentibus.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Vtrùm eadem sit ratio sectandi probabilia in materiâ morum, ac in materiâ fidei?

1. NON solùm recentiores, sed etiam antiqui Theologi sic argumentati sunt. In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque opinionem probabilem. Ergo & in materiâ morum licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem. Antecedens sumitur ut principium notius, de quo nemo meritò dubitet. Consequens ob paritatem, seu potiùs ob identitatem rationis rectè deducitur. De hoc argumento latè egi *quæst. 21. de conscientiâ prob. à num. 16.* ex quâ nonnihil huc transcribendum judicavi, ut satisfaciam iis, quæ Celladeus circa hanc paritatem protulit *lib. 1. quæst. 1.* Sit ergo.

ASSERTIO UNICA.

In materiâ fidei licet sequi quamcumque opinionem probabilē.

In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque ex contrariis opinionibus certò probabilibus. Ex hoc autem ritè infertur, quòd idem liceat in materiâ morum.

2. PROBATUR prima pars, quia alioquin in rebus ad fidem spectantibus nemo licitè posset ullam opinionem tenere, donec Ecclesia determinâsset, eò quòd periculo erroris se exponeret; nec salvaretur per hoc, quòd post debitam diligentiam probabiliter judicaret. At sequela est apertè falsa; tum quia est contra unanimem consensum & praxim omnium sapientum, tum quia veritas talis sequelæ esset noxia, hominesque à studiis sacrarum literarum ac Theologiæ revocaret. Et sanè tum ex communi omnium consensu & praxi, tum ex ipsâ naturâ rei manifestum est, quòd in materiâ fidei liceat sequi quamcumque ex opinionibus contrariis certò probabilibus, quas Ecclesia tolerat, & in quibus graves Doctores inter se dissentiunt. Ratio est, quia cùm ex neutrâ parte certitudo reperiatur, & certa probabilitas utrique parti faveat, sitque laudabile veritatem investigare, haud dubiè honestè facit, qui eam partem amplectitur, quam post diligens examen veram reputat. Idem fuit antiquorum Theologorum sensus. Unum cito S. Antoninum, qui *parte 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.* suæ Summæ hæc habet. *Probatur hoc idem tali ratione secundùm Cancellarium. Fides est tam necessaria, sicut virtutes morales, etsi non ampliùs; sed constat communiter apud Theologos, quòd in materiâ fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ tenere unam partem vel alteram sine periculo peccati, vel fidei, ut patet in Abbate Ioachim, qui tenebat contrarium ad id quod Magister sententiarum dixerat in 1. dist. 1. lib. pro quo Magistro sententiam Ecclesia postmodum determinavit. Extrav. de summa Trin Damnamus. Nec tamen dictus Ioachim incidit in hæresim aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subjecit correctioni Ecclesiæ. Ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere, juxta limitata superiùs, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium, & ubi paratus est obedire Ecclesiæ & Scripturæ, si ei errorem explanaverit.* Constat ergo veritas primæ partis.

3. Probatur secunda pars non solùm à paritate, sed etiam ab identitate, seu potius à majoritate

Licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem in materiâ morû.

tate rationis. Non est minus malum facere Deum mendacem, & negare veritatem ab ipso revelatam, quàm non implere ipsius voluntatem, negando obedientiam præceptis illius. At qui culpabiliter errat in materiâ fidei facit Deum mendacem, *1. Ioan. 5. 10.* negando veritatem ab ipso revelatam. Ergo non minus malè operatur, qui culpabiliter errat in materiâ fidei, quàm qui culpabiliter in materiâ morum transgreditur præceptum Dei. Rursus cùm non minus malum sit errare circa fidem quàm circa mores, utique non minus malum est exponere se periculo erroris in materiâ fidei, quàm in materiâ morum. Ergo quod tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore in materiâ fidei, pariter tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore in materiâ morum. Sed certa probabilitas de veritate, quam amplectimur, tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore (si fortè erremus) in materiâ fidei. Ergo certa probabilitas veritatis & honestatis tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore (si fortè erremus) in materiâ morum. Quòd si non ex ratione tantùm, sed ex auctoritate etiam discurramus, certum est, non solùm recentiores, sed etiam omnes antiquos Theologos unanimiter judicasse, primam partem assertionis esse veram, & secundam ex primâ legitimè deduci. Ex antiquioribus porro Sylvester, Major, Angelus, S. Antoninus, Nider, & Gerson audacter utuntur hoc argumento, tamquam à fortiori, ad probandum quòd in materiâ morum licitum sit sequi partem minùs tutam, quia in materiâ fidei hoc licet, utpote in quâ pars tutior est ab omni judicio abstinere, donec Ecclesia rem determinet.

Quæstio de Immaculata Conceptione spectat ad fidê & mores.

4. Probatur secundò tota Conclusio simul. Quæstio de Immaculatâ Deiparæ Conceptione est quæstio spectans ad materiam fidei & morum. Ad materiam fidei, quia agitur de intelligentiâ Sacræ Scripturæ, & divinæ revelationis dicentis, *In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccaverunt.* Jam si Paulus absque ullâ exceptione universaliter locutus est, nos cum Scotistis illi contradicimus. Eidem contradicunt Thomistæ, si Apostolus, subintellectâ restrictione à nobis prætensâ, verba illa enunciavit. Eadem quæstio spectat ad materiam morum, nam in eâ fundatur peculiaris Dei cultus, nempe erectio altarium, Missæ celebratio, Indulgentiarum & Privilegiorum concessio, concionum exhortatio, &c. quæ eò tendunt, ut glorificetur Deus præservans, & Beatissima virgo à peccato præservata. Jam si illa præservata non fuisset, Deus laudaretur propter bonum, quod non præstitit. Mater Dei laudaretur ob excellentiam, quâ caruit. Uno verbo totus ille cultus in errore fundaretur, & Ecclesia concedens privilegia hanc Deiparæ immunitatem colentibus, stimularet fideles ad colendam Conceptionem verè abominabilem tamquam sanctissimam, &c. Hæc omnia ad mores pertinent, quia turpe est colere peccatorem ut sanctum, Deo tribuere quæ non fecit, Sanctosque ob inanes & falsos titulos, Deique revelationi repugnantes honorare. Hinc sic arguo.

Sola probabilitas reddit securos eos, qui in materia fidei sectantur partem minùs tutâ.

5. In hac quæst. quæ spectat ad fidem & mores, sola probabilitas, saltem olim, quando veritas hujus mysterii gradum probabilitatis non excedebat, sufficiebat ad securitatem conscientiæ sectantis partem minùs tutam. Pars enim tutior in hac re tunc erat omne judicium suspendere, donec aut Ecclesia veritatem definivisset, aut veritas mysterii aliundè certò innotuisset, ut patet. Certum tamen est, quod licitum fuerit credere, Deiparam sine peccato conceptam esse, illique sic præservatæ, Deoque illam præservanti cultum exhibere, &c. Similiter licitum est Thomistis contrarium tenere, quia utrumque satis apertè traditur in Bullâ Alexandri VII. de Sanctissimâ Deiparæ Conceptione non ita pridem editâ. Idem argumentum de facto locum habet in sententiâ eorum, qui tenent sententiam minùs piam, modò veram probabilitatem piæ sententiæ concedant, quam certè nemo prudens illi negare potest. Jam quæro quid sit, quod certam reddat honestatem voluntatis flectentis intellectum in assensum rei, in materiâ fidei nondum certæ? non certitudo objecti, utpote quod supponitur non esse certum. Ergo sola probabilitas, quia illâ demptâ, nemo absque peccato talem immunitatem asserere posset. E contra stante verâ ac certâ probabilitate pro utrâque parte, certum est, quod cuique liceat in materiâ fidei quamvis sententiam, quæ sibi magis arridet, licitè sectari, quia certa probabilitas directa fundat certam honestatem in electione terminatâ ad objectum, cujus veritas & honestas est certò probabilis.

Sola probabilitas sufficiebat ab initio, quãdo plurimi reclamabãt.

6. Similiter quæro, quid in opinione sectantium opinionem minùs piam certò honestet cultum Deo, & Deiparæ sub hoc titulo impensum? Quid ab initio, quando major pars Theologorum reclamabat, eum honestabat? Quid reddidit Summos Pontifices certos, se in hoc cultu fovendo laudabiliter fuisse operatos? Sola probabilitas exemptionis Deiparæ; hac enim demptâ, tam Pontifices cultum illum promovendo, quàm fideles eum procurando peccassent, sicut peccarent, si absque ratione probabili talem cultum Deo exhiberent in honorem conceptionis Henoch, aut alterius, cujus exemptio probabili ratione non confirmaretur. E contrario, si probabile esset, Henoch tali privilegio fuisse præventum, illico hæc omnia licita evaderent. Ex hoc autem particulari indubitanter vero, idem infertur de omnibus aliis. Nam ubicumque in materiâ fidei ac morum datur directa probabilitas de honestate operis, illa non minùs fundat certitudinem reflexam de honestate electionis, non obstante periculo erroris in tali judicio directo, quàm probabilitas immunitatis Deiparæ, non obstante periculo erroris, fundet certitudinem reflexam de honestate judicii uni parti alligati, & cultûs sub hoc titulo Deo impensi. Ergo certa probabilitas partis minùs tutæ universaliter sufficit pro securitate conscientiæ in materiâ fidei & morum. Qui plura velit de hac materiâ, adeat *quæst. 21. de Conscientiâ probabili*, ubi alia huc spectantia cum plurium objectionum solutione inveniet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio I.

7. OBJICIT primò. Sicut extra Ecclesiam Catholicam inter hæreticos diversæ vigent opiniones de ipsâ religione, his hanc veram esse affirmantibus, illis negantibus, ita pariter intra Ecclesiam variæ sunt, atque dissentientes de moribus sententiæ; hi namque bonum vocant, quod alii dicunt esse peccatum. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 1. §. 2.* ad quam paritatem in aliis locis ejusdem quæstionis alludere videtur. Hæc autem quò tendant, non apparet, nisi hoc, aut alio simili modo applicentur. Atqui dissentientes illæ hæreticorum de fide opiniones non sal-

vant eos à peccato, nec à damnatione liberant, quia reipsâ amplectuntur falsum. Ergo opiniones Catholicorum de malo & bono neminem excusant si fortè errent, quia prosecutio boni veri ac realis non est minùs necessaria ad rectam operationem, atque ad vitam æternam, quàm absoluta veritatis assertio ad veram fidem. Et sanè, quamvis Celladeus hoc expressè ex hac paritate non inferat, modus tamen procedendi, & totus quæstionis, imo totus libri processus apertè indicat, eum ad hoc aut aliud simile collimare.

Comparatio, qua Celladeus utitur, est perabsurda.

Respondeo comparationem hanc parificantem dissensiones hæreticorum sibi contradicentium circa credenda, cum contrariis Catholicorum opinionibus de agendis, esse prorsùs absurdam, quia omni proportionatæ paritatis merito caret. Hæretici enim ideo sunt culpabiles, quia contra certissimam fidei veritatem erroribus suis pertinaciter adhærent; siquidem auctoritas Ecclesiæ, & fundamenta sufficientis credibilitatis tanto intervallo superant omnem apparentiam in contrarium, ut illa prorsùs evanescat, omnique probabilitate careat. Quid ergo mirum, si peccent Hæretici, cùm temerè & pertinaciter suis erroribus adhæreant, contra veritatem nomine Dei sufficienter propositam? E contra, Catholicorum dissensiones sunt inculpabiles, quia quævis pars, ita magnis, validis, probabilibusque rationibus nititur, ut nil certi obstet in contrarium. Hinc hæretici pertinaces vincibiliter errant, & peccant. Catholici verò, si errent, invincibiliter errant, & non peccant, quia haud temerè, sed rationabiliter suam sententiam in rebus incertis proferunt. Exemplum habes tam in speculativis, quàm in practicis. Thomistæ existimant Deiparam originali labe fuisse infectam: Scotistæ aliique communiter oppositum sentiunt & docent. Altera pars errat. Rursus S. Thomas cum aliis multis docet judicem licitè condemnare posse innocentem, si juxta leges probetur esse reus. Alii Auctores gravissimi ac numero plurimi dicunt, illud esse illicitum. Peto jam, an Celladeus audeat condemnare S. Thomam, casu quo erraverit, aut illius dissensionem ab opinione verâ cum hæreticorum erroribus comparare? Si hoc non audeat respectu S. Thomæ, aut D. Bonaventuræ, si similiter id ipsum non audeat respectu partium de Immaculatâ Deiparæ Conceptione discrepantium; cur ergo talem comparationem instituit, quâ uti non potest in particularibus sub universali suâ comparatione constitutis? Certè si S. Thomas, si D. Bonaventura in moralibus, si Thomistæ & Scotistæ in speculativâ quæstione citatâ non peccàrint, sicut peccant hæretici inter se dissentientes, utique nec alii Catholici contraria de rebus incertis probabiliter opinantes peccant, nec unquam efficiet Celladeus, ut oppositum ex hac Catholicorum cum hæreticis comparatione ullâ probabilitate evincatur. Sed quid? Nónne tu, Celladee, ab aliis Catholicis dissentis? Immo verò & singulares contra unanimem aliorum consensum opiniones inducis? Ergo si erras (erras autem in omni apice ut constabit) ex mente, ut apparet, tuâ, (nam ego mitiùs judico) non magis excusaris, quàm excusentur hæretici inter se dissentientes. Vide sis, quomodo his te extrices, & in posterum à similibus comparationibus abstine.

Auctores Catholici dissentientes invincibiliter errant.

Nemo citra temeritatè hoc negare potest.

8. Ob. secundò. Nemo excusatur, si erret, & falsa sectetur, nisi debitam diligentiam præmiserit. At qui talem diligentiam adhibet, invenit veritatem; *fieri enim non potest* (inquit Aug. *lib. de quantitate animæ cap. 13.*) *quâdam providentiâ divinâ, ut religiosis animis seipsos, & Deum suum, id est, veritatem piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.* Præterea Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ergo omnes debitâ diligentiâ adhibitâ possunt veram religionem & Ecclesiam Catholicam, extra quam non est salus, invenire. Eadem porrò est ratio de moribus ac de fide, quia Deus tam rectæ morum doctrinæ, quàm veræ fidei est auctor: ergo providentia illius non minùs extendi debuit ad possibilitatem inveniendi unam, quàm alteram. Ergo utraque per debitam diligentiam est invincibilis.

Rursus, Deus nullâ falsâ religione, quamvis existimetur certissima, rectè & dignè colitur. Ergo similiter nemo in moralibus illi placere potest, si malum faciat, quamvis errando certissimè credat illud esse bonum. Itaque sola veritas tam in mente quàm in opere Deo placet. Et sanè quid opus est opinionibus? Christi præceptis & exemplis, gestisque ac doctrinis Sanctorum tam copiosè instituimur, ut vetulæ ipsæ ante oculos nostros cœlum rapiant, quin opinione vivant, sed veritate, quibus scilicet Deus *coràm dat præcepta, & legem vitæ & disciplinæ.* Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 1. præsertim §. 4. in fine.*

Respondeo Celladeum hîc apertè confundere ea, quæ sunt absolutè necessaria necessitate medii, cum eis, quæ solùm necessaria sunt secundùm quid, & vocantur necessaria necessitate præcepti. Qui errat in absolutè necessariis, quomodocumque erret, non potest finem ultimum adipisci. At qui invincibiliter errat in aliis, excusatur à peccato, & adipisci potest finem, cùm per hoc medium ad finem obtinendùm necessariis non privetur. His positis, dico fidem Catholicam, & omnia necessaria necessitate medii ad salutem esse reperibilia per debitam diligentiam, alioquin Deus non seriò vellet omnes salvos fieri. Verùm hoc locum non habet in moralibus inter Doctores Catholicos controversis, quia nec certa, nec vera eorum resolutio est absolutè necessaria ad salutem. Ergo etsi homo post debitam diligentiam erret in his, non ideo aut in præsenti peccat, aut à beatitudine consequendâ impeditur in futuro. Porro tam ratio quàm auctoritas Augustini solùm procedit de rebus necessariis necessitate medii, nam in aliis certum est, omnes aliquando laborare ignorantiâ invincibili.

Celladeus confundit necessaria necessitate medii cum necessariis necessitate præcepti.

9. Ad confirmationem, fateor Deum nullâ falsâ religione rectè & dignè coli fide Theologicâ, seu fide ad justificationem necessariâ, quia repugnat talem fidem conjungi cum falso. Verùm si per rectum & dignum Dei cultum non intelligatur supernaturale intellectûs obsequium, sed quodvis obsequium intellectuale Deo placens, dico Deum per accidens rectè ac dignè coli posse aliquâ religione falsâ. Ratio est, quia falsa fides ita proponi potest rudibus, ut illa reddatur ipsis prudenter credibilis fide humanâ. Potest etiam ita proponi, ut audiens teneatur ejusmodi assensum præbere, eò quòd vir proponens sit magnæ auctoritatis, multisque argumentis afferat, Deum sub pœnâ damnationis talem fidem exigere. In hoc casu Rusticus, talia audiens, illisque tamquam à Deo dictis fidem præbens, rectè digneque Deum colit. Rectè quidem, etsi erroneè, quia invincibiliter errat, ac proinde talis error est ratio recta, quamvis non vera, ut

Deus per accidés laudabiliter coli potest aliqua religione falsa.

fusè

fusè ostendi hic *quæst.* 3. atque antea probaveram *quæst.* 12. *de conscientiâ prob. num.* 14. *& seq.* quia imperatur à volitione, quam ratio vera dirigit. Similiter actus ille dignè Deo offertur, quia hîc & nunc absque peccato omitti non potest. Præterea Deus complacet sibi in omni actu, quem præcipit. Sed Deus hic & nunc per accidens, & ex suppositione aliquâ, præcipit hunc actum. Ergo per accidens sibi complacet in illo. Ergo actus ille, etsi erroneus, rectus est, & Deus illo dignè colitur.

In mysteriis nondũ sufficienter revelatis Deus dignè colitur aliquâ religione seu persuasione falsâ.

10. Quod si loquamur de mysteriis nondum sufficienter propositis, v. g. de immaculatâ Deiparæ Conceptione, tam actus, quo pia sententia creditur vera, quàm etiam cultus, titulo talis præservationis exhibitus, Deo placent, Deusque illis dignè colitur; neque id absque temeritate negari potest. Universalis enim Ecclesia, Romanam omnium magistram secuta, Deum hoc modo colit, neque in hoc quidquam nisi Deo dignum exhibet. Similiter, qui Deum ob citissimam Deiparæ emundationem colunt, reprehendi non possunt, nec quidquam Deo non dignum faciunt. Idem prorsùs dicendum de aliis mysteriis nondum Ecclesiæ sufficienter revelatis. Ergo Deus aliquando per accidens falsâ aliquâ religione rectè & dignè colitur. Non ergo sola veritas tam in mente quàm in opere Deo placet, sed aliquando veritas existimata, & opus à tali persuasione directum per accidens Deo placent.

Fides Theologica non potest versari circa falsum, sed virtus moralis potest.

11. Itaque ingens disparitas est inter veram fidem Theologicam, & operationem honestam. Vera fides nititur veracitate Dei actu revelantis tamquam objecto formali, ideoque tam impossibile est fidem esse falsam, quàm Deum mentiri, quia objectum formale fidei Theologicæ essentialiter connectitur cum objecto materiali per illud proposito. At aliter se res habet in moralibus, quia objectum formale virtutis moralis non connectitur necessariò cum objecto materiali ejusdem. Unde possumus amare verum motivum formale virtutis, & ex illo amore extendi ad amandum objectum materiale ejusdem non verum, sed existimatum. Sic qui in similibus prorsùs circumstantiis dat parem eleēmosynam duobus æquè existimatis pauperibus, æquè laudabiliter operatur, quamvis unus eorum sit fictus pauper, cujus proinde miseria nulla erat, quæ meritò sublevaretur. Ratio est, quia actus virtutis specificatur à motivo formali. Ergo cùm motivum indifferens sit ut connectatur cum verâ, vel solùm apparenti miseriæ sublevatione, mirum non est, quòd actus virtutis misericordiæ elici possit à voluntate, quamvis intellectus erret in proponendo objecto materiali. Ergo licet fides Theologica componi nequeat cum errore circa objectum materiale, tamen vera virtus moralis, Deo placens, cum hujusmodi errore componi potest.

Vetulæ & ignorantes magis quà alii opinione vivunt.

12. Ad illud de vetulis cœlum rapientibus, dico, omnes fideles piè viventes in plurimis ita instructos esse, ut non opinione, sed veritate vivant; quia certissimis fidei regulis, & indubitatis morum præceptis imbuti sunt. Verùm regulæ & præcepta istiusmodi non adeo universalia sunt, quin in multis rebus particularibus ignorantia supersit omnibus insuperabilis; in aliis verò quàm plurimis veritas aliter quàm per opinionem haberi non possit. In talibus autem necesse est, homines non veritate, sed ignorantiâ, aut ad summum opinione vitam instituere. Quod cùm in omnibus verum sit, in vetulis præcipuè locum habet, utpote quæ majori ignorantiâ laborant, quàm docti, ideoque plurimis dubiis scrupulisque angi solent, in quibus non veritate certâ, sed opinione, atque patris spiritualis directione vitam instituunt, ejusque auctoritate meritò se tutas putant. Certè si Celladeus vetularum conscientiis dirigendis assuetus fuisset, eas in rebus innumeris vitam suam opinione instituere reperisset, & coactus observasset, eas, juxta naturam rerum in quibus versantur, præ aliis opinionum directione singulariter indigere. Incongruum proinde est, & à veritate alienum argumentum à vetularum exemplo deductum.

Materiâ fidei est in triplici differentia.

13. His contra Celladeum dictis, ad argumentum quæstionis hîc principaliter intentæ redeo, & dico, si omnia debitè inspiciantur, eodem prorsùs modo de materiâ fidei ac morum discurrendum esse. Inprimis in materiâ fidei aliqua sunt certissima, & à nemine, cui sufficienter proposita fuerint, absque hæresis crimine in dubium vocari possunt. Alia non ad supremum hunc, sed ad inferiorem tantùm certitudinis gradum pertingunt, & sunt illa, quæ, agnito Ecclesiæ de illis sensu, absque temeritate & hæreseos periculo nequeunt affirmari, quamvis ad fidem certissimam de illis habendam nondum sint sufficienter definita. Alia demum aut sunt planè dubia, aut non nisi probabili conjecturâ teneri possunt. Dogmata primæ & secundæ classis ab omnibus implicitè saltem tenenda sunt; & nil eorum est, quod per diligens examen à peritioribus certò cognosci non possit. Porro nonnulla ex primâ classe de necessitate medii explicitè credenda sunt, & ad eorum cognitionem omnes per debitam diligentiam pervenire possunt, quia Deus vult omnes salvos fieri. Alia solùm necessariò credenda sunt necessitate præcepti; de quibus omnibus aliquando, & de eorum pluribus frequenter sufficit, si implicitè credantur. Neque enim ullum præceptum urget omnes, ut de singulis informationem explicitam capiant. Itaque plura horum à multis invincibiliter ignorantur, & nonnulli de illis invincibiliter errant, quod à fortiori locum habet in illis, quæ inferiorem tantùm certitudinis gradum obtinent. De reliquis tertiâ classe comprehensis nulla habetur certitudo, quia sunt vel planè dubia, vel ad summum probabiliter tantùm innotescunt, idque ita aliquando, ut utrique contradictionis parti certa probabilitas faveat. In his unicuique quamcumque partem, quæ ipsi verior apparet, amplecti licet, nec imputatur ei error, si erret, quia errat invincibiliter, & rationabiliter ac prudenter judicat.

Materiâ morum est in multiplici differentia.

14. Idem proportionaliter locum habet in doctrinâ morum; aliqua enim morum præcepta neminem rationis compotem latêre possunt. Qualia sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Parentes honorandi sunt, &c.* Præterea, non solùm præcipua ista juris naturalis capita neminem latent, sed etiam conclusiones facilè ac evidenter ex illis deducibiles vel omnibus innotescunt, vel certè à nemine nisi vincibiliter ignorantur. At si sermo sit de difficillimis remotisque conclusionibus, quibus jus naturale in aliquibus casibus innotescit, plurimi invincibilem eorum ignorantiam patiuntur, ut ostendi *quæst.* 16. *de Conscient. prob num.* 84. *& seq.* Hæc omnia à fortiori locum habent in lege positivâ, maximè humanâ; plurimæ enim ejusmodi leges à plurimis invincibiliter ignorantur. Cùm ergo in illis error & ignorantia invincibiles frequenter contingant, haud dubiè multa fiunt contra istas leges, quæ ad

peccatum imputari nequeunt. Demum multa ad istas leges, maximè ad humanas, spectantia, adeo difficilia sunt imbecillitati humanæ, ut nemo possit certò veritatem cognoscere, sed post omnem conatum utraque pars manet probabilis. In his error imputari non potest, si quis eam partem sectetur, quam post diligens studium veram reputat.

Paritas inter materiam fidei & morum declaratur.

15. Hinc patet eandem prorsùs esse rationem de materiâ fidei, ac de morum doctrinâ; sicut enim in moribus, ita & in fide aliqua sunt quasi prima principia, aut per se obvia, aut facilè reperibilia; alia autem in utrâque materiâ sunt difficiliora, quæ sæpe invincibiliter ignorantur; alia demum difficillima sunt, & per consuetas hominum vires certò innotescere non possunt, & in his omnes invincibili ignorantiâ laboramus, & qui post diligens examen errant, utique errant invincibiliter. Unde sic arguo. In materiâ fidei sæpe invincibiliter erratur: in quo casu error ille, & actus voluntatis ab errore illo directus nil mali continent, sed è contrario Deo placent, ut in materiâ de Immaculatâ Deiparæ Conceptione, aliisque plurimis satis patet. Rursus in iis, quæ ad fidem pertinent, & sunt utrimque probabilia, licitum est utramlibet partem amplecti, ut ostensum est. Ergo similiter à pari, vel etiam à potiori datur error invincibilis in doctrinâ morum, qui cum actu voluntatis, quem regulat, nil mali continet, sed Deo placet. Immo in iis, quæ utrimque probabilia sunt, unusquisque tam in opiniando, quàm etiam in operando sequi potest utramlibet partem, maximè si eam existimet esse absolutè veram. Ratio est, quia error in materiâ fidei non minùs displicet Deo, quàm error in materiâ morum. Ergo si, hoc non obstante, probabilitas & error invincibilis excusant in materiâ fidei, excusabunt etiam in materiâ ac doctrinâ morum.

Æquivocatio Celladei detegitur.

16. Tantùm ergo abest, ut paritas, à materiâ fidei ad morum doctrinam à Celladeo translata, quidquam concludat, ut ex opposito totum ipsius intentum ex paritate hac, aut potiùs ex identitate, aut majoritate rationis penitus destruatur. Et quod plus est, hic est communis non solùm recentiorum, sed antiquorum Theologorum sensus & consensus, quorum verba citata invenies *quæst. 23. de Conscientiâ probabili.* Cæterùm causa deceptionis Celladei in eo vertitur, quòd ille non distinxerit inter necessaria necessitate medii, & necessaria solùm necessitate præcepti. Inde enim factum est, ut omnia ad fidem & mores spectantia ad unam eandemque classem reduxerit, atque ea de omnibus enunciaverit, quæ solis necessariis necessitate medii conveniunt.

QUÆSTIO DUODECIMA.

Vtrùm ex eo, quòd benigna sententia usus semper viguerit in Ecclesiâ, rectè colligatur, illam esse veram?

1. SEMPER mihi visum est optimum argumentum pro veritate doctrinæ ad mores spectantis, si constet, illam semper in Ecclesiâ viguisse, & à doctis ac probis absque ullâ censurâ & scriptis traditam, & in praxim reductam fuisse. Verùm Celladeus *lib. 1. quæst. 3.* expressè asserit, ex hoc argumento nil in alterutram partem posse concludi. Videndum proinde est, an hac in re rectè senserit.

ASSERTIO PRIMA.

Singularitas in rebus moralibus vehementē falsitatis præsūptionem fundat.

Novitas in rebus moralibus, iis maximè, quæ ad principia generalissima debitè formandi conscientiam pertinent, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis, quando opinio nova communem omnium antiquorum sensum condemnat.

2. PROBATUR assertio, in quam Celladeus ipse consentit. Ratio est, quia quamvis falsitas opinionis ex ejusdem novitate, Antiquorum sensum impugnante, non rectè deducatur, si formam arguendi inspiciamus (certum est enim, multas opiniones novas de Solis maculis, & Lunæ montibus esse veras, quamvis omnium Antiquorum persuasio esset contraria) nihilominùs illatio sæpe valet ratione materiæ; tunc scilicet, quando materia illa æquè cadit sub experientiam omnium, vel æquè ab omnium experientiâ removetur; tunc enim non potest perfectiùs cognosci à posterioribus, quàm à prioribus, si nullum principium ad talis rei intelligentiam conducens detur, aut naturaliter dari possit, quod omnibus ex æquo commune non fuerit. In hisce ergo casibus, communis omnium consensus non potest non esse validissima præsumptio de veritate contra singularem hominem, qui novam sententiam inveheret, quia singularis ille homo nullam experientiam novam, nullumque principium peculiare assignare potest, nisi quæ aliis omnibus sunt communia, & ab illis diu magnâ diligentiâ considerata fuêre. Unde si omnes, post illa seriò considerata, in unam eandemque sententiam consentiant, ingens præsumptio est, singularem hominem, omnibus aliis contradicentem, errare ac decipi. Certè in paribus circumstantiis facilius est unum errare, quàm alios omnes; &, ut est in adagio, plus vident oculi, quàm oculus. Similiter Jurisperiti optimè dicunt, *unus homo, nullus homo.* At quæ ad generalissima conscientiam debitè formandi principia spectant, sub omnium experientiam æqualiter cadunt, neque ullum est principium, quo circa hæc uti possumus, quod omnibus ex æquo non sit commune. Ergo singularitas in istis, contra unanimem aliorum omnium consensum, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis.

3. At aliter se res habet in aliis; si enim quis novum aliquod experimentum afferat, aut novis instrumentis utatur, is procul dubio meliùs discur-

rere

rere poterit de tali re, quam omnes alii, qui talibus experimentis ac principiis, aut aliis æquivalentibus caruerunt. Unde in istiusmodi casibus singularis homo fundare poterit sententiam, quæ non solùm unanimi priorum omnium opinioni præferenda sit, sed eam, quod plus est, evidentis falsitatis redarguat. Talia multa de rebus cœlestibus contra antiquorum omnium persuasionem novimus, ex quo tubo optico usi sumus.

4. Rursus in particulari materiâ, cujus omnia fundamenta nunquam seriò examinata fuerunt, poterit quis novam inducere sententiam, unanimi aliorum opinioni prævalentem, modò ipse fundamenta inveniat ab aliis non ponderata. Hâc ratione pia sententia de Immaculatâ Deiparæ Conceptione contrariæ opinioni prævaluit. Qui enim eam primi docuerunt, attulerunt principia ac fundamenta ab aliis non perpensa, quibus posteriores permoti maximâ ex parte in piam abiêre sententiam; cùm priores, ob talium principiorum aut ignorantiam aut inconsiderationem, ex generalibus Sacræ Scripturæ sententiis contrariam opinionem unanimiter veram esse supposuerint potiùs, quàm in particulari de industriâ probaverint.

Extra hos casus novitas secum fert præjudicium.

5. Extra hos casus, singularis opinio contra unanimem aliorum omnium sententiam, in moralibus potissimùm, admitti non debet. Semper enim veritas præsumitur esse ex parte omnium potiùs quàm unius, ut patet. Porro quia certum est, eos, qui singularem doctrinam de usu opinionum probabilium contra communem aliorum omnium sententiam invexerunt, nulla nova principia aut fundamenta attulisse, quæ ab aliis notanter excussa, & diligenter perpensa non fuerint, ut *in tract. de Cons. prob.* per singulas fermè quæstiones evidenter ostendi, ideo evidens est, novitatem in tali materiâ (quæ etiam generalis est, maximique momenti, & sub omnium experientiam æqualiter cadit) fundare validissimam præsumptionem falsitatis.

ASSERTIO II.

Usus opinandi, & ex opinione vivendi, semper viguit, & à peritis ac probis approbatus fuit.

Usus opinandi, & ex opinione probabili vitam regulandi antiquissimus fuit; omnesq; omnium temporum maximè periti ac probi usum talium opinionum esse licitum docuerunt.

6. DEMONSTRAVI assertionem hanc, *quæst. 22. de Consc. prob.* fusè per totam, allatis tum factis, tum Auctorum omnis ætatis testimoniis, quæ videri possunt: non enim opus est ea repetere, cùm Celladeus ipse pro indubitato habeat, usum opinandi, ac ex opinione probabili vitam regulandi esse ipsi mundo coævum. Rationes, quæ ipsum moverunt, plures & validæ fuerunt. Prima: vis opinandi, non minùs quàm vis demonstrandi est homini innata. Rursus ab initio ex objectis alia erant scibilia, alia solùm opinabilia. Ergo usus etiam istarum potentiarum non potuit non esse ab initio. Secunda: in omnibus omnis ætatis libris hactenus editis invenimus discursus solùm probabiles, & incertos. Ergo ex quo Auctores libros scripserunt, usus opinandi viguit. Tertia: Aristoteles omnesque philosophi distinxerunt inter scientiam & opinionem, inter scibilia & opinabilia. Ergo omnes agnoverunt nos de multis non habere nisi opinionem. Huc accedit, Rhetoricam & Dialecticam ex probabilibus procedere. Ergo ex quo fuerunt in mundo Rhetores & Dialectici, viguit usus opinandi & ex probabilibus disserendi, cùm in scholis, tum in foro & causis, & per tales argumentationes Judices movebantur ad ferendam sententiam. Quarta: fides humana æquè exposita est falsitati, sicut opinio. At sine fide humanâ respublica nec subsistere nec gubernari potest. Ergo ab initio fides viguit in mundo, & aliqui leviter, aliqui prudenter dictis credebant. Eadem autem est ratio de opinione, & eadem prorsùs necessitas, quæ fidei. Ergo sicut homines ab initio ex fide se gubernabant, & moti sunt ad operandum, ita pariter & ex opinione homines semper se gubernarunt tam in causis privatis quàm publicis, tam domi quàm foris. Quinta: omni tempore Reges suos consiliarios habuerunt. Rursus: ignorantes ab aliis consilium petere, illi acquiescere, ac ex eo se gubernare semper consueverunt; quod verum est, sive sermo sit de politicis ac moralibus, quæ forum externum concernunt, sive de foro pœnitentiali in secreto Confessionis Sacramentalis; semper enim Confessarii pœnitentes direxerunt, & pœnitentes ex Confessariorum directione vitam suam composuerunt. Ergo usus opinandi, & ex opinione vitam gubernandi antiquissimus est, mundo ipsi coævus, & in omni ætate viguit. Ita Celladeus, & hactenus quidem benè.

Ingeniosa & valida Celladei argumenta.

Celladeus dimidiatè & fallaciter argumentum nostrū proponit.

7. Verùm in eo deficit, quòd ista dimidiatè proferat, eaque consideret præcisè ut facta quædam tam probis quàm improbis communia; adeo ut ex his nil inferri possit, an hoc benè an malè factum sit, sed id aliundè determinari debeat; sicut ex eò quòd homines semper liberè operati sint, inferri nequit, an benè vel malè egerint; quidam enim per omnes ætates fuêre probi, & benè usi sunt libertate, quidam improbi & eâdem malè sunt usi. Idem dicit de Causidicis, de Confessariis, & Consiliariis. Unde licet omni ætate homines usi sint opinione probabili, & ex eâ vitam regulaverint, non sequitur, usum illum esse licitum. Ita ille. Sed contra est, quia ille argumentum nostrum tantùm inadæquatè proponit; nemo enim, ex eo præcisè, quòd homines semper usi sint opinione probabili, intulit talem usum esse licitum; nam semper usi etiam sunt opinionibus improbabilibus, nec tamen ideo licitè operati sunt. Solus ergo usus, utpote ex se tam communis bonis quàm malis operationibus, non infert rem factam esse licitam, vel illicitam. Itaque argumentum hoc modo proponi debet. Semper viguit usus operandi ex opinione probabili, & ille usus, prout certò distinguitur ab usu opinionis improbabilis, ab omnibus sapientibus & probis habitus est pro actione simpliciter prudenti ac laudabili; quia optimi quique ac integerrimi in rebus incertis aliam quàm certò probabilem decisionem dare non potuerunt, nec aliter quàm juxta probabilem rationem alios dirigere. Porro quod ab optimis quibusque atque sapientissimis semper usitatum est, illud pro honesto ac licito semper est habitum tam ab ipsis probis, qui ita operati sunt, quàm ab aliis, qui talem modum sincerè ac prudenter consilium dandi ut honestum, ac praxi licitè deservientem approbârunt.

Argumentum pro nostra sententia debitè proponitur.

8. Et sanè evidens est, eos reprehendi non posse, qui fide humanâ non temerè sed prudenter dictis credunt, & ex talibus dictis vitam instituunt, si nunquam nisi prudenti judicio se gubernent; tum quia alioquin tota reipublicæ administratio

Operari ex fide humanâ prudēti, vel ex ratione probabili semper habitum est licitum.

ministratio necessariò desineret; tum quia per hoc ipsum constituuntur in gradu superiori ad illos, qui aliorum dictis temerè credunt, illorumque auctoritate non absque nota temeritatis in gerendis rebus se gubernant. Hi enim propter hoc ipsum reprehenduntur ut temerarii, cùm illi opposita de causa ab omnibus tanquam prudentes habeantur. At eadem prorsùs est ratio de opinione, ut patet; illa enim, non aliter quàm fides, dividitur in temerariam & probabilem. Qui ex prioris dictamine vitam instituunt, temerarii sunt, & semper existimati fuerunt; qui autem opinionem certò probabilem sequuntur, rationabiliter ac prudenter agunt, ac ab omnibus probis ac doctis agere crediti sunt. Hoc ipsum in omni genere officii, Judicis, Consiliarii, Causidici, &c. videre est, ii enim omnes officium suum implent, qui ubi certitudo deest, probabiliora sectantur, atque omnes probi ac docti semper judicarunt, tales in hoc ipso laudabiliter se gerere; sicut è contrario à suo officio deflectunt, & semper ab omnibus probis habiti sunt ut vituperabiles, qui improbabilia sectati sunt, & improbabilibus ac imprudentibus rationibus se suamque vivendi ac operandi rationem instituerunt.

ASSERTIO III.

Opinio Celladei eo nomine refellitur, quòd sit nova & contra omnes.

Rigida Celladei opinio eo nomine efficaciter convincitur esse falsa, quia nova est, & contra unanimem aliorum omnium sententiam invecta.

9. PROBATUR. Opinio Celladei asserit, neminem excusari à peccato, qui sequitur partem minùs tutam, etiam probabiliorem, si contingat judicium illud esse falsum, quamvis absolutè judicet id sibi licere, & ne quidem de opposito dubitet. At nemo Catholicorum ante illum hoc docuit, sed omnes oppositum unanimiter tradiderunt. Ergo sententia Celladei singularissima est, ac novissima. Ergo ex *prima assertione* fundat vehementissimam præsumptionem, quòd sit falsa; quia est novitas in re morali, quæ ad generalissima debitè formandi conscientiam principia pertinet, quæque communem aliorum omnium per omnes ætates sententiam condemnat. Itaque novitas in hac materia falsitatem legitimè arguit; quamvis enim illatio à novitate ad falsitatem ratione formæ non valeat, sæpe tamen, & nominatim in hujusmodi rebus, valet ratione materiæ, quod & Celladeus ipse in *initio quæst.* 3. expressè fatetur.

10. Probatur secundò, si singularis ac nova Celladei doctrina esset vera, omnes omnino Doctores Ecclesiæ damnabiliter errassent in re summi momenti, qualis est illa, quæ spectat ad modum debitè formandi conscientiam in rebus incertis. *Damnabiliter*, inquam, quia eos, quos dirigebant, in damnationem direxissent, & consequenter ipsi sibi etiam damnabiliter opinati fuissent. At non est credibile, Deum ita Ecclesiam deseruisse, ut omnes omnino, & maximè notos Ecclesiæ Doctores, tam periculosè & peccaminosè errare permiserit; sed est validissima præsumptio in contrarium. Ergo datur validissima præsumptio de falsitate sententiæ Celladei, idque sequitur ratione materiæ ex ejusdem opinionis novitate ac singularitate.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

11. OBJICIT primò, esto, antiqui Theologi optimæ notæ docuerint, usum opinionis minùs tutæ esse licitum; aliqui tamen tunc temporis docebant eundem esse illicitum. Ergo ex hoc capite non rectè infertur veritas benignæ sententiæ potiùs quàm rigidæ. Ita Celladeus *hic* §. 2. Objectio 1.

Respondeo, Celladeum falsò supponere hanc opinandi diversitatem, non enim vel verbum hîc adducit ad hoc probandum. Respondeo secundò, certum esse quod per centum & amplius annos omnes tenuerint sententiam benignam, neque Celladeus id diffitetur, aut diffiteri potest; quia omnes in expressis terminis tradunt sententiam quam ipse impugnat. Sed & antiquiores idem expressissimè tradunt de opinione probabiliori, cui ut veræ quis assensum præbet. At argumenta & præsumptiones allatæ æquè procedunt contra impugnantem tam unanimem consensum, ac si certò constaret omnes in eadem sententia diutiùs consensisse. Antiqui omnes stant contra Celladeum.

12. Respondeo tertiò, ex antiquis paucos ex professo & in propriis terminis tractasse materiam hanc, de qua inter nos & Celladeum est præsens controversia; qui autem illam tractarunt, omnes ad unum nobis subscribunt, ut ostensum est *quæst. 22. de Consc. prob.* Itaque Celladeus non lucem sed tenebras quærit, dum, rejectis sæculi ultimi Auctoribus luculentissimis, qui rem in terminis examinarunt, ad antiquos, qui hac de re aut nullo modo aut obscurè tantùm locuti sunt, regreditur. Verùm nec quemquam in illis reperire potest, nisi sibi contrarium, ut ex dicta *quæst. 22.* apertè constat. Porro dicere, ut dicit Celladeus, omnes omnino gravissimos doctissimosque Doctores Ecclesiæ, qui à centum & ampliùs annis scripserunt, turpissimè ac periculosissimè errasse in hac materia, hominesque, eorum doctrinam bona fide secutos, tutos non fuisse, sed in eo, quòd tanta auctoritate inducti fecerunt, graviter peccasse, est homines innoxios absque fundamento gravissimâ censurâ proscindere. Ex hoc autem, juxta præclaram Chrysostomi regulam (quam ipse Celladeus ad alium finem hac in quæstione adhibuit) inferre licet, quid Celladeus ipse de antiquis Auctoribus, quos nunc laudat, dicturus fuisset, si tempore eorum vixisset, & illi opinionem ipsi contrariam tenuissent. Verba Chrysostomi *ex hom. 45. in Matth.* desumpta ita se habent. *Cùm audieris aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis est circa suos Doctores; si enim illos sustinet, & honorat, cum quibus vivit, sine dubio & illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, verè & illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset; nam omnis correctio similis est cæteris tentationibus, &c.* Jam videat Celladeus, an honoret Doctores suos, à quibus doctus est, an verò & illos & omnes, qui per integrum sæculum scripserunt in Ecclesia, gravissimâ censurâ dehonoret, & videbit, se frustra priores & antiquiores laudare, & ad illos tanquam ad oracula sibi faventia appellare; ex regula enim Chrysostomi non ideo eos laudat, quòd eorum auctoritate nitatur, sed quia putat, eos idem secum sentire, ideo eos magni facere videtur, ut sic suæ causæ patrocinium apud alios, qui illos plurimi faciunt, obtineat. Præterea frustra ad illos confugit, quia neminem ex omnibus sibi faventem, sed

Celladeus frustra recurrit ad antiquos.

Qui suos Doctores nō honorat, nec antiquos honorasset, si cū illis vixisset.

sed omnes omnino adversantes habet, ut ostensum est *quæst. 22. de Consc. prob.*

13. Objicit secundò. Ut multi ex Christianis omni ætate secuti sunt opiniones & resolutiones probabiles, ita quoque multi omni ætate damnati sunt. Hoc constat; non autem constat, quòd salvati vel damnati fuerint, quia operati sunt ex opinione probabili hoc titulo, quòd usus sic operandi antiquissimus fuerit. Ergo nemo salutis suæ securitatem huic antiquitati prudenter alligare potest. Ergo aliunde, non ex antiquitate concludendum est, quòd usus opinionis probabilis sit licitus, vel illicitus. Ita Celladeus hic §. 2. *in fine*.

Nemo ideo damnatus est, quia bonâ fide secutus est opinionem certò practicè probabilem, &c.

Respondeo, multos Christianos omni ætate damnatos fuisse, etiam ex iis, qui secuti sunt opinionem certò probabilem, sed nego, quemquam eorum ideo damnatum fuisse, quia secutus est talem opinionem, si bonâ fide operatus est ex persuasione, qua certò probabiliter credidit id sibi esse licitum. Nec mirum, quia hoc ipsum probamus, idque verum esse ex antiquitate & universalitate talis doctrinæ sat certò novimus; in rebus enim ejusmodi moraliter certum est, omnes omnino Doctores, probitate & doctrinâ præstantissimos, periculosè errare non posse; tum quia est res scitu prorsùs necessaria, tum quia ad universalia capita juris naturæ, & ad modum formandi conscientiam pertinet. In talibus autem manifesta præsumptio est, omnes periculosè non errare. Præterea si in ea periculosè errassent, Deus Ecclesiam deseruisset.


14. Tertiò. Idiotæ, qui tantam auctoritatem sequuntur, si errent, ex invincibili legis ignorantia errant, sicut & Doctores, qui ita senserunt. Ergo nec hi ita docendo, nec illi ita operando periculosè errant. Ergo, si sit error, ille solùm materialis est, & ad peccatum nemini imputari potest. Sed quid loquor de errore materiali, seu non imputabili? Ipsa antiquitas, & constans Auctorum omnium per tot ætates consensus in tali materia fundat præsumptionem, ad minimum moraliter certam, nullum in tali re, sub propria ejus universalitate considerata, errorem latêre potuisse, quia naturaliter repugnat, universales theses ad jus naturæ spectantes ita latêre, ut omnes docti ac probi diligentissimè illas examinantes ita decipiantur, ut putent illud esse omnibus universaliter permissum jure naturæ, quod omnibus jure naturæ est vetitum. Talis est præsens materia. Ergo communis omnium consensus de veritate talis sententiæ, per plura sæcula continuatus, moraliter certificat nos, doctrinam illam nullatenus erroneam, sed verissimam esse. Itaque veritas hæc non ex præcisa antiquitate, sed ex illa circa talem peculiarem materiam, unà cùm communi omnium consensu validissima præsumptione stabilitur.

Qui sequitur unanimem Doctorum sententiâ periculosè errare nequit.

QUÆSTIO DECIMA-TERTIA.

Utrùm ex opinione benigna sequatur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientiæ regulam?

Mira Celladei persuasio.



1. EX aliis, quæ Celladeus contra benignam sententiam objicit, non infimum est, quod *lib. 1. quæst. 5. §. 2.* multis probare contendit; scilicet ex illa necessariò sequi, quemque esse tutum in conscientia, nec peccare, qui putat se honestè operari in eo quod facit. Ex quo semel admisso, illico sequitur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientiæ regulam; ideoque nos frustra suadere in assignanda probabilitatis natura ac definitione; nam fatendum erit vel omnem omnino existimationem esse probabilem, vel aliquam non probabilem esse sufficientem conscientiæ regulam. Quodcumque autem dicatur, tota disputatio de probabilitate frustratoria erit in ordine ad præsentis quæstionis determinationem.

ASSERTIO UNICA.

Ex benigna sententia apertè sequitur, non omnem cujusq; existimationem de honestate operis quod facit, esse sufficientem conscientiæ regulam.

2. DEMONSTRATUR. Benigna sententia pro sufficienti conscientiæ regula in rebus incertis præscribit, ut operatio reguletur per judicium certò probabile de honestate operis. Rursus eadem sententia expressè tradit, omne opus, quod ex tali ad minimùm judicio non procedit, esse peccaminosum. Sed evidens est, non omnem existimationem de honestate operis esse judicium probabile, & multò minùs esse judicium certò probabile. Ergo ex benigna sententia evidenter sequitur, non omnem existimationem de honestate operis esse sufficientem regulam pro honestate operationis.

Propria cujusque existimatio nō est sufficiēs conscientiæ regula.

Ratio porro fundamentalis, cur judicium certò probabile sufficiat, & non sufficiat aliud quodvis pro conscientia ritè regulanda, ex eo desumitur, quòd prima principia synderesis reflexa, evidenter ostendentia honestatem operationis, adjun-

adjungantur cognitioni reflexæ certificanti nos de probabilitate nostri judicii directi, atque cum illa constituant præmissas in forma, ex quibus evidenter sequitur, operationem hanc hîc & nunc esse permissam ac licitam. E contra, nulla ejusmodi principia applicari possunt judicio, de cujus probabilitate certi non sumus, ideoque nunquam in particulari certificamur de honestate operationis, quam ex judicio non certò probabili ponimus. Unde operatio à judicio probabili directa licita est; illicita verò quæ à judicio improbabili dirigitur. Quæ omnia fusè explicata sunt *in tract. de Conscientiâ prob. multis in locis*: quæ consuli possunt, & hîc frustra non sunt repetenda. Itaque aliud in re tam aperta non superest, quàm ut fundamenta Celladei diruantur, & quæ ad complementum assertionis necessaria visa fuerint, suis locis, data opportunitate, explicentur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Celladei.

Objectio 1. 3. OBJICIT primò. Homines variè dispositi variè judicant de rebus eodem nomine expressis. Audito nomine beatitudinis avaro divitiæ, famelico cibus, ambitioso honor in mentem venit. Ergo pariter homines, utpote variè dispositi, variè de probabilitate judicant, quodque unus vocat fundamentum magnum & probabile, illud alius parvum ac nullius momenti reputat. Ergo nulla certa regula statui potest de probabilitate. Sed illud demum dicendum erit probabile, quod quisque probabile reputat. Ergo eò demum venitur, ut propria cujusque existimatio sit regula ritè formandi conscientiam.

Homines, etsi variè dispositi, nō semper diversimodè judicant de rebus.

Respondeo, homines, etsi variè dispositos, non sentire diversimodè de omnibus rebus, sed de iis solùm, quæ inevidenter se produnt, quæque passionibus ac dispositionibus ipsorum diversimodè conveniunt. Jam omnes, declaratis terminis, idem intelligunt nomine opinionis probabilis, sicut omnes idem intelligunt nomine albedinis. Ergo sicut non discrepant, an albedo sit præsens, quando illa evidenter se prodit, ita neque discrepant de præsentia opinionis probabilis, quando illa evidenter se prodit. At illa tunc solùm est regula, quando evidenter se prodit. Nos autem *quæst. 5. & 6. de Consc. prob.* fusè ostendimus, quæ & qualia sint signa & judicia, tam respectu Doctorum quàm Idiotarum, ex quibus probabilitas tam quoad se, quàm quoad nos evidenter innotescit. Itaque ex nostris principiis atque sententia non quævis apprehensio, aut existimatio probabilitatis, sed sola certitudo ac evidentia de illius existentia est applicatio regulæ sufficientis ad ritè formandam conscientiam; in tali autem applicatione nulla potest esse diversitas. Quod si aliquis, vehementiâ passionis excæcatus, certum ac evidens judicium de probabilitate partis minùs tutæ formare non possit, ille non excusatur si partem minùs tutam sectetur, quia non debitè conscientiam suam format. Cogitet hæc Celladeus, & videbit ex nostra sententia non sequi, quod sua cujusque existimatio sit regula debitè formandi conscientiam, aut quod pro formanda conscientia sufficiat, si aliquid quomodocumque probabile reputetur, cùm omnia contraria expresiè sequantur ex nostra sententia, ut dictum est.

Adde idem argumentum sub iisdem terminis proponi posse contra positivum probabile, quod ipse pro sufficienti conscientiæ regula statuit. Homines enim, variè dispositi, diversimodè de illo judicant. Ergo non est ipsum probabile positivum, sed propria cujusque existimatio de tali probabili, ex qua cujusque conscientia formatur. Quid ad hoc respondebis Celladee? fortasse responsione à me allata uteris. Hoc ausim dicere, nisi illâ, aut aliâ, quæ prorsùs cùm illa coïncidat, utaris, te debitè non responsurum. Interim unusquisque videt, quàm misera sint argumenta à quovis contra alios objecta, quæ ipsemet solvere tenetur. Verùm defectus iste in argumentis Celladei frequentissimè occurret in sequentibus.

5. Objicit secundò. Si non propria cujusque existimatio, sed sola vera & certa probabilitas sit regula conscientiæ, omnes recipientes consilium in magnam perplexitatem necessariò conjicientur. Scient illi quidem, suum Confessarium aut consultorem ita respondisse, sed absque revelatione scire non poterunt, an hæc illius responsio pertingat ad opinionem verè probabilem, aut quòd ille omnia præmiserit, quæ necessaria sunt ut resolutio ipsius verè sit probabilis. Confirmatur difficultas. Ponamus Confessarium aut Consultorem existimari quidem valde peritum, sed reipsâ imperitum esse, ac frivolis tantùm motivis, quæ ipsi tamen maxima visa sunt, fuisse permotum. Excusabiturne petens consilium, si bona fide dictis Consultoris acquiescens sententiam ipsius sectetur? Si non excusetur, frustra laboramus in assignanda regula. Si excusetur, ideo hoc erit, quia operatur bonâ fide cum conscientia de honestate operis, excludente cognitionem & advertentiam actualem de peccato, quod ex mente Auctorum benignæ sententiæ sufficit, ut operatio sit honesta. At hæc advertentia & cognitio actualis peccati æquè excluditur per omnem existimationem de honestate operis. Ergo tandem eò venitur, ut propria cujusque existimatio de honestate operis sit regula sufficiens ad ritè formandam conscientiam. Hinc autem alia adhuc longè absurdiora sequuntur. Quid enim fiet, si opinio illa, à Consultore proposita, sit erronea, aut etiam hæretica? Excusabuntúrne, qui eam bona fide sequuntur, eò quòd consilium petentes, maximam habeant opinionem de gravitate ex doctrina sui Consultoris? Hac ratione Genevenses Calvino & Bezæ fidem dantes, sed & Nero & Diocletianus, qui falsa persuasione decepti, putabant Deos esse colendos, ac proindè credebant, Christianos cultum talem prohibentes fuisse supplicio dignos, eosque tanquam homines dæmonis ad decipiendos populos mira patrantes meritò exterminandos, excusandi erunt. Remota quippe fuit à mente illorum omnis actualis cognitio & advertentia peccati. Nam malum bonum existimabant, & bonum malum. Quid ergo dicimus? Ita objicit contra nos, atque ita nos interrogat Celladeus *lib. 1. quæst. 5. §. 2.* atque huic quæstioni ipse, exponens nostram sententiam, respondet his verbis. *Docent profectò, actum his existimationibus conformem evasurum rectum, & honestum, quin de honestate operationis haberi infallibile prorsùs, ac evidens dictamen conscientiæ.* Unde statim infert, frustra recurri ad opinionem probabilem, cùm quævis existimatio ac persuasio, etiam improbabilis, etiam hæretica, etiam pagana, sit æquè unicuique regula, ac demonstratio.

Objectio 2.

Celladeus vel gravissimam benignæ sententiæ calumniam imponit, vel maximæ inaccurationis arguendus est.

Respondeo inprimis, alterutrum ex duobus necessariò

necessariò admitti debere, scilicet Celladeum vel gravissimâ calumniâ ex industria omnes omnino integri sæculi Auctores onerare, vel certè turpissimè ac quodammodo intolerabiliter errare in exponendis aliorum sententiis, suaque phantasmata, pro sententia quam impugnat, imperitis venditare. Alterutrum, inquam inevitabiliter sequitur, quia certum ac indubitatum est, neminem ullius notæ ex Auctoribus nostræ sententiæ unquam docuisse, *omnem actum, illis existimationibus conformem, evasurum rectum & honestum*; sed omnes è contrario tales actus plerumque rejicere ut peccaminosos. Porro ut inevitabilitas istius illationis disjunctivæ omnibus pateat, sciendum est, omnes Auctores nostræ sententiæ, agentes de conscientia, expressè docere, conscientiam vincibiliter errantem à peccato non excusare, sed omnem sequentem conscientiam sic constitutam necessariò peccare, quidquid faciat. Si contra illam agat, peccat contra conscientiam, quia sciens & volens facit quod judicat esse malum; si verò sequatur ejus dictamen, peccat contra legem. Hæc omnium, nemine dempto, est una vox eademque sententia; & tamen qui sic operatur, facit quod bonum esse existimat. Ergo omnes docent, actum, existimationi de honestate operis conformem, non semper esse bonum, sed sæpe esse peccaminosum. Porrò omnes similiter docent, pleraque hæreticorum ac paganorum opera, qualia Celladeus commemoravit, à conscientia vincibiliter erronea ortum sumere, etiam tunc, quando judicantur bona, aut etiam strictè debita & præcepta existimantur. Ergo Celladeus vel ex industria gravem calumniam nobis impegit, si hæc novit, & eorum meminerit; vel certè in exponenda nostra sententia turpissimè, & quodammodò intolerabiliter erravit. Quod cùm ita sit, ego primum, utpote gravissimum crimen illi non imputo, quinimo eum talis sceleris purum existimo, sed eum à secundo, id est, à magna inaccuratione, turpique saltem rerum oblivione excusare non valeo.

Argumentum retorquetur.

6. Respondeo secundò, argumentum hoc ab ipso Celladeo esse solvendum; quia ille admittit, Idiotas in suis dubiis regulari posse ac debere à peritis per probabile, quod ipse positivum appellat. At hoc eidem inconvenienti subjacet, quia Idiota sciet quidem, suum Consultorem ita dicere, ac affirmare rem illam absque peccato fieri, quia honestas illius est positivè probabilis; sed quomodò sine revelatione sciet, illum verum dicere, aut talem rei investigationem præmisisse, quæ necessaria est ad sciendum, an res illa ad talem probabilitatis statum perveniat? sed quid fiet, si Idiota summam de sui Consultoris sufficientia & probitate opinionem habeat? quid, inquam, fiet, si ille ex ignorantia aut errore dirigat consulentem ad praxim opinionum improbabilium, aut etiam hæreticarum? Ecce necessariò labimur in perplexitatem, quam vitare intendimus, si Celladei sententiam sequamur; & quod plus est, non ipsa probabilitas positiva, sed sua cujusque existimatio erit regula conscientiæ.

Idiotæ bene norunt probabile ab extrinseco.

7. Respondeo tertiò, directè, nullam prorsùs perplexitatem sequi ex nostra sententia, quia plurima sunt signa infallibilia, per quæ idiotis ipsis extrinseca probabilitas de rerum honestate certissimè innotescit, de quibus fusè egi *quæst. 6. de Conscientiâ probabili*, quæ si Celladeus legisset, fortè nunquam ista, aut ulla hisce similia objecisset. Porrò probabilitas, quâ Idiotæ diriguntur, est extrinseca probabilitas, cujus solius sunt capaces, non intrinseca, cujus capaces non sunt. Itaque licèt ignorent, an Consultor vel Confessarius verum dicat, aut diligentiam sufficientem pro resolutione verè probabili adhibuerit, certò tamen sciunt, se illius dictis prudenter fidem dare, & ad ulteriorem veritatis indagationem non obligari, eò quòd ille habeatur vir peritus ac probus, qui proinde præsumitur nolle ea docere, quæ non novit sufficere. Hac ratione certa probabilitas extrinseca adest, per quam consulentes diriguntur ad agendum, & per quam excusantur, si errent in materia verè incerta, & utrimquè certò probabili.

Idiotæ sæpe excusantur, etsi Director munere suo non fungatur.

8. Ad secundum casum de Directore imperito, levissimis rationibus moto, qui tamen vulgò peritissimus habetur, dico consulentes, ejus directionem sequentes, excusari à peccato, quamvis errent, dummodò ea omnia exteriora adsint, quæ requiruntur ad hoc, ut dictis illius certò prudenter credant. Tunc enim adest certa probabilitas extrinseca de honestate operis. Nec obstat, quòd ille improbabilia, aut etiam erronea doceat, quia Idiotæ, quos dirigit, invincibiliter errant. Error autem invincibilis eos certissimè à peccato excusat, etiam ex mente Celladei. Non tamen excusantur præcisè ob rationem à Celladeo tactam, quia scilicet formant conscientiam de honestate operis, absque ulla cognitione aut advertentia actuali de illius malitia; sed quia per judicium certò probabile ac prudens talem advertentiam excludunt, nec ullatenus tenentur talem malitiam advertere, aut veritatem ulteriùs indagare; hisce enim ablatis vincibiliter errarent, & consequenter peccarent, quamvis nullatenus se peccare existimarent. Talia enim sunt peccata ignorantiæ, quæ nullus Auctorum sententiæ benignæ negat. Itaque non frustra sudamus in explicanda probabilitate, quia sine illa, regula ad conscientiam ritè formandam sufficiens non habetur. Neque tandem eò labimur, ut sua cujusque existimatio sit regula conscientiæ ritè formandæ, ut patet.

Pagani in suis absurdis blasphemiis nunquam excusantur, hæretici aliquando excusantur in suis.

9. Sed quid dicemus ad ultimos casus à Celladeo propositos? Dico, & audacter dico, homines raròadmodum, aut nunquam in illis excusari. Ratio est perspicua, quia homines raro, aut nunquam invincibiliter errant in illis. Præterea raro aut nunquam est certò probabile ipsis, quod talia liceant. Nullum enim judicium, ex vincibili ignorantia aut negligentia culpabili ortum, est probabile, ut omnes communiter censent. Jam ergò quando Idiotæ aliquid audiunt à viro summæ existimationis, quod aut communi fidelium sensui, aut praxi Ecclesiæ, vel lumini rationis, aut fidei repugnat, vel certè cum illis non benè cohæret, tenentur non statim fidem dare, sed rem examinare, quia imprudenter crederent, & si errarent, vincibiliter errarent. Tales fuerunt omnes Gentilium errores de Deorum pluralitate, idolorumque cultu, si tamen unquam contigerit, ut hæc ita crederent esse bona, ut nullam actualem mali suspicionem haberent. Hæc enim & hisce similia adeo lumini rationis repugnant, ut vix aut ne vix quidem fieri possit, quin intellectus in illis aliquam mali latentis suspicionem admittat. Eadem est ratio de illis, qui ab initio Hæresiarchis fidem dederunt; absque dubio enim in hoc peccarunt, quia privatorum hominum doctrinas communibus Ecclesiæ dogmatibus prætulerunt, cùm tamen lumen ostendens id esse illicitum haud defuerit. Quòd si loquamur de iis, qui in hære-

si seducati fuerunt, error purè materialis ac prorsùs invincibilis non rarò in illis, maximè in idiotis, reperitur. Hi ergo, & alii omnes, qui ex aliorum falsa directione errant, per accidens excusantur, si invincibiliter errent, seu quod idem est, si ex persuasione certò prudenti atque probabili absque obligatione ulterioris inquisitionis conscientiam formant. Quæ omnia adeo clara, & rationi consentanea sunt, ut mirum sit, Celladeum res tam perspicuas tam indigesta oratione proponere potuisse, ac existimasse, tam apertam fallitatem ex rebus tam perspicuis deduci.

QUÆSTIO DECIMA-QUARTA.

Vtrùm benigna sententia cuilibet auctori gravi auctoritatem tribuat, Romani Pontificis aut Concilii generalis auctoritati æqualem?

Celladeus declarat, se velle in arguendo nos imitari.

1. MIRABILIS, ni fallor, primo aspectu videbitur titulus iste, ab omni veritatis specie alienus. Verùm magis miranda apparebunt in decursu quæstionis, quam ideo instituo, quia Celladeus *lib. 1. quæst.* 7. fusè prosequitur hoc argumentum, atque *nostra*, ut ait, *arte ad nos invadendum utitur.* Nos, ad probandum usum opinionis minùs tutæ esse licitum, inter reliqua observamus, Pontifices Romanos, in rebus summi momenti ac in Ecclesiæ regimine, frequenter in praxi sequutos esse partem minùs tutam contra tutiorem probabilem, aut etiam probabiliorem. Quo argumento Celladeus nos magnum sententiæ rigidæ odium conflasse fatetur. Quocirca eadem arte uti statuit, ideoque contendit probare, benignam sententiam eo titulo absurdam esse & falsam, quòd cuivis Auctori gravi tribuat auctoritatem, Summi Pontificis & Concilii generalis auctoritati æqualem, immo & majorem. Plurimum autem tribuit huic paradoxo, quod non ideo excutiendum censeo, quia ullam difficultatem habeat (ex hoc enim capite tota quæstio omitti potuisset) sed quia similia paradoxa imperitos non parùm movere solent, nisi excutiantur, & dissolvantur. Sit ergo, ac omnibus in rebus minoris momenti licere. Argumentum hoc fusè à me tractatum est *quæst. 22. de Conscientia prob. à num. 183. ad 200. & à num. 227. usque ad finem quæst.* Ubi efficaciter rejeci quidquid ad talia exempla enervanda adversarii congesserant. Præterea hîc etiam *quæst. 8.* idem argumentum prosecutus sum, praxique Romanorum Pontificum, eorundem doctrinam ac decreta addidi, ex quibus benigna sententia validissimè confirmatur. Jam ut Celladeus artem hanc, seu hunc arguendi modum congruè imitaretur, debuisset certissima Romanorum Pontificum exempla aut decreta afferre, ex quibus constaret, usum partis minùs tutæ, etsi probabiliter licitæ, esse peccaminosum, atque ab ipsis habitum pro peccaminoso. Secundò debuisset exempla à nobis allata, atque argumentum in illis fundatum distinctè examinare, atque illius nullitatem, si posset, ostendere. Verùm nil horum præstitit Celladeus, sed pro exemplis indubitatis attulit illationes, nescio quas, absque sufficienti motivo excogitatas; pro serio autem tantæ rei examine uno levi verbo, ut mox ostendam, argumentum eludere & exsufflare conatus est. Ergo incongruè artem nostram, seu nostrum ex hoc capite arguendi modum imitatus est, seu potiùs nullo modo est imitatus.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus haud peritum artis nobis ab ipso tributæ, seu argumenti à Romanorum Pontificum exemplis deducti imitatorem se ostendit.

Imperitè nos imitatur.

2. PROBATUR. Ars nostra, seu potiùs argumentum nostrum in eo consistit, quòd ex certis historiis, atque testimoniis indubitatis probemus, Summos Ecclesiæ Pastores, Sanctitatis ac prudentiæ laude conspicuos, non semel aut iterum, sed frequenter sequutos esse benignam sententiam, idque in rebus summi momenti, ad publicam Ecclesiæ administrationem spectantibus. Nec tamen quisquam audet os in cœlum ponere, eosque peccati condemnare. Unde efficaciter inferimus, idem quoque nobis

ASSERTIO II.

Responsio Celladei ad argumentum, à Summorum Pontificum exemplis desumptum, est prorsùs insufficiens.

3. PROBATUR. Ad argumentum illud, prope initium *quæst. 7.* respondet hoc modo. *Nos factum negabimus, & dabimus eos usos esse opinionibus speculativè quidem minùs probabilibus, non autem practicè: practica autem probabilitas ex circumstantiis publicis & privatis constat, quas noverunt utique Romani Pontifices dispensantes, & quæ nos Theologos sæpe latent: ideo absurdum potiùs est similia ad tribunal nostrum vocare, & sententiam pronunciare.* Hæc ille, nec verbum amplius pro responsione attulit. Porro responsio ista ex omni parte deficit. Inprimis, negare factum est negare *Celladeus non satisfacit argumēto, in Pontificum exēplis fūdato.*

Pontifices

Pontifices ejusmodi dispensationes concessisse. At ex certis & indubitatis historiis & auctoritatibus moraliter certum est, ejusmodi dispensationes in causis incertis & utrimque probabilibus frequenter fuisse factas: Ergo factum absque ullo fundamento, immo contra moralem certitudinem perperam negatur. Nec dicat, se solùm negare, eos sequutos esse opinionem minùs probabilem; quia hîc & nunc parum nostrâ interest, an opinio, quam sequuti sunt, fuerit minùs vel æquè probabilis, aut probabilior oppositâ, quia quodvis istorum ex æquo contrariatur Celladeo, totamque illius fabricam evertit. Præterea, qui legerit quæ attuli *quæst. 22. de Consc. prob.* videbit, Pontifices sæpe sequutos esse opiniones, aut solùm æquè, aut etiam minùs probabiles, adeo ut factum negari meritò non possit.

Dispensationes erant contra opinioné practicè probabilem.

4. Secundò. Maxima pars dispensationum, de quibus nunc agitur, facta est in rebus, de quibus controvertebatur, & etiamnum ab integris celeberrimisque scholis controvertitur, an Potestas Pontificia in ullo casu extendatur ad validè dispensandum in illis. Ergo nullæ aderunt circumstantiæ, sive privatæ sive publicæ, quæ potuerunt reddere Pontifices moraliter certos, se validè dispensasse, & subditos à periculo peccati materialis sua dispensatione exemisse. Ergo in talibus materiis frustra & abs re recurritur ad varietatem circumstantiarum, quæ in aliis materiis efficere potest, ut quod malum est in his, in illis circumstantiis non sit malum, sed bonum.

Erant in materia circa quâ probabilitas speculativa non differtâ practica.

5. Tertiò. Dispensationes istæ factæ sunt circa materiam, in qua probabilitas speculativa à practica separari nequit. Probabilitas enim practica illa est, quæ probabiliter enunciat de honestate operis. At certum est, Pontifices dispensasse circa multa, de quibus, omnibus inspectis, probabile erat dispensationem ipsam fuisse nullam, atque etiam rem per dispensationem obtentam, non obstante dispensatione, fuisse peccatum, legi naturali aut divinæ positivæ contrarium. Ergo certum est, exempla à nobis allata versata esse circa res & opiniones practicè probabiles.

Pontifices non habuerût circumstantias & rationes privatas aliis ignotas.

6. Quartò. Ex eisdem historiis indubitatis constat, Pontifices totam rem cum suis circumstantiis Theologis ac Consultoribus proposuisse, ac tandem dispensationem indulsisse, quamvis aliqui gravissimi reclamarent. Et sanè absurdum est existimare, Pontifices Consultoribus omnes circumstantias non proposuisse, sed aliquas sibi retinuisse, ex quibus ad operandum dirigerentur; tunc enim frustra alios consuluissent; non enim petiissent consilium de iis, quæ facturi erant, quia facturi erant ea in aliis circumstantiis, per quas tota operis moralitas prorsùs alteranda erat. Ergo certum est, omnes circumstantias ad rem pertinentes fuisse propositas, quamvis nos jam ignoremus, quænam illæ fuerint. Ergo certum est, Pontifices toties sequutos esse partem minùs tutam, contra tutiorem probabilem, quoties plures ex gravissimis Consultoribus reclamabant. At certum pariter est, plures ex Consultoribus sæpe reclamasse, immo notorium est aliquando non unum vel alterum ex Consultoribus, sed communem scholasticorum opinionem, integrasque scholas Sanctitatis ac doctrinæ laude maximè conspicuas damnare tales dispensationes ut invalidas, & à fortiori in directa consideratione ut illicitas. Ergo certum est, argumentum non solvi dicendo, circumstantias variatas fuisse, & opinionem, contra quam Pontifices dispensarunt, fuisse solùm speculativè probabilem, aut probabiliorem illa, quam sequuti sunt. Demum Adrianus VI. dispensavit contra propriam opinionem dictantem, opus illud nec posse nec debere fieri. Ergo sequutus est opinionem contra aliam practicè probabiliorem. Sed & declaratio Urbani VIII. expressè favet opinioni æquè ac minùs probabili, ut patet.

Nos non judicamus eorum facta, sed supponimus ea esse licita.

7. Quintò demum, nos non vocamus facta ista ad nostrum tribunal, ut de illis judicium feramus; sed ex certis historiis, ex indubitatis Doctorum sententiis, atque ex prudenti usitatoque procedendi modo, primò observamus quænam à Summis Pontificibus gesta fuerint: deinde supponimus ea legitimè ac licitè facta fuisse, & honoris atque observantiæ in eos causâ, quatenus opus est, idipsum probamus. Atque ita demum scimus, usum opinionis probabilis, etsi minus tutæ, esse omnibus licitum, quia extra controversiam id licitum est Romanis Pontificibus in rebus summi momenti, in quibus par aut major difficultas reperitur, quàm in ulla causa ad privatos homines spectante. Ecce responsio Celladei ad nostrum argumentum ex omni parte deficit.

ASSERTIO III.

Assertio; seu illatio Celladei est absurda.

Illatio illa Celladei, quòd scilicet benigna sententia cuivis gravi Doctori auctoritatem tribuat, Romani Pontificis & Concilii generalis auctoritati æqualem, est absurda, viris doctissimis injuriosa, & ex obviis principiis apertæ falsitatis convincitur.

8. PROBATUR. Inprimis, illatio illa est absurda, quæ asserit omnes omnino Ecclesiæ Doctores, in re morali summi momenti, & ad generalem debitè conscientiam formandi modum spectante, per integrum sæculum tam enormiter errasse, ut illorum *opinio* (verbis ac phrasi Celladei utor) *sequelam tantæ absurditatis continuerit, ut instar montis fauces superantis à nemine devorari possit.* Incredibile enim est, omnes omnino, post diligentissimam materiæ discussionem, quam certum est plurimos eorum adhibuisse, potuisse in opinionem tam absurdam conspirare, quia tanta absurditas non potuisset non se non prodere alicui. At certum est, neminem illorum deformitatem illam, aut aliquid illi affine detexisse. Ergo incredibile est, quidquam ejusmodi ex illa sequi. Absurda ergo est præsens illatio, quæ in re tali tantam ignorantiam & oscitantiam universis Ecclesiæ Doctoribus per integrum sæculum attribuit.

Est viris doctissimis injuriosa.

9. Deinde, quid injuriosius dici potest contra unanimem omnium omninò per sæculum integrum Ecclesiæ Doctorum opinionem, quàm asserere, unanimem eorum in tali materia sententiam involvere absurda, quæ instar montis immensi ab humanis faucibus devorari non possunt? Atqui hanc illis notam disertè inurit, & quod plus est expressè fatetur, se hanc suam illationem non probasse modò, sed etiam demonstrasse. Ergo hæc illius illatio non solùm aliquibus viris gravissimis, sed omnibus integri sæculi Doctoribus est injuriosa.

10. Demum, quòd illatio illa ex obviis principiis apertæ falsitatis convincatur, ex eo patet, quòd

quòd benigna sententia aliam viro gravissimo auctoritatem non tribuat, quàm quòd aliquando in rebus incertis, magnâ suâ industriâ tot & tam efficacibus argumentis stabilire possit suam sententiam, ut, omnibus inspectis, illam reddat prudenter credibilem, seu certò probabilem, quamvis illam non demonstret, nec probabilitatem ab oppositâ auferat. In quo casu, si sententiam ferat de honestate partis minùs tutæ, dicimus intellectum, non ex illius auctoritate tamquam ex præmissa, sed solùm ex principiis universalibus synderesis reflexis, & ex scientia certa reflexa de qualitate seu natura opinionis tali Auctori tributæ, consurgere posse ad formandum judicium certum de honestate operationis hîc & nunc terminatæ ad objectum, quod Auctor ille tradidit esse licitum, licèt honestas materialis operis maneat incerta relatè ad circumstantias directè consideratas, in ordine solùm ad quas auctoritas illius Doctoris se extendit. Hoc summum est, quod tali Doctori benigna sententiâ tribuit. Nec tantum illi, nisi multis cum limitationibus concedit. Unde fieri potest, ut eadem assertio & ab ipsomet postea revocetur, & ab aliis improbabilitatis ac falsitatis condemnetur; in quo casu nulla amplius aderunt principia synderesis, ex quibus conscientia certificans nos de honestate operationis consurgat, sed è contrario aderunt principia conscientiam gravantia ad talem operationem omittendam. Uno verbo omnis Doctor, quantumvis gravis, semper est fallibilis, nec unquam illi certam, sed solùm formidolosam fidem præbemus circa ea, quæ asserit, nec illi tenemur assensum præbere, quamvis eidem assentire possimus.

Auctoritas gravi Auctori à nobis tributa quæ sit, & quanta?

11. E contrario, nos talem Summis Pontificibus, atque Conciliis generalibus auctoritatem tribuimus, ut illorum decisio non probabilem, sed certam & infallibilem reddat eorum sententiam, ex cujus vi præcisè, non per ambages & principia reflexa, sed directè certificamur non solùm de honestate formali operationis, sed etiam de honestate materiali operis secundùm se. Quæ omnia immediatè proveniunt ab infallibili auctoritate, quam in illis agnoscimus, cui omnes assentire tenentur. Unde credimus, nec ipsos posse postea suam definitivam sententiam retractare, nec ulli mortalium licere talem definitionem in dubium vocare, aut illam falsitatis arguere. Hæc sunt, quæ de privati Doctoris, hæc quæ de Summi Pontificis, Conciliique generalis auctoritate sentimus; eadem autem ab omnibus tamquam principia fixa & indubitata admittuntur. Ex illis autem evidenter sequitur, nos non parem privato Doctori & Summo Pontifici, vel Concilio generali auctoritatem tribuere, sed illam Doctoris privati esse non solùm incomparabiliter minorem, verùm etiam inferioris ordinis, adeo ut nulla inter illas ratio seu proportio dari possit, plùs quàm inter lineam & superficiem, aut inter certum & probabile, fallibile ac infallibile. Eadem ratio palam evincit, illationem Celladei, utpote (audacter dico) evidenter falsam, nulla ratione probabili confirmari posse, ideoque rationes, quas ad eam stabiliendam Celladeus affert, quatenus illi confirmandæ deserviunt, esse improbabiles. Hoc quomodo in particulari verum sit, ex illarum ponderatione mox apparebit.

Auctoritas Summi Pôtificis & Côcilii generalis est altioris ordinis, quàm auctoritas privati Doctoris.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

12. OBJICIT primo loco Celladeus, & hisce verbis arguit. *Quæro an probabilitas sit recta regula morum? & aiunt. Quæro rursus, an habitâ probabilitate formare possim infallibile ac evidens dictamen conscientiæ de meo non peccato, & de honestate ac rectitudine meæ operationis? & aiunt. Quæro mox: ubi & unde comparare valeam eam probabilitatem? & respondent in dicto, & opinione omnis & cujuslibet gravis Auctoris, vel Theologi gravis. Ex his infero: ergo tanta est auctoritas omnis & cujuslibet Auctoris gravis in doctrinâ morum, ut eam sequendo sit prorsùs impossibile me peccare, & honestè non agere; quin operer ex infallibili & evidenti dictamine non peccati & rectitudinis. Hactenus non aliud quàm ipsam suam sententiam intulisse videmur. Inferamus modo. Ergo tanta est auctoritas omnis & cujuslibet Auctoris gravis in materiâ morum, quanta Romani Pontificis & Concilii generalis. Probatur consequentia, quia ea est & nentiquam major Romani Pontificis & Concilii generalis auctoritas in doctrinâ morum, ut sit regula infallibilis rectè operandi, & sit impossibile eam sequendo fideles peccare, & non rectè agere. Sed hæc ipsa est auctoritas omnis & cujuslibet Auctoris gravis. Ergo tanta est hujus quanta illorum Auctoritas in materia morum.* Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 7. §. 1.*

Objectio mirabilis.

Respondeo inprimis retorquendo argumentum contra Celladeum & omnes. Datur aliqua auctoritas fallibilis, certis circumstantiis septa, cui fidem dantes prudenter agunt, & si errent, invincibiliter errant. De hac auctoritate totum argumentum formari potest, quia taliter credentes habent rectam regulam morum, habent enim dispositionem infallibiliter excusantem à peccato. Porro hoc ipsum fundatur in auctoritate illa fallibili, dictis circumstantiis septa, cui fidem præbuerunt. Ergo illa auctoritas, etsi fallibilis, æquat auctoritatem Romani Pontificis & Concilii generalis in doctrina morum, quia utraque ex æquo eandem prorsùs infallibilem à peccato immunitatem tribuit. Ecce omnes hoc argumento (si tamen argumenti nomen mereatur) æquè urgentur. Ergo nimis probat. Ergo nihil probat.

Retorquetur argumentum.

13. Deinde sub eisdem prorsùs terminis singulariter retorquetur contra Celladeum, qui, quamvis rejiciat probabile, quod consuetum appellat, admittit tamen probabile quoddam, ut vocat, positivum, tamquam sufficientem rectè operandi regulam. Porro hoc positivum probabile non est infallibiliter verum, quia est solùm probabile. Jam peto, unde habeatur ista probabilitas positiva? quodcumque assignetur, contra illud argumentum, sub eisdem prorsùs terminis procedit. Unde si argumentatio sit bona, legitimè sequitur, tantam esse vim illius, etsi fallibilis, ad excusandum à peccato, & fundandam actionem bonam, quanta est auctoritas Romani Pontificis & Concilii generalis, quia utraque ex æquo arcet peccatum, & bonitatem ponit. Ecce Celladeus iterum propriis argumentis implicatur, nec illis extricare se poterit, quin eo ipso fateatur, ea nullius ad intentum probandum ponderis esse.

Retorquetur ad hominē côtra Celladeum.

14. Respondeo secundò, directè, & inprimis dico, sequelam, etsi omnia antecedentia admittantur, non inferri, quia auctoritas infallibilis & certa majorem refundit honestatem in opus, quàm incerta & infallibilis, ut expressè ostensum

Datis præmissis, illatio non sequitur.

sum est *quæst.* 4. Deinde ad singula Respondeo singillatim. Ad primam interrogationem dico, certam probabilitatem practicam esse sufficientem regulam objectivam remotam ad fundandam conscientiæ securitatem, modò intellectus eâ utatur, non tamquam præmissâ, sed solùm ut objecto reflexè evidenter cognito, ad formandam propositionem, quæ sit essentialiter minor principii synderesis reflexi, atque ita consurgat ad formandum certum & evidens dictamen de honestate suæ operationis. Probabilitas enim hæc solùm ratione est regula certò & evidenter licitè operandi, ut hîc sæpe dictum est, maximè *quæst.* 2. *& fusè ostendi quæst.* 12. 13. *&* 14. *de Conscient. prob.* Quique aliter de illa sentit, non loquitur juxta sensum tenentium, ultimum conscientiæ dictamen debere esse certum & evidens, ut operatio sit honesta.

Ad singula respõdetur.

Ad secundam interrogationem dico, nos, habitâ opinione certò practicè probabili, consurgere quidem posse ad formandum infallibile dictamen de non peccato, immò, de honestate operationis hîc & nunc ponendæ, non autem de veritate objecti, quod sententia probabilis præcisè proponit; illud enim nobis non potest certò innotescere, nisi per auctoritatem vel rationem infallibilem. Cæterùm in isto dictamine formando non utimur opinione probabili tamquam præmissâ formali, sed solùm ut objecto reflexè evidenter cognito, ut dictum est, adeo ut nec major nec minor talis syllogismi fundetur in auctoritate talis Auctoris.

Ad tertiam interrogationem fateor, probabilitatem reperiri in dicto ac opinione Auctoris gravis, modò hoc non tam crudè ac universaliter sumatur, ut Celladeus illud proponit, sed accipiatur cum limitationibus, quas *quæst.* 5. *&* 6. *de Consc. prob.* proposuimus.

Syllogismus certificans nos de honestate operationis non fundatur in auctoritate fallibili, ut in præmissa.

15. His præmissis, ad primam consequentiam dico, impossibile quidem esse hominem peccare, qui, debitâ diligentiâ præmissâ, bona fide conscientiam deponit in certò probabili resolutione Doctoris gravis. Ratio est, quia talis homo per novam consultationem consurgit ad formandum dictamen certum & evidens de honestate suæ operationis; ita tamen, ut incertus maneat de honestate materiali operis, quod ponit. Porro in hoc casu hæc certitudo indirectè tantùm, remotè, mereque occasionaliter provenit ab auctoritate talis Auctoris, quia tota certitudo refunditur in præmissas, quarum neutra fundatur in ipsius auctoritate.

Porro ut hæc omnia perspicuè pateant, pono exemplum à Celladeo admissum. Admittit ille auctoritatem S. Ambrosii sufficeisse ad tranquillandam conscientiam S. Monicæ, & ad illam in suis dubiis securè dirigendam. Idem dicendum de Cardinali Bellarmino, v. g. qui dum viveret, doctrinæ ac Sanctitatis famâ celeberrimus erat. Ponamus jam (quod haud dubiè sæpiùs factum est) plures homines cordatos, sed rudes & ignorantes, ab illo jam Cardinali & Archiepiscopo suo petiisse, quid sibi in dubiis suis agendum esset? simulque supponamus, eum in rebus tantùm probabilibus respondisse, partem minùs tutam esse illis licitam. Dico rudem in tali casu posse licitè sequi talem directionem, atque consurgere ad formandum dictamen certum & evidens de non peccato, atque de honestate suæ operationis, non tamen directè propter auctoritatem Bellarmini, sed solum occasionaliter & indirectè, quatenus illius opinio & assertio præbet occasionem novæ consultationis, per quam conscientia operantis certificatur, non de materiali honestate operis secundùm se, sed solùm de formali honestate operationis hîc & nunc faciendæ. Rudis enim ille hujusmodi syllogismum format, *Deus contentus est ut rudes in rebus dubiis sequantur id, quod Episcopi, ipsis dirigendis propositi, docent esse licitum, maximè quando Episcopi illi famâ doctrinæ ac Sanctitatis toto orbe celeberrimi sunt, &c. Ego sum rudis, & Bellarminus est Episcopus mihi dirigendo præpositus, estque vir toto orbe doctrina & Sanctitatis famâ celeberrimus. Ergo Deus contentus est, ut in rebus dubiis faciam quod ille à me consultus dicit esse licitum. Sed ille à me consultus in hoc dubio respondit hoc esse licitum. Ergo hic & nunc licet mihi hoc facere.* Hunc aut alium ejusmodi syllogismum format rudis, semper autem utitur præmissis evidentibus, ad quas auctoritas Bellarmini remotè tantùm & occasionaliter concurrit, ut patet; nunquam enim in toto hoc discursu utitur propositione vel opinione Bellarmini ut præmissâ, aut fundatur in ipsius auctoritate tamquam in medio aut ratione, propter quam evidenter assentitur ulli præmissarum, quia benè novit, tales homines fallere posse aut falli in suis judiciis, quamvis credibile prorsùs sit, & certò prudenter præsumatur, eum hîc & nunc nec fallere, nec falli. Itaque rudis ille non habet certitudinem de eo quod Bellarminus respondit, seu de materiali honestate operis hîc & nunc à se ponendi.

16. Hinc autem apertè sequitur, secundam illationem seu applicationem argumenti esse nullam, &, quod plus est, sequitur consequens esse evidenter falsum, quia Romani Pontificis & Concilii generalis auctoritas tanta est, ut directè & per se certificet nos de materiali honestate objecti secundùm se, nosque obliget ad illud credendum, nec ulli licet rem illam ampliùs in dubium revocare. Unde, stante illorum definitione, non per ambages & indirectè consurgimus ad formandam conscientiam certam de honestate formali operationis, cum incertitudine de materiali honestate operis secundùm se, sed immediatè, directè, & præcisè ex vi auctoritatis illorum formamus certum & infallibile judicium de absoluta & integra bonitate tam operationis quàm operis. Ergo nulla est proportio inter istas auctoritates, sed illa Romani Pontificis & Concilii generalis est superioris ordinis, & per se influit in dictamen conscientiæ tamquam causa adæquatè & immobiliter eam certificans, cùm omnia contrario modo se habeant in auctoritate Auctoris privati.

Auctoritas infallibilis fundat præmissas nos certificates de honestate operationis & operis.

17. Et sanè peto à Celladeo, utrùm rudis ejusmodi in rebus verè incertis Bellarmini sui Episcopi responsum sequutus, non fuerit securus à peccandi periculo? Si neget, totum mundum benè sentientem sibi contrarium inveniet. Sed & ipse sibi contrariabitur, tum quia concedit, auctoritatem Ambrosii olim ad hoc sufficeisse, quo stante, non est cur suo tempore Bellarmini auctoritas ad id ipsum non satisfecerit; tum quia admittit, errorem invincibilem excusare à toto. At si unquam detur error invincibilis, ille datur in casu præsenti, si contingat rudem illum errare. Ergo ille securus est, si erret. Quod si concedat, rudem illum esse securum, peto an inde sequatur, auctoritatem Ambrosii vel Bellarmini æqualem esse auctoritati Romani Pontificis, vel Concilii generalis? Si concedat, ipse devorat montem, quem præ absurditate nimia à nullius faucibus devorari posse jactabat. Si neget, eo ipso argumenti

Celladeus proprio argumẽto urgetur.

menti sui nullitatem agnoscit, illudque solvere tenetur.

Infallibilitas necessaria est Summo Pontifici.

18. Objicit secundò. Assistentia Spiritûs sancti & infallibilitas non errandi necessaria est Romano Pontifici, quia sine illis gregi pascendo non sufficeret; si enim erraret, oves periclitarentur. At privatus Doctor, etiam quando errat, homines ejus dicto adhærentes tam tutò dirigit ad salutem, quàm Papa; quia ejus resolutio, æquè ac Papæ definitio, sufficit ad fundandum judicium infallibile de honestate operationis. Ecce auctoritas privati Doctoris, si benigna sententia vera sit, non solùm æquat, sed ex eo cognoscitur excedere auctoritatem Romani Pontificis, quòd Papa, si per impossibile erraret, suam omitteret auctoritatem, cùm privatus Auctor suam ex æquo conservet, etiam quando in probabilibus errat.

Respondeo, infallibilitatem necessariam esse Ecclesiæ, ejusque Summo Pastori ad gregem fide certa pascendum; fides enim Theologica certissima est & infallibilis. Si ergo Ecclesia & Pontifex errare possent, fideles periclitarentur, & ubique in fide hæsitarent; imò nil certa fide crederent, quia nullus est fidei articulus, circa quem plures errores exorti non sint. Jam si Ecclesia errores illos damnans errare posset, nullam haberemus regulam certam ad errores à veritate discernendos, & consequenter nil præter confusionem, ac opinionum dissensionem in Christianismo vigeret.

Infallibilitas absolutè non requiritur ad oves Christi pascendas.

Quod si sermo sit de pascendo grege, non per fidem, infallibilitas ad pascendum non requiritur, quia haud dubiè Præsati ac Parochi greges suos pascunt, quamvis non sint infallibiles. Ad id quod additur de comparatione privati Doctoris & Papæ, jam abundè responsum est in dictis ad primum. Quòd autem privatus Doctor auctoritatem non perdat, si erret, Summus autem Pontifex perderet suam, si erraret, non probat auctoritatem privati Doctoris esse majorem auctoritate Pontificis, ad quod tamen probandum assumitur, sed evidenter convincit oppositum. Ideo enim Pontifex suam perderet, si erraret, quia evaderet fallibilis, cùm supponatur esse infallibilis; sicut etiam Deus in eadem hypothesi suam auctoritatem amitteret, quia fallibilis evaderet, cùm sit infinitè infallibilis, & consequenter infinitè excedat auctoritatem hominis privati, qui falli potest, quique ideo non perdit exiguam suam auctoritatem, quando fallitur, quia deceptio post diligens veritatis examen nec directè nec indirectè arguit diminutionem auctoritatis in eo, qui omni diligentiâ adhibitâ errare potest.

Ratio Celladei incongrua.

Æquivocatio Celladei.

In eo ergo erravit Celladeus, quòd magnitudinem auctoritatis confuderit cùm extensione ejusdem ad plures modos affirmandi hæc vel illa objecta, cùm tamen toto cœlo discrepent. Magnitudo auctoritatis ex eo solùm metienda est, quòd impediat errorem in cognoscendo, & deceptionem in loquendo. Ergo infallibilis auctoritas Dei & Ecclesiæ est incomparabiliter major auctoritate privati auctoris, cùm Deus & Ecclesia nec falli possint in cognoscendo, nec fallere in dicendo; privatus autem Doctor & fallere potest, & falli. Ecce quàm incongrua & inconsequenter dicta sunt, quæ Celladeus arbitratur esse insolubilia, & maximè connexa.

Objectio.

19. Objicit tertiò. Illa sunt æqualia ad aliquem effectum, quæ sunt æqualiter potentia ad illum. Sed auctoritas privati Doctoris, & auctoritas Romani Pontificis sunt æqualiter potentes circa infallibilem conscientiarum directionem, quia utraque omnem peccati malitiam infallibiliter aufert, & fundat actionem honestam. Ergo auctoritates illæ sunt æquales in ordine ad conscientiarum directionem. Ita Celladeus §. 2.

Solutio.

Respondeo, minorem esse evidenter falsam, ut constat tam ex probationibus assertionum, quàm ex dictis ad primum.

Objectio 4.

20. Objicit quartò. Romani Pontificis indefectibilitas in doctrina morum probat, indefectibilitatem & infallibilitatem vitandi culpam & rectè operandi non posse subsistere sine ipsa Pontificis indefectibilitate. Si enim indefectibilitas vitandi peccati & honestè operandi subsistere posset cum defectibilitate doctrinæ, non esset cur indefectibilitas in doctrina morum Ecclesiæ tribueretur. Ergo nulla auctoritas fallibilis est infallibilis doctrina morum, immo undique chymericum est, indefectibilitatem rectitudinis morum haberi sine indefectibili veritate. Ita Celladeus §. 2.

Celladei contradictio.

Respondeo primò, Celladeum hoc loco inconsequenter discurrere, sibique contradicere. Inprimis fatetur, errorem invincibilem penitus excusare. Deinde contendit, probabile suum positivum sufficere ad mores rectè dirigendos. Jam qui ex errore invincibili, aut probabili positivo operantur, utique operantur ex dispositione, quæ infallibiliter excludit peccatum: nec tamen ex infallibili ac indefectibili veritate diriguntur. Ergo ex mente, & opinione Celladei, infallibilitas vitandi culpam & rectè agendi in aliquo opere haud dubiè subsistit sine infallibilitate ac indefectibilitate doctrinæ. Nec hoc chymericum est, sed necessarium. Ecce Celladeus sibi contradicit, & proprium argumentum solvere tenetur.

Indefectibilitas in doctrina morum est duplex.

21. Respondeo secundò, indefectibilitatem in doctrina morum sumi posse dupliciter; primò directè pro doctrina, quæ talis est, ut eâ semel positâ, hoc ipso certi simus, doctrinam illam deficere, alterari, aut ab alia doctrina superari non posse. Pro tali doctrina necesse est, illam esse vel evidenter veram, vel ab infallibili auctoritate traditam; his enim deficientibus, repugnat doctrinam illam esse indefectibilem, certam, & infallibilem. Secundò, indefectibilitas doctrinæ morum sumi potest reflexè, quatenus considerat integram aliquam dispositionem, in mente operantis per accidens conflatam, & enunciat actum à tali dispositione regulatum nullâ peccati malitiâ inquinari posse. Hæc propositio, si vera sit, est utique indefectibiliter vera, quia est propositio æternæ & indefectibilis veritatis. Pro prima indefectibilitate doctrinæ morum, ubi evidentia veritatis deest, necessaria est infallibilitas magistri docentis, quid inalterabiliter ac certò habendum sit pro vero & honesto. At pro secunda non item, quia postquam fallibilis auctoritas certò probabiliter enunciat aliquid esse honestum, consurgit conflatum dispositionum in mente, de quo ipsa ratio infallibiliter dictat, quod certò sufficiat ad excludendum peccatum. Itaque hæc infallibilitas non peccandi non habetur ex vi auctoritatis privatæ & fallibilis, sed solùm ex doctrina reflexa, quæ considerat fallibilem illam resolutionem, illiusque qualitatem in ratione objecti, illique addit principium generale synderesis, ex quibus infallibiliter deducit, quod opus in hisce circumstantiis sit licitum. Quæ omnia constant ex allato exemplo, & rationibus, quas attulimus. Porro quamvis

quamvis doctrina hæc reflexa sit indefectibiliter vera, quamdiu locum habet, seu quamdiu objectum illius invariatum existit, simpliciter tamen nec est, nec reputatur indefectibilis pro praxi, quia quoties fallibilis resolutio mutatur, & ex probabili fit improbabilis (quod fieri potest, & nonnunquam evenit) toties tollitur objectum hujus doctrinæ reflexæ, & per consequens ipsa doctrina reflexa deficit, quia qualitas doctrinæ directæ, id est proprium ipsius objectum, ampliùs non existit.

Causæ, ob quas supremus Pastor debuit esse infallibilis, recensentur.

22. Neque hinc sequitur, infallibilitatem Summi Pastoris non fuisse necessariam. Inprimis necessaria fuit, ne in rebus necessariis necessitate medii erraremus, quia in illis nullus error excusat à damno, quod inevitabiliter sequitur ex medii omissione, quamvis error, si sit invincibilis, à novo peccato ob medii omissionem alioquin contrahendo excuset. Secundò necessaria fuit ad uniformitatem fidei in credentibus, quia, illâ ablatâ, nulla esse posset concordia in doctrina, ut patet. Tertiò necessaria fuit, ut lites in materia fidei & morum terminari possent. Quartò necessaria fuit, ut certi essemus, omnia ab Ecclesia præcepta esse directè honesta, & per se Deo placentia, de quo titulo mox plura dicenda erunt. Congruum enim erat fideles certificari per Ecclesiam, se non solùm per accidens & indirectè, sed directè & per se, id est, & materialiter & formaliter Deo placere in iis, quæ Ecclesia ordinat aut præcipit. Quintò demum fuit necessaria ad præstantiam & dignitatem Ecclesiæ, utpote quæ in hoc aliis omnibus sectis præstare debuit, quòd habeat infallibilem regulam dignoscendi, quid directè & per se faciendum sit, quidque credendum ad salutem obtinendam.

Bellarminus rectè probat Papam esse infallibilem.

23. Verùm, contra hoc modo instat Celladeus: Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 5.* ex eo probat, Summum Pontificem in decretis morum errare non posse, quia *si erraret, tota Ecclesia graviter læderetur, & erraret in rebus necessariis, quod est contra promissionem Domini, Ioan. 16. cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quod intelligitur ut minimum de veritate necessaria ad salutem. Secundò, quia tunc Deus deesset Ecclesiæ suæ in necessariis, quandoquidem præcepit illi, ut sequatur Pontificem, & Pontificem permittit errare in necessariis. At certè si Deus nulli rei deest in necessariis, quantò minùs Ecclesiæ suæ? Quod autem non possit Pontifex errare in moribus per se bonis vel malis, Probatur, nam tunc Ecclesia non posset verè dici sancta, ut in Symbolo Apostolorum vocatur. Nam sancta potissimùm dicitur ob sanctam professionem, quia legem & professionem sanctam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Secundò, quia tunc necessariò erraret etiam circa fidem. Nam fides Catholica docet omnem virtutem esse bonam, & omne vitium esse malum.* Rationes istæ, quibus Bellarminus aliique probant infallibilitatem Romani Pontificis, supponunt indefectibilem honestæ operationis doctrinam absque indefectibili veritate non posse subsistere. Et sanè rationes istæ nil probarent, si opinio probabilis, etiam falsa, & peccatum arceret, & actionem Deo gratam redderet; tunc enim sufficeret, si Pontifex instar privati Auctoris gravis per probabilia nos dirigeret, sic enim tam sanctè operaremur, ac si infallibili veritate nos dirigeret. Ergo quamvis non esset infallibilis, nil sanctitatis ab Ecclesia tolleretur, quia nec peccatum adderetur, nec meritum minueretur, sed oves rectissimâ viâ ac doctrinâ tutâ ad Cœlum ducerentur. Ergo rationes, quibus Pontificis infallibilitas stabilitur, nil valent. At illæ valent, & independenter ab ista controversia ab omnibus admittuntur ut legitimæ. Ergo falsa est benigna sententia.

Objectio retorquetur contra Celladeum.

Respondeo inprimis, argumentum nimis probare, quia probat, omnem actionem esse peccaminosam, quæ ab infallibili ac indefectibili veritate non regulatur. At hoc est falsum, quia omnes fatentur, errorem invincibilem infallibiliter à peccato excusare. Itaque Celladeus ipse tenetur argumentum solvere, quia admittit aliquod judicium falsum infallibiliter malum arcere. Nec obstat, quod tenent talem actum non esse bonum, tum quia in hoc ipso errat, ut ostensum est *quæst. 3.* tum quia argumentum æquè procedit contra regulam certò liberantem à peccato, ac contra regulam certò inducentem laudabilitatem; nam non est ratio, cur indefectibilis ac infallibilis veritas potiùs requiratur ad unum, quàm ad alterum. Deinde respondeo, Sanctitatem ac honestatem majorem tribui à cognitione certa ac infallibili, quàm à fallibili ac erronea, ut ostensum est *quæst. 4.* Quamvis Celladeus absque ulla probatione contrarium obtrudat, quasi à nobis indubitanter admissum.

Cæterùm admitto indefectibilem honestæ operationis doctrinam absque indefectibili veritate non posse subsistere; sed hoc ad præsentem quæstionem nil facit, ut constat ex dictis ad priorem partem objectionis.

Celladeus testimonio Bellarmini abutitur.

24. Demum respondeo, Celladeum abuti Bellarmini auctoritate, quia Bellarminus hoc loco, antequam probationes illas afferret, apertè explicat suam mentem, & primò dicit, Pontificem errare non posse in decretis fidei, neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur. Sed mox subjungit, *quia in præceptis & judiciis particularibus non est absurdum Pontificem errare*, & remittit se ad priora, in quibus dixerat, *res particulares esse illas, quæ ad paucos pertinent, quales fere sunt omnes controversiæ facti, ut an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus? an sit deponendus?* Tum ait, *Pontificem, etiam ut Pontificem, cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare posse in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisq; hominum præcipuè pendent.* Demum addit, *Catholicos omnes in eo convenire, Pontificem solùm, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Ecce omnes Catholici unà cum Bellarmino apertè agnoscunt regulam benè & honestè operandi, interposita determinatione Pontificis, præscindendo ab ea quæstione, an possit, vel non possit errare. Et tamen Bellarminus à Celladeo citatur, ut ex illius communique Ecclesiæ doctrina inferamus, nullam esse posse regulam honestæ operationis, nisi habeatur infallibilis ac indefectibilis veritas. Si hoc non sit abuti Auctorum doctrinâ, nemo dixerit, quid sit illâ abuti. Quæ enim major abusio, quàm eò doctrinam detorquere, ut ex illa inferas contradictorium ejus, quod Auctor ipse expressè fatetur esse suum, omniumque Catholicorum sensum.

Omnes tenent infallibilitatem non esse necessariam ad benè operandum.

Pontifex in omnibus omnino non est infallibilis.

25. Cæterùm juvat hunc Bellarmini locum penitiùs introspicere. Bellarminus ergo postquam dixerat, Pontificem in decretis fidei morumque præceptis, toti Ecclesiæ præscriptis, errare non posse, hæc subjungit. *Addimus secundò, non posse errare Pontificem in præceptis, quæ in rebus ne-*

cessariis ad salutem, vel per se bonis vel malis versantur, quia non est erroneum dicere, Pontificem in aliis legibus posse errare, nimirum superfluam legem condendo, vel minùs discretam, &c. Ac ut rem totam exemplis declaremus, Pontifex errare non potest præcipiendo aliquod vitium, ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia hæc sunt per se bona vel mala. Nec errare potest præcipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem, vel prohibendo aliquid necessarium ad salutem, ut baptismum. Tum ait, absurdum non esse, si dicamus fieri posse, ut erret præcipiendo inutilia, vel sub pœna nimis gravi. Demum hæc subjungit. *Quamquam non est subditorum de hac re dubitare, sed simpliciter obedire.* His præmissis pro explicatione suæ sententiæ, ejus probationem aggreditur verbis à Celladeo citatis, in quibus nulla est difficultas, si sermo sit de rebus ad salutem necessariis; quia apertè convincunt, infallibilitatem fuisse necessariam, ne Deus Ecclesiæ suæ deesset in necessariis. Neque probabilitas erroris quidquam juvaret ad finem obtinendum, quamvis à novo peccato excusaret.

Probabilitas doctrinæ non sufficit ut Ecclesia dicatur Sancta, ut vocatur in Symbolo.

26. Difficultas ergo, si quæ est, latet in altera parte, in qua Bellarminus probat, Pontificem errare non posse in rebus per se bonis, aut malis, quia tunc Ecclesia dici non posset Sancta, ut vocatur in Symbolo Apostolorum, eò quòd nil falsum doceat, nil malum præcipiat. Respondeo, hæc esse verissima, quia si Ecclesia in his erraret, verè non esset Sancta in sensu Symboli, à quo vocatur Sancta, quia profitetur legem Sanctam, quæ nil docet falsum, nil per se malum præcipit. Jam certum est, errorem probabilem non sufficere, ut Ecclesia dicatur Sancta in hoc sensu, quia error ejusmodi facilè detegeretur, cùm malitia eorum, quæ sunt intrinsecè mala, vix quemquam lateat. Ergo Ecclesia eo ipso convinceretur non esse Ecclesia Dei, nec ab illo dirigi, utpote quæ in rebus ejusmodi erraret, præcipiendo ea, quæ lumen rationis naturalis rectè concludit esse intrinsecè mala, aut è contra vetando, quæ ratio convincit esse optima. Profectò si Ecclesia talia præciperet, aut prohiberet talia, non mereretur vocari singulariter Sancta propter legem, quam profitetur, cùm lex illa turpia præciperet, & prohiberet Sancta. Præterea post turpitudinem detectam Ecclesia teneretur priora præcepta ut erronea & turpia revocare, aut certè peccaminosè in turpi doctrina continuanda procederet. At utrumque repugnat cum Sanctitate, quam profitetur, quæque illi à Symbolo tribuitur. Itaque titulus ille efficaciter probat, Summum Pontificem in morum doctrina tradenda esse infallibilem, & non posse ne quidem materialiter in illa errare. Quod verum est, tametsi fidelium opera, ex errore invincibili orta, non solùm sint mali moralis expertia, sed etiam honestatem contineant. Unde perperam infertur, rationes Bellarmini nil valituras, si semel concedatur, opus ex errore invincibili, non solùm non esse malum, sed etiam bonum.

Celladeus æquivocat & cõfundit omnia Sancta sub una significatione.

27. Error Celladei in eo vertitur, quòd ex æquivocatione satis obvia confuderit nomen *Sanctam*, prout applicatur Ecclesiæ in Symbolo, cum eodem nomine, prout applicatur cuivis operi honesto, cùm duæ illæ significationes plurimùm inter se discrepent. Pontifex ergo, prout est Summus Pastor Ecclesiæ sanctæ, postulat infallibilitatem in doctrina morum, quamvis etsi non esset infallibilis, posset nos tutò dirigere per opinionem probabilem, sive veram, sive invincibiliter erroneam. Verùm tunc nos non dirigeret prout Summus Pastor Ecclesiæ illius, quæ in sensu Symboli meritò vocatur Sancta, sed alio modo inferiori, sicut Pastores inferiores greges suos pascunt, quamvis sint fallibiles.

SOLVITUR OBJECTIO V.

Ubi agitur de fine scientiæ moralis.

Quis sit finis scientiæ moralis?

28. OBJICIT quintò, scientia moralis respicit actionem seu opus, quòd dirigit, ut finem. In hoc omnes cum Aristotele *1. Ethi.* conveniunt. Ergo scientia moralis non est propter scire, sed propter agere, & totus illius finis est rectitudo morum. Nec mirum; oportuit enim dari scientias practicas, quæ ad voluntatem, quæ de se cæca est, perficiendam ordinarentur, sicut dantur scientiæ speculativæ, quæ intellectui perficiendo deserviunt. Jam finis est mensura mediorum, quæ sunt ad finem; quia tota mediorum perfectio ex conducibilitate ad finem desumitur. Itaque cùm scientia moralis sit propter rectos mores, utique omnis propria perfectio talis scientiæ est propter bonos mores. Ergo infallibilitas doctrinæ morum, utpotè maxima talis doctrinæ perfectio, alium finem non habet, quàm ut infallibiliter dirigat ad bonos mores, & iis mediantibus ad salutem æternam. Ergo ubi non est infallibilitas in doctrina, non potest haberi infallibilis morum directio; alioquin nec veritas falsitati, nec infallibilitas fallibilitati præstaret, quia fallibilis & falsa cognitio tam infallibiliter dirigeret ad bonos mores, quàm cognitio vera & infallibilis; tota enim perfectio mediorum taxatur per finem, ut dictum est. At certum est, cognitionem veram & infallibilem præstare falsæ ac fallibili. Ergo quando dirigimur per cognitionem fallibilem, impossibile est nos infallibiliter bene operari. Ruit ergo tota securitas & infallibilitas bonæ operationis, quam benigna sententia spondet. Ita Celladeus §. 3.

Argumentum retorquetur.

Respondeo primò argumentum eò tendere, ut probet nullam operationem bonam elici posse dependenter à directione falsa aut fallibili; nisi enim hoc probet, nil probat. At hoc est falsum in omnium sententia, quia error invincibilis excusat à toto, & fundat opus bonum. Præterea probabile positivum Celladei fundat operationem honestam, & quidem infallibiliter, saltem ex parte objecti, & quoad se. Ergo argumentum nimis probat, & præterea ab ipso Celladeo solvendum est.

Medium est duplex, aliud purum medium, aliud per se appetibile.

29. Respondeo secundò, media esse in duplici differentia; alia sunt purè media, nec aliam expetibilitatem habent, quàm à conducibilitate ad finem. Sic secari pro calculo è vesica extrahendo est purum medium, quia nullam habet appetibilitatem nisi in ordine ad finem, cui subordinatur. Alia sunt quidem utilia ad finem aliquem, non tamen sunt purè media, quia habent appetibilitatem independenter à conducibilitate ad finem, cui obtinendo deserviunt. Sic de facto Mysterium Incarnationis fuit medium ad reparationem humani generis, sed non est purum medium respectu illius, quia habet amabilitatem independentem à tali ejus ordinatione. Jam Celladeus confundit hæc duo media, & omni medio tribuit id, quod soli puro medio convenit. Quamvis enim scientia moralis ordinetur ad opus bonum, non tamen est purum medium, sed habet appetibilitatem aliam, quatenus perficit intellectum. Itaque opus bonum est quidem finis

Celladeus confundit mediũ purum & medium per se appetibile.

scientiæ

scientiæ moralis, sed certè non est unicus illius finis. Ratio est perspicua. Omnis scientia est proprius actus intellectûs: ergo non potest non eò tendere, ut propriam potentiam perficiat. Præterea, omne verum est finis & objectum intellectûs. Ergo & verum morale. Tertiò, cognitio moralis certa & evidens melior est intellectui, quàm falsa aut fallibilis. Ergo cognitio moralis promovet bonum intellectûs. Ergo finis talis cognitionis est etiam perficere intellectum. Et sanè multi appetunt hanc perfectionem, absque eo quòd scientias morales ad opus ordinent. Sic plures discunt præcepta œconomiæ, aut etiam politicæ, qui tamen nec domesticis nec politicis rebus curandis animum adjiciunt, immò qui decreverunt omnibus ejusmodi rebus ac spebus se spoliare. Itaque ut pressiùs ac exactiùs loquamur, dicendum est, finem intrinsecum scientiæ practicæ esse perficere intellectum, opus autem esse finem extrinsecum ejusdem, ad quem tamen essentialiter ordinatur. Ex hac indubitata doctrina de fine scientiæ practicæ, discursus Celladei ruit, quia non sequitur, cognitionem infallibilem non præstare fallibili, quamvis utraque infallibiliter dirigat opus bonum, quia adhuc cognitio infallibilis prævalet, quia magis perficit intellectum, & ideo præeligenda est. Ex alio etiam capite ruit illius discursus, quia respectu præcisè habito ad finem voluntatis, cognitio infallibilis prævalet, quia majorem honestatem fundat, quàm cognitio fallibilis, ut ostensum est *quæst. 4.*

Finis intrinsecus scientiæ practicæ est perficere intellectum. Finis intrinsecus est opus.

30. Ex his duo Celladei errores deteguntur. Primus est, quòd dicat finem scientiæ moralis non esse scire, sed solùm agere; quia utrumque est finis, sed in diverso genere, ut dictum est. Secundus, & minùs ferendus error est, quòd dicat, errorem in re morali non fore malum intellectûs, si regularet opus bonum; quia intellectus, ut cognoscens res morales, non est propter se, sed propter mores. Ergo si mores sint recti, non obstante errore, error ille non erit malum intellectûs ut cognoscentis res morales. Ergo si intellectus falsò cognoscens æquè confert ad rectos mores, æquè bonus existet, nec à fine suo deviabit. Minùs, inquam, ferendus est hic error, quia ex falso principio per falsas ac malas deductiones magis à vero recedit. Fallitur in principio, ut dictum est, quia veritas est indispensabilis finis intellectûs, quippe qui non potest ferri nisi ad verum. Sed fallitur etiam in deductionibus, quia loquendo de errore, ille non æquè confert ad bonos mores, sicut cognitio certa & evidens, tum quia non directè & per se, sed solùm indirectè & per accidens ad illos confert: tum, quia non immobiliter ad eos dirigit; honestas enim talium operum eidem mutationi subest, cui subjacet cognitio, à qua diriguntur: tum quia errare, etiam contra intentionem, semper est nota aliqua; idque verum est tam respectu voluntatis quàm intellectûs, quia per errorem semper recedimus à fine, quem per se intendimus, ideoque in defectum intenti principalis utimur medio minùs bono, & solùm appetibili per accidens: tum demum quia cognitio certa majorem honestatem refundit in actum, quem regulat, quàm incerta, ut ex professo probatum est *quæst. 4.*

Duo errores Celladei.

31. Respondeo tertiò, sententiam benignam efficacissimè stabiliri ex hoc ipso principio, quo Celladeus illam everti arbitratur. Sic enim arguo. Scientia moralis est propter agere. Ergo utilis est ad opus, & ad mores dirigendos. At adeo certum est, scientiam moralem in plurimis esse incertam, ut Aristoteles ipse, omnesque alii post ipsum expressè doceant, non minùs absurdum esse demonstrationes exigere in moralibus, quàm in mathematicis meris conjecturis acquiescere. Ergo in moralibus sæpe non possumus habere nisi cognitiones incertas. Ergo quando post diligens examen ventum est ad aliquam cognitionem incertam, sed prudentem & rationabilem, nec meliorem aut certiorem habere possumus, illa utilis est ad suum finem. Ergo utilis est ad mores dirigendos. Ergo qui illam sequitur, non peccat, sed moraliter bene operatur, quia sequitur optimum quod habere potest. Et tamen cognitio illa fallibilis est, & aliquando falsa. Ergo certum est, opus, à cognitione fallibili, & aliquando à falsa directum, esse bonum. Ecce principium hoc efficacissimè favet benignæ sententiæ, nec in ullo apice urget nos, ut partim ex dictis, partim ex mox dicendis constabit; sed urget Celladeum, quia ex mente illius probat, nullum opus, à cognitione fallibili, etiam verâ, directum esse honestum, alioquin infallibilitas fallibilitati non præstaret, cùm idem finis æquè ab utraque procederet. At Celladeus ipse admittit, opus bonum satis gubernari à cognitione verè probabili, si sit vera, quamvis talis cognitio semper sit fallibilis. Videat ergo in quas inconsequentias, difficultates & contradictiones à propriis principiis inevitabiliter deducatur.

Finis scientiæ moralis probat benignã sententiam.

Celladeus proprio argumento refellitur, sibique cõtradicit.

32. Respondeo quartò argumentum hoc, etiam admissis omnibus Celladei principiis, nos non impetere, quia fatemur, nullam dari operationem honestam, quæ ab infallibili cognitione morali non dirigatur; ultima enim consultatio, quâ conscientia formatur, semper est certa & infallibilis, ut patet ex allato exemplo, & fusè tradidi *quæst. 13. & quæst. 19 de Consc. prob.* verùm infallibilitas doctrinæ duplex est, altera directa, indirecta altera. Prima nunquam habetur per ullam rationem vel auctoritatem fallibilem; at secunda sæpe fundatur in cognitione directa fallibili, ut patet ex dictis; & hæc est securitas, quam benigna sententia spondet, quæ certè non ruit, sed potiùs stabilitur argumentis, quibus Celladeus eam destrui arbitratur.

Omnis operatio honesta dirigitur à cognitione infallibili.

33. Demum eisdem principiis admissis, respondeo & admitto, totum finem extrinsecum scientiæ moralis esse morum rectitudinem, simulque fateor, hunc finem esse mensuram omnium cognitionum moralium, quatenus ordinantur ad opus. Cæterùm rectitudo morum, seu honestas operationis duplex est, alia adæquata, alia inadæquata. Illa conflatur ex rectitudine materiali & formali simul sumptis, hæc consistit in alterutra tantùm istarum rectitudinum. Unde sequitur, finem mensurantem bonitatem cognitionum moralium sub eadem distinctione esse duplicem. Hoc posito, dico cognitiones inæquales ad eundem finem æqualiter non disponere, nam sola cognitio vera dirigit ad honestatem cõpletam ex materiali ac formali conflatã, sicut & sola cognitio infallibilis ad eam infallibiliter dirigit, infallibilitate scilicet rationali ac vitali, se tenente ex parte directionis ac modi, quo homo operatur; nam sola infallibilitas objectiva & materialis nil facit, cùm sine cognitione hominem non afficiat, & stare possit cum malitia morali, casu quo homo putans bonum esse malum adhuc illud poneret. Jam completa hæc honestas ac rectitudo est *finis qui*, primarius & per se intentus à scientia morali. Huic *fini qui* addendus est finis etiam *quo*, ut habeatur adæqua-

Morum rectitudo alia adæquata, alia inadæquata.

Finis adæquatus scientiæ moralis non habetur nisi per cognitionẽ infallibilẽ.

adæquatus finis scientiæ moralis. Finis autem iste undique completus consistit in honestate completa certò ac infallibiliter amata, seu possessa. Verùm iste finis ab incerta cognitione haberi nequit; cognitio enim fallibilis solùm fallibiliter nos dirigit ad opus completè bonum, adeo ut semper formidemus de honestate materiali operis, quamvis falsitas non detegatur, sed opus credatur esse honestum. Hinc operans ex cognitione fallibili minùs perfectè quiescit in suo opere, minusque perfectè illo fruitur, quàm quando ex cognitione certa & infallibili dirigitur. Itaque sola cognitio certa & infallibilis pertingit ad obtinendum finem adæquatum & totalem scientiæ moralis, reliquæ solùm afferunt secum finem inadæquatum ejusdem. Ergo cognitio infallibilis fallibili præstat, quamvis fallibilis sæpe fundet certitudinem reflexam de honestate formali operationis. Ratio est duplex: prima, quia infallibilis majorem honestatem inducit, quàm fallibilis. Secunda, quia cognitio infallibilis ducit ad meliorem, nobiliorem, magisque intentum finem, ac ad quietiorem stabilioremque ejusdem possessionem, quàm cognitio fallibilis.

Exempla incongrua à Celladeo allata.

33. Nullæ proinde sunt paritates, quibus Celladeus ad prætensa absurda exaggeranda utitur. Comparat primò duos statuarios inter se, & dicit eos fore æquè perfectos in sua arte, si æquè bonas statuas facerent, quamvis unus dirigeretur per cognitiones veras, alter per falsas. Tum applicat similitudinem ad duos moraliter operantes, & dicit, utrosque fore æquè bonos, quamvis unus infallibili, alter fallibili cognitione dirigatur, si uterque certò & infallibiliter benè operetur. Verùm applicatio procedit de subjecto non supponente, quia supponit opus directum à fallibili cognitione esse æquè bonum, ac opus à veritate infallibili regulatum, quod est falsum. Præterea, admissâ incongruâ illâ ac impossibili comparatione duorum illorum statuariorum, dico illos non fore æquè perfectos in sua arte, quamvis per accidens facerent opera materialiter æquè perfecta, quia qui haberet cognitiones certas ac infallibiles, certiùs, suaviusque procederet in operando, quàm qui incertis ac falsis cognitionibus dirigeretur, & aliter faceret in opere, quàm cognitiones illæ falsæ præscriberent. Primus enim verè artificiosè & scientificè, alter cæco modo & præter præscriptum suæ rationis operaretur. At hæc diversitas operandi multùm conducit ad perfectionem artis, ut patet. Uno verbo, unus haberet artem, alter non haberet artem, sed errorem. Ergo uterque non esset æquè præstans in arte. Addè, verum artificem longè meliori ac perfectiori modo fruiturum opere suo ex artis præscripto scienter facto, quàm falsum illum & errantem opificem, qui sicut careret principio artis, ita etiam ejusdem fine, seu possessione ac fruitione artefacti ex præscripto artis careret. Ergo è contrario ex hac paritate infertur, duos homines non esse æquè perfectos in scientia morali, nec æquè beatos, quamvis uterque faceret opus æquè bonum, & unus falsâ, alter infallibili ac verâ cognitione dirigeretur; quia ille solus ex perfectione artis operaretur, atque fine totali artis, optimaque finis illius possessione frueretur, qui ex certa & infallibili cognitione operaretur, ut patet.

Artifex ex errore bonũ artefactum faciens, est minus perfectus eo, qui ex ipsa arte operatur.

Al quando opus ex errore est æquè bonum ac opus ex cognitione vera.

34. Dicam ego Celladeo, ubi duo futuri sunt æquè boni, & æquè instructi scientia morali, quamvis unus vera, alter falsa cognitione dirigatur. Casus est, quando cognitiones ac volitiones utriusque quoad omnia sunt prorsùs similes, quamvis unus erret, alter non erret. Sic duo fratres æquè boni sunt, & æquè instructi scientia morali, qui similem obedientiam præstant Patri, quamvis unus eorum erret judicando illum esse suum patrem, modò easdem prorsùs rationes habeat ad existimandum illum esse suum patrem, quas alter habet, qui non errat. Et peto à Celladeo, in quo diversitas consistat? Nunquam dixerit. Uterque enim & apud Deum & apud homines eadem prorsùs laude dignus est, quia uterque in modo operandi, in operatione ipsa, atque in possessione operis patrati eodem prorsùs modo procedit.

35. Secundo loco comparat privatum Auctorem cum Romano Pontifice, illiusque auctoritatem hujus auctoritati præfert, quia ille tantum potest per opinionem fallibilem, quantum Pontifex per decisionem infallibilem. Ergo ille præferendus est, sicut præferendus esset, qui gladio arundineo, seu instrumento imperfectiori tantum posset, quantum alius gladio ferreo, seu instrumento perfectiori. Verùm omnia procedunt de subjecto non supponente, quia directio falsa & fallibilis nunquam tantum præstat, quantum cognitio certa & fallibilis, ut ostensum est.

Privatus Doctor minus præstat quam Papa.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES & paradoxa Celladei.

36. OBJICIES sextò. Benigna sententia ampliorem facit auctoritatem gravis Auctoris, quàm Ecclesiæ, vel Rom. Pontificis, aut etiam Dei ipsius, quia Auctor gravis habet universaliorem materiam suæ infallibilitatis, quàm Ecclesia, vel Pontifex, aut Deus ipse. Ecclesia enim, Pontifex, & Deus, sua auctoritate interveniente, non possunt refundere honestatem indefectibilem nisi in unam partem contradictionis, nempè in eam, quæ vera est. At gravis Auctor in utramque partem, scilicet tam in falsam quàm in veram refundere potest honestatem indefectibilem. Suscitetur bellum ex altera solùm parte justum, sed cum jure utrimque probabili: in hoc casu, nec Pontifex, nec Deus ipse si foret judex, utrique parti placere posset, sed uni tantùm placeret, alteri displiceret, quia unius tantùm bellum approbaret ut justum, alterum condemnaret ut injustum. At gravis Auctor utrique dicere posset, *non peccas, honestè agis*, suoque hoc responso utrumque infallibiliter à peccato liberat, & honestatem in utriusque bellum refundit. Ergo amplior & universalior est auctoritas gravis Auctoris, quàm Ecclesiæ, Pontificis, aut Dei ipsius, saltem quoad refundendam honestatem in rebus ad mores spectantibus. Ita Celladeus §. 4. ubi asserit, sequelam videri non probatam, sed demonstratam.

Paradoxũ.

Mox §. 5. infert, auctoritatem indoctiorum esse majorem, minorem doctiorum, & doctissimorum minimam. Ratio, inquit, est, quia quò quis est doctior, eò certiùs novit plures veritates, atque ita magis accedit ad Dei similitudinem. Unde in paucioribus respondere potest favorabiliter ad utramque partem, quia contra veritatem certò notam consilium dare non potest. E contra, indoctior pauciores veritates certò novit, ideoque juxta casus in Summis collectos respondere potest in favorem utriusque partis, ac utrique, etsi contraria operanti, honestatem refundere. Ergo indoctorum maxima esset auctoritas, doctissimorum minima.

Paradoxũ 2.

Neque

Paradoxū 3. Neque hîc sistit Celladeus, sed §. 6. contendit sequi ex benigna sententia, quòd indoctiores forent expetibiliores; quódque doctiores evaderent fastidiosi, & pertinaces haberentur. Ratio est, quia amplior esset auctoritas indoctorum, quippe qui interrogati an aliquid liceret, respondere possent, *ita*; cùm Docti, veritatem certò scientes, tenerentur dicere, *non*. Ergo expetibiliores essent Consultores minùs docti. Rursus Doctiores forent fastidiosi, quia in plurimis tenerentur respondere juxta veritatem, ac dicere *non*, non autem ad gustum, sicut imperiti responderent dicendo, *ita*. Præterea immobiliter suam tutarentur sententiam contra plurimos, neque enim à comperta veritate retrocedere licet, quamvis plurimi reclament; ideoque haberentur pertinaces. Quòd si S. Paulus ad nos descenderet, ille omnium fastidiosissimus ac pertinacissimus haberetur, quia ad omnes prorsùs opiniones probabiles falsas diceret, *non*. Atque inflexibiliter in illo responso maneret, quantacumque multitudine dicente contrarium.

Argumentum Celladei procedit de subjecto non supponente. 37. Respondeo primò argumentum supponere, gravem Auctorem in incertis, atque etiam in falsis, infallibilitatem suis dictis conciliare, quod falsissimum est; dictum enim illius semper est incertum, & infallibilitas honestæ operationis nullatenus fundatur in illius auctoritate, tamquam in præmissa, ut sæpe dictum est. Rursus argumentum supponit, honestatem refusam in opus ex gravis Auctoris resolutione factum esse indefectibilem, quod etiam falsum est; ut constat ex dictis.

Auctoritas privati Doctoris est minor auctoritate Papæ in concursu. 38. Respondeo secundò, & peto à Celladeo, an contendat, auctoritatem privati Doctoris esse ampliorem & majorem auctoritate Ecclesiæ, Papæ, & Dei, quando simul concurrunt, & ille asserit esse licitum, quod isti tradunt esse illicitum? an verò solùm contendat, argumentum procedere extra concursum, ita scilicet, ut gravis Doctor, illis tacentibus, sua auctoritate reddere possit plura rationabiliter credibilia, & invincibiliter ab aliis credita, quàm illi possent, si de iisdem interrogati suam auctoritatem interponerent, & quæstionem resolverent? Si primum, in quo sensu loqui debet, ut argumentum ullam vim habeat, evidenter errat, & loquitur de subjecto non supponente; nulla enim probabilitas pro una parte consistere potest cum certitudine pro altera contradictionis parte, ut evidens est ex notione probabilitatis à nobis assertæ. Atqui judicio Ecclesiæ, vel Papæ, & multò magis judicio Dei interposito, datur certitudo pro parte, quam affirmant. Ergo pars opposita non manet probabilis, licèt non unus, sed plurimi Auctores eam veram esse affirment. Qua ergo specie veritatis dixit Celladeus, ex nostra sententia sequi, quòd major & amplior sit auctoritas Doctoris privati, quàm Dei & Ecclesiæ? nónne, auctoritatibus istis concurrentibus & contraria dicentibus, auctoritas privati Doctoris penitus obruitur, dictúmque illius omnem omnino probabilitatem, & sufficientem alios dirigendi vim perdit? At illa auctoritas est major, quæ aliam contradicentem adeo superat, ut non solùm prævaleat, sed illam prorsùs extinguat. Talis est Auctoritas Dei & Ecclesiæ respectu auctoritatis privati Auctoris. Ergo illa incomparabiliter superat istam; idque evidenter sequitur ex nostra sententia.

Etiam extra concursum est minor. 39. Quod si dicat secundum, scilicet auctoritatem privati Doctoris extra concursum extendi posse ad plura in aliqua materia, quàm auctoritatem Dei, si Deus de eadem interrogatus loqueretur, iterum apertè errat, quia nullum est objectum, de quo gravis Auctor suam interponit sententiam, de quo Deus etiam respondere non possit. Ergo auctoritas Dei, ne quidem ex hoc capite, est magis limitata quàm auctoritas privati hominis, nec homo de pluribus, Deus de paucioribus sententiam dicere potest. Sed è contrario Deus de infinitis loqui potest, de quibus privatus ille nil prorsùs novit. Ergo evidenter falsum est, quod homo respondere possit de pluribus, aut ampliorem auctoritatem habeat quàm Deus. Æquivocatio in eo vertitur, quòd homo privatus aliter respondere possit de propositis, quàm Deus, sed non de pluribus. At quòd quis aliter respondere possit quàm alius, nullum excessum auctoritatis arguit quoad extensionem, ut patet. Sed neque quoad intensionem, nisi fortè majorem fidem mereatur, quàm qui contrarium dicit. Porro in his omnibus Deus infinito intervallo superat omnem hominem, ut patet.

40. Itaque argumentum, ut ulla ratione urgeat, sumi non debet, ut verba sonant, quasi sensus sit, quòd gravis Auctor de pluribus respondere possit, quàm Deus, sed quòd possit aliquid respondere, quod Deus non potest, aut quod alicui quæstioni aliter respondere possit, quàm Deus. Hoc verum est, & ab omnibus admittitur. Sed hoc non oritur ab amplitudine aut perfectione, sed ab imperfectione talis auctoritatis. Fundatur enim in eo, quòd privatus homo post debitam diligentiam errare possit, & errando dicere utramque partem contradictionis esse licitam, quando altera pars verè est prohibita. Hinc autem fit, ut homines, ignorantiæ tenebris involuti invincibiliter errent, dum celebris Doctoris resolutioni fidem præbent, ideoque in pluribus excusentur, quàm excusati fuissent, si Deus vel Ecclesia eos docuisset. Verùm hæc omnia per accidens se habent ob miserum ignorantiæ statum, cui immergimur, nec locum habere possunt nisi Deo & Ecclesiâ silente. Ideo enim gravi Auctori in incertis prudenter credimus, quia auctoritas prævalens non contradicit: nam omnis probabilitas fundatur in carentia certitudinis de contrario. Ergo auctoritas cujuslibet Auctoris privati per hoc completur, quòd infallibilis auctoritas Dei vel Ecclesiæ contrarium non doceat, quia hoc necessariò involvitur in eo, quòd nil certi in contrarium afferatur. Hæc sunt, quæ imminuunt auctoritatem privati Doctoris, de qua aliter loqui non possumus, si communibus benignæ sententiæ principiis inhæreamus. Erravit ergo Celladeus, qui ex nostra sententia oppositum inferri existimavit. Nullus homo aut extensivè, aut intensivè majorē auctoritatem habet quàm Deus.

41. Porro exemplum à bello inter duos desumptum, non est ad rem, & quod plus est, Celladeum refellit. Non est ad rem, quia sicut auctoritas infallibilis non potest dicere veritatem materialiter sumptam utrique parti favere; ita neque privatus Doctor simul dicere potest, veritatem ipsam pro utroque stare, alioquin simul eliceret duos actus contradictorios, quod repugnat. Itaque nemo sive privatus sive publicus, sive fallibilis sive infallibilis, judicare potest utriusque bellum esse absolutè materialiter justum. Ergo exemplum hoc non est ad rem, cùm distribui ac applicari non possit ad intentum probandum. Exemplum a bello ductum nō est ad rem.

42. Quod si privatus non ferat sententiam de absoluta ac materiali honestate belli utriusque, sed Idē exemplum evertit opinionem Celladei.

sed ad principia reflexa, ac ad probabilitatem utrique parti faventem confugiat, eò quòd veritas post debitam diligentiam certò sciri non potuerit, in aliquo casu raró dicere poterit, rationes tales utrique parti favere, ut uterque prudenter credere possit, bellum sibi licitum esse. Verùm hic sensus intentum Celladei evertit, nam si veritas materialis Pontificem lateat, poterit ille, non minùs quàm privatus Doctor, rationes considerare, & in aliquo casu raró dicere, motiva utrique parti faventia esse sufficientia ad conscientiam de honestate belli licitè formandam. Ergo auctoritas Pontificis ex hoc capite non est minùs ampla, quàm auctoritas privati Doctoris, quia de omni eo ferre potest sententiam, de quo privatus Doctor potest opinari. Quod si cum Doctore concordet, tunc quod prius erat solùm probabile, evadit certum; si verò à Doctore dissentiat, eo ipso assertum Doctoris privati omnem probabilitatem amittit. Hæc ratio multò magis valet respectu Dei, modò ille justis de causis veritatem ipsam certò manifestare nolit; eo ipso enim vult homines per motiva tantùm incerta gubernari, de quorum sufficientia ipse suam etiam sententiam ferre potest, & vel approbare, vel pœnitus infirmare responsum privati Doctoris, prout idem aut diversum responderit. Ecce auctoritas Dei & Ecclesiæ in omni sensu amplior est, & major auctoritate privati Doctoris. Nec dubium, quin Deus & Ecclesia indefectibilem honestatem in utramque partem contradictionis refunderent, casu quo, interpositâ suâ auctoritate, dicerent, motiva utriusque partis ad conscientiam ritè formandam sufficere.

Auctoritas Dei & Ecclesiæ in omni acceptione amplior est, & major auctoritate privati Doctoris.

43. Et sanè Pontifex nonnunquam, non solùm in rebus facti, sed etiam in rebus juris, hoc modo procedit. Sic in quæstione de Immaculata Deiparæ Conceptione (quæ ad fidem & mores pertinet, & non ex facto, sed ex jure decidi debet) inter diversa sentientes, seque mutuò peccati damnantes, ita se mediatorem ac judicem constituit, ut quæstione ipsâ non determinatâ, satis apertè declaret utramque partem sufficienti fundamento niti, ut si absque pravo animi affectu errent, invincibiliter errent, & excusentur. Vide Bullam Alexandri VII. an. 1661. editam. Ecce Ecclesia non solùm potest se gerere, sed de facto in hac causa ita se gessit, sicut privati Doctores in rebus dubiis se gerunt. Immo Ecclesia hoc suo facto efficax argumentum præbet ad existimandum, quòd quævis opinio certò practicè probabilis sufficiat ad assensum prudentem illi præbendum, & ad conscientiam per talem probabilitatem debitè formandam. Itaque ex hoc facto Ecclesiæ, Auctoritas Doctoris probabiliter resolventis pro licito utriusque partis usu pondus sumit, quia exemplum Ecclesiæ certificans de uno casu, probat resolutionem privati Auctoris in casu simili sufficere. Tantùm ergo abest, ut privati Doctoris auctoritas Ecclesiæ auctoritatem superet, ut in omnibus ei subordinetur.

Pontifex aliquando resolvit casū pro utraque parte.

44. Ad illud, de majore indoctiorum auctoritate, responsio patet ex dictis; non solùm quia doctior in iis, in quibus certò novit veritatem, totam minùs docti auctoritatem evertere potest, sed etiam quia si maneamus in incertis, quò quis doctior est, eò plures & meliores rationes afferre potest pro utraque parte, quàm minùs doctus; & quod plus est, in multis, circa quæ indoctus nil respondere audet, sententiam profert, & conscientias priùs dubias erigit ac firmat. Præterea doctissimi quique Theologi fuere, quibus minùs docti fidunt, dum juxta resolutiones certò probabiles aliorum conscientias regunt. Ab illis enim didicerunt, licitum cuique esse sectari quamcumque opinionem certò probabilem practicè, nec nisi illorum auctoritate fulti hoc aliis ut licitum proponunt. Ergo tantùm abest, ut indoctiorum auctoritas doctissimorum auctoritati prævaleat, ut quidquid auctoritatis minùs docti habent, id totum ab auctoritate doctissimorum derivetur, atque in illa ut in tuta morum regula fundetur.

Doctiorum auctoritas longè major quàm indoctiorū.

45. Ad ultimum, de majore indoctiorum expetibilitate, dico, totum Celladei discursum magna rerum confusione scatere, quâ deceptus, apertam falsitatem pro legitima consequentia intulit. Inprimis, confundit valentes discernere Auctores & rationes graves & leves, cùm non valentibus eos discernere. Secundò, confundit volentes errare cum errare nolentibus. Tertiò, confundit habentes infallibilitatem & indubitata ejus signa cum ea non habentibus, atque ex his deducit, illa omnibus indiscriminatim convenire, quæ solùm alteri eorum classi conveniunt. Hoc ut clariùs pateat, singula singillatim probanda sunt.

Triplex æquivocatio Celladei.

46. Inprimis confundit doctos, seu valentes discernere inter rationes & Auctores, cum indoctis ista discernere non valentibus. Patet hoc: quia unusquisque ex benignæ sententiæ præscripto eniti debet, quantùm ratio postulat, ut veritatem ipsam assequatur. Quod si post debitam diligentiam eam assequi nequeat, non peccat, si bona fide opinionem probabilem sectetur, quia vel non errat, vel errat invincibiliter, si erret. Hoc stante, evidens est, indoctos non esse universaliter præferendos consiliariis doctissimis; doctissimi enim ineptè peterent consilium ab indoctis, tamquam à judicibus, quia eorum resolutioni starent, quos scirent, de rebus ejusmodi rectè judicare non posse. Deinde, errorem affectare viderentur, quia eos adirent, quos in rebus difficilioribus proclives ad errandum nossent. Tertiò demùm, per hoc debitam diligentiam non adhiberent, ideoque non excusarentur, si errarent, quia vincibiliter errarent. Ergo ex nostra sententia non sequitur, Consultores indoctiores universaliter esse præferendos, cùm à multis non nisi turpiter in conscientiæ directores eligi possint. Sed neque sequitur indoctiores esse expetibiliores pro rudibus, quia si homini rudi constaret, quis esset doctior, cæteris paribus, teneretur eum consulere, maximè circa dubia, pro quibus solvendis suspicaretur alium non esse sufficientem; alioquin non faceret quod in se est ad veritatem sciendam. Demùm, doctiores omnibus sunt expetibiliores, quia vel certò sciunt veritatem, & tunc expedit illam scire, vel si res maneat incerta, meliores rationes suggerere possunt quàm minùs periti, atque per principia reflexa conscientias certiùs dirigere, quàm indoctiores, ut patet.

Primò confundit Doctos cum indoctis.

Doctissimi non rectè consulunt indoctos.

Doctiores omnibus præferendi.

47. Cæterùm rudibus, qui hæc discernere nequeunt, sufficit eos consulere, quos sibi præpositos habent, vel alios, de quibus meritò præsumunt, quod possint ac velint eos secundùm veritatem dirigere, ubi illa sciri potest; aut, ubi sciri non potest, juxta principia reflexa, quæ ad conscientiam debitè formandam sufficiunt. Quando rudes hoc fecerunt, & juxta rei gravitatem debitam diligentiam adhibuerunt, directoris sui sententiam amplectendo non peccant, quia si errent, invin-

Rudes prudenter stant judicio suorum præpositorum.

invincibiliter errant. Hoc verum est, quamvis ab eis consilium petant, quos peritissimis in suis dubiis consulere, & multò minùs eorum judicio stare non expedit.

Secundò, confundit volentes errare cùm errare nolentibus.

48. Secundò, confundit volentes errare, cùm errare nolentibus, quia ponit exempla Principum ac Magistratuum, qui quolibet etiam idiotâ pro conscientiæ regimine contenti sunt, cùm tamen in aliis rebus consultores optimos adhibeant. Deinde eos etiam affert, qui sibi displicentia audire horrent, & ideo ad indoctos accedunt, ne, si doctiores consulant, audiant quæ nolunt. Verùm tales homines ignorantiam affectant, nec excusantur. Non enim quærendus est consultor, qui placentia, sed qui veritatem dicat, ubi illa haberi potest; aut ubi latet, dicat, quid stante tali ignorantiâ fieri expediat. Hos tantùm tutos esse asserimus, illos minimè. Unde sequitur, sapientiores consiliarios, cæteris paribus, præferendos esse ab eis, qui debitam conscientiæ curam gerunt; quia per illos obligationem certiùs implemus, & conscientiam rectiùs formamus, ut patet. Et quidem hæc omnia ex benignæ sententiæ præscripto evidenter inferuntur. Itaque quamvis indocti & minùs probi consultores illis sint appetibiliores, qui ignorantiam affectant, & solùm apparenter justi videri cupiunt, inde non sequitur, eos esse simpliciter appetibiliores, sed oppositum nimis clarum est ex præscripto benignæ sententiæ, quæ primos damnat, excusat autem secundos, dummodò debitam diligentiam ad sciendam veritatem adhibeant.

Tertiò, confundit habentes infallibilitatē notam cum non habentibus.

49. Tertiò, confundit habentes infallibilitatem, & indubitata ejus signa, cum ea non habentibus. Dicit enim eos, qui veritatem evidenter scirent, immo ipsum Sanctum Paulum, pro morosis ac fastidiosis consultoribus habendos, quia immobiliter dicerent ea non licere, quæ plurimi pro licitis proponerent. Unde tamquam pertinaces ac fastidiosi ab omnibus repellerentur. Sed peto, à quibus repellerentur? an ab iis, qui verè scirent, aut S. Paulum adesse & contrarium docere, aut doctum illum consultorem veritatem evincere? an solùm ab iis, qui hæc ignorarent, sed illos absque ullo suæ scientiæ & infallibilitatis signo immobiliter ea negantes audirent, quæ plurimi notæ probitatis & doctrinæ constantet assererent esse licita? si à primis, ut indicare videtur Celladeus exemplo Prophetarum, quos pro nimis duris doctoribus à populo habitos fuisse dicit, quosque sufficientia suæ infallibilitatis signa dedisse novimus; illi eo ipso suam perversitatem proderent, nec ullam probabilitatem sibi faventem haberent; nil enim est probabile, pro cujus opposito datur certitudo. Et sanè nos unanimiter dicimus, tales à peccato non excusari, quando contra infallibilem auctoritatem rationibus apparentibus inhærent. Si à secundis, nil mirum, si tales consultores ab eis haberentur pertinaces & fastidiosi; imprudenter enim illis fidem darent, quamdiu nullum signum sufficiens veritatis aut infallibilitatis præberent. Quid enim stultius, quàm tali homini dicenti & non probanti credere, aliorumque notæ probitatis ac doctrinæ rationes repellere? Certè Christus ipse de Judæis apertè testatur: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Unde sequitur, neminem ut infallibilem admitti debere, qui sufficientia suæ infallibilitatis signa non ostendit. Itaque in tali casu (si tamen contingere possit) ipse S. Paulus rationabiliter existimaretur esse animi pertinacioris, quia solus contra omnes in sua sententia persisteret, licèt nullas rationes sufficientes pro hoc afferret. Sicut ergo in primo casu absurdum esset dictis S. Pauli non credere, quia id esset contra auctoritatem infallibilem sufficienter probatam sentire; ita in secundo casu absurdum esset illius sententiæ stare, cùm nulla peculiaria veritatis, sed multa pertinaciæ signa præ se ferret. Quod si Celladeus hæc, ut oportebat, distinxisset, nullam ex hoc capite difficultatem in benigna sententia reperisset.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO.

Et agitur de obligatione Summi Pastoris circa censuram opinionum nascentium.

An auctoritas Pontificis per privatos Doctores eludi soleat?

50. OBJICIT septimò. Si liceret sequi quamcumque opinionem probabilem, auctoritas Rom. Pontificis eluderetur in concursu contra auctoritatem privati Auctoris. Immò talis concursus redderetur inutilis & noxius. Probatur prima pars sequelæ, quia interpretationes probabiles, ex ignorantia ortæ, vim Pontificiæ declarationis enervant, illamque quodammodò inutilem reddunt. Præterea sunt qui docent, decreta doctrinalia Pontificis non obligare, nisi à regiis senatibus approbentur. Alii docent, illa obligare solùm in foro exteriori. Plures tenent, declarationes Cardinalium sacrarum Congregationum esse solùm velut opiniones probabiles, vel probabiliores, quæ non adimunt probabilitatem à parte opposita. Ergo si Summus Pontifex non per se, sed per delegatos, etiam per Cardinalium Congregationes aliquid declararet, & Auctor gravis dicat oppositum, illius sententia erit probabilis, illamque sequens infallibiliter non peccabit. Ergo tota sollicitudo Pastoralis frustratur suo effectu, etiam in concursu, quando immediatè per se ipsam non agit.

Utrùm Pontifex frustra censuret opiniones Theologorum?

51. Probatur secunda pars sequelæ. Si Doctoris gravis auctoritas ad conscientiæ securitatem sufficeret, non esset cur supremus Pastor in inferiorum doctrinas inquireret, suamque contra eas auctoritatem interponeret. Si enim oves per quamlibet probabilitatem salubriter pascantur, & tutò salventur, quid ampliùs desiderare possunt Pastores? frustra ergo laborat pastoralis solicitudo in talibus sententiis damnandis, quia per talem censuram statui animarum non meliùs consultum est, quàm esset antea. Eadem de causa frustra laborant Theologi, ut opiniones probabiles reddant improbabiles, quia per hoc non meliùs prospicitur saluti animarum, sed conscientiæ fidelium frustra inquietantur. Ergo auctoritas Pontificis inutiliter concurreret contra Doctorem privatum, ejus doctrinam censurando. Immò talis concursus, sicut & Theologorum, tales opiniones refellentium, labor esset noxius. Inprimis hæc non deserviunt, ut peccata vitentur, & operationes evadant honestæ, quia utrumque per probabilitatem antea habebatur. Deinde per illud ipsum peccata multiplicantur, quia, stante Pontificis censurâ, multi propter consuetudinem, vel rei difficultatem, &c. eadem patrabunt, & consequenter peccabunt in iis, in quibus honestè operati fuissent, si talis censura non emanasset. Ergo omnis ejusmodi damnatio esset noxia; ad aliud enim non serviret, quàm ad peccata multiplicanda, quæ, illâ non positâ, commissa non fuissent. Ita Celladeus §. 7.

52. Respondeo, nullam legem evacuari per ratio-

Rationabilis interpretatio legem nō evacuat, sed est conformis intētioni legislatoris.

rationabilem ejus interpretationem, quia intentum legislatoris est, ut in certis ac claris integram obedientiam præstemus; in dubiis verò non temerè agamus, sed veritatem diligenter investigemus; quâ diligentiâ præmissâ, præsumitur contentus, ut legem illam non admittamus ut obligantem in iis, quæ probabile est ab ipso legislatore non fuisse intenta. Immo fieri nequit, ut lex in illis obliget, sicut certissimè obligat in aliis, ut ostensum est *quæst. 23. de Consc. prob. num. 14. & seq.* Sed id ipsum hîc quoque *quæst. 2. à nu. 45. ad num. 75.* monstratum est, & iterum *quæst. 48.* ex professo stabilietur. Intentum enim legislatorum est, ut periti in dubiis consulantur, subditorumque conscientiæ juxta illorum resolutionem formentur. Idem absque dubio est intentum Summi Pastoris, quoties aliqua, præter clarè expressa, reperiuntur, de quibus rationabiliter dubitatur, an sint inclusa nec ne. Quomodo ergo eluditur, aut inutilis redditur constitutio Pontificis, si in dubiis mens ejus juxta rationabilem interpretationem exponatur? Præterea certum est, sensum legum ac constitutionum investigari debere ac intelligi, ut illis debitè obtemperemus. At hoc fieri nequit in dubiis, nisi rationabilis interpretatio adhibeatur. Ergo illa licitè adhibetur, & homines illam rationabiliter sequuntur, absque eo quòd legem eludant, aut inutilem reddant.

53. Quod additur de quibusdam opinionibus, per quas Bullæ Pontificis eluduntur, non est ad rem, quia tales opiniones communiter rejiciuntur ut improbabiles. Nos autem asserimus, solas opiniones certò probabiles pro regulanda conscientia esse adhibendas. Cæterùm Celladeus ita citat hos Auctores, ac si universaliter talia traderent, quæ, nî fallor, non nisi multis cum limitationibus admittunt. Utinam Auctores particulariter nominasset! tunc enim sensus illorum facilè erui potuisset; sed cùm hoc non fecerit, mihi quoque in generali respondendum erit. Sunt fortassè qui dicunt, Bullas Pontificias alicubi non obligare, nisi à Senatu Regio acceptentur. Verùm de nemine me hactenus legisse aut audivisse memini, qui id universaliter doceat. Qui autem de loco particulari id affirmant, prætendunt privilegium à S. Sede ipsis hac de re fuisse indultum. Quod si verum sit, haud dubiè privilegium manet, donec fuerit sufficienter revocatum. Sed & illi, qui tale privilegium prætendunt, non ita universaliter illo utuntur, ut Celladeus insinuat; non enim dicunt, opinionem, à Pontifice damnatam ut falsam vel hæreticam, &c. non esse habendam pro tali, sed oppositam manere probabilem, donec censura à senatu regio acceptetur. Norunt enim infallibilitatem Pontificis à Regibus aut regiis senatibus eorumque acceptatione non dependêre, sed ab ipso Christo immediatè conferri, ac proinde omnes omnino oves Summi Pastoris doctrinæ absque ulla exceptione stare debere. Itaque ex privilegio solùm contendunt, pœnas in Bullis contentas, aut alia, quæ exteriorem tantùm gubernationem concernunt, neminem afficere, donec Bullæ à senatu regio acceptentur. Porro hujusmodi opiniones, ad peculiaria loca restrictæ (quas ego nec probo nec improbo, quia sufficientem de prætensis privilegiis notitiam non habeo) in nullo evacuant Bullas doctrinales, quia certum est, opiniones damnatas omnem probabilitatem perdere, sive Bullæ acceptentur, sive non acceptentur à senatu regio, quia independenter à tali acceptatione adest certitudo in contrarium.

Bullæ Pontificiæ obligant, licèt à senatu regio non acceptentur, nisi senatus ille privilegium habeat in cōtrarium.

Privilegia talia ad Bullas doctrinales quantum ad doctrinam nō extenduntur.

54. Dicit etiam Celladeus, alios docere, decreta Pontificum solùm obligare in foro exteriori. Peto, quinam sint, qui tam improbabilia effutiunt? Ego certè existimo, nullum Auctorem gravem hoc in ea universalitate, quam Celladeus exhibet, docuisse, sed multas limitationes, ac exceptiones apposuisse. Unde generali huic Auctorum citationi fidem non præbeo, nec alii, nî fallor, facilè præbebunt.

Citatio Celladei incongrua.

55. De interpretationibus ac declarationibus Sacrarum Congregationum Cardinalium cum veneratione loquendum, & sentiendum est. Illæ tamen ad duas classes reduci possunt. Aliæ sunt, quas ex officio ipsis generaliter injuncto edunt, quibus ipse Pontifex non assistit, nec eas præsentialiter audit, & confirmat. Aliæ, quas ex speciali commissione conficiunt, quasque Summo Pontifici exhibent, & ab eo auditas & approbatas evulgant. Hæ posteriores majoris auctoritatis sunt, quàm primæ, quia ab ipso Summo Pastore robur accipiunt. Et quidem nemo probabiliter opinatur contra postremas hasce declarationes, sed eo ipso suam improbitatem, ac pervicaciam ostendit. Jam qui docent, Cardinalium declarationes esse solùm velut opiniones probabiles, vel probabiliores, ad summum intelligendi sunt, de declarationibus primæ Classis; neque de illis universaliter absque multis limitationibus intelligendi sunt. Ruit ergo argumentum Celladei, quia talis opinio auctoritati Pontificis nec obstat, nec eam imminuit; quippe quæ nunquam concurrit, nisi in declarationibus secundæ classis, in quibus ita prævalet, ut opposita auctoritas suam probabilitatem perdat. Jam quidquid sit de veritate opinionis aliquorum circa declarationes primæ Classis, illud ad præsens intentum non facit, quia Pontificis auctoritas in illis non intervenit, sed solùm Auctoritas Officialium ipsius. Illi autem propter multitudinem, prudentiam, sagacitatem, ac capacitatem singularem, simulque propter magnam diligentiam, consultationesque prævias, quas adhibent, maximam auctoritatem suis Declarationibus conferunt, quibus omnes humiliter obtemperare potiùs quàm eas discutere, ac in quæstionem vocare æquissimum est. Hinc apertè sequitur, nullas opiniones verè probabiles afferri posse, per quas aut Bullæ Pontificiæ, aut Pontificis auctoritas vel minimùm imminuatur, quidquid Celladeus frustra prætendat in contrarium.

Declarationes Cardinalium ad duas Classes reducūtur.

56. Ad secundam partem sequelæ respondeo, illam certissimè non inferri ex benigna sententia. Id Celladeus & omnes videbunt, si distinguant inter doctrinam per se expetibilem & absolutè quærendam, & doctrinam, quæ per accidens sufficit, & quæritur ex suppositione. Doctrina per se quærenda, est ipsa veritas directa, ad quam diligenter investigandam omnes juxta propriam cujusque capacitatem, statum, & officium obligantur; Deus enim hoc ab omnibus certissimè exigit. Doctrina, quæ quæritur ex suppositione quòd veritas per debitam diligentiam certò inveniri non possit, est rationabilis persuasio de veritatis inventione, ultra quam in tali casu progredi non possumus. Et hæc, in dicto certæ veritatis defectu, ex ipso Dei ac rectæ rationis præscripto pro regulanda conscientia sufficit.

Doctrina, alia per se, alia per accidens expetibilis.

57. His positis, peto à Celladeo, an inutilis & noxia sit instructio, quam Parochus populum suum doceret, quem invincibili legis Dei vel Ecclesiæ ignorantiâ laborare videret? Si affimet, errat, quia nec inutile nec noxium est certissimè

Instructio Parochi circa legem Dei invincibiliter ignoratam non est noxia.

Dei

Dei voluntati obtemperare, & officium, ad quod deputatus est, implere. At Deus & officium ipsius hæc ab eo indubiè postulant; quia sicut tenetur pueros ea docere, quorum ignorantiâ invincibili laborant, ita pariter totum suum populum de eisdem instruere tenetur; quamvis enim illi ob ignorantiam invincibilem non peccarent, opera tamen illorum Pastori in peccatum imputarentur, nisi ille eam ignorantiam amoveret; quia Deus, qui determinata ratione coli vult, ad ea populum docenda Pastorem obligat, ut sic in tota Ecclesia uniformitas morum, quantùm fieri potest, habeatur. Si autem dicat, instructionem illam haud noxiam esse, sed utilem esse concedat, ipse propriô argumento respondere tenetur, ut illud repetenti patebit. Sed quidquid ille responderit:

58. Ego respondeo, declarationem illam esse utilem ad finem à Deo intentum. Ille enim publicam omnium obedientiam in tali materia determinata exigit, ut sic omnes ob obedientiam remuneret. Quòd si aliqui post legem intimatam obedire contempserint, in eos ultionem justitiæ ostendet, & sic tam ex bono quàm ex malo creaturarum suarum opere gloriam suam universo mundo manifestabit. Ad hunc finem Parochi instructio utilis est & necessaria. Porro ex hac Parochi instructione speratur aliquorum obedientia, quam Deus in omnibus intendit. Quod si aliqui non obediverint, id erit quidem contra directam Dei intentionem, & ex illorum inobedientia secundarium Dei intentum complebitur, qui, suppositâ creaturæ malitiâ, efficaciter intendit, *ut vincat cùm judicatur*, & gloriosus evadat quando contemnitur. Ad hunc finem procurandum notificatio legis est necessaria, ad quam proinde populo ingerendam Deus Pastores obligat. Quod si quis, veritate audita, non obediat, peccatum illius nec in Parochum officio suo fungentem, nec in Deum justa postulantem refundi debet, sed in caput peccantis recidet.

Talis instructio Parochi utilis est, & necessaria ad finem à Deo intentum.

59 Atque hinc disparitas inter Pastorem & Confessarium sumitur. Pastor respicit communitatem, quam Deus absolutè vult instrui, & legem non ignorare. Præterea maxima communitatis pars speratur obtemperatura, & omnes ad obediendum obligabuntur; inobedientes autem exemplum ante oculos habebunt, quo confundantur & corrigantur. At Confessarius privatum hominem respicit, quem non semper tenetur instruere, quando videt eum invincibili legis ignorantiâ laborare; si enim nulla spes obedientiæ ex veritatis declaratione eluceat, sed peccatum undique timeatur, tunc aliquando satius est pœnitentem in sua ignorantia relinquere, nisi pœnitens ipse informationem peteret, aut alia justa causa interveniret, ob quam Confessarius obligaretur veritatem docere. Extra hos casus, Auctores rationabiliter docent, veritatem aliquando prudenter celari respectu personæ privatæ licèt illa ab Episcopis vel Parochis taceri non debeat, quando totus grex illius ignorantiâ laborat. Itaque instructio Parochi utilis est ac necessaria, etiam in casu assignato, quamvis aliquorum inobedientia per accidens sequatur.

Pastor tenetur cōmunitatē ignorantem instruere, sed Cōfessarius aliquando non tenetur instruere privatum.

60. Similiter Theologi, qui opiniones antea probabiles improbabilitatis arguunt, utiliter laborant. Ipsorum enim est veritatem diligenter investigare, eamque inventam proponere. Inde enim fiet, ut plurimi Deo juxta illius præscriptum ac directum intentum obtemperent, quia omnes ad veritatem ipsam eniti tenentur, quam per dicti Theologi operam assequuntur. Quod si aliqui, veritatis conscii, contrarium sectentur, id sibi tribuant, non Theologo, qui munus suum implevit: nec Deo, qui tamquam supremus Dominus justa exigit.

Theologi utiliter laborāt quando opiniones prius probabiles refutant.

61. Eadem ratio multò magis locum habet in Romano Pontifice, cujus munus non impletur per hoc, quòd subditi invincibiliter veritatem ignorantes Deum non offendant; tenetur enim curare, ut ea credant & faciant, quæ Deus declaravit se velle, mediante ipsius instructione, ab omnibus credi & observari. Itaque si Pontifex videret aliquas sententias falsas in Ecclesiam irrepsisse, hominesque illis adhærere, deberet illas damnare, quamvis sciret, subditos invincibili veritatis ignorantiâ laborare. Neque in hoc frustra desudat solicitudo pastoralis, quia per talem declarationem & propriæ saluti prospicit ac alienæ. Propriæ quidem, quia munus suum implet; alienæ verò, quia homines salvari debent per obsequia, quæ Deus statuit, non quæ ipsi sibi præfigunt. Præterea, obedientia circa partem tutiorem, utpote plerumque meliorem & honestiorem, solet esse magis meritoria, quàm circa partem minus tutam, quæ invincibiliter creditur licita. Similiter opus, ex certitudine directa factum, honestius est eo, quod elicitur solùm ex judicio probabili. Ergo Pontifex per tales censuras meliùs consulit saluti animarum, quàm si taceret. Hoc autem maximè locum habet in rebus certis, in quibus raro contingit, errorem esse universaliter invincibilem, qui proinde titulo etiam vincibilitatis è mentibus fidelium excludendus est.

Pontificis munus non impletur per hoc quòd subditi non peccent.

Tenetur etiā invincibiliter errātes veritatē docere.

62. Quòd si veritas non constet, sed opiniones periculosæ exoriantur, maximè si fideles in illis non conveniant, sed aliqui contra alios tamquam animarum deceptores insurgant, tunc Summi Pastoris est, veritatem investigare, eamque, si inventa fuerit, omnibus declarare, ut sic pax conservetur; & omnes absque opinionum dissidiis idipsum sapiant & dicant. Quòd si veritas ipsa certò inveniri non possit, videndum est, an opiniones illæ rationabili fundamento nitantur, nec ne? Si tali fundamento careant, officium ejus postulat, tales opiniones proscribi, earumque usum prohiberi, ut schismata vitentur, & in moribus ac doctrina fidelium uniformitas eluceat. Quòd si opinio gravi fundamento nitatur, non est cur eam condemnet, sed aliâ viâ pax conservanda est, prohibendo scilicet, ne una pars aliam censuret, &c. ut sæpe fieri videmus. Cæterùm nec moris est, nec expedit opinionibus communibus certoque probabilibus ullam censuram inurere, tum quia veritas insuperabiliter latet, tum quia nil mali ex illarum toleratione sequitur, & è contra, neutra pars absque aliquali offensione & scandalo condemnari potest. Quòd si contingat, opinionem paucorum rudibus scandalum & offensionem parere, illa restringi potest, & quoad varia prohiberi. Sic cuique liberum est sentire quid ipsi verius videtur de Immaculata Deiparæ Conceptione, at justis de causis pars affirmans doceri, ac propalari etiam per privata colloquia prohibetur.

Opiniones certò probabiles restringere solet, sed non absolute condemnare.

63. Cæterùm *ex proposit. 45.* ab Alexandro VII. non ita pridem damnatis, nulla damnata est, quæ ab ipso & Qualificatoribus habita est intrinsecè probabilis. Itaque ille optimo jure eas prohibuit, nec in hoc ullo modo obfuit benignæ sententiæ, quam certum est, tam ipsum quàm omnes Qualificatores verissimam habuisse. Solùm

Alexander VII. nullam propositionem dānavit, nisi quā putabat esse improbabilem.

lùm enim dicimus, licitum cuique esse sectari quamcumque opinionem certò practicè probabilem. Ergo nullam opinionem damnavit, quam ex benignæ sententiæ præscripto sequi poteramus; nullam enim prohibuit, quæ ad certam probabilitatem pertingebat. Quòd si usum alicujus opinionis certò probabilis prohiberet, eo ipso certò constaret, usum opinionis, priùs licitum, nunc fieri illicitum; nec hoc quidquam obstaret veritati benignæ sententiæ. Itaque certum est, decretum illud Alexandri VII. in nullo nostræ sententiæ officere, quidquid Celladeus in contrarium insinuet, ut supra *quæst. 8.* fusiùs explicatum est.


Epiphonema gloriosum & prætensa Celladei demonstratio falsitatis arguitur.

64. Ex his falsitatis arguitur illud Celladei Epiphonema, quo quæstionem hanc sic concludit. *Ergo cura Pastoralis in doctrina morum, & omnes ac singulæ* propositionum *condemnationes demonstrant, probabilitatibus & Auctoribus gravibus id privilegii non competere*, *quòd ex illorum assertione elici mox possit dictamen infallibile non peccati.* Arguitur, inquam, falsitatis, quia certum est, curam Pastoralem, utpote non contentam si subditi non peccent, nil ejusmodi inferre, cùm sæpe ad alia teneatur, ut ostensum est; Ita pariter certum est, damnationes opinionum illud non inferre; illæ enim aut supponunt opiniones illas non fuisse certò probabiles, ac propterea fideles in illis debitâ morum regulâ caruisse, aut certè reddunt eorundem usum certò illicitum, quamvis antea esset certò probabilis, ac invincibiliter haberetur licitus, & consequenter sine peccato poni potuisset. Itaque istiusmodi damnationes vel supponunt benignam sententiam non habuisse locum, vel auferunt ejus materiam, & sic indirectè tantùm efficiunt, ne locum habeat. At neutrum repugnat nostræ sententiæ, nec ex ullo illorum sequitur, infallibile dictamen non peccati non posse formari ex assertione Auctoris gravis, aut ex opinione probabili, modò constet, opinionem illam esse certò probabilem, & gravem illum Auctorem suam sententiam certò probabilem reddidisse. Immo oppositum efficaciter probatum est tum *in hac quæstione*, tum *quæst. 2.* ac ex toto *tract. de Consc. prob.* sed ex dicendis id ipsum ulteriùs constabit. Inanis ergo est prætensa Celladei demonstratio.

QUÆSTIO DECIMA-QUINTA.

Utrùm benigna sententia verè sit & meritò dicatur inimpugnabilis.

Quæstio hæc cur instituta sit?



1. CARAMUEL in suo Apologemate hanc protulit propositionem. *Ignorat dialecticam, qui medio probabili putat probabilitatem impugnari* (meliùs dixisset expugnari seu everti) *posse.* Wendrockius *in appendice ad librum Fagnani art. 11.* hoc Caramuëlis dictum vehementiùs carpsit, sed immeritò, ut ostendi *quæst. 21. de Consc. prob. num. 155.* Wendrockium imitatus est Celladeus *lib. 1. quæst. 8.* ubi assertam hanc inimpugnabilitatem opinionis probabilis se non impugnasse solùm, sed duplici demonstratione logica expugnasse gloriatur. Quæstio hæc parum refert ad intentum principale, ideoque omitti potuit. Sed quia non expedit intactum relinqui, quod Celladeus sibi multùm favere, nobis autem plurimùm obesse putat; ideo breviter quid in hac re dicendum sit exponam. Nec tamen tangam, quæ ad Caramuëlem spectant; ille enim mea defensione non indiget, sed, ni fallor, suo tempore ostendet, Celladeum, aut mentem ipsius non esse ritè assequutum, aut invalidam oppugnationem attulisse. Ego ergo ea solùm tangam, quæ ad quæstionem principalem pertinent. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Opiniones probabiles non solùm impugnari, sed etiam expugnari possunt.

2. ASSERTIO est certissima; multæ enim opiniones, tam in Physicis quàm in Ethicis, olim probabiles, & communiter pro veris admissæ, jam evaserunt improbabiles. Hoc adeo certum est, ut Celladeus de hoc non dubitet: & Caramuël in Apologemate *à num. 265. usque ad 281.* totus est in acervandis laxis antiquorum opinionibus, quæ olim communes erant, nunc autem, aut universim, aut certè maxima ex parte sunt certò improbabiles, & ut tales ab omnibus rejiciuntur. Plures hujusmodi opiniones attuli *quæst. 22. de Consc. prob.* antiquorum verbis citatis, aliasque plures in unum coacervavi *quæst. 21. num. 42.* ubi videri poterunt, quia in re compertæ veritatis non est frustra laborandum. Itaque certum est, opiniones probabiles & impugnari & expugnari posse. Hæc expugnatio dupliciter fieri potest, primò, per demonstrationem evidenter convincentem contrarium, ut sæpe factum est in rebus physicis, eò quòd novis instrumentis & experimentis detexerimus principia certissima, quæ antiquos omnes latuerunt. Secundò, sine demonstratione rigorosa: idque dupliciter, primò accumulando nova argumenta à prioribus non perpensa, quæ adeo superant motiva alterius partis, ut hæc in comparatione illorum robur suum perdant,

Opinio probabilis aliquando omnino expugnatur.

perdant, nec amplius impetrare valeant assensum ab homine perito & probo, qui non ex passione, sed ut decet hominem peritum, suam fert sententiam. Secundò evidenter solvendo argumenta, quibus prior probabilitas nitebatur; per talem enim solutionem apertè constat, argumenta illa nullius esse roboris. Cessat ergo probabilitas, quæ solis argumentis illis nitebatur.

ASSERTIO II.

Opinio probabilis, manens probabilis, meritò impugnatur mediis probabilibus, quamvis illis non expugnetur.

Opinio probabilis rectè impugnatur quãvis non expugnetur.

3. PROBATUR assertio. Theologorum munus postulat, ut veritatem ipsam, quantum eis datum est, diligenter quærant. Unde unusquisque meritò ea profert, quæ post debitam diligentiam vera existimat. At hoc facere non potest nisi contrariam sententiam impugnet, ejusque fundamenta excutiat, ac rationes illi faventes saltem probabiliter solvat. Porrò certum est, hujusmodi impugnationes rarò tollere probabilitatem partis adversæ, ut videre est in opinionibus communibus; quarum utraque pars est & manet probabilis, non obstantibus mutuis earum oppugnationibus. Ecce Theologorum munus expresè postulat, ut opinio probabilis jure meritò impugnetur, licèt non semper expugnetur; in quo casu certum est, quòd solùm mediis probabilibus impugnari possit.

Munus Theologi postulat ut veritas diligẽter excutiatur.

4. Dices: Ad quid juvat illa impugnatio, si contrariam opinionem non expugnet, sed probabilem relinquat? Respondeo, servire ad hoc, ut nostram obligationem impleamus, & veritatem juxta Dei placitum strenuè quæramus; quòd si illam evincere non possimus, haud dubiè excusabiles erimus, quia invincibili veritatis ignorantiâ laborabimus. Præterea hæc constans industria sæpe veritatem detegit sufficienter, ut *ex assert. 1.* constat; quia quæ olim fuerunt probabilia, posterorum sedulitate fieri possunt improbabilia; ad hoc autem enitendum est, quantum possumus, ut veritas aut certò innotescat, aut certè ut quod veritati opponitur improbabile evadat.

Praxis Theologorum hoc ipsum confirmat.

5. Probatur secundò ex communi omnium Theologorum praxi, qui tam in speculativis, quàm in moralibus sedulò se impugnant, quamvis post omnem diligentiam adhibitam fateantur oppositam opinionem manere probabilem; hoc autem non facerent, si laborem suum inutilem existimarent. Ergo mens & facta omnium sapientûm apertè ostendunt, opinionem probabilem, suâ probabilitate non amissâ, mediis probabilibus meritò impugnari, quamvis non expugnetur. Et sanè credere non possum, Caramuelem unquam existimasse hasce duas assertiones non esse veras, seu quod idem est, asseruisse inimpugnabilitatem, istis assertionibus evidenter rejectam, universaliter cuivis opinioni probabili convenire; vir enim sagacissimus & ingeniosissimus non adeo cæcutit in luce meridiana. Celladeus tamen ita hæc contra illum exaggerat, ac si docuisset, dictam inimpugnabilitatem esse proprietatem ab omni opinione probabili essentialiter inseparabilem. Sed ipsi, quid quis hac in re dixerit aut tenuerit, litem instituant, meâ enim hoc non interest.

ASSERTIO III.

Dantur aliquæ opiniones, quas nemo nisi imprudenter sperare potest se eversurum, quantumcunque laboraverit. Talis est sententia benigna reflexa, qua docet, usum cujusvis opinionis directæ, certò practicè probabilis, esse licitum.

6. PROBATUR. Quæ spectant ad universale jus naturæ, talia sunt, ut vix quemque peritum ac probum latêre possint. Certè talia sunt, ut omnes omnino peritos & probos veritatem diligentissimè investigantes latêre non possint. At benigna sententia, de qua loquitur assertio, est objectum spectans ad universale jus naturæ, quia tractat de modo debitè formandi conscientiam in rebus incertis, quando veritas post debitam diligentiam inveniri non potest, quod haud dubiè ad jus naturæ pertinet. Ergo veritas hujus objecti non potest latêre omnes, qui diù multúmque illam investigarunt. Sed latuisset omnes illa veritas, nisi benigna sententia esset vera: est ergo verissima. Probatur minor, quia omnes omnino Catholici Doctores, qui hac de re in expressis terminis egerunt, per plus quàm centum annos unanimiter docuerunt, talem opinionem esse veram, & cuique licitum esse sequi quamvis opinionem certò practicè probabilem, etiam minùs tutam, minúsque probabilem. Nec de hac re quisquam, præter unum Comitolum dubitavit. Quod autem ad majorem probabilitatem directam pertinet, nemo Catholicorum, præter unum Celladeum, universaliter negavit usum illius esse licitum. Qui autem non ita pridem negarunt, licitum esse sequi opinionem directam minùs tutam æquè aut minùs probabilem, manifestam passi sunt æquivocationem, cùm nec ego, nec multi alii mecum, id doceamus in sensu, in quo illi id negant, nec ipsi id negent in sensu, in quo id à nobis asseritur. Affirmamus enim solam majorem probabilitatem, si omnia inspiciantur, esse regulam formalem conscientiæ, ut tum in hoc tractatu, tum *quæst. 23. de Consc. prob.* fusè demonstravi. Itaque sententia benigna, in sensu legitimo sumpta, semper ab omnibus pro vera agnita est. Ergo si esset falsa, veritas illius omnes latuisset. At hoc est moraliter impossibile. Ergo est verissima. Porro ex eodem capite sequitur, neminem posse prudenter sperare, se illam falsitatis apertæ posse convincere, quia alioquin deberet credere, universalia principia juris naturalis ita latêre posse, ut aut nemo, aut vix quispiam post omnem diligentiam adhibitam illa videat. At absurdum est hoc cogitare, & consequenter imprudentis est ad illud ipsum probandum, seriò eniti.

Dantur aliquæ opiniones inexpugnabiles.

7. Probatur secundò. Quoties aliquis particularis homo non habet, nec habere potest ulla experimenta, instrumenta, aut principia, quæ omnibus communia non sunt, quæque ab omnibus summâ industriâ ac multorum sæculorum decursu adhibita non fuerunt ad veritatem indagandam, toties ille imprudenter faceret, si eadem tantùm adhibendo conaretur apertæ falsitatis arguere omnes priores, qui per plura sæcula diligentissimè versarunt illa principia, atque in illis sus deque versatis unanimi consensu eandem veritatem detexerunt, eamque pro indubitata habuerunt, & amplexi sunt. In quo enim, quæso, fundari

Opinio benigna est inexpugnabilis.

fundari potest audacissima illa spes, omnes omnino in tali materia talique casu confundendi? nónne qui sic prætenderet, ab omnibus ut præsumptuosus contemneretur? at hic est casus noster, quia versamur in materia, in qua nulla experimenta excogitari possunt, quæ omnibus non fuêre communia; omnes autem unanimiter per plura sæcula quæstionem hanc sedulò considerarunt, atque unanimi consensu docuerunt, benignam sententiam esse veram, nec de ea prudenter dubitati posse. Ergo nemo absque nota temerariæ præsumptionis prætendere potest, eam ita falsitatis arguere, ut illa ampliùs rationabilis ac probabilis haberi nequeat. Hanc inimpugnabilitatem sententiæ benignæ audacter tribuo, & hanc, aut aliam huic non dissimilem, illi tribuisse Caramuelem existimo. At in aliis rebus peculiaribus, in quibus Auctores dissentiunt, vel nova experimenta & principia adhiberi possunt, non adeo desperandum est negotium, si quis in aliquibus aspiret, ut quæ nunc sunt probabilia, eadem per suam industriam improbabilia evadant.

Quæ aliæ opiniones sint inexpugnabiles.

8. Neque hanc inimpugnabilitatem soli benignæ sententiæ tribuo, sed aliis multis; maximè illis, quæ ad jus naturæ pertinent, & unanimiter ab omnibus admittuntur ut vera: Quale est, ignorantiam invincibilem excusare ab omni prorsùs malitia per se imputabili. Cujus veritas, licèt probabilissima sit, non tamen est adeo evidens, quin nuperrimè experta sit strenuos impugnatores, qui eam apertæ falsitatis arguere non sunt veriti. Horum antesignanus fuit Jansenius Iprensis, quem hac in re fusè impugnavi *in tract. de Consc. prob. quæst. 16.*

Celladeus immeritò concedit alteri opinioni, quod negat benignæ.

9. Atque hîc peto à Celladeo, utrùm propositio dicens, *errorem & ignorantiam invincibilem à toto excusare*, nunc saltem non habeat inimpugnabilitatem hîc assertam? si neget, omnes Catholicos ritè sentientes sibi contrarios habebit, & ipse sibi non constabit; ita nempe de hac re loquitur, ac si res esset indubitata, nec rationabiliter in dubium revocari posset. Si concedat, peto unde id probabit? non aliundè quàm argumentis hîç allatis, vel aliis prorsùs similibus, quæ haud dubiè sufficienter, & morali ut minimùm certitudine evincunt intentum. Atqui omnia ista argumenta æquè valent pro confirmatione benignæ sententiæ. Ergo æquè convincunt, illam habere prætensam inimpugnabilitatem.

Quod probat ignorãtiam invincibilem excusare probat benignã sententiam.

10. Quod si dicat, rationes directè probantes, *ignorantiam invincibilem à toto excusare*, esse evidentes, aut adeo moraliter certas, ut evidenter ostendant, nullam esse posse spem prudentem convincendi oppositum; verum quidem dicet, quia intellectus bene dispositi hoc vident; sed adversarios id ore aperto negantes audiet, unde aliis viis reflexis, quantum fieri poterit, eos redarguere oportebit, sumendo principia ab illis concessa, quale est illud à me usurpatum, & à Jansenio ultrò concessum, scilicet *nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ*; quod quamvis nec certum sit, nec verum, si sermo sit de peculiaribus quibusdam conclusionibus, quæ non nisi magno labore ex primis principiis deducuntur: illud tamen de universalibus juris naturæ principiis & conclusionibus certum est, saltem in sensu, in quo ego illud proposui, & in quo haud dubiè ab ipso Jansenio pro vero admitteretur. Præterea id ipsum potiori jure dici potest & debet de rationibus benignæ sententiæ, quæ certè tales sunt, ut veritatem illius morali quadam certitudine demonstrent, & apertè concludant, rem aliter se habere non posse. Præterea quidquid afferri potest ad probandum, *invincibilem ignorantiam à toto excusare*, idipsum probat veritatem benignæ sententiæ, quæ ex vi suæ expressionis apertè supponit, ignorantiam invincibilem veritatis latêre in opinione, cujus usum affirmat esse licitum, casu quo contingat illam esse falsam, ut fusè ostendi tum hîc *quæst. 1. & 2. tum quæst. 23. de Conscientia prob. num. 109. & seq.* Ergo quidquid probat ignorantiam invincibilem excusare, id ipsum eodem modo probat veritatem nostræ benignæ sententiæ, quæ aliis etiam validissimis argumentis stabilitur, ut constat ex dictis *quæst. 19 & quatuor sequentibus de Consc. prob.* atque ex toto hoc opere magis magisque constabit.

ASSERTIO IV.

Nulla opinio directa, certò practicè probabilis, absolutè confutari potest tanquam illicita ut in praxim reducatur, modò certam suam probabilitatem non amittat.

Usus opinionis certò practicè probabilis non potest cõvinci esse illicitus.

11. PROBATUR, & quidem inprimis nulla opinio probabilis, manens probabilis, medio evidenti refelli potest, quia eo ipso perderet suam probabilitatem, & sic suppositio, in qua loquimur, destrueretur. Idem valet de argumentis quibusvis, quæ probabilitatem ejus destruerent. Rursus, non potest sufficienter refelli ullo medio probabili, non destruente illius intrinsecam probabilitatem; quia tali impugnatione non obstante manebit probabilis, ideoque directè & per se, ex vi proprii motivi sufficiet, ut intellectus illi assensum prudenter præbeat; eo ipso autem quòd assensus ei præbeatur ex motivo certò probabili ac prudenti, intellectus statim ex evidenti principio synderesis reflexò surgit ad formandum judicium certum de honestate talis actionis, ut fusè ostensum est multis in locis utriusque Tractatûs. Ergo impossibile est, ut stante certâ cujusvis sententiæ probabilitate, illa absolutè convincatur non posse sufficienter praxim dirigere. Hæc ratio evidenter evincit intentum respectu illius, cui illa probabilitas est major probabilitate sententiæ contrariæ, quia evidens est, quod prudenter assentiri possit tali opinioni, atque ita progredi ad formandum certum & infallibile conscientiæ dictamen. Quòd si opinio illa directa supponatur apparere alicui tanquam æquè aut minus probabilis, quàm alia, fateor non esse certum, quod intellectus in sensu composito talis comparationis admissæ ac approbatæ illi assensum præbere possit, ideoque in illo casu rationes directæ non sufficient ad præsens intentum eo modo convincendum, quo illud ex vi majoris probabilitatis demonstratum est. Nihilominus probabilitas illa minor, in ratione objecti considerata, fundat tot argumenta reflexa, tam validè prævalentia omnibus, quæ in contrarium afferri possunt, ut perspicuum sit, illius honestatem, si argumenta omnia etiam reflexa inspiciantur, esse probabiliorem ejusdem inhonestate. Semper enim erit verum, legem vetantem non esse sufficienter promulgatam; semper verum erit, in dubio meliorem esse conditionem possidentis; aliaque hujusmodi argumenta necessariò locum habebunt, ex quibus honestas talis actionis tanta veritatis similitudine probatur, ut

ut certum sit, nil adhuc simile allatum fuisse, & moraliter certum est limitatam hominis industriam in hac materia (quæ est quæstio spectans ad jus naturæ circa modum debitè formandi conscientiam in incertis) nil simile afferre posse in contrarium, quia si aliquid potuisset, illud utique post tot sæcula tantumque tot ingeniorum laborem fuisset inventum. At stante hâc reflexâ prævalentiâ probabilitatis, evidens est, honestatem ipsam prudentissimè affirmari posse, atque ita conscientiam per infallibile dictamen certificari de honestate suæ operationis. Ergo impossibile est humano intellectui absolutè convincere, usum talis opinionis esse illicitum.

Probatur ex priore assertione. 12. Probatur secundò. Hæc assertio est ita connexa cum priore, ut, stante illius veritate, hæc falsificari non possit; illa autem asserit, benignam sententiam, quæ docet licitum esse sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem, non esse expugnabilem. At si convincere possemus, aliquam opinionem certò probabilem non posse licitè in praxim reduci, eo ipso benigna sententia falsitatis convinceretur & expugnaretur. Verùm illa expugnari non potest, nec falsitatis convinci, ut ostensum est. Ergo nulla opinio certò practicè probabilis confutari potest tanquam illicita pro praxi, modò certam suam probabilitatem non amittat. Cæterùm hæc inimpugnabilitas non fundatur in solo titulo probabilitatis, ut patet, quia multa probabilia revinci possunt; sed vel in probabilitate in tali materia, cujus veritas tamdiu à tot investigata fuit, & unanimi consensu inventa & agnita, vel certè in probabilitate quamdiu illa manet, eò quòd existentia certæ probabilitatis sufficiat ad inducendum judicium prudens de honestate rei, quo judicio intellectus manuducitur ad formandum judicium certum & infallibile de honestate suæ operationis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Disputatio & defensio, quæ procedit in infinitum, est vana. 13. OBJICIT primò. Omnis disputatio & defensio, quæ in infinitum procedit, est vana & fatua, quia non resolvitur in principium ullum immediatum, in quo sistatur. Sed probatio & defensio duarum ultimarum assertionum est talis. Ergo est vana & fatua. Probatur minor. Benigna sententia est assertio reflexa, quæ dicit, *licitum esse sequi quamlibet opinionem certò practicè probabilem.* Hæc autem propositio non affirmat opiniones illas esse veras aut probabiles, sed solùm dicit, eas esse tutas, si sint probabiles. Similiter eadem propositio de se ipsa non enunciat, se esse probabilem, sed solùm in universali se fore tutam, si sit probabilis. Ergo ad licitum ejus usum, opus est alia cognitione reflexa, quæ enunciet illam esse probabilem ac tutam. At difficultas redit de hac secunda cognitione reflexa, quam adversarii negant, nec nos debemus contendere eam esse veram, quia tunc directè respondendum est ad argumenta, & reflexa inimpugnabilitas, quàm nunc prætendimus, deseritur. Ergo debemus contendere, secundam illam propositionem manere probabilem, quidquid in contrarium affertur. At illa non affirmat se esse probabilem, ut antea dictum est de prima. Ergo opus erit tertia cognitione reflexa, & sic in infinitum. Ergo hæc inimpugnabilitas prætensa nullo nititur principio immediato, sed in infinitum procedit. Ergo est stulta & fatua. Ita Celladeus, *lib. 1. quæst. 8. §. 3.* Ubi dicit, argumentum hoc esse demonstrationem Logicam, licèt eam omnes non capiant.

Retorquetur argumentum. Respondeo primò, argumentum solvendum esse ab omnibus in propositione reflexa, quæ asserit, *errorem invincibilem excusare à toto*, & multò clariùs in propositione reflexa, quæ asserit veritatem dictæ propositionis esse inexpugnabilem, seu neminem posse prudenter conari ad eam expugnandam; siquidem argumentum æquè procedit contra utramque hanc propositionem reflexam, ac contra benignam sententiam, ut patet. Et tamen omnes, etiam adversarii, admittunt, similes propositiones reflexè loquentes de ignorantia invincibili, esse veras. Quidni ergo similes propositiones de licito probabilium usu possint esse veræ, non obstante hoc argumento?

Omnis propositio, exercitè saltem, dicit se esse verã & probabilem. 14. Respondeo secundò directè, & dico, nos loqui tam de veritate, quàm inexpugnabilitate benignæ sententiæ; & quamvis principale intentum respiciat veritatem ipsius, in præsenti tamen quæstione potissimè respicimus ad ejus inexpugnabilitatem. Hoc posito, dico, propositionem illam reflexè dicentem, *usum opinionum certò practicè probabilium esse licitum*, affirmare se esse veram signatè vel exercitè, formaliter vel virtualiter, & essentialiter excludere omne dubium de sui improbabilitate. Nec mirum, quia plus est esse verum, quàm esse verisimile aut probabile. Ergo cùm omnis propositio dicto modo affirmet se esse veram, utique à fortiori exercitè affirmat se esse probabilem. Ratio autem à priori est, quia quod creditur absolutè commensurari vero, quod est credi verum, non potest non credi ad verum accedere, quod est credi probabile. At omnis propositio, virtualiter saltem & exercitè, affirmat se commensurari vero, seu se esse veram. Ergo virtualiter saltem & exercitè, affirmat se ad verum accedere, seu esse probabilem. Verùm parùm sollicitus sum, quid de se ipsâ hoc modo affirmet, vel non affirmet illa propositio; quia nulla est propositio exercitè sumpta, in qua aliud respicimus quàm veritatem, cùm sola veritas sit motivum omnis propositionis. Jam assertio reflexa de usu licito probabilium non est evidenter, & fortassè neque probabiliter vera ex terminis; itaque veritas hujus propositionis quærenda est. Ea autem quæritur & investigatur per argumenta, quibus ad eam astruendam inducimur. Illa autem fundantur in principiis immediatis, & talia sunt ut non solùm probent veritatem ipsam, sed si jungantur probationibus *assertionis 3.* (quæ etiam sunt argumenta probantia veritatem ipsius) id est, si omnia simul considerentur, tanta claritate evincunt veritatem assertam, ut simul & semel ostendant, eam esse ita probatam, ut nulla humana industria everti possit, aut rationabiliter existimari improbabilis. Nec mirum, quia argumenta, quæ necessariam & indefectibilem hujus propositionis veritatem evincunt, eadem, spectatâ qualitate materiæ & conatûs ab omnibus adhibiti, pari efficacia evincunt, talem doctrinam esse prorsùs inexpugnabilem: Certè argumenta, quæ evidenter probant aliquid esse verum, semper simul probant oppositum demonstrari non posse. Similiter argumenta, solùm obscurè probantia veritatem aliquam, simul probare possunt, nil ab hominibus afferri posse in contrarium, quo falsitatis convincatur. Hoc videre est in mysteriis fidei, quæ, etsi obscura, adeo credibilia sunt, ut certum sit, nil afferri posse, quòd ea improbabilitatis convincat. Idem valet in aliquibus rebus probabilibus, illis saltem quæ ratione materiæ

Sola argumenta probant veritatem & probabilitatem alicujus propositionis.

materiæ facilè patent, & diu ac diligenter quæsita fuerunt ab omnibus, atque semper ab omnibus eadem invariabiliter inventa sunt. Jam repræsentatio, de hisce mentem certificans, non distinguitur ab actu, quo affirmantur, licèt opus sit conjicere oculos in argumenta seu præmissas, ex quibus actus ille deducitur, ut sciamus, unde claritas illa deducatur, & ut de claritatis illius magnitudine reflexè certificemur.

In probatione nostra sistimus in veritate primæ propositionis reflexæ.

15. Itaque non est opus recurrere ad secundam cognitionem reflexam, quia veritas primæ cognitionis reflexæ sufficienter evincitur absque tali recursu, & ex ejus veritate, etsi solùm probabiliter & obscurè inventâ, unà cum argumentis à qualitate materiæ, diuturna inquisitione, & unanimi omnium consensu desumptis, veritas inimpugnabilitatis prætensæ stabilitur. Errat porro Celladeus, dum dicit, nos non debere recurrere ad veritatem primæ aut secundæ propositionis reflexæ, nam nos non progredimur, ut ille arbitratur, ad secundam propositionem reflexam, sed in veritate primæ sistimus, & si ad secundam progrederemur, in ejus veritate quærenda sistendum esset. Hoc autem non est deserere, sed stabilire inimpugnabilitatem prætensam, quia illa fundatur in veritate hujus propositionis, prout est propositio in peculiari materia omnibus obvia, cujus veritas ab omnibus per plura sæcula investigata fuit, & ab omnibus rationabiliter sentientibus agnita, absque eò quòd unquam inveniri potuerit argumentum, quo vel unus allectus fuerit, ad subscribendum contrariæ sententiæ, &c.

Quamvis ageremus solùm de probabilitate propositionis reflexæ, non daretur processus in infinitum.

16. Hoc responsum valeret, quamvis admitteremus, veritatem benignæ sententiæ, ejusque inimpugnabilitatem assertam esse solùm probabilem. Verùm aliter de utraque sentiendum est; veritas enim benignæ sententiæ est moraliter certa, nec erraret, qui diceret eam esse absolutè demonstratam, sicut in moralibus res demonstrari solent. Non libenter magnifico res ultra earum meritum, sed argumenta, tum *in tract. de Consc. prob.* tum in hoc opere allata, veritatem ipsam adeo evincunt, ut de ea aliter loquendum non sit. Quod verò spectat ad prætensam inimpugnabilitatem, illa adhuc clarior est, quia fundatur in peculiaribus præsumptionibus, contra quas constat nullam esse, aut esse posse rationabilem exceptionem. Corruit ergo prætensa Celladei demonstratio Logica, in qua certè nil energiæ reperitur, quia procedit de subjecto non supponente, quasi verò non esset agendum de veritate propositionis reflexæ, cùm de illa potissimè agendum sit, ut sic ex argumentis veritatem illius probantibus, unà cum qualitate materiæ, communique omnium conatu & consensu, ejusdem inimpugnabilitas statuatur. Præterea, etsi non ageremus de ejus veritate, sed probabilitate, non sequeretur processus in infinitum, quia ipsa exercitè & æquivalenter affirmat se esse probabilem. Et quidem id affirmat, non dubiè, sed certò & evidenter, quia probabilitas consistit in motu quodam seu impetu, quo intellectus impellitur ad assensum, aut in peculiari gradu claritatis, quàm impetus præcedens refundit in assensum, ut fusè ostensum est *quæst. 3. de Consc. prob.* ille autem gradus claritatis non distinguitur ab ipso judicio probabili. Claritas ergo illa est actui essentialis, adeoque non potest non esse exercitè nota & affirmata ab ipso actu: est enim actus non quomodocumque probabilis, sed signatè cognoscitur esse evidenter talis; ergo est exercitè evidenter talis. Ergo evidenter exercitè cognoscit & affirmat suam probabilitatem. Ergo non est opus ulteriùs progredi ad aliam cognitionem reflexam, à qua illa probabilitas affirmetur. Eodem modo discurro de inimpugnabilitate ipsius; actus enim ipse dependet ab omnibus suis motivis, inter quæ aliqua apertè ostendunt, oppositum non posse ab homine probari esse verum. Ergo ipsemet actus exercitè cognoscit & astruit suam inimpugnabilitatem, & intellectus in eo sufficienter quiescit, nec ad hoc opus est ad alias cognitiones reflexas recurrere. Ergo prætensa Celladei demonstratio undique ruit.

17. Video Celladeum ad hæc fortè risurum, eò quòd ipse neget tam veritatem, quàm prætensam sententiæ benignæ inexpugnabilitatem. Verùm quòd ille hoc neget, non probat utramque non esse veram, & legitimè probatam, nos cum Celladeo similia affirmamus de ignorantia invincibili. Miratur Jansenius, & unà cum suis asseclis ridet nos, ac protestatur, se utrumque negare, imo contrarium ferme instar dogmatis fidei credere. Rursus omnes similia dicimus de credibilitate & inexpugnabilitate mysteriorum fidei, interim heterodoxi rident, & clamant se utrumque negare. Annè ideo nos falsum dicimus, aut assertum nostrum sufficienter non probamus? absit. Idem prorsùs valet in casu nostro; nam sicut illi ideo hæc non vident, quia vel argumenta nostra non ponderant, vel ex passione mentem excæcante, & affectu in unam partem indebitè inclinato, discurrunt; ita pariter Celladeus non videbit veritatem hanc, si argumenta nostra debitè non consideret, aut si ex passione aliqua vel affectu ad partem contrariam indebitè propenso discurrat. Consideret argumenta nostra acuratè, & si affectum aut passionem indebitè alligatam habeat ad partem contrariam, illam deponat; & illico veritatem videbit, sicut ex dictis nullitatem suæ demonstrationis prætensæ colligere poterit. *Omnia dicta exéplo comprobãtur.*

18. Objicit secundò. Benigna sententia, saltem virtualiter & exercitè dicit, se esse veram, hoc enim commune est omnibus enunciationibus; rideretur enim tam in scholis quàm in foro, qui aliquid enuntians, nollet dictum suum tanquam verum defendere, sed appellaret ad probabile, dicendo dictum suum esse probabile; omnis enim aliquid enuntians, tenetur de vero, nec satisfacit per probabile. Ergò qui profert benignam sententiam, ejusque objectum affirmat, tenetur ad eam tanquam veram defendendam. Quod si nolit, & ad ejus solam probabilitatem appellet, saltem tenetur hoc suum secundum dictum tueri tanquam verum, nec se satis defendit per aliud probabile, sed absurdè procedit in infinitum à probabili ad probabile, nec in ullo unquam immediato principio sistit. Ergo ineptè asseritur aliqua propositio esse inimpugnabilis, quando assertio illa defenditur, prætermissâ disputatione de illius veritate, confugiendo ad probabile aliud reflexum, quod à vero & falso præscindit, quia talis assertio ad sui defensionem & constantiam indiget processu in infinitum. Atqui talis processus in motivis est impossibilis. Ergo ad sui defensionem indiget aliquo impossibili. Ergo per hoc quòd se statuat hoc modo inimpugnabilem, erit impugnata & interempta, cùm ad suam salutem & vitam opus habeat remedio impossibili ac interminabili. Ita Celladeus §. 4. ubi dicit hanc secundam argumentationem esse legitimam demonstrationem. *Objectio 2.*

19. Respondeo Celladeum in antecedente nobiscum

Nullitas prætensæ demonstrationis multis modis ostenditur.

biscum convenire; hoc autem admisso, perspicuum est, nos non recurrere ad probabilitatem prout præscindit à vero & falso, ut sententiam benignam defendamus, sed eam veram defendimus, & ex argumentis veritatem illius probantibus, unâ cum allatis præsumptionibus, directè stabilimus illius inexpugnabilitatem; quam dicimus & defendimus esse veram & realem, non autem solùm probabilem & apparentem. Ergo nulla est apparentia processûs in infinitum. Itaque Celladeus videtur formasse sibi inexpugnabilitatem quandam à nemine assertam (Caramuël enim, quem Celladeus citat, non mihi videtur talem inimpugnabilitatem tribuere sententiæ probabili, sed solùm eam, aut similem ei, quam ego proposui ac probavi) atque illam rejicere argumentis, quæ pro demonstrationibus venditat. Verùm illa, etiam in sensu ipsius Celladei accepta, rem non evincunt, quia qui pro defensione benignæ sententiæ non ad ejus veritatem, sed solùm ad ejus probabilitatem recurreret, dicendo illam esse certò probabilem ac rationabilem, & consequenter sufficientem regulam conscientiæ, non necessariò fugit ad aliud probabile, quo se defendat, quia defendere se potest per hoc ipsum probabile jam assertum, eò quòd probabilitas illa sit evidens, sicut est evidentissima: unde probabilitas benignæ sententiæ non indiget novo probabili, aut novo argumento, ut se defendat, sed seipsâ tuta est contra omnes impugnationes, simulque certissimè tutatur suam probabilitatem. Nec solùm tutatur eam, sed simul ob qualitatem materiæ, de qua disputamus, ob diuturnum omnium studium ac unanimem consensum, ita illam defendit de præsenti, ut illam ostendat esse in posterum inexpugnabilem. Quod si contendas, probabilitatem benignæ sententiæ non esse evidentem, ideoque recurrendum esse ad aliud probabile, & sic in infinitum; in primis evidenter erras, quia benigna sententia est evidenter probabilissima, &, quod plus est, moraliter certa, ut proximè dictum est.

Ruit argumentũ etiã in sensu, quo Celladeus illud putat esse demonstrativum.

20. Secundò, argumentum non valet, quamvis admittamus probabilitatem benignæ sententiæ non esse evidentem, sed solùm probabilem; quia sicut in evidentibus non datur processus in infinitum, ita nec in probabilibus; sistendum enim tandem est in aliquo probabili immediato, tanquam in principio, immediatè quidem credibili, quamvis obscuro. Quod autem dentur ejusmodi prima-principia immediatè probabilia, probatum est in *tract. de Consc. prob. quæst. 4. num. 2. & seq.* Itaque motiva prima & immediata, quæ suadent opinionem benignam esse probabilem, vel sunt evidentia, vel sunt immediatè probabilia. Pono nunc non esse evidentia; sunt ergo, vel certè, hoc argumento non obstante, esse possunt immediatè probabilia. Quæ autem talia sunt, egent alio probabili ad suam probabilitatem nobis ostendendam aut defendendam, ut patet. Jam principia nobis immediatè probabilia, hîc & nunc à nobis falsitatis convinci non possunt, alioquin non essent amplius immediatè probabilia, ut patet. Quidni ergo talia sint, aut certè, hoc argumento non obstante, esse possint argumenta probantia probabilitatem benignæ sententiæ? Ego dico, ac scio illa esse ad minimum talia: non quia puto omne primum principium probabile esse absolutè indefectibile respectu nostri; novi enim contrarium, quia apparentia etiam immediatè probabilis sæpe fundatur in eo, quòd nil certi, aut momenti incomparabiliter majoris afferatur in contrarium: ut *ostendi in tract. de Consc. prob. quæst. 3.* Jam licèt impossibile sit talem propositionem non esse immediatè probabilem ac credibilem, quamdiu totum objectum cum omnibus hisce determinatis circumstantiis repræsentatur intellectui, nihilominus hoc objectum aliquando variatur; quia postea aliquid certum affertur in contrarium, & tunc illud quod fuerat immediatè probabile non manet ampliùs tale, eò quòd pars aliqua, ex qua probabilitas essentialiter componebatur, auferatur. Cæterùm licèt in aliquibus certi aliquid à nobis afferri possit contra aliqua immediatè probabilia, id tamen non est verum in omnibus, nominatim autem hoc non est verum in casu præsenti, quia immediata probabilitas argumentorum, probantium probabilitatem benignæ sententiæ, habet peculiarem relationem ad hanc materiam, quæ spectat ad universale jus naturæ, & conjungitur constanti ac unanimi omnium consensui de veritate propositionis assertæ, etiam postquam per plura sæcula veritatem illius diligentissimè investigarunt. At immediata illa probabilitas, juncta illis considerationibus, fundat hanc veritatem; quoad nos inalterabilem, nempe, *quòd contrarium ejus, quod ipsa repræsentat, ab humano ingenio evinci non possit: quòd nemo prudenter valeat eniti ad illud seriò probandum.* Hæc autem persuasio, seu apparentia, est primum illud, in quo intellectus fundatur, quando enuntiat, sententiam benignam esse inexpugnabilem. Ego existimo talem apparentiam, esse saltem moraliter evidentem; quod si hoc negetur, est tamen summè probabile, & quidem probabilitate nobis insuperabili. Unde probabilitas benignæ sententiæ per hanc probabilitatem inalterabiliter subsistit, & inexpugnabiliter triumphat, quamvis illa apparentia concedatur non esse evidens, quod tamen falsum est. Porro nulla in hoc invenitur umbra processûs in infinitum. Ecce, demonstrationes Celladei non modò reipsa non subsistunt, sed dato, quod quæstionis explicatio ac sensus sit, qualem ipse posuit (quod tamen falsum est) adhuc in hoc ipso sensu rationes illæ corruunt, & falsitatis convincuntur. Cæterùm mirum etiam videtur, quòd primam prætensam demonstrationem vocarit logicam, cùm nil logicum in illa appareat; maximè cum ipse fateatur se in ea proponenda omittere formam syllogisticam, quam certè omisit. Quid ergo logicum in illa reperitur, unde demonstratio logica vocari debuerit?

Non omne primò probabile est indefectibiliter tale.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA-SEXTA.

Vtrùm benigna sententia, si concedatur esse vera, sit utilis ad conscientiam in particulari licitè formandam?

Celladeus minùs clarè quæstionē proponit.

1.  CELLADEUS, qui omnia versat, ut benignam sententiam evertat *lib. 1. quæst. 9.* contendit probare, praxim probabilium non posse defendi ut licitam, quamvis supponamus, licitum cuique esse sequi quamvis opinionem certò practicè probabilem, in sensu quo communis gravissimorum Auctorum consensus tradit id esse licitum. Ille quidem proponit quæstionem in terminis, sub quibus nos illam non defendimus; ait enim, praxim aliquorum, quaslibet librorum opiniones sectantium, non posse convinci licitam, quamvis concedamus, usum cujusvis opinionis probabilis licitum esse; & totus videtur in hoc tantùm impugnando, in quo nullum famosum Auctorem habet sibi contrarium. Verùm quia ita discurrit, ac si aliud non prætenderet, quàm persuadere effatum illud, *usus cujusvis opinionis probabilis est licitus*, etsi admittatur ut verum, sicut est verissimum, parvam aut nullam utilitatem afferre ad debitè formandam conscientiam: ideo ne quis ex modo, quo quæstionem proponit ac confirmat, arbitretur benignam sententiam esse inutilem, quamvis concedatur esse vera, operæ pretium erit disertè in hac quæstione ostendere effatum illud: *usus cujusvis opinionis certò practicè probabilis est licitus:* si admittatur esse verum, esse utilissimum ad formandam conscientiam, eademque occasione evincere, benignam sententiam, quoad totam suam universalitatem & praxim, esse evidenter veram, si veritas illius propositionis admittatur. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Hæc propositio, usus cujusvis opinionis certò practicè probabilis est licitus, *si sit & admittatur esse vera, est utilis, ex mente Auctorum illam tradentium, ad conscientiam debitè dirigendam.*

Opinio benigna, si sit vera, utilis est ad formandā conscientiam ex mente suorum Auctorum.

2. PROBATUR. Qui docent illam propositionem, eam tradunt pro regula universali, per quam omnes facilè dirigi possint ad formandam conscientiam in rebus, circa quas diversæ sunt Auctorum sententiæ. Hoc enim ipsi expressè prætendunt, & ad hunc finem assertionem illam tam diligenter stabiliunt. Ergo omnes credunt, illam ad finem intentum esse utilem, alioquin omnes frustra & stultè laborassent, proponendo media ut utilia, quæ credidissent esse inepta ad finem obtinendum. Ergo opinio benigna ex mente Auctorum illam tradentium est utilis & commoda ad conscientiam ritè formandam.

ASSERTIO II.

Eadem propositio, si sit vera, est utilissima ad conscientiam debitè formandam.

Eadem opinio, si sit vera, est absolutè utilissima ad conscientiā ritè formādam.

3. PROBATUR. Admissâ illâ propositione, facilè formari possunt innumeri syllogismi legitimi, quorum conclusiones evidenter ostendunt, quænam particulares opiniones sint licitæ. Ergo illa propositio est utilissima ad debitè formandam conscientiam. Tenet consequentia, quia nil utilius est ad debitè formandam conscientiam, quàm regula, quâ in casibus innumeris illâ facilè dirigitur ad formandum judicium practicum verum de honestate operationis. Probatur antecedens. De omnibus & singulis opinionibus, quæ sunt certò probabiles juxta mentem docentium, usum quarumvis opinionum practicè probabilium esse licitum, facilè formari potest hic syllogismus: *Usus cujusvis opinionis certò probabilis est licitus: sed hæc opinio est certò probabilis: ergo hujus opinionis usus est licitus.* At obviæ sunt innumeræ opiniones certò probabiles, juxta mentem illorum Auctorum, ut mox probabo. Ergo innumeri hujusmodi syllogismi facilè formari possunt, stante veritate illius propositionis. In toto discursu nulla est difficultas nisi in minore, quæ dicit, innumeras dari opiniones certò probabiles juxta mentem illorum Auctorum, illasque esse obvias: quare minor illa demonstratur. Inprimis, omnes asserunt opinionem, in qua omnes consentiunt, esse probabilem in sensu quem intendunt. At multæ sunt opiniones, in quibus omnes conveniunt. Talis est opinio dicens, possessorem bonæ fidei licitè retinere rem, de qua dubitat, an ad alium spectet, donec veritas investigetur; quodque si, post debitam diligentiam, veritas inveniri non possit, sed rationes, aut æquales aut majores faveant possessori, possessor liberè uti possit re illa, &c. hic casus est valdè practicus, & frequentissimè obvius. Rursus talis est opinio dicens, hominem scrupulosum, si Deum timeat, ac à peccatis manifestis maximè abhorreat, licitè sequi posse consilium sui Confessarii, qui habetur peritus & probus, quódque melius faciat obedientiâ cæcâ illi obediendo, quàm rem ulterius investigando, &c. Et ne supersit difficultas scrupuloso an sit scrupulosus, & consequenter an possit uti privilegio hujus sententiæ, dant signa evidentia, ex quibus cognosci possit an sit scrupulosus, & ulteriùs pergunt, ac dicunt, eum debere se reputare scrupulosum, si peritus & probus Confessarius, cui conscientia ejus aperta est, judicet illum esse scrupulosum, & scrupulosorum regulis dirigendum. Simili-

Plurimæ sunt opiniones ex mente Auctorū certò probabiles.

Prima probabilium classis.

Similiter omnes consentiunt, quòd rudes in rebus dubiis tutò stare possint directioni probi ac periti Confessarii. Ecce maxima pars hominum certò scire potest, quænam sint opiniones probabiles juxta mentem illorum Auctorum, & consequenter in omnibus fermè suis dubiis certò scire, se juxta mentem illorum conscientiam formare. Nec desunt aliæ plurimæ opiniones ejusmodi, quæ valdè universales sunt, & plurimis aut etiam omnibus deserviunt.

Secunda classis probabilium. 4. Secundò, omnes docent, opiniones illas esse probabiles, quæ inter Theologos & juris peritos sunt communes, adeo ut plurimi gravissimique pro illis stent, etiam postquam examinarunt rationes, in quibus adversa pars fundatur. Atqui innumeræ sunt ejusmodi sententiæ evidenter communes in scholis & foro. Ergo innumeræ sunt evidenter probabiles in sensu Auctorum illorum. Ergo sunt innumeræ, quæ ex propositione illa admissa concluduntur evidenter licitæ. Quod dictum est de opinione communi, à fortiori valet de opinione communiori, sunt autem plurimæ tales, & quidem nonnullæ sunt communissimæ, ita ut valdè pauci contrarium teneant, quos in numero opinionum certò probabilium involvi certissimum est.

Tertia probabilium classis. 5. Tertiò, quoties sermo est de opinione non adeo communi, ut de re particulari, quæ nondum in disceptationem multorum venit, Auctores illi dant regulas, ex quibus scire possimus, quænam opinio juxta mentem ipsorum haberi debeat probabilis. Jam licèt aliqua diversitas reperiatur quoad hoc inter aliquos, tamen pauci sunt qui ab aliis discrepant, & in hoc solùm discordant, quòd doctrinam aliorum ad plura extendant quàm ipsi. Si ergo doctrina in sensu strictiori sumatur, omnes omnino conveniunt, propositiones talibus circumstantiis affectas, esse probabiles. At innumeræ eæque obviæ sunt propositiones, quibus dictæ illæ circumstantiæ evidenter conveniunt. Ergo illæ sunt certò probabiles in sensu Auctorum illorum. Ergo omnes illæ sunt certò licitæ in hypothesi assertionis.

Ultima probabiliū discernendorū regula. 6. Demum omnes fermè dant definitionem opinionis probabilis, aut siqui propriam non dent, eam juxta communem aliorum explicationem intelligunt. Sumptâ ergo rigorosissimâ opinionis probabilis explicatione, in qua omnes conveniunt, toties licebit ullam opinionem sequi, quoties evidens est, illam esse probabilem in sensu dicto, undecunque illa evidentia habeatur. Atqui sæpissimè talis evidentia habetur, & sæpè quidem valdè faciliter, ut evidens est percurrenti *quæst. 2. 5. & 6. de Consc. prob.* ubi fusè de hac materia actum est. Et quidem ne dubium hac de re superesse possit, Auctores illi distinxerunt opinionem probabilem in intrinsecè & extrinsecè talem. Pro utraque discernenda regulas faciles & obvias præscripserunt, & quomodò ac quando pro conscientia debitè formanda sufficiat, fusè explicarunt. Sed & peculiares pro doctis, peculiares etiam pro rudibus regulas præscripserunt, ut nil clarius esse possit, quàm quomodò certi possimus esse, nos sequi opinionem probabilem in sensu ipsorum. Qui legerit citatas quæstiones *in tractatu meo de Conscientia probabili*, horum omnium veritatem perspiciet.

ASSERTIO III.

Si eadem propositio admittatur esse vera, certum est, praxim benignæ sententiæ, quoad omnem usum à nobis assertum, esse licitam.

7. PROBATUR. Tunc universalis praxis sententiæ benignæ, à nobis asserta, est certò licita, quando omnis praxis ab illa asserta est conclusio legitimè deducta à præmissis veris & certis. Sed omnis praxis benignæ sententiæ à nobis asserta est hujusmodi. Ergo est certò licita. Probatur minor: Nos solùm asserimus, praxim illius esse licitam, quando sequimur opinionem certò probabilem, sumendo opinionem probabilem juxta indubitatum sensum Auctorum illius sententiæ. At quoties certum est, opinionem peculiarem esse probabilem in eo sensu, toties syllogismus ille: *Usus cujusvis opinionis certò probabilis est licitus: sed opinio hac est certò probabilis: ergo illius usus est licitus*: debitè formatur. Conclusio autem hujus syllogismi deducitur ex majore vera, & minore evidenti. Ergo conclusio illa, veritate majoris admissa, est certò vera. Ergo nos solùm asserimus, praxim benignæ sententiæ esse licitam, quando illa est conclusio legitimè deducta à præmissis veris, quarum altera supponitur vera, altera certa est & evidens. Sanè si hoc nobis concedatur, habemus intentum, nec aliud in hac quæstione intendimus, aut quærimus. Ergo si major illa concedatur esse vera, certum est, universalem benignæ sententiæ praxim, à nobis assertam, esse licitam. Iisdem datis, usus benignæ sententiæ est certò licitus.

PRIMA CELLADEI OBJECTIO.

8. OBJICIT primò. Plures absque delectu promiscuè accipiunt quoslibet libros morales, saltem non prohibitos, supponuntque omnes eorum opiniones, saltem non notatas, esse probabiles. Deinde subsumunt, ex mente gravissimorum Auctorum licere quodlibet probabile. Unde concludunt, licere omnia, quæ in libris inveniunt, saltem non notata. Verùm hæc assertio est prorsùs absurda, & contra mentem Auctorum dicentium, quælibet probabilia esse licita. Omnes enim, qui expresè docuerunt, licitum esse sequi opiniones, etiam minùs tutas minùsque probabiles, disertè dixerunt, se per probabile intelligere opinionem fundamento gravi, seu rationi magni ponderis innixam. At illi nunquam dixerunt, libros omnes, & omnes Summas casuum non prohibitas esse graves, omnesque opiniones in eis coacervatas niti rationibus magni momenti. Imo nunquam dixerunt, omnes opiniones Doctoris gravissimi fundamento gravi corroborari, nihilque inconsideratius aut levius ex eorum calamis excidisse. Sed neque hoc dicere potuerunt, nisi singuli omnes ejusmodi libros exactissimè trutinassent. At nec ipsi dicunt, se hoc fecisse, nec credibile est id à singulis esse præstitum. Præterea quidquid diligentiæ adhibuerint in evolvendis libris tunc editis, certè affirmare non poterant de libris edendis, nullum eorum fore quoad aliqua saltem levem, superficialem, indoctum, ac sophisticum, sed omnes quoad omnia omnino gravi fundamento corroborandos. Loquuntur tamen universaliter, ut patet. Ergo nullus illorum Auctorum dixit, Non omnes opiniones in libris sūt probabiles.

omnes

omnes librorum non prohibitorum opiniones non taxatas esse probabiles; & consequenter modus ille philosophandi, quo recentiores utuntur, dicentes: *Hæc opinio in libro est, Auctores habet unum, duos, vel etiam plures. Ergo probabilis est probabilitate conscientiæ, ac tuta & sana*: ab illorum mentibus longissimè abfuit.

Doctores aliquando turmatim eunt in aliquã sententiam.

9. Quid plura? Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 4. nu. 13.* negare videtur, turbam etiam Doctorum aliquando sufficere ad probabile. Joannes Sancius *disp. 29. num. 7.* citat plures dicentes, aliquam turbam Doctorum sequi sententiam aliquam sine delectu rationum. Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. & lib. 4. de matrim. disp. 44.* Granadus *1. 2. contr. 2. tract. 12. disp. 12.* aliique excludunt à probabilitate conscientiæ omnes (quos supponunt dari) qui instar ovium & avium sequuntur aliorum vestigia. Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 2. nu. 6.* ait, opinionem non debere censeri magis communem, quando Doctores eam turmatim & sine delectu sequuntur. Supponit ergo dari homines, turmatim & sine delectu alios sequentes. Itaque praxis illa proponendi opinionem aliquam ut tutam, eò quòd in libro vel Auctore aliquo vel aliquibus reperiatur, nullius cordati hominis aut gravis Auctoris auctoritate fundatur.

Vasquez dicit multas opiniones carere gravi fundaméto.

10. Præterea Vasquez *1. 2. dis. 2. cap. 5. nu. 22.* duabus Caietani & Navarri sententiis probatis, sic ait. *Ego tam doctrinam Caietani, quàm Navarri existimo esse sine fundamento.* Rursus *num. 25. Quod verò dicebat Caietanus parùm habet momenti.* Deinde *num. 31.* ad quandam rationem Cordubæ Auctoris Doctissimi, ait, *planè ostenditur, quàm parvi ea momenti sit.* Similia sæpe dicit de aliorum dictis & sententiis per omnia sua volumina. Nec dubium, quin alii similia sentiant, etsi in aliorum opinionibus notandis cautiores exstiterint. Sed & alii non dissimilia de aliquibus à Vasquez dictis enuntiant. Jam opiniones istæ, ex mente Vasquii, non nitebantur fundamento gravi. Ergo ex mente illius non erant probabiles, saltem in eo sensu, in quo loquitur, dum dicit, nos tutò sequi posse probabilia.

Omnes in hoc Vasquio consẽtiunt.

11. Nec Vasquez tantùm, sed omnes omninò idem sentiunt, quia omnes fatentur, opiniones olim probabiles, & à gravibus Auctoribus assertas, evasisse improbabiles. Hoc factum est ostendendo, Auctores illos graves vel non vidisse rationes, quibus posteri moti sunt, vel sine fundamento loquutos. Ergo sicut antiqui potuerunt, ita etiam recentiores hallucinationem pati possunt. At non licet sequi opinionem Auctorum, quando aut sine fundamento, aut non omnibus visis, aut manifestè falsò opinati sunt. Ergo illa assumptio. *Hæc opinio in libro est, Auctorem, vel Auctores habet, etiam graves. Ergo ad conscientiam sufficit*, non est Vasquii, nec ullius gravis Auctoris, qui probabilitates pro conscientia approbant, sed prorsùs contrariatur menti ac dictis ipsorum. Ergo tuti non sunt, qui hac praxi utuntur, quàm in nullius gravis Auctoris auctoritatem possunt resolvere. Ita Celladeus tota §. 1. & 2. qui in fine conatur causam reddere, cur Theologi hac in re æquivocationem passi sint; dicit autem, causam esse, quòd probabile æquivocè dicatur, quódque probabile opinionibus datum non sit probabile conscientiæ. Probabile conscientiæ requirit grave fundamentum; sed ad probabile opinionibus dari solitum sæpe plus juvat consuetum, quàm fundamentum; & ad idem conducunt Auctoris honor, tolerantia superiorum, & alia similia. Certè Vasquez non dixit, prædictas Caietani, Navarri, & Cordubæ opiniones esse improbabiles, nec hoc sæpe sine magna offensione dici potest; tamen dixit, eas carere fundamento gravi. Ergo Vasquez exercitè distinxit suum probabile conscientiæ ab eo probabilitatis genere, quo vitandæ offensionis causâ opiniones improbabiles dicere non solemus. Nec exercitè tantùm, sed signatè satis expressit hanc probabilium distinctionem *num. 17.* dicendo, *Non mihi videtur illa censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundùm illam possim prudenter operari contra propriam & communem omnium sententiam.* Ergo supponit, eam censeri probabilem ad alium effectum, puta ad non censurandum. Ita Celladeus, cujus sententiam propriis quantum potui verbis breviter expressi.

SOLVITUR OBJECTIO,

Et error Celladei circa mentem Vasquii refutatur.

Usus promiscuus opinionum in libris contentorum non est licitus.

12. RESPONDEO, objectionem non tangere nostram communemque sententiam. Illa enim solùm docet, licitum esse cuique sequi opinionem minus tutam, quando certò constat, illam esse probabilem, quod frequentissimè ac facillimè constat, uti demonstratum est. Certè Auctores benignæ sententiæ nunquam dixerunt vel somniarunt, omnes omnium Auctorum præsentium aut futurorum opiniones, à superioribus Ecclesiæ non taxatas, esse ac manere probabiles, donec taxentur; sed è contra omnes aut supponunt, aut expressè docent, multas antiquorum opiniones, olim probabiles, esse jam antiquatas, ac evasisse improbabiles; idémque de præsentibus ac futuris Auctorum sententiis evenire posse censent, cùm eadem de omnibus sit ratio. Videantur, quæ hac de re dixi *in tract. de Consc. prob quæst 6. assert. 9. & 10. à num. 23. usque ad 26.* Ubi etiam ad hoc elucidandum attuli atque ponderavi penultimam ex propositionibus, quas Alexander VII. damnavit, anno 1665. 24. Septembris, quæ sic se habet, *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, eam rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem.* Itaque nos omnes summè improbamus praxim eorum, siqui tales sint, qui promiscuè proponunt omnes opiniones, quas in libris non notatis inveniunt, tanquam probabiles, atque ad conscientiam debitè formandam sufficientes, cùm pro certò habeamus, id non solùm absque fundamento fieri, sed expressè contrariari menti ac assertis Auctorum, qui benignam sententiam tradunt. Nec Celladeus hoc ipsum ignorat, cùm expressè fateatur, id esse contra mentem talium Auctorum. Unde non erat, cur ista objiceret, nisi ut desereret suum intentum, cùm ista benignam sententiam, ipso fatente, non tangant.

Opinio non dicitur cõmunis præcisè à multitudine illam sectantium.

13. Itaque libenter admitto, quæ ex Vasquez aliisque profert; sed majoris claritatis causâ ipsa Auctorum verba juvat apponere. Sic ergo loquitur Vasquez. *Negare non possumus, turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem absque delectu rationum, aut saltem non tam exactè rationibus ponderatis, contra quos deinde alius Doctor magnæ auctoritatis aliquam opinionem maturè excogitatam in scholas introducere potest.* Hæc Vasquez, cui addo Thomam Sanchez, qui clariùs loquitur *lib. 4. de matrimonio disp. 44. nu. 2.* ubi hæc habet. *Miror profectò tot tam gravesq; Auctores levibus innitentes*

tentes fundamentis hoc adstruere. Quare ab illis omnino recedendum est, nam ut dicitur leg. 1. §. sed neque, Cod. de veteri jure enucleando, non è multitudine Auctorum, quod melius & æquius est judicari debet. Item quia ut ait Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. num. 391. non dicitur communis opinio, quæ plures Doctores eam asserentes habet, nullâ disputatione præmissâ, sed perfunctoriè, & ut aiunt, per transennam illam sequentes. Quod idem ait Alciat. de præs. reg. 1. præsumpt. 15. num. 15. & optimè Navarrus Sum. lat. cap. 27. num. 289. ait communiorem existimari opinionem approbatam à sex Doctoribus ex professo rem tractantibus, quam à 50. solâ fere priorum auctoritate ductis. Quibus adde Ioan. Lupum cap. per vestras, de donatione inter virum ex uxorem, notab. 3. §. 20. num. 12. dicentem, non esse credendum Doctoribus quantacunque doctrina polleant, dum carent fundamento. Hæc Sanchez. His nos etiam subscribimus, & ultrò fatemur, multitudinem Doctorum, qui perfunctoriè, & per transennam, nulla disputatione præmissa, aliquid affirmant, non efficere opinionem communem, licèt unanimiter in eam conspirent. Similiter solus illorum consensus non sufficit ad reddendam assertionem probabilem, ne quidem extrinsecè, quando, qui rem à fundamentis examinant, non solùm asserunt contrarium esse verum, sed etiam dicunt Auctores illos omni gravi fundamento caruisse, vel quia rem non benè examinarunt, vel quia ex ignorantia aut inadvertentia alicujus principii illam tradiderunt; statim enim ac hujusmodi ignorantia detecta fuit, cessat probabilitas, quæ in illa fundamentum habebat. Cæterùm nulla est opinio communis, quam Auctores hinc inde examinarunt, & visis rationibus, quæ utrimque se oppugnant, adhuc defendunt, quæ non sit certò probabilis, quamvis in hoc etiam casu aliquando contingat, plures absque delectu uni parti turmatim subscribere, vel quia peculiaribus institutis ad illud tenendum obligantur, vel quia in aliorum, qui sedulò rem examinarunt, dicto fundamentum suum constituunt, eò quòd certissimum illis sit, sententiam istam probabilem esse, atque tutò doceri posse. Verùm accessus plurium sic opinantium parum vel nihil auget probabilitatem dictæ sententiæ, ut patet. Et quidem quoties viri graves, magna probitatis & peritiæ fama celebres, novis magni momenti rationibus contra communem sententiam insurgunt, illamque improbabilitatis arguunt, illa per hoc ipsum quoad nos perdit probabilitatem suam, nec illam recuperare potest, donec novæ illæ rationes examinatæ fuerint, illisque non obstantibus, Auctores adhuc in priori communique sententia persistunt, tunc enim sententia communis suam probabilitatem quoad nos recuperat. Hæc omnia, & alia plurima ad hæc spectantia, fusè exposita fuerunt in *primis sex quæstionibus de Consc. prob.* quæ prorsùs coincidunt cum eis, quæ Vasquez Sanchez aliique tradunt.

Omnis opinio communis post omnia utrimque inspecta est probabilis.

14. Cæterùm, quamvis doctrina in hac objectione contenta placeat, quia vera est, duo tamen in illa displicent. Inprimis Celladeus ita loquitur, ac si valde multi Summistæ absque ullo delectu coacervassent opiniones, easque tanquam sufficientes pro regulanda conscientia proposuissent, quamvis opiniones illæ non essent probabiles juxta sensum Auctorum docentium, usum probabilium esse licitum. Hoc tamen verum non est, nam ex celebrioribus Summistis neminem inveniet, qui opiniones absque delectu congesserit; nam paucæ omnino opiniones in ullo Summista reperientur, quæ in hoc sensu non essent probabiles, quando Author librum edidit. Quod hoc sit ita, nec mihi credendum est, quia hoc assero; nec Celladeo, quia id negat. Ego plura dixi *quæst. 2. 5. & 6. de Consc. prob.* ex quibus hoc clarissimè deducitur. Itaque generalis illa Celladei locutio est nimis invidiosa, cùm plurimos innoxios taxare, atque in eos temeritatem non ferendam conjicere videatur. Hos ut ego hac nota liberem, peto, imo à Celladeo exigo, ut proferat, si possit, tres vel quatuor, etiam ex laxissimis ac minùs peritis Summistis, (supponit enim esse plures hujusmodi) qui pro securo opinionum delectu hanc regulam tradant. *Hæc opinio in libro est, Auctorem habet unum vel duos. Ergo tutò eligitur, & ad conscientiam debitè formandam sufficit.* Hos cum quæsierit & non invenerit, & ne quidem unum assignare potuerit, qui in illa generalitate absque multis limitationibus similia dicat, discat imaginationi suæ non fidere, illamque tanquam regulam à Summistis communiter in praxi servatam, imperito lectori venditare, ut sic gravium virorum, sub generali Summistarum nomine comprehensorum, auctoritatem elevet, suæque singulari sententiæ, nullam fidem merenti, fidem conciliet. Viri probi & docti non sunt communiter tam laxi, quàm arbitraris, Celladee. Teneris in re tam gravi dicta tua verificare; provoco ut facias, nec excusatum te puta, eò quòd, ut hic insinuas, id absque offensione facere nequeas. Nemo est, qui suam sententiam tibi propositam negaturus sit; nemo illius impugnationem ægrè laturus. Si ergo propositionem illam apud ullos invenias, audacter profer illam, cita Auctorem locumque; & nec ille, nec quisquam id ægrè feret, sed omnes illum impugnari libenter patientur. At nunc omnibus notam injuris non ferendam. De multis loqueris; praxim, quæ communem sonat usum, nominas; neminem excipis; unde nemo est, qui aliquo modo à nota ista non taxetur. Hoc majoris offensionis est, quàm cujusvis Auctoris sententiam sincerè proponere, & validis argumentis impugnare. Dicam ergò, quid sit. Visum est tibi, Auctores absque delectu opiniones colligere, atque ita se gerere, ac si propositionem citatam pro axiomate haberent. Tu labori pepercisti, sine quo veritatem hanc investigare non poteras; unde ut indiligentiam hanc tuam honestares, sub generalibus terminis defectum [illegible] rè imaginarium tanquam verum proposuisti, simulque putasti te tutum fore, si profitereris, te Auctores illos vitandæ offensionis gratiâ non citare, cùm illos citare non posses, & si potuisses, vitandæ offensionis gratiâ debuisses; id enim justæ offensionis non fuisset, hoc verò est, quia illam propositionem ac praxim sub generali loquutione multis attribuis, qui illam, non minùs quàm tu, aversantur.

Celladeus generaliter condemnans Summistas non sine offensione loquitur.

Probare nequit, quod contra illos objicit.

15. Alterum quod displicet est, Celladeum falsò supponere, quàmplurimos Theologos hac in re æquivocationem passos esse, eò quòd probabile in uno eodemque sensu acceperint, cùm æquivocè dicatur. Ex hac enim falsa suppositione insinuare conatur, multò plus requiri ad probabile pro conscientia & pro praxi, quàm pro probabili speculativè, & communiter dicto. Et quod plus est persuadere conatur hanc esse expressam Vasquii mentem, cùm tamen certum sit, Vasquem *hac ipsa disputatione 62.* expressè docere, eandem probabilitatem sufficere pro praxi, quæ pro speculatione sufficit. Hoc ut intelligas, sciendum

Vasquez expressè tenet eandem probabilitatem sufficere pro praxi, quæ sufficit pro speculatione.

dum est, Vasquem *disputatione illa 62. cap. 4.* ex professo probare, Doctorem peritum licitè posse operari contra propriam sententiam, sectando minùs tutam aliorum opinionem, quam suo judicio minùs probabilem reputat; idque verum esse asserit, etiam in sensu composito, seu, ut ait *num. 15.* in initio, *retenta propria opinione ut probabiliori, & assensu illius per intrinseca principia, modò per extrinseca principia existimet vir doctus, contrariam opinionem esse probabilem in universum consideratam, formetque sibi judicium singulare, quo judicet licitum esse sibi sic operari.* Hoc modo suam sententiam Vasquez proponit, eamque mox probat his verbis. *Hæc sententia sic intellecta probatur 1. nam hoc ipso quod opinio aliqua probabilis est, sicut absque ulla nota possumus illam speculativè amplecti & defendere, sic etiam sanâ conscientiâ possumus secundùm eam operari.* Ecce Vasquez expresè docet, eandem rationem sufficere pro praxi opinionis, quæ pro eadem absque nota temeritatis defendenda sufficit. Imo Vasquez vult hoc sufficere, etsi opinio illa per intrinseca principia non appareat probabilis, modò ob auctoritatem extrinsecam præsumere possim, opinionem illam meritò censeri probabilem; in quo largiùs loquitur quàm plures alii, qui supponunt, opinionem, suæ contrariam, debere esse & apparere intrinsecè probabilem, ut quis, contra propriam sententiam, illam sectetur.

Auctores univocè non æquivocè accipiunt probabile.

16. Præterea aliunde etiam certum est, tam Vasquem, quàm alios omnes nullam diversitatem ponere inter probabilitatem, quæ ad speculativè, & quæ ad practicè opinandum requiritur. Vasquez quidem *num. 14.* per aliud non discernit & discriminat motivum grave à levi & temerario, quàm per prudentis arbitrium. Ecce Vasquez illud habet pro gravi fundamento (in quo probabilitatem pro praxi sufficientem expresè collocat) quod post maturam considerationem tale creditur. Unde vult hoc viro perito sufficere, ut contra propriam sententiam operetur, etiam quando per intrinseca principia reputare non potest, oppositam opinionem esse probabilem; modò ob aliorum auctoritatem præsumere possit, illos non sine maturo fundamento suam sententiam stabilivisse. Vasquio in hoc omnes consentiunt. Omnes enim definiunt probabile in communi, prout à speculativo & practico præscindit, dicuntque illud esse probabile, quod nititur fundamento obscuro quidem & fallibili, sed verè magno, seu tali, quod omnibus inspectis aptum est inducere hominem peritum debitè discurrentem ad illi assentiendum. Qui ex motivo minori judicium fert, temerè opinatur, sive in speculativis, sive in practicis versetur. Qui verò tanto fundamento utitur, non temerè, sed probabiliter & prudenter judicat, in quacumque tandem materia versetur. Rursus Auctores benignæ sententiæ, quando de practicis & moralibus agunt, nullam novam probabilitatis definitionem afferunt. Ergo aliud pro judicio probabili in moralibus non requirunt, quàm ut nitatur fundamento, cui non temerè, sed prudenter assensum præbemus. Errat ergo Celladeus; & absque sufficienti fundamento loquitur, quicumque contrarium affirmat. Differunt quidem probabilia practica à speculativis, non tamen ratione probabilitatis & merito fundamenti, sed solùm ratione materiæ; nam ea solùm vocamus practicè probabilia, quæ de honesto vel inhonesto enuntiant. Reliqua omnia speculativè probabilia nuncupamus. Quod si hæc & illa simili fundamento nitantur, impossibile est hæc esse, illa non esse probabilia, nam utraque pari maturitate aut temeritate pronuntiantur.

Idem esse carere fundamento ac esse improbabile.

17. At, inquies, Vasquez dixit opinionem Caietani & Navarri carere fundamento, non tamen dixit, illam esse improbabilem, nec sine offensione dicere poterat. Ergo Vasquez exercitè distinxit inter probabile conscientiæ, & probabile opinionum. Respondeo Vasquem non magis distinxisse inter *carere fundamento gravi, & non esse probabile*, quàm Logicus distinguat inter definitionem & definitum. Itaque quando dixit, sententiam istorum sibi videri carere fundamento, idem prorsùs, & quidem paulò clariùs dixit, ac si dixisset, illam sibi videri non probabilem, quia certum est, Vasquem paulò ante definivisse probabile per hoc, quod est habere grave fundamentum. Ergo qui negat definitionem, pari ratione negat definitum. Sed quid? fuissetne offensioni magis obnoxium, si dixisset, opinionem illorum videri non probabilem? nullo modo: nam quando dicimus aliquid videri nobis non probabile, solùm negamus fundamentum grave, non omne fundamentum excludimus. Ergo dicere opinionem omni fundamento carere, plus est & magis offensivum, quàm dicere non esse probabile. Et sanè peto à Celladeo, an dari possit opinio probabilis, quæ careat omni fundamento? nónne si constaret, opinionem carere omni fundamento, eo ipso constaret, illam quoque non esse probabilem. Ergo impossibile est, opinionem alicui ulla ratione apparere sine fundamento, quin eodem modo tanquam non probabilis appareat; Ergo impossibile est opinionem dici carere omni fundamento, quin eodem modo dicatur esse non probabilis. Ego certè, quantum ad me attinet, non ægriùs ferrem, si quis mihi diceret, *opiniones tuæ non sunt probabiles*, quàm si diceret, *opiniones tuæ omni carent fundamento.* Imo potiùs hoc secundum ægriùs ferrem, quia longè turpius est, hominem absque omni fundamento res effutire, quàm in fundamentorum qualitate decipi, atque leve fundamentum pro gravi proposuisse. Nec dubito, quin Celladeus ipse, maximè si præsentis asserti sui non recordaretur, tam ægrè aut ægriùs laturus esset, si dicerem, illius assertiones omni prorsùs fundamento carere, ac si dicerem, illas non esse probabiles.

Vasquez non aliâ requirit probabilitatem pro praxi quàm pro speculatione.

18. Verùm instat Celladeus: Vasquez hanc probabilium distinctionem *dicta quæst. 62. num. 17.* signatè expressit, dicens; *non mihi videtur illa censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundùm illam possim prudenter operari contra propriam & communem omnium sententiam.* Ergo Vasquez supponit eam esse probabilem ad alium effectum, puta ad non censurandum. Respondeo, Vasquem eo loco instar profundissimi Theologi valde cautè loqui; dixerat, virum doctum licitè operari posse contra suam opinionem, & contrariam aliorum opinionem in praxi sectari, sed tunc solùm quando illa probabilis est. Dein ponit casum, quo propria docti viri opinio sit communis aliorum omnium sapientum sententia, & contraria unius tantùm Doctoris singularis auctoritate nitatur. Tum loquens de hoc casu, hæc habet: *Si talis opinio unius Doctoris, ex propriis fundamentis considerata, mihi non probatur, sed opposita, &c. non mihi videtur censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundùm illam prudenter possim operari contra propriam & communem omnium sententiam.* Hæc est prudens resolutio doctissimi viri, qui in hoc per omnia benignæ sententiæ subscribit; ille enim videtur dicere,

dicere, nemini licere sequi opinionem, nisi illa sit ipsi certò probabilis. At opinio illa singularis non erat certò probabilis Vasqui in illo casu. Supponit enim ipse, se omnes illius Doctoris rationes examinasse, & non approbasse. Unde illæ non poterant haberi intrinsecè probabiles juxta propria Vasquis principia, quæ asserunt unam tantùm contradictionis partem esse posse intellectui eodem tempore intrinsecè probabilem. Et sanè vix unquam evenire potest, ut rationes talis singularis Doctoris in tali casu ab eo habeantur certò probabiles intrinsecè, qui illis perlectis, ita movetur ad assensum alteri parti dandum, ut omnes omnino secum sentientes habeat. Ergo talis opinio non poterat haberi certò probabilis intrinsecè. Sed nec præsumi debebat tanquam certò probabilis extrinsecè, quia licèt hoc præsumi possit, quando gravissimus & doctissimus vir asserit se novas ac peculiares rationes habere, casu quo illæ rationes ad examen non veniant; si tamen, post debitum examen, ab omnibus, qui illas examinarint, rejiciantur ut falsæ, & multò magis si rejiciantur ut frivolæ, singularis illa auctoritas non reddit assertum suum certò extrinsecè probabile, ut fusè ostensum est *in tract. de Consc. prob. quæst. 6. per totam, maximè num. 57. & seq.* Jam ergo Vasquez benè dixit, talem opinionem non sibi videri probabilem, ad effectum illam sequendi contra propriam & communem omnium Doctorum sententiam, quia talis opinio non est certò probabilis, ut patet. Quo non obstante, talis opinio manere potest probabiliter probabilis, quamdiu scilicet rationes singularis Doctoris non sunt rejectæ ut frivolæ. Itaque ita manet probabilis, ut facilè censurari non debeat; hoc enim proprium est opinionis probabiliter probabilis, ut patet, quia solùm certò improbabilia à moderatioribus hominibus censurantur.

Hoc loco solū distinguit inter probabilitatem certam & probabilem.

19 Itaque certum est, Vasquem non distinguere inter practicam conscientiæ & speculativam scientiarum probabilitatem; distinguit verò inter certam & probabilem probabilitatem. Illam sufficere, hanc ad conscientiæ securitatem non sufficere, saltem virtualiter tradit, in quo per omnia nobiscum sentit. Et sanè distinctio probabilitatis, qua Vasquez hìc uti videtur, æquè procedit in speculativis ac in doctrinis practicis, siquidem nemo certò prudenter ac probabiliter docere potest ac tenere sententiam speculativam unius Doctoris, cujus rationes ipse non probat, quamque omnes omnino, & ipse etiam, in mente sua falsam reputant. Ecce Vasquez nil dicit de probabilitate practica, quod probabilitati speculativæ per omnia non congruat, ac proinde frustra conatus est Celladeus tenebras offundere, ac persuadere aliam longè ex mente Vasquis esse probabilitatem, quæ pro formanda conscientia requiritur, quàm sit probabilitas speculativa, quæ ad docendum & opinandum, non ad operandum dirigitur; cùm certum sit, Vasquem docere, eam probabilitatem pro dirigenda conscientia, & ad tutò operandum, etiam contra propriam opinionem, sufficere, quæ ad rem ullam absque nota docendam sufficit. Rursus locus, quem ex Vasquez Celladeus affert, ipsius intento non favet, tum quia Vasquez, ut ex contextu patet, expressè supponit, unumquemque licitè sectari posse opinionem trium vel quatuor virorum gravium, quamvis rationes illorum ipsi non placeant, & ipse cum aliis omnibus contrariam sententiam teneat. Hoc autem & assertis Celladei & toti ejus intento, quod ex Vasquez probandum assumpserat, repugnat; quia nil in hoc casu inveniet, quo practica probabilitas speculativam superet. Ergo frustra & contra apertam veritatem contendit, quòd Vasquez ingens illud discrimen, quod ipse imaginatur, agnoverit. Certum proinde est, Vasquem in nullo favere Celladeo, sed in omni apice benignæ sententiæ inhærere, quam in propriis terminis tradit esse verissimam.

Vasquez convincitur Celladeo repugnare in hoc ipso loco, quem citat.

SOLVITUR OBJECTIO II.

Et modus certò sciendi probabilia fusius explicatur.

20. OBJICIT secundò. Communis praxis formandi conscientiam eorum, qui probabilia sectantur, resolvitur in hunc syllogismum, vel illi æquivalentem: *Licet usu cujuslibet opinionis probabilis: Sed omnes opiniones non notatæ librorum sunt probabiles: Ergo licet usu illarum omnium: sed hæc opinio est in libro, vel Summa, & non est notata & censurata ab aliis; sed Auctorem, vel Auctores habet. Ergo licèt hìc & nunc illius usu, & illa utendo non peccabo.* Ita syllogizant, qui probabilia sectantur, & sic discurrunt: Major est communis omnium sententia. Ergò prudentissimè admittitur ut vera: Minor videtur eorundem auctoritate niti. Consequentia legitimè deducitur, quæ proinde in omnium illorum auctoritate fundatur. Ergo prudenter admittitur ut vera. At conscientia per illam formatur. Ergo qui sequitur probabilia prudenter format conscientiam permittentem, & consequenter non peccat, si juxta illam operetur. Verùm qui sic discurrit, manifestè errat, quia minor illa non est Auctorum, qui docent probabilia esse licita; illi enim non solùm non docent illam propositionem esse veram, sed è contrario expresè contendunt, & apertè evincunt, illam esse falsam, si sermo sit de probabili conscientiæ, quamvis illa minor vera sit de alio genere probabilitatis. Ergo minor illa non nititur communi gravissimorum omnium auctoritate. Idem judicium est de consequentia, quæ semper sequitur debiliorem partem. Ergo conclusio ista caret omni ratione, & non fundatur in auctoritate tot & tam gravium Doctorum, ut sectantes probabilia turpissimè errando existimant. Ergo non prudenter, sed imprudentissimè formant conscientiam, ergo non excusantur. Idem argumentum valet, si pro minori prioris syllogismi ponas hanc propositionem, *sed hæc opinio est probabilis:* nam peto unde scias hanc propositionem esse probabilem? si dicas, quia est in libro, vel Auctores habet, relaberis in priorem paralogismum. Si dicas, Auctores illos dixisse eam esse probabilem, hoc rarò vel nunquam verum invenies, si de illis omnibus aut plerisque loquaris. Ubi enim omnes in particulari propositione probanda consenserunt? Quòd si in aliqua ejusmodi omnes fortè consentiant, id rarissimum erit. Quid autem dices de reliquis, in quibus omnes non consenserunt? Quid de opinionibus innumeris post mortem illorum exortis? ánne illi omnium etiam futurorum opiniones approbarunt?

Errat Celladeus in formando syllogismo, quo sectantes probabilia utuntur.

21. Nec dicas, te sequi opinionem, quam unus aliquis gravissimorum illorum Auctorum dicit esse probabilem & tutam; nam tunc tua minor & consequentia in sola illius, & non in communi omnium auctoritate stabit. Quia illi omnes apertè dixerunt, quemvis peculiarem Doctorem posse leviter & sine gravi fundamento opinari, non

Alius ejusdem error in eodem argumento proponendo.

non viso aliquo, quod maximè videndum erat. Ergo habita unius illorum auctoritate, non solùm non habes reliquorum auctoritatem, sed nec illius ipsius Doctoris reflexum & ultimum judicium pro te habes. Præterea licèt opinio, quam Auctor ille proponit ut tutam, probabilis esset, cùm ille scriberet, quis dixit, illam etiamnum manere probabilem? nónne tam ille, quàm alii omnes dixerunt, opiniones ex probabilibus sæpe fieri improbabiles? Unde ergo nosti, hanc peculiarem opinionem ex illarum numero non esse? Hoc certè nec ex illius, nec ex aliorum auctoritate habes, cùm illi omnes oppositum contingere posse supponant. Ergo illorum auctoritas non firmat minorem tuam. Ergo nec minor illa tua, nec consequentia ex illa deducta fundatur in auctoritate Molinæ, vel Suarii, aut alterius, cujus opinionem te sequi jactas; & multò minùs in auctoritate omnium, qui dixerunt usum probabilium esse licitum, ut arbitrabaris. Itaque qui hanc regulam sequuntur, imprudenter & inconsideratè operantur, cùm dictamen suæ conscientiæ in congruam Doctorum auctoritatem resolvere nequeant. Ita Celladeus.

Errores Celladei in hoc argumento contenti explicantur.

22. Respondeo, falsissimum esse, quod praxis formandi conscientiam eorum, qui probabilia juxta benignæ sententiæ præscriptum sequuntur, resolvatur in syllogismum à Celladeo propositum, quia minor illa ut jacet, falsissima est, nec ab Auctoribus benignæ sententiæ asseritur, sed unanimiter ab omnibus rejicitur. Quod si hæc praxis tam communis sit, afferat Celladeus quatuor vel quinque Auctores, etiam minoris notæ, qui minorem illam absque limitationibus ullis, ut jacet, approbant, & ipsi credere incipiemus. Verùm ille non tot, & fortasse nec unum sic loquentem inveniet; ac propterea frustra laboravit in improbanda minori, quam nemo tenet. Præterea in prima illa objectionis parte duos errores incurrit. Primus est, quod in sensu aliquo proprio admittat minorem illam propositionem esse probabilem, quæ tamen nulla idonea auctoritate vel ratione confirmari potest, per quam evadat probabilis; omnes enim unanimiter eam rejiciunt ut falsam & intolerabilem, si in sua universalitate sumatur. Secundus error est, quod insinuet, Auctores benignæ sententiæ agnoscere illam propositionem in aliquo sensu esse probabilem, quamvis non sit probabilis probabilitate conscientiæ. Verùm nullus eorum ullibi dixit, aut insinuavit, propositionem illam in sua universalitate ullo modo esse probabilem, & Celladei est, ut dicti sui fidem faciat, aliquem saltem imo plurimos afferendo, qui hoc dicant. Præterea nemo illorum unquam distinxit inter probabile & probabile ex parte probabilitatis, sed omnes unam, eandemque pro omnibus probabilibus definitionem tradidêre, quod certè non fecissent, nec facere potuissent, si existimassent, probabile esse æquivocum. Dixerunt illi, probabile esse quod nititur motivo, obscuro quidem & fallibili, magno tamen & gravi, quod mereatur assensum.

Auctores non judicarunt probabile esse terminum æquivocum.

Hoc autem æquè locum habet in practicis ac in speculativis; unde quidquid tali motivo nititur, illud est probabile; quidquid nullo aut minore solum motivo firmatur, non est probabile. Itaque probabilia ex mente Auctorum, qui de probabilitate scripserunt, non differunt ex parte probabilitatis, sed solùm ex parte materiæ; quæ enim enunciant de licito, & non licito, ea sunt practicè probabilia, & pro formanda conscientia deserviunt, quæ autem de aliis enuntiant, speculativam probabilitatem habent. Hæc certa sunt, & repeti debuerunt, ut semina æquivocationum, quæ Celladeus sub hac distinctione à se conficta, & aliis absque fundamento attributa, jecit, eruantur, antequam radices in mente legentium agant.

Facilè scitur quæ opinio ut probabilis ex mente Auctorum.

23. Secunda pars objectionis non solùm tangit aliquorum praxim, quàm Celladeus, si quæ talis sit, meritò & validè impugnat, sed etiam ipsam benignam sententiam ejusque pro praxi utilitatem impetit, quia nos in terminis utimur illa minori, *Sed hæc sententia probabilis est*, & ex illa inferimus hanc pro formanda conscientia conclusionem, *Ergo usus hujus sententiæ est licitum.* Quocirca huic objectioni exactè respondendum esset, nisi responsio evidenter pateret ex dictis in assertionum probationibus; nos enim nunquam subsumimus minorem illam, nisi certum sit & evidens, illam esse veram. Probabilitas enim opinionis debet esse certa, ut eam tutò sequamur in praxi. Scimus autem opinionem illam esse probabilem ex mente Auctorum illorum, quia scimus illam habere omnia, quæ Auctores illi ad probabilitatem requirunt, idque facillimè scitur in casibus innumeris, uti dictum est. Et quidem si sermo sit de auctoritate, quam Auctores illi docent esse sufficientem, ut opinio sit & habeatur extrinsecè probabilis, res est clarissima, ut ex dictis in probatione assertionum constat. Porro maxima hominum pars per illam solam dirigitur, quia nequit discernere vim & energiam rationum, in quibus probabilitas intrinseca consistit. Ergo maxima hominum pars per illorum sententiam facillimè dirigitur? si autem loquamur de probabilitate intrinseca, cujus discernendæ soli Docti sunt capaces, illa etiam facilè scitur, si aut rationes inspiciantur, aut consensus eorum, qui rem à fundamentis examinarunt, ante oculos habeatur. Si enim unanimiter agnoscant opinionem aliquam esse probabilem, quamvis multi illorum illam esse veram negent, illa indubiè erit probabilis, & pro certò probabili haberi debet, ut constat ex dictis *in tract. de Consc. prob. quæst. 5. num. 29. & seq. & quæst. 6. per totam.* Similiter eadem probabilitas facilè & certò à doctis scitur, quoties vident omnia in definitione probabilitatis posita illi convenire, quod in casibus innumeris facilè fieri potest, ut patet ex locis citatis, & quisque doctus, si habeat præ oculis illam definitionem, facilè videt.

Opinio potest esse certò probabilis, ex mente Auctorũ, quamvis illi de ea nunquã tractaverint.

24. Quod si sermo sit de peculiaribus opinionibus in aliqua materia determinata. v. g. Horarum Canonicarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, Contractuum, &c. plurimæ sunt opiniones, in quibus omnes, qui de illa re tractarunt, inter se conveniunt; innumeræ, quas omnes expresè dicunt, aut evidenter supponunt esse probabiles; illæ autem expresè censentur probabiles ab iis, qui de probabilibus egerunt, etsi de materia illa peculiari non scripserint, quia evidens est, omnes ejusmodi opiniones in definitione, quam de probabilibus tradunt, comprehendi. Idem valet de aliis opinionibus non ita communibus; si enim illæ tradantur à quatuor vel quinque Auctoribus præstantibus, qui materiam illam diligenter examinarunt, & probabilitas assertionis illorum ab aliis non revocetur in dubium, haud dubiè opiniones illæ & sunt & habentur probabiles ab omnibus, qui de licito opinionum probabilium usu diligentem disputationem instituerunt. Errat ergo & evidenter errat Celladeus, dum


dum putat particularem propositionem non posse esse certò probabilem ex mente omnium Auctorum benignæ sententiæ, nisi illi omnes in tali determinata propositione probanda signatè consenserint. Manifestè enim sufficit, si opinio illa habeat illa, quæ illi ad probabilitatem requirunt; quæ certè reperiri possunt in opinione, quam non omnes, imo nemo illorum in propriis terminis examinavit. Præterea eadem æquè conveniunt futuris ac præsentibus opinionibus, ut patet, alioquin generales Theologorum regulæ, de metu cadente in constantem virum, aliisque ejusmodi rebus dignoscendis, ad nihil deservirent, cùm nihil ex illis scire possemus, si Celladei observatio locum haberet, quia rarò aut nunquam evenit, ut factum particulare, de quo hîc & nunc quæritur, ab ullo illorum, nedum ab omnibus examinatum fuerit. At, hoc non obstante, sæpè evidens est, casum præsentem sub dictis illorum comprehendi, eò quòd quidquid illi ad metum talem requirunt, in tali casu reperiatur. Eadem autem ratio est de probabilitate, ut patet. Quæ cùm adeo manifesta sint, mirum est, Celladeum ea non solùm non vidisse, sed omnia contraria opinatum fuisse, atque, quod plus est, suam hanc imaginationem *in prologo quæstionis 10. libri 1.* manifestam veritatem appellasse, cùm sit error manifestissimus, & falsitas illius palam demonstrata sit. Adeo in illum ipsum cadit, quod advertit aliquando in aliis contingere, ut ea non viderit, quæ maximè videnda erant, quæque ab omnibus mediocri doctrinâ instructis vix possunt non videri.

Mira Celladei deceptio.

Ostenditur qua ratione certificari possimus de probabilitate opinionum.

25. Idem dico de eo, qui sequitur opinionem, quam in aliquo gravissimo Auctore invenit; minor enim, quam subsumimus, non in sola illius auctoritate fundatur (& licèt directè loquendo in illa sola fundaretur, sæpissimè tamen illa sola juxta unanimem omnium sensum, qui reflexè rem considerant, ad certam & indubitatam probabilitatem sufficeret) sed etiam in auctoritate aliorum, quos citat; qui si sint tres vel quatuor, & rem à fundamentis examinarunt, illorumque opinio ab aliis ut improbabilis non rejiciatur, eo ipso certi sumus, illam opinionem esse probabilem, non solùm ob auctoritatem illorum paucorum, qui directè illam defendunt ut veram, sed reflexè ob auctoritatem omnium, qui asserunt talem opinionem esse probabilem, & consequenter è numero earum, quarum usum docent esse licitum. Nec obstat, Doctores illos dixisse, non solùm unum, sed sæpè plures Doctores turmatim & leviter subscribere alicui sententiæ, atque sententiam olim probabilem evadere posse improbabilem, nam simul docent quando primum præsumi, & quomodò secundum sciri possit. Primum nunquam evenit, quando graves Doctores rem seriò & ex professo examinant, illamque post debitam diligentiam veram habent; quando autem rem non ex professo, sed tantùm leviter tractant, audiendi non sunt, si quando contra communem eorum, qui rem à fundamentis examinarunt, opinionem sentiant, nisi validissimas, & ab aliis non ponderatas rationes afferant; in rebus verò ab aliis non tractatis, eorum consensus semper præsumitur probabilis, & talis est, quamdiu nil affertur in contrarium. Quod si alii postea repugnent, & ostendant eorum rationes, novis solutionibus adhibitis, non concludere, aut eos ex ignorantia alicujus Decreti, vel alterius principii fuisse deceptos, tum statim prior probabilitas, ejusque præsumptio cessat, quia jam aliquid affertur in contrarium, quod antea post diligentiam debitam latebat. His aliisque similibus viis scire possumus, an & quando opinio suam probabilitatem perdat. Hoc stabilito, Celladei illatio est prorsùs nulla, quia minor, quam subsumimus, semper est evidens, illiusque evidentia sæpe directè scitur ex eorundem auctoritate, qui docent usum probabilium esse licitum. Sed sive directè ex illorum auctoritate, sive indirectè, ex discursu comparante opinionem cum requisitis quæ illi ad essentiam probabilitatis postulant, veritas minoris certò innotescat, parùm refert, quia semper conclusio eâdem quâ major probabilitate gaudet. Illa autem est probabilissima. Ergo qui hanc regulam sequuntur, consideratissimè ac prudentissimè operantur; quia conscientiæ suæ dictamen in communem omnium peritorum sententiam resolvunt. Quod si quis cupiat exactiùs & magis in particulari scire, quænam opiniones sint & sciri possint esse certò probabiles, legat *quæst. 5. & 6. de Consc. prob.* In illis enim exactam totius hujus rei declarationem inveniet.

Nullitas illationis Celladei.



QUÆSTIO DECIMA-SEPTIMA.

Vtrùm necesse sit homines rectè judicare posse de probabilitate, ut sectando probabilia non peccent? Quiq; de probabilitate rectè judicare possint?

Intentum Celladei in hac quæstione.

1. ELLADEUS postquam *lib. 1. quæst. 9.* ostendere conatus est, conscientiam sequentium opiniones probabiles non fundari in eorum auctoritate, qui docent probabilia esse licita, sed solùm in propria sua, vel consultoris sui opinione, hoc non contentus eandem materiam *totâ quæst. 10.* mirabiliter versat, contenditque neminem, directæ moralis scientiæ ignarum, generali illâ doctrinâ de licito probabilium usu, ad praxim juvari posse, eò quòd soli talis scientiæ periti de probabilitate rectè judicare possint, quod tamen ad licitum probabilium usum ex mente Auctorum, usum probabilium approbantium, prorsùs requiri contendit. Porro in hac quæstione mirum est, quàm contemptim de Casuistis, ac Summarum compilatoribus loquatur. Vocat eos historicos, meros reflexistas, omnisque scientiæ moralis prorsùs ignaros. Verùm ut ingenuè fatear, Celladeus æquè infeliciter in hac, ac in superiori quæstione discurrit; nam ex mira rerum confusione ac indistinctione plura apertissimè falsa depromit, & pro indubitatis apertissimisque veritatibus divendit; quæ tamen omnia, si debitâ ac familiari distinctione in suas classes distinguantur, sponte in auras avolant; uti, Deo favente, in hac ipsa quæstione constabit. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Nemo excusatur ex vi benignæ sententiæ, qui de probabilitate rectè judicare nequit.

Nemo in probabilium usu excusatur ex vi benignæ sententiæ, qui signatè vel exercitè non possit rectè judicare, imo qui non rectè judicat de probabilitate opinionis, quam sequitur.

2. PROBATUR. Benigna sententia solùm asserit, eos esse tutos in conscientia, qui sequuntur opinionem ipsis certò probabilem. Ergo nemo per benignam sententiam excusatur, nisi qui certò scit opinionem, quam sequitur, esse probabilem. Atqui hoc certò scit, vel exercitè vel signatè rectè judicat de probabilitate, alioquin non posset certò scire illam adesse. Ergo ex præscripto & mente Auctorum benignæ sententiæ, usus probabilium illis solùm licet, qui de probabilitate rectè judicant. Præterea Auctores illius sententiæ expressè dicunt, non omnem opinionem, sed solùm opinionem probabilem, id est, opinionem, non levi & superficiali, sed gravi & solido argumento nixam, ad conscientiam debitè formandam sufficere. Ergo ut quis ex illius præscripto rectè operetur, necessariò debet tale fundamentum habere. At qui prorsùs nescit rectè judicare de probabilitate, seu de talibus fundamentis, non potest scire, an tale fundamentum adsit, nec ne. Ergo qui prorsùs nescit rectè judicare de probabilitate, non potest esse tutus ex vi benignæ sententiæ, & Auctorum, qui illam unanimi consensu tradunt. Hæc vera sunt, ut jacent; sed nisi debitè ac distinctè intelligantur, apta sunt ad confusiones & æquivocationes causandas, prout in Celladeo causarunt, uti mox apparebit. Sit ergo.

ASSERTIO II.

Omnes rectè judicare possunt de probabilitate extrinseca.

Nemo rationis compos est tam simplex, qui tam exercitè quàm signatè sæpe non possit de probabilitate extrinsecâ rectè judicare, atque probabilia ab improbabilibus discernere.

3. PROBATUR. Fœminæ ignorantissimæ, sed & pueri, vix usum rationis adepti, evidenter sciunt, quæ sit, quæ non sit auctoritas sufficiens ad prudenter judicandum. Audiat fœmina vel puer aliquem, qui vulgò Idiota reputatur, dicentem aliquid licere, de quo ipsi dubitant an liceat nec ne. Uterque optimè videt, auctoritatem illius Idiotæ non sufficere, ut in verbo illius tutâ conscientiâ facere possint quod Idiota ille proponit ut licitum. At si fœminæ & pueri à Parocho, aut ab alio publico Confessario, qui vulgò probi & periti habentur, petant an ipsis tale quid liceat, si ille affirmet, ipsi statim quiescit, & exercitè vident se prudenter illi fidem dare. Ergò exercitè discernunt motivum grave & probabile à levi & improbabili. Ergo nemo mentis compos tam rudis est, qui ista discernere, atque de istis rectè judicare non possit.

Nec exercitè solùm dictis illius prudenter credunt, sed reflexè etiam clarè sciunt, se illis rationabiliter fidem dare, atque ideo reflexè sciunt, se tutos esse in conscientia, si ea in praxim reducant, quæ Pastor ejusmodi in rebus dubiis proponit ut licita.

Quid agendum, quando rudes de sui Pastoris sufficientia dubitant?

4. Quod si fœmina, de sufficientia sui Pastoris dubia, non audeat dictis illius stare, petere potest à tribus aut quatuor Theologis peritissimis, quibus Pastoris sufficientia bene perspecta est, an sibi liceat in dubiis, sui Pastoris dictis stare; si illi respondeant affirmativè, illa absque dubio in posterum licitè dictis ejus inhæret, & optimè novit, se habere motivum sufficiens ad creden-

credendum, id sibi licere, quod Pastor dicit. Verùm in eo casu fundat dictamen suæ conscientiæ, non in Pastoris auctoritate, sed illorum Theologorum, quos hac de re consuluit. Sic enim discurrit: *Licitum mihi est facere quod Theologi illi dixerunt mihi esse permissum. Illi dixerunt, licitum mihi esse me conformare resolutioni Pastoris. Ergo hoc particulare mihi licitum est.* In hoc syllogismo auctoritas Pastoris non ingreditur motivum, ex quo consequentia elicitur. Nam minor subsumpta est experimentaliter evidens, cùm solùm affirmet Pastorem hoc dicere, quod per experientiam innotescit. Ergo conclusio in sola illorum Theologorum auctoritate fundatur. Hanc viam reflexam omnes norunt, & ex illa, quando adest, suam conscientiam facilè formant. Cæterùm fieri etiam poterit, ut ex Theologorum illorum consilio fœmina credat, suum Pastorem verum dicere, eò quòd ipsi dixerint, hoc illi præsumendum esse. Verùm in hoc etiam casu motivum credendi Pastori, non in istius, sed in auctoritatem illorum Theologorum resolvitur, quia quamvis credat Pastorem habere sufficientem doctrinam, & ideo illi credat, nihilominus ideo credit, Pastorem talem sufficientiam habere, quia Theologi id affirmarunt. Ergo judicium conscientiæ, quod fœmina tunc format, in Theologorum illorum auctoritatem resolvitur.

Rudes non semper stant judicio illius, quem consulunt.

5. Porro, quò major est auctoritas, quâ hac ratione dirigimur, eò certius dictamen conscientiæ formatur. Unde si Pontifex ipse, à fœminâ consultus, responderet, illam in dubiis stare posse determinationi Episcopi sui, vel Parochi, utique fœmina rudis in eo casu absque ullo dubio staret dicto sui Parochi, idque non propter ipsius, sed propter Pontificis auctoritatem, in quam solam ipsius dictamen resolveretur, tamquam in principium fundamentale unicum, in quo fides illius sisteretur. Et sanè nec impossibile est, nec mirum foret, si Pontifex talem declarationem ederet. Siquidem Leo X. ut refert Casarubius verbo *declarare*, concessit Fratribus Minoribus, qui scrupulis vexantur, *ut possint in omnibus dubiis, secura conscientia, stare determinationi suorum superiorum.* Unde certum est, hanc viam reflexam formandi conscientiam, atque discernendi motivum prudens grave ac probabile, non minùs communem, quàm utilem esse hominibus, maximè rudibus, utpote qui aliâ ratione gubernari non possunt, ut patet.

ASSERTIO III.

Mediocriter periti rectè judicare possūt de probabilitate extrinseca.

Ex mente Auctorum benignæ sententiæ, homines litteraturâ competente instructi rectè judicare possunt de probabilitate extrinseca, etsi adeò profundæ doctrinæ non sint, ut de intrinseca probabilitate rectum judicium formare queant.

6. PROBATUR. Auctores benignæ sententiæ in hoc conveniunt, quod sicut probabilitas intrinseca consistit in ratione gravi, ita probabilitas extrinseca in auctoritate gravi fundetur. Rursus illam rationem, illamque auctoritatem appellant gravem, quæ ad assensum à prudente non leviter judicante impetrandum sufficit, ut fusè ostensum est *in tract. de Consc. prob. quæst. 2. 5. & 6.*. Porro præter hæc generalia, peculiares notas tradiderunt, unde scire possimus, quæ sit auctoritas talis. Inprimis dicunt, unanimem

Notæ ad dignoscendū probabile ab extrinseca.

omnium Auctorum consensum esse gravem, & sufficere ad judicium probabile. Idem expressè dicunt de omni sententia communi, quam multi Auctores gravissimi, qui rem à fundamentis examinarunt, amplectuntur, licèt alii oppositum tueantur. Tertiò, idem asserunt de auctoritate quatuor aut quinque gravium Doctorum, qui contra communem sententiam opinantur, modò rem diligenter à fundamentis examinarint, eorumque sententia non rejiciatur ut improbabilis. Quartò, eò descendunt, ut doceant, an, quando & quamdiu unius singularis Doctoris sententia præsumi debeat probabilis, & expressa signa, quibus id sciri possit, exponunt. Quintò, similia tradunt de opinione nova in materia antea non tractata. Sextò regulas tradunt, unde scire possimus, an opinio olim extrinsecè probabilis evaserit extrinsecè improbabilis, & è contra. Demum alia quamplurima exponunt, per quæ scire possumus, an, & quamdiu opinio sit extrinsecè probabilis, non tam per regulas & indicia ad id dignoscendum à dictis Auctoribus proposita, quàm per ipsam opinionis probabilis definitionem, quam tradunt; sæpe enim evidens est, ipsam definitionem tali opinioni convenire, ut in innumeris casibus est obvium; scilicet quoties evidens est auctoritatem hanc hîc & nunc fundare judicium prudens, hoc enim est illud esse extrinsecè probabile, ut patet. Qui de hac re plura videre cupit, & exactè scire quænam opinio sit intrinsecè quoad se, quænam extrinsecè & quoad nos probabilis, ea fusè declarata habet in *tribus qq. citatis ex tract. de Consc. prob.* ubi ea & alia complura ad hæc spectantia reperiet. His positis,

7. Probatur assertio. Qui mediocriter Theologiæ periti sunt, optimè capiunt, quid ad probabilitatem extrinsecam Auctores benignæ sententiæ exigant. Regulas & indicia, quibus illam declarant, clarissimè percipiunt. Unde studio atque lecturâ sine magna difficultate certò discere possunt, quænam opinio juxta mentem illorum fuerit, sit, atque erit probabilis. Qua in re, licèt non adjuventur ab auctoritate illorum ad sciendum, quòd hæc opinio particularis habeat hæc requisita (hoc enim ex propria industria evidenter sciunt) ab illorum tamen auctoritate inferunt, & sciunt, talem opinionem juxta ipsorum mentem esse probabilem, quia habet requisita, quæ illi ad probabilitatem sufficere declararunt. Unde iterum ex eorundem auctoritate rectè inferunt, usum talium opinionum esse licitum, quia illi unanimiter tradiderunt, opiniones omnes, sive intrinsecè quoad se, sive extrinsecè quoad nos certò probabiles, licitè posse in praxim deduci. Nec mirum, quia probabilitas intrinseca & extrinseca sunt ita connexæ, ut una arguat aliam. Sic quoties certò scimus, aliquam opinionem esse extrinsecè probabilem, eo ipso rationabiliter præsumimus illam esse intrinsecè probabilem, quia præsumimus Auctores illius, utpote probos & peritos, non absque gravi fundamento eam asseruisse. Similiter quoties videmus aliquem gravibus rationibus suam assertionem stabilivisse, statim formamus judicium de sufficientiâ gravique auctoritate talis viri. Itaque una ex istis probabilitatibus infert aliam. Qualis autem & quanta sit hæc connexio, latè exposui *in tract. de Consc. prob.* ubi ostendi probabilitatem intrinsecam solùm probabiliter inferri à probabilitate extrinsecâ, quia fieri potest, ut Auctor dicat se rem à fundamento considerasse, gravissimasque rationes invenisse, licèt neutrum præstiterit.

Quomodo mediocriter periti sciant quid ex mēte auctorum sit probabile.

stiterit. Nihilominus contrarium prudenter præsumitur. Porro in tali casu Auctores benignæ sententiæ expresè tradunt, omnibus licitum esse sequi opinionem extrinsecè certò probabilem. Atqui homines, competente doctrina instructi, ad indubitatam hujus probabilitatis extrinsecæ existentiam, & dictam intrinsecæ probabilitatis præsumptionem absque magna difficultate pervenire, atque ita de probabilitate extrinseca intrinsecæque probabilitatis præsumptione rectè judicare possunt; etsi multi illorum de rationibus ac motivis singularum opinionum rectum judicium formare nequeant.

Celladeus immeritò carpit casuũ collectores.

8. Quæ cùm ita sint, Celladeus immeritò reprehendit eos, qui cum Theologiam profundè non norint, hâc viâ reflexâ ad se & alios dirigendos utuntur. Immeritò, inquam, quia tales homines sufficienter instructi sunt, ut ea solùm pro conscientiæ suæ ac alienæ directione adhibeant, quæ à communi omnium Theologorum consensu dicuntur esse licita, si fiant in iis circumstantiis, in quibus illi, & alii ab ipsis directi operantur. At nemo ita operans meritò reprehendi potest. Hoc adeo verum est, ut Celladeus hoc loco idipsum supponat, & in tantùm illud rejiciat, in quantum putat tales homines de probabilitate rectè judicare non posse. Sed in hoc apertè deceptus est, quia inter probabilitatem extrinsecam & intrinsecam non distinxit. Unde, ex terminorum confusione & indistinctione deceptus, dixit tales homines de probabilitate rectè judicare non posse, quia rationum momenta perpendere, atque inter ea discernere nequeunt.

Celladei consilium mundo noxium esset, si adhiberetur.

9. Cæterùm, væ mundo, si ea in praxim reducerentur, quæ Celladeus, istiusmodi hominibus infensus, ut necessaria pro animarum salute proponit. Inprimis omnes tales à consultando, atque à conscientiis dirigendis omnino arcendos, solosque sapientes Theologos ad conscientiæ consultationem admittendos esse omni nisu contendit. Verùm misera prorsùs esset hominum conditio, si hoc admitteretur. Nemo est, qui pro conscientia sua dirigenda consultore non egeat. Rustici ipsi, ac quivis Idiotæ peccatorum Confessione, Sacramentorum administratione, atque dubiorum suorum solutione indigent. At illis prospici non posset, si Celladei documenta sequeremur. Ubi enim inveniri poterunt tot prudentes & absoluti Theologi, quot ad omnes homines totius Ecclesiæ instruendos, eorumque conscientias dirigendas sunt necessarii? Quis non videt tales Theologos ad decimam mundi partem dirigendam non suffi ere? Quid ergo fiet de reliquis? Illi, si Celladei consilia sequi velimus, omni ope destituti, sine Pastore ac Directore vagari debent, atque in continuo damnationis periculo vivere, atque ad tutiora in omnibus tenenda obligari.

Celladei opinio & cõsilium praxi Ecclesiæ cõtrariantur.

10. Sed quid? nónne praxis totius Ecclesiæ hanc animas gubernandi formam, ab unico Celladeo nuper excogitatam, condemnat? Certè tam Episcopi, dum Pastores creant & Confessarios approbant, quàm Religiosi, dum suos subditos Confessionibus audiendis exponunt, eos talibus muneribus aptos censent, qui tanta doctrinæ excellentia præditi non sunt, ut de rebus moralibus directè sumptis, atque de rationum moralium pondere rectum judicium formare possint. Hi tamen ex officio suo, ex mente Ecclesiæ, & ex omnium rectè judicantium consensu conscientias dirigere, atque occurrentia miserorum dubia solvere debent. Jam verò is ex omnium praxi atque consensu ad hoc idoneus judicatur, qui juxta dicta de extrinseca opinionum probabilitate rectum judicium formare novit. Nec mirum, quia ille idem prorsùs respondebit, quod doctissimi quique, si consulerentur, responderent. Et sanè id ex praxi certissimè innotescit; prudentissimi enim Theologi nunquam aliquid corrigendum inveniunt in Confessione eorum, qui, à minùs peritis directi, eas tantùm opiniones sequuti sunt, quas directores ipsorum, juxta Auctorum benignæ sententiæ mentem, repererunt esse certò probabiles extrinsecè; quia nil nisi rationabile in tali directione intervenit. Quòd si minùs periti casum ex opinionibus certò probabilibus resolvere non possint, tunc ipsorum est doctiores adire, & ab illis, quid facto opus sit, investigare, atque juxta doctiorum præscriptum se & alios gubernare. Hac ratione conscientiæ benè & rationabiliter regulantur, quæ certè ex Celladei præscripto absque remedio, sine consultore ac directore cum evidenti damnationis periculo vagari deberent.

Repugnat item S. Fũdatori nostro, ejusque Cõstitutionibus.

11. Itaque universim suadendum est, ut minùs periti discant quid Caietanus, quid Suarez, aliique de rebus moralibus senserunt, illorumque atque aliorum in opinionibus consensum perspectum habeant, atque per hanc diligentiam sese aptos conscientiarum magistros reddant. Celladeus hoc improbat, eosque historicos, meros reflexistas, omnis doctrinæ moralis imperitos vocat. Verùm aliter sentit Ecclesia, quæ publicos moralis Theologiæ magistros eo fine ubique proponit, ut illi discipulis suis casuum compendia, probabilesque Auctorum opiniones explicent, & ne memoriâ excidant, prout opportunum fuerit, dictent, ut illi postea juxta illas doctrinas & se & alios dirigant. Aliter sentit S. P. Ignatius Soc. JESU Fundator, qui in 4. *parte Constitut. cap. 8. litt. D.* ubi agit de Scholasticis instruendis in iis, quæ ad proximos juvandos pertinent, omnibus præscribit tamquam conveniens, ut casuum conscientiæ, maximè rerum difficiliorum compendium aliquod sibi comparent, atque hoc utile existimat, ut, sine damno suo, & cum aliorum utilitate Confessariorum munus exerceant. Hoc ipsum Societas nostra instar regulæ omnibus suis Sacerdotibus proponit. Et tamen certum est, nec Ecclesiam, nec S. Ignatium, nec Societatem nostram existimare omnes, quos sic instrui, & ita instructos proximorum saluti cooperari volunt, eam doctrinæ præstantiam habere, quæ ad omnium quæstionum moralium fundamenta ritè dijudicanda requiritur. Absurdum proinde est, publicoque Ecclesiæ bono maximè nocivum, quod Celladeus pro opportuno & maximè necessario consilio proponit. Verùm ille proprias opiniones non in solido fundamento, sed in terminorum confusione & æquivocatione fundatas proponit. Has non sequimur, sed communi Ecclesiæ praxi, Sanctorum Doctrinis, atque Religionum Constitutionibus maturè discussis debiteque approbatis inhæremus.

ASSER-

ASSERTIO IV.

Propositum sit declarare, quinam fideles, & quodmodo per benigna sententia præscripta gubernentur?

Quinam & quomodo de probabilitate judicare possint? DECLARATUR assertio. Tres sunt fidelium classes. Prima partem longè maximam complectitur, nempè eos omnes, qui discernere nequeunt rationes, aut Auctores graves à levibus, bonos à malis, eò quòd sufficienti ad hoc ingenio vel doctrinâ non polleant. Nihilominus isti sæpe norunt, quinam hîc & nunc communi probitatis ac doctrinæ famâ emineant, & consequenter optimè norunt eorum auctoritatem gravem esse, & prorsùs dignam, cui assensum in dubiis præbeant. Secunda classis est eorum, qui ingenio ac doctrina adeo eminent, ut non solùm præstantiam unius Auctoris præ alio, sed etiam singularum rationum momenta exactâ judicii trutinâ librare possint. Tertia classis est eorum, qui inter priores duas mediant, quique tantum doctrinæ assecuti sunt, ut propriâ industriâ ac labore scire possint, quis per transennam, quis ex professo materias morales examinavit? Quis cum his conveniat, quis ab illis discrepet? Iidem etiam facilè scire possunt, quæ sint propositiones ab Ecclesia censuratæ, quæ permissæ seu toleratæ, &c. Similiter iidem apti sunt, ut ex communi doctissimorum, quibuscum sæpe versantur, famâ discant, quinam ex scriptoribus pro gravissimis & securioribus, quinam pro audaculis & laxioribus habeantur? qui communiter probentur ut boni, qui rejiciantur ut cavendi? Jam plurimi ad hæc & similia ritè penetranda apti sunt, qui tamen rationes & fundamenta Auctorum inter se debitè comparare, atque singulorum vim & meritum discernere nequeunt.

His positis, dicendum est, omnes secundæ & tertiæ classis aptos esse, ut, se & alios juxta præscriptum benignæ sententiæ gubernent. Sed cum disparitate. Primi siquidem & intrinsecam & extrinsecam opinionum probabilitatem perfectè penetrare, atque adeo non solùm reflexam, sed etiam directam sui consilii, suæque directionis rationem dare possunt. Rursus iidem in peculiaribus casibus, quas Auctores non discusserunt, suam operam interponere, judiciumque formare, eoque tandem juxta benignæ sententiæ præscriptum se & alios gubernare possunt. Secundi verò solùm extrinsecam opinionum probabilitatem discernunt, nec aliam quàm reflexam de rectitudine sui consilii rationem exponunt. In rebus verò ab Auctoribus non agitatis hærent, neque ex proprio discursu quidquam definire audent, sed ad alios recurrunt, ut ab illis quid facto sit opus, discant. Hi ergo omnes ad se ac alios ex præscripto benignæ sententiæ tutò gubernandos apti sunt, quia omnes bene sciunt, se aliud non facere, aut ut licitum proponere, quàm quod communis, immò unanimis Doctorum consensus asserit esse honestum; atque ita non solùm exercitè, sed etiam signatè benignæ sententiæ clypeo se tutos esse norunt. At primæ classis homines, ex præscripto benignæ sententiæ, de qua pauci quidquam audierunt, solùm exercitè tuti sunt, quia id faciunt quod illa veraciter asserit esse licitum. Cæterùm qui rudibus istis consilium præbent, in auctoritate omnium benignæ sententiæ subscribentium se fundant. Sed rudes, qui illorum dictis fidem præbent, eorumque consilium sequuntur, immediatè nituntur illorum auctoritate, de cujus sufficientia evidentem præsumptionem habent; atque ita demum non nisi mediatè per sententiam benignam gubernantur. Hæc perspicua quidem sunt, debuerunt tamen fusiùs explicari, ut, variis terminorum significationibus ritè distinctis, æquivocationes, in quas Celladeus incidit, vitaremus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Et Casuistarum industria laudabilis ac utilis esse ostenditur.

Objectio 1. OBJICIT I. Nemo tutò potest se aut alios gubernare ex præscripto benignæ sententiæ, nisi qui ritè discernit opinionem, quam sequendam proponit, esse probabilem. At nulla opinio est probabilis, quæ gravi fundamento non innitatur. Ergo non licet proponere opinionem sequendam, quæ tale fundamentum non habeat. Ergo qui nescit, an opinio aliqua habeat fundamentum ejusmodi, pariter nescit, an opinio habeat quod Auctores benignæ sententiæ ad conscientiæ securitatem requirunt. Ergo qui talem opinionem proponit vel sequitur ut licitam, vel consulit, vel operatur nesciens an habeat quod ad conscientiæ securitatem requiritur juxta eos, quorum auctoritatem sequitur. At hoc modo operari vel consulere temerarium est, & evidenter illicitum. Ergo temerè & illicitè operantur, vel consulunt, qui inter opiniones, & opiniones, inter Auctores & Auctores, inter fundamenta & fundamenta aut non discernunt, aut discernere nequeunt. Tales sunt omnes puri Reflexistæ, qui se aptos conscientiarum magistros arbitrantur, si reflexam & historicam notitiam habeant, non quidem objecti disciplinæ moralis, sed opinionum, quid in hac quæstione Caietanus, quid, Suarez, aliique senserint; quâ historiâ memoriter habitâ, vel in quinternione scriptâ, putant se ad quodlibet resolvendum absolutissimè paratos. Verùm toto cœlo errant, quia per hoc nullam prorsùs boni aut mali, virtutum aut vitiorum scientiam habent, quia nil prorsùs de objecto scientiæ moralis sciunt. Non enim aliter versantur circa objectum scientiæ moralis, quàm quia est objectum sui objecti, seu opinionum, quas memorant, aut collectas habent. Atqui ipsa rei moralis natura indaganda & scienda est, ut de illa responderi possit, quia de illa quæritur. Hanc S. Thomas, Scotus, Suarez, Caietanus, & alii graves Doctores indagant. E contra verò prodierunt libri, in quibus nil de natura rerum moralium dicitur, sed solùm opinionum catena texitur. Hi sunt libri reflexi, historici, minimè Theologici, quos qui solùm aut principaliter sciret, esset ipsius moralis scientiæ prorsùs expers. Ergo omnis ejusmodi ineptus est, qui de probabilitate rectè judicet. Ergo nemo ejusmodi, nisi temerè, consulere aut agere potest juxta opinionem, quam sic collectam habet. Ita Celladeus *quæst. 10. §. 1. & 2.*

Summistæ an habeant notitiam de objecto morali.

Habent summistæ talem notitiam. Respondeo, difficultatem hanc in probatione assertionum jam esse solutam, quia collectores ejusmodi opinionum optimè discernunt probabilitatem extrinsecam, per quam utique validam valdeque rationabilem præsumptionem habent de intrinseca earundem probabilitate. At hoc ex benignæ sententiæ præscripto ad licitè operandum

dum & consulendum sufficit. Itaque qui opinionem aliquam auctoritate gravi, & ad extrinsecam probabilitatem sufficiente niti novit, utique scit opinionem illam habere, quod Auctores benignæ sententiæ ad conscientiæ securitatem sufficere docent, quamvis nesciat in particulari, quæ sint talis sententiæ fundamenta, nec sufficientem doctrinam habeat ad rectè de illis judicandum, si ipsi proponerentur. Hæc per se patent, si obvia probabilitatis intrinsecæ & extrinsecæ distinctio ante oculos habeatur. Itaque objectio ex perspicua æquivocatione procedit.

Æquivocationes Celladei deteguntur.

14. Eadem æquivocatione laborat quod dicit de Reflexistis, seu casuum collectoribus; nemo enim illorum est, qui de extrinseca probabilitate, & consequenter de intrinsecæ probabilitatis præsumptione rectè judicare non valeat. At hoc sufficit, ut per principia reflexa conscientia debitè formetur. Itaque immeritò reprobat Summistas sub ea generalitate, qua loquitur, cùm pro quàmplurimis sint utiles. Certè non omnes habent, aut habere possunt copiam optimorum Consiliariorum, ut supradictum est. Omnes autem consilio indigent. Ergo plures mediocribus contenti esse debent. Tales sunt probi Summistæ, seu casuum collectores, qui faciliùs & certiùs intelliguntur à plerisque, quàm qui multas ac subtiles rationes afferunt. Distinguat ergo Celladeus habentes à non habentibus copiam & discretionem optimorum Consiliariorum, videbitque intentum suum, de Summistis à conscientiarum directione generaliter removendis, & absurdum esse & reipublicæ nocivum, ut supra quoque indicatum est, quia majorem hominum partem omni consilio destitutos relinquet, quos tamen mediocribus consiliariis adjuvari expedit, quia præstantes nec habent, nec eos si adessent, ab aliis discernerent.

Summistæ fuerunt viri præstantis doctrinæ.

15. Præterea modus, quo de Summistis Celladeus loquitur, omnino displicet; si enim de solis quibusdam discipulis, ac rudioris litteraturæ viris loqueretur, admitti posset, eos esse *meros reflexistas, opinionum moralium historicos*, ac *viros minimè Theologos*. At cùm de Auctoribus, librisque Summistarum editis loquatur, absurdum planè est, & haud tolerandum, viros, reipublicæ Christianæ utiles, multaque litteraturâ insignes, adeo deprimi ac vilipendi, ut & illi & illorum libri pro puris historicis, solidâ ac verâ Theologiâ carentibus seriò proponantur. Plures ex Summistis, ut Angelus, Sylvester, Caietanus, Toletus, Navarrus, fuêre viri litteraturâ insignes, magnique Theologi, quorum resolutioni, cæteris paribus, non minùs quàm summorum Theologorum resolutioni standum est, saltem ab iis omnibus, qui rationes, quibus docti moventur, intelligere non valent. Quod autem ad alios attinet, proferat vel unum Celladeus, si possit, qui Theologus insignis non fuerit. Nec dicat se offensionis vitandæ causâ neminem nominare velle, nam neminem nominare potest, qui tantâ doctrinâ non excelluerit, ut non solùm Auctores ipsos, & probabilitatem extrinsecam, sed & fundamenta Doctorum ac probabilitatem intrinsecam rectè discernere potuerit. Nec solùm potuerunt id Summistæ, sed & id ipsum plerique fecerunt; fuerunt enim homines non minùs probi quàm periti, qui aut nunquam, aut raró valde in suas Summas congesserunt, quod non scirent esse intrinsecè certò probabile. Quod si aliquid minùs certum addiderint, statim advertes, eos minùs fidenter de eo, quàm de aliis esse loquutos. Neque enim absque delectu opiniones congerunt (sciunt enim suam in hoc conscientiam gravari) sed summa cum diligentia, labore, ac studio eas opiniones colligunt, quas norunt esse certò probabiles, ideoque illas proponunt ut licitas, quia communis omnino Theologorum consensus earum usum licitum esse agnoscit.

Celladeus de multis viris valde dignis inhonorificè loquitur.

16. Porrò quod dicit, historicos istos nullam prorsùs boni ac mali, virtutum ac vitiorum notitiam habere, & viris probis injuriosum, & à veritate est prorsùs alienum. Quamvis enim nosse, quòd Suarez & alii hanc teneant sententiam, non sit notitia objecti moralis, nihilominus hoc scire multùm juvat ad formandum judicium boni & mali, virtutis ac vitii. Quando idiota petit consilium à perito, an aliquid liceat, novit illum affirmare quod liceat. Hæc notitia purè speculativa est, & si velis, quodammodo purè historica, nec habet pro objecto rem moralem, virtutem vel vitium; nihilominus est saltem circumstantia, quæ ad conscientiam debitè formandam multum juvat, sic enim idiota discurrit, *Licet facere, quod Parochus à me consultus respondet licere. Sed Parochus à me consultus respondet hoc mihi licere. Ergo hoc mihi licet.* Consequentia hæc est notitia rei moralis, nempe actionis honestæ, quamvis minor propositio sit purè speculativa, & quædam rei gestæ historia. Ratio est, quia res illa est circumstantia, quæ aliquo modo respicit ipsum objectum, prout dat occasionem reflectendi supra honestatem illius, in quantum illa à gravi viro asseritur. Hinc est, quod objectum ipsum, prout ab hac circumstantia afficitur, evadat & reflexè cognoscatur esse honestum, quamvis ejus honestas directè considerata semper maneat incerta respectu idiotæ, eò quòd ille non habeat principium, ex quo directè aut certò concludat, objectum illud esse honestum vel inhonestum. Nec mirum, quia ipsa cognitio experimentalis, quod honestas alicujus objecti affirmetur à viro tantæ auctoritatis, cui meritò fidem damus, ex natura sua est minor principii synderesis reflexi, cum quo constituit syllogismum, cujus conclusio absolutè enunciat, objectum illud esse honestum. Idem valet de casuum Collectoribus, qui debitè colligendo quid Auctores gravissimi de rebus moralibus senserint, ex suo labore evidenter sciunt, opiniones tales esse probabiles. Non enim ideo præcisè Summas suas condunt, ut sciant, quid quisque senserit, sed ut sciant quid sit certò probabile. Nec in sola probabilitate sistunt, sed eâ utuntur tamquam circumstantiâ quadam afficiente rem, de cujus honestate quæstio procedit, atque de illa re talibus circumstantiis substante ex principiis synderesis reflexis pronunciant, illam esse licitam. Sciunt enim, quod communis ac unanimis Theologorum consensus statuat, usum opinionis probabilis esse licitum. Unde cùm ex illorum præscripto certò sciant, hanc opinionem esse probabilem, ex eorundem auctoritate inferunt ejus usum esse licitum. Itaque apertissimè errat Celladeus, dum dicit, Collectores casuum per operam atque scientiam suam nullam rerum moralium notitiam habere, quia certum est, eam cognitionem plurimum deservire ad indirectè seu reflexè concludendum de honestate objecti ac operationis, uti ostensum est. Quamvis enim præcisa notitia, quid Auctores dicant, non sit notitia de ipsis objectis moralibus, sed solùm reflexa cognitio de illorum scientia, nihilominus illa historica cognitio multum juvat ad moralitatem ac honestatem illorum objectorum reflexè inda-

Casuum collectores optimè discernunt quid sit honestum & inhonestum.

indagandum. Porro Summistæ in hoc à S. Thoma, Suario, aliisque differunt, quòd illi per principia directa, hi per principia reflexa rerum honestatem determinant.

Replica.

17. Dices. Tota scientia moralis, sive Philosophica sive Theologica, est directa, utpote quæ de bono & malo, de actibus humanis, de virtutibus ac vitiis tractat, eorumque omnium essentias ac naturas ex objecto indagat. Itaque sicut nullus est homo, qui non sit rationalis, ita nulla est scientia moralis, quæ non sit directa. Ergo frustra fugimus ad conclusiones & scientiam moralem reflexam, quæ non datur. Quæstio proponitur, an Chocolate frangat jejunium? Reflexista de hoc nil scit directè, nec curat nosse, an Chocolate sit cibus vel potus? & tamen ex hoc resolutio casûs dependet. Quid ergo facit? Prætermisso hujus rei examine, quærit quid Auctores dicant, & si illi dicant chocolate esse potum, & non frangere jejunium, contentus est. At reflexista ille per hoc non habet scientiam moralem, an Chocolate frangat jejunium. Ergo de hoc respondere non potest. Ergo ruit tota responsio. Ità Celladeus §. 2.

Argumentum retorquetur.

Respondeo primò per instantiam. Idiota ignarus an Chocolate sit cibus vel potus, quærat à perito, an frangat jejunium, Peritus respondeat, quod non frangat jejunium. In hoc casu peto an Idiota, formans suam conscientiam de licito usu Chocolate, non eliciat conclusionem de objecto & materia morali. Utique dices, quia enuntiat de licito, & de actu virtutis. At quomodo hoc fieri pòtest, cùm non habeat scientiam an Chocolate sit potus vel cibus, sed solùm credat perito dicenti, quod non frangat jejunium. Nónne quæstio illa determinanda est, quærendo an materia illa sit cibus vel potus? At Idiota hoc ignorat, hoc non determinat. Quomodo ergo scientiam seu conscientiam habet, quod usus Chocolate non frangat jejunium. Vides argumentum ab ipso Celladeo solvendum. Itaque dico, quæstionem hanc ab aliquibus directè resolvendam esse ex objecti illius inspectione. Verùm, illa resolutione posita, alii ex horum auctoritate quæstionem ex principiis reflexis iterum resolvunt. Nec mirum, quia principia illa reflexa directam casûs resolutionem à prudentibus factam fuisse apertè supponunt. Quod autem valet in casu particulari Idiotæ, à fortiori valet de illis, qui non ex unius responso, sed ex communi plurium peritorum consensu dicunt talem usum esse licitum, quia per hoc prudenter præsumunt Chocolate esse potum, atque ita ex principiis reflexis quæstionem novâ viâ resolvunt.

Datur scientia moralis reflexa.

18. Cæterùm non satis capio, quid sibi velit Celladeus, dum dicit omnem scientiam moralem esse directam, nec magis possibilem esse scientiam moralem reflexam, quàm hominem irrationalem: Ego certè haud existimo, eum asserere nullam resolutionem reflexam ad scientiam moralem pertinere, quia hoc est nimis evidenter falsum. Quærunt omnes, an usus opinionis probabilis sit licitus? Quæstionem hanc omnes uno ore reflexam vocant, quia illa de honestate rerum, non ex directa earum consideratione, sed solùm indirectè & reflexè enunciat, ex suppositione, quod honestas illius sit certò probabilis. Jam omnes periti longas de hac quæstione disputationes instituunt, tamquam de re maximè morali, & regulâ generali ad conscientiam debitè formandam utili ac necessariâ. Ergo vel omnes desipiunt, vel dantur quæstiones morales reflexæ, & scientia moralis reflexa. At omnes moralis scientiæ Doctores non adeo desipiunt, ut quæ sit propria suæ indaginis materia ignorent. Ergo datur scientia moralis reflexa. Præterea idem ostensivè sic probatur. Omnis quæstio de bono & malo morali, seu de honesto & inhonesto est quæstio moralis, ejusque resolutio est scientia moralis. Sed multæ quæstiones reflexæ, utpote quæ supponunt actus & cognitiones directas de rebus & rerum circumstantiis præcessisse, procedunt de honesto & inhonesto, quales sunt, an liceat Idiotæ sequi consilium prudentis directoris? an usus opinionum practicè probabilium sit licitus, &c. Ergo multæ sunt quæstiones morales reflexæ, quarum resolutiones sunt scientia moralis. Ulterior ratio à priori est, quia omnis circumstantia, quæ ita afficere potest objectum morale, ut illud in ordine ad honestum vel inhonestum immutet ac alteret, pertinet ad scientiam moralem. At multæ cognitiones directæ de rerum honestate sunt tales; nam aliter se habet homo ad operandum, quando dubitat aliquid esse honestum, aliter quando credit illud esse vetitum, aliter quando credit illud esse permissum. Ergo spectat ad scientiam moralem hæc omnia considerare, sicut de facto hæc omnia considerat. Atqui consideratio objectorum, prout substant istis cognitionibus directis est consideratio reflexa, ut patet; est etiam maximè moralis, quia concludit peccatum esse operari in dubio, etsi objectum ipsum non sit malum in se. Resolvit gravius esse id facere, quando creditur esse prohibitum. Determinat id malum non esse, quando invincibiliter & prudenter creditur esse permissum. Ergo evidentissimum est, dari scientiam moralem reflexam. Patenter ergo erravit Celladeus, quando pronunciavit oppositum.

Celladeus manifesti erroris convincitur.

Objectio 2.

19. Objicit secundò. Qui non novit Patrem Petri, judicare nequit Petrum esse similem suo Patri, quia simile est relativum ad terminum. Ergo cui terminus ignotus est, ignotum pariter est & simile. Ergo pariter cui ignotum est verum, ignotum est verosimile, quia verosimile est relativum ad verum. At idem prorsùs est probabile & verosimile. Ergo cui ignotum est verum, ignotum est probabile. Ergo cui ignotum est verum morale, ignotum est verosimile & probabile morale. At verum morale non innotescit, nisi per scientiam moralem. Ergo non habentibus scientiam moralem ignotum est verum morale, & per consequens etiam verosimile & probabile morale. Sed imperiti casuum Collectores non habent scientiam moralem. Ergo non habent notitiam probabilitatis moralis, nec de ea rectè judicare possunt. Rursus probabilitas consistit in gravitate fundamenti. Ergo qui nequit judicare de gravitate & levitate fundamentorum, judicare nequit de probabilitate. At scientiæ moralis expertes, quales sunt imperiti casuum Collectores, nequeunt judicare de gravitate fundamentorum, quia illud solum ab Authoribus benignæ sententiæ vocatur fundamentum grave, quod magnam vim habet ad movendum hominem rerum illarum peritum, ut rei propositæ assensum præbeat. Jam impossibile est, ut rerum ipsarum imperiti sciant, an motivum propositum sit vel non sit grave respectu peritorum. Ergo homines tales non possunt rectè judicare de probabilitate. Ita Celladeus §. 3.

Celladeus confundit cognitionem abstractivam cum intuitivam.

Respondeo hæc omnia admitti posse de notitia experimentali probabilitatis intrinsecæ, cujus naturam & vim intrinsecam nemo novit, qui il-

lam in se non experitur, & aptè dispositus est ad totam ejus vim experiendam. Hoc Celladeus bene probat; verùm argumenta ipsius non solùm non evincunt, sed ne quidem verisimiliter probant, imperitos rerum moralium non posse abstractivè saltem optimè judicare de probabilitate extrinseca, atque ex illa etiam judicare de probabilitate intrinseca, quatenus indirectè, reflexè, & per species alienas rationabiliter præsumunt illam adesse, etsi qualis illa sit in seipsâ per proprias ejus species prorsùs ignorent. Et sanè hoc ipsum videtur in exemplo allato. Quamvis enim per proprias & intuitivas species scire non possim, Petrum esse similem Patri suo, nisi Patrem etiam videam, atque cum filio comparem; tamen per fidem humanam id prudenter credere possum, etsi solum Petrum, aut neutrum per proprias species norim. Sic credimus Filium Dei Patri suo esse per omnia similem, & nos ipsos Deo fore similes, quando *videbimus eum sicuti est*, quamvis de termino harum relationum proprias species non habeamus. Idem valet de vero & verosimili, ut patet.

Aug. acutè arguit contra Academicos.

20. Præterea argumentum non probat, eandem aut planè similem esse debere cognitionem termini & fundamenti, ut relatio cognoscatur, quia certum est cognitionem relationis esse posse intuitivam, quando cognitio termini est solùm abstractiva. Sic intuitivè cognosco, me habere cognitionem Angeli, quem solùm abstractivè cognosco, &c. Præterea etsi loquamur de intuitiva cognitione similis ac verisimilis, & concedamus utrumque intrinsecè constitui partialiter per ipsum terminum, argumentum non urget; fateor enim, verisimile non posse sciri nisi aliquod verum sciatur, cum quo comparetur. Hoc enim verum est, & à S. Augustino (quem Celladeus hîc circa hoc ipsum citat) contra Academicos acutissimè illatum. Illi enim dicebant, nil approbandum esse ut verum, sed solùm ut verisimile. Contra illos Augustinus bene arguit, nil approbari posse ut verisimile, nisi aliquid, cum quo comparatur, approbetur ut verum, quod certè verissimum est, quocumque modo verisimile accipiatur; quia nemo potest approbare relationem ejusmodi existere, nisi etiam terminum ejus existere concedat. Cæterùm hoc non tangit præsentem difficultatem, nam quando verisimile cognoscitur per similitudinem veri, hoc verum, cum quo fit comparatio, non est ipsum verum, quod cognitio, quæ verisimilis dicitur, repræsentat, sic enim idem sibi simile diceretur & esset. Præterea omnes debent hoc fateri, quia de probabilitate & verisimilitudine sæpe certam & intuitivam cognitionem habemus, cùm tamen de objecto à cognitione probabili repræsentato nulla detur aut intuitio, aut certitudo; imo sæpe objectum illud non datur, quia illa cognitio probabilis est falsa. Ergo ex mente Augustini, & ex ipsa veritate, denominatio comparativa verisimilis non ab objecto per cognitionem verisimilem repræsentato, sed aliundè desumitur. Quod cùm certissimè ita sit:

Verisimile ab refertur ad propriũ objectum, & ad terminum suæ relationis.

Quis sit terminus hujus relationis verisimile?

21. Quæres fortasse, quis sit terminus comparationis & relationis expressæ per vocem *verisimile*? Respondeo omnes homines habere multas cognitiones certas & evidentes de sua & aliorum existentia, item de multis rebus particularibus, sive immediatè notis, sive ex aliis evidenter illatis. In hisce omnibus experimur intellectum ab objecto proposito ita trahi ad assensum, ut in illum rapiatur. Harum cognitionum objecta sunt primarius terminus hujus comparationis quibus illa dicimus similia, & consequenter verosimilia, quæ intellectum ad assensum sollicitant. Porro quià omne motivum intellectuale aliquo modo sollicitat intellectum ad assensum, ideo omne motivum ejusmodi aliquam verisimilitudinem habet. Eò autem major est verisimilitudo cujusvis objecti, quò intellectus per ejus propositionem magis stimulatur ad assensum. Quod si motivum non necessitet, sed tamen vehementer stimulet peritum, qui rem debitè consideravit, illud dicitur motivum probabile. Itaque duo hîc observanda sunt. Alterum, Augustinum subtilissimè, & ad hominem confutasse Academicos. Alterum, hoc ejus argumentum Celladeo non favere. Nemo enim scientiæ moralis adeo rudis est, quin multa vera tam moralia quàm alia evidenter sciat. Unde nemo est, qui evidenter non cognoscat terminum, quem verisimilitudo respicit. Et quidem omnes hac ratione evidenter cognoscunt verisimilitudinem seu probabilitatem extrinsecam, & ex illa per species alienas prudenter præsumunt probabilitatem intrinsecam adesse, ut in hac sola quæstione fusè declaratum est.

22. Cæterùm Celladeus in hoc argumento dupliciter erravit. Primò, quia supponit verosimile dici respectu ipsius veri, quod cognitio verisimilis repræsentat. Et sanè nemo est, qui legat ipsum, quin statim judicet id esse ipsius intentum. At hoc est evidenter falsum, ut ostensum est. Alterum est, quod hoc errore deceptus intulerit, carentem scientiâ veri moralis de verosimili morali judicare non posse. Sed hoc ex præmissis non sequitur, quia si motivum impellens ad affirmandum aliquid morale, instar motivi non moralis sollicitet intellectum ad assensum, eo ipso materia illa moralis erit verosimilis, quamvis non comparetur cum vero morali, ut patet; tota enim diversitas se tenebit ex parte materiæ, quæ in hisce denominationibus non attenditur, quia objectum morale erit verosimile, si impellat intellectum, sicut verum non morale illum impellit. — Duo errores Celladei.

23. Quod ad motivorum discretionem attinet, ea dupliciter discerni possunt, primò directè ex ipsa eorum inspectione, & hoc modo soli periti de illorum gravitate rectè judicare possunt. Secundò indirectè, à posteriori, & ab affectu, & hoc modo imperiti rectè discernunt quæ sint, quæ non sint gravia. Sic ex unanimi Doctorum consensu, aliisque notis supra expensis rectè colligimus, eos gravi fundamento usos fuisse; nam unanimis peritorum consensus apertè arguit, eos grave fundamentum habuisse, quia moraliter loquendo impossibile est, omnes peritos post diligentem rei discussionem in unam convenire sententiam, nisi gravi fundamento ducantur. Jam ad conscientiam dirigendam hæc reflexa probabilitatis intrinsecæ notitia, & aliæ ejusdem validæ præsumptiones sufficiunt, ut ex dictis constat. — Motiva gravia dupliciter discerni possunt.

24. Objicit tertiò. Sint tres conclusiones morales, quarum altera sit solùm probabilis, altera moraliter certa, tertia demonstrativa. In hoc casu Collector casuum nesciet inter illas distinguere; obstupescet enim, si ab illo petatur, quænam illarum sit solùm probabilis? quæ moraliter certa? quæ demonstrativa? solùm enim poterit dicere, omnes tres esse insignium Doctorum opiniones, sed quænam alteri excellat dicere haud poterit, quia soli moralis scientiæ periti talia discernere valent. — Objectio 3.

Respon-

Collectores casuum rectè discernunt probabile ab improbabili, & incertum à certò.

Respondeo inprimis nobis sufficere, si casuum Collectores discernere possint, quòd omnes illæ opiniones sint certò probabiles. Hoc enim in præsenti tantùm quæritur. At hoc benè discernere valent, ut constat ex dictis.

Respondeo secundò, morales istas demonstrationes rarò occurrere; occurrunt tamen aliquando, & tunc omnes Auctores non solùm in eadem assertione conveniunt, sed etiam apertè asserunt, talem assertionem esse demonstratam. Ex hoc autem omnium peritorum consensu veritas talis demonstrationis evadit moraliter evidens, propter communem omnium peritorum consensum, sicut existentia Urbis Romanæ ob consentientia testimonia est moraliter certa & evidens. Hoc optimè norunt etiam minùs periti casuum Collectores, qui ideo non solùm sciunt, tales opiniones esse probabiles; sed sicut ab extrinseca auctoritate norunt aliquas opiniones esse probabiles, sic à diversitate talis auctoritatis non solùm gradus probabilitatis ipsius inter se, sed etiam incerta à certissimis ac demonstratis discernunt. Sic casuum Collectores ab extrinseco sciunt, ignorantiam invincibilem à toto excusare, nec probabiliter tantùm, sed certò & evidenter id sciunt. Idem dico de licito probabilium usu, ille enim in tota sua universalitate est ad minimum moraliter certus, & quoad summam ejus probabilitatem evidenter demonstratur à multis, quibus ego etiam meam operam contuli, tum in hoc, *tum in tractatu de Consc. prob.* ubi multis viis veritatem hanc demonstratam invenies, quidquid Celladeus in contrarium dicit. Casuum autem Collectores hoc ipsum ex unanimi peritorum omnium consensu, atque ex modo, quo de istis tamquam de rebus certissimis & demonstratis loquuntur, tamquam ex medio moraliter evidenti certissimè inferunt.

[Object]io 4.

25. Objicit quartò. Collectores casuum non possunt rectè judicare, ne quidem de probabilitate extrinseca. Ergo ruit responsio, & eorum sufficientia ad ritè judicandum de probabilitate dejicitur. Probatur antecedens. De aliquibus Auctoribus ex fama publica constat, quòd sint graves, sed non constat, quòd omnia ex gravi fundamento constituant. Unde ergo poterit casuum Collector inter hæc discernere. At nisi discernat, casus suos rectè colligere non poterit. Rursus, aliquando Auctores isti graves sibi contradicunt, atque se invicem elidunt. Quid autem tunc faciet casuum Collector? Demum Collectores isti sæpe inveniunt Doctores citatos, quos nunquam viderunt; &, quod plus est, ignorant, utrùm illi per transennam, an à fundamentis rem tractarint. Ergo in eo casu non habent probabile definitum & requisitum ab Auctoribus benignæ sententiæ. Ergo temerè agunt, si illorum sententias pro regula proponant. Ergo nesciunt an Auctorem gravem, an casuum Collectorem habeant? Ergo nesciunt an gravem auctoritatem sequantur. Hisce adde, sæpe in citationibus errari, opinionemque gravium Auctorum aliter, quàm ipsi sentiant, proponi. Ergo Collector casuum, qui de his nequit discernere, non nisi temerè casus colligit, eosque pro conscientiæ regula proponit. Ita Celladeus §. 3.

Causæ, ex quibus Summistæ de probabilitate rectè judicant.

Respondeo, sicut ex fama publica constat, quinam sint Auctores graves, ita ex eadem in plerisque constat, quænam gravi fundamento dicti tradiderunt. Vel si id immediatè ex ipsa fama publica non constet, idipsum evidenter colligitur ex communi aliorum gravium Auctorum consensu, aut ex adversariis ipsis, qui, non obstante contraria sua sententia, opinionem talis Auctoris probabilem esse fatentur, &c. Rursus, discrepantia Auctorum extrinsecam opinionum contrariarum probabilitatem non aufert ex mente omnium Auctorum benignæ sententiæ, nisi ipsa probabilitas æquè ac veritas in dubium revocetur. Ergo quando probabilitas conceditur, aut non controvertitur, certum est, probabilitatem extrinsecam ad ritè operandum ex communi omnium assertione requisitam non deesse. Hæc autem omnia innumeris casibus facilè sciuntur, ut patet. Ergo tunc Collectores casuum de probabilitate rectè judicare possunt.

Summistæ non sunt, quales Celladeus eos depingit.

26. Quod attinet ad alios titulos in objectione expensos, illi aliquem locum haberent, si Summistæ adeo ignari fuissent, sicut eos esse ac fuisse insimulat Celladeus. Verùm aliter se res habet, illi enim ingenio atque industria singulari præditi fuerunt, Auctoresque, quos citant, legisse ac diligenter examinasse præsumendi sunt, nisi ipsimet, ut aliquando solent, oppositum significent. Itaque falsum est, Summistas nescire an illi, quos citant, cursim an datâ operâ rem examinarint. Similiter falsum est, eos sæpe nomina Auctorum legere, sed nescire an illi sint Auctores graves, vel meri Collectores. Crede mihi, Celladee, doctrina & industria non solùm comitantur eos, qui Theologica fuso stylo tractant, sed eos etiam, qui compendiosiore via Summas casuum conscribunt. Norunt illi, quàm periculosam aleam tractant: sciunt rationem se Deo operis sui reddituros, ideoque, nisi eos sceleratos atque prostitutæ conscientiæ homines esse dicas, præsumere debes, eos muneri suo satisfecisse. Nemo enim præsumitur malus, nisi probetur. At tu nec verbum eorum, quæ hîc objicis, probas aut probare potes. Utor argumento tuo. Tu nunquam nosti Collectores istos. Tu illis non cohabitasti. Tu illos disserentes nunquam audisti. Tu sedulitatis ac lecturæ eorum testis non fuisti. Unde ergo nosti, eos ignorasse utrùm Auctores, quos citant, essent Collectores, vel Auctores graves? utrùm cursim an à fundamentis rem tractaverint? Quo ergo fundamento tam audacter contrarium affirmas? Forsasse ipse tu eorum Summas aut non vidisti, aut levi tantùm oculo & cursim percurristi. Conscientiam tuam testem appello, nam ipse tu hoc nosti. Cur ergo, si ita se res habeat, non convictos, immo non examinatos damnas? sed demus, te Summas eorum diligenter evolvisse; adhuc in eis nec verbum invenies, unde eos negligentiæ, ineruditionis, ac inscitiæ à te objectæ reos esse cognoscas. Plores eorum summos fuisse Theologos notorium est. De sufficientia reliquorum nemo certè ambigit, qui rectum de rebus ac personis judicium format, quia procul dubio fuerunt viri sufficienti litteraturâ ad munus suum debitè implendum instructi, idque ipsum ex ipsis eorum operibus evidenter colligitur.

Collectores casuum defenduntur, & Celladeus arguitur.

Alia responsio.

27. Sed mittamus ista. Esto, non viderint aliquem Auctorem, quem citatum inveniunt, aut etiam ipsi citant; esto, nesciant an cursim an data opera quæstionem tractaverit, adhuc habent ex aliis, quos legerunt, unde certum de probabilitate judicium forment. Huic autem probabilitati sic stabilitæ Auctor ille, vel Auctores illi ignoti aliquod momentum addunt, ideoque non frustra citantur. Demum nil refert, quòd in istis citationibus aliquando erretur, quia error istiusmodi universim loquendo rarò evenit, si sermo sit de errore

errore quoad substantiam. Quod si error istiusmodi aliquando occurrat, ille per alias citationes non vitiosas compensatur, cùm illæ absque ista erronea ad intentum abundè sufficiant. Itaque hisce omnibus non obstantibus certum est, diligentem casuum Collectorem, adhibitâ mediocri industriâ, certò scire posse, quæ sint opiniones certò probabiles.

Objectio 5.

28. Objicit quintò. Notum est lumine naturæ, ignaros artis alicujus de illius operibus rectè judicare non posse. Unde axioma est in moralibus, peritos in arte esse consulendos. Sic ignarus artis Medicæ vel Nauticæ nō potest rectè judicare de aptitudine medicationis aut navigationis adhibitæ. Ergo historici casuum Collectores rectè judicare non possunt de probabilitate opinionum, quas citant; quia tam ipsa opinio, quàm fundamenta ipsius, & syllogismi, ex quibus conclusio infertur, sunt propria opera scientiæ moralis, quam ejusmodi historici prorsùs ignorant.

Collectores casuum norunt scientiam moralem.

Respondeo, casuum Collectores non esse prorsùs ignaros scientiæ moralis, quia optimè norunt partem ejus reflexam, quæ generalis est, & tradit quomodò conscientia in usu opinionum certò practicè probabilium ritè formari possit. Hanc partem omnes casuum Collectores probè norunt. Quòd si sermo sit de iis, qui Summas scripserunt, illi non solùm reflexam hanc, sed etiam directam scientiæ moralis notitiam habuerunt, quamvis in scriptis suis non hanc, sed priorem solùm expresserint, eò quòd minùs periti, quorum intuitu scribebant, solius prioris benè intelligendæ capaces essent. Itaque paritates istæ non sunt ad rem, cùm qui sedulum ac diligentem casuum Collectorem consulit, consulat hominem in arte sufficienter peritum, ut patet.

Exemplum Medicinæ ac Nauticæ contra Celladeum facit.

Cæterùm quod ad Medicinam, Nauticam, aliasque artes attinet, illæ etiam magna ex parte in traditione à peritis hausta consistunt. Qui primò medetur, aut navem gubernat, non à propria experientia, sed à præceptis ab alio traditis regitur. Novimus plures artis Medicæ (saltem in sensu, in quo Celladeum imitati nunc loquimur) prorsùs ignaros, qui certissima ac tuta pro pluribus morbis medicamenta à prædecessoribus per traditionem accepta habent, eisque adhibitis mira præstant, etiam in casibus, quos præstantissimi medici desperatos habuerunt. Plures ejusmodi per Angliam sunt fœminæ nobiles, quæ mira medicinæ ac chirurgiæ secreta habent, eaque gratis cum magno miserorum emolumento exercent. Quidni ergo misericordiossissimus Deus pro animorum ac conscientiarum medicina simile quid instituerit? Putandúsne ille majorem corporum quàm conscientiarum medendarum curam habuisse? Absit. Utrique ille, sed magis huic quàm illi consuluit. Cura hæc à Deo præscripta facilis & obvia est; scilicet ut in dubiis ac incertis à peritis consilium accipiamus, nilque agamus, nisi post diligentiam debitam illud certò probabiliter licitum esse invenerimus. Hæc medicina suavis est & facilis, si adsit; noluit autem Deus difficile esse ut adesset; alioquin nobis parum admodum profuisset. Voluit ergo ut ad eam callendam & benè perspectam habendam mediocris doctrina ac industria sufficeret. Hic est communis totius Ecclesiæ sensus, hæc omnium Theologorum opinio. Sed unus contra omnes Celladeus insurgit; doctrinam hanc, hunc usum, medicinam hanc à Deo institutam rejicit, in quo non minùs conscientiis nocet, quàm corporibus noceret, si omnium medicamentorum, quæ idiotæ per traditionem à suis majoribus acceperunt, usum è mundo extirparet, eò quòd idiotæ illi artis medicæ sint prorsùs ignari.

Dispar est ratio inter artes & scientiam moralem.

29. Sed quidquid sit de aliis artibus, lata est disparitas inter eas & scientiam moralem. Illæ plerumque tales sunt, ut proprium illorum opus non dependeat à varia persuasione operantis. Sic non ideo navis securè dirigitur, quia nauta sequitur opinionem talis alterius famosi nautæ, qui asserit talem directionem esse securam. Similiter non ideo medicina non nocet, quia talis medicus affirmat illam non esse nocituram. At aliter se res habet in moralibus. Ipsæ enim circumstantiæ, quæ in varia intellectûs persuasione consistunt, pro sua diversitate totam rerum moralium naturam permutant. Eadem actio juxta considerationem moralem alia est, si fiat in dubio: alia, si non obstante cognitione ac persuasione mali latentis patretur; alia si vincibiliter, alia si invincibiliter aut probabiliter credatur bona. Hoc enim proprium est operationum moralium, utpote quæ sunt voluntariæ & à natura rationali elicitæ, ut illæ à cognitione intellectûs maximè dependeant, unde necesse est, ut eadem actio externa diversam speciem moralem induat, prout à diversa cognitione dirigitur. Porro intellectus modò directè, modò reflexè, modò temerè, modò prudenter tendit in suum objectum. Ergo necesse est, actionem moralem ab omnibus istis dependere. Inter has conditiones potissima est persuasio certò prudens, ac error invincibilis. Itaque nemo perfectus est in scientia morali, qui solùm contemplatur naturam objectorum, nisi illam reflexè etiam consideret in ordine ad omnes circumstantias intellectuales, à quibus actiones humanæ speciem moralem accipiunt. At tota hæc consideratio reflexa est. Ergo magna etiam moralis scientiæ pars est reflexa. Demùm istæ circumstantiæ reflexæ non ita connexæ sunt cum directis, ut ab illis vel in esse vel in cognosci dependeant, ut patet. Ergo reflexa rerum moralium consideratio à directa earundem consideratione separari potest, & una independenter ab altera addisci. Utraque autem, utpote scientia moralis, ad mores dirigendos utilis est. Ea autem quoad nos utilior, quæ rudibus facilior. Facilior autem rudibus est scientia reflexa circa licitum probabilium usum, sub hac expressione generaliter sumptum, tum quia certioribus principiis innititur, tum quia Auctores in ea prorsùs conveniunt. Hinc viri doctrinæ valde mediocris facilè & utiliter reflexam hanc scientiam addiscunt, & per eam tam suam, quàm alienam conscientiam rectè dirigunt, si à communi Theologorum præscripto, quod ut ex dictis constat non est valde difficile, non recedant. Itaque paritas ab aliis artibus ad scientiam moralem nulla est, quia objectum aliarum artium speciem non desumit à cognitione reflexa, per quam scimus quid alii de illo senserint, &c. secus autem evenit in re morali. Quæ cùm clara sint, nec Celladeus alia in hanc rem afferat, ad ulteriora progrediendum est.

Magna scientiæ moralis pars est reflexa & separabilis à directa.

Reflexa est facilior pro minùs peritis & certior.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA-OCTAVA.

Vtrùm Theologus inutiliter laboret, qui Doctrinam sua contradictoriam tutam putat?

Celladeus in aliquibus quæst. scopum suum deserit.

1. UÆSTIO ista ad præsentem tractatum pertinet, & à Celladeo *lib. 1. quæst. 13.* discutitur. Quocirca eam examinandam suscipio, ut veritas elucescat, & quod Celladeus contra veritatem objicit, diluatur. Interim omitto ea, quæ Celladeus *quæst. 11. & 12.* congessit, eò quòd in illis scopum deserat. Intentum ejus erat agere contra probabile, quod vocat consuetum, & ea afferre, quæ communem sententiam infirmare possunt. Verùm, hoc relicto, *quæst. 11.* quærit *an ille redderet Theologiam moralem inutilem, qui diceret, omnes omnino Auctorum & librorum opiniones non notatas esse probabiles & tutas?* Porro in declaratione hujus quæstionis, apertè fatetur, Auctores benignæ sententiæ longissimè abesse à tali assertione. Et quod pius est, in dubium revocat, an quisquam sub ea universalitate id ipsum dixerit. Nihilominus quæstionem ipsam vult tractare, ideoque non absolutè, sed conditionatè procedit, & quærit quid sequeretur, si aliquis ita diceret. Hæc ad præsentem quæstionem non pertinent. Quare ego hominem, qui viam inchoatam deserit, non sequar; nec ejus exemplo meum intentum deseram. Similiter *quæst. 12.* quærit *utrùm aliquis mente credat, omnes Auctorum & librorum opiniones non notatas esse probabiles & tutas?* Hoc etiam ad rem non facit, cùm nec nos, nec Auctores nostræ sententiæ, nec quisquam alius, quod sciam aut audiverim, talem propositionem protulerit. Quod si quis sciolus, & Theologiæ ignarus, tali propositioni fidem dederit, Celladeus, per me licet, ipsi persuadeat, quod mente non credat, quæ ore profert. Hoc nostrâ nil interest, cùm ad præsentem tractatum non pertineat. His ergo omissis, ad alia pergendum est. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Omnes, antequam licitè sequi possint partem minùs tutam, ad ipsam veritatem cognoscendam eniti tenentur, quantum quisque potest & debet pro rei cujusque qualitate.

Omnes in rebus incertis tenentur eniti ad veritatem ipsâ cognoscendam.

2. HÆC assertio probatione non indiget, quia omnes ejus veritatem ultrò agnoscunt. Nos quidem hanc obligationem imponimus, eam etiam imponunt adversarii, sed eâ contenti non sunt; docent enim, nos etiam post debitam diligentiam adhibitam, & resolutionem probabilem in favorem libertatis adinventam, adhuc ad partem tutiorem teneri. Itaque nobiscum exigunt totum, quod ponit assertio, sed in hoc à nobis discrepant, quòd eâ contenti non sint. Itaque præsens assertio sumi debet tamquam principium ab omnibus admissum, ut ex illo, quæ controversa sunt, faciliùs determinentur. Hoc ergo principio posito, sit

ASSERTIO II.

Theologus, in rebus nondum diligenter discussis, non frustra laborat, determinando partem tutiorem esse veram, quamvis post omnem industriam existimet, partem contradictoriè oppositam esse tutam.

3. PROBATUR assertio. Qui operando implet munus suum, suæque satisfacit obligationi, non frustra laborat. Sed Theologus, qui determinandis rebus nondum sufficienter discussis industriam suam diligenter impendit, implet munus suum, suæque obligationi satisfacit, determinando partem tutiorem esse veram, quamvis agnoscat partem contradictoriè oppositam esse tutam. Ergo non frustra laborat, quamvis post omnem industriam adhibitam reputet partem suæ sententiæ contrariam esse in praxi tutam. Major patet ex terminis. Minor certa est ex *assertione 1.* & ex officio, quod Theologus talem casum resoluturus assumit. Implet enim officium per diligentiam adhibitam, determinando partem, quæ omnibus pensatis ipsi vera videtur. Nec obstat hujus obligationis impletioni, quòd partem alteram tutam existimet; quia hæc existimatio ad ipsam muneris sui impletionem necessariò consequitur, eò quòd fundetur in magnitudine motivorum, quæ in casûs resolutione se prodiderunt; sunt autem rationes illæ, & post omnem industriam reperiuntur esse tanti momenti, ut eas probabiles esse negare non possit. Unde cùm aliunde firmissimè credat, omnem opinionem probabilem esse tutam, non potest non reputare partem, sententiæ suæ contradictoriam, esse tutam. Itaque præmissæ sunt veræ. Consequentia autem legitimè deducitur, ut patet. Et sanè neminem de hujus assertionis veritate dubitare posse existimo. Unde eam aliis argumentis non confirmabo. Solùm noto, omnia, quæ in sequentium confirmationem afferentur, à potiori assertionis istius veritatem roborare.

In rebus nondū examinatis, pars contraria propriæ opinioni, rectè traditur esse tuta.

ASSERTIO III.

Idem rectè traditur in rebus antea examinatis.

Non frustra laborat Theologus iterum examinando res utrimque jam certò probabiles, si spes veritatem certò detegendi, aut alteram partem probabilitate spoliandi affulgeat, quamvis post laborem hunc reputet partem, suæ sententiæ contradictoriam, esse tutam.

4. PROBATUR assertio hæc eodem modo quo prior. Ubi talis spes affulget, munus Theologi laborem hunc, & hanc diligentiam postulat. Ergo non frustra laborat, licèt non inveniat quod sperabat, sed post suam diligentiam reperiat, & credat, partem alteram tutam perseverare. Carentia enim effectûs intenti non arguit operationem frustra fuisse factam, quando quis, spe prudente nixus, opus aggreditur; siquidem talis operans nec laude prudentis, nec merito diligentis operarii privandus est. Et sanè in ejusmodi operationibus, finis primarius semper obtinetur, licèt finis secundarius sæpe desideretur. Finis primarius omnis creaturæ rationalis rationabiliter operantis est Deo placere, munus suum implendo, eumque conatum ad finem obtinendum adhibendo, quem Deus vult, & ratio postulat. Hic finis semper habetur, adeoque nil meriti deest sic operanti, quamvis finis ille alius, quem Secundarium appello, non obtineatur. Appello, inquam, *Secundarium*, quia licèt operans in illum etiam tendat, & media ad ejus acquisitionem adhibeat, nihilominus ille finis, in casibus istiusmodi solùm se tenet ex parte objecti materialis quod quæritur, non autem ex parte motivi formalis quod de præsenti adest, & impellit operantem, nec ex parte objecti seu finis primarii & proximi, qui quæritur. Certè motivum impellens, à quo laudabilitas & honestas actionis humanæ desumitur, semper est præsens. Est enim voluntas Dei jubentis aut consulentis talem industriam; vel, quod in idem recidit, est munus officii postulantis talem conatum; aut demum est honestas industriæ, quia ad talem finem tendimus. Hæc enim ad honestè operandum impellunt, honestatemque in operationes nostras refundunt. Porro rectè operans semper respicit in hæc, tamquam in motivum primarium, atque in finem præcipuum, qui nunquam non obtinetur, quamvis operans ad alterum finem Secundarium, quem secuturum sperabat non pertingat. Sic Apostoli, & Christus ipse concionabantur, ut populum converterent, cùm tamen sæpe exigua spes conversionis eluceret, & aliquando nemo converteretur. Nec tamen ideo inutiliter laboraverunt, quia fine primario privati non sunt. Idem dicendum in casu nostro.

Finis primarius creaturæ rationalis benè operantis, quisnã sit?

Rectè operatur, qui finem primarium obtinet, etsi secundarium nõ assequatur.

Celladeus minùs consideratè & frustra alios inutilis laboris condemnat.

5. Porro, quò major veritatis certò inveniendæ spes affulget, eò certior apparet assertio; quia munus & obligatio Theologi eò manifestiùs illum ad talem industriam adhibendam astringunt. Atque hinc patet, Celladeum minùs consideratè, atque etiam frustra contra omnes benignæ sententiæ Auctores insurrexisse, eorumque operam eo titulo tamquam inutilem rejecisse, quòd illi in plurimis expresse dixerint, partem suæ sententiæ contradictoriè oppositam esse tutam. Minùs consideratè egit, quia unum hominem singularem omnibus omnino gravissimis prudentissimisque Auctoribus bellum indicere, illosque inutilis laboris condemnare in eo, quòd & ipsi honestùm ac utile profitentur, & omnes alii credunt esse tale, non potest non esse minùs consideratè factum. Sed & frustra eosdem reprehendit, quia illi in omnibus aliquam, & in multis non exiguam habuerunt spem certò perveniendi ad veritatem, vel immediatè per se, vel mediatè per alios, quos suo exemplo animabant, suâque industriâ juvabant. Omnes enim norunt, multas opiniones olim probabiles posterorum industriâ improbabiles evasisse, atque aliquas falsitatis fuisse demonstrativè convictas. Idem in aliis quoque evenire posse sciunt, ideoque, ad hoc præstandum, conatum adhibent, prout munus illorum postulat. Verùm sæpe non certò assequuntur veritatem, sed post omnem conatum coguntur fateri partem contrariam esse probabilem; & consequenter apertè fatentur eam esse tutam. Porro hæc agnitio ac protestatio priorem laborem inutilem reddere nequit, quia sequitur prudentem muneris impletionem, ac in eo prudenter impleto fundatur.

Nulla in eo cõtradictio, quod utraque pars cõtradictionis sit tuta.

6. Nec mirum videri debet, tot Auctores gravissimos affirmare & se & alios posse tutò facere, quod ipsi post diligens examen pronunciant esse peccatum; non enim repugnant sibi invicem istæ assertiones, sed optimè cohærent. Quando enim dicunt, rem illam esse prohibitam, solùm directè illam considerant; & quia rationes legi faventes apud ipsos prævalent, directè concludendo dicunt, rem illam esse prohibitam. Sed quando dicunt oppositum esse tutum, contemplantur eandem rem in ordine ad alias circumstantias, rationibusque reflexis & ultimis, ad quas intellectus in rebus incertis recurrit, convicti, absolutè ac finaliter dicunt, rem illam esse permissam, quia rationes reflexæ id evincunt. Sic discurrunt Auctores nostræ sententiæ, qui omnibus viis veritatem indagant, eamque inventam aliis evulgant, ut omnes Deo rationabile obsequium præstent, & tandem salvi fiant.

ASSERTIO IV.

Theologus non frustra laborat, examinando opiniones de rebus utrimque probabilibus, quamvis exigua aut nulla spes eluceat aut veritatem certò inveniendi, aut alteram partem probabilitate spoliandi; immo quamvis arbitretur, utramque partem, post suum laborem, mansuram, sicut nunc est, in praxi tutam.

In nullo casu dictus Theologorum labor est inutilis.

7. PROBATUR. Inprimis Theologus per talem conatum intellectum suum perficit, cùm omnia utriusque partis fundamenta penetret, & tandem ad unam partem ut absolutè veram se determinet, illiusque veritate probabiliter inventa fruatur, & in ea, quantum conditio materiæ patitur, quiescat. Rursus per hoc intellectum acuit, seque aptum ad alias quæstiones non agitatas per seipsum determinandas aptum reddit. Hi fines sunt honestè appetibiles, maximè cùm certissima spes eos obtinendi affulgeat. Ergo labor quæstiones ejusmodi à fundamento examinandi non est inutilis, cùm ad fines honestissimè appetibiles deserviat. Hæc ratio fundatur in fine intrinseco ac primario intellectûs, ideoque haud dubiè evincit intentum. Sicut enim labor ejusmodi ob hunc præcisè finem ab omnibus censevir

tur utilis in speculativis, quamvis nulla sit spes ullam partem suâ probabilitate spoliandi; ita similiter in moralibus idem labor ob eosdem fines utilis est, cùm intellectus ex æquo in omni materia ad veritatem ordinetur, tamquam ad finem suum intrinsecum & primarium.

Labor ille Theologorum utilis est ad operationem honestam dirigẽdam.

8. Probatur secundò, etiam respectu operationis honestæ, quæ est finis extrinsecus intellectûs practicè discurrentis de moralibus. Inprimis probabilitas benignæ sententiæ per hoc amplificatur. Hoc autem juvat ad conscientiam ritè formandam. Rursus resolutio talis Theologi ejusdem rationis est cum aliorum resolutionibus. Ergo tam utilis est, quàm illæ. At illæ utiles sunt. Ergo & ista. Tertiò habet Theologus iste ex propria industria unde conscientiam formet; quia unicuique in rebus utrimque probabilibus licet sequi propriam sententiam, quam post debitam diligentiam format. Quartò nonnumquam invenit argumenta, quibus directè concludit rem illam esse honestam; semper autem potest hoc sperare. At hujusmodi cognitio de directa objectorum honestate est valde utilis tum ipsi Theologo, tum aliis. Ipsi quidem, tum quia fecit quod in se est ad inveniendam veritatem, illamque invenit, quod est homine probo dignissimum; tum quia voluntas fortiùs adhæret bono, quod clariùs & perfectiùs cognoscit. Per hanc autem industriam meliùs cognoscit honestatem rei, quàm antea; ex meliori autem cognitione major honestas in actionem refunditur, juxta dicta *quæst. 4.* Præterea operatio, à tali cognitione directa, est magis voluntaria, quia procedit à pleniori cognitione singulorum, in quibus est actio. Eadem cognitio est etiam aliis utilis, cùm per illam non minùs regulari possint, quàm per aliorum Theologorum resolutiones. Rursus si resolutio scripto vulgetur, illa ad distantium, immo & ad posterorum, aliis libris ac consiliariis destitutorum, notitiam pervenire potest. In quo casu talis resolutio non solùm utilis, sed prorsùs necessaria illis ad conscientiam ritè formandam evadit. Tertiò demum Theologus in quamcumque partem quæstionem resolvat, per hanc suam industriam evadit aptus ad quævis ipsum consulentium dubia de tali materia solvenda, quæ certè solvere non potuisset, nisi quæstionem à fundamentis examinasset. Hæc & alia emolumenta hisce similia apertè probant, laborem Theologi, quamcumque quæstionem à fundamento examinantis, esse simpliciter utilem, quamvis ille antecedenter ad suum studium existimet, utramque partem esse tutam, & utramque etiam post suum laborem, tutam remansuram. Porro hæc omnia ex objectionum solutione apertiùs declaranda erunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

9. OBJICIT primò. Finis scientiæ ac doctrinæ moralis, utpote practicæ, est rectitudo humanorum actuum; ideo enim talis doctrina discitur & traditur, ut per eam instructi secundùm rectam rationem agant. Atqui disputatio seria, quâ Theologus determinat aliquid esse illicitum, est prorsùs inutilis ad hunc finem, si Theologus ille doceat sententiam contrariam esse tutam; quia independenter ab illa disputatione operans tutus est in conscientia, & licitè sequi potest partem contrariam. Similiter, illa resolutione non obstante, licet facere oppositum. Ergo resolutio ac disputatio Theologi, docentis partem contrariam esse tutam, est inutilis. Illud

Qui labor judicandus sit inutilis?

enim est prorsùs inutile, sine quo finis illius & simpliciter, & tam facilè, ac faciliùs habetur, ac cum illo. Sed finis omnis quæstionis moralis est, ut actus nostri rectè fiant. Hoc autem æquè benè habetur sine illo labore, quia certi sumus nos bene operari sequendo partem oppositam tutam. Unde cùm labor ille sit difficilis, & faciliùs omitti possit quàm assumi, sequitur finem talis laboris faciliùs haberi posse sine illo, quàm cum illo. Ergo ille labor est prorsùs inutilis. Nil enim magis inutile inveniri potest, quàm quod nec ad esse, nec ad meliùs esse conducit.

Sit quæstio, verbi gratiâ, an, qui in concursu non eligit digniorem, ad restitutionem teneatur? Accedat Theologus, qui rem discutiat, & dicat sententiam negantem traditam esse à pluribus gravibus Auctoribus, & esse valde probabilem ac tutam, mox tamen profiteatur se contrarium tenere, suamque sententiam multis argumentis, longáque disputatione confirmet. Dico laborem hujus Theologi esse prorsùs inutilem, quia non conducit aut ad simpliciter, aut ad meliùs dirigendam conscientiam electoris. Ille quippe novit, se bene acturum, si damnum restituat; nec Theologi disputatio hoc illum docet, sed asserit eum teneri. Itaque disputatio illa inutilis est ad honestatem & rectitudinem restitutionis faciendæ. At inutilior est pro honestate non restitutionis regulanda, quia tota disputatio tendit ad ostendendam non restitutionem esse inhonestam. Nec dicas, disputationem esse utilem ad ostendendum non restitutionem esse inhonestam. Nam contra, quia Theologus ille expresse protestatus est, eam, non obstante suâ opinione, esse honestam; quia affirmat, contrariam sententiam esse tutam. Ergo, non obstante illius disputatione, elector rectè omittit restitutionem. Ergo disputatio illa ex ipsa Auctoris sui confessione nil facit ad inhonestatem non restituendi. Ergo ex propria ipsius confessione talis disputatio inutilis est. At maxima Theologiæ pars constat hujusmodi disputationibus, quia qui unam partem tenent, apertè fatentur oppositam esse tutam. Ergo maxima moralis Theologiæ pars est prorsùs inutilis, & libri de ea tractantes sunt inutiles. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 13. §. 1.*

Finis primarius scientiæ practicæ non est opus.

Respondeo opus, operisque directionem esse solùm finem extrinsecum tam intellectûs, quàm scientiæ moralis, quamvis hæc communiter traditur & addiscatur eo fine, ut datâ opportunitate operationem dirigat, eamque rectam reddat. Cæterùm sola hæc directio non est finis adæquatus talis scientiæ, cùm primarius omnis scientiæ finis sit veritas, quæ sola est bonum, & finis intellectûs. Hoc videre est in Geometria, vel Astronomia practica, quæ à multis addiscitur, non ob opus, aut quia intendunt artem illam in praxim deducere, sed præcipuè ob præclaras veritates, quas scientiæ illæ demonstrant. Et tamen haud dubiè illæ scientiæ sunt practicæ. Ergo idem similiter dicendum de scientia morali. Ergo quamvis in aliquo casu disputatio Theologica non deserviat ad dirigendam operationem honestam, non tamen ideo illa censenda est inutilis, quia adhuc habet alios fines præstantes & valde proficuos, ratione quorum prudenter intendi potest.

Conatus, qui per accidens frustratur fine, non est inutilis.

10. Respondeo secundò, Theologos, resolventes partem suæ sententiæ contrariam esse tutam, non posse rationabiliter hanc resolutionem facere, nisi peracta inquisitione, quam spe veritatis tandem certò inveniendæ in se susceperant.

Declaratio autem ejusmodi, merè consequens talem laborem, non potest eam reddere inutilem, ut constat in probatione *assert. 3.* Præterea per accidens est, quòd Theologus ex vi rationum directè probantium resolverit partem minùs tutam esse peccaminosam, cùm æquè potuisset conclusisse illam esse licitam; in quo casu labor ipsius pro licito illius usu non fuisset inutilis, cùm ille solus in aliorum similium defectu ad conscientiam debitè ac tutò formandam suffecisset. At conatus, qui per accidens frustratur fine intento non est inutilis & frustraneus, nec à quoquam prudente reputatur talis, sed solùm ab iis, qui per imprudentiam non aliud judicium de rebus tamquam bene vel male gestis formant, quàm quod in effectu industriam sequuto vel non sequuto fundatur.

Omnia illa sunt utilia ad finem, à quibus finis causari potest.

11. Respondeo tertiò, juxta posita *in assert. 4.* & dico, laborem Theologi resolventis casum contra partem, quam tam ante quàm post suam resolutionem declarat fuisse, esse, & mansuram esse tutam, non esse inutilem, cùm ad omnes fines ibi assignatos conducat. Nunc contra Celladei argumentum addo, talem resolutionem esse absolutè utilem ad conscientias rectè dirigendas, & vel ideo expetendam, licèt nullus alius finis intendatur. Inprimis labor, conatus, ac resolutio conatum consequens non solùm conducit ad debitè formandam conscientiam, sed etiam ad eam meliùs & laudabiliùs formandam conducit. Conducit ad illam formandam, quia postquam resolutio posita est, illa tam confert ad hunc effectum, quàm quævis alterius Theologi resolutio. At aliqua ejusmodi resolutio est necessaria ad hunc effectum, cùm, sine illa prævia, conscientia debitè formari nequeat. At quoties plura adsunt individua ejusdem speciei, quorum aliquod ita indeterminatè necessarium est ad effectum aliquem, ut quodvis illorum ad eum sufficiat, toties singula sunt utilia ad effectum illum, cùm effectus æquè dependere possit ab uno, quàm ab alio. Sic qui centum cymbas possidet, habet centum media utilia ad navigandum, nec utilitas ac conducibilitas aliarum nonaginta novem tollit utilitatem centesimæ, cùm, illis etiam habitis, centesima cymba tam utilis sit ad navigandum, quàm ulla ex reliquis præhabitis. Porro qui contenderet frustraneum esse, centesimam cymbam ædificare, quia labor ille esset inutilis ad navigandum, prorsùs ineptiret; nullus enim labor potest esse inutilis ad finem illum, pro quo obtinendo conficit instrumentum essentialiter & intrinsecè idoneum. Itaque etsi argui posset tamquam imprudens, qui centesimam cymbam fabricaret, eò quòd faceret expensas non necessarias, non tamen argui posset ex eo capite, quòd laborem subiret ad navigandum prorsùs inutilem. Hæc enim accusatio esset evidenter falsa. Idem penitus locum habet in casu nostro, cùm centesima resolutio non sit minùs utilis ad conscientiam ritè formandam, quàm centesima cymba ad navigandum. Hinc detegitur hallucinatio Celladei hoc modo arguentis, *Illud est prorsùs inutile, sine quo finis per illud intentus & simpliciter & æquè facilè haberi potest, ac cum illo.* Hæc enim propositio non est vera, si procedat de iis, à quibus etiam effectus procedere potest, quamvis ab aliis æquè facile prodiret, si priora illa deessent. Præterea illa propositio solùm evincit, rem ejusmodi non esse necessariam in individuo ad talem effectum, quamvis sit in specie necessaria, & utilis in individuo, ut videre est in exemplo cymbarum. Centesima enim cymba tam utilis est ad navigandum, quàm ulla alia antea habita, quia illa sufficit ad navigandum, & tam benè illâ uti possumus ad talem effectum, quàm ullâ aliâ. Utitur ergo Celladeus principio ad probandam inutilitatem rei in individuo, quæ solùm applicari potest ad arguendam illam non esse in individuo necessariam, quæ sine dubio est non parva hallucinatio.

Insignis æquivocatio Celladei.

Resolutio Theologi est simpliciter necessaria.

12. Verùm, argumentum ne quidem probat, rem ejusmodi non esse simpliciter necessariam etiam in individuo ad talem effectum. Certè sicut oculus est simpliciter necessarius ad videndum, & navis ad navigandum, ita diligens Theologi labor & seria casûs resolutio est necessaria ad conscientiam in rebus incertis debitè ac rectè formandam. At omnis oculus aliquomodo, nempe vagè ac indeterminatè, est necessarius ad videndum, ut Logici agentes de suppositione vaga & indeterminata demonstrant. Ergo pariter omnis seria Theologi resolutio est vagè ac indeterminatè necessaria ad conscientiam in rebus incertis ritè formandam. Ubique enim eadem ratio apertè valet. Ergo sicut solùm inferri potest, quod oculus A non sit determinatè necessarius ad videndum, nisi ex suppositione, quòd alius oculus non adsit, quamvis semper ad videndum sit utilis & indeterminatè necessariùs; ita solùm inferri potest, hanc seriam Theologi resolutionem non esse determinatè necessariam ad conscientiam rectè formandam, nisi aliæ resolutiones absint, quamvis ad hoc semper sit utilis, & ad illud indeterminatè necessarius, etiam in præsentia aliarum.

Resolutiones Theologorum sunt necessariæ pro posteris.

13. Quod si ad resolutionem ipsam, prout ad posteritatis emolumentum typis evulgatur, respiciamus, patentior & crassior longè est Celladei error, quàm in priori consideratione; statim enim apparet, talium librorum copiam non modò utilem, sed posteritati esse prorsùs necessariam. Omnes enim aliquibus libris ad studium pro conscientia ritè formanda necessariò impendendum indigebunt. Multi libri atteruntur, multi comburuntur, non omnes ad omnium manus pervenire possunt. Ingens proinde eorum copia est prorsùs necessaria. Unde libri, à modernis Theologis editi, utiles ac necessarii sunt pro posteritate, idque verum est, quamvis sæpe dicant, sententiam suæ opinioni contrariam esse tutam, quia hoc non modò dictam utilitatem non impedit, ut patet, sed etiam auget, ut mox videbis. Interim mirum est, Celladeum eò progressum esse, ut omnium ferme Auctorum libros tamquam superfluos & inutiles ex eo capite rejiceret, ex quo juxta omnium persuasionem & certissimam veritatem non solùm sunt valde utiles, sed absolutè necessarii.

Qui fatetur opinionem suæ contrariã esse tutã, auget probabilitatem opinionis quam rejicit.

14. Rursus labor ille, ac illa Theologi resolutio ad conscientiam rectè formandam conducit, quia certam rei propositæ probabilitatem roborat ac confirmat. Hæc autem probabilitas est fundamentum unicum, ex quo in incertis tota ratio rectè formandi conscientiam dependet. Ergo quod ad hanc probabilitatem conservandam & augendam utile est, illud pariter ad conscientiam rectè formandam est utile. At labor ille Theologi ad probabilitatem quæstionis propositæ conservandam & augendam utilis est. Ergo utilis etiam est ad conscientiam debitè formandam. Minor constat, quia per hoc ipsum plures post debitum quæstionis examen approbant fundamenta directa tamquam probabilia, eorumque vim ac probabilitatem & exercitè demonstrant & signatè affir-

affirmant. At per hoc ipsum talis probabilitas non solùm conservatur, sed etiam amplificatur. Et quidem hoc verum est, in quamcumque partem ille quæstionem resolverit. Si dicat, partem minùs tutam esse licitam, nullum est dubium, nec Celladeus ipse diffiteri poterit. Si verò ex vi rationum directarum dicat partem illam esse peccaminosam, & tamen, hoc non obstante, inveniat rationes directè faventes honestati esse tanti ponderis, ut illas fateatur esse probabiles, non minùs confert ad reddendam earum probabilitatem certam, quàm si absolutè existimasset partem illam esse etiam directè licitam. Ratio est, quia per hoc ipsum, quòd intellectus uni parti adhæreat ut veræ, necesse est, rationes contrarias minores apparere, minoremque vim exercere, quàm si animus nulli parti assensum præbuisset; ut fusè ostendi *in tractatu de Conscientia probabili quæst. 2. num. 3. & seqq.* item *quæst. 8. num. 27. & seqq.* Ergo si, hoc non obstante, argumenta illa homini sic affecto videantur gravia, illa certò sunt non solùm magna, sed multò majora, quàm ipsi appareant, ut locis citatis fusè declaravi. Ergo sunt certò probabilia. Itaque licèt ipsa nuda assertio, dicens restitutionem in argumento propositam esse præceptam, ad probabilitatem partis oppositæ directè non juvet, juvat tamen indirectè, quatenus argumenta partis contrariæ comparari possunt non solùm cum motivis oppositis, sed etiam cum judicio motivis illis præstito; hæc autem comparatio multum juvat ad dictam probabilitatem. Ergo tota indagatio atque diligens quæstionis resolutio, quæ ad dictam comparationem sunt prorsùs necessariæ, ad probabilitatem contrariæ partis conservandam & amplificandam conducunt. Ergo utiles etiam sunt ad conscientiam rectè formandam.

Alia utilitas talis resolutionis.

15. Rursus, dicta resolutio Theologi est utilis ad formandam conscientiam, non quidem de honestate restitutionis, sed de ejus necessitate; qui enim prudenter crederet illam esse præceptam, nec ad alia attenderet, per quæ conscientia indirectè existimaret, restitutionem non esse necessariam, is sine dubio ad restituendum teneretur. Et restituendo non solùm benè faceret, sed actum justitiæ ac obedientiæ exerceret. At actus ejusmodi melior est ac magis meritorius, quàm mera restitutio ex similibus motivis non regulata, sed ob levitatem aut scrupulum in actum secundum deducta. Ergo talis resolutio undique utilis est.

Alius Celladei error detegitur.

16. Præterea in eo etiam errat Celladeus, quòd dicat Theologum, asserentem sententiam suæ opinioni contrariam esse tutam, ore proprio fateri, totam suam industriam esse inutilem. Certè innumerabiles gravissimique Auctores, Celladeo ipso teste, hoc expressè fatentur de suis sententiis, nec tamen quisquam eorum unquam dixit, aut fassus est, suum laborem fuisse inutilem. Qua ergo veritatis specie dicitur eos proprio ore suæ industriæ inutilitatem professos esse? dixerunt ea, inquies, ex quibus inutilitas prætensa legitimè infertur: ergo æquivalenter saltem, & remotè hoc de se fassi sunt. Sed contra est; quia hoc non est proprio ore talem inutilitatem agnoscere, sed solùm præbere argumentum, ex quo inutilitas illa inferatur. Quæ duo maximè differunt. Verùm, esto, confessio circumstantiæ aut argumenti, ex quo aliquid aliud statim evidenter infertur, sit æquivalens rei illatæ confessio; hoc tamen verum non est, quando illatio illa aut fallibilis est, aut valde remota. Tunc enim exhibitio talis argumenti nec est, nec censetur esse propria illorum confessio, sed aliena tantùm accusatio. Quod si tota accusatio sit non solùm fallibilis, sed falsa, & in patenti rerum ac vocum æquivocatione consistat, ut factum est in casu nostro, tunc enimverò inutilitas operis non ex propria operantis confessione stabilitur, sed tantùm ex aliena malè compacta illatione apparenter & falsò deducitur, ab aliis autem ut nullius prorsùs momenti exploditur.

17. Rursus illa Celladei illatio: *Elector ille independenter à Theologi resolutione, novit si bene acturum si damnum restituat. Nec Theologi disputatio hoc illum docet, sed asserit, eum teneri. Ergo disputatio illa inutilis est ad rectitudinem restitutionis faciendæ regulandam.* Hæc, inquam, illatio nulla est, quia licet Theologus non doceat restitutionem damni esse honestam sub generica ratione honestatis, neque enim hoc quærebatur, docet tamen illam esse honestam tali specie honestatis, nempè justitiæ, obedientiæ, &c. Jam consulens potest Theologo fidem dare, atque ita ex vi resolutionis datæ justitiam & obedientiam exercere, cùm sine illa, aut alia simili resolutione tales virtutes exercere non potuisset. Jam quod juvat ad honestatem in specie, haud dubiè est utile, immo utilius ad finem scientiæ moralis, quàm quod solùm juvat ad rationem honestatis in genere, aut ad virtutem minoris dignitatis. Neque obstat, Theologum expressè dicere, non restitutionem esse licitam, nam hinc solùm sequitur, consulentem posse pro libito sequi ipsius resolutionem, sive in ordine ad solvendum ex titulo justitiæ, sive in ordine ad non solvendum omnino, modo directæ tantum illius opinioni subscribat, & ad reflexam non attendat eò quòd in rebus justitiæ sequi velit non solum certa & indubitata præcepta, sed etiam incerta, saltem quoties obligatio prudenter creditur urgere. Porro ex eo quòd ad directam resolutionem tantùm attendat, illique fidem præbeat, eo ipso consurgit dictamen conscientiæ obligantis illum ad restitutionem. Quod si ad indirectam ejusdem resolutionem respiciat, & formet judicium prudens, quod tutum sit non restituere, eo ipso consurget conscientia deobligans eum à restitutione. Itaque ita verum est, electorem posse se accommodare uni parti resolutionis à Theologo factæ, restitutionemque rectè omittere, ut tamen alteri parti resolutionis stare possit, illamque pro regula accipere, atque ita justitiam & obedientiam exercere, reparando damnum illatum ex illarum virtutum stricta obligatione. Ecce quot modis labitur argumentum hoc, quod Celladeus tamquam longè efficacissimum extollit.

18. Objicit secundò. Auctores, docentes partem propriæ suæ opinioni contrariam esse tutam, in eo fundantur, quòd leges præcipientes partem, quam ipsi præceptam existimant, non sint sufficienter promulgatæ, ideoque non obligent. Ergo labor eorum est prorsùs inutilis, quia in materia legum non sufficienter promulgatarum disputare, an hoc vel illud sit vel non sit malum, perinde est ac disputare, utrùm hoc vel illud sit peccatum, ubi nullæ sunt, & ubi supponuntur nullæ esse leges; quia in moralibus, & in ordine ad faciendum bonum & malum, lex non promulgata, & non lex pro eodem reputantur. At prorsùs inutile est, mundum replere libris disputantibus de peccato & non peccato in rebus, circa quas non modò nullæ sunt leges, sed libri ipsi contestantur nullas esse; scitur quippe, ubi non est lex, neque esse posse peccatum. Ergo inutile est libros componere de peccato & non peccato Objectio 2.

in rebus, circa quas non modò non sunt ullæ leges sufficienter promulgatæ, sed libri ipsi palam contestantur, eas non esse sufficienter promulgatas. At hujusmodi sunt omnes materiæ, in quibus Auctores dicunt, doctrinas suis contrarias esse tutas. Exponant ergo cui fini inserviant libri sui. Ita Celladeus § 1.

Responsio. Respondeo, Auctores benignæ sententiæ fundari etiam in eo, quòd nulla lex sit sufficienter promulgata, quamdiu post omnem diligentiam adhibitam probabile est, legislatorem nunquam edidisse talem legem. Quod principium fusè explicabitur *quæst. 43.* de eo autem egi etiam hîc *quæst. 2.* atque *in tract. de Consc. prob. quæst. 23. num. 14. & seq.* Hoc autem posito, sciendum est varias esse leges indubitatas, quarum una, ab omnibus admissa, obligat ad non operandum in dubio, donec veritas diligenter inquisita fuerit, ita ut prudenter præsumamus, talem rem non esse vetitam, sed permissam. Hæc lex reflexa locum habet in omni dubio de honestate operationis. Itaque quotiescumque dubium aliquod apparet de honestate operis, omnes tenemur partem tutiorem amplecti, donec dubium prudenter deposuerint. Ad prudentem autem dubii depositionem necesse est, ut periti rerum ac legum rem examinent. Tales sunt Doctores Theologi, ac Jurisperiti. Horum ergo est examinare, an dentur leges istiusmodi. Si illi post diligens studium reperiant legem non existere, aut certè non esse sufficienter promulgatam, tunc optimè concludunt nullam de tali re facienda obligationem existere, quia nulla lex illam præcipiens est sufficienter promulgata. Hoc posito, statim apparet, notitiam de lege non sufficienter promulgata non antecedere, sed subsequi examen peritorum, atque in eo unicè fundari. Ergo examen illud non est inutile, sed utilissimum ad regulandam conscientiam, quia sine illo regulari non potest, nisi in omnibus se arctet, & partem tutiorem ex obligatione sectetur, ad quod tamen certum est, nos non teneri. Jam si ante examen Doctorum certò constaret, nullam esse legem præcipientem aliquid, utique frustra laboriosè quæreretur, an illud esset peccatum & prohibitum. Verùm Doctores benignæ sententiæ hoc modo non procedunt, ut patet. At si hoc non constet nisi per eorum examen & attestationem, ut in casibus controversis evenit, evidens est, illorum laborem conscientiis rectè formandis esse prorsùs utilem & necessariam. Jam argumentum Celladei in eo evidenter peccat, quod procedat ex suppositione antecedenti ad industriam Doctorum damnandam, eo quòd constet, nullam dari legem sufficienter promulgatam, cùm quòd hoc constet nobis, nosque supponamus legem non esse sufficienter promulgatam, sit suppositio consequens peritorum industriam ac resolutionem. Quæ cùm ita sint, aliud concludere non possum, quàm argumentum hoc omni fundamento carere, & esse meram ac palpabilem æquivocationem. Distinguat hæc Celladeus, & clarè videbit, libros morales Auctorum benignæ sententiæ non esse inutiles, sed utilissimos ac necessarios, nec opus erit, ut ipsi exponant cui fini libri ipsorum deserviant, cùm ille neminem hæc intelligentem ac distinguentem latere possit.

Celladeus confundit suppositionem consequentem cum antecedenti.

19. Dices. Ergo novæ saltem de rebus ejusmodi disputationes erunt inutiles, cùm jam constet, leges illas non esse sufficienter promulgatas.

Respondeo, illas non esse inutiles ad hoc, ut constet legem non esse sufficienter promulgatam, quia hoc æquè constat ex vi posteriorum ac priorum examinationum, imo id ipsum semper certiùs constat, quò plures rem examinantes id ipsum confirmant. Aliquando enim contingit legem verè existere, etsi periti ab initio putarint nullam ejusmodi legem dari, & consequenter etsi illa tunc sufficienter promulgata non esset. Posterorum autem industria detexit legem illam existere, eamque promulgavit. Idem de aliis contingere potest. Jam cùm omnes ex officio teneantur in rebus incertis, quantum possunt & debent, veritatem diligenter investigare, utique non frustra laborant eadem iterum examinando, quia vel legem latentem eruunt, vel certè nos magis in eo confirmant, quòd illa non solùm antiquorum tempore, sed etiam nunc non sit sufficienter promulgata. Præterea etsi labor novæ resolutionis videri possit minùs utilis ipsi resolventi, cùm jam sciat, leges tales non esse sufficienter promulgatas, séque ad veritatem ulteriùs investigandum non obligari, nihilominus illa resolutio, & libri illam continentes respectu posterorum utiles sunt, & quodammodò necessarii, quia illi etiam non minùs quàm antiquiores dubitabunt, an tales res sint præceptæ nec ne? Ergo indigebunt libris atque Doctoribus, ut eorum doctrinâ mediante, conscientiam suam debitè forment. Atqui ad hoc hodiernæ resolutiones ac libri hodierni tam utiles, imo in multis, maximè quæ spectant ad jus humanum, utiliores sunt, ac magis necessarii, quàm Antiqui. Nil ergo certiùs talium librorum ac resolutionum utilitate.

Utilitas laborum ac resolutionũ ejusmodi ulterius declaratur.

20. Objicit tertiò. Auctores, qui tradunt partem suæ sententiæ oppositam esse tutam, dicunt contradictoria; dicunt enim restitutionem, verbi gratiâ, esse necessariam, quia est præcepta; & mox subjungunt, tutum esse non restituere, quia restitutio non est præcepta. Hoc autem idem est ac dicere, restitutionem esse & non esse necessariam. At restitutionem esse necessariam, & restitutionem non esse necessariam, sunt contradictoria. Ergo dicunt contradictoria. Ergo nil dicunt, quia sicut qui jubet contradictoria, nil jubet; ita qui dicit contradictoria, nil dicit. Ergo inutiliter disputant & libros edunt, quia disputatio & liber tam est inutilis, ac si auctor nil prorsùs locutus fuisset. Confirmatur exemplo libri, qui prodiit, in quo quæstiones morales proponuntur, *an hoc, an illud liceat?* Mox ad singulas respondetur *licet: non licet.* Hic modus scribendi prodiit à doctrinâ eorum, qui dixerunt, partem suæ opinioni contrariam esse tutam; immo est legitima proles doctrinæ de probabilibus. Ita Celladeus §. 3. ubi expressè fatetur, se nec proprio studio, nec alienâ ope, ad hoc singulariter quæsitâ, assequi potuisse, quomodò Auctores illi sibi non contradicant. Habet ergo argumentum hoc pro insolubili.

Objectio 3.

Respondeo argumentum nullam penitus vim habere; contradictio enim est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem. Hoc non faciunt Auctores illi, nam quando dicunt, partem contrariam esse tutam, loquuntur de parte illa reflexè considerata prout substat certæ probabilitati de sui honestate, & prout vallatur omnibus rationibus reflexis ac ultimis, ad quas respicere possumus. Ideo pro finali conclusione dicunt, partem illam, omnibus omnino consideratis, esse licitam. Rursus directè considerant eandem partem, rationesque solùm directè probantes

Non sibi contradicit, qui dicit opinionem suæ contrariam esse tutam.

bantes examinant, omnibusque illis diligenter inspectis, vident rationes faventes legi prævalere rationibus libertati faventibus, ideo pronunciant in favorem legis, suamque sententiam proferunt dicentes, restitutionem, v. g. esse necessariam. Hæc est sententia non ultima, quam ex mera rationum directè probantium inspectione proferunt. Deinde considerant rationes reflexas, iisque inspectis dicunt, nullam simpliciter dari obligationem, quia omnibus inspectis, rationes libertati faventes longè prævalent, multisque viis concludunt nullam dari obligationem restituendi. Prima resolutio casûs non est omnino absoluta, sed implicitè saltem, & ex mente Auctorum illam tradentium explicitè conditionata, quasi dicerent, *Tenendum esse, quod detur obligatio restituendi, si quæstio directè tantùm examinetur, & ex rationibus tantùm directè probantibus sententia proferatur.* Secunda verò sententia est absoluta, & non nisi post ultimam causæ revisionem, omnibus argumentis tam directis quàm reflexis debitè consideratis, fertur, eâque Auctor absolutè pronunciat, *nullam dari obligationem restituendi.* Hic est apertus, hic genuinus Auctorum illorum sensus, quem cùm Celladeus iterum consideraverit, atque in eo ne umbram quidem affirmationis & negationis ejusdem de eodem secundùm idem invenerit, fatebitur fortasse, se, aliena ope adjutum, tandem clarè intellexisse, quod Auctores in præsenti quæstione sibi non contradixerunt.

Præsumptio valida contra Celladeum.


21. Consideret rursus, difficile prorsùs esse ut viri oculatissimi, quales ex antiquioribus fuerunt Medina, Vasquez, Suarez, aliique ejusdem classis, quales ex recentioribus sunt Joannes à S. Thoma, Martinus Esparza, aliique Celladeo coætanei; consideret, inquam, difficile creditu esse, tam hos, quàm omnes omnino Doctores, qui à centum annis scripserunt, & quæstionem hanc in terminis examinaverunt, in re tam aperta, non per ambages, sed immediatè ac apertè sibi non semel, sed innumeris vicibus contradixisse. Credibilius est, Celladee, te unum hac in re deceptum esse, quàm omnes omnino alios in eadem prorsùs materia toties tam turpiter hallucinatos esse. Itaque si responsio directa tibi non arrideat, ex prudentiali hac & reflexa præsumptione crede, illos, non sibi contradixisse, sed te, quod hominis est, hac in re aliquid humani passum esse. Sic enim & tuæ, & illorum existimationi consules. Tuæ quidem, quia contra omnes indebitè te non eriges. Alienæ verò, quia communi omnium judicio de ipsorum summa ingenii ac prudentiæ laude tuum etiam calculum adjunges.

Modus scribendi cujusdam non placet.

22. Quod attinet ad Auctorem illum, omnibus quidem notum, sed tacito nomine à Celladeo expressum, dico, me talem scribendi modum non probare, non quòd similis scribendi modus noxius foret, si omnia debitè juxta mentem cautè scribentium accipiantur; in eo enim casu modus ille scribendi aliud non exprimeret, quàm si diceret, omnes opiniones in libro illo collectas, quæ libertati favent, esse tutas, quamvis contrariæ sint probabiles, & à multis ex vi solarum rationum derectè probantium censeantur esse veræ. Displicet tamen ille scribendi modus, quia dat ansam malevolis carpendi omnia, & quia sciolis præbet occasionem existimandi, dissertationes morales esse frivolas, cùm quæstiones eædem sub terminis apparenter contradictoriis proponantur ut veræ. Itaque Auctor ille meo judicio longè meliùs fecisset, si novum illum & inusitatum, ac proinde cavillationibus subjectum, scribendi modum non adhibuisset; speroque fore, ut nemo in posterum ejus vestigia secuturus sit.

Omittitur examen aliorum, quia sunt prioribus similia.

23. Omitto, quæ Celladeus deinde *in hac quæst.* subjungit de bello, & casuum Collationibus, quia nil prorsùs habent speciale, quod in reliquis non contineatur. Contendit enim ostendere, quod omnis disputatio pro parte tutiore esset inutilis in illis materiis, si disputans tandem resolveret, partem oppositam, non obstante sua assertione, esse absolutè tutam. Primò proponit laborem ac modum disputationis, deinde asserit illum esse prorsùs inutilem. Sed ut id probet, se remittit ad argumenta priùs à se allata, per quæ putat se talis operis inutilitatem palam ostendisse. Verùm sicut constat argumenta illa in casibus antea propositis nullius fuisse momenti, ita pariter idem dicendum in casibus istis, modò omnia utrobique eodem modo se habeant, ut ipse supponit, & omnes, qui in casibus ejusmodi debitè arguere volunt, debent supponere. Quocirca cùm nulla sit peculiaris difficultas in ipsa re, sed solùm novi casus prioribus quoad omnia prorsùs similes proponantur, non opus est peculiari eorum discussione.



QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA-NONA.

Vtrùm licitum sit impugnare opinionem, quam quis tutam esse existimat?

1. CELLADEUS postquam tradidit, inutilem esse laborem Theologorum, qui partem suæ opinioni contrariam docent esse tutam, paradoxum paradoxo addens, *quæst.14.* contendit, eundem laborem illicitum esse & peccaminosum. Hoc uno dicto omnes benignæ sententiæ Auctores, id est, omnes omnino Doctores, qui per sæculum integrum in Ecclesia floruerunt, sceleris condemnat, eosque non solùm inutiliter, sed in maxima suarum resolutionum parte etiam turpiter laborasse contendit. Quem, quæso, tam audax accusatio ad communem tot innocentium, imò tot sanctissimorum sapientissimorumque virorum de Ecclesia optimè meritorum, causam defendendam non excitaret? Pudet me, fateor, quoties video hominem serium, tam audacter, nullo tot sapientum habito respectu, talia effutientem. Nec pudet tantùm, sed etiam talis hominis me miseret, eò quòd illum propriis imaginationibus, iisque debilissimis, tamquam argumentis validissimis abreptum videam. Unde timeo, ut eum ab illis avellere possim. Quid ergo faciam? omittámne defensionem tam necessariam? Absit. Curandum saltem erit, ne tam perniciosa persuasio aliorum animos subeat, & ut ex aliquorum mentibus evellatur, si quas suspicio tam absurda invaserit. Hoc ut præstem, sit

Hortenda accusatio à Celladeo Theologis illata.

ASSERTIO PRIMA.

Illicitum est cuivis impugnare quidquam tamquam peccaminosum, quod sufficienter ipsi constat esse licitum; aut quod ipse, omnibus pensatis, absolutè credit esse honestum.

2. PROBATUR. Qui talia impugnat, multiplicat præcepta certò non lata. Ergo claudit cœlum proximo, quem instruit; cùm viam salutis difficiliorem reddat, quàm Deus illam instituit. Et quidem hoc facit absque ulla necessitate, immo contra veritatem sufficienter notam. Ergo absque dubio peccat. Sic peccaret, qui doceret nuptias esse malas, aut homines sub peccato obligari ad communionem quotidianam, quia præcepta multiplicaret. Multò magis peccaret, qui doceret rem à Deo præceptam esse malam & prohibitam. Sic peccaret, qui doceret, homines post votum continentiæ teneri ad nuptias, quia solveret mandatum reddendi vota. Audiatur Christus *Matth. 5. 19. Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum.* Et quidem inevitabiliter peccat talis homo, quando certò constat, Deum aut non præcepisse rem talem, aut oppositum præcepisse.

Quod scitur, aut absolutè creditur bonum, illicitè docetur esse malũ.

Sed peccat etiam, quando absolutè judicat rem esse bonam, quam docet esse malam; tum quia reus est in conscientia sua eorundem malorum, quorum reus fuisset, si certò scivisset rem illam esse bonam; in utroque enim casu expressè operatur contra conscientiam. Præterea in utroque casu mentitur, & consequenter decipit proximum in re summi momenti contra jus indubitatum illius. Alia ad idem probandum afferri possunt, sed in re perspicua non opus est plura coacervare.

Hinc infertur, neminem ex iis, qui benignam sententiam sequuntur, licitè impugnare ullam sententiam ut absolutè insufficientem pro regulandis conscientiis, quam certò scit esse probabilem. Ratio est, quia mentiretur, idque in re summi momenti, cùm per ultimam suam sententiam absolutè existimet, oppositum esse verum.

ASSERTIO II.

Sæpe licitum, immò aliquando præceptum est, alios docere ea esse illicita, quæ scimus, aut meritò præsumimus esse illis tuta.

3. PROBATUR. Omnia tuta sunt invincibiliter ignorantibus illa esse prohibita. At sæpe contingit, aliquos invincibiliter ignorare legem, quam alii certissimè norunt. Ergo sæpe multa sunt aliquibus tuta, quæ aliis sunt certò inhonesta. In hoc casu, aut semper, aut fere semper licet ignorantem de veritate instruere, & sæpe ad hoc strictè obligamur, quando scilicet, officium Pastoris, Magistri, Superioris, Consiliarii, aut Instructoris id postulat. Ecce, sæpe licitum, immo sæpe necessarium est, docere ea esse illicita, quæ iis, quos instruimus, sunt tuta. Et sanè, cùm hoc ex principiis Celladei, admittentis ignorantiam invincibilem à toto excusare, demonstrativè sequatur, mirum est, eum hoc non vidisse, sed cum omnimoda universalitate tradidisse oppositum, suamque sententiam aliis argumentis non roborasse, quàm quæ ipsemet in his casibus solvere tenetur, ut clariùs constabit, quando objectiones ponderabimus. Interim laudanda est Dei providentia, quòd permiserit hominem in illis ipsis rebus, cæteroquin clarissimis, ob defectum obvios terminos debitè distinguendi, patenter errasse, in quibus viros sanctitatis ac sapientiæ laude clarissimos, plurimosque Ecclesiæ Doctores non solùm operis inutilis accusat, sed etiam sceleris ac peccati damnat.

Sæpe tenemur docere ea esse mala, quæ tuta sunt iis, quos instruimus.

ASSER-

ASSERTIO III.

In rebus incertis licet impugnare ut directè illicitum, quod absolutè tutum putatur.

In rebus incertis, Theologi sæpe tenentur, & semper possunt conari eam partem impugnare ut directè illicitam, quam omnibus inspectis tutam reputant.

4. PROBATUR. Theologus, cui casus solvendus proponitur, tenetur suum munus implere. Munus autem ipsius postulat, ut veritatem diligenter inquirat, atque deinde proferat, quod sentit. Jam fieri poterit, ut Theologus, determinando casum, inveniat rationes rei propositæ inhonestatem directè probantes rationibus ejusdem rei honestatem probantibus prævalere. Rursus, hoc non obstante, fieri etiam poterit, ut existimet, rationes rei honestatem confirmantes esse certò probabiles, & consequenter, ut reputet rem illam, omnibus omnino rationibus (etiam reflexis) debitè examinatis, esse licitam. In hoc casu, qui certè frequens est, Theologus ita tenetur dicere rem illam esse absolutè licitam, ut etiam teneatur rationes exponere, quibus motus est ad ejusdem inhonestatem ex vi rationum directè tantùm probantium asserendam. Tenetur, inquam, ita dicere, quando totum hoc ab ipso exigitur, & ipse in se assumpsit munus utroque modo casum resolvendi, & sincerè exprimendi quod sentit. Jam nulli dubium esse potest, quin hoc sit verum, quando casus est novus, & antea examinatus non fuit. Verùm eadem ratio valet de casibus antea examinatis, & utrimque certò probabilibus, quia probabilis prioris Theologi resolutio non tollit, quo minùs secundus & tertius Theologus similem laborem assumat, paremque ad casum illum resolvendum suumque munus implendum industriam adhibeat, quia omnium Theologorum munus postulat, ut in rebus incertis ad veritatem indagandam, si fortè inveniri possit, sedulò incumbant. Ergo in rebus incertis sæpe tenemur, & semper licitè possumus conari eam partem impugnare ut directè illicitam, quam, omnibus inspectis, tutam reputamus.

Ratio à priori.

5. Probatur secundò à priori. Quando partem aliquam, omnibus inspectis, esse & judicari tutam dependet ab eo, quòd illa antea validissimè impugnetur, tunc absque dubio licèt partem illam impugnare, quia hoc planè necessarium est, ut sciamus, utrùm pars illa sit tuta & à Deo permissa: sed ultima resolutio Theologi, dicentis rem, omnibus inspectis, esse licitam, necessariò dependet à valida ejusdem impugnatione, seu à seria omnium, quæ in contrarium afferre potest, consideratione. Hac enim consideratione non præmissa, non implet munus suum, nec certò dicere potest, rem illam esse certò probabilem, ut patet. Ergo in rebus incertis licet Theologo impugnare quod tutum existimat. E contrario, si, disputatione præmissa, ex vi rationum directè probantium credat, rem illam esse illicitam, eoque non obstante, honestas rei illius ab ipso probabilis judicetur, ex hoc ipso certa ejusdem probabilitas legitimè infertur, ut dictum est *quæst. 6. de Consc. prob.* Porro in hac certa probabilitate ultima resolutio per rationes indirectas & reflexas fundatur. Ergo non modò licitum, sed valdè expediens est, aut etiam prorsùs necessarium præmittere propriam sententiam de opposito, ad hoc ut veritas reflexa certiùs eliciatur, ac ultima tandem casus resolutio proferatur.

Multiplex tuti divisio.

6. Probatur tertiò, declarando diversitatem, quæ inter diversa tuta certissimè intercedit. Indistinctio enim, & confusio omnium tutorum est radix æquivocationis, ex qua Celladeus deceptus est. Tribuit enim omni tuto, quod uni tantum convenit; cùm tamen certum sit, aliud uni tutorum generi, aliud alteri tribui debere. Itaque alia sunt tuta per se, alia solùm per accidens. Illa sunt tuta per se, quæ certò constat esse permissa. Sunt autem & dicuntur esse talia per se, quia supremus creaturæ rationalis gubernator directè & per se voluit ea exerceri posse absque peccato, suamque hanc voluntatem hominibus expressè declaravit. Illa sunt tuta solùm per accidens, quæ ob aliquam operantis dispositionem, per accidens & non ex directa Dei intentione illi inexistentem, ad peccatum imputari non possunt. Talia sunt, quæ ex errore invincibili creduntur esse licita, cùm tamen verè sint illicita, & si veritas innotesceret, absque peccato patrari non possent. Ex hoc sequitur alia *tuti* divisio. Aliud enim omnibus, aliud uni solùm, aut paucis tantummodò est tutum. Aliud est tutum huic & non illi. Aliud illi & non huic. Horum omnium ratio eadem est, quia scilicet omnes certò norunt aliqua non esse peccaminosa, & illa sunt tuta omnibus. Alia ab omnibus ferme sciuntur esse illicita, quæ tamen ab uno aliquo, vel paucis invincibiliter creduntur esse permissa. Alia ab hoc, non ab illo, alia ab illo non ab hoc invincibiliter reputantur licita, adeoque quod tutum est illi, huic tutum non est, & è contra. Hisce positis,

Tuta per se non sunt impugnanda, sed tuta per accidens impugnari possunt.

7. Probatur assertio hoc modo. Illicitum quidem est impugnare, atque pro peccaminosis proponere, quæ per se sunt tuta, juxta dicta *in prima assert.* Nihilominus certò licitum est impugnare atque evertere, quæ sunt solùm tuta per accidens huic, & non illi, ut dictum est *in secunda assertione.* Et ratio est, quia ubi veritas ac Dei voluntas certò innotescit, justum est, & sæpe necessarium errantes instruere, & efficere ut amplius absque peccato non agant, quæ antea tuta conscientia faciebant. Eadem porro est ratio de omnibus, quæ sub opinione hinc inde cadunt. Nam illa sunt solùm tuta per accidens, scilicet propter ignorantiam, vel errorem invincibilem. Itaque cùm non constet, an verè secundùm se sint, vel non sint permissa à Deo, & unusquisque non solùm licitè, sed valde honestè omni diligentiâ inquirere possit Dei voluntatem, donec eam invenerit; utique sequitur, cuique licitum esse impugnare opinionem, quam tutam ac veram reputat. Nec mirum, quia Deus hoc ipsum aut præcipit, aut consulit. Præcipit id, quoties veritas non est sufficienter inquisita, quia nisi sufficiens diligentia præcesserit, peccat qui facit id quod licitum putat, si habeat motiva suadentia illud esse illicitum, ut patet. Consulit verò id ipsum, ut sic veritas à Deo directè intenta eliciatur. Rursus spes adest veritatem ipsam certò inveniendi, quia sicut in prioribus sæpe factum videmus, sic in posterioribus futurum speramus, ut sedulâ Theologorum diligentiâ, veritas innotescat, & ea certò sciantur esse inhonesta, quæ jam sunt certò probabiliter licita, & reflexè considerata communiter habentur tuta.

Licet impugnare, quod creditur inhonestum.

8. Probatur quartò. In rebus incertis, quæque quoad nos sunt solùm tuta vel non tuta per accidens, licet rationes investigare ad probandum esse licitum, quod probabiliter tantùm creditur

ditur esse peccaminosum. Ergo ex opposito licet impugnare quod probabiliter creditur licitum, ac rationes investigare, quibus illud convincamus esse inhonestum. Tenet consequentia, non solùm ex paritate rationis, sed etiam, quia quidquid afferri potest ad probandam aut improbandam honestatem unius, æquè valet ad alterius honestatem vel inhonestatem comprobandam, ut patebit, ubi rationes Celladei examinabimus. Probatur antecedens, quia hoc jus libertati competit, ut in rebus incertis rationes quærat, quibus veritatem, si possit, sibi faventem reperiat; nec in hoc ulli injuriam facit, aut ullam rectæ rationis regulam transgreditur. Sic quamvis sit probabile, rem à Titio possessam ad Caium pertinere, licet Titio rationes investigare, quibus rationes Caii elidat, opinionem priorem mutet, & rem ad se pertinere convincat: similis autem ratio valet pro conscientia; quia licèt fortè non tenear veritatem præcepto faventem investigare, quando semel probabiliter inveni illam libertati favere; nihilominus ex affectu erga Deum, & ipsam veritatem, quam Deus directè intendit, prudenter possum rationes excogitare, quibus in favorem veritatis pro Dei lege contra meam libertatem, sententiam feram.

In speculativis licet impugnare sententiam stabilitam.

9 Demum apud omnes in speculativis æquissimum reputatur, assertionem, etiam jam stabilitam, argumentis quatere, ut veritas illius altiores radices agat, & fortius menti inhæreat. Nec quisquam dubitare potest, quin hoc sapienter & prudenter fiat. Ergo idem locum habet in moralibus, in quibus veritas per objectionum solutionem non minùs confirmatur, quàm in speculativis. Et sanè non solùm objectiones, sed etiam ipsa opinio de directa rei inhonestate est instar validi argumenti, quo absoluta rei honestas, omnibus inspectis, impugnatur. Ergo prolatio talis opinionis, ejusque confirmatio ex nullo capite potest esse magis illicita, quàm quævis objectio contra assertionem de rerum honestate positam. Et sanè hæc omnia eò tendunt, & ad id singulariter deserviunt, ut veritas ipsa meliùs innotescat. Ergo non turpiter & peccaminosè, sed honestè & laudabiliter fiunt. Itaque veritas assertionis est inconcussa.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

10. OBJICIT primò. Quod ex suâ naturâ tendit in destructionem rei per se & intrinsecè bonæ est malum, & peccaminosum. Sed omnis oppugnatio doctrinæ tutæ naturâ suâ tendit in destructionem rei intrinsecè bonæ, quia omnis doctrina tuta in scientia morali est intrinsecè bona, cùm ad virtutem conferat, moresque rectè dirigat. Ergo omnis oppugnatio doctrinæ tutæ est mala & peccaminosa. Sed talis est labor Theologi, qui oppugnat & quatit doctrinas, quas tutas reputat. Ergo talis labor malus est & peccaminosus. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 14. §. unico.*

Argumentum procedit ex suppositione falsa.

Respondeo inprimis, argumentum hoc fundari in suppositione, quod duæ illæ assertiones Theologi sibi contradicant; si enim sibi non contradicant, una non oppugnat, nec destruit aliam. At certum est unam alteri non contradicere, ut quæstione superiore ostensum est. Ergo, &c.

Celladeus juxta propriam opinionem incurrit periculū, quod aliis imponit.

11. Respondeo secundò. Si hæc objectio veram doctrinam contineret, malè sibi consuluisset Celladeus hunc librum edendo; quia inprimis totis viribus impugnat benignam sententiam, quæ si vera sit (est autem verissima) jam ille doctrinam tutam & veram evertere satagit. Ergo ex propria sententia peccat, saltem si erret. Est autem valdè periculosum ne erret, cùm communem omnium sententiam impugnet. Ergo summo saltem peccandi periculo se commisit. Ergo in hoc ipso peccavit, quia absque ulla necessitate sponte in hoc peccandi periculum se conjecit. Et hoc quidem dictum sit ad hominem ex ipsius principiis.

Celladeus instantiâ valida refutatur.

12 Respondeo tertiò, argumentum hoc æquè procedere contra impugnantes ullam sententiam veram, ac contra Theologos docentes, illud omnibus pensatis esse licitum, quod ex vi rationum directè probantium putant non licere. Quicumque enim impugnat sententiam veram, in qua homines bona fide procedunt, oppugnat & quatit doctrinam tutam & suam. Ergo omnes Theologi peccant, quicumque veram opinionem impugnant. Ergo vel S. Thomas, vel S. Bonaventura peccarunt moralia docendo, quia certum est, alterum alteri in multis contradixisse. Ergo alter eorum impugnavit doctrinam tutam & sanam. Ergo alter eorū in hoc ipso peccavit. Nescio quid dicturus sit Celladeus ad consequentiam. Horret animus credere, quòd eam admittat. Negare autem non poterit, nisi doctrinam suam in objectione contentam solvat, ac refellat.

Celladei cōtradictio.

13. Respondeo quartò. Celladeum teneri ad hanc suam doctrinam evertendam, ut se à contradictione salvet, si minùs animetur ad eam repudiandam, ut sanctos ipsos à peccato excuset. Inprimis enim sic arguo. Judicium & conscientia, immò & doctrina, quam homines invincibiliter ignorantes aut errantes sequuntur, est doctrina tuta, quia, Celladeo fatente, eam sequentes à toto excusat. Ergo peccat, qui eam impugnat, si hæc objectio veram doctrinam contineat; & tamen certum est, eum sæpe peccare, qui illam non impugnat. Ergo talis homo necessariò & inevitabiliter peccat. Et hæc quidem ad indirectam responsionem abundè sufficiunt.

Principium quo Celladeus utitur est falsum.

14. Respondeo ergo directè, & inprimis nego majorem in sua universalitate, quia ex bonis contrariis, alia aliis æquivalent, alia aliis præcellunt; in quo casu quod destruit aliud non est malum, sed bonum æquale vel majus. Sic lumen gloriæ expellit fidem, & *perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4. 18.* Nec tamen mala sunt, quamvis ex sua natura destruant fidem & timorem, quæ sunt intrinsecè bona. Jam in nostro casu doctrina expellens aliam tutam (si tamen eam expellat, nam sæpe non expellit, sed solùm ad illius expulsionem tendit) est saltem æquivalens doctrinæ, quam expellit, & in opinione Auctorum illam approbantium est melior. Unde non sequitur, talem doctrinam esse malam.

Major distinctione eliditur.

15. Deinde distinguo majorem. Quod tendit in destructionem rei intrinsecè bonæ, si certò constet illam esse bonam, est peccaminosum, transeat major. Si Dubium sit, an sit intrinsecè bona, aut ejus bonitas sub opinione utrimque probabili contineatur, nego majorem. In hoc enim casu omnes ad certam veritatis cognitionem honestissimè enituntur. Jam Theologus, de quo loquitur Celladeus, versatur in re dubia, aut utrimque probabili. Ergo ideo non malè operatur, quia tendit ad destructionem rei, quæ fortè est bona. Similis distinctio boni per se, & boni per accidens, boni huic & non illi, &c. vim majoris elidit, ejusque veritatem evertit: per accidens enim est, quòd cognitio probabilis, maximè si sit falsa, ad mores rectè dirigendos huic

vel

vel illi sufficiat; quia primi parentes ante lapsum talibus cognitionibus non dirigebantur; & alii etiam dissimilibus cognitionibus utuntur. Jam qui ex studio veritatis, quæ sola est bonum intellectûs per se appetendum, rem solùm per accidens bonam evertit, non peccat, sed ex genere suo bene agit.

Item & minor.

16. Similiter distinguo minorem. Oppugnatio doctrinæ, quæ per se & nullâ factâ suppositione est tuta, tendit in destructionem rei intrinsecè bonæ, transeat minor: oppugnatio doctrinæ tutæ solùm per accidens & ex aliqua tantùm suppositione contingenti, tutæ huic & non illi, &c. tendit in destructionem rei intrinsecè bonæ, subdistinguo; certò bonæ, nego minorem, nisi fortè loco illius substituat aliud certò melius, aut æquivalens, ut in depulsione erroris invincibilis evenit. Probabiliter bonæ, & probabiliter malæ, transeat minor. Et nego consequentiam, quia non omnis doctrina tuta est tuta per se, sed aliqua solùm per accidens, ut patet. Rursus ex iis, quæ sunt tuta per accidens, aliqua habent doctrinam oppositam certò meliorem; talis est doctrina invincibiliter quidem, sed certò erronea, cui certa veritatis cognitio præcellit. Alia habent doctrinam oppositam probabiliter meliorem, ut evenit inter opiniones utrimque certò probabiles. In hisce casibus non est illicitum doctrinam per accidens tutam convellere, eamque veritatis indagandæ studio impugnare, imo sæpe id est absolutè necessarium, & plerumque maximè expediens, ut veritas magis ac meliùs elucescat, atque negligentia tam directam Dei voluntatem, quàm quæ per se sunt tuta indagandi evitetur.

Celladeus in proponendo argumêto indebitè procedit.

17. Cæterùm in casu nostro hoc etiam advertendum est, Theologum non impugnare directè ullam doctrinam, quam tutam putat. Ille enim tutam putat doctrinam reflexam, quæ habet pro objecto opinionem directè probabilem, & essentialiter supponit opinionem, de qua reflexè agit, esse talem. Jam Theologus ille directè non impugnat hanc doctrinam, nec contendit probare, illam esse falsam, cùm illam propugnet, habeatque pro tuta conscientiæ regula. Quid ergo facit? indirectè tantùm illam impetit, quatenus nititur auferre ac destruere objectum, in quo fundatur; eò enim solùm collimat, ut, si possit, directam de talis rei honestate probabilitatem tollat. At certissimè licet hoc modo impugnare doctrinam tutam, ut videre est in errore invincibili. Qui enim errorem illum amovet, non eò collimat, ut destruat generalem illam doctrinam reflexam, *quod ignorantia invincibilis à toto excuset*, quia scit & supponit eam esse veram; sed eò solùm, ut tollat objectum, circa quod talis doctrina hîc & nunc versatur, idque facit substituendo aliquid melius illo errore. Ita pariter evenit in casu nostro, quia Theologus solùm nititur ad tollendum objectum, circa quod benigna sententia reflexè versatur, idque facit ex animo substituendi aliquid melius illo objecto, quodque meliùs illo regulat actiones honestas. Ergo non peccat, sed laudabiliter operatur. Quod si Theologus impugnet honestatem illius rei directè consideratam, non ideo impugnat rem, quam putat tutam, quia rem illam sic solùm consideratam non existimat tutam, sed peccaminosam.

Objectio 2.

18. Objicit secundò. Idem est in doctrina morali, eam esse tutam, ac in moribus, eos esse honestos. Sed illicitum est oppugnare mores honestos. Ergo illicitum est oppugnare doctrinam tutam. Confirmatur; qui impugnant doctrinam sanam, eam non ferunt, nec sustinent. Hi autem reprobantur à S. Paulo, & tamquam malè agentes censentur redarguendi. Ergo illicitum est oppugnare doctrinas tutas & sanas, atque illas docentibus contradicere. Ita Celladeus ibidem.

Mores boni circa objecta per accidens tuta licitè impugnantur, idque dupliciter.

Respondeo mores honestos dupliciter impugnari posse: primò, contendendo eos, qui sunt verè honesti, honestos non esse. Secundò, concedendo eos esse honestos, & tamen eos tollendo; efficiendo scilicet suâ doctrinâ, ut ob defectum alicujus requisiti amplius poni non possint. Si in primo sensu loquamur, tunc solùm illicitum est impugnare mores honestos, quando certò constat illos esse honestos; nam quamdiu res est dubia, aut utrimque probabilis, nemo peccat partem alteram impugnando, etsi verè contingat, eum præter suam spem & opinionem falli, & damnare ut malum, quod est honestum; modò non leviter, sed cum debita diligentia & maturitate procedat. Hic est casus noster, ut patet. Ergo non peccat, qui errore probabili deceptus impugnat mores honestos, tradendo ea esse mala, quæ verè sunt honesta. Si loquamur in sensu secundo, sæpe licèt eo modo mores honestos impugnare; hoc enim modo ille eos impugnat, qui invincibiliter errantem instruit, suâ enim doctrinâ ponit instructionem, qua error ille tollitur, in quo honestas operationis fundabatur, atque ita efficit, ut similis actus à voluntate ampliùs elici non possit. Hoc modo Theologus impugnat sententiam tutam, quia conatur aliam persuasionem, & quidem, ut ipse putat, meliorem in mentes auditorum inducere, qua stante, tollitur prior persuasio, à qua actus honestus dependebat, atque ita indirectè actus ille inhonestus impeditur, cùm ob defectum suæ causæ ampliùs elici non possit. Hæc via indirecta impugnandi, seu potius tollendi actus honestos licita est, quando aut certum est, aut certò probabile, quòd persuasio, in qua illi fundantur, sit erronea. Tunc enim justo veritatis zelo, ac prudenti spe melioris & appetibilioris regulæ, incitamur ad priorem persuasionem eradicandam, atque ita ad indirectè impediendas illas operationes, quæ antea per accidens tutæ & honestæ erant.

Celladeus incongruè citat S. Scripturam.

19. Ad confirmationem, peto à Celladeo, ut vel unum Interpretem afferat, qui dicat aut sentiat, S. Paulum nomine *doctrinæ sanæ* intellexisse doctrinam veram quidem sed incertam, de qua nobis non constat quòd sit vera, cùm Doctores præcipui hinc inde probabiliter de illâ diversa sentiant. Si nullum afferre possit, (& haud dubiè nullum potest afferre, cùm textus ipsi apertè loquantur de doctrinis certis, & Interpretes, quantum hactenus observavi, de solis indubitatis doctrinis loca illa accipiant) cur quæso similia objicit, quæ in sensu obvio ac legitimo ad rem non faciunt? Immo cur Sacram Scripturam ad ea extendit, ad quæ juxta sensum, quem litera præ se fert, quemque Interpretes, absque ulla exceptione aut apparenti extensione ad doctrinas incertas, pro solis doctrinis certis amplectuntur, extendi non potest? Ecce Paulus reprehendit eos, qui doctrinam sanam, id est, certam & indubitatam non sustinent, sed à veritate ad fabulas se convertunt, illosque redarguendos esse docet. At nec S. Paulus, nec ullus eos reprehendit, qui in rebus incertis & utrimque probabilibus sese mutuo impugnant. Ergo Theo-

Theologus, de quo est sermo, non reprehenditur à S. Paulo, ut Celladeus absque fundamento arbitratur.

20. Dices: illa doctrina est sana, quæ tam utilis est ad peccatum arcendum, & meritum acquirendum quàm alia doctrina. Atqui talis est per nos opinio probabilis etiam falsa, quia qui illam sequitur, & peccatum vitat, & meritum accumulat, immo nil minus accumulat, quàm si doctrinam veram ac certam secutus fuisset. Hic est sensus Auctorum benignæ sententiæ. Ergo qui illam doctrinam impugnat, sanam doctrinam non sustinet. Ergo & censuram S. Pauli incurrit, & malè facit, quia doctrinam sanam evertere satagit. Ita Celladeus partim innuit, partim dicit loco citato.

Doctrina falsa non est propriè loquendo doctrina sana.

Respondeo. Quamvis doctrina probabilis, etiam falsa, redderet operationem, quam dirigit, tam meritoriam, quàm doctrina vera & certa, & sic in aliquo sensu æquivoco dici possit sana; tamen non est doctrina sana, in sensu, quem S. Paulus doctrinam sanam intelligit. Ergo nemo ex illo textu contra Theologum impugnantem opinionem probabilem tutam rectè arguit. Deinde peto à Celladeo, ut proferat Auctores benignæ sententiæ, qui communiter dicant, opinionem probabilem falsam, aut errorem invincibilem esse doctrinam sanam in sensu Apostoli. Dicunt illi quidem, opinionem probabilem, & errorem invincibilem esse cognitiones tutas, & aliquo modo sanas, quia qui operatur juxta illorum præscriptum non peccat, sed omnibus pensatis laudabiliter operatur. Hæc illi, & benè. Sed ubi, quæso, invenies eos, qui tales doctrinas pleno ore, in sensu dogmatico S. Scripturæ & non cum restrictione aliqua sanas appellant? Error certè non est doctrina in tali sensu sana, quia sanitas non nisi in completa omnium humorum consonantia consistit. At falsitas & error continet dissonantiam inter actum & objectum. Ergo error non est doctrina sana in sensu dicto. Certè sanum plus dicit, quàm tutum, quia multæ medicinæ tutæ sunt, quia non nocent, etsi non sint sanæ, eò quòd sanitatem non inducant. Fateor ergo opinionem probabilem de rei honestate esse opinionem in praxi tutam; illam tamen, sive vera sit, sive falsa, non sine vocis restrictione doctrinam sanam appellare ausim. Si falsa est, non est in dicto rigore sana. Si vera est, non ideo est doctrina, quam simpliciter & rigorosè sanam appellamus in sensu Sacræ Scripturæ, quia an vera sit formidamus, cùm non nisi probabiliter credamus illam esse veram.

21. Instabis. Cur non dicetur sana, si & peccatum, seu animi morbum & mortem arceat, & meritum, quæ est virium animi augmentum, non minus, quàm si esset vera & certa, augeat?

Fidelitas in Celladeo desideratur.

Respondeo, me hìc iterùm in Celladeo desiderare fidelitatem. Proferat enim graves Auctores benignæ sententiæ, qui communiter dicant, operationem, ab errore invincibili aut ab opinione probabili falsa regulatam, esse tam bonam ac meritoriam, quàm est operatio, quam cognitio vera & certa dirigit. Si eos proferre non possit, sicut non potest, desinat suam imaginationem pro eorum communi sententia venditare. Nec sufficiet, si unum aut alterum eo modo incidenter loquentem proferat; hoc enim non sufficit, ut hæc sit communis benignæ sententiæ Auctorum opinio, ut patet. Itaque dico opus à doctrina erronea regulatum non esse tam bonum, quàm opus à doctrina certa profectum, quod probatum est supra *quæst. 4.* Itaque doctrina erronea non est absolutè sana, ne quidem in hoc sensu, cùm in ordine ad sanitatem & vires animæ augendas defectum habeat. Est quidem tuta per accidens, & aliquo modo prodest, non tamen est tuta per se, & multò minus simpliciter sana in sensu Apostoli, tum quia defectum habet; tum quia operationes, quas dirigit, reddit minus bonas, quàm cognitio vera & certa; tum vel maximè quia est falsa, & discordat ab objecto, quod proponit. Jam Theologus impugnans hujusmodi doctrinam, eo fine laborat, ut aliam utiliorem & saniorem, imò simpliciter sanam ejus loco substituat, quæ regulet operationes humanas, easque meliores reddat, quàm quæ ab errore regulantur. Ergo non malè, sed benè & laudabiliter talem doctrinam impugnat.

22. Cæterùm hìc omittendum non est, tam Celladeum quàm alios nostros adversarios mirè æquivocare in exponenda benigna sententia. Nos expressè docemus, nullum actum bonum immediatè regulari posse nisi à cognitione vera & certa. Itaque nullam doctrinam aut cognitionem sanam dicimus, nisi quæ vera est & certa, quamvis aliqua doctrina nec certa nec vera dicatur & sit tuta, quatenus fundat consultationem evidentem, qua de operationis honestate certificamur. In tantum enim dicimus, opinionem probabilem esse sufficientem regulam objectivam & remotam actionis honestæ, in quantum occasionem præbet, ut intellectus per principia synderesis reflexa novam consultationem instituat, atque ita consurgit ad formandum dictamen certum & infallibile de honestate operationis sequuturæ. Jam opinio probabilis, sive vera sive falsa, non ingreditur hanc consultationem tamquam præmissa, sed tamquam objectum, ut sæpe dictum est. Itaque nulla opinio probabilis, & nulla probabilitas aliter dici potest tuta morum regula, nisi remotè & occasionaliter. Jam Theologus, impugnans opinionem probabilem, hanc immediatam morum regulam indirectè tantùm impetit, quatenus nititur ad probabilitatem, aut errorem evertendum, in quorum altero certum conscientiæ dictamen tamquam in objecto fundabatur. At hoc sæpe necessarium est, & semper aut fere semper licet, ut ex dictis apertè constat.

Nos nullam doctrinam sanam agnoscimus præter veram & certam.

23. Hæ, nec aliæ sunt rationes, quas Celladeus pro magna illa accusatione, qua omnes benignæ sententiæ Auctores peccati condemnat, confirmanda attulit. Verùm illæ nullius roboris sunt, cùm fundentur, in aperta rerum & vocum æquivocatione. Distinctiones, quas adhibui, omnibus obviæ sunt; illæ autem tam clarè totam quæstionis hujus naturam exponunt, atque singula ita in suas classes distribuunt, ut nullum de rei veritate dubium superesse sinant. At Celladeus in re tam obvia nullius distinctionis meminit, sed diversissima, sibique in ordine ad considerationem moralem dissimilia, una voce comprehendit, unoque sensu accipit, & omnibus ea tribuit, quæ ob specialem rationem specificam uni tantùm parti conveniunt.

Ingens Celladei accusatio est nullius ponderis.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA.

Utrùm benigna sententia, tradens usum opinionum probabilium esse licitum, ullam patiatur limitationem?

Celladeus inconsequentiâ nobis immeritò affingit.

1. CELLADEUS, ut invidiam in opinionem benignam, & inconsequentiam in ejus Auctores conjiciat, totâ *quæst. 15. lib. 1.* multùm laborat, ut ostendat Auctores illius nil universaliter hac ex parte tenere, sed alios hasce, alios illas limitationes afferre. Inprimis asserit, Auctores quosque gravissimos assertum suum restrinxisse ad casus, in quibus quæstio solùm procedit de licito & non licito, nec imminet præjudicium tertii. Unde inprimis quidam docent, Judicem obligari ad sequendam probabiliorem, &c. Alii eandem restrictionem ad Medicos, Chirurgos, & Sacramentorum Ministros extendunt. Unde infert, opinionem asserentem usum opinionum minus aut æquè probabilium esse licitum, non esse plurimorum gravissimorumque Auctorum, sed paucorum, eamque ad pauca extendi, quia maxima moralis Theologiæ pars pertinet ad justitiam commutativam, vel distributivam, aut certè agit de casibus tertiam personam concernentibus. In hisce autem materiis gravissimi quique Auctores obligant omnes aut ad tutiorem, aut certè ad partem probabiliorem. Hinc auctoritas opinionum minùs aut æquè probabilium usui favens, plurimùm imminui videtur. Sed & aliorum auctoritatem ex eo etiam imminutam vult Celladeus, quòd inconsequenter in hac materia discurrant, cùm aliqua, imò plurima excipiant, in quibus tamen eadem ratio militat. Putat ergo exceptiones plurimas esse prorsùs necessarias, maximè illam de Judice. Immò §. 2. multa ingeniosa & solida adducit ad probandum, illicitum esse Judici sequi opinionem minùs probabilem. Hoc peracto, contendit exceptionem Judicis esse inconsequenter factam, ideoque omnia prorsùs esse excipienda, idque ex mente illorum Auctorum, quos tam firmiter adhæsisse dicit exceptioni illi (quæ prorsùs necessaria est) ut si coacti fuissent vel ad usum probabilium universim negandum, vel ad eum universim in judiciis concedendum, maluissent eum prorsùs negare, quàm in judiciis concedere. E contrario approbat consequentiam eorum (quos maxima ex parte dicit esse recentiores) qui absque ulla exceptione universalissimè docent, probabile esse sufficientem rectè operandi regulam. Verùm cùm hi convincantur falsitatis in Judice, & sic cogantur exceptionem facere, cùm tamen nullum exceptioni locum esse fateantur; illi verò exceptionem faciant, & ideo inconsequentiæ arguantur, quid aliud sequitur, quàm doctrinam, ex qua talia inevitabiliter sequuntur, ex toto esse rejiciendam? Ego *in tract. de Consc. prob. quæst. 24.* fusè egi de obligatione Judicis, ibique ostendi, Judicem teneri ad partem probabiliorem, ostendique oppositum non esse probabile. Ibidem etiam æquivocationem adversariorum, qua Celladeus etiam laborat, detexi, probavique nec casum Judicis, nec ullum alium universalissimo opinionum practicè probabilium usui refragari, aut exceptionem ponere. Legatur quæstio, & quidquid Celladeus hîc objicit, & multa alia soluta, atque in adversarios retorta in illa inveniet. Quare ne dicta repetam, & satis faciam, aliud hic non præstabo, quàm æquivocationes Celladei hac in re, atque inutilitatem hujus quæstionis ab ipso institutæ detegere, aliaque ejusdem errata corrigere. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Sententia benigna de licito probabilium usu, in sensu legitimo quem Auctores illi tribuunt, nullam patitur exceptionem, sed in tota sua universalitate est vera. Propositum sit autem legitimum illius sensum explicare.

Benigna sententia nullam patitur exceptionē, sed in sua universalitate est vera.

2. DECLARATUR assertio. Inprimis benigna sententia, universaliter docens usum probabilium esse licitum, non loquitur de speculativè sed solùm de practicè probabilibus. In eo autem differt probabilitas speculativa à practica, quòd practica non de rebus & juribus, sed solùm de licito & illicito tractet. E contra verò speculativa probabilitas de juribus & rebus, non de licito & illicito enunciat. Jam Auctores omnes, qui dicunt usum probabilium esse licitum, solùm loquuntur de opinionibus practicè probabilibus. Plerique hoc expresè testantur: alii idipsum supponunt; nemo enim illorum invenietur, qui unquam dixerit, quidquam licitum ulli esse, quod non est saltem probabiliter licitum. Rursus, qui limitationes addunt, eas desumunt ab opinionibus, quæ non procedunt de licito, sed solùm de rebus, earumque existentia, virtute causativâ, &c. Sic dicunt non licere medico sequi opinionem, quâ probabiliter enunciat hanc medicinam fore utilem, si sit probabiliter etiam periculosa; modò adsint alia medicamenta non noxia, probabiliter profutura. Similiter docent non licere Sacerdoti absque necessitate consecrare in secali, quamvis probabile sit, panem ex secali confectum esse materiam consecrationis; quia in hisce aliisque casibus ejusmodi non est probabile, quòd liceat medico talem medicinam præscribere, aut quod liceat Sacerdoti talem panem consecrare. Uno verbo, nunquam afferunt ullam exceptionem de opinione probabili, quæ directè docet aliquid esse honestum. Ergo signum certissimum est, quod solùm loquantur de probabilitate practica, atque generalem suam assertionem de licito probabilium usu ad solam probabilitatem practicam restringant.

Proprius sensus benignæ sententiæ exponitur, & ostenditur omnes sine ulla exceptione in ea convenire.

3. Altera benignæ sententiæ declaratio potiùs quàm limitatio est, quòd realis tantùm certóque subsistens probabilitas, non imaginaria aut solùm probabiliter apparens requiratur, ut usus talis opinionis sit licitus. In hoc etiam omnes fermè illius Auctores conveniunt. Pauculi aliqui, & quidem valde pauculi, nec tanti nominis Auctores expresè dixerunt, opinionem probabiliter tantùm probabilem sufficere; sed hi ab aliis repudiantur, nec illorum Auctoritas tanti est, ut contra omnes priores & posteriores reclamantes assertum suum reddant certò probabile. Itaque benigna sententia universalis est, nec ullam patitur exceptionem. Asserit autem, *licitum cuique esse in materia morum sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem, etiam illam, quæ, directè considerata, est minùs probabilis, minúsque tuta.* In hac assertione omnes conveniunt, qui docent usum opinionum probabilium esse licitum, neque ullus, præter unum Comitolum, assertum suum ad probabiliorem partem restrinxit, si sermo sit de Auctoribus, qui à centum annis, ante nuperam contentionem de hac materia à Jansenistis excitatam, materiam hanc tractârunt. Cæterùm pauci illi, qui, post ortam controversiam hanc, majorem pro regulanda conscientia probabilitatem requirunt, reipsa à nobis non discrepant, cùm nos etiam teneamus neminem excusari, nisi sectetur partem, cujus honestas, omnibus argumentis etiam reflexè probantibus inspectis, est ipsi probabilior, quàm ejusdem inhonestas. Itaque illi non negant, eum tutum fore, qui sequitur opinionem directè minùs probabilem, modò ex argumentis reflexis prævalentibus probabilitas ejusdem evadat major, & operans absolutè atque probabiliùs existimet, rem illam esse absolutè licitam. Ergo reipsâ nobiscum consentiunt, ut fusè ostendi *quæst. 22. de Consc. prob.* Stat ergo benignæ sententiæ Patronos nullam prorsùs exceptionem ponere, aut de ulla particula in assertione contenta dubitare, modò illa restringatur ad probabilitatem practicam & certam, de qua sola certum est, Auctores illos esse loquutos, quando pro moribus dirigendis illam proposuerunt, quia nulla nisi sola practica probabilitas ad mores dirigendos idonea est. Itaque assertio posita est indubitanter vera.

ASSERTIO II.

Exceptiones de Iudice, Medico, Ministro Sacramentorum, aliisque ejusmodi, quas Celladeus congerit, non sunt ad rem, nec tangunt difficultatem præsentem.

Exceptiones de Judice, Ministro, &c. non sunt ad rem.

4. PROBATUR. Tota quæstio versatur in eo, an usus cujusvis opinionis certò practicè probabilis sit licitus? E contra, exempla illa procedunt de opinionibus solùm speculativè probabilibus, utpote quæ non agunt de licito & illicito, sed solùm de rebus & juribus, deque materiæ idoneitate ad aliquem effectum, &c. Ergo non sunt ad rem, neque tangunt præsentem difficultatem; ad hoc enim afferri deberent exempla opinionum practicè probabilium, quas Auctores benignæ sententiæ exciperent. Itaque quæcumque Celladeus fundat in hac exceptione, quam necessariò faciendam esse ait, nullius sunt momenti; quia sunt illationes ex subjecto non supponente, eò quòd ipse æquivocaverit, atque in unum confuderit omnem probabilitatem; ac deinde de omni negaverit, quod de altera sola negandum est, intuleritque Auctores gravissimos inconsequenter locutos fuisse, eò quòd aliter de una, aliter de altera probabilitate locuti sunt, & exceptionem suæ Thesi apposuerunt, cùm nec unam limitationem addiderunt, quæ restringeret materiam, de qua disputabant; sed solùm attulerint exempla diversi generis, ut ostenderent, se non de illo, sed de alio genere probabilium loqui; quod certè non est limitare, sed explicare assertionem, ne Lectores, ex unitate vocis *opinio probabilis* plura genera complectentis, existimarent illos agere de omni omnino opinione probabili, cùm solùm agerent de illa, quæ probabiliter enunciat aliquid esse licitum. Eadem de causa nulla ex hoc capite potuit in eis esse inconsequentia, cùm ab eo quòd non liceat sequi unum probabilium genus, non sequitur alterum probabilium genus, non esse licitum; nam si non liceat sequi quod nequit prudenter credi licitum, non sequitur, licitum non esse sectari quod certò prudenter creditur esse honestum. Hæc enim genera probabilitatum sunt adeo diversa, & inter se ratione dispositionis ad licitè operandum adeo contraria, ut ex uno ad alterum nulla trahi possit consequentia, sed necesse sit, consequentias oppositas & prorsùs contrarias ab illis deduci.

Nulla in Auctoribus benignæ sententiæ inconsequentia.

5. Dices. Nónne plures docent, Judici licitum esse sequi opinionem minùs probabilem? hoc non obstante, plurimi id negant. Ergo exemplum Judicis procedit de probabilitate practica. Ergo Auctores limitant assertionem suam de usu opinionum practicè probabilium.

Non licet Judici in judicando sequi partem minùs probabilem.

Respondeo opinionem, asserentem licere Judici sententiam proferre juxta sententiam minùs probabilem, fuisse olim saltem extrinsecè probabilem, ob multitudinem Auctorum gravium eam affirmantium. At nunc ob consensum posteriorum diligentiùs rem investigantium, novasque rationes gravissimas, ab antiquis non ponderatas afferentium, veritas ipsa sufficienter comperta est, & illa sententia jam quodammodo antiquata amplius reputari non potest probabilis, donec rationes, quas in *quæst. 24. de Conscientiâ prob.* à me expressas habes, de novo examinentur & probabiliter saltem solvantur. Hisce addo rationes à Celladeo excogitatas, qui quando sequitur communes opiniones, non minùs feliciter & verè, quàm ingeniosè in iis comprobandis laborat. Rationes ejus sunt. Prima, si Judici liceret sententiam proferre juxta sententiam minùs probabilem, eo ipso Judices in omnibus ferè litibus non ministri justitiæ (quæ nihil pro arbitrio, nihil indifferenter, sed ad unum inflexibiliter alligatur) sed arbitri essent causarum litigiosarum, ut cui mallent causam judicarent; cùm rarò, aut nunquam eveniat, quin utraque pars habeat pro se opinionem saltem minùs probabilem, quam Advocatus causæ allegat, dum Auctores & leges pro suo cliente citat. Consequens autem omnium sensu & consensu est malum.

Celladeus felix & ingeniosus est in communibus assertionibus comprobandis.

6. Secunda ratio. Frustra esset viros doctissimos ac integerrimos pro Judicibus eligere, nec ad hoc Principium conscientiæ obligarentur; quia quilibet, mediocriter doctus, sufficeret ad munus illud debitè implendum, modò distinguere posset inter probabile & improbabile. Hoc præterea ex eo confirmatur, quòd in judiciis Advocati adsunt, qui causas examinant, rationum omnium momenta expendunt. Unde facillimum erit

erit Judici dignoscere, an & cui parti faveat opinio probabilis. Demum cùm judicia sint publica, & sententia publicè feratur ac promulgetur, nemo potest esse tam perditæ famæ, qui pro parte nullam probabilitatem habente ferat sententiam contra partem oppositam probabilissimam. Advocati enim partis damnatæ, omnesque alii statim reclamarent, illumque ut injustissimum accusarent. At sequela est patenter absurda, & contra communem omnium sensum.

Ratio ab inconvenienti. 7. Tertia ratio. Hoc arbitrio judicibus concesso, melius esset loco judiciorum sortes instituere. Inprimis sic innumeræ expensæ vitarentur. Deinde sors æqualiter faveret omnibus, cùm Judex, si pro arbitratu sequi possit quamlibet partem probabilem, semper magis inclinabit ad amicos & potentes, ut illis gratificetur, & horum gratiam obtineat. Unde si hoc Judici liceret, & simpliciter malè consultum esset miseris & pauperibus, & longè deteriùs, quàm si omnes lites per sortes terminarentur. Jam ratio, quæ ostendit absurdum esse uti sortibus pro litibus de jure determinandis, ea est, quia est medium merè casualiter connexum cum deputatione rei ad legitimum Dominum, & æquè favet non Domino ac Domino. At idem eveniret in casu Judicis, quando aut opiniones essent æquè probabiles, aut Judex magis propenderet contra Dominum, quando pars minùs probabilis, ut sæpe evenit, faveret non Domino. Ergo omne inconveniens in usu sortium pro litibus determinandis involvitur in eo, quod liceat Judici sequi quamcumque opinionem probabilem voluerit. Imo majora sunt inconvenientia in arbitrio Judicis, ut dictum est.

Ratio ab auctoritate. 8. Quarta ratio. Lumen naturæ dictat, officium judicis postulare, ut dicat quod sibi videtur in causa proposita, atque eam partem præferat, quam melioribus rationibus stabilitam videt. Deinde per leges jubetur ita se gerere. Siquidem *l. qualem ff. de abitr.* & alibi statuitur, *omnino dicat quod sibi videtur.* Hisce addo ego textum ex Sacra Scriptura longè efficaciorem, & sic arguo. Si liceret Judici sequi opinionem minùs aut æquè probabilem, licitè posset misereri pauperis in judicio. Quia absque dubio ferre posset sententiam in favorem potentis, cui jus probabilius faveret. Ergo esset misericordia erga pauperem, si in ejus favorem sententiam proferret, quando rationes illi faventes essent minùs probabiles. Et sanè si aliquid extrinsecum posset honestare talem sententiam Judicis, illud esset misericordia erga pauperem indigentem. At hoc est illicitum; quia *Exod. 23. vers. 3.* expresè dicitur. *Pauperis non misereberis in judicio.* Ergo non licet judici sequi sententiam minùs aut æquè probabilem.

9. Hæ rationes Celladei (nam alias omni ex parte non probo, sed secundùm quid mox impugnabo) sicut & textus à me allatus eò tendunt, ut ostendant, oppositum non esse probabile. Ego has ipsas rationes magna ex parte, aliasque plures in dicta *quaest. 24.* diligenter examinavi, quibus adeo convictus sum, ut judicare nequeam oppositum esse probabile. Neque unquam esse poterit probabile, donec rationes illæ, utpote ab Auctoribus contrariæ sententiæ non ponderatæ, solutæ fuerint, & veritas contraria rationabiliter stabilita. Itaque jam exemplum judicis non est ad rem, quia non est de opinione, quæ jam sit practicè probabilis. Ergo est exemplum fundatum in solo probabili speculativo, quia scilicet supponitur certò probabile, quod jus utrique parti faveat. Hoc autem probabile nil enunciat de honestate judicii aut sententiæ à judice ferendæ, ut patet.

10. Jam ergo, sicut olim probabile erat, judicem licitè judicare posse secundùm sententiam minùs probabilem, ita olim id illis erat licitum; nunc autem hoc est illis illicitum, quia prior illa probabilitas cessavit. Quod si judex adhuc bona fide sequeretur opinionem plurium ac gravium Doctorum asserentium, ipsi licitum esse talem sententiam proferre, atque post diligentem suæ obligationis inquisitionem, certò probabiliter crederet id sibi licere, eò quòd invincibiliter ignoraret rationes, quibus sententia illa convincitur esse improbabilis, in hoc casu judex sic judicando non peccaret, nisi fortè merè materialiter, quia ex prudenti ac certò practicè probabili judicio conscientiam invincibiliter formatam haberet. Nec mirum, quia quamvis mihi, Celladeo, aliisque, qui rationes à nobis allatas debitè ponderarunt, non sit probabile, quòd liceat judici sic judicare; hoc tamen non infert, id aliis, atque peculiari alicui judici non posse esse probabile. Unde quamvis ego peccarem, si judex effectus taliter judicarem, non ideo sequitur, illum peccaturum, quia ille aliter formare potest conscientiam, quàm ego possem. Et hæc est alia terminorum confusio apud Celladeum, qui non distinguit de illicito simpliciter, & de illicito respectu hujus & illius, quæ tamen maximè distinguenda sunt. Quamvis enim simpliciter illicitum sit taliter judicare, tamen per accidens id licitum esse potest alicui. Celladeus non distinguit inter licitum per se, & licitum per accidens.

ASSERTIO III.

Non est verum, plures recentiores & aliquos antiquos universalissimè docuisse, probabile ubiq; esse regulam morum. Non est communis opinio quod quodvis probabile sit regula morum.

11. PRobatur. Non invenitur considerabilis multitudo Auctorum, sive antiquorum, sive recentiorum, qui aut expressè, aut æquivalenter dicant, licitum esse Parocho absque ulla necessitate panem siligineum consecrare, atque populo pro Eucharistia tradere. Et tamen probabile est, quod & validè consecraret, & verum Sacramentum populo ministraret. Idem dico de medico; non enim invenientur tot, qui dicant licitum esse medico, pharmacum probabiliùs periculosum, & solùm minus probabiliter proficuum præscribere, quando adest aliud pharmacum tutum & æquè probabiliter proficuum, ac illud periculosum. Hæc enim & alia hisce similia tam apertè repugnant lumini naturæ, ut incredibile prorsùs sit, multitudinem gravium Doctorum unquam potuisse in tales assertiones conspirare. Itaque errare videtur Celladeus, & incredibilia dicere, dum affirmat *hic §. 1. Alios, maximè Recentiores, respuisse limitationes omnes, ac universalissimè docuisse, probabile ubiq; esse regulam morum.* Peto enim ut catalogum horum proferat, & loca citet, in quibus ita loquantur. Certè si unum vel alterum casuum Collectorem, talia loquentem ostenderit, (& vix credo ullum esse, qui aliquam restrictionem aut expressè non apponat, aut certè de quo ex contextu, materia, modo, ac fine disputationis non appareat, eum non de omnibus etiam speculativè tantùm probabilibus promiscuè loqui, sed ad aliquod certum genus probabilium assertionem suam restringere) ultra

ultra progredi non poterit. Hoc autem satis non est, ut peculiarem seu potiùs singularem illorum opinionem proponat, tamquàm sententiam valde communem, ab antiquis, & potissimè à Recentioribus traditam. At hoc modo eam proponit Celladeus loco citato. Ergo in hoc erravit.

12. Adde. Recentiores potissimè exceptiones, si ita loqui velimus, apponere, atque universalitatem probabilium restringere, easque in suas classes distribuere, atque de his affirmare, de illis negare, usum eorum esse licitum. Quòd si aliqui universaliter loquantur, intelligendi sunt juxta subjectam materiam de probabilitate practica, aut de speculativa, quæ cum practica probabilitate necessariò connectitur. Sic probabile est, artificiosam delineationem non esse opus servile, sed liberale. Hæc, ut jacet, est probabilitas speculativa, sed necessariò connectitur cum probabilitate practica, quia certum est, sola opera servilia esse prohibita in die Festo. Ergo tam certum est, talem delineationem non esse prohibitam, quàm certum est, quòd illa non sit opus servile. Sed est probabile quod non sit opus servile. Ergo est probabile quod non sit prohibita. Ecce probabilitas practica ex speculativa illa deducitur. Jam Auctores universaliter loquentes ex subjecta materia intelliguntur de hujusmodi tantùm probabilibus agere; nec rationabiliter extendi possunt, ut censeantur dicere, *Nullam prorsùs limitationem admittendam esse, sed, universalissimè loquendo, probabile ubique esse regulam morum.*

ASSERTIO IV.

Exemplum judicis ad præcipuum Celladei intentum non conducit, sed efficaciter illud evertit.

Exemplum Judicis totū Celladei intentum evertit.

13. PROBATUR. Principale intentum Celladei est probare, quòd usus opinionum omnium, quas, consuevimus appellare probabiles, sit illicitus. In quo ipse solus eò progressus est, ut usum etiam probabiliorum atque probabilissimarum rejiciat ut illicitum. At exemplum judicis ad hoc intentum comprobandum non conducit, sed efficaciter illud evertit. Non conducit ad id probandum, quia notorium est, quod judici liceat sequi opinionem longè probabiliorem. Rursus, id ipsum totum Celladei intentum evertit, quia si judici in foro externo liceat ferre sententiam in favorem sententiæ probabilioris, ac deinde secundùm illam operari, atque jura transferre, &c. licèt aliquando contingat eum decipi, & verum Dominum rebus suis spoliare; idem à fortiori nobis licebit, quoties de aliqua re oritur quæstio, an liceat? A fortiori, inquam, tum quia sumus in possessione libertatis, & in dubiis melior est conditio possidentis. Tum quia judicium conscientiæ non est institutum ad dirimendas & terminandas lites, sed potissimè ad prudenter & non temerè operandum, quod haud dubiè habetur, quoties in rebus incertis probabiliorem sententiam sequimur. Hinc fit, ut postquam ego probabilius judicaverim aliquid esse mihi permissum, non acquiritur mihi jus perpetuum ad licitè utendum tali re, sicut in foro externo per sententiam judicis; nam si postea major illa probabilitas desinat, casus mutatur, & ego non sum jam melioris conditionis, eò quòd antea major probabilitas mihi faverit. Omnia autem contrario modo se habent in foro externo. Unde à fortiori licet sequi talem sententiam in foro conscientiæ, si liceat eam sequi in foro externo. Demum in foro externo agimus contra proximum, qui magnum incommodum patitur, si perpetuò privetur re suâ; ideoque ille non contentus est, si ego bonâ fide procedam, quia fides mea bona non impedit ipsius nocumentum, ut patet. Unde meritò exigit, ut lis legitimè terminetur per judicem neutri parti partialem, &c. At in foro interno directè agimus cum Deo, qui cor intuetur, nec damnum ullum patitur, eò quòd in sententia ferenda erremus. Immò, quod plus est, etiam tunc habet intentum suum, nempè ut ametur, colatur, & glorificetur. Hæc enim omnia habentur & Deo tribuuntur, quoties post diligentem veritatis indagationem formamus conscientiam juxta partem probabiliorem, & bona fide procedimus, nullatenus ita facturi, ne Deum offenderemus, nisi certò nobis constaret, nos ex prudenti judicio de honestate operis & beneplacito Dei ad opus progredi. Itaque haud dubiè à fortiori ea licent in interno conscientiæ judicio, quæ in externo judicio sunt certò permissa. Sed certò permissum est Judici secundùm probabiliorem partem judicare. Ergo & hoc nobis certò permissum est in foro interno.

Quod licet Judici in foro externo à fortiori nobis licet in foro interno.

14. Hoc autem ad totum benignæ sententiæ intentum sufficit, quia quoties pars minùs tuta est directè certò probabilis, toties eadem indirectè ac reflexè, omnibus omnino in examen adductis, est & quoad se, & maximè quoad nos longè probabilior parte contraria, ut fusè demonstravi *hic quæst. 2.* atque etiam *quæst. 22. & 23. de Consc. prob.* Ergo tunc etiam licet sententiam in favorem libertatis proferre, atque secundùm eam operari. Qui plura de hoc argumento cupit, legat *quæst. 24. de Consc. prob.* ubi omnia ista, & alia quamplurima ad hanc materiam spectantia discussa, declarata ac firmiter probata inveniet.

Exemplum Judicis probat totū intentum nostrum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

15. OBJICIT primò. Finis Judicis & judicii est, ut unusquisque reipsâ habeat, quod suum est, vel ad se pertinet. Judex ergo ligatus est uni parti, sicut jus ipsum. Atque hinc est primò, quòd Judex licitè non possit pro arbitratu sequi in judicio quamlibet ex partibus contrariis probabilibus; quia exercitium judicis nequit magis extendi, quàm finis, cujus gratia judicium exercet; in quo enim suum finem egreditur, agit contra officium, & supra potestatem suam. Jam probabilitas magis extenditur quàm jus ipsum, & finis judicii; quia probabilitas æquè complectitur utramque partem, jus autem uni soli competit. Ergo Judex judicans ex motivo æqualiter magisve favente parti, quam condemnat, agit contra officium & finem suum, suamque potestatem transgreditur, & peccat. Secundò ex eodem sequitur, quod Aristoteles *1. Rhetoricor. 15.* tradit; scilicet, Judicem esse quasi auri argentique cognitorem, ut verè justum ab adulterato distinguat. Est autem jus adulteratum, quodvis jus à qualibet opinione falsa, etsi apparentissima, repræsentatum. Ergo judices tenentur verè justum dignoscere, & distinguere. Et sanè sicut pessimi forent monetarum cognitores, qui adulteratas pro veris monetis probarent: ita pessimi forent Judices, qui justum ipsum non distinguerent, sed in judicio falsis opinionibus, & juri adulterato contra verum jus adhærerent. Atque

Finis Judicis postulat, ut probabilicia sectetur.

Judex debet imitari pecuniæ cognitorem.

Atque hinc est 3. quòd nemo sit Judex idoneus, qui jurisprudentiæ non sit peritissimus, quia solus talis potest verum jus discernere. Unde Exodi 18. Jethro persuasit Moysi dicens: *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, &c. qui judicent populum omni tempore, &c. quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* Et tales debent esse Judices, qui diligentissimè debent causam examinare, ut sic veritatem ipsam inveniant. *Deuteronomii 19. 18.* hæc de Judicibus traduntur. *Cumq; diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem, &c.* Similiter Job *cap. 29. 16.* de se dicit: *causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* Unde Judex tenetur ad verè justum, ad jus re ipsâ, & ad veritatem. Quin & in communibus opinionibus alligatus est vero. *Exodi 23. vers. 2.* hæc habentur. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Judex ergo tenetur saltem plerumque nosse ipsum re ipsâ jus, & verè justum ab adulterato discernere. Ita Celladeus §. 2. ex quo videtur inferri posse in favorem Celladei, quod Judici non liceat sequi opinionem ne quidem probabiliorem, sed quod teneatur ipsum justum nosse. Hoc autem admisso, exemplum Judicis non videtur esse contra ipsum, quia dici potest, quod Judex teneatur ad ipsum verum: ac proinde quòd debeat causam differre, donec ipsum verum invenerit. Hoc stante, idem videtur dicendum in foro conscientiæ, scilicet quòd nemo impleat officium suum, nec rectè operetur, si opinionibus fisus, veritatem non assequatur. Hæc dici possunt in favorem Celladei. Et sanè hæc ipsa consentanea videntur intento & doctrinæ ipsius.

Respondeo primam partem objectionis satis benè probare, quòd judici in judicando non liceat sequi nisi partem probabiliorem. Ego autem ideo omisi recensere hanc probationem inter reliqua Celladei argumenta, quia ille omnia allata simul adducit, tanquam quædam fini judicis annexa, quæ simul sumpta convincant talem libertatem in judice esse illicitam. Verùm quia in collectione harum rerum multa sunt, quæ limâ indigent, ideo ea non admitto tamquam argumentum idoneum ad veritatem illam comprobandam.

Regula judicii nō est ipsum verū, de quo litigatur.

16. Inprimis, ante omnia maximè displicet, quod dicit, judicem teneri ad ipsum justum, & ad ipsam veritatem, ad quam nisi pertingat, à suo munere deflectit, aberrat à fine, & malè facit. Quid enim hoc aliud est, quàm reddere officium judicis hominibus importabile? Nónne in rebus incertis, quales sunt pleræque lites in judicium adductæ, impossibile nobis est ipsam veritatem à falsitate discernere? Quomodo ergo obligari possumus ad jus verum discernendum, illudque vero Domino tribuendum? Tenetur quidem judex eniti, quantùm potest, ad ipsam veritatem, ideoque tenetur causam diligenter examinare, nihilque prætermittere, quod aut leges, aut recta ratio adhibendum suadent. His peractis, si veritatem ipsam ex allegatis certò sciat, aberrat à fine suo, & peccat, nisi litem terminet, & jus suum cuique tribuat. At quando post totam litis discussionem veritas certò non constat, stultum est existimare, ipsum verum debere, aut etiam posse esse regulam judicii ferendi. In hoc enim casu veritas per se non apparet, sed per extrinseca argumenta inquiritur. Ergo ipsa per se non potest movere intellectum, sed præmissæ tantùm possunt illum movere ad probabiliter judicandum de vero jure, quod per conjecturas quæritur. Et hoc est quod communiter & verissimè dicitur, judicem in rebus incertis judicare debere secundùm allegata & probata. Si illa juxta mentem judicis appareant esse majora pro una parte quàm pro alia, tenetur litem adjudicare parti, cui meliores rationes favent, sive illæ sint, sive non sint realiter veræ; quia rationabiliter præsumuntur veræ. Itaque non jus verum in se, sed solum jus ex motivorum prævalentium vi præsumptum, est finis judicii, à quo si judex deflectat, non implet munus suum, sed peccat. Et sanè adeò verum est, quòd veritas ex allegatis & probatis præsumpta sit regula judicis ac judicii, ut plures S. Thomam sequuti doceant, judicem debere contra jus verum ac certum sententiam proferre, atque innocentem ad mortem ipsam condemnare, quando scelus illius sufficienter probatum est in foro externo. Huic ego sententiæ non subscribo, sed solùm cum illis assero, judicem, qui aliam causæ notionem non habet, nisi quam ex allegatis hauserit, debere absque dubio aut hæsitatione juxta allegata & probata prævalentia sententiam proferre, quamvis haud certò sciat, cui jus verum & directum competat.

Regula judicii est verū apparens juxta allegata & probata.

Prima regula judicii est jus certū partibus cōpetens.

17. Nihilominus in hoc casu non deest jus certum certóque existens, à quo judex ad judicandum impellitur, & à quo, si recederet, à recta muneris sui administratione deficeret. Hoc est jus non acquisitum, quia de illo lis vertitur, sed naturale reflexum, quod singuli litigantes habent adversus judicem & se invicem; scilicet ut judex sententiam ferat in favorem ejus, cujus rationes prævalere judicat. Ideo enim litigant coram judice, ut per illius judicium lites terminentur, & ille præferatur, cui meliores rationes favent. Jam ab hoc jure indubitato tamquam à motivo formali justitia judicis dependet, quia in illud respiciens, juxta illud, ejusque exigentiam jus suum unicuique tribuit. Et quia jus acquisitum, de quo litigabatur, non est liquidum, per suam sententiam efficit, ut illud jam certò acquiratur, de quo antea certum non erat quòd esset acquisitum. Qui plura velit de hoc argumento, quod est unicum ac genuinum principium, ex quo quæstio de obligatione judicis determinari debet, legat *quæst. 24. de Consc. prob. num. 4.* ubi illud exposui ac declaravi.

Judex ritè fungitur officio etsi frequenter erret.

18. Rursus non placet quod Celladeus insinuat, judicem aut nunquam, aut rarissimè debere errare in jure dicendo, ut officium suum impleat; hoc enim absque dubio falsum est; quamvis enim nullæ fraudes unquam fierent, sed rationes utriusque partis sincerè proponerentur, adhuc Judex frequenter judicans non raro erraret, non solùm quia multa falsa sunt probabiliora veris, sed etiam quia quæ ipsi videntur, sæpe non sunt probabiliora, cùm aliis æquè aut magis peritis videantur esse minùs probabilia. Ergo fieri nequit, quin frequenter erret, etsi nullæ fraudes intervenirent. Verùm quoties interveniunt fraudes? Sæpe falsi testes subrogantur. Aliquando veri testes præ metu apparere non audent. Multi audent instrumenta legitima modò abscondere, modò adulterare, aut etiam comburere, & alia falsa eorum loco substituere. Demum optimi quique causidici potentium causas defendunt; pauperes, quibus jus sæpe competit, non habent qui causas ipsorum sufficienter explicent ac tueantur. Interim Judex secundùm allegata & probata sententiam profert. Quæ omnia planè convincunt, quod Judex frequenter à vero aberret.

Quod etiam ex eo patet, quòd secundus judex frequenter prioris sententiam rescindat.

In criminalibus judices non rarò errant.

19. Hæc ita se habent in civilibus, *& quod est intolerabilius* (sunt verba Augustini *lib. 7. de Civit. Dei cap. 6.* à Celladeo hic ad alium finem citata) *magisq; plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus lacrymarum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, ut & torturn innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat.* Ecce Judex criminalis aliquando torquet accusatum, ut ipsemet crimen suum fateatur, ne fortè si aliorum testimonio tantùm stet, innocentem occidat. Interim innocens, torturæ impatiens, ut se tormento liberet, crimen fatetur, unde fit, ut Judex, post torturam, innocentem condemnet, quem ideo torserat, ne innocentem occideret. Ecce ubique, etiam in criminalibus, in quibus plena probatio requiritur, nimis frequenter erratur. Nec tamen ideò judex peccat, sed debitè fungitur officio suo, ut patet. Ex his constat, judicem in sententia ferenda de acquisito partium jure frequenter errare, quo non obstante, certum etiam est, quòd si debitam diligentiam adhibeat, non solùm non peccet, sed laudabiliter & honestè operetur. Itaque exemplum judicis totum Celladei intentum evertit.

Non est idoneus monetarũ cognitor, qui veram monetam ab adulterata certò non discernit.

20. Porro comparatio illa Aristotelis inter judicem & monetarum cognitionem, ita admittenda est quoad aliqua, ut in præcipuo, quod Celladeus intendit, admitti nequeat. Non est bonus Monetarum discretor, qui nequit adulteratum à vero discernere, quia ille semper habet præ manibus & oculis ea omnia, per quæ verum à falso certò discerni potest. Accidentia enim, quibus veræ à falsis monetis discriminantur, semper adsunt, nec instrumenta ad omnia debitè examinanda desunt. Ex his autem natura veræ, vel adulteratæ pecuniæ certò eruitur. Ergo qui in hoc errat, ad tale officium idoneus non est, quia nescit ea, ex quibus judicium formari debet, quæque sciri possunt & debent ab eo, qui tale munus acceptat. Hæc & hisce similia in causarum judice locum habere nequeunt, quia plerumque nulla sunt judicia, ex quibus veritas causæ certò dignosci possit. Ergo quamvis sit malus monetæ cognitor, qui examine facto errat, non tamen est malus causarum cognitor aut judex, qui in dicendo ac discernendo jure errat; quia nec habet, nec habere potest indicia certò connexa cum veritate rei. Ergo regulari debet conjecturis & rationibus fallibilibus. Ergo si faciat quod in se est, & rationes prævalentiores sequatur, non culpandus est, sed laudandus, quamvis præter spem in sententia dicenda à vero aberret.

Judicia differri donec veritas certò innotescat, fini judiciorum repugnat.

21. Demum judicem obligari ad differendam sententiam, donec veritas certò innotescat, omnium judiciorum fini clarissimè repugnat. Hoc enim semel admisso, lites essent perpetuæ, veritas enim, aut nunquam, aut vix unquam certò sciri potest. Porro ex hac litis interminabilitate, sequeretur veros Dominos irremediabiliter carere suis juribus ac bonis, quia sicut nullum habent medium ad sua jura demonstranda, sic nullum haberent remedium, quo finitâ lite sua bona acquirerent. Hoc autem est prorsùs absurdum, & contra finem judiciorum ac litium, totiusque justitiæ, ut patet. Et sanè licèt justum sit, causarum revisionibus nonnunquam locum dari, id tamen nec passim, nec frequenter permittitur, quia sic lites perpetuarentur. Unde satius esset, si in singulis Tribunalibus certum temporis spatium deputaretur, post quod judices tenerentur juxta allegata & probata sententiam proferre, ut sic lites cum minoribus expensis majorique reipublicæ tranquillitate citò terminarentur. Lugendum enim est, videre pauperes, partis adversæ subtilitatibus, novisque prætensis allegationibus cogi ad prosequendam litem, quam certò vincerent, si ad sententiæ probationem citò veniretur. Hac ratione sæpe fit, ut integræ familiæ, ad miseriam redactæ, suis bonis ad integras generationes priventur. Quod certè incongruum est, & judiciorum atque justitiæ fini prorsùs contrarium. Stat ergo judicia terminanda esse per probabiliores conjecturas; nec frustra ac imprudenter expectandum, ut veritas certò innotescat, cùm rarò aut nunquam adsit, vel levis spes veritatem certò inveniendi. Itaque exemplum judicis ad principale Celladei intentum nil conducit, sed è contra illud efficaciter evertit.

22. Objicit secundò. Si judex in judicando frequenter errans, non obstante errore, munus suum rectè impleret, melius esset, si litium decisiones sortibus tribuerentur. Sic enim minoribus expensis omnia transigerentur, & unusquisque æquè suo jure frueretur. Objectio 2.

Inconveniens esset, si lites sortibus terminarentur.

Respondeo, Judices, etsi frequenter errent, longè tamen sæpius non errare, quando, causâ debitè examinatâ, probabiliora sequuti, sincerè sententiam proferunt. Unde longè major spes potiundi juris affulget, si lites judiciis, quàm si sortibus terminentur. Deinde etsi par aut fere par utrobique spes esset juris potiundi, sive lites per sortes, sive per judicia terminarentur, non tamen expediret reipublicæ humanæ, ut, neglectis judiciis, sortes adhiberentur. Ratio est, quia rationabilis non fortuita decisio hominem rationalem decet. Præterea unusquisque plerumque putat, se habere rationes longè prævalentes adversario, qui proinde suam causam sortibus libenter non committit. At eam in judicio probi judicis libentissimè deponit. Justum autem est, ut in hac parte litigantium voluntati satisfiat, quia tota causa ipsorum tantum interest, ut patet. Rursus neque conveniens est reipublicæ, ut similia per sortes terminentur, quia sic omnia cæco modo administrarentur, & sagaciores, atque astutiores minùs sapientes bonis suis sub specioso juris titulo facillimè privarent. Illi enim facillimè invenirent rationes, quibus aliorum jus in dubium revocarent, unde statim contenderent, de bonis ac juribus illorum sortes mittendas, per quas sæpe aliorum bona fucato juris prætextu sibi vindicarent. Dedecet autem rempublicam tali periculo pauperes ac idiotas exponere, quo certè liberantur, si jura non nisi per judicia diligenter perocta transferantur. Præterea, leges jubentes dubia de juribus exorta per sortes terminari, non solùm essent noxiæ iis, qui legitimo jure sua possiderent, sed etiam præscriberent remedium, quod absque ipso malo, pro quo evitando instituerentur, administrari non posset; Judices enim necessarii essent ad determinandum, an res per sortes terminari deberet; nam non omne dubium debet sufficere, ut possessor sua deserat, atque ea ad sortes mittat. Præterea, etsi dubium exurgat, sæpe tamen dubium ex una parte est maximum, ex altera prorsùs exiguum. Annè tunc etiam ex æquo per sortes lis est terminanda? hoc stultissimum foret. Ergo qualitas dubii, & utriusque magnitudo sciri ac legitimè judicari debet. Ecce totum inconveniens, quod ex judicio de juribus imminet, absque remedio iterum redit in judicio de dubio ejusque magnitudine. Ergo melius

lius est ut judicium feratur de ipsis juribus. Imo hoc adeo necesse est, ut sine judiciis illis fallacibus, quibus nos homines propter ignorantiam utimur, respublica debitè administrari non possit.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

Objectio 3.

23. OBJICIT tertiò. Non est cur non liceat judici aut medico sectari opinionem minùs probabilem, si usus opinionis minus probabilis ulli sit licitus. Rationes communiter allatæ sunt istiusmodi. Prudens assensus reperitur in omni judicio probabili. Opinio probabilis impedit quò minùs lex sufficienter promulgetur. In omni materia prudenter peritis creditur. Certitudinem, & plus quam probabile ac prudens judicium requiri in moralibus est absurdum, & vires humanas excedit. Prudentis est sectari probabilia. Hæc & hisce similia æquè valent in omni prorsùs materia, ac in opinione probabili. Ergo vel universalissimus, vel nullus probabilium usus est licitus. Ita Celladeus §. 3.

Probabilitas speculativa impertinens est ad conscientiam formandam.

Respondeo, objectionem manifestè confundere probabilitatem practicam cum speculativa. Hæc nullo modo facit, ut lex sit vel non sit sufficienter promulgata: v. g. quæritur an existat lex præcipiens, ne Eucharistia absque necessitate ex materia incerta conficiatur? sententia asserens siliginem esse validè consecrabilem est probabilis, & qui illi præbet assensum prudenter facit. Verùm hæc probabilitas nihil facit circa promulgationem legis quæsitæ, quia lex illa æquè promulgata est, sive existat, sive non existat dicta probabilitas, ut patet. At si esset probabile, quod consecratio talis materiæ esset licita, illa probabilitas haud dubiè efficeret, ne lex illa esset sufficienter promulgata, cùm post omnem diligentiam prudenter crederetur non existere. Uno verbo sola probabilitas de non lege efficit, ut lex sufficienter promulgata non sit; aliæ enim probabilitates ad hoc impertinenter se habent, nisi sint tales, ut ex illis probabilitas de non lege legitimè inferatur. Jam etsi omne illud, quod à quavis opinione probabili asseritur, prudenter credatur, non tamen omnis probabilitas aut omne prudens judicium ad conscientiam debitè formandam conducit, sed illud solùm, quod asserit rem esse licitam. Itaque cùm non sit probabile, quod liceat judici judicare secundùm opinionem minus probabilem, aut medico præscribere medicinam probabiliùs nocituram, nec judici licet ita judicare, nec medico talem medicinam præscribere. Ecce nulla est illatio argumenti, quàm tamen Celladeus inevitabilem esse putat.

Objectio 4.

24. Objicit quartò. In foro exteriori solùm tractatur de rebus parvi momenti, & leges humanæ præcipuè explicantur. At in foro conscientiæ de summa rerum agitur, & de anima nostra, ac leges potissimùm divinæ tractantur. Ergo absurdum est, requirere certiorem regulam pro rebus nostris & foro externo, quàm pro anima nostra, & foro conscientiæ. In rebus vilibus ponderandis non curamus libram esse exactissimam; at pro auro ponderando non nisi minutissima & exactissima trutina contenti sumus. Itaque absurdum est, plus certitudinis velle pro foro exteriori, quàm pro foro conscientiæ. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo, nos non requirere certiorem regulam pro foro exteriori, quàm pro foro conscientiæ. Pro foro externo dicimus, judicem in judicando debere sequi opinionem, quam omnibus inspectis credit esse veram, aut oppositâ probabiliorem, quia adeò certum est, eum ad hoc obligari, ut oppositum non sit probabile. Similiter pro foro interno requirimus, ut operans nil faciat, nisi omnibus inspectis credat illud esse licitum, & opposito probabilius. Verùm Celladeus confundit probabilitatem directam, seu in uno genere sumptam, cum probabilitate indirecta & reflexa, seu cum probabilitate omnimoda, quam si distinxisset, clarè vidisset nos nil minùs exigere in judicio interno conscientiæ, quàm in judicio fori exterioris. In hoc autem consistit disparitas, quod rationes reflexæ non augeant probabilitatem directam litigantibus faventem, juxta quam judex tenetur ferre sententiam. At quando res est directè probabilis practicè, rationes indirectæ & reflexæ non solùm augent ejus probabilitatem, sed omnibus inspectis, reddunt honestatem operis non solùm probabilissimam, sed etiam quodammodo moraliter certam, ut fusè ostendi *in tract. de Consc. prob. quæst. 22. & 23.* & alibi sæpissimè, atque in hoc etiam opere ubique convinco. Itaque falsum est, quod plus exigamus pro judicio exteriori, quàm pro judicio conscientiæ; imo verò pro hac longè plus requirimus; non enim solum requirimus judicium prudens de honestate rei, sicut in foro exteriori requirimus in judice judicium, quo prudenter credat rem ad illum, cui litem adjudicat, pertinere; sed post hoc judicium prudens postulamus novam consultationem fieri, per quam intellectus consurgat ad formandum judicium certum & evidens de honestate suæ operationis. Hoc autem non requiritur pro judicio fori externi, cùm nulla dentur principia, ex quibus judex certò scire possit, rem ad ullum ex litigantibus pertinere. Itaque longè plus pro conscientia formanda, quàm pro ullis aliis negotiis peragendis postulamus.

Non minus, sed plus requiritur pro foro interno, quam pro externo.

25. Objicit quintò. Plures ponunt hoc tamquam discrimen notorium, quod quando agitur de licito & non licito, qui sequitur opinionem minùs probabilem non peccat, si nullum aliud malum præter periculum materialis violationis legum immineat. At quando malum aliud imminet, tunc non licet sequi opinionem minùs probabilem. Hinc autem non licet judici ferre sententiam, nec medico præscribere medicinam secundùm opinionem minùs tutam, minusque probabilem. Unde inferunt discrimen inter judices, medicos, aliosque; illosque cogunt ad probabiliora aut tutiora, hos autem liberos esse contendunt ad sectanda minùs tuta, minúsque probabilia. Verùm hæc disparitas non subsistit; quia si violatio materialis legis non imputatur illi, qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam, non est cur judici sequenti opinionem minùs probabilem imputari debeat, quòd pars condemnata damnum patiatur in bonis; quia judex probabilia secutus, prudenter se gessit. Rursus maxima pars moralis Theologiæ versatur in materia justitiæ commutativæ vel distributivæ. Ergo in tota illa materia non licebit sequi opiniorem minùs probabilem, vel id etiam judici licebit. Ergo in illa tenentur ad ipsum justum, sicut judices. Ita Celladeus §. 3.

Objectio 5.

Respondeo, hanc objectionem ita proponi, ac si proponens illam, nesciret quid Auctores benignæ sententiæ teneant. Illi enim ubique indagant probabilitatem practicam pro conscientiæ regula; ubi illam inveniunt, habent, ubi non inveniunt

Qui respiciunt ad damnum tertii, non limitar, sed explicant benignam sententiam.

inveniunt, non habent sufficientem conscientiæ rectè formandæ regulam. Hoc posito, dicunt, quando magnum damnum tertii ex una, & nullum ex alia contradictionis parte imminet, non habemus fundamentum dicendi partem periculosam esse licitam, seu practicè probabilem, quia lex charitatis, item illud axioma, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & alia ejusmodi convincunt, partem illam periculosam non esse licitam. E contrà verò dicimus, quod quando probabile est aliquid esse licitum, eo ipso id licitum evadit illi, qui bona fide prudentique judicio format suam conscientiam, nec merum periculum violationis materialis posse obstare; eò quòd violatio illa nec noceat Deo, nec Deum inhonoret, quia operans optimè erga Deum afficitur, & ex prudenti judicio de placito divino ad operandum illique complacendum movetur. Quid hic carpatur, quid hic inconsequentiæ sit, lynceus erit Celladeus, si detexerit. Itaque quòd immineat periculum gravis mali, &c. non est exceptio doctrinæ, sed solùm indicium seu argumentum, quod desit probabilitas practica, seu quod pars illa non sit probabiliter licita, quamvis probabilitate speculativa non careat. Ideo ergo medici, chirurgi, ac judices tenentur ad tutiora vel probabiliora, quia periculum imminens, sed facilè evitabile efficit, ne altera pars sit practicè probabilis. Hinc autem sequitur, materialem legis violationem imputari non posse illi, qui bonâ ac prudenti fide credidit nullam talem violationem futuram, sed se Deo in suo opere placiturum. At medico & judici damnum imputari posset, quia licèt opinio minùs probabilis esset speculativè probabilis, non tamen erat illis practicè probabilis, nec poterant formare sibi prudens dictamen, quo crederent licitum sibi esse sic judicare, aut talem medicinam præscribere; quia si tale dictamen formarent, æquè excusarentur ac alii. Temerè ergo & imprudenter agunt, qui solam probabilitatem speculativam sine practica pro formanda conscientia adhibent.

In materia justitiæ nō semper tenemur ad probabiliora.

26. Cæterùm patentior latet error in ultimo, quod Celladeus addit de materia justitiæ; quasi verò nemini in ea liceret sequi opinionem æquè aut minùs probabilem, eò quòd judici in judicando eam sequi non liceat. Quid, ais, Celladee? Tenetúrne Possessor bonæ fidei, orto dubio utrimque æquè probabili de jure rei possessæ, tenetúrne, inquam, se sponte privare re illâ, aut seipsum condemnare, eò quòd judex in judicando sequi non possit opinionem minùs vel æquè probabilem? Communis omnium sensus est in contrarium. Nec mirum: aliud est officium judicis constituti ad lites dirimendas & jus inter litigantes constituendum: aliud possessoris, aut cujusvis alterius se ac sua jura defendentis. Unde licèt officium Judicis postulet, ut sequatur probabiliora, officium tamen possessoris aut alterius sua jura defendentis id non postulat, nec aliud postulare potest, quàm ut bonâ fide procedens nil agat, nisi quod prudenter credit esse honestum. Hoc si præstet, Deum non offendet; ut autem tale judicium eliciat, pauciora requiruntur, quàm ut judex simile judicium formet de obligatione quam habet ad ferendam sententiam, ut patet, & ut explicui *quæst. 24. de Consc. prob.* Demum illud ultimum, scilicet, quòd in rebus justitiæ tam judex quàm alii teneantur ad ipsum justum, est prorsùs impossibile in casu disputationis præsentis; loquimur enim, quando ipsum jus ita latet, ut certò sciri non possit, nec nisi per conjecturas probabiles cognosci. Unde Judex satisfacit suo muneri, licèt erret, modò sequutus fuerit, quæ ipsi probabiliora sunt visa; quia ad hoc solum ex officio obligatur. Alii verò ne quidem ad hoc tenentur, sed sufficit illis, si in rebus incertis nil temerè agant, sed prudenti aliquo judicio sua jura tueantur, sive judicium illud fundetur in ipso justo, sive in titulo possessionis, sive in aliis præsumptionibus, quæ indubitatam probabilitatem practicam de honestate talis defensionis fundant.

27. Objicit sextò. Judex ex imperio voluntatis flectere potest suum intellectum ad assensum præstandum parti minùs probabili. In hoc casu prudenter credit jus illi favere, qui habet rationes minus probabiles. Ergo licitè potest sequi opinionem minùs probabilem, quia fungitur officio suo, si externam sententiam interno suo judicio conformet. Ita objici potest, ad ostendendum quod vel nullus, vel universalissimus probabilium usus liceat. Et Celladeus §. 2. utitur hoc argumento ad hominem, ut probet Judices fore arbitros, si illis liceret sequi opinionem quamvis etiam minùs probabilem. *Objectio 6.*

Judex ferrè debet sententiam pro parte minùs probabili, si ille credat eam esse veram.

Respondeo, Judicem flectere posse intellectum ad tale judicium, quando motiva in actu primo ipsum impellentia non evidenter se invicem absolutè excedunt; in tali enim casu errare potest Judex, ac per voluntatis imperium in actu secundo præferre motiva verè minora majoribus, ac credere illud esse verum, pro quo in actu primo minorem stimulum habebat. Verùm in eo casu ipse in actu secundo putat partem, quam veram judicat, esse multò probabiliorem oppositâ, quia unicuique suum opinatum probabilius est, ut patet. Itaque in illo casu non solùm licitè potest, sed etiam tenetur sententiam proferre pro parte illa, quæ verè in actu primo erat minùs probabilis, sed tamen quæ ex errore invincibili ab illo in actu secundo reputatur vera & probabilior oppositâ. Neque absurdum est, sententiam hoc modo esse in arbitrio judicis, imò oppositum esset prorsùs absurdissimum. Absurdum autem esset, si ille proferre posset sententiam pro quacumque opinione probabili, quam vellet, etsi ille eam aut minùs aut æquè probabilem reputaret, quia stante tali judicio, non potest credere partem illam esse absolutè veram; quod enim creditur verum, eo ipso habetur tamquam probabilius opposito. Unde peccaret, si pro tali probabili sententiam ferret, quia ferret pro ea parte, quam nec absolutè veram crederet, nec verosimiliorem parte, quam condemnat; quod est absurdum, officioque judicis repugnat.

28. Objicit septimò. Est indubitatum principium apud Theologos, judicium utriusque fori, externi scilicet seu contentiosi, & interni seu conscientiæ, debere esse idem, si error vel ignorantia non interveniat; nec ulla est exceptio nisi in illis, quæ in jure civili tolerat solùm, sed non probat Ecclesia. Si enim eadem planè in utroque foro constent, una debet esse utriusque fori sententia; aliter una erit justa, injusta altera; una erit vera, altera falsa; una juxta, alia contra rectam rationem; quia idem (ut notatur *1. magnor. Moral. cap. 32.*) est ratio, & recta ratio; rectitudo enim rationis est veritas. Hoc autem posito, sic arguitur. Non licet judici in judicando sequi quamcumque opinionem probabilem. Ergo neque confessario, neque consultori conscientiæ, saltem in materia justitiæ. Præterea debitor in judicio convenitur, & per sententiam judicis solvere jubetur. *Objectio 7.*

Judicium utriusque fori semper est idem, ubi error nō intervenit.

jubetur. Ille, si restituat, magnam passurus est necessitatem. Forum externum hanc exceptionem non admittit. Tu admittis, & liberas, etsi fortè (nam nescis) creditor satis multùm patiatur. Ergo discordas à sententia fori externi. Ergo vel tu, vel judex malè judicat. Judices secundùm leges & jura judicare solent. Ergo præsumptio est contra te. Quòd si adhuc dicas, judices malè judicare, non debes illos absolvere. Ita Celladeus §. 3. quibus putat sufficienter probari, Auctores benignæ sententiæ inconsequenter discurrere, dum negant judicibus, quod confessariis consultoribusque conscientiæ concedunt.

Cōsequentia nostræ doctrinæ ostenditur.

Respondeo, auctores benignæ sententiæ non loqui inconsequenter, quia solùm loquuntur de opinione certò practicè probabili; de illa autem absque ulla exceptione enunciant, quod ejus usus tam judici, quàm aliis omnibus liceat. Quod ita verum est, ut tamen pro formanda conscientia semper requirant, ut sequamur partem, omnibus inspectis, probabiliorem. Unde non minùs, sed plus requirunt pro formanda conscientia, quàm in Judice pro ferenda sententia, ut dictum est *num. 24.* Itaque sistendo intra terminos benignæ sententiæ, idem ex æquo omnibus licet. In hoc autem est æquivocatio, quod minor probabilitas speculativa de jure unius partis non sufficiat, ut probabile sit, judici licitum esse secundùm illam judicare. At talis probabilitas sæpe reddit probabile quòd liceat Confessario, etiam in materia justitiæ, permittere possessori retentionem suarum rerum, donec aliter statutum fuerit per sententiam judicis. Et hoc est quod dicimus, minorem probabilitatem speculativam de jure non sufficere ad judicandum, cùm tamen pro foro interno ad conscientiam regulandam sæpe sufficiat.

An judiciū fori internī possit à judicio fori externi discrepare?

29. Cæterùm potissimus error Celladei in eo consistit, quòd supponat juxta nostram sententiam, sæpe contingere, judicium fori interni & externi discrepare, quando eædem utrobique circumstantiæ se produnt, etiam tunc quando utrumque forum rectè, & ut oportet, judicat. Verùm audacter dico, hoc nunquam contingere in sensu, quem argumentum præfert. Forum externum præsumit debitorem posse solvere, nec admittit illius attestationem, etiam juramento confirmatam, de præsenti sua impotentia absque suarum fortunarum ruina, &c. Talis enim attestatio fidem non facit in foro externo. At plenissimam facit in foro interno. Hinc est, quòd forum externum absolutè declaret solvendum esse sine mora; At forum internum dilationem ad aliquod tempus admittit. Verùm circumstantiæ utriusque fori non sunt similes, sed ex altera parte error & ignorantia intervenit. Ergo sententia utriusque fori non potest esse una. Jam ut argumentum valeret, deberet ostendi, aut quod forum externum hunc modum procedendi in foro interno reprobet ut illicitum, aut quod forum externum, justè judicans jubeat restitutionem fieri ex tempore, etiam cum totali ruina debitoris, quamvis certò sciat, illum absque totali suarum facultatum ruina non posse solvere de præsenti, stante spe aut etiam certitudine, quòd paulò post citra tantum incommodum restituere poterit. Nisi enim hoc ostendatur, nunquam probabitur, forum internum in eisdem circumstantiis discrepare à foro externo, modò utrumque forum rectè procedat.

30. Verùm quidem est, leges absolutè præcipere restitutionem, & in ejus defectum aliquando publicationem bonorum, aut debitoris incarcerationem præscribere; nisi enim leges hoc modo procederent, sed fides daretur debitori suam inopiam prætendenti, innumeræ fraudes committerentur, per quas Domini suis rebus privarentur; cui inconvenienti aliter obviari non potest, quàm per legum severitatem absolutè condemnantium ad solutionem. Cæterùm nullus prudens superior fecisset talem constitutionem pro peculiari persona in hac determinata circumstantia, in qua constaret, solutionem hic & nunc fieri non posse citra totalem debitoris ruinam, cùm omnibus commodè satisfieri posset, si creditor parùm expectaret. Certè talis constitutio impia esset & inhumana, & illi axiomati: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris:* repugnaret. Itaque leges illæ universales, si in omni casu cum summo rigore sumantur, haud dubiè peccant, & ab æquitate naturali deflectunt; ac proinde per epiikiam corrigi debent, spectat autem ad confessarium hanc epikiam in foro interno declarare, qua in re nec legislatorum, nec justæ judicum intentioni contradicit.

Leges tamē externæ absolutè præcipiunt restitutionē,

Sed peccant & per epykiam corrigi debent.

31. Et hoc quidem verum est, quando peccatum legis est evidens; at quando legis exorbitantia in tali casu est hinc inde probabilis, tunc fieri poterit, ut judicium fori interni discrepet à judicio fori externi, absque eo quod alterum illorum judiciorum sit injustum, & peccaminosum. Ratio est, quia sicut diversi judices fori externi in talibus circumstantiis sæpe ab invicem discrepant, absque eo quòd ullus illorum à munere suo turpiter deflectat; ità à potiori idem contingere poterit in diversis foris, quia scilicet ex una parte error aut ignorantia invincibilis circa qualitatem motivorum intervenit, ideoque fit, ut uterque rectè judicare possit. Nulla ergo est illatio Celladei oppositum inferentis quasi verò judicia utriusque fori non possent differre, nisi judex alterius turpiter erraret, & verè peccaret.

Judicia duplicis fori aliquando licitè discrepant in eisdem circūstantiis.

32. Hinc sequitur, aliam etiam Celladei illationem esse nullam; ait enim, confessarios non debere absolvere judices, si eos in suo judicio errare existiment, sed malè. Fieri enim potest, ut uterque rectè judicet; munusque suum impleat, quamvis alter illorum materialiter erret. Cur ergo Confessarius talem judicem non absolvet? Certè tam judex ipse, quàm confessarius nosse possunt, nullum in tali judiciorum diversitate peccatum aut turpitudinem intervenisse. Nulla ergo est etiam hæc Celladei illatio.

Alia Celladei illatio nulla.

33 Demum locus *ex 1. Magn. Moral. cap. 32.* non est ad rem, quia Aristoteles ibi agit de veracitate, quæ inter dissimulationem & jactationem media versatur, & consistit in oratione externa, quæ interno judicio conformatur. *Gloriosus*, inquit, *plura quam adsint sibi arrogat; aut scire fingit, quæ non noverit. Huic contrarius dissimulator pauciora & minora sua esse simulans, quæque novit diffitetur, occultatque quæ cognoscit. Neutrum horum facit verus: neque enim plura, neque pauciora, quàm quæ sibi affuerint, confinget; sed ea demum & esse sibi, & scire dicet, quæ teneat.* Aliud loco citato de veritate non dicit Philosophus. Ex quibus habemus, tantum abesse, ut Aristoteles hoc loco dixerit, solam veritatem logicam (de hac enim sola Celladeus loquitur) esse rectitudinem rationis, ut apertè indicet rationem sæpe esse rectam, immo &, ethicè loquendo, absolutè veram, quamvis sit logicè falsa. Sicut enim hoc loco aliud non reprehendit in glorioso & simulatore, quàm mendacium voluntariè confictum, ita his opponit

Ratio, logicè falsa, multipliciter potest esse recta ethicè.

opponit verum, eumque ob veritatem laudat, eò quòd sermo ejus sit verus & rectus, veritate scilicet & rectitudine ethica, quæ consistit in conformitate sermonis cum judicio loquentis. Nec enim ignorare poterat, sermonem veracis sæpe esse falsum logicè. Certè homo sic errans reprehendi nequit tamquam gloriosus aut simulator, sed laudari debet ut verax. Nec mirum, quia aliud est hominem esse verum seu veracem in sensu morali, aliud eum esse verum seu veracem in sensu logico. Aristoteles agit hîc de veraci in sensu morali, in quo ratio & oratio, logicè falsa esse potest, & sæpe est ethicè recta & vera.

Philosophus nobiscum sentit. 34. Jam, sicut tam oratio quàm ratio logicè falsa potest esse recta & vera per solam conformitatem cum judicio interno, ut constat ex Philosopho hîc citato; ita ex eodem alibi constat, rationem logicè falsam posse esse ethicè rectam, prout conformis est appetitui recto, & prout refertur ad regulandam operationem humanam, ut ostensum est hîc *quæst. 3.* & plura ad idem spectantia *quæst. 41.* dicenda erunt. Ex his concludo, textum hunc non solum abs re fuisse objectum, sed etiam ex illo rectè inferri, totam Philosophi doctrinam, quam de ratione recta tradit in Ethicis, esse prorsùs conformem nostræ sententiæ & explicationi, quæ distinguit rationem ethicè rectam à ratione logicè recta, & asserit primam sæpe inveniri sine secunda, illamque sine hac ad rectam operationem regulandam sufficere.

Objectio 8. 35. Objicit octavò. Plures docent, judici in judicando licitum esse sequi opinionem minùs probabilem de jure litigantium. Ergo hoc ipsum est practicè probabile. Ergo hoc illi licet, vel nemini licebit sequi opinionem minùs probabilem. At hoc judici non licet. Ergo id nemini licet. Ita Celladeus §. 3.

Solutio. Respondeo juxta *dicta supra num. 10.* opinionem illorum Auctorum olim fuisse probabilem, & tunc licitum erat judici sententiam proferre secundùm talem opinionem; non enim peccat judex ferendo sententiam, quando bona fide ex opinione certò probabili de honestate suæ sententiæ prudenter concepta, ad eam proferendam procedit. At in eo casu prolatio sententiæ ab hujusmodi judicio regulabatur. Ergo erat licita. At nunc illa opinio non est probabilis, aut certè non est certò probabilis. Ergo jam non licet illam sequi. Cæterùm si judex nostrarum rationum inscius, ob aliorum auctoritatem & argumenta, probabiliter, prudenter, ac invincibiliter putaret, sibi licitum esse secundùm opinionem minùs probabilem proferre sententiam, in ea ferenda non peccaret, nisi materialiter. Nec in hoc ulla est diversitas inter judices & alios.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

Et multa de bello utrimque justo disputantur.

Objectio 9. 35. OBJICIT nonò. Si usus opinionum etiam minùs probabilium esset universaliter licitus, liceret etiam in bello. At in illo non licet. Ergo universaliter non licet. Ergo nunquam licet. Probatur minor: si liceret sequi talem opinionem, bellum non necessitatis esset, sed voluntatis, quod & lumini rationis, & celeberrimo Augustini dicto, quod *bellum sit necessitatis, non voluntatis*, repugnat. Probatur sequela primò, quia Princeps imperio voluntatis flectere potest intellectum in assensum partis minùs probabilis. Ergo liberum ei est opinari pro jure suo, & quidem prudenter, si motivo probabili innitatur. At cuiquam licet operari juxta suum judicium prudens. Ergo in omnibus probabilibus bellum movere erit principi voluntarium. Nec hîc sistitur illatio, sed ulteriùs sequitur, quòd movere bellum aut semper, aut fere semper situm sit in Principum potestate. Ratio est, quia vix unquam desunt rationes, saltem minùs probabiles pro jure suo & jure belli quod inferre moliuntur. In omnibus nostri temporis bellis, inter Christianos Principes exortis, nulli unquam defuerunt Juristæ & Theologi quamplures, qui bellum & jura bellantis dicto, & si opus sit, scripto defendant. At tot peritorum sententiæ reddunt suum assertum probabile. Ergo nunquam defuit probabile. Sed nec unquam deerit imposterum, datâ occasione belli, quia eædem causæ permanebunt in futuro, ob quas Principes de præsenti habent tot peritos, bellum suscipiendum aut susceptum defendentes. Nec obstat, Theologos hujus Principis ridere rationes, pro alio Principe allatas, tamquam frivolas & improbabiles; nam rationes illæ ipsis graves visæ sunt, & probabiles; & ipsi non minùs aliorum censuram irrident ut malè fundatam, quàm alii ipsorum rationes ut frivolas explodunt. Ergo nunquam deest probabile. Tertiò Principes, utpote Theologiæ & Jurisprudentiæ ignari, non tenentur fundamenta examinare. Ergo probabile ab extrinseco illis sufficit. Sufficit ergo si Senatores & Theologi ita dicant. At hi nunquam desunt. Demum per Auctores benignæ sententiæ non peccat, qui putat se non peccare. Ergo licèt rationes Principis sint levissimæ, & Consiliarii levissimi, si tamen illi aliter videatur, hoc ipsi sufficiet, ut honestè bellum inferat. At unicuique suæ rationes bonæ videntur, item & consiliarii habentur boni, quia illos amat, nec alios expertus est. Ergo bellum quodlibet non necessitatis sed voluntatis erit. Et sanè non ita pridem, tempore Vasquis habebatur absurdum concedere bellum utrimque justum, quia ipse infert tamquam inconveniens, dandum alioquin bellum ex utraque parte justum, quæ illatio esset absurda nisi absurditas consequentis fuisset notoria. At jam, usu probabilium ad bella extenso, vix locus dubitandi relinquitur, quin bellum esse possit utrimque justum. Occurrente quippe jure utrimque æqualiter vel etiam inæqualiter probabili, bellum ex regula justitiæ utrimque movetur; nam tanti est justitia probabilis, quanti est ipsa justitia. Ecce quot bella & mala, quotque mutationes in statu regnorum secutæ sunt ex usu probabilium. Ita Celladeus §. 4. & 5.

An benigna sententia justum reddat omne bellum?

Respondetur per instantiam. Respondeo inprimis indirectè, & peto à Celladeo, an usus opinionis saltem probabilioris sufficiat, nec ne, ad bellum licitè gerendum? Si concedat, omnia, quæ objecit, ab illo solvenda sunt, vel habenda pro non absurdis; siquidem bellum erit voluntatis non necessitatis; nunquam enim desunt motiva & auctoritates, quæ Principibus eorumque consiliariis videntur probabiliores. Si neget (negare autem debet si consequenter loquatur) ergo frustra, & solùm ad invidiam, non autem ad veritatem aut majorem argumenti vim exemplificat in opinione directè minùs probabili, cùm cujusvis opinionis usum debuisset rejicere ut illicitum.

36. Respondeo secundò, benignam sententiam

Celladeus confundere videtur probabilitatem speculativam cū practica.

tiam nullam pati exceptionem quia solùm asserit usum opinionis certò practicè probabilis esse licitum: hoc autem verum est in omni materia, etiam in bello, si aliquando contingat, bellum in incertis esse certò probabiliter licitum. Verùm hoc discriminis est inter bellum & alia minoris momenti, quod longè plura requirantur, ut bellum, quàm ut aliud minoris momenti evadat probabiliter licitum. Sic minores probationes sufficiunt, ut judex licitè condemnet aliquem in bonis, quàm ut eum mortis reum pronunciet. Itaque Celladeus hîc etiam æquivocat, & confundit probabilitatem speculativam cum practica. Sæpe enim principibus adest probabilitas speculativa de subsistentia juris, & tamen ex communi consensu Doctorum non ideo est probabile, quòd absque ulteriori sollicitudine liceat illis bellum gerere. Hæc obvia sunt apud omnes nominatos Theologos, qui de materia belli disputant; neque hîc sunt congerenda, quia nos de bello non agimus, sed supponimus esse aliquas opiniones, quas Theologi melioris notæ, reliquique fatentur esse certò practicè probabiles, & reflexè investigamus, an liceat illas sequi. Nos affirmamus, & efficaciter probamus, quia rationes nostræ sententiæ æquè conveniunt omni materiæ, ideoque pro omni omnino materia efficaciter concludunt. Celladeus autem ex inconvenientibus hîc adductis, conatur contrarium probare, quare singula sunt examinanda.

Bellum debet esse necessitatis, nō voluntatis.

37. Inprimis fateor cum Augustino, bellum esse debere necessitatis, non voluntatis; quod tamen non ita accipiendum est, ut nemo justè moveat bellum, nisi qui injustè faceret, si bellum omitteret. Neque enim ratio ulla, nec Augustini auctoritas suadet, ut belli necessitatem in hoc sensu intelligamus. Imo ratio, & proborum praxis suadet oppositum. Ratio quidem, quia rarò aut nunquam evenit, ut princeps alium principem aggredi teneatur, & si aliud non obstaret, ipsa incertitudo eventûs belli, & vires æquales aut majores adversæ partis efficiunt, ne ad bellum gerendum teneatur, ne ad vitandum unum malum necessitetur se conjicere in periculum perdendi totam rempublicam. Et sanè hæc ratio locum habet, quando jus evidenter favet principi bellum gesturo. Videmus enim principes non rarò cogi ad pacem cum suis rebellibus, quos longo bello subjugare non potuerunt. Poterant autem bellum justè protrahere, nec tamen illicitè sed rationabiliter bellum deseruêre. Quod si necessitas belli non obliget ad bellum, quando justitia belli est evidentissima, multò minùs obligat, quando res est obscura, & longa deliberatione opus est ad sciendum an sufficiens ad bellum licitè gerendum titulus subsistat. Rursus proborum praxis idipsum confirmat, quia viri Sanctissimi, maximeque probi, ut Pontifices maximi, aliique pii principes circumjacentes, utramque partem à bello dehortari solent, quod certè plerumque malè fieret, si qui bellum licitè gerere potest, non posset nisi illicitè illud omittere. Ergo necessitas ad belli justitiam & honestatem requisita, non est necessitas moralis, seu stricta obligatio bellandi.

Explicatur sensus illius dicti de bello.

38. Itaque quando dicimus bellum, ut sit justum, debere esse necessarium, sensus est, quod illud debeat esse unicum medium, quod principi superest, ad jus suum sibi conservandum aut acquirendum, &c. Inprimis enim, si commodè potest, debet fieri justa transactio, eaque mediante pacifica concordia. Si hæc non possit obtineri, nec alia via suppetat, tunc bellum adhiberi potest, si omnia adsint, quæ ad belli justitiam & honestatem requiruntur, quia aliud remedium non superest. Hac de causa bellum est, & rectè dicitur necessitatis, non voluntatis. Necessitatis, quia aliud medium, principi decorum, non superest, quo finem justè intentum sibi procuret. Non voluntatis, quia non eligit bellum, nisi coactus, cùm alia media se frustra adhibuisse expertus sit. Itaque necessitate quadam compulsus se convertit ad ultimum medium, nempe ad bellum, ut per vim sibi sua acquirat in bello offensivo, vel se suaque jura, pacemque publicam, aut alios innocentes tueatur in bello defensivo.

Tria ad bellum licitè gerendum maximè necessaria.

39. His suppositis, si Celladeus sincerè processisset, debuisset numerare, quæ & quot Theologi requirunt, ut bellum censeatur esse justum. Verùm si illa proposuisset, quidquid objecit, sicut palea à vento valido difflatum fuisset. Audi Celladee. Ad bellum justum omnes cum S. Thoma *2. 2. quæst. 40. art. 1.* tria requirunt. Primò, ut solùm geratur auctoritate supremi principis, qui nullum superiorem agnoscit. Secundò, ut causa sit justa, & valde gravis, qualis est necessitas boni communis, & quietis conservandæ; recuperatio injustè ablatorum; coercitio rebellium; detentio innocentum, &c. Tertiò, ut fiat non ex odio, aut alia prava cupiditate, sed ex amore boni communis, cum recta intentione pacis obtinendæ. Rursus tenetur princeps, antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus sit de ejus justitia, & causa sufficiente ad illud aggrediendum. Ad hoc habendum, curandum ei est, ut habeat non solùm peritos, sed probos consiliarios, de quibus meritò suspicari non possit, eos aut sui principis adulatione, aut alieni odio, aut proprii commodi intuitu quidquam dicere, sed omnia justissima lance ponderare, & quæ sentiunt liberrimè proferre. Secundò invigilare debet, ne fraudes à suis committantur impediendo litteras & instructiones ad ipsum missas. Tertiò, res non solùm à consiliariis, sed à peritis & probis etiam Theologis examinanda est, ut ipsi liberè dicant, quid secundùm leges Evangelicas de justitia belli sentiant. Imo planè expediret, ut Theologos sibi non subditos, sed prorsùs indifferentes consuleret, quia de illis minor est suspicio adulationis, aut affectûs privati indebiti. Demum, his auditis, ipsemet rem coram Deo ponderet, an belli justitia taliter probata sit, ut ipse, omnibus consideratis, clarè perspiciat, illam esse talem, ut meritò pro illa obtinenda necesse sit bellum adhibere. Juvaret autem, si, his peractis, nil statueret, nisi quod in articulo mortis se fecisse vellet. Porro belli justitiâ inspectâ, ea proponenda est parti adversæ, quæ si offerat satisfactionem competentem, bellum non est inchoandum, sed pax firmanda. Cæterùm quamvis ad belli justitiam non semper requiratur evidentia, sed sufficiat indubitata ejus probabilitas, ea tamen esse debet tanta & tam certa, ut omnibus inspectis, Princeps certò prudenter concludat, bellum sibi licere. Nisi enim hoc post debitam diligentiam adsit, nunquam licitè bellare potest. Demùm alii alia etiam requirunt, & expressè dicunt, conditionem possidentis etiam in bello esse meliorem; ideoque principem non posse bellum movere contra possessorem, quando post omnem diligentiam adhibitam jus invenitur æquè aut magis favere possessori, quàm aggressori. Hisce ergo aliisque ejusmodi sup-

positis, videamus, quid argumenta Celladei probent.

Nullitas illationis Celladei.

40. Inprimis evidens est, bellum justum non esse voluntatis, sed necessitatis, sive dicatur esse vel non esse licitum sequi opinionem magis, æquè, aut minùs probabilem, vel etiam certam de jure; quia bellum juxta nullam harum sententiarum adhiberi potest, nisi in defectu aliorum mediorum. Ergo semper adhibetur ex necessitate, quia verè necessarium est ad finem, quem intendit, quemque Princeps prudenter existimat ad se pertinere, & licitè à se per hoc medium tandem acquiri posse, eò quòd alia media non suppetant. Dixisset saltem Celladeus, benignam sententiam sternere viam ad bella nimis faciliter admittenda, ideoque repudiandam esse, utique aliquid ad rem dixisset. At contendere ex ea sequi, bellum esse voluntatis non necessitatis, tam abest à vero, ut nec umbram verisimilitudinis habeat.

41. Atqui Princeps, inquit, auditis Consiliariis, potest vel non potest flectere intellectum ad assensum opinionis minùs probabilis. Ergo in probabilibus licitum ei est probabiliter ac prudenter opinari pro jure suo. & consequenter etiam illud per bellum sibi vindicare. Ergo bellum jam voluntatis erit, non necessitatis.

Respondeo, argumentum æquè procedere non solùm contra opinionem probabiliorem, sed etiam contra opinionem moraliter certam, quia in omnibus rebus obscurè propositis, imo & in ipsa fide Theologica certissima, assensus est liber, nec intellectus aliter assentiri potest rebus istiusmodi, quàm si voluntas illum flectat ad assensum. Itaque certum est, assensum, in quo voluntas justè bellandi aut semper aut sæpissimè fundatur, esse liberum ac voluntarium, quia justè bellantes rarò habent evidentiam de suo jure, ut patet. Hæc bellandi libertas non negatur, quando dicimus, illud non esse voluntatis, sed necessitatis. Benè enim scimus bellum esse liberum, non solùm quatenus liberum est Principi, ut dubia ac rationes ipsi suggestæ examinentur, ac si rationabiles ac sufficientes inventæ fuerint, debitè executioni mandentur; sed etiam quatenus liberum ei est, ut rationibus longè prævalentibus assensum præbeat, prudenterque credat se jus habere, & sibi licitum esse bellum movere, quia in hisce omnibus non adest evidentia intellectum ad assensum inevitabiliter determinans, ut patet. Demum postquam de suo jure non solùm probabiliter, sed etiam evidenter certificatus est, adhuc liberè movet bellum, quia physicè & moraliter absque peccato à bellando abstinere potest, si velit. Unde etiam scimus, omne bellum, non à necessitate physica aut morali, sed à plena libertate indifferentiæ oriri. Hæc nimis patentia sunt, & tamen hæc omnia æquivocat cum illo dicto Augustini: *Bellum necessitatis est, non voluntatis.* Cujus dicti alius sensus non est, quàm quod postquam Princeps habet motiva sufficientia ad existimandum tales res esse suas, nec desunt rationes ad illas sibi vendicandas sufficientes, adhuc non potest uti medio belli, nisi quodammodo coactus, eò quòd aut nulla alia media adsint, aut si adsint, non potuit per illa jus suum sibi acquirere. Jam hoc æquè locum habet, ex quocumque motivo formet judicium conscientiæ, quo ad licitè bellandum regulatur. Ergo libertas flectendi intellectum ad assensum probabilem, impertinens est ad hoc, quod bellum sit vel non sit necessitatis potiùs quàm voluntatis, si loquamur in sensu, secundùm quem certum est, illa verba debere intelligi.

Æquivocationis & inconsequentiæ arguitur Celladeus.

42. Cæterùm, quando Princeps assensum præbet motivis in actu primo verè minùs probabilibus, semper in actu secundo fertur in jus suum tamquam probabilius, & absolutè existimat illud solum verè subsistere, & oppositum omnino deficere. Similiter exercitè saltem judicat, rationes sibi faventes omnibus contrariis prævalere, quia exercitè, vitaliter, & judicialiter ita præfert illas oppositis, ut repugnet illum simul judicare, rationes contrarias esse meliores aut verisimiliores. Hæc fusè declarata sunt *quæst. 8. num. 25. & seqq. de Consc. prob.* Itaque hoc etiam inconsequenter ad intentum Celladei objicitur, quia jam sumus in casu majoris probabilitatis existimatæ. Idem autem locum habet in omni casu, etiam reflexo, quando Princeps probabiliter format conscientiam de jure sibi debito, & honestate procurandi illud sibi; semper enim fertur in illud ex vi rationum saltem reflexarum tamquam in partem probabiliorem, & quod plus est, tamquam in partem unicè veram. Unde nil ex hoc titulo minoris probabilitatis objectari potest, nisi tandem ad casum majoris probabilitatis, si omnia inspiciantur, veniamus. Ergo hæc objectio, ut valeat, debet seipsam destruere.

Objectio Celladei seipsam destruit.

43. Porro quæ Celladeus graphicè congerit, ad ostendendum omne bellum fore justum, si liceret sequi opinionem directè minùs probabilem, nullius momenti sunt; tum quia æquè impetunt usum opinionis probabilioris, sive princeps sit peritus, & ipse possit res examinare, sive imperitus, & aliis credat; nunquam enim defuerunt nec deerunt, qui jura regi proponant ut vera & verisimiliora, &c. Cæterùm qui attendit ad requisita pro justitia belli, facilè perspiciet, non omnia bella fuisse aut certò aut probabiliter licita; tot enim & talia pro justitia belli requiruntur, ut impossibile sit, omnia ad illam requisita utrique parti semper favisse. Quod si consiliarii, aut principes ipsi ex inordinato affectu judicaverint bellum esse licitum, eo ipso habent judicium vincibiliter erroneum, & consequenter non excusantur ex vi illius, si bellum indicant, aut gerant. Hæc in universali dicta sunto; nec enim animus est ullum in particulari tangere, aut ad facta vel rationes cujusvis alludere; ineptissimus enim essem, si talibus me immiscerem, cùm de illis debitam informationem nunquam habuerim.

Objectio non tangit sententiam benignam.

44. Hoc tamen mihi etiam videtur in favorem piorum principum Christianorum dicendum, culpam belli injusti, si quando suscipiatur, in consiliarios assentatores potiùs quàm in principem refundi debere; ipsis enim causa discutienda committitur; illi autem passione, & assentandi cupiditate moti, aut debitè rem non examinant, aut quod sentiunt liberè non promunt; unde fit ut princeps non rarò bona ac prudenti fide ipsis credat, atque ita bellum injustum, sed pro justo prudenter habitum, indicat. In quo casu princeps excusatur, consiliarii autem graviter peccant. Nec hoc mirum est; sicut enim subditi licitè bellant in bello injusto, quando non constat illud esse injustum, & multò magis quando probabiliter supponunt illud esse justum, quamvis princeps bellum indicendo peccaverit; sic princeps excusari potest bellum indicendo, quando rationabiliter fidem dedit suis consiliariis, licèt illi mentiendo, assentando, aut veritatem debitè non inquirendo peccaverint. Cæterùm ad hoc principes, ut tuti sint, maximè attendere debent, ut consilia-

Principes pii sæpe excusantur in bello materialiter injusto.

Quid præstandum ut Princeps sit tutus?

consiliarios ac Theologos capacissimos atque integerrimos adhibeant, de quibus meritò suspicari non possint, quod aut offensionis metu, aut complacendi studio ducantur; quia si tales non sint, in re tanti momenti vix potest illis fidere. Deinde efficere debet, ut singuli totum controversiæ statum, atque utriusque partis rationes debitè examinent, & super omnia efficere, ut singuli persuasum sibi habeant, se nil principi gratius facturos, quàm si liberrimè sua sensa promant. His enim aliisque ejusmodi præmissis, fieri poterit, ut princeps in bello materialiter injusto excusetur, quamvis aliqui ex consiliariis à suo officio præter principis expectationem deflectant, & coram Deo peccent.

Evidens Celladei error & calúmnia.

45. Demum falsissimum est & injuriosum, quod dicit Celladeus, Auctores benignæ sententiæ dicere, nullum hominem peccare, qui putat se non peccare. Hoc enim unanimi eorum consensui apertissimè repugnat, cùm omnes tradant, conscientiam vincibiliter erroneam à peccato non excusare; & tamen, qui formando conscientiam vincibiliter errat, putat se non peccare in eo, quod verè peccatum est, & ipsi ut peccatum imputatur. Dices: hoc utique est notoriè verum. Unde ergo factum est, ut Celladeus contrarium dixerit? Respondeo me nescire; nec suspicionibus uti velle. Viderit ipse. Hoc tamen assero, Epiphonema illud, quo post hæc omnia concludit. *Ergo bellum quodlibet non necessitatis est, sed voluntatis*, nullâ ratione subsistere, cùm in evidenti terminorum æquivocatione fundetur, ut ostensum est; & ad ejus veritatem impertinens sit, judicium de belli honestate in principis potestate esse positum.

Inconsequentia argumēti notatur.

46 Ultimum quod Celladeus ad invidiam benignæ sententiæ conciliandam addit, nempe quòd doctrina de probabilium usu bella quamplurima, atque regnorum eversiones, innumerasque reipublicæ calamitates pepererit, quæ mala, si talis doctrina ea non approbasset ut licita, nunquam in nostro horizonte comparuissent; hoc, inquam, dictum ejus omni fundamento caret, quia ipse putat, doctrinam istam ante centum circiter annos approbatam non fuisse. At certum est, non pauciora, sed plura bella superioribus sæculis quàm hoc ultimo inter Christianos Catholicos Europæos viguisse; cùm maxima bellorum hujus sæculi pars inter Catholicos & hæreticos extiterit, quæ quin ex parte Catholicorum plerumque justa fuerint, nulla potest esse suspicio. Ergo si facta sequuta tribuenda sint Theologorum doctrinæ de probabilium usu, concludere debebat Celladeus, opinionem de licito probabilium usu multùm profuisse, in nullo simpliciter nocuisse reipublicæ, quod ego verissimum puto. Nec mirum: quia licèt opinio illa videatur viam laxare, quia dicit omnem probabilitatem practicam, etiam minorem, ad conscientiam rectè formandam sufficere, nihilominus Auctores illius sententiæ tam clarè loquuntur in singulis materiis, & tot requisita ad practicam certamque probabilitatem exigunt, ut si omnia considerentur, præsens doctrina magis deterreat principes à bello, quàm priorum temporum opiniones

Doctrina de bello non est laxata à tempore Vasquii.

47. Nec plus veritatis habet, aut plus ad rem facit querela Celladei, quod Theologia à tempore Vasquis mirè laxata sit circa materiam belli. Ego certò scio, Vasquem per omnia repugnare Celladeo, ac expressè docere, Doctori licitum esse, sequi alienam opinionem contra propriam, omnibusque concessum esse, ut tutò sequi possint opinionem minùs tutam, minùsque probabilem. Idem docet Suarez, aliique omnes ejusdem ætatis scriptores, & coætanei Vasquez, nec ullus illorum ullam exceptionem facit, si sententia illorum ritè exponatur de probabilitate practica, de qua sola illi loquebantur, ut intelligi possunt. Unde non video, nec Celladeus videt, in quo Doctrina reflexa de materia belli laxata fuerit à tempore Vasquez. Quod tunc erat, & communiter admittebatur ut verum, id nunc quoque eodem modo se habet. Nunc enim, sicut tunc, bellum utrimque non est materialiter justum; quia verum jus directum uni tantùm parti convenit, ut patet. Cæterùm etiam tunc admittebatur, Celladeo etiam idipsum fatente, principem bellantem absque vero jure sæpe excusari ob invincibilem veritatis ignorantiam, & inculpabilem de suo jure existimationem. Hoc nec aliud Auctores benignæ sententiæ hodie docent. In quo ergo facta est mutatio? in quo laxatum est? Nec tamen tanti est justitia probabilis, quanti ipsa justitia, quia quamvis ubicumque datur justitia certò probabilis, & practica probabilitas quod bellum liceat, detur etiam jus quoddam certum ac reflexum in principe, ratione cujus possit per media debita, ac tandem etiam ex necessitate per bellum sibi vendicare jus directum, quod ad se scit certò probabiliter pertinere; nihilominus semper præstat habere verum & indubitatum jus, quàm solùm probabile; quia indubitatum jus magis defendit possessorem, quàm solùm probabile. Et sanè error invincibilis in principe de suo jure, illum bellantem à peccato liberat, & bona bello acquisita in ejus potestatem redigit, non minùs quàm certum jus, & bellum certò materialiter justum, ut non negat Celladeus. Peto ergo ab ipso, an tanti sit jus errore invincibili existimatum, quanti jus verum? Ecce ipse tenetur eandem instantiam solvere. Si affirmet, cur absurdum putat, quod nos idem de justitia probabili concedamus? si neget, ostendat disparitatem, & eandem in casu nostro inveniet; in quo haud dubiè semper intervenit error & ignorantia invincibilis de suo jure, quoties princeps juxta præscripta benignæ sententiæ bellum gerit, & verum dominum sua re per accidens privare contendit.

Argumentum retorquetur.

Jus verum prævalet juri existimato.

48. Sed quid Celladeus responsurus sit, nescio; ego respondeo semper pluris esse veritatem scire, quia est id, ad quod toto nisu tendere obligamur, quodque per se expetitur, atque tale, ut quoties certò scitur adesse, longè plura commoda secum ferat, quàm jus errore invincibili existimatum, quod solùm in defectum juris certi ac certò cogniti, seu per accidens quæritur, & ad quod per accidens solùm, & in alterius defectum, si velimus illo uti, obligamur. Atqui melius & appetibilius est quod per se, quàm quod solùm per accidens expetitur; optabilius est illud cujus gratiâ cætera fiunt, & ad quod habendum tenemur diligentiam adhibere, quàm illud imperfectius, quod loco rei intentæ præter expectationem succedit. Sic melior esse scientia quàm error, melius jus verum, quàm per errorem etiam invincibilem apparens; quia omnis error est quædam macula ac nota in intellectu, causatque involuntarium in voluntate præter desiderium & intentum operantis. Nec alia plura desunt discrimina. Nec obstat, quòd utrumque in ordine ad aliquos fines aliquo modo ex æquo conducat; nimirum quod utrumque ex toto arceat peccatum, & provincias aliorum ex æquo expugnet, &c. nam hæc ita ex æquo fiunt, ut tamen

tamen in modo faciendi sit diversitas; nam alterum factum est undecumque bonum, integrè voluntarium; alterum verò pœnitudini subjacet, & est involuntarium secundùm quid, quia si veritas detegatur, victor tenebitur ad restitutionem, culpabitque priorem electionem ut involuntariam, quia in errore fundatam. Atque hæc de bello dicta sufficiant, quia ostendunt, Celladeum in hac re triumphasse ante victoriam, & in omni apice, ad causam nostram spectante, causâ cecidisse.

QUÆSTIO VIGESIMA-PRIMA.

Vtrùm usus probabilium contradictoriorum æquivaleat sententiæ Heracliti, qui dixit utramque simul partem contradictionis esse veram.

Quidam docuerunt cōtradictoria esse simul vera.

1. CELLADEUS *lib. 1. quæst. 16.* primò ex Aristotele *4. Metaphysicorum* proponit, Heraclitum olim dixisse, rem eandem simul esse & non esse, & consequenter, tam affirmantes, quàm negantes idem, verum dicere. Deinde affert sententiam Pythagoræ, seu potiùs cujusdam Protagoræ, qui arbitratus est, ipsam veritatem nos prorsùs latêre, nec inveniri posse. Hinc definiunt illud omne esse verum, quod unicuique videtur esse. Unde quoties contradictoria nobis videntur, illa sunt vera. Itaque utraque hæc sententia in eo convenit, quòd contradictoria simul sint, aut esse possint vera. Tum citat Academicos, qui affirmabant, nil potiùs verum esse quàm falsum, sed omnia per probabile & verisimile determinabant.

His præjactis, Celladeus, omissis in præsenti Academicis, contendit, eadem inconvenientia provenire ex usu licito contradictoriorum probabilium, quæ ex Heracliti ac Protagoræ opinionibus sequuntur. Verùm adeò infeliciter atque præter omnem probabilitatem, ut quæstio mihi visa sit nulla confutatione indigere. Nihilominus, quia benignam sententiam sub mirabili prætextu impetit, atque Auctores, probabilium usum approbantes, indignissima comparatione traducit ac vilipendit, prætermittenda non est; tum ut Auctores dignissimos, nil tale merentes, ab injustissima comparatione & nota defendam, tum ut quod benignæ sententiæ adversari videtur dissolvam. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus dehonestat Auctores gravissimos.

Æquiparatio inter Auctores benignæ sententiæ & Philosophos antiquos proximè nominatos, atque inter horum & illorum doctrinas citatas, est in se absurdissima, & Auctoribus Catholicis pietatis ac sapientiæ laude clarissimis maximè injuriosa.

2. PROBATUR, ac declaratur assertio. Antiqui illi Philosophi inprimis negabant quidquam esse certum; ac proinde omnes absolvebant à conatu ac diligentia inquirendi ipsum verum ac certum, quia stultum esse dicebant laborare ac conari ad inveniendum, quod quis credit inveniri non posse. Deinde dicebant, hominem, ut benè operetur, non obligari ad determinandum intellectum ad unam partem contradictionis, sed sufficere, si citra assensum faciat, quod ipsi ita repræsentatur sub specie boni, ut allicere possit voluntatem. Ita expressè docebant Academici. Protagoras autem & Heraclitus, si consequenter ad sua principia loquantur, aliud ad rectè operandum non requirunt, nisi quòd res videatur & appareat bona, eo ipso enim habet, quod ipsi ad veritatem requirunt. Et quidem Protagoras nolebat nos judicare rem esse verè bonam (hoc enim erat judicare de subjecto secundùm illum non supponente & ininvenibili) sed solùm habere meram apparentiam, seu apprehensionem boni. Tertiò nullam sollicitudinem habebant, quæ & quanta esset ista apparentia, sed qualicumque contenti erant. Academici, modò voluntas moveri posset, intellectu nil affirmante; Heraclitus & Protagoras eo ipso veritatem admittebant, quòd res apprehensæ ullam veritatis speciem præ se ferrent; neque enim in suis principiis aliter discurrere poterant. Unde quartò demum, nemo istorum inter vincibilem & invincibilem veri apparentiam distinguebat, nec de ejusmodi diversitate sollicitus erat, ut patet. — Errores intolerandi Antiquorū.

3. E contra Doctores Catholici, benignæ sententiæ patroni, omnia istis contraria firmissimè tenent. Inprimis disertè asserunt, plurima esse certa, atque cum respectu ad solum certum omnia nostra studia & operationes instituendas esse tradunt. Omnium constans assertio est, quòd in rebus incertis nemo partem minùs tutam licitè sectari possit, nisi priùs veritatem diligenter investigaverit, feceritque quantum potuit & debuit, ut veritatem ipsam inveniret. Nec hâc diligentiâ contenti sunt, sed insuper addunt, hominem sectantem minùs tuta non aliter à peccato liberari posse, quàm si dictâ diligentiâ præmissâ per rationes directas vel reflexas determinaverit intellectum ad eam partem contradictionis credendam, quam in praxi sectatur, formetque conscientiam ac bonam fidem, quâ absolutè credat, objectum illud esse licitum. Neque hîc sistunt hi Auctores, sed adhuc exigunt, ut fides illa bona, ac conscientia permittens non leviter, non — Opinio benigna per omnia Heracliti opinioni opponitur.

ex

ex passione ac libidine, sed ex motivo certò gravi ac prudenti concipiatur, id est motivo certò probabili, seu absolutè & comparativè magno ac plerumque non fallenti. Adeo ut per omnia quàm maximè distent à sententia illorum philosophorum, illisque in omnibus apertè contradicant.

Opiniones istæ absurdissimè comparantur.

4. Jam quod ad doctrinam dictorum Philosophorum attinet, illa est evidenter falsa, atque ut talis non solùm à Catholicis omnibus, sed etiam ab Aristotele, aliisque melioris notæ Philosophis rejecta & explosa fuit. Sententia autem benigna non clanculùm, non ab uno vel altero, sed ubique, ab innumeris, imo ab omnibus omnino Ecclesiæ Doctoribus per integrum sæculum proposita & approbata fuit, tamquam regula sufficiens ad conscientiam rectè formandam. Nec hoc illi per transennam dixerunt, aut rem levi manu percurrerunt, sed quæstionem à fundamento exactissimè discusserunt, innumerisque ac fortissimis rationibus, quas nemo hactenus, nec Celladeus quidem toto suo conatu, elidere aut debilitare potuit, eam confirmarunt. Jam quæ comparatio absurdior esse potest, quàm impios atque absurdissimos Philosophos cum sanctissimis doctissimisque Doctoribus ob doctrinas tam dissimiles comparare, atque prætendere non minora absurda ex benigna sententia sequi, si illa pro regula conscientiæ adhibeatur, quàm ex evidenter falsis Heracliti atque Protagoræ opinionibus sequantur, si homines illis pro vita & moribus regulandis utantur? Quò te vexit ardor disputandi Celladee, ut hoc diceres? non magis distat nox à die, quàm tenebrosa & evidenter falsa horum Philosophorum opinio à rationabili & solidè probata Catholicorum doctrina. Illa viam libertati aperit, ut quæcumque enormia, non solùm absque sceleris nota, sed etiam cum laude patrari possint. Hæc ita hominem ligat, ut nil absque scelere facere possit, de cujus honestate, post debitam diligentiam, judicium prudens non habeat. Nil ergo vidisti in sententia benigna, quod comparationem istam mereatur, quæ proinde & absurda est, & Doctoribus præstantissimis injuriosa.

Qui graves Auctores vilipendit, terminos decori trãsgreditur.

5. Quid diceres, Celladee, si ego, quod à me longissimè absit, dissertationes tuas stultissimæ Heracliti opinationi compararem? Nónne viderer honesti terminos transgressus, si comparationem ingeniosa & docto, qualis es, Theologo tam indignam instituerem? Nisi fallor id ægrè boni consuleres. Sed quid si idem de S. Thomæ, vel Scoti, omniumque, qui illos sequuntur, sententiis dicerem? Nemo certè non intolerandæ temeritatis me argueret. Tu tamen non unius, aut alterius Auctoris, ejusque asseclarum opinionem, non tantùm Thomistarum aut Scotistarum, sed omnium omnino Auctorum unanimem sententiam hac comparatione dehonestare, & quod plus est, pari inconvenientium sequela tamquam prorsùs inevitabili explodere non es veritus. Certum tamen est, rationes tuas exigui ponderis ad tantam accusationem inchoandam, & nullius roboris esse ad eam evincendam, ut ex dicendis mox constabit.

ASSERTIO II.

Æquiparatio à Celladeo facta apertæ veritati repugnat.

Æquiparatio dicta, inter benignam sententiam & dictorum Philosophorum opiniones, apertæ veritati repugnat, & nullo prorsùs fundamento innititur.

6 PROBATUR. Opiniones, quæ quoad asserta & illationes ex illis facilè ac legitimè deductas prorsùs opponuntur, non nisi contra apertam veritatem æquiparari possunt, tamquam eorundem absurdorum origines. Atqui talis est benigna sententia & dictæ Philosophorum opiniones. Ergo non nisi contrà apertam veritatem dictâ ratione æquiparantur. Major patet. Probatur minor. Et quidem quòd asserta utriusque opinionis prorsùs opponantur, constat ex dictis in assertione prima. Quod verò illationes ex illis facilè ac legitimè deductæ etiam contrarientur, non solùm ex eo evincitur, quòd ex contrariis & repugnantibus assertis non nisi contraria & repugnantia legitimè deduci soleant; sed ex ipsa præcipuarum illationum enumeratione. Ex Heracliti & Protagoræ opinionibus sequitur primò, nil esse magis honestum quàm turpe. Sequitur secundò, omnia esse bona & honesta, quæ vel videntur, vel creduntur esse talia. Sequitur tertiò, hominem eo ipso rectè operari, si quod agit non magis reputet verum quàm falsum. Unde qui in dubio operatur, tutus est à malo, modo absolutè non existimet, illud quod facit bonum esse vel malum. Hoc Academici expressè & per modum Thesis præcipuæ tradebant. Sequitur quartò, operationes liberas ac maximè humanas, ex quibus beatitudo vel miseria post mortem dependet, non à judiciis, sed ab apprehensionibus atque dubiis regi debere, nullamque sollicitudinem adhibendam pro veritatis indagatione, sed quamvis apparentiam sufficere. Nec alia similia desunt, quæ ex fatuis & explosis illorum Philosophorum opinionibus facilè ac legitimè deducuntur. At omnia directè opposita inferuntur ex benigna sententia. Illa enim docet, neminem excusari, si sectetur partem minùs tutam, nisi bonâ fide determinet intellectum per rationes certò prudentes & probabiles ad existimandum objectum illud esse licitum. Hinc autem evidenter sequitur, non omnia esse honesta, quæ talia videntur, aut etiam creduntur, quia nemo per errorem vincibilem excusatur. Deinde ex eadem sententia evidenter sequitur, aliqua esse mala, quæ nulla ratione honestari possunt. Talia sunt ea omnia, quorum turpitudo per se patet, aut honestas sufficienter probari non potest. Tertiò apertè sequitur, omnem illum peccare, qui dubius de honestate sui operis aliquid agit. Demum secundùm hanc sententiam, vita & actiones humanæ non apprehensionibus & dubiis, sed solis judiciis, atque discursibus, id est perfectissimis intellectûs operationibus ita regulantur, ut tamen non qualecumque judicium aut discursus ad rectè operandum sufficiat, sed ille solùm, qui post diligentem ac debitam veritatis indagationem motivo certò prudenti nititur, atque objecti honestatem bona ac prudenti fide voluntati repræsentat. Ergo tam asserta quàm illationes benignæ sententiæ Heracliti ac Protagoræ assertis & illationibus per omnia contrariantur. Ergo contra apertam veritatem Celladeus comparationem prætactam instituit. Porro quod

eadem comparatio omni fundamento careat, ex solutione objectionum seu rationum Celladei mox apertè constabit.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO,

Et agitur de justitia belli rationis.

Bellum rationis an possit esse utrimque justum?

7. OBJICIT primò. Ex opinione Heracliti & Protagoræ sequeretur bellum rationis esse utrimque justum, quia utraque pars contradictionis esset vera. Ergo contentio & contradictio rationis esset utrimque vera. Ergo justa & laudanda; quia utraque pars pro veritate pugnaret, quo nil honestius. Hoc idem sequitur admisso probabilium contradictoriorum usu, quia ex probabilibus liberum est alterutrum prudenter opinari, & judicare. Ergo erit juxta rectam rationem alterutrum opinari. Ergo & tueri, ac pro illo certamen inire. Et sicut in Philosophorum illorum opinione uterque contradicentium justè contendit, quia verum dicit; ita in casu nostro uterque contradicentium justè contendit, quia rectè & juxta rationem opinatur. Ergo rectè justéque contendit.

Sed è contrario sequitur, idem bellum esse utrimque injustum; quia rectè justéque dicenti non est resistendum, sed consentiendum, & dicendum, *rectè dicis*. Ergo per contradictorium injustè impugnatur, quasi non benè justéque loqueretur. Ergo sicut in opinione Heracliti omnis contradictio est injusta ac bellum injustum, quia veritati non est contradicendum. Sic admisso usu probabilium, omnis contentio in probabilibus erit injusta, & bellum rationis utrimque injustum. Jam lumine naturæ constat, sequelas istas esse absurdas. Absurdum ergo est admittere usum probabilium esse licitum, ex quo istæ sequelæ inferuntur. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 16.* §. 1.

Celladeus arguit ex subjecto nō supponēte.

Respondeo, in sententia illorum Philosophorum, nullum prorsùs bellum rationis esse posse. Ad bellum requiritur resistentia unius partis contra aliam; ubi enim nulla est resistentia, ibi nulla lis aut contentio, nulla rixa aut bellum, sed pax & concordia summa. At in illorum opinione veritas unius partis secum patitur veritatem contradictoriè oppositæ, nec illam repellit, refellit, aut destruit. Nulla ergo species belli rationis in ea sententia inveniri potest. Itaque licet in hac hypothesi utrumque ex judiciis contradictoriis tenderet in veritatem, ideoque intellectus sic tendendo verè ac rectè judicaret; non tamen bellaret contra veritatem alterius judicii, nec illud excluderet, quia utrumque simul quietè consisteret. Itaque fundamentum hujus paritatis atque comparationis, à bello rationis desumptæ, procedit de subjecto non supponente, & si pressè loquamur, ac hypothesim strictè retineamus, nullum in ea rationis bellum haberi potest, sed summa concordia conservatur.

8. Verùm quamvis opinio illa sit prorsùs fatua, eò quòd asserat, contradictoria esse simul vera, quod est evidenter impossibile, non tamen volo Celladeum, dictæ inconsequentiæ jam convictum, animis cadere; ego illi concedo totum quod cupit, nempè bellum rationis in ea hypothesi esse utrimque justum, & utrimque injustum, hæc enim contradictio æquo jure admitti potest, ac ulla alia. Imo quod plus est, illi do (quod tamen falsum est) sequelam hanc de bello rationis utrimque simul justo & injusto legitimè inferri ex stultissima illorum opinione, quia dato uno impossibili, necesse est innumera alia ex illo deduci. Quid inde? putátne, illationem illam meritò reprehendi posse, si antecedens concedatur esse verum? Nihil minus; nil enim absurdi in consequenti invenies, quod in antecedenti non eluceat. Sed esto, consequens sit absurdum, & antecedente absurdius, modò sermo sit de bello rationis materialiter justo & injusto, nil inde contra doctrinam de licito probabilium usu deduci potest, quia illa non concedit duo contradictoria esse simul vera, cùm tamen illationes istæ in alio non fundentur, nec ex alio inferri possint, quàm quòd duo contradictoria concedantur esse vera.

Dices, ex licito probabilium usu sequitur, bellum rationis utrimque fore justum, simul & injustum.

Respondeo inprimis, hoc non magis sequi ex eo, quòd usus probabilium dicatur licitus, quàm quod dicatur illicitus. Ratio est evidens, quia bellum rationis æquè viget inter probabilia merè speculativa, quæ praxi non deserviunt, nec in praxim ullatenus reduci possunt, quàm inter probabilia moralia & practica, quæ praxim dirigunt. Ergo sequela hæc incongruè objicitur contra benignam sententiam, tamquam absurdum singulariter ab ea dependens, quod ipsam falsitatis singulariter evincat. Non ergo rationabiliter dixerit Celladeus, cur hæc singulariter contra benignam sententiam objecerit.

9. Atque hinc est, objectionem hanc ab ipso Celladeo in probabilibus saltem speculativis esse solvendam. In illis enim utraque pars justè sectatur suam sententiam, quia neutra ex eo titulo justè reprehendi potest; quamdiu enim certitudo veritatis latet, qui probabili fundamento uni parti adhæret, licitè ac prudenter opinatur, & quod plus est, justè operatur. Alioquin Celladeus de se ipso aliisque omnibus fateri debet, quòd in omnibus suis assertionibus tam Philosophicis quàm Theologicis à veritate aberrantibus, quæ haud dubiè sunt quamplurimæ, illicitè ac imprudenter opinatus, & injustè operatus sit; quod vix concedet, & si concesserit, sibi aliisque injurius erit, se enim aliosque in eo vituperabit, in quo magna laude digni sunt. Ecce quàm miserum argumentum, quod ipsum arguentem premit, & si consequenter ad propria principia in argumento expressa procedat, prorsùs opprimit, cùm nos, in quos torquetur, non tangat. — Retorquetur argumentum.

10. Respondeo secundò, bellum rationis dupliciter esse posse justum; primò materialiter simul & formaliter, secundò solùm formaliter. Bellum rationis dicitur materialiter simul & formaliter justum, quando intellectus sine errore pro veritate dimicat. Porro hoc bellum rationis eò justius est, quò certius est, quòd veritatem propugnet. Sic justiùs dimicamus contra hæreticos in punctis ab Ecclesia decisis, quàm contra Catholicos in rebus incertis & utrimque probabilibus, quia certi sumus, veritatem à nobis stare contra hæreticos; formidamus autem, ne veritas in rebus incertis & utrimque probabilibus adversariis faveat. Rursus bellum rationis dicitur solùm formaliter justum, quando intellectus rationabiliter contra veritatem dimicat, putans se pro veritate dimicare; ideo autem bellum hoc rationis dicitur justum, quia qui pro veritate tantùm apparente contendit, jus habet ad talem litem & contentionem. Evidens enim est, unumquemque in rebus incertis, quamdiu veritas — Bellum rationis aliud materialiter, aliud formaliter justum.

tas latet, habere jus eam investigandi, ac pro ea, probabiliter aut certè probabiliùs apparente, strenuè dimicandi. Hoc jus, certum & liquidum, est unica causa formalis, quæ bellum rationis denominat formaliter justum. Hinc fit, ut bellum rationis materialiter injustum sæpe sit formaliter justius illo, quod materialiter simul & formaliter justum est. Hoc autem tunc contingit, quando falsa sunt probabiliora veris, quod certè sæpenumero evenit. His positis.

In probabilibus bellū rationis sæpe est formaliter justū utrimque.

11. Dico bellum rationis esse utrimque formaliter justum, quamdiu versamur in incertis, & utraque contradictionis pars est probabilis; idque locum habet tam in purè speculativis, quàm in moralibus ac practicis. Ratio est, quia Auctores utriusque partis habent jus naturale ad veritatem omni conatu inquirendam, eamque, ubi certò inveniri non potest, probabiliter inventam seriò defendendam. Quod adeo perspicuum est, ut mirer quomodo Celladeum latuerit. Jam in hoc casu bellum ex una solùm parte est materialiter justum, & ex altera tantùm est injustum materialiter, quia una ex contradictoriis verum dicit, & altera falsum. Porro absurda, quæ ex Heracliti ac Protagoræ opinione sequuntur, in alio non fundantur, quàm quòd bellum utrimque sit simul materialiter justum & injustum; quia in hoc solo invenitur contradictio, & absurditas prætensa. Itaque quoad formalem contrariarum disputationum justitiam, admitto illam comitari licitum opinionum probabilium usum, sed nego eam in illo fundari; fundatur enim in natura intellectûs, ac in innato sciendi desiderio. Hinc enim constat, unicuique jus esse, ad veritatem per media probabilia indagandam, suamque opinionem, semel stabilitam, defendendam, quamdiu veritas latet, & propria opinio, certò probabilis, ipsi videtur rationabilior quàm opposita. Simile jus favet alteri, ratione cujus laudabiliter suas quoque partes defendit, atque omnes sibi adversantes impugnat, eosque ad suam sententiam trahere conatur. Nec puto quemquam inter mortales (nisi fortè Celladeus, quod tamen vix credo, aliter opinetur) hoc negare, aut in dubium revocare. Itaque hæc illatio in natura intellectûs & veritatis probabiliter tantùm apparentis fundatur. Ergo per accidens est, quod in moralibus aut physicis, in practicis aut speculativis locum habeat. Ergo hæc illatio imperitè objicitur contra licitum probabilium usum, tamquam propria illius soboles, cùm in causa longè universaliori fundamentum habeat.

Replica.

At, inquies, si bellum hoc sit utrimque justum formaliter, erit etiam utrimque formaliter injustum, quia non solùm verè, sed etiam rectè justéque dicenti non est resistendum, sed consentiendum, & dicendum; *rectè dicis.* At qui unam contradictionis partem sequitur, justè facit, & rectè opinatur. Ergo injustè facit, qui contradictorium promovet, quia rectè & justè opinanti resistit.

Retorquetur.

Respondeo. Ergo Celladeus injustè fecit, quoties aliorum sententias in Philosophicis ac Theologicis impugnavit; certum enim est eos omnes, aut plerosque justè ac rationabiliter suas sententias tenuisse, ac proposuisse. Ergo impugnavit justè ac rectè dicentes. Ergo injustum bellum movit.

Aliquando justè dicenti justè resistitur. Et quando?

12. Respondeo secundò directè, licitum esse non solùm rectè, sed etiam vera loquentes impugnare, quando veritas certò non constat, sed per probabiles tantùm conjecturas cognosci potest. Verùm hìc iterum æquivocavit Celladeus: dupliciter enim justè loquenti resistere possumus: primò ostendendo illum non dicere verum, sed errare; ideoque conando contrariam persuasionem in mentem ejus & aliorum inducere. Secundò impediendo, ne ille seipsum defendat, aut rationes pro sua sententia afferat. Qui in probabilibus hoc secundo modo faceret, injustè bellaret, quia alterum jure suo privaret. At si illum non impediat, sed solùm coram rationis tribunali causam suam agat, ut victoriam reportet, non injustè agit, justè dicenti contradicendo; quia jus, quod facit alterum justè ac rectè dicere, solùm postulat, ne impediatur rationes suas afferre, & ad judicium rationis provocare. Ergo dicta illius impugnare ut falsa nulli juri repugnat, quia per hoc non impugnantur tamquam non justè, sed injustè allata. Hæc omnia evidentissimè patent in exemplo litigantium coram judice de suis juribus. Uterque putat jus sibi tantùm favere, ideoque uterque justè litigat coram judice. Nec quisquam dubitare potest, quin uterque justè agat; cùm certum sit, utrumque habere jus afferendi suas rationes ut veras, & refellendi oppositas ut falsas. Itaque sicut neutra pars dicitur alteri justè facienti resistere, modò non impediat quò minùs rationes suas liberè promat, quamvis eas ut insufficientes ac nullas refellere conetur, quia jura partium solùm exigunt, ut liberum sit rationes judici proponere, non verò ut illæ omni conatu non refellantur. Ita pariter in casu nostro, utraque pars justè facit contendendo, suasque rationes proponendo, nec per hoc resistit justè facienti aut dicenti, quia non impedit rationes in contrarium afferri, ad quas afferendas utraque pars jus indubitatum habet, sed solùm insurgit contra rationes jam allatas, ostendendo illas esse falsas, & insufficientes, ut sic intellectus tandem non illis, sed suis argumentis assensum præbeat.

SOLVITUR II. OBJECTIO,

Et agitur de litè intellectuali.

13. OBJICIT secundò. In sententia Heracliti omnes lites essent interminabiles, quia nulla lis aliter terminatur, quàm ferendo sententiam pro una parte, alteram condemnando. At hoc licitè fieri nequit, si utraque contradictionis pars sit vera. Ergo in ea hypothesi omnes lites essent interminabiles. At eadem controversiarum interminabilitas sequitur ex licito probabilium usu. Nam nulla lis aliter terminari potest, quàm ostendendo alterutrum contendentium non rectè dicere, & contrarium dicere debuisse. At hoc nequit fieri in probabilibus, magis quàm in sententia Heracliti; quia uterque contendentium rectè dicit, sicut in sententia Heracliti uterque dicit verum. Ergo idem absurdum ex utraque sententia inevitabiliter sequitur. Et sanè experientia ipsa hanc disputationum interminabilitatem nimis patenter evincit. Jam scholæ per integras ætates de eisdem controversiis disputant, nec eæ sunt adhuc magis terminatæ, quàm erant ab initio. Hoc fieri potuit ex vitio alterius partis, quæ sine fundamento sufficienti parti rationem habenti diu obstitit. At admisso probabilium usu, qualia sunt scholarum placita, omnis causa fit per se interminabilis & sempiterna. At sequela est contra lumen rationis, quia nemo movetur ad quidquam, quod apparet impossi- Objectio 2.

possibile. At omnes movemur ad disputandum. Ergo omnes lumine naturæ credimus victoriam esse possibilem, nosque posse adversarios malè dicti convincere. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 16. §. 1.*

Argumentum procedit de subjecto non supponente.

Respondeo, argumentum ex parte hypothesis de opinione Heracliti procedere de subjecto non supponente; in illa enim opinione omnis lis terminata est, immo, ut antea dixi, nulla lis est possibilis, quia utraque pars est vera, nec veritas unius alterius veritati repugnat. Itaque de essentia litis est, ut supponatur utraque pars contradictionis simul vera esse non posse. Hoc supposito, fateor, litem aliter terminari non posse, quàm ferendo sententiam pro una parte, alteram condemnando. Hoc principio admisso, quamvis ex illo sequeretur, omnem litem in probabilibus esse interminabilem, nihilominus id licito probabilium usui perperam tribueretur, quia sive ille licitus sit, sive illicitus, eadem interminabilitas in quæstionibus merè speculativis reperitur. Erravit ergo Celladeus, dum hoc licito probabilium usui adscripsit tamquam absurdum ab illo singulariter dependens. Præterea in rebus speculativis utrimque probabilibus ipse tenetur idem argumentum solvere, quia eadem ratio & experientia probat, illas esse non minùs interminabiles, quàm sint lites & disputationes de rebus moralibus, & licito probabilium usu, ut patet.

Omnis lis intellectualis est terminabilis, maximè in moralibus.

14. Sed omissis istis inconsequentiis, respondeo, litem dupliciter terminari: primò apud judicem finalem, à cujus sententia non datur appellatio: secundò apud judicem non finalem, cujus sententiæ pars damnata non tenetur stare, sed ab ea appellare potest ad alium judicem. Jam loquendo de prima litis terminatione, dico nullas de rebus probabilibus lites esse per se loquendo interminabiles. Inprimis multæ opiniones olim probabiles, post longam veritatis indagationem, jam improbabiles evaserunt, ideoque lis in illis jam terminata est. Jam hoc frequentiùs accidit in moralibus, quàm in speculativis. Ergo tantum abest ut probabilitas in moralibus, aut licitus probabilium usus controversiarum terminabilitati repugnet, ut potiùs eam facilitet, quia singularem & longè majorem in rebus examinandis diligentiam requirit, quàm in rebus purè speculativis. Ex hac autem majori diligentia factum videtur, ut lites frequentiùs in rebus moralibus, quàm in speculativis terminentur. Porro, quod rarò eveniat lites istiusmodi finaliter terminari, non oritur ex ipsa notione probabilitatis, aut per se connectitur cum ratione litis, sed desumitur ab ignorantia humana & difficultate eam superandi, ideoque solùm per accidens connectitur cum natura litis, ac controversiæ intellectualis, ut patet. Sic ex litibus in foro externo agitatis, alias aliis diutiùs pendere cernimus, nec ideo censendæ sunt interminabiles, sed sperantur aliquando terminandæ. Nam si ob ignorantiam humanam, & rationes hinc inde æqualiter apparentes, contingat, litem aliquam esse per accidens interminabilem, id absurdum non est, quia non oritur per se ex rebus ipsis, sed per accidens ex humana ignorantia, ut patet. Et hactenus quidem locutus sum de ultima terminatione litis per solam conspirationem judicum inferiorum, absque sententia judicis finalis seu Ecclesiæ. Hoc enim proprium est in dubiis moralibus, ut illa habeant judicem finalem & inappellabilem, ut mox dicetur.

Lites intellectuales faciliùs terminantur per sententiam non finalem, quàm lites fori externi.

15. Cæterùm loquendo de terminatione litium intellectualium per judicem non finalem, lites intellectuales faciliùs & frequentiùs terminantur, quàm lites in foro. Certè plerumque evenit in foro exteriori, ut lis ab uno judice terminata in favorem unius partis, ab alio judice in favorem partis adversæ dijudicetur. Unde lites rarò aut nunquam finaliter terminarentur in foro illo, si pars condemnata ad alium judicem provocare posset. Huic malo ut obviaretur, statutum est, ut aliquod judicium sit ultimum, quo lis tandem dirimatur. Jam in rebus probabilibus ac controversiis scholasticis toties lis terminatur per judicem non finalem, quoties intellectus, re perpensa, absolutè adhæret uni parti ut veræ, & alteram ut absolutè falsam repellit. Itaque dissentiones scholarum per integra sæcula litigantium frustra allegantur, quia jam à tot sæculis causæ illæ determinatæ fuerunt apud suos sectatores, à quot controversiæ illæ fuerunt agitatæ. Nec obstat determinationem causæ non esse talem, ut ab aliis judicibus admittatur, nam illi pro parte opposita judicium ferunt. Ratio autem est, quia nemo ex judicibus istis constitutus est pro judice ferente sententiam ultimò decisivam, sed unaquæque pars est sibi judex, nec alteri subesse cogitur. Itaque utraque pars pro se fert suam sententiam, & causam apud suum tribunal terminat, licèt altera pars non acquiescat, sed causam ad suum tribunal revocet, & oppositum per suam sententiam probet. Similiter hoc modo lis terminatur, quoties aliquis post rem consideratam mutat sententiam, quod sæpe evenit. Porro quod rarò feratur sententia decisiva, quæ omnibus satisfaciat, oritur ex ignorantia nostra, quæ veritatem certò detegere non potest, sed solùm per probabiles rationes conjectare. Porro rationes illæ non æquè placent omnibus, sed aliquæ ab his, oppositæ ab aliis præferuntur, atque ideo lis apud omnes pro eadem parte non terminatur, sed ab his uni, ab illis alteri adjudicatur. Idem porro in judicio fori externi eveniret, nisi per leges cautum esset, ut judicium ultimum & inappellabile constitueretur. Hoc tamen judicium, non est ultimum ex sua natura, quia sæpe est erroneum, & aliis judicibus æquè doctis displicet, & pro falso habetur. Constituitur ergo ultimum per leges, à quibus jus confertur parti, in cujus favorem sententia pronunciatur.

Pro moralibus datur judex inappellabilis & infallibilis.

16. Jam Deus pro controversiis istis probabilibus ultimatè componendis judicem nullum constituit, cujus sit de omnibus & singulis istis sententiam ferre. Cæterùm hac in parte moralia speculativis universaliter sumptis præstant, quia pro omnibus moralibus, Deus judicem non solùm inappellabilem, sed etiam infallibilem constituit; nempe Ecclesiam, cujus sententiæ omnes statim acquiescimus. Atque utinam Ecclesia de omnibus & singulis sub ejus tribunali contentis sententiam pronunciasset, ut sic in omnibus ipsam nudam veritatem sciremus. Verùm cùm hoc factum non sit, nec possit commodè fieri, necesse est, plures esse judices in istiusmodi causis, atque ideo rarò fit, ut omnes in eandem sententiam trahantur, licèt id absque Ecclesiæ decisione in pluribus casibus evenerit. Hæc si Celladeus cogitasset, nunquam circa hanc scholasticarum controversiarum diuturnitatem ac interminabilitatem frustra in apertis æquivocationibus tempus trivisset.

17. Ex his patet responsio ad singulas propositiones objectionis. Inprimis lis in probabilibus termi-

Judex litem terminans non declarat Auctores partis contrariæ non rectè dixisse.

terminatur, quando quæstio per absolutum judicium de veritate unius partis solvitur. Jam quod Celladeus dicit, litem non terminari, nisi ostendendo partem alterutram non rectè dicere, sed debuisse dicere contrarium non est verum, nisi *rectè* idem significet ac *verè*. Si enim *rectè dicere* significet *prudenter ac justè judicium elicuisse*, falsum est litem non posse terminari à judice, nisi ille asserat, judicem contraria determinantem non rectè dicere. Certè in foro externo judex ultimus solùm probabiliter declarat, priores judices non attigisse veritatem, sed non negat eos rectè suo munere functos, si *rectè* non idem significet, ac *verè*, quia scit judicem priorem non temerè, sed prudenter judicasse, & juxta obligationem sui officii sententiam tulisse, eundemque ac alios fortasse correcturos hanc ipsius sententiam, si illa ad eorum tribunal iterum revocetur. Ergo à fortiori lis Scholastica terminari potest, imo solet terminari per hoc, quod pars opposita declaretur falsa, quamvis ejus patroni nec imprudentiæ nec injustitiæ damnentur, immo quamvis declarentur probabiliter ac prudenter judicasse, suumque munus implevisse supponantur.

Idem ulterius declaratur.

18. Hoc posito, nil refert, quòd sicut Heraclitus dixit, judicium utriusque partis esse verum, sic nos dicamus, judicium utriusque partis esse rectum, modò judicia illa in diversis intellectibus ponantur; ille enim evidenter erravit, quia idem prorsùs de eodem secundùm idem affirmabat, & negabat. At nos in hoc saltem asserto evidenter verum dicimus, nec idem de eodem affirmamus, & negamus, ut patet. Et sanè sicut sæpe in foro externo certum est, judices contraria judicantes rectè & laudabiliter judicasse, ita nemo idem negare potest in controversiis scholasticis, nisi Sanctos Thomam & Bonaventuram in multis sibi contradicentes criminis arguat.

19. Secundò in eo erravit Celladeus, quod supposuerit, lites circa probabilia esse interminabiles; ostensum enim est, quomodo terminentur, & finaliter terminari possint. Porro sola interminabilitas absoluta, utpote excludens omnem terminationem tam privatam quàm publicam, tam finalem quàm non finalem, est absurda; nam interminabilitas quædam per judicium infallibile, stante ignorantia humana, in multis est prorsùs necessaria. Sic paucæ lites terminari possent in foro externo, si illæ sine certitudine & infallibilitate terminari non possent. Cæterùm ne homines irremediabiliter priventur bonis suis, respublica statuit aliquod judicium finale, per quod lites terminentur. Verùm terminatio ista non oritur ex vi judicii, ut patet, sed ex lege reipublicæ, quæ cùm sit suprema Domina bonorum temporalium, supplet defectum judicii, & illo mediante, transfert dominium in partem, cui lis adjudicatur. Jam lites de moralibus certiùs determinari possunt per Ecclesiam, ut patet; immo sæpe terminantur etiam finaliter per novas rationes, & Doctorum consensum. Non ergo ferimur in impossibile, quando disputamus, quia ad aliquam ex terminationibus dictis tendimus. Plerumque tamen ad privatam respicimus, ita tamen ut remotè speremus, ultimam determinationem, partim nostrâ, partim alienâ industriâ perficiendam; nonnunquam etiam ad Ecclesiam recurrimus, & ab ea infallibile responsum, ac certissimam litis decisionem expectamus.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

Objectio, quam Celladeus validam putat.

20. OBJICIT tertiò. Utraque pars contradictionis in plurimis est probabiliter vera. Porro verum probabile est sufficiens regula morum. Ergo in ordine ad mores regulandos in omnibus probabilibus perinde est, sive Heracliti sententia teneatur, & utraque pars contradictionis dicatur absolutè vera, sive benigna sententia admittatur, & existimemus utramque partem contradictionis esse licitam, quia utraque est probabiliter vera. Sumatur materia cujuslibet virtutis in specie, jam in illa utraque pars erit probabiliter vera. Sic autem est virtus, sicut veritas ejus. Ergo unaquæque virtus est probabiliter in utraque parte simul, sicut veritas ejus. Deinde hoc probabiliter esse virtutis ita sufficit ad mores hominum, sicut ipsum verum esse virtutis. Ergo in omnibus probabilibus eadem absurda quoad mores dirigendos sequuntur ex benigna sententia, quæ ex opinione Heracliti circa eandem materiam sequerentur.

In materia justitiæ vana, immo nulla esset rerum divisio, si sententia Heracliti esset vera, quia unaquæque res esset & non esset mea, esset & non esset tua; esset tua & non mea, esset mea & non tua, &c. Ergo vana esset rerum divisio, quæ ideo facta est, ut hæc res esset mea, non tua; illa esset tua, & non mea, & sic pax & societas servarentur in republica, nec omnia fierent potentiorum. Idem inconveniens ex licito probabilium usu sequi videtur. Nam eadem res est probabiliter mea & tua, & sic probabiliter mea & non mea, tua & non tua; unde si tu es potentior in foro, erit tua, si probabilia etiam in foro valeant. Rursus si pecuniam Regis administres, quæ probabiliter sit tua & illius, erit de facto tua, quia quoad hoc es potentior. Omnis deinde possidens, cæteris paribus, est potentior. Frequenter autem accidit rem esse suam & non suam probabiliter. Jam re & de facto erit sua, & hæc quidem jure ac juxta rationem sequuntur, si usus probabilium sit licitus; quia utrobique est probabiliter justitia, quæ per te tanti est, ac ipsa vera justitia. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 16. §. 2.*

Retorquetur objectio.

Respondeo primò. Argumentum à Celladeo solvendum esse in casu conscientiæ invincibiliter errantis, sive sic errans universaliter arbitretur, utramque partem contradictionis in probabilibus esse licitam, sive in casu particulari existimet, quòd tam liceat pingere, quàm non pingere in die festo, dato quod pingere verè sit opus servile. In casu enim isto homo non peccat, faciendo quod ipsi falsò proponitur ut licitum. Similiter non peccat illud omittendo, quia omissio illius verè est & apparet licita. Ergo si pro istis casibus, qui frequentes sunt, non sit absurdum, eadem quoad licitè operandum in tali materia sequi ex communi ac vera opinione, quæ quoad illud ipsum sequerentur ex opinione Heracliti, si illa esset vera, neque erit absurdum, eadem in universa practicè probabilium materia sequi ex utraque sententia, quia in omni judicio falso practicè probabili error invincibilis involvitur.

Multiplex nullitas argumenti.

21. Respondeo secundò Argumentum hoc peccare & ratione formæ & ratione materiæ. Peccat ratione formæ, quia dato toto antecedenti, scilicet quòd tam ex benigna opinione, quàm ex sententia Heracliti admissa, æquè inferatur, utramque partem contradictionis in probabilibus esse licitam, non inde sequitur, benignam sententiam

Prima peccat ratione formæ.

tentiam esse falsam. Ratio est, quia non sequitur consequens illud, prout ex opinione Heracliti infertur, aut falsum esse aut absurdum. Non enim omne quod ex falso sequitur est falsum, ut non solùm in Geometria ac Arithmetica, sed etiam ex primis Logicæ principiis notorium est; cùm omnes norint, quod sæpe ex falso ac absurdo legitima veritas rectè inferatur. Ergo nisi illatum aliunde probetur esse absurdum, non sequitur quod sit tale, eò quòd legitimè deducatur ex falso. Atqui nondum probatum est, quod illatum illud sit absurdum. Ergo argumentum peccat ratione formæ, quia ponitur ut ex hoc præcisè probet, prætensum usum probabilium esse illicitum, quia si opinio Heracliti esset vera, sequeretur eundem usum esse licitum.

Secundò peccat ratione materiæ.

22. Peccat etiam ratione materiæ, quia antecedens argumenti est falsum; admissa enim opinione Heracliti, nil prorsùs sequeretur, siquidem tam verum esset illud ipsum non sequi, quàm sequi. Universaliter enim quidquid poneretur per veritatem unius partis, illud idem tolleretur per veritatem alterius partis contradictionis. Ergo ita omnia sequerentur, ut nihil prorsùs sequeretur. Sed pressiùs ad rem nostram: ex opinione Heracliti non magis sequeretur, utramque partem contradictionis esse licitam, quàm illicitam; quia si verum esset, utramque esse licitam, verùm pariter esset contradictoriè oppositum, scilicet vel unam vel alteram non esse licitam, & quia non esset potior ratio de una quàm de altera, neutra esset licita. Præterea si aliquid simul esset & non esset licitum, utique qui illud poneret, simul peccaret & non peccaret, immo si consequenter loquamur, poneret illud, & illud non poneret, non est enim cur una potius quàm omnia contradictoria sint simul vera. Immo omnia contradictoria essent vera, & non vera, sed falsa. Peccat ergo argumentum etiam ratione materiæ, cùm antecedens non sit magis verum quàm falsum, & quod plus est, sit prorsùs incongruum ut quidquam ex illo deducatur magis quàm oppositum.

Demum illatio est falsa.

23. Demum falsa est illa illatio, quòd in ordine ad mores in probabilibus regulandos, perinde sit dicere, quod utraque contradictionis pars sit vera, ac dicere quod utraque sit probabiliter licita; quodque proinde eadem prorsùs absurda sequantur quoad mores ex benigna sententia, quæ sequerentur si opinio Heracliti esset vera. Falsa, inquam, est illa illatio, quia in sententia Heracliti sequitur, seu potius supponitur, actionem honestam non esse honestam, & peccatum non esse peccatum, sed idem & esse peccatum & actum bonum, omniaque esse & non esse peccata, esse & non esse virtutes, &c. quo nil absurdius pro regulandis moribus fingi potest. At ex benigna sententia solùm sequitur, hominem licitè operari quamcumque partem contradictionis amplectatur in praxi, modò ex probabilitate de honestate operis consurgat ad conscientiam ita formandam, sicut præscribimus illam formari debere. At hoc verum est, nec Celladeus vel per umbram ostendere potest, quòd ex hoc altera contradictionis pars sequatur, nempè quòd homo in eo peccet peccato formali, seu imputabili ratione sui.

Aliquando utraq; pars cõtradictionis est certò licita, quoad usum, aliquando oppositum est certum.

24. Sed ut Celladeus clariùs videat nullitatem sui argumenti, respondeo tertiò, utramque partem contradictionis quoad usum sæpe esse licitam, sæpe non esse licitam. Utraque pars est licita, quando propositio affirmans rei honestatem est certò vera, & propositio negans ejusdem honestatem est certò falsa. Sic licet loqui & non loqui, nubere & non nubere, quia propositio affirmans eorum honestatem est certò vera, & propositio illam negans est certò falsa. Similiter utraque pars est etiam licita, quando propositio affirmans rei honestatem invincibiliter creditur vera, & opposita invincibiliter habetur falsa, nec de hoc est dubium. E contra verò, quoties propositio affirmans rei honestatem est certò falsa, aut per ultimum judicium absolutè reputatur falsa, aut homo de ejus falsitate dubitat, toties utraque pars contradictionis non est licita in praxi, sed peccat quicumque rem illam ponit. Jam autem quæritur, an utraque pars contradictionis sit licita, quando utraque pars est directè probabilis. Nos affirmamus, & illud variis argumentis reflexis planè evincimus, sed ineptè prorsùs argueremus, si ex eo id probaremus, quod utraque pars contradictionis liceat, cùm certò constet, quod utraque pars aliquando liceat, aliquando non liceat. E contra, Celladeus negat utramque partem in illo casu esse licitam, sed alio medio non utitur, quàm quòd absurdum sit, utramque partem contradictionis esse licitam, cùm tamen certum sit, quod sæpe utraque sit licita. Quid hoc aliud est, quàm uti medio evidenter indifferenti ad utramque partem contradictionis, ut ex illo determinatè probes, unam partem contradictionis repugnare cum tali medio? Cogitet hæc Celladeus, & videbit argumentum hoc suum non plus valere, quàm valeret, si contenderet, Titium esse Sanctum & in gratia Dei, quia est Christianus; aut esse ingeniosum & doctum, quia scholam frequentat.

25. Verùm, quia Celladeus cupit doctrinam exemplificari in aliqua virtute speciali, juvat exemplum adducere, ut sic veritas benignæ sententiæ, irritusque Celladei conatus clariùs innotescat. Sumamus ergò materiam temperantiæ, in qua quæritur quænam sit quantitas refectiunculæ vespertinæ, quam absque peccato & jejunii violatione sumere licet. Auctores variant. Multi quartam, multi quintam partem cœnæ ordinariæ assignant; & alii magis arctant; omnes probabiliter, si totum singulorum assertum inspiciatur. Nam licet illi, qui minimam mensuram assignant, non probabiliter, sed certò affirment talem quantitatem esse licitam; tamen non nisi probabiliter loquuntur, quando ex vi rationum directè probantium dicunt, majorem quantitatem esse illicitam. Jam asserta ab istis sunt materia, circa quam temperantia versatur. Asserta, inquam, non assertiones, quia temperantia moderatur cibum & potum, non dirigit opiniones de cibo & potu, eorumque quantitate ac qualitate, ut patet. Hoc posito; quamvis utraque opinio, adæquatè sumpta, sit solùm probabilis, virtus tamen temperantiæ non probabiliter, sed certò exercetur in praxi opinionis strictioris ac tutioris, ut patet. Atque in hujusmodi casibus verum est, quod dicit Celladeus, virtutem esse probabiliter in utraque parte simul, quia cùm certum sit, quod minima quantitas assignata liceat, & probabile sit, quod major etiam sit licita, utique probabile est, quod in tota collectione praxium contentarum in præscripto utriusque sententiæ veritas reperiatur, & temperantia verè exerceatur. Verùm si universaliter loquamur, ut loqui videtur Celladeus, sæpe falsum est, quod virtus ipsa probabiliter sit in utraque parte simul; quia sæpe evidens est, veritatem ipsam virtutis non posse esse in utraque parte simul. Sic qui bona fide possidet rem alienam.

Aliquando probabile est, veram virtutem reperiri in utraque ex sententiis contradictoriis.

Sed hoc semper non est verum.

nam tenetur eam reddere Domino illam petenti, quando constat rem illam non esse suam. Jam si duo ita prætendant Dominium, ut uterque probabiliter ostendat, rem ad se pertinere. Probabile erit possessorem elicere actum veræ justitiæ, si neget rem Paulo, quia probabile est, quod Paulus non sit Dominus illius. Idem valet de Petro, si illi res negetur. At si res illa simul negetur utrique illam petenti, eò quòd de illa semel restituta sortes mittere velint, non est probabile, quod justè possit illam utrique negare, seu quod justitia exerceatur in utraque parte simul, quamvis probabile sit, quod in singulis exerceatur; & ratio est, quia est evidens injustitiam committi, si res utrique denegetur, quia evidens est, verum Dominum per illud privandum re sua contra suam voluntatem. Itaque licèt probabile sit virtutem exerceri in duabus materiis disjunctivè sumptis, non tamen ideo probabile est, quod exerceatur in utraque simul sumpta, quod certè notandum fuit, ne Lectores ex universali Celladei locutione deciperentur.

Assignatur regula hoc dignoscendi.

26. Cæterùm ut clariùs constet, quando sit, & quando non sit probabile, virtutem ipsam, non solùm formaliter sed etiam materialiter sumptam, verè reperiri in omnibus partibus materiæ suæ simul sumptis, hæc sit regula. Quoties duo contradictoria ita respiciunt virtutem, ut una pars determinata sit indubitata ejus materia, & altera probabiliter ad eam pertineat, toties probabile est virtutem ipsam in utriusque exercitio reperiri. Sic probabile est pictorem debito cultu servare duo festa, licèt in uno pingat, in alio non pingat; quia quod utraque pars per modum unius consideretur, non magis infert quod operans in alterutro erraverit, quàm si solam partem minùs tutam posuisset. At quando duæ res ita respiciunt virtutem, ut utraque, disjunctivè sumpta, probabiliter quidem, neutra verò certò ad eam pertineat, simulque certum est, quod altera pars ab ea materialiter deficiat, tunc probabile non est, quod virtus ipsa per se in utraque parte simul inveniatur, quia evidens est, quod utraque pars non possit simul esse vera.

Exemplum Celladei nō est ad rem.

27. Et sanè, quod Celladeus ex materia justitiæ affert, non est ad rem; quia confundit probabilitatem speculativam de jure, cùm probabilitate practica de licito; quamvis enim aliquis administret res ab alio possessas, quæ ad jus singulorum probabiliter pertinent, non tamen est probabile, quod administrator privata auctoritate licitè retinere possit res, quas bonæ fidei possessor illi administrandas dedit. Similiter ex benigna sententia non sequitur, in incertis ac probabilibus potentiores in judicio externo prævalituros, quia illud æquè favet omnibus, Judicesque ad probabiliora præferenda obligat, ut dictum est. Verum quidem est, possessorem legitimum, cæteris paribus, in rerum possessarum usu omnibus aliis præferri, quia res bonâ fide possessæ aliter spectant ad possessorem, quàm ad alios, qui æquè probabili jure rem illam sibi vendicant. Neque de his est ullum dubium. Miror proinde, Celladeum talia exempla ad rem non facientia attulisse.

Replica.

28. Dices, nonne absurdum est, utrumque contradictorium esse secundùm ipsam virtutem? At hoc æquè sequitur ex licito probabilium usu, sicut ex opinione Heracliti. Quod si utraque pars contradictionis sit secundùm virtutem, utraque erit juxta rationem. Ergo utraque habebit veritatem, quæ sola est rectitudo rationis, quia ratio falsa non rectè se habet. Et Philosophus *4. Metaph.* falsò opinantes ægrotantibus comparat. Ita Celladeus *loco citato*.

Sæpe utraque pars contradictionis etiam materialiter est secundùm virtutem.

Respondeo, utramque partem contradictionis & materialiter & formaliter esse sæpe secundùm virtutem, quod adeo evidens est in exemplis allatis, maximè quando pars minus tuta est vera, ut mirum sit Theologum potuisse de hoc dubitare, aut ad Heraclitum confugere, ut sequelam hanc, tamquam absurdum immane, non nisi ex falsissima illius opinione, aut alia illi æquiparanda ortum, proponeret. Hæc tamen fecit Celladeus, & ita quidem, ut in hoc non aliter glorietur, quàm si clarum triumphum reportasset. Jam verò, si in casibus ejusmodi opinio minùs tuta sit falsa, tunc utraque pars contradictionis erit secundùm virtutem, sed pars tutior per se, pars minùs tuta per accidens.

Utraque pars contradictionis objectivæ sæpe est secundùm rectam rationem.

29. Jam utraque pars Contradictionis objectivæ eodem modo est juxta rectam rationem, quo est juxta virtutem, quia virtus in recta ratione fundatur. Immo quod plus est, utraque aliquando est juxta rationem veram; non quòd contradictoriæ propositiones de eodem objecto sint veræ, sed quòd objecta contradictoria, ut pingere & non pingere, sæpe proponantur tamquam materia ejusdem virtutis per cognitiones veras, quia utraque cognitio secundùm veritatem affirmat suum objectum esse licitum. Quod si judicium, probabiliter affirmans partem minùs tutam esse licitam, sit falsum, tunc utraque pars contradictionis ad eandem virtutem & ad rectam rationem pertinebit, sed una per se, altera solùm per accidens. Porro Celladeus in paucis lineis suæ objectionis ab objectis contradictoriis, seu à materia virtutis, de qua sola nunc agitur, saltat ad actus contradictoriè oppositos, & dicit utrumque non posse esse secundùm rectam rationem, quia sic uterque esset verus, quia sola veritas est rectitudo rationis. Verùm saltus ille præsenti disputationi incongruus est, ut patet; neque tamen in materia, ad quam saltat, rectè discurrit; quia certum est, duos homines elicientes duo judicia contradictoria sæpe formare judicia juxta rectam rationem (sumendo rectam rationem non logicè sed ethicè prout ab Aristotele, & aliis omnibus sumitur in rebus moralibus) quia & qui verum dicit, rectum judicium format, & qui falsum dicit, rectam format rationem, si ex magno ac prudenti motivo invincibiliter erret; absque dubio enim ea ratio recta est, quæ licitam & honestam operationem regulat, tale est illud judicium falsum. Ergo illud est recta ratio, & secundùm rectam rationem elicitur. Non ergo sola veritas est rectitudo rationis, si recta ratio sumatur ethicè pro ratione regulante actum honestum, quamvis sola veritas dici possit rectitudo rationis logicè sumptæ, quia in hac consideratione actus non aliunde denominatur rectus, quàm à conformitate cum suo objecto; in illa verò denominatur rectus ob honestatem, seu rectitudinem volitionis, quam regulat, aut ab appetitu recto, à quo imperatur. Itaque sæpe ratio logicè falsa, ethicè loquendo, rectè se habet; non tamen rectissimè; quia veritas, etiam ethicè loquendo, præstat errori. Demum Aristoteles in Metaphisicis logicam tantùm judicii rectitudinem considerat, quia omnis alia consideratio ad finem Metaphysicæ est impertinens; atque ideo falsò opinantes ægrotantibus meritò comparat; quia sicut ægrotantes à debita corporis temperie, sic illi à proprio fine intellectûs declinant. At Philosophus in Ethicis rationem considerat in ordine ad finem

Celladeus saltat ab objectis contradictoriis ad propositiones contradictorias.

Aristoteles incongruè objicitur.

finem voluntatis; sic autem omnem rationem, benè regulantem voluntatem, vocat rationem rectam, non veram; rectam quidem, quia rectam operationem dirigit; non veram, quia aliqua ejusmodi ratio à logica rectitudine seu à veritate deflectit.

Objectio ultima.


30. Objicit demum, Heraclitus in sua opinione haberet, unde in humana consuetudine omnibus placere posset, & nulli. Omnibus quidem, quia utrique dissidentium satisfacere posset, dicendo, tu verum dicis; nulli verò placere posset, quia non minùs condemnaret, quàm approbaret rationes eorum, ideoque ingens confusio ex illius opinione sequeretur. Idem inconveniens sequeretur, si usus probabilium liceret; possemus enim omnibus partibus inter se contrariantibus favorabiliter respondere. Nam ex mea opinione tecum per omnia consentio, atque per omnia placeo; mox ex aliena opinione probabili, per omnia tuo adversario jus tribuo, & te condemno. Quod si hoc resciatur, haud dubiè neutri parti placebimus. Ergo absurda opinionis Heracliti communia sunt benignæ sententiæ. Ita Celladeus §. 2.

Auctores benignæ sententiæ non possũt omnibus placita dicere.

Respondeo, sententiam Heracliti nemini peculiariter favere aut nocere, quia, eâ admissâ, & omnia singulis forent prospera, & nihil prorsùs illi faveret. Unde illa sententia pro consuetudine humana, & vitæ socialis institutione est prorsus inepta, ut patet. Porro nil ejusmodi sequitur ex benigna sententia, nam qui illam sectantur, nec respondent, nec possunt licitè respondere, sicut Celladeus jactat. Si enim possessor, cui probabilitas juris favet, petat, an liceat rem probabiliter suam, sed probabiliter etiam alienam, retinere? Auctor benignæ sententiæ respondebit, quod id ita ipsi liceat, ut interim diligentiam ad veritatem inveniendam adhibere teneatur; quod si post debitam diligentiam jus maneat utrimque probabile, poterit rem sibi tutâ conscientiâ retinere, &c. Et hoc quidem responsum huic parti favet; verùm ille, si totam suam sententiam dicat, videbitur favorem minuere, dicet enim, adversarium ipsius licitè posse illum in jus vocare, modò tale jus illi faveat, quale communiter censetur sufficiens, ut quis possessori bonæ fidei litem intentet. Ex hac autem lite fieri poterit, ut & rem & jus ad illam per sententiam judicis perdat. Hoc est, quod huic parti respondere potest & debet, in quo nec totaliter illi favet, nec totaliter illi contradicit, sed quod justum & rationabile est, illi proponit. Jam vero si pars adversa accedat, dicet sibi quidem videri jus ad alterum pertinere (supponitur enim jam quod ita sentiat) nihilominus probabile esse, quod jus ad ipsum pertineat, & non ad alterum. Proinde alterum, privata auctoritate, rei possessione privari non posse, nec aliter licitum esse rem illam sibi acquirere, quàm vel conventione mutua cum possessore, vel certè lite intentata. Ecce Auctor benignæ sententiæ hoc responso secundùm quid placet, & secundùm quid displicet utrique parti; nil autem eorum, quæ uni dicit, destruit ea, quæ alteri dixerat, &c. sed nec restrictio, quam ponit, destruit partem, cui apponitur, sed solùm eam limitat. At in his nil absurdi, nil non rationabile invenitur; & tamen nullus est casus, qui magis faveat argumento, quàm quando respondens mediat inter duos litigantes, & respondet illis juxta utriusque jura prætensa.

31. Quod si ad alios casus respiciamus, nil ejusmodi invenietur, si enim quis interroget, an, omnibus inspectis, pro refectiuncula vespertina comedere possit quartam partem cœnæ ordinariæ, & ego existimem ex rationibus directis id non licere; non ideo simpliciter respondere possum, *non licet*; sed debeo dicere, *licet*; quia cùm illa sententia sit probabilis, ego, qui benignæ sententiæ subscribo, omnibus consideratis, ex vi rationum reflexarum existimo, talem quantitatem esse licitam, etsi ex rationibus directis contrarium sentiam. Unde si ille petat meam ultimam sententiam ac resolutionem, non possum nisi uno modo respondere, quia mea ultima sententia est una, & in omni quæstione uni tantùm parti favet. Quod cùm sit evidentissimum, evidens pariter est, nos non posse pro arbitratu respondere de quæstione proposita, sed unam tantùm partem ultimatè affirmare. Unde evidens pariter est, nil quoad hoc commune esse opinioni Heracliti, ac benignæ sententiæ, quia illa utrumque contrarium dicit, & quidquid uni parti concedit, idipsum illi simul negat. Talia haud facimus nos; & qui ita faceret, illicitè & stultè, ac contra præceptum benignæ sententiæ faceret.

Immo absolutè non possunt nisi unum idêque respondere omnibus.



QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-SECUNDA.

Utrùm asserere, licitum esse in probabilibus agere & consulere contra propriam opinionem, contradictoria verificet, vel sensum non habeat?

Status quæst. à Celladeo propositæ.

1. CELLADEUS *1. parte lib. 1. quæst. 17.* contendit probare, quòd asserentes, unicuique licitum esse contra propriam sententiam operari ac consulere, in Heracliti opinionem inevitabiliter incidant, ac fateri teneantur, contradictoria simul esse vera. Hæc etiam ingens gravissimorum Auctorum accusatio est, in qua probanda more suo Celladeus deficit, ut in progressu quæstionis palam fiet. Si Celladeus legisset, quæ de hac materia scripsi *quæst. 30. de Consc. prob.* aut hanc quæstionem non instituisset, aut certè longè aliter illam proposuisset. Ibi enim plura distincta, atque in suas classes relata invenisset, quæ ille sub eodem nomine confundit, & omnibus idem tribuit, cùm tamen diversa planè ratio singulis conveniat.

Licet agere contra propriam opinionem habitualem.

2. Inprimis observavi, quod homo agere possit contra propriam opinionem habitualem, non tamen contra propriam actualem; quia cùm in obscuris versetur, propriam opinionem actualem suspendere potest, illaque suspensâ, non aliter conscientiam formare, quàm si illa nunquam extitisset. Ex quo deduxi, quæstionem tractantem, an liceat operari, vel consulere contra propriam opinionem actualem, pro praxi parum referre; quia si hoc sit illicitum, homo in praxi ab illo peccato se liberat, si opinionem suam actualem suspendat, atque per principia reflexa juxta benignæ sententiæ præscriptum operetur, vel consulat.

Aliquando etiam contra actualem.

3. Secundò, sæpe propria opinio non enunciat de absoluta rei inhonestate, sed solùm asserit, ejusdem inhonestatem esse directè probabiliorem ipsius honestate. Et quidem in hoc sensu nulla est ratio, cur contra propriam opinionem operari, & consilium dare non liceat.

Non tamen cōtra actualem ultimā & absolutam.

4. Tertiò, propria opinio actualis de rei inhonestate dupliciter se habere potest, primò, ut sit prorsùs absoluta. Secundò, ut sit actualiter, aut certè virtualiter conditionata. Tunc est absoluta, quando cum solo respectu ad veritatem rei propositæ absolutissimè enunciat, illam esse illicitam. Tunc est virtualiter conditionata, quando ita utimur terminis absolutis, dum dicimus rem illam esse illicitam, ut illos non absolutè, ut jacent, intelligamus, sed solùm per illos ita speculativè in objectum eorum tendimus, ut interiùs judicemus, inhonestatem rei fore certam, si veritas ipsa constaret. Hujusmodi judicia interna, dum speculativè disputamus, per voces absolutas exprimere solemus, cùm tamen judicium internum non sit prorsùs absolutum, sed secundùm quid conditionatum; quod sufficienter etiam constat ex circumstantiis, quia periti, sicut benè norunt se similibus verbis similes actus exprimere, ita supponunt alios in ejusmodi circumstantiis talia verba pro talibus actibus internis substituere. Jam licèt sententia prorsùs absoluta de objecti inhonestate bonam fidem & absolutam existimationem de absoluta ejusdem honestate excludat, ideoque nemo contra talem opinionem propriam licitè agat, nihilominus propria opinio de rei inhonestate, ita verbis absolutis exteriùs expressa, ut tamen interiùs sit quodammodo conditionata, non excludit bonam fidem, & absolutam existimationem de talis rei honestate. Sic licèt speculativè existimem, circumstantias, in eadem specie malitiæ notabiliter aggravantes, esse necessariò confitendas, adhuc reflexè possum existimare, quod hic & nunc mihi liceat eas in confessione reticere, quia in hac rerum incertitudine satis constat, nullam legem esse sufficienter promulgatam, qua ad eas necessariò confitendas obliger. Quamvis enim hoc judicium, reflexis hujusmodi motivis nixum, excludat judicium prorsùs absolutum de rei hujus inhonestate, non tamen excludit judicium illud conditionatum, quo existimo obligationem fore certam, si veritas ipsa constaret. Porro, quia propria opinio speculativa semper solet esse hac aut alia simili ratione virtualiter conditionata, ideo plerumque licet operari contra propriam sententiam actualem, cùm illa non excludat judicium conscientiæ, quo ad honestè operandum disponimur.

5. Quartò demum, propria opinio, in moralibus præcipuè, dupliciter sumitur: primò pro sententia ultima, qua omnibus omnino consideratis quis enunciat de absoluta honestate rei. Secundò pro sententia non ultima, qua scilicet, omissis argumentis reflexis, ex vi rationum directè tantùm probantium concludimus aliquid esse inhonestum. Jam hujusmodi sententia de rebus moralibus, speculativè prolata, non est omnino absoluta, sed vel explicitè, vel certè æquivalenter & implicitè conditionata, quatenus non prorsùs absolutè affirmat rem esse illicitam, sed solùm asserit eam pro illicita reputandam, si sola argumenta directa considerentur. In hoc sensu propria sententia actualis non excludit judicium ultimatum prorsùs absolutum de absoluta rei honestate, ideoque in hoc sensu licet agere contra propriam sententiam actualem.

Alius modus licitè operandi cōtra propriā opinionem.

6. Hæc omnia fusè & efficaciter probavi *dicta quæst. 30. de Conscientia prob.* ubi etiam ex diversis propriæ opinionis acceptionibus ostendi, Auctores, qui in hac quæstione discrepare videntur, inter

Conciliantur Auctores, qui de hac re videntur contraria docere.

inter se optimè conciliari. Ratio autem est, quia omnes ad licitè operandum bonam fidem, & absolutum de honestate operationis judicium, requirunt. Qui ergo dicunt, illicitum esse operari contra propriam sententiam, solùm loquuntur de propria sententia actuali prorsùs absoluta & ultima, quia illa sola bonam fidem, & absolutum conscientiæ judicium de honestate operationis ponendæ excludit. E contrario, qui asserunt licitum esse operari & consulere contra propriam sententiam, aut loquuntur de propria opinione tantùm habituali, non actuali; aut, si de actuali loquuntur nomine opinionis actualis, illam intelligunt, quæ vel solùm affirmat majorem probabilitatem sui objecti, vel certè, quæ non est sententia prorsùs absoluta & ultima, sed aliquo modo explicitè vel implicitè conditionata, & alteri subordinata. Hisce positis, sit

ASSERTIO PRIMA.

Nulli licet operari, aut consilium dare contra propriam sententiam actualem, absolutam & ultimatam de absoluta rei inhonestate. Licet tamen contra sententiam propriam habitualem, aut etiam contra propriam opinionem actualem non absolutam & ultimatam sed implicitè saltem conditionatam operari, & consilium dare.

Nulli licet agere contra propriã sententiam actualem absolutam & ultimatã.

7. PROBATUR prima pars. Opinio actualis absoluta & ultimata de rei inhonestate excludit bonam fidem, & absolutum de ejusdem rei honestate judicium, quia talia judicia sibi contradicunt. Ergo excludit dispositionem prorsùs necessariam ad licitè operandum. Ergo peccat, qui contra propriam sententiam hoc modo sumptam agit.

Sed benè cõtra actualem non ultimatam.

Probatur secunda pars. Propria opinio habitualis, aut etiam actualis non ultima, nec prorsùs absoluta, sed vel conditionata, vel solùm de probabilitate sententiam ferens, bonam fidem, ac prudens conscientiæ judicium de absoluta rei honestate non excludit. Ergo debitam ad licitè operandum dispositionem non impedit. Ergo licitum est in hoc sensu contra propriam sententiam operari & consilium dare. Antecedens patet ex dictis in sensu quæstionis declarando, & doctis per se patet, si ad distinctiones adhibitas reflectant. Cætera legitimè inferuntur. Qui plura de hac materia cupit, legat *quæst. 30. de Consc. prob.* in qua hæc omnia singillatim probata sunt, quæ proinde non sunt repetenda, cùm certum sit, argumenta Celladei ea non impetere.

Nil obstat, aliquos in hoc contra nos sentire.

8. Dices: Plures absolutè docent, quod liceat contra propriam opinionem operari ac consilium dare. Ergo eorum sententiam deserimus, & aliam substituimus.

Respondeo, Auctores illos juxta dicta esse interpretandos; quod si aliqui aliter loquantur, ego cum illis non sentio. Nec illi me defensore indigent; defendant ergo seipsos, si possint. Nam ego benignam tantùm opinionem, unanimi omnium consensu stabilitam, suscepi defendendam. Mihi autem & omnibus benignæ sententiæ Auctoribus abundè sufficit, si modo jam dicto contra propriam sententiam agere & consilium dare liceat. Nec Celladeus ipse diffitebitur; si enim hoc concesserit, aliud ab ipso non exigemus.

ASSERTIO II.

Opinio, quæ docet peritos posse agere ac consilium dare juxta probabilem aliorum opinionem contra propriam sententiam, optimum sensum habet, & contradictoria non verificat.

9. PROBATUR assertio, quæ intento Celladei *in hac quæst. 17.* diametraliter opponitur. Inprimis ex prima assertione evidens est, opinionem, talia docentem, sensum habere multiplicem, cujus singulæ expositiones tam clarè proponuntur, ut à quovis mediocriter perito facillimè intelligantur. At hoc est opinionem esse intelligibilem, & optimum sensum habere. Ergo opinio asserens, licitum esse sectari alienam opinionem certò probabilem contra propriam, intelligibilis est, & sensum perspicuum habet. Explicatur in quo sensu liceat cõtra propriã sententiam agere aut consilium dare.

10. Deinde, eadem opinio verissima est, ut ex dictis constat. Ergo non verificat contradictoria. Sed quia Celladeus non admittit antecedens, sic directè probo secundam partem assertionis. Si talis opinio verificaret contradictoria; id esset, quia, illâ admissâ, intellectus hominis, licitè sectantis alienam opinionem contra propriam, judicaret contradictoria esse simul vera. Ex propria enim sententia existimaret circumstantias v. g. notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas, simulque ob aliorum auctoritatem putaret, illas non esse necessariò confitendas; quia ut quis licitè omittat confessionem illarum, debet formare judicium conscientiæ, quo credat illas non esse necessariò confitendas, sed licitè omitti posse. At hæc judicia sunt contradictoria, & utrumque simul eliceretur, & reputaretur verum. Ergo talis opinio, si intelligibiliter loquatur, admittit contradictoria simul esse ac judicari vera. Verùm hæc ratio & sequela nulla est; quia, ut quis agat contra propriam sententiam, non est necesse ut prius illud judicium actu existat, vel si actu existat, non est necesse ut sit tale quale supponitur in hac objectione; sed sufficit ut affirmet, directam inhonestatis probabilitatem excedere directam probabilitatem de honestate operationis; vel certè non est assertio absoluta & ultima de rei inhonestate, sed solùm conditionata & alteri subordinata. At quodcumque horum dicatur, sectans alienam opinionem contra propriam, non elicit duo judicia contradictoria, ut patet. Ergo sententia docens id licere, intelligibilis est, & non verificat duo contradictoria. Major est expressa mens adversarii, quia in hoc ipso fundatur, ut ex ejus objectionibus mox constabit. Et sanè alia ratio fingi non potest, ex qua vel apparenter sequatur, quod dicta opinio reflexa verificet propositiones contradictorias. Minor constat ex prima assertione: consequentia legitimè deducitur. Ergo patenter errat Celladeus, dum dicit, opinionem, dicentem nos agere & consulere posse contra propriam sententiam, vel contradictoria verificare, vel sensum non habere. Sed hoc clariùs patebit ex solutione rationum in contrarium. Quod liceat agere contra propriã opinionem cõtradictoria non verificat.

SOL.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 11. OBJICIT primò. Sit Theologus, qui post quæstionem benè discussam, demum opinetur, circumstantias in eadem specie notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas. Ergo propria illius opinio erit hæc enunciatio. *Omnes circumstantiæ, notabiliter aggravantes malitiam peccati, sunt necessariò confitendæ.* Jam quod opinio cujusvis sit vera enunciatio, & non mera apprehensio, omnes admittunt; & ex eo evidenter colligitur, quod alioquin nulla inter opinantes esset contradictio, quia nulla in eorum opinionibus esset affirmatio vel negatio, seu nulla enunciatio. Ergo propria illius Theologi opinio est enunciatio universalis affirmativa, quam proposuimus. Jam Theologus iste, peccata sua confessurus, sequi vult opinionem suæ contrariam, quæ docet circumstantias, non transferentes ad aliam specie malitiam, sed solùm intra eandem speciem aggravantes, non esse necessariò confitendas, & consequènter omittere vult confessionem talium circumstantiarum. At ut sciens & volens licitè omittat illas circumstantias in confessione, debet formare conscientiam dictantem, *circumstantias istas, utpote solùm aggravantes in eadem specie, non esse necessariò confitendas.* Nisi enim conscientia eliciat judicium, quo expressè vel æquivalenter dicat, *licitum mihi est has circumstantias omittere in confessione*, absque dubio peccat, si eas in confessione reticeat. Ergo Theologus ille simul habet dicta duo judicia in sua mente, ac proinde existimat illa esse vera; quia omnis judicans habet proprium judicium pro vero. At illa judicia sunt enunciationes contradictoriæ, quia una est universalis affirmativa, altera verò est particularis negativa ejusdem de eodem. Ergo qui licitè sequitur alienam opinionem contra propriam, vera putat duo contradictoria. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 17.* qui ibidem apertè fatetur, se nisum fuisse intelligere sensum opinionis reflexè docentis, licitum esse agere & consilium dare contra propriam sententiam, ac ut eum meliùs intelligeret, finxisse se esse illius opinionis; neque tamen unquam alium sensum intelligere potuisse, quàm quod talis operans simul eliciat duo judicia contraria aut contradictoria, ac proinde quod simul reputet utrumque esse verum, ac sic in opinionem Heracliti incidat.

Qui in praxi sequuntur alienam opinionem, eo instanti non solent elicere propriam. Respondeo inprimis argumentum difficultatem non continere, nisi operans in ipso instanti suæ operationis supponatur actu elicere propriam opinionem absolutam & ultimatam; nullum enim absurdum est in eo, quod quis diversis temporibus ex diversis motivis propositiones contradictorias eliciat. At homines in instanti operationis non actu eliciunt, sed solùm habitu retinent suam opinionem. Quis enim ex aliena opinione omittens confessionem circumstantiarum merè aggravantium, eo tempore format actuale judicium, quod illæ etiam sint necessariò confitendæ? Nemo absque dubio. Et sanè, si ista judicia supponantur esse contradictoria, necesse est, ut taliter operans eo tempore omittat actuale judicium, quo propriam sententiam exprimit, quia certum est, quod qui circumstantiarum confessionem bona fide omittit, formet judicium, actuali suæ sententiæ contrarium, quo absolutè credit, illas licitè omitti posse, nec esse necessariò confitendas. Unde opinio docens, hominem licitè operari posse contra propriam sententiam prorsùs absolutam & ultimatam, intelligenda est de propria sententia non actuali, sed habituali; quia impossibile est, quod talia judicia simul existant in intellectu. Et sanè quoad praxim, hic est unicus sensus talis opinionis, quia homines non actu eliciunt propriam sententiam in eo instanti, in quo contrariam in praxi sequuntur. Itaque si propria Theologi sententia sit absoluta & ultimata de inhonestate operationis ponendæ, fateor nemini licere contra illam actualiter existentem operari, quia illa stante impossibile est, ut bona fides de operationis honestate eliciatur, aut conscientia permittens formetur, ut patet. Itaque in hoc sensu solùm licet agere contra propriam opinionem actualem in sensu diviso, non in sensu composito; neque aliter loquuntur Auctores, si propria opinio in hoc sensu sumatur. Jam argumentum Celladei procedit in sensu composito, & consequenter procedit de subjecto non supponente.

12. Respondeo secundò, argumentum non tangere eos, qui suam sententiam non per enunciationem de absoluta rei veritate, sed solùm de majore ejusdem probabilitate directa proferunt. Hi enim, quamvis ex rationibus directis existiment, inhonestatem rei esse probabiliorem, possunt simul absolutè existimare rem illam esse simpliciter licitam, quia rationibus reflexis convicti subscribunt benignæ sententiæ, quæ absolutissimè ac ultimatè affirmat, usum cujusvis opinionis practicè probabilis, esse licitum. Unde statim inferunt, usum hujus opinionis, utpote practicè probabilis, esse licitum. Itaque propria sententia actualis de inhonestate operis, hoc modo sumpta, non excludit judicium actuale de absoluta ejusdem honestate. Ergo utrumque judicium conjungi potest; nec mirum, quia neutrum directè vel indirectè affirmat quod altera negat; nam unum illorum nil de ipsa rei veritate, sed solùm de directa ejusdem probabilitate enunciat, alterum nil signatè de directa probabilitate, sed solùm de absoluta rei veritate pronunciat. At hæc duo reipsa, & quoad intelligentiam sunt separabilia, quia considerant rem in ordine ad diversas circumstantias. Aliquandò propria sententia actualis non repugnat alienæ, quam sequimur.

13. Respondeo tertiò, quando Auctores benignæ sententiæ, directè discurrendo de moralibus, probabiliter docent aliquid esse illicitum, non proferunt enunciationem prorsùs absolutam & ultimatam de talis rei inhonestate, sed eliciunt actum virtualiter saltem conditionatum, qui proinde alteri judicio subordinari potest, ut dictum est. Opinio directa de inhonestate rei est aliquo modo conditionata. Nec obstat, quod propositio vocalis sit absoluta, nam propositiones vocales substituuntur mentalibus, & aliud non significant, quàm quod à mentalibus, quibus substituuntur, repræsentatur. Jam ex circumstantiis constat, internam ac directam illorum assertionem de rerum inhonestate non esse omnino absolutam & ultimatam, tum quia benè sciunt, se non examinasse omnia, à quibus honestas illius operationis desumi potest, quando directè concludunt illam esse inhonestam; tum quia ex rationibus reflexis expressè docent, hominem licitè agere contra propriam opinionem directam; ideoque locum esse novæ consultationi reflexæ, non obstante priori illa resolutione directa. Hæc satis apertè evincunt, eos speculativo modo de rebus illis, non prorsùs absolutè ac definitivè, sed quodammodo conditionatè & subordinatè enunciare. Hoc autem admisso, nulla est contrarietas, aut contradictio inter judicium conscientiæ de absoluta

luta rei honestate, & consuetam assertionem de ejusdem inhonestate; quia assertio hæc est implicitè conditionata; judicium autem illud est prorsùs absolutum. At judicium conditionatum de inhonestate alicujus rei, nec contrariè, nec contradictoriè opponitur judicio absoluto & definitivo de ejusdem honestate; quia non sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem, ut patet. In hoc ergo etiam erravit Celladeus, quod acceperit propositiones vocales grammaticaliter contrarias & contradictorias (quales sunt illæ, quibus efferimus propriam cujusque sententiam de rei inhonestate, & judicium ejusdem de absoluta illius honestate, quando alienam sequutus opinionem, bona fide credit rem esse licitam) & non rectè attenderit ad naturam actuum internorum, quibus illæ substituuntur. Hinc enim quia propositiones illæ vocales grammaticaliter sibi contradicunt, putavit actus quibus hîc & nunc substituuntur etiam sibi contradicere. Verùm ex varietate circumstantiarum sæpissimè evenit, ut eædem voces externæ diversis valdè actibus internis substituantur. Ad hoc si Celladeus respexisset, & opinionem ab Auctoribus speculativè probatam, juxta circumstantias mentem illorum apertè indicantes resolvisset, ac explicasset, vidisset utique, judicium conscientiæ de absoluta rei honestate nullam oppositionem habere cum opinione speculativè probata de ejusdem inhonestate.

Æquivocatio Celladei detegitur.

14. Quòd si Celladeus nullo nisu hactenus intelligere potuerit, quomodo contradictoria, ex illa opinione non verificentur, illi compatior, & spero fore, ut cùm hæc legerit, apertè visurus sit, nullam in tali sententia contradictionem, aut contradictionis umbram latêre. Quod hactenus hoc non intellexerit, ex eo ortum est, quòd indebita de veritate propriæ suæ sententiæ persuasione abreptus, diversa sub eisdem vocibus comprehensa non distinxerit, sed omnia instar unius, aut saltem instar rerum ejusdem penitus rationis consideraverit. Distinguat ista, & in posterum non habebit unde viris gravissimis fatuam Heracliti opinionem objiciat.

Celladeus ob terminorũ æquivocationẽ non intellexit sensum opinionis quam impugnat.

15. Objicit secundò. Si in agendo liceret sequi alienam opinionem contra propriam, id ipsum etiam liceret in loquendo, in factis ad humanum convictum spectantibus, & nominatim in fide humana, quæ aliud non est, quàm opinio probabilis in extrinseca auctoritate loquentis & nobiscum conviventis fundata. Ergo eadem est ratio de opinione probabili, & de fide humana. Itaque sequela est legitima, cùm nulla disparitas assignari possit. Est autem absurda, quia convictui ac societati humanæ præjudicat. Inprimis quoties de factis est fama utrimque fundata, & opiniones contrariæ virorum gravium, puta de scientia, vel ignorantia alicujus viri, de malo vel bono Prætoris regimine, toties vel nihil opinando, vel pro una parte opinando, potero (sicut è re mea erit) unum hîc, alibi contrarium dicere. Sapientiam & bonum regimen Prætoris commendare apud ejus amicos, apud æmulos verò eundem ignorantiæ & mali regiminis condemnare.

Objectio à variis prætensis absurdis desumpta.

Rursus, si superior legitimus quærat, an Petrus crimen aliquod commiserit? potero non ex mea sed aliorum opinione respondere, eum non commisisse crimen illud, & alibi contrarium dicere, & Petrum criminis accusare.

Præterea, quando sequimur alienam sententiam, per reflexas rationes facimus ut illa fit sententia nostra. Ergo licitè secundùm illam respondemus. Sicut enim satisfacio legi divinæ, si operer secundùm alienam opinionem, quam ex rationibus reflexis facio meam, ita pariter satisfacio convictui & societati humanæ, si ex alieno sensu probabili, & jam per rationes reflexas meo, respondeam. Ergo utrique satisfacio, sequendo sensum & opinionem alienam. Ergo licet habeam opinionem sinistram de aliquo, potero non ex mea sententia, sed ex aliorum sensu & opinione favorabilem informationem dare. Ergo qui de dignis & dignioribus principem informant, loqui poterunt ex alieno probabili contra proprium sensum. Hinc autem princeps decipietur, putabit enim se plura suffragia habere pro electo, cùm reipsa non habeat nisi unum, cui cæteri subscribunt. Hac ratione indigni promovebuntur, quia non solùm minùs digni, sed etiam indigni solent habere patronos viros graves. Ecce tota respublica turbaretur, si in convictu humano liceret loqui & agere secundùm alienam opinionem contra propriam. Ergo id non licet. Ergo neque in doctrinalibus sequi licet contrariam opinionem contra propriam. Ita Celladeus *hic* §. 5.

Respondeo inprimis, objectionem istam nil prorsùs conducere ad intentum, quod Celladeus sibi in hac quæstione præfixit; nempè ad probandum, quòd opinio, docens nos licitè sequi posse alienam sententiam contra propriam, contradictoria verificet. Sanè hoc solum proponitur in titulo ac declaratione quæstionis; verùm ad hoc probandum objectio ista non conducit ut patet. Ergo impertinenter inserta fuit quæstioni præsenti, & ideo omittere illam potuissem, ut huic quæstioni impertinentem. Cæterùm quia rem ipsam tangit, & primæ assertioni, quam ut præambulam pro secundæ probatione breviter explicare debui, contrariatur, directè ex professo illam, Deo dante, dissolvam.

16. Respondeo ergo 2. nemini simpliciter loquendo licitum esse sequi aliam opinionem, quàm suam propriam; in tantum enim licitè sequimur alienam opinionem directam contra nostram directam, in quantum per rationes reflexas convincimur, quòd, omnibus inspectis, absoluta veritas de honestate hujus objecti materialis residcat in parte, quam aliena, non quam propria sententia directa affirmat esse licitam. Hoc autem non ideo fit, quia sententia directa contraria fiat mea (illi enim nunquam assentior) sed quia objectum, ab illa assertum, per rationes reflexas ita comprobatur, ut omnibus inspectis per propriam sententiam à me habeatur absolutè vera. Nisi enim quis hoc modo se gerat, nunquam licitè sequitur alienam opinionem contra propriam, ut patet. Itaque nunquam licet agere contra propriam opinionem reflexam & ultimam. At opinio reflexa & ultima, rigorosè loquendo, est opinio maximè propria; tum quia ultima est, tum quia per illam ad agendum proximè dirigimur. Talis autem opinio in moralibus est præcipua, & maximè propria, ut per se patet. Ergo simpliciter loquendo nemini licet agere contra propriam sententiam, ut fusiùs ostendi *quæst. 30. num. 11. de Consc. prob.* his positis.

Revera in sensu stricto nemini unquam licet agere contra propriam opinionem.

17. Concedo idem licitè fieri in convictu humano, quod licitè fit in agendo contra propriam opinionem, quando res utrobique eodem modo se habent; quia tunc eadem utrobique ratio valet. Sic si de peculiari facto dubitetur, an liceat: si videam plures peritos ac probos, auditis meis rationibus, probabiliter contra me sentire, ac licitum asserere quod ego illicitum existimo; utique

Tam in facto, quàm in jure licet sequi opinionem alienam.

que ex vi rationum reflexarum non minùs licitè me accommodo eorum sententiæ, quàm si quæstio non fuisset de facto aliquo particulari ad convictum humanum pertinente, sed de quæstione aliqua universali per opiniones contrarias agitata in scholis. Ratio est, quia in utroque casu ultima & reflexa mea opinio est, quòd res illa liceat. Ergo si juxta illam persuasionem certò probabilem operer, non malè sed bene & licitè operor. Verùm si utrobique res eodem modo se non habeant, nec habere possint, non sequitur, quòd semper liceat juxta alienum probabile loqui, aut agere. Porro an in peculiaribus circumstantiis omnia eodem modo utrobique se habeant, ex peculiari singulorum inspectione investigandum est. Cæterùm sequela in isto sensu admissa nil absurdi continet, licèt sit absurdissima pro casibus, in quibus similis ratio non militat, nec adest opinio reflexa, quam sequuntur ut propriam, quæque probat licitum esse procedere juxta dictum alterius. Porro quomodo hæc vera sint, & locum habeant vel non habeant, meliùs patebit ex peculiari inspectione eorum, quæ Celladeus hoc loco objicit.

Exemplum Celladei nō est ad rem.

18. Inprimis, si loquamur de facto aliquo, v. g. de alicujus Prætoris regimine, raro evenit, ut de illo sint opiniones contrariæ certò probabiles, quia cùm rectitudo aut pravitas regiminis ex singularibus ac indubitatis factis unicè probari possit, difficile est, ut prudentes & probi viri illa facta habeant pro prudenti ac bono regimine, quæ alii prudentes ac probi ut omni recto regimini contraria prorsùs rejiciunt. Idem dico de ignorantia ac doctrina ejusdem; difficile enim est, ut viri periti quemquam, post ejus doctrinam diligenter examinatam, ut ignorantem damnent, quem alii periti & probi pro docto ac perito plurimùm extollunt. Et sanè si ego ipse rem diligenter examinavi, si resolutiones illius bene perpendi, si facta contra illum objecta & probata seriò ponderavi, atque in illis non nisi diligentiam, doctrinam, & prudentiam advertam, evidens mihi erit, illum inscitiæ ac imprudentiæ argui non posse, quamvis fortassis alii ipso doctiores inveniantur. Similiter eundem mali regiminis condemnare non potero, quia bonum regimen non à successu, sed à prudenti mediorum applicatione desumenda est. Itaque certum mihi erit, alios vel ex pravitate animi, vel ex passione aliqua deceptos, sine probabili fundamento eum condemnare, quamvis fortasse non fuerit prudentissimus, eò quòd meliora & aptiora media non excogitaverit, quæ alius rerum gerendarum peritior excogitare potuisset.

Utraque pars nō potest esse certò probabilis in casu proposito.

19. Similiter, si audiam alios, à quibus eadem prorsùs facta & dicta viri examinata fuerunt, ita inter se discrepare, ut hi illum pro docto & perito rerum administratore, illi verò eundem ut inscium nulliusque in rebus administrandis prudentiæ condemnent, manifestum erit, utrosque non loqui sine affectu indebito, neque sententiam proferre sicut decet viros probos & peritos, ideoque utraque illorum opinio non poterit esse quoad se probabilis, & neutra quoad nos certò probabilis erit, quia discernere nequimus, ex qua parte defectus lateat; cùm sciamus illum ex altera saltem parte latêre. Itaque istiusmodi casus non sunt ad rem, quia utraque pars non est certò probabilis quoad nos, sed solùm vel altera, si rem ipsam examinaverimus, vel neutra si ex aliorum tantùm attestatione res innotescat. At nisi certa probabilitas utrique parti faveat, non sumus in materia, circa quam disputamus.

Celladeus confundit speculativā probabilitatem cum practicā.

20. Verùm, ut Celladeo morem geram, suppono opinionem tam de malo quàm de bono regimine esse certò probabilem (quamvis, ut antea ostendi, non videam quomodo id possit contingere, nisi nomine malæ administrationis minus bonam, minùsque prudentem intelligamus) hoc tamen supposito, non ideo statim probabile erit, quod liceat illum infamare, quia certum est, quod hoc non liceat, etsi ego certò sciam illum esse gravissimorum criminum reum, nisi crimina sint publica. Ergo multò minus licebit alium infamare, quando ipsius crimen ita est probabile, ut innocentia sit etiam probabilis. Itaque Celladeus hic etiam more suo confundit probabilitatem speculativam cum practica. Ex eo enim quòd non liceat in praxi sequi opinionem speculativè probabilem, infert ullum opinionis practicè probabilis non esse licitum.

Illatio Celladei nulla est, etsi totum quod proponit concedatur.

21. Ut ergo argumento Celladei locus detur, oportet supponere non solùm publicam mali bonique regiminis famam esse certò probabilem, sed etiam talem esse ejus publicitatem, ut sit etiam certò probabile, quòd liceat de alterutra seorsim loqui, malamque illius famam aliis revelare. Hoc autem concesso, prorsùs imperitè concludit, quod pro arbitratu, vel nil opinando, vel pro una parte opinando possim hic unum, aliud ibi dicere. Imperitè, inquam, quia qui nil opinatur, evidenter mentitur, si aliquid exteriùs asserat; mentiri autem est certò illicitum, nec ullus admittit talem modum procedendi esse aut absolutè aut probabiliter licitum. Quod si quis interiùs opinetur, illum bene suo officio functum fuisse, adhuc patentioris ac turpioris mendacii reus erit, si illum reipublicæ malè administratæ diffamaverit.

Argumentum non urget, si fiat legitima hypothesis.

22. Itaque haud dubiè quicumque opinatur unam partem, illicitè facit exteriùs proferendo aliam; quamvis enim in casu præsenti non peccet contra justitiam, cùm Prætor quoad nos famæ suæ jus perdiderit, certissimè tamen peccat contra fidelitatem; unde non apparet, qua ratione argumentum Celladei aptè, & ad rem proponi possit, nisi supponamus, loquentem nunc unum nunc aliud formare judicium, atque ita nunc Prætorem apud amicos laudare, nunc illum apud æmulos vituperare. Retenta autem hac suppositione (quæ raro admodum admitti potest, quia homines non sunt facilè flexibiles in suis opinionibus, nec sine novis rationibus magni momenti ab illis recedere consueverunt) inprimis dico, talem hominem posse diversis temporibus diversis personis licitè dicere contraria, nec ideo peccati ullius accusari posse; non falsitatis & mendacii, quia semper dicit, quod sentit; non injustitiæ, quia non magis peccat in hoc, quàm alii, qui nunquam habuerunt bonam opinionem de viro, quia jam illius infamia est publica, & quod plus est supponimus eam esse adeo notoriam, ut sit certò probabile, quod liceat eam aliis divulgare. Fieri quidem poterit, ut contra charitatem loquatur, si apud æmulos & inimicos illius absque necessitate & sufficienti ratione talia divulget; sed hoc est per accidens ad casum nostrum, tum quia in eo casu non erit probabile, quòd ipsi liceat illum apud eos diffamare, tum quia jam de hoc non quærimus, sed solùm quid mali ex eo præcisè sequatur, quòd diversis diversa de eodem dicat; unde quoad hoc perinde fuisset, si bona inimicis, & amicis mala de ipso dixisset.

Aliud à Celladeo incōsequenter dictum.

23. Dices. Tales homines sunt duplicis cordis, duplicisque linguæ, ac proinde ab omnibus, & nominatim à Sacra Scriptura habentur dolosi, mendaces, ac mali. Ita Celladeus *ibidem*.

Respondeo, eos solùm esse duplicis cordis, duplicisque linguæ, qui, nulla variatione facta in mente, alia credunt, alia dicunt; sic enim mentientes fingunt & asserunt se ea habere in corde, quæ non habent. At mutare sermonem, quando judicium mutatur, non est habere cor duplex, nec duplicem linguam, sed simplicem, ut patet; quia si loquela, mutato mentis judicio, non mutaretur, eo ipso homo esset duplex corde & linguâ, quod est abominabile, & homine ingenuo prorsùs indignum. At hic est casus noster. Ergo juxta nostram doctrinam omnes tenentur non dupliciter se gerere, sed in omnibus verba menti consentientia proferre. Qui aliter faciunt dolosi sunt, mendaces, ac mali. Porro universaliter perspicuum est, neminem in loquendo licitè sequi posse alienam opinionem, nisi ea fiat propria; alioquin mentiretur, quia expressè contra mentem loqueretur. Raró autem contingit, quòd homo mutet opinionem merè ob alienam auctoritatem, maximè quando uterque omnes rationes utrique parti faventes perpendit, & unus in unam, alius in aliam sententiam abivit; quia cùm constet, illum alias rationes non habuisse, quàm quas ego rejeci ut falsas, raró contingit, ut ex reflexa consideratione rei, ut substantis alterius judicio, habeam motivum sufficiens ad meam sententiam retractandam, aut ad illius sententiam faciendam meam. Atque hinc apparet lata disparitas inter judicium de honestate operationis, & de aliis objectis, v. g. de homicidio Petri; nam eo ipso quòd pars, quam ego directè sentio esse illicitam, non sit certa sed solùm probabilis, & pars opposita probabilitate non careat, eo ipso suppeditantur mihi argumenta efficacissima, ad absolutè existimandum, quod res illa sit licita, nempe ea omnia, quibus benignam sententiam probamus, quibusque convicti, existimamus talem rem verè esse permissam; in quo propriè non facimus opinionem alienam esse nostram, sed nos ex argumentis reflexis probamus illud esse licitum, cujus honestas directis argumentis non ita probabatur, ut illi assensum præberemus. At si sermo sit de quæstione directa, v. g. an Petrus homicidium patrarit, nil hujus rei veritatem probat præter motiva directa; nam licèt credere possim viro gravi id asserenti, tamen suppono illum habere motiva directa, ex quibus illud norit; neque enim ulla dantur motiva reflexa, ex quibus id inferri possit. Unde lata disparitas est inter quæstionem de licito, & de quovis alio vero, nec ab hoc ad aliud, at ab illo ad hoc arguere valet. Cæterùm si res esset utrimque probabilis, & ego nescirem motiva, ob quæ alii contrarium sentirent, tanta esse poterit illorum auctoritas, ut prudenter præsumam illos habere rationes mihi ignotas, aut certè meliùs intelligere rationes, quibus moveor, quàm ego; in quo casu prudenter muto opinionem meam, atque illis subscribo. Tunc autem, stante hac mea opinione, peccarem si contra illam loquerer, quia apertè mentirer.

Homo non facilè mutat opinionem, aut alienam opinionem facit suam.

Non licet quemquam excusare ex aliena opinione, quādo legitimè interrogamur in judicio.

24. Hinc patet, non posse quemquam superiori legitimè interroganti respondere de crimine Petri, illumque ex alieno judicio excusare, si eum sciat, aut judicet esse reum, quia mentiretur; quod semper est peccatum, & in legitimo judicio crimen maximum. Quod si res esset anceps & incerta, ac verè utrimque probabilis, tunc si tanta esset aliena auctoritas, ut omnibus tam rationibus quàm auctoritatibus debitè consideratis, per ultimam sententiam crederet illum innocentem, utique teneretur illum excusare, & peccaret, si illum accusaret, quia in re gravissima contra conscientiam loqueretur. Ratio autem est, quia unusquisque indispensabiliter tenetur loqui secundùm ultimum judicium, quod habet de negotio, circa quod ejus absoluta sententia exquiritur, quia tunc quæritur quid, omnibus inspectis, de tali negotio aut facto existimet. Quod si non interrogetur de hoc judicio ultimo, sed solùm de illo, quod ex rationibus directis independenter ab aliorum auctoritate format, tenetur juxta illud respondere, quia aliter non esset verax, sed mendax.

Quomodo respondendum sit judici legitimè interroganti.

25. Demum miror similia à Celladeo objecta fuisse, quia exemplum proposuit, in quo non apparet quomodo argumentum formari possit, quod vel apparenter benignam sententiam impetat. Certum enim est, omnem à legitimo superiore legitimè interrogatum debere respondere juxta notitiam quam habet de re, super quam interrogatur; alioquin mentiretur. Jam superior si aliquem interroget de crimine alieno, plerumque petit an habeam certam notitiam; si hanc non habeam, absque dubio teneor Petrum non condemnare; si hanc habeam, teneor illum accusare, nec ad hoc quidquam refert, quod sint diversæ aliorum opiniones etiam probabiles, quia hæc ad me non pertinent, neque de illis interrogor. Quod si superior petat, non quid sciam, sed quid audiverim, teneor tam bonam quàm malam de illo famam propalare. Demum si interroget, quid sentiam, utique petit propriam meam opinionem, quæ omnibus consideratis est ultima mea sententia, & juxta illam respondere teneor. Quod si processu temporis mutem hanc sententiam, tunc si iterum interroger, teneor oppositum respondere. Quæ adeo certa sunt, ut nulla de opposito probabilitas sit, aut esse possit. Unde mirum est, res abs re adeo remotas objici potuisse.

Sequitur propriam opinionem, qui sequitur alienam factam propriam.

26. Ad ultimum, quod dicit Celladeus, fateor nos posse ac debere respondere secundùm opinionem alienam, si illa fiat nostra juxta dicta; verùm in eo apertè errat, quòd tunc putet nos ex aliena & non ex propria, sed contra propriam opinionem ex aliena actiones nostras regulare. Apertè, inquam, errat, quia supponimus, nos tandem convictos propriam opinionem mutasse, ac alienæ subscripsisse; itaque illa non est amplius aliena exclusivè ut antea, sed solùm est accumulativè aliena, quia jam est nobis communis, quæ antea alteri erat singularis. Ergo nunc sequimur propriam opinionem non alienam; quia quæ est communis non est amplius propriè aliena, licèt antea esset. Et sanè hoc ipsum evidens est in usu opinionis minùs probabilis juxta præscriptum benignæ sententiæ; quia licet dicamur sequi opinionem alienam, id solùm verum est de opinione directa, non ultima, sed alteri subordinata, quia verè sequimur opinionem benignam, quæ est propria & ultima opinio, qua in operando dirigimur. Idem prorsùs valet in casu præsenti, si aliena opinio fiat propria, ut patet.

27. Porro quod ad informationem de dignioribus principi faciendam attinet, procul dubio non licet ex alieno probabili respondere, si ego aliter

Informatores de digniori loqui debent ex propria opinione, nō ex aliena.

aliter sentiam; quia princeps petit meum sensum. Quod si ego, auditis aliorum rationibus, eorumque auctoritate inspecta, mutem meam sententiam, respondere debeo non juxta pristinam, sed juxta præsentem opinionem, quia si aliter loquar, apertè mentior. E contrario, si non mutem opinionem, absque dubio non licet loqui ex aliena opinione, quia hoc pariter est apertum mendacium. Jam ex hoc modo agendi nulla turbatio reipublicæ, nulla principis deceptio sequitur, quia princeps verè habet tot suffragia diversa, quot sunt suffragantes. Quod si aliquando ex hoc suffragandi modo indigni promoveantur, id prorsùs est per accidens, eò quòd indignus suam dignitatem adeo probabilem reddiderit, ut à peritis meritò reputaretur dignissimus. Sanè, si ille suffragandi modus, quem Celladeus approbare videtur, locum haberet, turbaretur respublica, quia suffragium ferens deberet loqui juxta opinionem præconceptam, etsi aliorum suffragantium rationibus & auctoritatibus convictus mutaret sententiam, quo nil absurdius aut turpius dici potest. Si enim non deberet ita loqui, cur culpat Celladeus eum, qui ex aliena opinione, jam suâ suffragium fert? Hoc culpat Celladeus, & ut crimen gravissimum objicit. Ergo vult ut juxta opinionem præconceptam sententiam ferat, etsi jam, ob rationes & auctoritates aliorum, sententiam mutaverit. At hoc est facinus enorme, quod turbaret rempublicam, & est contra rationem ac praxim omnium bonorum. Ideo enim inter se conferunt consiliarii, non ut singuli in opinione priùs concepta, obstinata inflexibilitate remaneant, sed ut in eo tandem omnes conveniant, quod omnibus inspectis aut verum, aut verosimilius est.

Qui informaret ex mente Celladei turbaret rempublicam.

Suffragium in electione dignioris prudenter fieri potest ex alieno judicio.

28. Cæterùm si loquamur de suffragiis, quibus electio dignioris perficitur, fieri poterit, ut quis ex alieno judicio suffragium prudenter ferat; si enim omnes sint digni, & rationes, singulis faventes excedant & excedãtur, ita ut difficulter certò discerni possit quis sit dignior, sed singuli probabiliter sint dignissimi; in tali casu elector, ut certiùs suffragium dirigat, potest illum ex omnibus eligere, qui plura suffragia expressa habuerit. Prudenter enim præsumere potest, eum, ex omnibus ejusmodi passivam vocem habentibus, esse digniorem, in quem plura suffragia conspirârint; idque maximè verum est, quando meritò præsumimus, omnes & singulos electores, utpote notæ prudentiæ ac probitatis viros, non temerè, sed ut oportet, sua suffragia ferre. Hujusmodi suffragium tulit S. Ignatius Soc. nostræ Fundator, unà cum sociis, quando primi Generalis electio instituta fuit. Forma suffragii, ut Daniël Bartolus in ejus vita refert, fuit ista. *Me excepto, illi in Domino vocem meam do, ut sit superior, qui plura ad illud officium subeundum suffragia habuerit.* Non existimo, Celladeum, aut quemquam alium, tantæ sanctitatis ac prudentiæ virum stultitiæ ac peccati accusare velle, eo quòd ex alieno probabili in illis circumstantiis suffragium tulerit. Si eum imprudentiæ aut peccati in hoc accusent, seipsos, non illum, aut benignam sententiam condemnant, quia evidens est, nil in tali suffragio meritò carpi posse. Præterea omnes ex hoc ipso suffragandi modo miram Sancti prudentiam ac humilitatem commendant, ut bene observat Daniël Bartolus in ejus vita. Adeo à veritate remotum est, quidquid Celladeus contra benignam sententiam objicit, ut illa ipsa quæ absurda reputat, sæpè sint apertissimè honesta; alia autem si debitè distinguantur ac intelligantur, aut nullo modo tangunt benignam sententiam, aut illam confirmant, ut ex hac & aliis prioribus quæstionibus apertè constat, & uberiùs constabit ex sequentibus.

S. Pater Ignatius tale suffragium tulit.

QUÆSTIO VIGESIMA-TERTIA.

Vtrùm Probabilitas rectè definiatur per fundamentum grave?

Intentum Celladei, meumque exponitur.

1. CELLADEUS *lib. 2.* præscribit sibi agendum de natura probabilitatis veræ, seu realis & positivæ. In prioribus autem quæstionibus rejicit communes aliorum definitiones, in posterioribus suam ponit sententiam. Nos illum comitabimur, ut quid verum, quid falsum dicat, observemus, simulque ea omnia excutiamus, quæ contra benignam sententiam objicit. In prima ergo quæstione conatur eos refellere, qui probabilitatem in genere definiunt, describunt, seu explicant, dicendo illud esse probabile, quod nititur motivo gravi, non tamen omnino convincenti. Si enim motivum convinceret veritatem, redderet rem certam, non probabilem; si autem non esset grave, non redderet rem probabilem, sed leviter tantùm & temerè credibilem. Ego de tota probabilitatis materia fusè egi *primis sex quæst. de Conscient. prob.* quas si Celladeus legisset, vidisset me plures quàm ipse probabilitatis explicationes rejecisse ut insufficientes, atque ita totam veræ ac legitimæ probabilitatis naturam explicasse, ut nulla de ea scienda ac dignoscenda superesse possit difficultas. Proinde totus labor, quem in secundo suo libro componendo impendit, omitti potuisset, quia illius inutilitatem, ac in omnibus insufficientiam perspectam habuisset. Ego itaque acta ibi non reagam, sed datâ occasione breviter indicabo, quæ ibi fusiùs probata sunt, & explicata. Hoc solùm universaliter hìc noto, Celladeum frustra gloriari, quòd in probabilitatis expositione non novas, & à se excogitatas, sed antiquas & indubitatas illius definitiones afferat. Nam ego loco

citato omnes antiquas probabilitatis definitiones exposui, & juxta illas totam quæstionis principalis resolutionem contexui. Sed ne longior sim in præfando, quàm par est, sit

ASSERTIO PRIMA.

Motivum probabile idem est, ac motivum grave, sed incertum.

Motivum probabile idem est ac motivum grave, sed incertum. Idem autem dicendum est de aliis expressionibus æquivalentibus, si motivum probabile dicatur motivum incertum, sed magni ponderis, magni momenti, aut solidum, &c.

2. PROBATUR assertio, quam Celladeus ipse *hac inquest.* apertè fatetur esse veram. Probatur, inquam, quia motivum probabile, & motivum grave sed incertum, dicuntur ad convertentiam. Quidquid enim est probabile, debet esse incertum, & grave, ac rationabile. Incertum quidem; quia quod ad certitudinem pertingit, probabilitatem evacuat, sicut lux tenebras expellit. Grave verò ac rationabile, quia quod levi tantùm fundamento nititur, non est probabile ac rationabile, sed leve & temerarium, ut patet. Rursus omne motivum grave & incertum est probabile, quia omne tale motivum habet quidquid perfectionis & imperfectionis importatur à termino *probabile*. Tota enim imperfectio probabilitatis importatur à termino *incertum*, & tota ejusdem perfectio à termino *grave* comprehenditur. Itaque motivum grave sed incertum, & motivum probabile, haud dubiè dicuntur ad convertentiam. Ergo sunt idem, quod erat probandum. Idipsum valet de aliis terminis in assertione positis, quia eadem prorsùs ratio de omnibus valet.

Probabile in specie eodē termino explicatur.

3. Jam ex hac notione universali, convertibili cum motivo probabili ut sic, facile est similes explicationes cuivis motivo probabili in specie applicare. Probabile enim ab intrinseco est, quod nititur ratione gravi, sed incerta. Probabile ab extrinseco, quod in auctoritate gravi & incerta fundatur. Hæc enim prædicata sunt apertè convertibilia. Ergo sunt propositiones veræ, quod solùm hîc asseritur. Porro in re clara, quam adversarius ipse pro indubitata habet, comprobanda, ulteriùs immorandum non est.

ASSERTIO II.

Dicta explicationes motivi probabilis tam in genere quàm in specie, sunt quidem definitiones seu descriptiones sufficienter continentes & explicantes essentiam motivi probabilis; indigent tamen ulteriori explicatione, ut perfectè quietent intellectum.

Motivum grave, sed incertū, est bona definitio motivi probabilis.

4. PROBATUR assertio quoad primam partem, quæ sola contrariatur Celladeo, qui secundæ ejusdem parti subscribit, quamvis in eo à nobis dissentiat, quòd putet expressionem hanc non posse ulteriùs absque vitio explicari. Probatur ergo prima pars. Illa est bona definitio seu descriptio, quæ ex una parte convertibilis est cum definito, & ex altera est clarior eodem. Talis est allata explicatio. Ergo est bona & legitima definitio, seu descriptio. Major est evidens. Minor probatur. Inprimis explicatio illa est convertibilis cum definito, *ex assert. 1.* Deinde est clarior, quia rudes obscuriùs intelligunt naturam probabilitatis, cùm audiunt vocem *probabile*, quàm cùm audiunt vocem *motivum grave sed incertum*, per hanc enim secundam locutionem exprimitur peculiaris vis movendi intellectum, proportionata illi, quam rudes in corporibus impellendis clarissimè experiuntur. Tota autem essentia motivi probabilis in hac vi movendi intellectum consistit. Hæc autem vis longè obscuriùs repræsentatur per vocem *probabile*, ut patet. Præterea expressio à nobis posita, non solùm rudibus, sed etiam peritissimis clarè & distinctè exprimit peculiarem perfectionem & imperfectionem propriam motivi probabilis, in qua perfectione & imperfectione, simul unitis, tota probabilitatis essentia maximè radicalis consistit, cùm ab illis prædicatis omnia alia legitimè deducantur. Ergo hæc explicatio est clarior definito. Errat ergo Celladeus, qui hoc dissertissimè negat. Verùm si iterum rem consideret, videbit æquo jure dici posse, expressionem *animal rationale* non esse definitionem clariorem *homine* definito. At absurdissimum esset ex eo contendere, *animal rationale* non esse bonam definitionem *hominis*, quòd non sit clarior definito. Ergo & in casu nostro. Certè locutio complexa disertè explicans genus & differentiam, non potest non esse clarior termino incomplexo, confusè tantùm exprimente utrumque. At *motivum grave & incertum*, est oratio complexa disertè explicans genus & differentiam. *Probabile* verò est terminus incomplexus, qui uno conceptu utrumque confusè tantùm attingit. Ergo nostra explicatio est evidenter clarior definito.

Celladeus errat, dum hanc definitionem carpit.

5. Probatur secunda pars. Intellectus audiens, quòd probabile sit motivum grave sed incertum, non quiescit, sed adhuc quærit, quid sit motivum grave, seu magni momenti, hoc enim ulteriùs definiendum est, ut intellectus quiescat; sicut intellectus non quiescit, quando audit hominem esse animal rationale, nisi uterque terminus, clariùs explicetur, & tandem dicatur, hominem esse principium sentiendi, & discurrendi, quod est esse animal rationale. Hîc autem quiescit intellectus, quia jam tota hominis essentia exponitur per prædicata nobis notissima, in quibus sponte quiescimus, cùm ulteriùs ad clariora progredi non possimus. Idem prorsùs valet in casu nostro; quia intellectus cupit scire, quid sit motivum esse grave, & quod plus est, cupit habere indicium, per quod scire possit, motivum esse grave; nec quiescit, nisi hæc explicentur, quia quærimus definitionem per quam discernere possimus opinionem probabilem ab improbabili, & à judicio certo. Ergo nisi hæc explicentur, definitio probabilitatis non est exacta, nec sufficit aut ad quietandum intellectum, aut ad finem propter quem ista controversia instituitur.

Hæc definitio ulteriori explicatione indiget.

ASSERTIO III.

Motivum incertum sed grave seu magni momenti multipliciter ita definiri potest, ut, terminis auditis, intellectus planè quiescat. Propositum autem sit has definitiones afferre.

Motivum grave definitur.

6. PROBATUR assertio contra Celladeum, qui expresè asserit, modum, ulteriùs explicandi talem descriptionem, esse vitiosum. Probatur, inquam, primò, quia absurdissimum est existi-

Celladeus cōtradictoria docet.

existimare, orationem, quæ veritatem aliquam notoriam continet, non posse absque vitio ita clarè explicari, ut intellectus de proprio illius sensu sit securus, & in eo absolutè quiescat. Frustra enim ad ulteriorem explicationem tenderet, si ea absque vitio haberi non posset. At descriptio allata est oratio, quæ notoriam veritatem continet, ipso Celladeo fatente. Ergo absurdum est existimare, illam non posse absque vitio ita explicari, ut intellectus in ejus explicatione quiescat. Ergo potest clarè explicari. Immo repugnat veritatem notoriam non posse sufficienter explicari absque vitio. Celladeus ergo, qui fatetur primum, & negat secundum, revera docet contradictoria.

Motivum grave multipliciter explicatur.

7. Probatur secundò, afferendo varios modos, quibus gravitas motivi, respectu periti circa materiam propositam in rebus incertis, clarissimè explicatur. Inprimis motivum illud est grave, quod, post omnia pro utraque parte sincero animo diligenter perpensa, tam validè illum impellit ad assensum, ut existimet, neminem reprehendi posse ut temerarium, qui illi assensum præbet. Rursus respectu imperitorum, gravitas fundamenti hac aut simili definitione & explicatur & cognoscitur. Illud est motivum grave, quod post diligentem rei investigationem aptum est movere, & de facto movet plures peritos & probos ad assensum illi præstandum. Nil enim clariùs explicat naturam motivi gravis, quàm assensus unanimis plurium peritorum, & proborum, qui rem diligenter investigarunt. Rursus illud est motivum grave & probabile, quod in rebus incertis sufficit ad defendendam thesim cum communi satisfactione, contra argumenta potissima, quæ à doctissimis Auctoribus, & rei maximè peritis afferri possunt & solent. Hoc autem est prædicatum, quod peritis clarè innotescere potest, ut patet. Hæc & alia similia fusè proposita sunt & explicata *quæst. 2. de Consc. prob. num. 5. & seq.* ex quibus clarissimè patet, quid sit motivum grave & incertum, & quomodo intellectus ita in ejus notione quiescat, ut per illam certificari possit, quodnam sit, quodnam non sit motivum grave & probabile. Qui plura de hac materia desiderat, adeat locum citatum, ubi omnia ad hanc materiam spectantia ordinatim digesta, & clarè explicata inveniet. Cæterùm præter has, plurimas alias notas in primis sex illis quæstionibus propono, ex quibus facilè & certò innotescat non solùm peritis, sed etiam idiotis, quæ sint quoad se, quæ quoad nos, quæ extrinsecè, quæ intrinsecè probabilia, seu gravi sed incerto motivo nixa.

Gravitas motivi intellectualis rectè explicatur in ordine ad intellectum.

8. Demum sic ad hominem arguo contra Celladeum. Propositio posita est notoriè vera, & ipsemet fatetur. Ergo est clarè intelligibilis, ac explicabilis. Sed clarè explicari non potest, nisi aliquo ex modis allatis, aut alio illis æquivalente; quia explicari debet respectu intellectûs, prout ille tali motivo ad assensum impellitur. Relativum enim non nisi per terminum relationis explicatur, ut certum est. Ergo Celladeus fateri debet, gravitatem motivi intellectualis posse ac debere explicari per ordinem ad intellectum, & assensum, ad quem stimulat; cùm aliter explicari non possit, ut ipse etiam fatetur, uti mox apparebit, quia motivum intellectuale relativum est ad intellectum, quem movet, & ad assensum, quem causare potest, ut patet. Ergo nemo rectè negat motivum grave rectè explicari posse in ordine ad intellectum, & assensum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

9. OBJICIT primò. Magnitudo & gravitas motivi, per quam probabile definitur, dicit respectum ad intellectum, qui aliquo saltem modo per illud movetur ad assensum. Ergo illa magnitudo & gravitas intelligi nequit, nisi explicetur in ordine ad intellectum. Peto jam, an magnitudo illa & gravitas censenda sit relatè ad omnem omninò, an solùm respectivè ad aliquem tantùm intellectum. Neutrum dici potest sine aliquo absurdo. Ergo, &c. Probatur minor. Inprimis grave & leve motivum non magis dici potest respectu omnis intellectûs, quàm onus dici possit grave & leve respectu omnium hominum; non enim major est diversitas inter vires, quàm inter intellectûs hominum, ut patet. At onus, puero grave, est viro robusto leve. Ergo motivum quod grave est respectu ignorantis aut leviter credentis, illumque convincit, alteri intellectui perito est leve, & prorsùs insufficiens ad assensum impetrandum. Ergo motivum dici nequit grave respectu omnis intellectûs. Deinde dici nequit grave respectu virorum gravium & doctorum, quia hac ratione incidimus in vitium contra logicam, quia quæritur definitio probabilis in genere, quod, semel explicatum, dividendum erat in probabile ab intrinseco & in probabile ab extrinseco. At jam, ut probabile in genere declaretur, ventum est ad probabile in specie, nempe ad probabile ab extrinseco, scilicet ad homines graves, & ad auctoritatem gravem, in qua sola probabilitas extrinseca consistit. Ergo jam explicamus genus per speciem, quod est contra trita logicæ præcepta, & non minùs absurdum, quàm si animal per hominem explicaretur, cùm è contrario homo per animal exponi debeat. Ita Celladeus *hic* §. 1.

Motivum non potest dici grave respectu omnis intellectûs.

Respondeo, gravitatem & magnitudinem motivi, de quo loquimur, dicere respectum non ad quemcumque intellectum, sed solùm ad intellectum peritorum in materia, de qua agitur, ut constat ex dictis in probatione *Assertionis 3.* hoc autem non est explicare genus per speciem, quia unusquisque optimè intelligit, quid sit hominem esse peritum in aliqua materia, licèt nil sciat aut cogitet de probabilitate in genere, aut in specie. Et ratio est, quia peritia est dispositio, qua homo aptus est ad materiam aliquam penetrandam, juxta statum quæstionis & ignorantiæ humanæ. Itaque conceptus peritiæ seu doctrinæ alium respectum non dicit, quàm dispositionis hominis ad objectum debitè penetrandum. At clarum est, hunc respectû diversum esse à respectu, per quem probabilitas extrinseca constituitur. Probabilitas enim extrinseca dicit respectû ad assensum, quem unus alteri præbet ob peritiam & probitatem ipsius. Conceptus ergo probabilitatis extrinsecæ in eo consistit, quod homo asserens aliquid, sit dignus, cui assensum præbeamus. Ideo autem dignus est tali assensu, quia peritus est & probus, atque per locutionem suam auctoritatem interponit, ut alius assensum eliciat. Quolibet enim horum deficiente tollitur conceptus probabilitatis extrinsecæ, ut patet. Præterea, qui definit probabilitatem extrinsecam, eam explicat per auctoritatem dignam assensu. Si hanc auctoritatem explicet, eam declarat per peritiam & probitatem, &c. Ergo conceptus peritiæ, ad quam nos solùm respicimus, non est conceptus specificus probabilitatis extrinsecæ, sed præsupponitur ut notus,

Motivum grave dicit respectum ad intellectum peritorum.

Explicatio motivi gravis non explicat genus per speciē.

notus, antequam scire possimus, quid sit probabilitas extrinseca. Ergo conceptus peritiæ diversus est à conceptu probabilitatis extrinsecæ. Demum probabilitas extrinseca supponit peritum considerasse rem, suamque sententiam protulisse; nisi enim peritus judicium elicuerit, suamque sententiam tulerit ac explicaverit, nullus locus est probabilitati extrinsecæ, ut patet. Ergo connotatum, in ordine ad quod probabilitas extrinseca explicatur, non est judicium à perito elicitum, sed judicium aliud eliciendum dependenter à judicio periti præexistente. At nos motivi gravitatem explicamus in ordine ad judicium à perito elicitum. Ergo in hoc nos non explicamus genus per speciem.

Aliquando genus rectè explicatur per aliquod cōnotatum speciei.

10. Deinde respondeo, aliquando contingere, ut species sit notior, aut certè non minùs nota, quàm genus. In quo casu non est absurdum inchoare à consideratione speciei, & sic ad generis considerationem progredi. In hoc autem casu genus explicari potest per aliquod ex obliquis, per quod species ipsa explicatur. Verùm tunc non priùs consideratur genus, quàm species, sed è contrario species consideratur ante genus, ideoque genus congruè explicatur in ordine ad aliquod prius observatum in specie. Ratio est, quia ordo cognitionis ita constitutus est, ut à facilioribus ad difficiliora progrediamur. Et sanè si rectè observemus nostrum modum discurrendi, inveniemus abstractiones genericas non esse prædicata primò nota, sed non nisi à multis aliis notioribus minus universalibus ac præviis dependere. Sic in nobis ipsis prius observamus, quid sit videre, audire, tangere, &c. quàm sciamus quid sit sentire in universali. Rursus prius scimus, quid sit sentire in genere, quàm quid sit animal ut sic; adeoque ad notionem genericam non venimus, nec illam explicamus, nisi in ordine ad notiones antea in specie observatas. Neque tamen ideo explicamus genus per speciem adæquatè sumptam, sed solùm per quasdam operationes, aut quædam prædicata in specie ipsa priùs observata. Itaque in hujusmodi rebus alius est ordo discendi, alius docendi. Optimus discendi modus est, ut à particularibus ad universalia progrediamur, imo sæpe aliter ex propria observatione ad universalium notitiam pervenire non possumus. At obtentâ semel scientiâ, non est incongruum, ut eam alios contraria methodo doceamus, & ab universalibus incipientes ad particularia descendamus. Et hæc est ordinaria methodus Magistrorum. Verùm qui methodo discendi in docendo uteretur, laudandus esset, non culpandus, quia certiori via, etsi longiori progrederetur. Et sanè hanc in docendo methodum sæpe congruam reperi, discipulisque utilissimam; & quod plus est in præsenti materia de natura probabilitatis, ejusque definitione, ut à clarioribus ad obscuriora progrederer, resolutionem quæstionis à probabilitatis extrinsecæ notione incepi, atque à prædicatis & connotatis in illa observatis ad probabilitatis tam intrinsecæ, quàm probabilitatis in genere definitionem clariùs & certiùs tradendam gressum feci, ut videre est *quæst. 2. de Consc. prob. num. 20. & seqq.*

Aliquando genus non innotescit nisi dependenter à cō notatis specificis priùs clarè cognitis.

Alius est ordo discendi, alius ordo docendi.

Objectio 2.

11. Objicit secundò. Nobis ignotum est, qui sint viri verè graves & docti. Ergo quando probabile, seu motivum grave explicatur per ordinem ad viros doctos & graves, nil explicatur, quia ignotum per æquè ignotum exponitur. Ita Celladeus §. 1.

Respondeo, si antecedens verum esset, nemo nisi stultè à Celladeo consilium peteret, nec illum ad ullam resolutionem faciendam adhiberet, quia nemo sciret, an à perito vel imperito consilium peteret. At hoc si non solùm fieret, sed omnibus ut verum ac indubium proponeretur, id fortasse ipsi gratum non esset, sed horam culparet, in qua hoc scripsit. Similiter non deberet animum ad quidquam scribendum adjicere, nemo enim scire posset, an doctè & peritè scriberet, & consequenter nemo dictis ipsius fidem prudenter adhibere posset.

Celladeus scribere nō deberet, si verum diceret.

Respondeo secundò, parum mali universæ reipublicæ ex eo sequuturum, quod nemo, stante veritate talis asserti, Celladeum, aut quemvis hominem particularem consuleret, sed ingens malum foret, quod sanctissimum Tobiæ consilium, à Deo nobis in Sacra Scriptura propositum, irritum fieret. Sanctus senex *cap. 4. ver. 19.* hortatur filium dicens. *Consilium semper à sapiente perquire.* Et haud dubiè ideo hoc scriptum est, ut illud tamquam consilium nobis etiam à Deo datum accipiamus. Eadem est omnium sapientum concors sententia, idem consilium, ut omnes, maximè imperiti, in dubiis suis peritos ac sapientes consulant. Sed & hoc ipsum imperitis quibusque naturæ lumine notissimum est, ut in dubiis consulere debeant peritos, & juxta illorum resolutionem actiones suas gubernare. At hæc omnia frustranea, inepta, stulta, ac falsa forent, si sapientes & peritos discernere non possemus, imò magna ex parte frustratoria essent, si ipsimet rudes eos nequirent discernere. Ergo non modò non est impossibile sapientes & peritos nosse, sed idipsum & debuit esse omnibus obvium, & verè est notissimum.

Periti & prudentes facile cognoscuntur.

12. Respondeo tertiò, multos esse Auctores, qui omnium sententiâ reputantur valdè periti. Tales sunt, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, S. Antoninus, Caietanus, Sylvester, Suarez, Toletus, aliique innumeri. Ergo illorum resolutioni licitè stamus. Illi autem, aut omnes, aut plerique expressè docent, usum opinionis probabilis esse licitum, & regulas dant, quibus probabile dignosci possit. Rursus quidam periti sunt in facilioribus, qui in difficilioribus non sunt sufficienter periti. Unde qui satis peritus est pro rusticorum confessionibus excipiendis, sæpe caret peritiâ ad mercatorum, militum, aulicorum, & peritorum instructionem necessariâ. Interim ille ab imperitis habetur, & haberi debet pro perito, qui publicam sufficientiæ suæ famam habet, & à superioribus ad illos dirigendos constituitur. Nec obstat, quod aliquando talis homo verè sit insufficiens; quamvis enim ipsius peritia & probitas quoad se desit, non tamen deest quoad nos, quia prudenter præsumitur sufficientiam habere. Nos autem ex tali præsumptione ad operandum dirigimur, & eos pro extrinseca probabilitate quoad nos sufficientes dicimus, qui ex tali præsumptione habentur sufficientes; quod pluribus ostensum est *quæst 6 de Consc. prob.* quia sufficientia prudenter præsumpta ad talem probabilitatem sufficit, etsi per accidens veram sufficientiam abesse contingat.

Aliqui Auctores notoriè sunt periti.

Quidam periti sunt in facilioribus tantùm.

13. Quod si de doctis sit sermo, illi facilè norunt, quinam sint, & quinam habeantur periti. Si verò aliquis eorum in aliquo à peritia deflexit, & minùs peritè locutus est, id ab aliis non dissimulatur. Unde facilè norunt, quinam, & in quo sint & communiter habeantur periti, quod tam perspicuum est, ut mirer quemquam de hoc dubitare potuisse. Jam verò ille generaliter loquendo

Docti facilè norunt, qui sint & habeantur periti.

quendo peritus est in aliqua materia, qui & capacitate rem illam benè intelligendi pollet, & illam diligenter examinavit, talis enim non potest non esse peritus in tali materia. Si res ab aliis tractata fuit, videre debet quid alii in illa re potissimùm observarint, & tunc tandem suam sententiam proferre; quod si res ab aliis discussa non fuerit, majori diligentiâ opus erit, ut solidè sententiam ferat. Jam facilè est peritis scire, an hæc alicui conveniant, nec ne. Uno verbo periti ac sufficientes ad debitè judicandum de rebus controversis, non sunt tam pauci, quàm Celladeus imaginatur. Qui autem scire cupit quinam illi sint, & quomodo tam pro intrinseca, quàm extrinseca probabilitate dignosci possint, legat *qq. 2. 5. & 6. de Consc. prob.* ibi enim hæç omnia exposita inveniet.

Objectio 3. 14. Objicit tertiò. Si probabile explicetur per motivum grave, probabilitas intrinseca per extrinsecam explicanda erit. Intrinseca siquidem probabilitas est, quæ nititur ratione gravi: At ratio gravis non est ratio, quæ movet quemlibet, sed quæ ad viros peritos movendos sufficit. Ecce intrinseca probabilitas per extrinsecam, id est, una species per aliam explicatur, quod est absurdum & vitiosum. Præterea intrinseca probabilitas est naturâ prior quàm extrinseca. Ergo priùs exponenda est quàm extrinseca, & non nisi vitiosè per hanc explicatur. Demum probabilitas extrinseca etiam explicatur per intrinsecam; si enim petatur, quid sit virum esse gravem, & fide dignum, respondetur eum esse talem, qui non quibuslibet, sed gravibus rationibus assensum præbere solet. Ecce circulus vitiosus committitur, & species oppositæ mutuo per se ipsas explicantur. Ergo definitio hæc non est clarior definito, imo exponi non potest absque vitio. Ita Celladeus §. 1.

Una species aliquando rectè explicatur per ordinem ad aliquid inclusum in alia specie.

Respondeo, hanc etiam objectionem in eodem falso supposito fundari, quòd scilicet probabilitas ut sic, & probabilitas intrinseca explicetur per probabilitatem extrinsecam, quod tamen certò constat esse falsissimum, quia solùm explicatur per ordinem ad judicium, quod vir peritus post diligentem rei considerationem elicit. At nec hoc judicium solum, nec sola peritia, nec utraque simul est probabilitas extrinseca, sed solùm aliquid constitutivum ipsius, quia probabilitas extrinseca præter hæc dicit etiam probitatem, & externam locutionem, quâ talis homo suam auctoritatem interponit ad fidem obtinendam. Jam non est absurdum explicare unam speciem in ordine ad partem alterius speciei, ut in casu nostro. Præterea non est absurdum, ut una species explicetur in ordine ad aliam, quando illæ sunt correlativæ; sic materia explicatur in ordine ad formam, & forma in ordine ad materiam, pater in ordine ad filium, filius in ordine ad patrem, appetitus in ordine ad bonum, bonum in ordine ad appetitum, & universaliter actus in ordine objectum, & iterum objectum in ordine ad actum. Et sanè quamvis ista non semper rectè explicentur ad invicem prout sunt correlativa, quia sic fieret circulus vitiosus, nihilominus verè explicantur ad invicem materialiter sumpta, sub aliquo conceptu non correlativo: sic pater non rectè explicatur, qui *gignit filium*, nec filius, *qui gignitur à patre*, hac enim ratione nil explicaretur; sed pater *est homo, qui gignit hominem*, & filius *est homo genitus ab homine.* Idem proportionaliter dicendum de aliis, quamvis in illis, quæ sunt mutuo intrinsecè & essentialiter correlativa

Sæpe una species non potest explicari nisi per aliam.

trascendentaliter, ut materia & forma, neutrum explicari possit, nisi in ordine ad aliud acceptum sub conceptu aliqualiter correlativo, quia propriæ ipsorum rationes essentiales sunt correlativæ. In his tamen talis explicatio non est vitiosa, quia quod ponitur ut constitutivum rei in una explicatione, illud in altera non ponitur ut constitutivum, sed solùm ut terminus rei explicatæ, quod certè non est absurdum, sed prorsùs necessarium in rebus ejusmodi, cùm perspicuum sit illas aliter explicari nec posse, nec debere.

15. Applicentur hæc ad casum nostrum, & videbis nullum esse vitium in hac probabilitatis definitione, quia probabilitas intrinseca & extrinseca, ratio gravis & intellectus peritus sunt correlativa, unde unum bene explicatur in ordine ad aliud; maximè quando illud aliud non sumitur sub conceptu correlativo, ut fit in casu nostro; nam ratio gravis non dicitur, quæ movet virum gravem, sed quæ movet virum ingenio & capacitate præditum, qui rem diligenter examinavit, & absque passione animum cæcante judicat. At nil horum exprimit correlationem ad rationem gravem sub conceptu gravis, ut patet. Et sanè hæc omnia adeo clara sunt, ut mirum sit ea in dubium vocari potuisse; ex correlativis enim vix ullum invenietur, quod clariùs, & absque recursu ad terminos correlativos rectiùs explicetur, quàm motivum grave & vir peritus, aut probabilitas intrinseca & extrinseca.

Correlativa non explicantur per mutuũ respectũ sub conceptu correlativo.

16. Præterea dato, quòd probabilitas intrinseca concedatur explicari in ordine ad extrinsecam, & ratio gravis dicatur esse, quæ apta est ad movendum hominem gravem & fide dignum, non ideo committitur circulus, quia homo gravis ac fide dignus non explicatur per ordinem ad rationem prout illa est & dicitur gravis, sed simpliciter ad rationem, quam approbat; nam homo fide dignus est homo peritus & probus, qui rem diligenter examinavit, & absque passione animum excæcante sententiam tulit, eamque exteriùs significavit. Hîc nil dicitur de ratione gravi, ut patet; sed illam rationem, qua talis homo motus est, appellamus gravem, quia approbata est à viro tali, taliter judicante. Itaque nullus circulus vitiosus, nullum prorsùs vitium in explicatione probabilitatis in genere vel in specie committitur.

Ratio gravis explicatur per Auctorem gravem absque circulo vitioso.

17. Demum etsi probabilitas intrinseca explicaretur in ordine ad extrinsecam, quam ordine naturæ præcedit, non tamen ideo talis explicatio esset vitiosa, nec priùs explicanda foret probabilitas intrinseca, quàm extrinseca, quia nos ob imperfectionem intellectûs nostri servare non possumus eum ordinem in cognoscendo, quem res obtinent in essendo; procedimus enim à notis ad ignota, ab effectibus ad causas, nec causam explicare possumus, nisi per ordinem ad effectum nobis notiorem. Sic hominem dicimus esse principium sentiendi & discurrendi, &c. Itaque cùm probabilitas extrinseca sit notior intrinseca, & intrinseca probabilitas supponatur respectum dicere ad extrinsecam, utique sequitur, quod intrinseca probabilitas, quamvis naturâ prior, explicari non possit nisi in ordine ad extrinsecam, quam respicit, & sine cujus prænotione debitè cognosci nequit, ut videre est in definitione hominis & similibus. Fallitur ergo Celladeus in omnibus & singulis, quæ hîc objicit, etiam data hypothesi, in qua loquitur. Cæterùm hypothesis vera non est, quia ex responsione ad primum constat, rationem gravem, & probabilitatem intrinsecam

Quæ sunt priora naturâ optimè explicantur in ordine ad posteriora magis nota.

non

non explicari in ordine ad probabilitatem extrinsecam adæquatè sumptam, aut ad ullum conceptum cum probabilitate extrinseca convertibilem.

Objectio 4. 18. Objicit quartò. *Si dicamus* (inquit Aristoteles *6. Ethic. c. 1.*) *medium* virtutis inter excessum & defectum consistentis *esse quod recta ratio præscribit, verum quidem est, non tamen perspicuum, idcirco oportet etiam circa animi habitus non solùm verè hoc dictum esse, sed etiam determinatum, quænam sit recta ratio, quæq; ejus definitio.* Ecce Aristoteles expresè admittit explicationem veram, sed eam insufficientem agnoscit; sicut enim qui ait ea corpori curando adhibenda esse, quæ homo medicinâ instructus præscribit, verum quidem dicit, sed insufficienter se explicat, ut quemquam ad corpus curandum dirigat; ita pariter verum dicit, sed insufficienter se explicat, qui dicit, medium inter excessum & defectum esse quod recta ratio præscribit. At hic ipse est casus præsens, nam Auctores benignæ sententiæ eodem prorsùs modo respondent, scilicet probabile esse, quod gravis, aut si mavis, quod recta ratio præscribit. Ergo hæc expositio ex mente Aristotelis non est sufficiens, quamvis sit vera, quia nihil dicit perspicuum, doctrinale, ac determinatum. Ita Celladeus ibidem.

Doctrina Philosophi Celladeo non favet. Respondeo, verissima hæc Aristotelis dicta nec Celladeo favere, nec nobis ullatenus adversari. Celladeo non favent, quia ipse intendit probare, definitionem non esse definito clariorem, sed idem explicari per idem, ac circulum vitiosum committi. At Aristoteles nil horum objicit contra generalem illam explicationem, qua medium virtutis dicitur esse quod recta ratio præscribit. Evidens enim est, illud in genere verum esse, & medium illud clariùs explicari per ordinem ad rationem rectam, quàm antea conciperetur sub notione medii inter excessum & defectum. Idipsum etiam clariùs patet in exemplo illo de medicina; quia per hanc enunciationem, *ea corpori curando adhiberi debent, quæ peritus medicus præscribit*, unusquisque magis dirigitur ad aptum remedium quærendum, quàm si solùm generaliter dicatur illi, *remedium est adhibendum.* Itaque Aristoteles non rejicit hunc loquendi modum ut obscurum, aut ut vitiosum, eò quòd explicet idem per idem, sed solùm ut insufficientem, eò quòd sit ratio quædam generica, quæ non est satis determinata & perspicua, ut quis per eam in particulari dirigatur, quod certè verum est de quavis definitione generica, quantumvis optima & exactissima. Itaque certum est, hanc Aristotelis doctrinam Celladei intento non favere.

Nec nobis adversatur, sed nobiscũ per omnia consentit. 19. Rursus certum est, eandem nobis non adversari, nam ultrò fatemur, definitiones istas probabilitatis, sive in genere, sive in specie, non habere sufficientem determinationem, ut per illas solas dirigamur ad operandum; nam si aliud non sciamus, quàm istas definitiones in genere, non aliter hærebimus, quàm ægrotus, qui aliam notionem non habet, quàm genericam illam, quòd ea adhibenda sint, quæ medicinæ peritus præscripserit. Sicut enim ægrotus non potest sumere medicinam in communi, nec id quod in communi à medico præscribitur, sed aliquid particulare præscribi debet, ut illud sumi possit; ita pariter nos non possumus ponere actionem probabiliter licitam in communi, sed necesse est, ut probabilitas ad peculiare objectum terminetur, ut sic ultimam consultationem adhibeamus, & conscientiam debitè formemus. Itaque quoad hoc per omnia cum Philosopho concordamus.

Cæterùm hinc non sequitur, definitiones istas generales non esse doctrinales, & utiles, quia definitiones istiusmodi generales in omni materia tam ab Aristotele quàm ab omnibus peritis adhibentur, quod certè non fieret, nisi doctrinales, & ad finem intentum utiles essent. Porro in casu nostro sunt utilissimæ, quia sine illis scire non possumus in particulari, quidnam sit probabile; per istas autem definitiones ad illud sciendum manuducimur, ut patet; fit enim syllogismus istiusmodi; *Quod plurimi periti post debitam rei investigationem verum reputant est probabile. Sed hoc objectum à plurimis peritis post diligentem rei investigationem verum reputatur. Ergo est probabile.* Nec obstat, quod definitiones istiusmodi per se solas non sint adeo determinatæ & perspicuæ, ut se solis sufficienter dirigant ad opus; quia nulla definitio generica, quamvis optima, habet talem claritatem, perspicuitatem, & determinationem; quia ad opus res in particulari exprimenda est. Nihilominus habent claritatem, perspicuitatem, & determinationem genericam, quæ sola in ipsis requiritur, quæque pro legitima rationis genericæ definitione abundè sufficit. Verùm claritas, & determinatio generica conjungitur cum obscuritate & indeterminatione respectu speciei ac individui, ac ultimæ doctrinæ nobis ad operandum necessariæ. Hoc est quod docet Aristoteles, & hoc est quod nos docemus & fatemur in nostra doctrina contineri, quia scimus illud in omni legitima doctrina debere involvi.

Definitio generica nõ sufficit ad operãdum, est tamen utilis ad operationem dirigendam.

Objectio 5. 20. Objicit quintò. Dantur Auctores indubiè graves & omni exceptione majores, ut Sanctus Thomas, Scotus, Suarez, & alii complures. Item dantur Auctores haud dubiè superficiales, item & mediocres, qui omnes ita inter se ordinantur, ut superiores parum differant à sibi proximis, & sic per gradus usque ad Auctorem infimum, & maximè superficialem. Idem valet de rationibus gravibus seu probabilibus, & levibus seu improbabilibus: licèt enim aliquæ sint certò graves, & aliæ certò leves; tamen graves paulatim & insensibiliter desinunt in leves, & leves sensim augentur, donec evadant graves. Hoc posito, sequitur explicationem hanc esse prorsùs inutilem, quia cùm probabile intrinsecum per rationes graves, & extrinsecum per auctoritatem gravem explicetur, impossibile est, ut determinatè sciatur, quinam Auctores, & quæ rationes censeri debeant graves. Certè Auctores educati in una schola plurimi faciunt rationes & Auctores sibi faventes, quos tamen Auctores scholæ contrariæ mediocres aut etiam leves reputant. In hisce enim judiciis educatio, & scholarum divisio multùm facit. Præterea non est ratio, cur unus Auctor aut ratio includatur, & alius Auctor aut ratio, à priori parum distans, excludatur. Ergo omnes Auctores habendi sunt graves, & omnes rationes dicendæ sint probabiles & ad conscientiam debitè formandam sufficientes. At sequela absurda est, inutilitatemque ac insufficientiam istarum definitionum ostendit. Sic si rex det facultatem omnibus & solis maximæ dignitatis viris, ut coram se caput cooperiant, & aliud non explicet, certum erit, aliquos ex nobilibus includi, & alios excludi; nihilominus ista lex tandem omnes includeret, quia in nullo sisti posset, cùm non sit cur proximus & eo parùm inferior in dignitate excludatur. Ergo omnes includerentur. Ergo lex illa esset planè inutilis. Idem valet in casu nostro. Ergo, &c. Ita Celladeus §. 3.

Respon-

Quæ parum distant ab invicē sæpe facilè discerni possunt.

Respondeo inprimis, me fusè respondisse huic argumento *quæst. 5. de Consc. prob. nu. 43. & seqq.* qui locus non inutiliter inspicietur. Similiter ibidem *totâ quæst. 5. & 6.* fusè exposui, quomodo certò probabilia à non certò probabilibus dignosci possint, etsi motiva ipsa parum, &, ut ita dicam, quodammodò insensibiliter distent ab invicem. Interim ex ibi dictis constat, argumentum nil valere, quia supponit motiva parum ab invicem distantia certò discerni non posse, quod ibi ostendi esse falsissimum.

Celladei contradictio.

21. Respondeo secundò, Celladeum in hoc ipsó argumento sibi contradicere; fatetur enim aliquos esse Auctores certò graves, qui jam universali omnium famâ tales habentur. Rursus fatetur etiam aliquos esse Auctores certò leves ac superficiales; alios autem mediocres, quorum aliqui magis, aliqui minus ad extremos accedunt. Eodem modo in exemplo de facultate à rege concessa, fatetur aliquos certò comprehendi; alios certò non comprehendi sub terminis concessionis. Hæc ergo, quæ certa sunt & evidentia, non subjacent falsitati aut ulli exceptioni, quamvis de mediis non ita constet, ad quam extremorum classem reduci debeant. Ergo sibi contradicit & errat, dum contendit ex hoc sequi, quod omnes Auctores & rationes essent graves, quodque omnes omnino nobiles haberent facultatem cooperiendi capút coram rege, quia falsum ex vero deduci nequit. Ipse autem fatetur antecedens esse verum & certum, item agnoscit consequens esse certò falsum. Ergo evidenter errat, dum dicit consequens illud ex antecedente legitimè deduci. Porro si aliqui sint viri certò graves & periti, illique ab aliis discerni possint, ut Celladeus fatetur, hoc nobis sufficit, quia motiva gravia & probabilia in ordine ad tales explicamus; dicimus enim sola certò probabilia esse sufficientem conscientiæ ritè formandæ regulam. Certum autem est, hujusmodi probabilia optimè explicari posse in ordine ad viros graves, quales ille agnoscit posse à nobis certò dignosci.

Celladeus & omnes tenentur argumentum solvere.

22. Respondeo tertiò, Celladeum, omnesque debere huic argumento respondere, si illud ad materiam furti, vel alterius peccati applicetur, in cujus materia datur parvitas & gravitas. Sic enim arguo. Certum est centum aureos esse materiam gravem, item certum est unum obolum esse materiam levem in furto. Rursus certum est quantitates medias, descendendo à majori ad minus, & ascendendo à minori ad majus, per gradus insensibiles diminui & crescere. Et sanè incrementum & decrementum horum graduum est longè minùs sensibile, quàm sit decrementum in gradibus nobilitatis, aut in classibus Auctorum. Hoc ergo posito, peto à Celladeo, an putet legitimè deduci, nullam dari materiam parvam in furto, eò quòd descendendo à maxima ad minimam, descensus fiat per gradus insensibiles? quid dicis, Celladee? valétne ista consequentia in materia furti, an non valet? Si dicas valere, patenter erras, quia contrarium & lumine naturæ notissimum est, & ab omnibus omnino Catholicis Doctoribus ut indubitatum habetur. Si dicas non valere, uti procul dubio scis & dicis, responde ergo argumento tuo ad hanc materiam applicato, & evidenter videbis, responsionem illam, si sit congrua, longè meliùs quadrare in materiam & casum præsentem, quàm in materiam furti; quia gradus per quos incrementum fit in casu nostro, sunt pauci, & facilè numerari possunt, ac proinde satis notabiliter ab invicem discrepant; gradus autem in materia furti sunt plurimi, & unus insensibiliter differt ab altero, ut patet.

Dato, quod sint aliquæ rationes & auctoritates certò graves, h[oc] nobis sufficit.

23. Respondeo quartò directè, & dico, auctoritates & rationes aliquas esse certò graves, alias autem esse certò leves. Accipio istas, & de mediis quæro, an ex illis certò discerni possit, quæ sint, quæ non sint graves? Si hoc possit discerni (uti optimè potest, sicut ostendi *quæst. 5. de Consc. prob num. 43. & seqq.*) argumentum non valet, ut per se patet. Si hoc discerni non possit, nostrâ nil interest, quia rationes & auctoritates non certò graves aut probabiles, ex nostra communique sententia ad conscientiam debitè formandam non sufficiunt. Itaque de illis solliciti non sumus, nec ullam de illis in ordine ad præsentem controversiam quæstionem facimus, nisi ut rejiciantur tanquam insufficientes; omnia enim solùm in ordine ad rationes & auctoritates certò graves explicamus.

Auctores, quos Celladeus mediocres & leves vocat, non sunt leves in sensu præsentis quæstionis.

24. Respondeo quintò, & directè examino singula in objectione posita. Inprimis fateor, plures esse Auctores gravissimos, quia plurimi sunt notoriè tales, & ab omnibus post eorum opera diligenter discussa habentur tales. Fateor alios respectu horum esse mediocres, alios etiam, si ita loqui velis, leves & superficiales. Nihilominus absit ut existimem, grandem Auctorum catalogum formari posse, ut Celladeus innuere videtur (quos tamen prudenter advertit à se nominari non debuisse) qui omnes & sint & dici debeant leves in sensu præsentis quæstionis, quasi illi, nec seorsim nec collectim sumpti, reddere possint assertum suum certò probabile, aut tantam peritiam non habeant, quanta sufficit, ut ratio dicatur & verè sit gravis, quæ post debitam diligentiam, in veritatis indagatione impensam, illos ad assensum movit. Non sum, qui de viris verè peritis ac probis, deque Ecclesia & republica litteraria optimè meritis tam severè judicem. Imò ut hac de re sensum meum exponam, assero, nullum esse ex omnibus Auctoribus Catholicis, ne quidem ex Casuistis ullius famæ ac nominis, quos Ecclesia tolerat, qui non sit verè peritus & sufficiens ad certò discernendum rationem & Auctorem gravem à levi; quique suum assertum, si debitè rem examinet, & absque passione indebitè illum impellente sententiam ferat, certò probabile reddere non possit.

25. Mentem meam expono. Auctores aliquos non tam superficiales ac leves voco, quàm Auctores, qui rem superficialiter seu ad litteram leviter tractant. Ad istam classem omnes reducuntur, qui aut solas assertiones compilarunt, ut multi Casuistæ fecerunt, aut breves aliquas rationes in confirmationem attulerunt. Talis enim liber superficialiter & leviter rem tractat, si litteralem rerum expressionem spectes. Auctores ergo, qui aliter non scripserunt, res superficialiter, ac ad litteram leviter tractasse dicuntur, quos tamen non ideo leviter aut superficialiter tantùm doctrinâ imbutos fuisse puto, sed oppositum scio; tantam enim in multorum illorum dictis & scriptis sapientiam & accurationem videre est, ut nemo ambigat, quin fuerint viri longè gravissimi; talis est Summa Cardinalis Toleti, qui si aliud nil scripsisset, vel ex illo opere summis Theologis meritò æquari potuisset. Jam talium virorum opiniones non minoris momenti sunt, quàm eorum, qui diffusè res tractarunt. Cæterùm de casuum collectoribus universè affirmo, eos non leviter

Multi gravissimi Auctores breviter tantùm res tractant.

leviter doctos, sed homines moralis materiæ sufficienter peritos fuisse, qui Auctores graves à levibus & superficialibus discernere, atque judicium sincerum & certum de extrinseca ac intrinseca opinionum probabilitate ferre potuerunt. Itaque isti Auctores in ordine ad hoc pro gravibus habendi sunt; rarò enim de suo quidquam afferunt. Si ergo opiniones & sententias communes proponant, non dubium, quin illæ à viris gravibus assertæ fuerint. Si contra communem opinionem aliquid statuant, nisi novas & gravissimas rationes afferant, & omnia communi sententiæ faventia solvant, audiendi non sunt; quia nisi ista præstentur, temerè à communi sententia receditur. Si verò hoc præstent, eo ipso in illa materia peritos & graves se ostendunt. Quod si aliquid ex proprio proponant, quod ab aliis tractatum non fuit, illudque nec communi sensui, nec Ecclesiæ decretis, nec Majorum traditionibus repugnet, non est cur non habeatur probabile, quia meritò præsumitur, eos non temerè ita judicasse. Unde qui in hoc ipsi consentit, quamdiu nil in contrarium affertur, non temerè sed prudenter assensum præbet, quia viri periti sententiam, & optimum, quod hîc & nunc in rebus obscuris haberi potest, dictamen sequitur. Quod si hoc postea ab aliis confirmetur, probabilitas augetur; si verò probabilitas ipsa in dubium revocetur, cessat quoad nos, juxta dicta in *quæst. 6. de Consc. prob.* Demum si aliquis ex istis casuum collectoribus à munere suo deflectat, id statim à viris peritioribus notatur, qui ista non dissimulant, sed statim aperto ore & calamo reprehendunt. Unde perspicuum est, qui sint, qui non sint doctores & opiniones graves, in ordine ad præsens intentum, quidquid Celladeus in contrarium imaginatus est.

Casuum collectores süt Auctores graves relate ad id, quod præstant.

26. Qui verò in quæstione tractanda rationes hinc inde perpendunt, atque ita demum de singulis sententiam ferunt, non superficialiter, sed fundamentaliter materias resolvunt. Jam nemo ex talibus invenitur, qui vir peritus non sit; & si quis esset, qui non probè caperet, quæ diceret, statim ab omnibus ludibrio haberetur, & exploderetur. Quod si non explodatur, sed laudetur, signum est eum esse virum doctum & gravem, nec de eo quisquam ambigit. Porro unusquisque Theologiæ & Canonum notitiâ mediocriter instructus, ex propria lectione statim discernere potest, an talis Auctor quæstiones solidè & graviter resolvat. Cæterùm hoc etiam in istis advertendum est, difficiliùs istis credendum esse, quando contra omnes alios novam sententiam invehunt; non enim sunt audiendi, nisi, ut ante notatum est, novas efficacissimasque rationes afferant, &c. Brevi autem ex communi Doctorum sensu scitur, an dicta talia pro gravibus haberi, an pro levibus explodi debeant.

Qui res fusè tractant, facilè sciütur esse Auctores periti ac graves.

27. Nec obstat, quod Celladeus benè advertit, Auctores, peculiaribus opinionibus ac scholis addictos, longè favorabiliùs censere de opinionibus, rationibus, & Auctoribus suis, quàm de iis, quæ ipsis contrariantur; hoc, inquam, eorum judicium non obstat præsenti intento; certum enim est, communes integrarum scholarum opiniones, maximè de rebus moralibus, esse probabiles, & gravibus rationibus niti; neque hoc inficiantur Auctores contrariæ sententiæ, quamvis rationes adversariorum minoris faciant, quàm suas; quia unusquisque secundùm affectum facilè judicat. Itaque etsi Doctores unius scholæ pro mediocribus habeant Auctores scholæ contrariæ, quos schola illi adversa plurimi facit, non tamen eos in eo sensu mediocres, aut leves reputant, in quo Celladeus voces illas hîc usurpat, quia non negant illos rationibus verè gravibus & probabilibus duci, sed solùm indicant, eorum rationes esse suis minùs probabiles. Quod si sermo sit de opinionibus, circa quas non est tam acris disputatio inter illos, de illis mitiùs sentiunt, ut patet. Itaque hoc non obstat, quò minùs certò constet, quinam sint, & in quibus graves, in sensu quæstionis præsentis, reputari debeant.

Una schola admittit Auctores scholæ contrariæ esse graves.

28. Quod si distinguamus probabilitatem intrinsecam ab extrinseca, nulla est difficultas determinandi quæ sint, quæ non sint probabilia. Omnes periti ex propria industria & sedula lectione facilè vident, & discernunt quinam fundatè, quinam leviter rem discutiunt. Similiter facilè discernunt rationes graves à levibus. Quod si sermo sit de probabilitate extrinseca, omnes, etiam rudes, sufficientem de ea notitiam habent, alioquin malè illis prospectum esset. Nemo enim licitè ad confessionem accedere, vel medicum advocare posset, tenetur enim unusquisque non temerè quemque pro suæ conscientiæ directore, aut corporis medico eligere. Ergo peccat, qui sufficientem non eligit. Sufficientem, inquam, juxta præsumptionem, & famam communem; quicumque enim talem famam habet, meritò sufficiens præsumitur, ac proinde rudiores dictis illius meritò fidunt. Atqui certum est, rudes in advocando medico, & eligendo confessario non peccare. Ergo certum est, rudes benè discernere, quòd quoad nos sint graves & sufficientes pro suo munere debitè implendo. Discernunt, inquam, non veram sed præsumptam eorum sufficientiam. Hæc autem præsumpta sufficientia reddit illos fide dignos, eorumque auctoritas in illa consistit. Porro hæc auctoritas est unica causa formalis constituens probabilitatem extrinsecam quoad nos. Tantum ergo abest, ut graves rationes, gravesque viri discerni non possint, ut nemo sit adeo rudis, qui eos facillimè non discernat.

Periti facilè discernunt rationes graves.

Rudes facillimè discernunt auctoritatem gravem, & ad licitè operandum sufficientem.

29. Demum. Paritas illa de rege concedente, ut omnes & soli maximæ dignitatis viri facultatem habeant cooperiendi caput coram ipso, nobis non obstat, quia stante tali regis declaratione certum erit, inferiores nobilitatis gradus à tali privilegio excludi debere; similiter certum erit, superiores ejusdem gradûs tali privilegio gaudere. De quibusdam mediis gradibus res erit dubia, fierique poterit, ut sit probabile hos includi, illos non includi in privilegio. Cæterùm haud dubiè facillimum est evidenter inclusos ab evidenter exclusis distinguere. Itaque paritas favet nobis, quia idem planè dicendum erit de rationibus & Auctoribus gravibus & levibus. Hoc autem nobis abundè sufficit, quia omnia explicamus per rationes & auctoritates certò graves; nam quæ non sunt certò tales, ad conscientiam debitè formandam non sufficiunt.

Exemplum Regis à Celladeo allatü nobis favet.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-QUARTA.

Vtrùm probabilitas rectè explicetur per motivum ac judicium prudens, & per Auctores prudentes?

1. PLURES ex Auctoribus benignæ sententiæ ea motiva dicunt esse gravia ac probabilia, quibus quis prudenter movetur ad assensum, seu quæ fundant assensum prudentem. Ego *quæst. 2. de Conscientiâ probabili num. 9.* ostendi quid in hac explicatione desideretur. Celladeus *lib. 2 quæst. 2.* recursum hunc ad prudentes & ad judicium prudens pro probabilitatis explicatione eo titulo improbat, quòd appellatio fiat ad eos, qui determinari non possunt. Unde sicut *in quæst. superiori* ex hoc capite damnabat recursum ad rationes & Auctores graves, ita hîc ex eodem titulo rejicit recursum ad prudentes, & ad judicium prudens. Ego, ut occasionem habeam respondendi ad ea, quæ ad intentum suum probandum allegat, pono assertionem sequentem.

ASSERTIO PRIMA.

Probabile rectè & intelligibiliter declaratur in ordine ad prudentes & prudétiam.

Qui explicant motivum probabile per hoc, quòd fundet judicium prudens, aut quòd à prudentibus meritò probetur, & verum dicunt, & perspicuè ac determinatè loquuntur, nec per umbram in circulum vitiosum incurrunt.

2. PROBATUR assertio, quæ totum Celladei intentum *in hac 2. quæst.* prorsùs evertit. Inprimis omne motivum probabile meretur assensum, & consequenter fundat assensum prudentem, quia assensus præstitus motivo, quod tali assensu dignum est, non potest non esse rationabile ac prudens. Itaque certum est, taliter loquentes verum dicere. Nec de hoc ambigit Celladeus.

Prudentes coincidunt cum peritis.

3. Quòd autem perspicuè ac determinatè loquantur, evidenter sequitur ex superiori quæstione. Quia aliud non intelligimus per sapientes aut prudentes, quàm peritos materiæ, de qua tractant. Maximè autem prudentes dicuntur, si de moralibus agant, cùm res ad mores spectantes sint propria materia prudentiæ. Ergo tam discernibilis est prudens, quàm peritus rerum moralium. Sed periti rerum moralium facilè & clarè discerni possunt, ut constat *ex quæst. superiori.* Ergo & prudentes sunt facilè & certò discernibiles. Præterea quidquid auctoritatis ac rationis allatum est *quæst. superiori* ad ostendendum, peritos & facilè & certò cognosci, id omne ex æquo probat, sapientes ac prudentes certò & facilè nobis innotescere; idque absque umbra circuli vitiosi.

4. Nec minus clarè scitur, quodnam sit judicium prudens. Illud judicium prudens vocamus, quod à perito post debitam diligentiam præmissam elicitur ex vi motivi, quod non ex passione indebitè propellente, sed ex sua magnitudine à perito & probo absolutum assensum impetrat, aut impetrare potest. Hæc autem omnia tam ab ipsis peritis per propriam experientiam, quàm ab imperitis per effectus ipsos, atque publicam famam certò sciri ac præsumi possunt, ut patet. Ergo judicium prudens clarè ac discernibiliter explicatur. Porro tale judicium tunc maximè propriè dicitur prudens, quando versatur circa materiam moralem, ut antea dictum est.

Quodnam sit judicium prudens?

5. Secundò, nomine judicii prudentis intelligimus judicium, seu rationem rectam, quam Aristoteles *6. Ethic. cap. 2.* eam esse definit, quæ appetitui recto consentanea est. Porro quæ sit ratio recta in hoc sensu (qui propriissimè explicat rationem prudentiæ) quomodo illa cognosci possit, & absque circulo vitioso explicari, fusè tradidi *quæst. 12. de Consc. prob. à num. 14. ad finem.* Qua de re, & universim de materia prudentiæ infra *quæst. 41.* ex professo agetur, ubi ostendam omne judicium probabile esse prudens; adeoque prudentiam in rebus incertis non minùs quàm probabilitatem determinari ac dignosci posse. Itaque ad loca citata Lectorem plura de hac re cupientem remitto, quia hîc aliud non prætendo, quàm taliter qualiter rem declarare, ut objecta à Celladeo solvendi occasionem habeam.

Judicium prudens est ratio recta.

6. Hinc sequitur, Celladeum immeritò conqueri, Auctores benignæ sententiæ non sufficienter explicasse quid per prudentes & prudentiam intellexerint. Omnes enim eadem prorsùs ad prudentem & prudentiam in subjecta materia requirunt, quæ ad peritiam & probabilitatem postulant; nec segniores in una quàm in altera explicanda fuere. Hoc verissimum est, quamvis prudentia per alium conceptum explicetur, quàm probabilitas. Prudentia enim complectitur non solùm obscuras & incertas, sed etiam claras ac evidentes cognitiones. Ergo genericus conceptus prudentiæ diversus est ab universali notione probabilitatis. Rursus prudentia, strictè loquendo, solùm versatur circa moralia. Probabilitas ad omnia æqualiter extenditur. Demum prudentia peculiarem ad voluntatem operationesque honestas respectum dicit, à quo probabilitas ex sua ratione præscindit; diversi ergo sunt conceptus utriusque. Nihilominus si probabilitas ad materiam prudentiæ restringatur, & prudentia in particulari limitetur ad cognitiones incertas, talis prudentia à tali probabilitate non differt, sed utraque dicitur ad convertentiam. Unde quidquid Auctores circa unum dixerint, de altero dixisse æstimandi sunt, sicut reipsâ dixerunt.

Auctores satis explicarũt, quid per prudentes intelligunt.

Conceptus prudentiæ diversus est à conceptu probabilitatis.

ASSERTIO II.

Propositum sit ostendere, Celladeum in proponenda Vasquii opinione manifestè errasse.

Celladeus certò errat in exponenda sententia Vasquii.

7. OSTENDITUR sic. Celladeus *hic* §. 2, ut viam sternat ad peculiarem suam, sed falsissimam opinionem, quòd prudentia & probabilitas explicari non possit nisi per ipsam veritatem, dicit Vasquium *1. 2. disp. 58. num. 10.* tradere, quòd rectitudo appetitûs, & intentionis finis explicari non possit, nisi recurrendo ad veritatem simpliciter, quæ in conformitate ad naturam rationabilem, quà rationabilis est, consistit. Verùm certissimè errat, quia Vasquez illo loco expresè tradit contrarium, his enim verbis dictum §. concludit. *Quocirca recta ratio practica* (quæ haud dubiè coïncidit cum ratione prudenti) *illa debet judicari, qua diligenter proponit id, quod videtur conveniens naturæ rationali, ut rationalis est; non quòd* (nota bene) *conformis sit rei, quam enunciat, sed quia diligenter & prudenter proponit id, quod rectum & consentaneum naturæ rationali videtur.* Et paulò ante *in eodem* §. dixerat, rationem nostram esse regulam humanarum actionum, prout proponit objecta tamquam consentanea, vel dissentanea naturæ rationali: & mox hæc subjungit. *Sed quia humana diligentia non potest, omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsâ est, ideo illud in re debet dici naturæ humanæ conveniens, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non.*

Vasquez tenet rationē probabilē, etsi falsam, esse rationē rectam.

8. Ecce Vasquez expresè vult, appetitum regulatum esse rectum, quamvis ratio regulans sit falsa, quia falsitas rationis non impedit, quominus illa sit recta, modò sit probabilis & diligens. Quod in sequentibus explicat per hoc etiam, quòd illud judicium rationis sit invincibile. Præterea tota illa disp. Vasquez nec verbum habet de necessitate, ut appetitus aut intentio finis reguletur à cognitione vera, ad hoc ut sit honestus; imo tradit oppositum, quia totus est in ostendendo, quomodo homo affectu maritali propter debitum finem accedens ad non suam, quam falsò suam existimat, honestè operetur, & non peccet. Certissimè ergo erravit Celladeus in exponenda sententia Vasquii, qui expresè asserit, illud convenire naturæ rationali, quod per judicium probabile, quamvis erroneum, proponitur tamquam conveniens. Porro, per Vasquium, idem in præsenti est judicium probabile ac judicium prudens, seu recta ratio practica, cujus rectitudinem explicat per diligentiam & invincibilitatem judicii eliciti, atque in hanc tandem refundit rectitudinem appetitûs regulati, utpote qui per illum ideo rectus est, & conformis naturæ rationali, quia regulatur à judicio, per quod objectum diligenter & invincibiliter, seu prudenter & probabiliter repræsentatur ut conveniens naturæ rationali.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

9. OBJICIT primò. Appellare ad sapientes laudabile est, quando certò constat illos esse tales. At appellatio præsens non est ad tales, sed ad alios, qui magis determinari non possunt, quàm viri periti & graves, ad quos *in superiori quæst.* appellatum est. Ergo explicatio motivi probabilis per judicium prudens non determinat sufficienter, quid sit prudentia, aut qui sint prudentes, ad quos hæc explicatio appellat. Accedit, longè incertiorem esse istam ad prudentes, quàm superiorem ad doctos appellationem, quia multi ultrò fatentur se in Theologia parum esse peritos, qui tamen in prudentia aliis haud cedere se debere existimant. Ergo multi valdè imperiti includuntur in hac prudentum appellatione, nisi res per clausulas talium exclusivas ulteriùs explicetur. Præterea, prudentia multipliciter dicitur. Ergò per recursum ad prudentes nil explicatur, nisi multiplex prudentiæ acceptio distinguatur, & singula membra exactè definiantur, ut sic in aliquo tandem objecto determinato intellectus perspicuè quiescat. Demum circulus vitiosus non vitatur, quia dicunt motivum illud esse grave, magni momenti, seu probabile, quod prudentes approbant, aut cui assensus prudenter præbetur, &c. Quod si quæras, qui sint prudentes, respondetur eos esse prudentes, qui non leviter, sed magna cum consideratione, rebusque rectè libratis sententiam ferunt. Ita Celladeus hîc §. 1. qui expresè profitetur, se quoque in fine sui tractatûs appellaturum ad prudentes certò tales, in quibus meritò vult esse quiescendum.

Respondeo inprimis, Celladeum nullos assignare posse prudentes certò tales, ad quos appellet, ad quos, aut eorum æquales non appellamus in tota hac quæstione de licito probabilium usu; quia notorium est, omnes omnino Auctores (quorum complures haud dubiè sunt prudentes) tradere illum esse licitum, atque adeò clarè mentem suam explicare, ut nemo eorum mentem non intelligat, qui oculos à veritatis intuitu sponte non occludit. Præterea mirum est, Celladeum in *initio quæst.* profiteri se appellaturum ad prudentes, cùm tamen paulò post expresè insinuet, talem appellationem nec doctrinalem esse, nec à S. Thoma usitatam. Si ergo ex mente ipsius doctrinalis non est, cur eâ se usurum profitetur. Celladei inconsequentia.

Facilè sciuntur prudentes.

Respondeo secundò, nos hîc sufficienter explicuisse, & infra *quæst. 41.* clarissimè explicaturos esse, quid sit prudentia, & quinam prudentes reputandi sint. Adeo ut nil maneat obscurum aut indeterminatum. Nominatim in rebus moralibus obscuris, quæ sub opinionem cadunt, nemo prudens est, qui etiam peritus non sit; quod adeo clarè ab omnibus benignæ sententiæ Auctoribus expressum est, ut miror Celladeum de hoc dubitare potuisse. Lamentabilis proinde est illa æquivocatio, quòd multi fateantur se imperitos, qui tamen ferre non possunt se imprudentes reputari. Quid hoc ad rem? nolunt reputari imprudentes in rebus obviis, quæ ad illorum statum pertinent, & de quibus peritiam sufficientem habent; sed quòd non reputentur prudentes in materiis, circa quas peritiam non habent, haud ægrè ferunt. Demum qui superiorem, & hanc quæstionem perlegerit, perspiciet, omnia ad motiva gravia & Auctores peritos, ad prudentiam & prudentes spectantia, tam clarè absque terminis correlativis esse exposita, ut nec umbra recursûs ad idem, aut ulla circuli vitiosi suspicio esse possit.

10. Et hæc quidem vera sunt de iis, qui reipsâ sunt, & certò sciuntur esse prudentes. At præter eos, aliqui præsumuntur esse tales, & illi sunt & dicuntur prudentes quoad nos. Jam eorum auctoritas

Rudes clarè sciunt, quinā sint prudentes quoad nos.

ctoritas fidem illorum, qui ipsis credunt, reddit prudentem, rationabilem, atque probabilem; quia per extrinseca principia, & præsumptiones de aliorum sufficientia gubernantur. Verùm in his omnibus evidens est, mentem sistere in personis determinatis, nec absque limite vagari, ut Celladeus falsò contendit.

Objectio 2. 11. Objicit secundò. Manifestum est, prudentiam multò magis se habere ad verum, quàm ad falsum. Rursus manifestum est, prudentem rectè ratiocinari, cumque magis verè quàm falsò ratiocinari. Alioquin nil interesset verum præ falsò inveniri; ideoque frustra adhiberentur consultationes, ac periti frustra consulerentur, non enim alio fine ista fiunt, quàm ut veritas ipsa inveniatur. Ergo prudentia non est habitus non magis ad veram, quàm ad falsam rationem se habens, sed est habitus vera cum ratione activus, quatenus discernit media reipsa conformia appetitui recto, nec assumit media indifferenter se habentia ad conformitatem vel difformitatem cum tali appetitu. Ergo opiniones non magis veræ, quàm falsæ collocari non possunt sub prudentia. Tales autem sunt omnes opiniones æquè aut minùs probabiles, quæ æqualiter aut magis se habent ad falsum, quàm ad verum. Ergo probabilitas falsò & imperitè explicatur per hoc, quòd fundet judicium prudens. Ita Celladeus §. 2.

Resp. Celladeum rectè dixisse in prima objectione, quod multiplex sit prudentiæ acceptio. Verùm dicti hujus quodammodò oblitus format hanc objectionem secundam, ac si una tantùm, eaque strictissima prudentiæ acceptio locum haberet, fundat enim objectionem in definitione Philosophi *6. Ethic. cap. 5.* dicentis, *Prudentiam esse habitum cum vera ratione activum.* At hæc est definitio prudentiæ strictissimè sumptæ pro habitu, qui semper verum dicit; à quo proinde Philosophus *cap. 2. ejusdem libri* expresè excludit omnem omnino opinionem; quia per opinionem contingit intellectum errare. Verùm nos loquimur hic in minùs stricta significatione, ut patet ex dictis, & fusè declarabitur *quæst. 41.* ubi singulas prudentiæ acceptiones disertè explicabimus. Itaque argumentum sponte labitur, quia non impugnat assertionem in sensu proprio illius, sed in sensu adversarii, à mente asserentium alieno.

Prudentia magis se habet ad verum quā ad falsum. 12. Verùm ut argumenti invaliditas, & æquivocationes, quas continet, clariùs appareant, singula ponderanda sunt. Inprimis ergo fateor, prudentiam magis se habere apparenter & in persuasione prudentis ad verum quàm ad falsum, quia debet esse judicium affirmans & enuncians objectum, in quod tendit, esse verum, idque propter motivum vehementer alliciens, &c. ut explicatum est. Sed si sermo sit de habitudine & respectu ad verum reale, certò falsum est, omnem assensum prudentem magis se habere ad verum, quàm ad falsum; quia sæpe solùm se habet ad falsum, nullo modo ad verum, ut patet in invincibili rudium errore. Sub eadem distinctione admittitur altera propositio, scilicet, quòd prudentem rectè ratiocinari, sit illum magis verè, quàm falsò ratiocinari, siquidem illa propositio non semper est vera, nisi sermo sit de verisimilitudine seu veritate apparente, quia certum est prudentem sæpe prudenter, cautè, ac rationabiliter ratiocinari, etsi reipsa erret, & falsum pro vero habeat. Porro consultationes & peritorum consilia ideo adhibentur, ut ipsa veritas habeatur, ubi illa certò haberi possit. At in incertis adhibentur, ut veritas rationabiliter præsumatur ac credatur, quia in rebus ejusmodi ulterior finis est stultus & impossibilis. Eodem prorsùs modo distinguo ultimum consequens. Prudentia est habitus magis inclinans ad verum quàm ad falsum existimatum, concedo. Semper magis inclinans ad verum reale, quàm ad falsum, nego consequentiam, quippe quæ in sensu negato est apertè falsa, nisi sensus quæstionis mutetur, & prudentia sumatur strictissimè pro habitu, qui nunquam errat, quemque Aristoteles definit esse *habitum cum vera ratione activum.* At si eam acceptionem sequamur, sensus quæstionis mutatur, ut patet. Porro quomodo prudens, prudenter judicans, semper aut non semper discernat & approbet media, quæ sunt conformia appetitui recto, fusè explicabitur *quæst. 41.*

Opinio probabilis tripliciter sumitur. *13. Hinc apparet, quid dicendum sit ad applicationem argumenti ad opiniones æquè aut etiam minùs probabiles, qua in re Celladeus notabilem passus est æquivocationem. Omnis opinio probabilis sumi potest vel directè & exercitè, prout est actus intellectum informans; vel signatè & reflexè, prout est objectum, & circumstantia quædam objectiva, per quam cognoscimus, objectum probabili judicio à nobis credi licitum; vel demum ipsa opinio non sumitur pro judicio existente, sed solùm pro motivis, quibus intellectus stimulatur ad assensum, sive eliciat, sive non eliciat ipsum. In primo sensu omnis opinio probabilis est magis vera quàm falsa, si sermo sit de veritate præsumpta & apparente, quamvis aliquando contingat talem propositionem esse reipsa falsam. Verùm hoc prudentiæ non opponitur, ut certum est ex dictis. In secundo sensu hæc eadem locum habent, & præterea reflexè cognoscuntur; ex illis autem reflexè cognitis nova oritur consultatio, qua intellectus respicit objectum ut substans conscientiæ rationabiliter constitutæ, atque ex hoc ipso per principia synderesis reflexa certò infert, objectum illud esse hìc & nunc licitum in istis circumstantiis. Jam hæc reflexa consultatio est absolutè vera, immo est certa & evidens, ideoque & prudens per conformitatem cum suo objecto, quamvis prudentia judicii directi aliundè sumi debeat juxta dicta.

Omnis opinio probabilis in omni acceptione magis se habet ad verum quā ad falsum. 14. Tertius sensus respicit opinionem probabilem, ut reflexè cognitam, quatenus illa exprimit objectum prout substans motivis probabilibus, majoribus, æqualibus, vel minoribus. In hoc sensu opinio non sumitur exercitè pro judicio intellectûs, quia omne judicium fertur in suum objectum, tamquam in partem probabiliorem & unicè veram, partemque contrariam absolutè repellit ut falsam. Itaque in hoc sensu opinio minùs aut æquè probabilis non potest accipi pro actu judicativo, & consequenter neque pro actu prudentiæ. Nihilominus sumi potest pro objecto, de quo reflexè cognito prudentia plura enunciat, nempe quòd tale objectum, prout substat motivis probabilibus æqualibus vel minoribus, sit licitum, quod est verissimum. Verùm intellectus in hoc casu non movetur illis tantùm motivis, quæ supponit & agnoscit esse aliis minora, quia eo ipso reputaret illa esse absolutè majora, cùm suum cuique opinatum sit probabilius. Movetur ergo novis motivis reflexis apud ipsum prævalentibus, adeoque fertur in suum objectum tamquam verum, cùm oppositum refellat ut falsum. Unde hoc judicium

dicium reflexum, de licito opinionis directè minùs probabilis usu, est prudens, & à prudentia elicitur, & magis se habet ad verum, quàm ad falsum.

Æquivocatio Celladei. 15. Idem prorsùs dico de illo alio judicio reflexo, quo dicimus, motivum æquè aut minùs probabile fundare posse assensum prudentem, in qua propositione malè intellecta præsens Celladei æquivocatio fundatur. Sensus enim est, motivum hoc, quod ego hîc & nunc in actu secundo reflexè agnosco esse minùs probabile, quàm motiva parti contradictoriæ faventia, tantas vires habere, ut mediante voluntatis imperio movere possit intellectum ad assensum, quo in actu secundo absolutum assensum præbeat propter illud, illudque in actu secundo tamquam probabilius præferat, quamquam in actu primo, ante omnem voluntatis affectum, quo intellectus ad unam partem per voluntatis imperium flectitur, verè minùs traheret ad assensum, quàm motivum oppositum, sed excessu aut indiscernibili, aut certè signatè non notato. Rursus dicimus, talem assensum esse prudentem, tum quia à prudenti & honesto voluntatis imperio procedit, tum quia nititur motivo adeo vehementer inclinante, ut illud aptum sit movere peritum ad assensum, adeo ut qui tali motivo post debitam rei investigationem fidem daret, meritò reprehendi non posset tamquam temerarius, aut incautus, sed laudari deberet tamquam rationabiliter & cautè judicium proferens.

Opinio minùs probabilis magis se habet ad verum, quã ad falsum. 16. Verùm hîc aliud mysterium detegendum est, quod, ut apparet, Celladeum latet. Scilicet, quòd opinio minùs probabilis, etiam quà talis, non magis se habet ad falsum, quàm ad verum, quamvis minùs se habeat ad verum, quàm opinio contraria. Omnis enim opinio solùm se habet ad verum, nullo autem modo propriè se habet ad falsum. Motiva enim suadentia veritatem alicujus opinionis, denominant objectum illius opinabile, illamque constituunt in ratione opinionis. Porro hæc motiva solùm tendunt ad veritatem, licèt non tanta vi tendant, ut excludant alia motiva, quibus oppositum repræsentari possit. Itaque omnis opinio directè tendit ad verum, non ita tamen, ut ex necessitate quadam semper excludat falsitatem, aut motiva oppositum suadentia. Hoc autem est opinionem, ut opinio est, solùm respicere veritatem, eamque suadere, sed imperfectè, & quantum est ex se defectibiliter. Itaque utraque opinio magis est ad verum, quàm ad falsum, quamvis una majori vi tendat ad verum, quàm altera, aut, quod idem est, quamvis una majori vi tendat ad falsitatem alterius, quàm ipsa ad suam veritatem. Quod dico est paulò subtilius, sed evidenter apparet inter duas opiniones contrarias actu existentes in diversis intellectibus, quarum altera est paulò probabilior altera. Utraque enim tendit ad verum, sed una fortiùs alia, & quidem una debiliùs tendit ad suam veritatem, quàm altera ad ipsius falsitatem, ut patet. Idem prorsùs valet de opinionibus, quæ consistunt non in actualibus judiciis, sed solùm in objectis, prout substant motivis ad assensum propellentibus, quia eadem prorsùs quoad hoc est utrarumque conditio. Hæc si Celladeus cogitasset, nunquam dixisset, opinionem æquè aut minùs probabilem, æquè aut minùs se habere ad falsum, quàm ad verum. Ruit ergo conclusio, qua dicit, motivum æquè aut minùs probabile non posse fundare judicium prudens, eò quòd non magis se habeat ad veritatem, quàm ad falsitatem, quia fundamentum labitur; siquidem quævis opinio magis se habet ad veritatem, quam ad falsitatem, ideoque ex hoc capite non tollitur, quò minùs quodvis motivum probabile fundare possit judicium prudens.

17. Præterea omne motivum, sive magis sive æquè, aut minùs probabile non solùm apparenter, & repræsentativè, sed etiam realiter se habet magis ad verum quàm ad falsum, quia in hoc consistit propria & intrinseca magnitudo motivi probabilis, quòd sit impetus quidam intellectualis ac rationalis tantæ magnitudinis & efficaciæ, ut ex vi suæ magnitudinis sæpiùs connectatur cum vero quàm cum falso, eò quòd ex omnibus objectis tanta veritatis apparentiâ repræsentatis, plura sint vera quàm falsa. Itaque lumen intellectuale, seu stimulus proprius motivi probabilis ex propria sua natura magis se habet ad verum quàm ad falsum, & plerumque connectitur cum vero, quamvis per accidens hîc & nunc in hac peculiari materia conjungatur cum falso. Hoc quomodo verum sit, ac utrique contradictionis parti conveniat, fusè & ni fallor dilucidè explicui *in quæst. 2. de Consc. prob. num. 11.* & multis sequentibus, quem locum consulat, qui de his exactiorem notionem requirit. Interim ex hisce solvitur argumentum Celladei, simulque detegitur hallucinatio ipsius, qui opinioni unius partis ea tribuit, quæ opinioni alterius partis conveniunt, ac deinde ex hoc, absque ulla probatione admisso, infert singulas opiniones ita se habere, ac si singulis ea convenirent, quæ non illis, sed illarum contradictoriis conveniunt.

Omne motivum probabile magis se habet ad verum reale, quàm ad falsum.



QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-QUINTA.

Vtrùm, & in quo probabile benignæ sententiæ ab Academicorum probabili discrepet?

Celladeus horrendam contra omnes accusationem instituit.

1. NUNQUAM credidissem, serium Theologum adeo suis persuasionibus abripi potuisse, ut communem proborum ac peritorum omnium opinionem, tanquam dogma impium & stultum exploderet, nisi vidissem Celladeum *lib. 2. quæst. 3. & 4.* unanimem omnium totius Ecclesiæ Doctorum sententiam de licito probabilium usu cum stultissimo Academicorum placito non solùm ex professo componere, sed etiam seriò contendere, atque Augustinum contra Academicos imitando, *Per omne divinum dejerare, nescire prorsùs se, quomodo quidquam sit illicitum, & peccatum, si probabile illud, quod non magis cum vero quàm cum falso connectitur, & utrique contradictorio convenit, excusat actus nostros à peccato.* Hæc sunt verba Celladei, quibus quæstionem tertiam claudit, alluditque ad communem sententiam, quæ docet, probabile ad honestam operationem sufficere, etiam quando propositio contradictoriè opposita est probabilis. Porro Celladeus ea omnia in communem hanc omnium Doctorum sententiam conjicit, quæ Augustinus in libris adversus Academicos contra turpissima eorum dogmata protulit. Accusatio horrenda est, ut per se patet. Sed hoc solatur nos, quod sicut hæc accusatio maximè aliena est à consuetudine & mente Augustini, quo nemo favorabiliùs sensit, aut de communibus Catholicorum opinionibus mitiùs locutus est, ita pariter ab omni veritatis specie est remotissima, ut mox ostendam.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare, quid Auctores benignæ sententiæ postulent, ut aliquid sit probabile, & ut tutus sit in conscientia qui illud sequitur.

Quid requiratur ut aliquid sit probabile?

2. INPRIMIS omnes expressè docent, nil esse posse probabile, cujus oppositum sit certum. Unde nil contra evidentiam, aut Ecclesiæ traditionem, vel Sacram Scripturam, aut Ecclesiæ vel Pontificum decreta esse potest probabile; alioquin daretur probabile contra oppositum certum, quod est impossibile, quia nil meretur assensum, cujus contrarium est certum. Probabilitas autem in eo consistit, quòd sit apparentia veri digna assensu. Ergo ut pars aliqua contradictionis sit probabilis, pars altera non debet esse certa. Ergo probabilitas locum non habet, nisi ubi certitudo de parte opposita non invenitur.

3. Rursùs, in incertis ut aliquid sit probabile, necesse est, ut priùs veritas diligenter investigetur, quia in rebus dubiis tenemur eniti ad ipsam veritatem, quantum rei qualitas postulat, & circumstantiæ, in quibus versamur, exigunt. Quòd si veritas post debitam diligentiam impensam certò reperiri non possit, tunc pars minùs tuta poterit esse probabilis, si tot & tam validis argumentis comprobetur, ut illa non solùm absolutè, & secundùm se, sed etiam comparativè, & in contradictione omnium, quæ in contrarium afferri possunt, tam validè stimulent intellectum, ut à viro materiæ perito, qui absque indebita animi propensione judicat, assensum impetrare valeant; seu, ut qui propter illa assentitur, à nemine meritò reprehendi possit tamquam temerariùs, sed potiùs laudari debeat tamquam homo, qui cautè & rationabiliter in judicando procedit. Si aliquid horum desit, eo ipso probabilitas deest, quæ etiam, postquam semel habita est, deficit, quoties aliquod ex istis aufertur.

4. Tertiò sola probabilitas, aut ejus apparentia non sufficit, ut quis absque peccato possit facere illud, quod est probabiliter licitum, quamvis illud quod facit verè sit honestum, ejusque honestas adeo probabilis sit, ut contrarium omni probabilitate careat. Nullum enim est dubium, quin stante hujusmodi probabilitate, omne judicium suspendi possit, & intellectus manere dubius, nil determinatè judicando de absoluta rei honestate. In quo casu peccaret homo, si rem illam faceret, ut certum est apud omnes. Ergo non est præcisa probabilitas, quæ excusat. Ut ergo per probabilitatem tamquam per regulam excusemur, primò requiritur, ut ipsa probabilitas certò, non imaginariè, aut solùm probabiliter appareat: secundò, ut intellectus ob motiva directa aut reflexa, qualia modò descripsimus, determinetur ad assensum, quo absolutè credat objectum illud esse licitum, atque ita formet bonam fidem & conscientiam ex motivo certò probabili. Hæc si concurrant, dicimus hominem posse licitè ponere tale objectum, quodque si per accidens contingat illum post talem diligentiam adhibitam errare, eo ipso error invincibilis evadat, & consequenter opus imputari non possit ad peccatum, quia bona fides & conscientia invincibiliter erronea ab omni peccato excusat. Præterea addimus, intellectum, post conscientiam hoc modo formatam, novam consultationem adhibere, per quam consurgit ad formandum judicium certum & evidens de honestate suæ operationis. Quæ omnia fusè exposita, atque probata sunt tum in hoc, tum vel maximè in *tract. de Consc. prob.* Hæc est summa benignæ sententiæ in qua omnes omnino conveniunt, nisi quod unus aut alter ultimam illam consultationem non

Probabilitas ad licitè operandum non sufficit, nisi bona fides ex motivo certò probabili formetur.

T 4 videatur

videatur requirere; illi tamen revera à communi sententia non discrepant, ut *in eodem tractatu* ostensum est.

ASSERTIO II.

Propositum sit explicare, quale sit Academicorum probabile, & quid illi requirebant, ut opus non esset vituperabile, & malum.

Academici quid teneant?

5. INPRIMIS Academici tamquam primarium dogma tradebant, veritatem esse à nobis prorsùs ininvenibilem. Inde contendebant, prudentem debere animum ab omni assensu suspensum tenere, nihilque intellectualiter approbare vel reprobare, ne si in rebus incertis assensum ulli parti præberet, eo ipso in errorem se ultrò præcipitaret. Porro maximè contendebant, neminem qui errat esse posse sapientem. Hæc nota sunt, & Celladeus ipse ea expressè agnoscit esse verissima. Itaque constat, Academicos nil omnino certum agnovisse, sed omnia apud illos fuisse dubia. Rursus nullam admittebant obligationem inquirendi verum, quia secundùm illos talis obligatio ad impossibile nos obligasset.

Probabile Academicorum definitur.

6. His non obstantibus, admittebant verisimile quoddam, quod probabile vocabant. Porrò Augustinus *lib. 2. contra Academicos cap. 11.* his verbis declarat ac definit probabile Academicorum. *Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare, sine assensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen.* Hæc erat Academicorum mens, in qua exponenda toto Cœlo errat Celladeus, dum ait, eos majorem connexionem aut similitudinem veri quàm falsi in suo probabili requisivisse, quia certum est, Augustinum hic hoc non dicere. Rursus certum est, definitionem ab illo allatam hoc non postulare. Ex definitione enim ea apparentia veri ad probabile Academicorum sufficit, quæ sufficit ad agendum: ad agendum autem quævis exigua veri apparentia sufficit; si enim operari possimus, stante dubio perfecto de honestate ac veritate rei, multò magis agere poterimus, si adsint rationes aliquæ quamvis non desint rationes potentiores pro opposito, maximè si illas contemnamus, nec ad illas animum adjicere velimus. Atqui quævis exigua verisimilitudo, non obstante pari aut majore verisimilitudine oppositi, sufficit ut nos ad agendum sine assensione invitet, imo sæpe invitat ad agendum contra assensionem oppositi, juxta illud Poëtæ: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Ergo quævis exigua veri apparentia constituit probabile Academicum, etiam quando apparentia oppositi est multo major.

Academici novi nil omnino certum esse dicebant.

7. Ex his habemus, quod inter probabile Academicorum & nostrum ingens detur diversitas, nilque verè reperiatur commune, præter vocem eandem æquivocè intellectam. Certè Academici novi, ut ex Varrone tradit August. *lib. 19. de Civit. cap. 17.* de omnibus dubitabant, quia nil certum agnoscebant, & in hoc sapientiæ culmen collocabant. *Sed Civitas Dei*, inquit Augustinus, *talem dubitationem tamquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, &c. certissimam scientiam, creditq́, sensibus, in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur, quoniam miserabilius fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum. Credit etiam Scripturis Sanctis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus. Qua salva, atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justâ reprehensione dubitamus.* Itaque illi omnia, de quibus dubitant, id est, omnia omnino, de quibus ullam veritatis speciem habebant, probabilia nominabant. Ergo omnis Catholicus, qui plurima certa admittit, atque ea ultra omnem probabilitatem constituit, toto Cœlo ab Academismo, & Academicorum probabili discrepat.

Probabile Academicorũ involvit omnia temeraria.

8. Secundò, probabile Academicorum ex æquo involvit omne opinabile, ideoque comparatur ad probabile nostrum, sicut genus ad speciem, quia opinabile aliud est temerarium ac stultum, aliud rationabile & prudens. At solum opinabile secundi generis apud nos dicitur & est probabile.

Academici nolebant quem quam ulli rei assensũ præbere.

9. Tertiò Academicorum probabile excludebat assensum omnem, quippe quem stultum reputabant, & contenti erant ulla apprehensione, quæ poterat stimulare ad agendum, quamvis id, quod fieret, esset certò & manifestè malum. At nostrum probabile involvit assensum prudentem ex fundamento tam absolutè quàm comparativè magno conceptum. Ergo nostrum probabile non potest invitare ad quidquam quod est certò inhonestum, sed solum invitat ad honestum prudenter creditum tale. E contra Academicorum probabile invitabat ad omnia facinora, illaque excusabat, ut Augustinus evidenter probat, & ideo illorum doctrinam tamquam evidenter absurdam & impiam rejecit.

Academici absurdè terminorum significatione utebantur.

10. Demum Academici manifestè abutebantur terminis contra nativam eorum significationem; appellabant enim illud probabile & verisimile, quod tamen ipsi dicebant non posse nisi stultè approbari, aut verum reputari. Nil enim admittebant esse verum, ac proinde nil erat ex cujus comparatione quidquam meritò dici aut esse posset verisimile. Has improprias & sibi contradictorias eorum locutiones frequentissimè & meritissimè deridet Augustinus. At nostrum probabile illud solùm significat, quod verè dignum est approbatione, quodque fundat judicium prudens ac rationabile de absoluta rei veritate. Itaque probabile Academicorum & nostrum non minùs opponuntur inter se, quàm quævis contraria, aut contradictoria, ut mirum sit Catholicos ingeniosos & doctos talia objecisse, aut ullam in eis vim latêre existimasse. Qui plura de hac materia videre cupit, legat Esparzam in *Appendice ab art. 68. ad art. 88.* ubi egregiè & plenè tractat hanc materiam contra Marinarium, qui adversus benignam sententiam Academismum, & dictum Augustini locum objecerat.

QUÆDAM CELLADEI OBJECTIO solvitur.

11. OBJICIT. Nisi apparentia veri haberet majorem connexionem, & similitudinem cum vero, quàm cum falso, dici non posset verisimilis, quia non esset magis similis vero, quàm falso, nec magis proponeret rem prosequendam, quàm fugiendam. Ergo Academici aliquem verisimilitudinis excessum in suo probabili

bili requirebant. Confirmatur primò, quia pura ac liquida nox magis se habet ad diem serenum indicandum, quàm ad oppositum. At hoc est exemplum, quod Augustinus post allatam definitionem Probabilis Academicorum proposuit, ut sensum definitionis explicaret. Ergo major hæc verisimilitudo requiritur ad essentiam Probabilis Academicorum.

Confirmatur secundò. Cicero, celeberrimus Academicus, *lib. 1. de nat. Deor.* tradit probabile Academicorum non fuisse aëreum & levissimum, sed validum, insigne, & illustre. Ait enim, *multa esse probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quemdam insignem & illustrem, his sapientis vita regeretur.* Hoc apertè indicat, majorem veri quàm falsi similitudinem Probabili Academicorum inesse. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 3. §. 1.*

Error Celladei in re clarissima. Respondeo mirum esse, si Celladeus hæc ex animo objiciat; peto enim, an existimet, nullam ex opinionibus speculativis aut moralibus, quas ut falsas rejecit, ullam veri similitudinem habuisse. Non existimo illum hoc dicturum; absque dubio enim aliquas saltem illarum consuetam probabilitatem, & consequenter aliquam verisimilitudinem habuisse agnovit. Et tamen pars opposita illi verisimilior est visa. Ergo major verisimilitudo unius partis omnem verisimilitudinem ab altera contradictionis parte non excludit. Sed quidquid Celladeus quæstioni responderit, certum est, non solùm opinionem nostræ contrariam, sed etiam errores hæreticorum contra certissima fidei nostræ dogmata aliquam verisimilitudinem præ se ferre, alioquin neminem ad infidelitatem incitare possent. Certissimè ergo errat Celladeus, dum dicit, nil mereri nomen verisimilis, nisi majorem veri quàm falsi apparentiam habeat.

Minor apparentia veri est verissima verisimilitudo. Neque enim difficile est hoc intelligere, quia plura ita comparantur inter se, ut secundùm quid sint similia, & secundùm quid alteri dissimilia. Homo prout passionum motibus subest, sensuumque officio fungitur, similis est bruto; eidem verò dissimilis prout ratione ac libertate utitur. Similiter eadem res similis est vero, prout substat motivis suadentibus illam esse veram. Est etiam similis falso, prout substat motivis ejusdem falsitatem repræsentantibus. Nec mirum, quia idem à diversis formis diversas denominationes accipit. Jam prout motiva veritatem suadentia majora fuerint vel minora, ita pariter major vel minor erit verisimilitudo unius, quàm alterius partis contradictionis; imò major esse potest similitudo falsi quàm veri; neque enim una aliam excludit, nisi quando ipsa veritas aut falsitas evidenter apparet. Cæterùm in hoc ipso casu advertendum est, verisimilitudinem semper distingui à similitudine falsi, illique opponi: quia in argumentis prorsùs oppositis consistunt. Rursus ipsa veri similitudo semper habet majorem connexionem apparentem cum vero quàm cum falso, quia verisimilitudo, seu vis argumentorum veritatem suadentium solùm sollicitant ad assensum, non ad dissensum; nec huic contrariatur, quòd argumenta opposita falsitatem suadentia sint potentiora, & magis alliciant ad dissensum, quàm ista ad assensum, quia argumenta falsitatem suadentia non constituunt verisimilitudinem, sed opposita prout conjuncta cum horum solutione. Similiter argumenta suadentia falsitatem cum solutione rationum veritati faventium constituunt similitudinem falsi. Itaque omnis apparentia veri, quantumvis exigua, est verissima verisimilitudo, magisque connectitur cum vero quàm cum falso, quamvis tantam cum vero apparente connexionem non habeat, quantam rationes oppositæ cum ejus falsitate.

Verisimilitudo realiter distinguitur à similitudine falsi.

12. Ad primam confirmationem. Dico Augustinum attulisse exemplum obvium, quo mentem suam clariùs explicaret; inde autem non sequitur, omnia alia sub definitione comprehensa debere habere tantam verisimilitudinem, quantam habuit exemplum propositum. Certè ipsi Academici, saltem antiqui, ut ex citato Tullii loco apertè colligitur, fatebantur varias esse verisimilitudines, unámque aliam excedere. Nec mirum, quæ enim nobis certa sunt, illis tantùm erant verisimilia, quæ tamen absque dubio majorem verisimilitudinem habebant, & habent, quàm quæ sunt solùm probabilia. Itaque sicut si Augustinus proposuisset exemplum verisimilitudinis tantæ, quanta apud nos certitudinem inducit, perperam intulisset Celladeus, omnem veri apparentiam esse debere illi parem, ut sub definitione Probabilis Academici comprehendatur. Ita pariter erravit in casu præsenti, dum similem & non minus fallentem consequentiam intulit. Illatio Celladei nulla esse ostenditur.

13. Secunda Confirmatio Celladeum redarguit. Cicero enim dicit, multa esse probabilia, quæ insignem & illustrem visum habent. At nec dixit, nec somniavit, omnia probabilia talem visum præ se ferre. Imo ipsa locutio juxta consuetam verborum illorum significationem præ se fert exceptionem, ut sensus sit, multa quidem habent, non tamen omnia probabilia habent illustrem illum visum, de quo loquitur, quoque sapientes tantùm vitam dirigant, quia nimirum soli periti, quos hîc sapientes vocat, talium probabilium notitiam habent. Textus Tullii nobis favet non Celladeo.

14. Stat ergo certum esse, quòd omnis apparentia veri ab Academicis, saltem novis (contra quos Augustinus expressè agit, & de quibus ex Varrone mentionem facit, ut vidimus) nomine probabilis inclusa fuerit. Duplex ratio id evincit; prima est, quia certum est, omnem omnino veri apparentiam comprehendi sub definitione ab Augustino allata. Secunda, nulla est ratio vel auctoritas, quæ oppositum suadeat, maximè si de novis Academicis loquamur, quos Augustinus potissimè insectatus est. Cæterùm, etsi Celladeo concederem, solam majorem veri apparentiam ab illis nomine probabilis fuisse intellectam, adhuc ipsi in eo conveniebant, omnem ejusmodi apparentiam esse probabilem, undecumque tandem illa proveniebat, sive à merito objecti, sive à dispositione hominis, cui objectum placebat. Itaque non distinguebant inter vincibilem & invincibilem veri apparentiam, nec solliciti erant an illa à rebus ipsis & seria veritatis indagatione (eam enim stultè indagari asserebant) an à violenta hominis passione ac indebita animi propensione proveniret. Itaque certum est, eorum probabile toto cœlo à nostro discrepare, & solùm in nomine æquivocè convenire. Omnis veri apparentia censebatur probabilis ab Academicis.

15. Probabili hoc modo constituto, Academici teste Aug. *lib. 3. contra Acad. cap. 16.* per illud explicabant, quomodo homo errorem & peccatum vitaret. Celeberrimum illorum dogma erat, *Turpe est errare, & ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cùm agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.* In hoc Academicorum asserto plura absurda involvuntur: primum Quid Academici requirebant ad vitandum errorem & peccatum?

mum est, hominem, ut rectè operetur, non debere conscientiam formare, nec judicio ac bona fide regulari, quod est contra Apostolum *ad Rom. 14. 23. Quod non est ex fide peccatum est.* Secundum, quod homo in dubio operans non peccet, quodcumque faciat, modò res illa quomodocumque illi appareat facienda. Tertium, ut homo prudenter & benè operaretur, requirebant, ne conscientiam ac judicium formaret, sed in æquilibrio quodam ac in dubio de operis honestate ac veritate hæreret; quæ omnia sunt enormiter falsa, & contra certissima Ecclesiæ ac Theologorum omnium dogmata.

ASSERTIO III.

Hàc Academicorum Doctrinâ pro legitima rectè operandi regula admissa, omnia inhonestissima evaderent licita.

Academicorum Doctrina turpissima scelera honestat.

16. PROBATUR primò ex August. *lib. 3. contra Academ. cap. 16.* ubi postquam citatum illorum dogma proposuerat, hæc subdit. *Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te, te consulo Marce Tulli; de adolescentium moribus, vitaq; tractamus, cui educandæ, atque instituendæ omnes illæ literæ tuæ vigilaverunt.* Tum inducit Tullium sic respondentem. *Quid aliud dicturus es, quam non esse tibi probabile ut id faciat adolescens?* Hanc autem responsionem sic refellit. *At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisses administrare rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit ergo ille juvenis conjugem alienam, &c.* Tum asserit, Ciceronem ex suis principiis posse ac debere defendere, illum nec errare nec peccasse; sic enim eum alloquitur. *Persuadebit nimirum nihil eum peccasse, nec errasse quidem, non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit. Probabile sibi occurrit, secutus est, fecit.*

Ratio Aug. contra Academicos.

17. Mox hæc subdit August. *Sed vos me jocari arbitramini. Libet dejerare per omne divinum, nescire me prorsùs quomodo ille peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat, &c. Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusq; omnino, quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur. Nihil consensi, & ideo non erravi. Quomodo autem non facerem quod probabile visum est. Qui autem putant ista non posse probabiliter persuaderi, legant orationem Catilinæ, quo Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit.* Paulò post sic concludit. *Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique timendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solùm sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.*

Omnia licerent, si dogmati Academicorũ staretur.

18. Probatur secundò. Inprimis nil adeo turpe est, quod aliquam speciem boni non habeat, quodque ex Ethnicorum, aut Hæreticorum, vel Sophistarum placitis ac rationibus tamquam honestum proponi non possit. At hoc sufficit, ut illud dicatur probabile juxta Academicos. Ergo sufficit, ut qui illud agit nec erret nec peccet, si illi ut vero assensum non præbeat. Rursus, certissima peccata temeritatis, quæ in dubio hærentes operamur, non solùm nulla essent, sed virtutes potiùs quàm peccata reputari deberent. Tertiò nulla apud illos opus erat sollicitudine aut diligentia veritatis indagandæ; unde quomodocumque res ita appareret, ut ad operandum sine assensione invitaret, eo ipso probabile erat, quod absque errore & peccato fieri poterat, si citra assensionem fieret. At nil tam turpe est & malum, quod ex mala hominis propensione, & consequenter saltem ad ejus passiones, & affectus, talem veri apparentiam habere non possit. Ergo nullum est flagitium adeo turpe & horrendum, quod per Academicorum doctrinam honestari non possit. Demum si ad argumentum August. reflectamus, videbimus eum nullam honesti mentionem aut distinctionem fecisse; quod indicio est, Academicos ad honestè operandum aliud non postulasse, quàm apparentiam boni sufficienter allicientis animum ad agendum: eo ipso enim quòd fieret absque assensione quod verum esset aut falsum, asserebant illud absque errore & peccato patrari. At nullum est nefas, quod careat hac apparentia boni. Ergo nullum est nefas, quod absque errore & peccato fieri non posset, si placitum Academicorum esset verum.

ASSERTIO IV.

Monstrosissimum ac absurdissimum est comparare benignam sententiam cum stultissimo Academicorum dogmate, ac prætendere eadem ex utraq; sententia absurda legitimè deduci.

19. PROBATUR primò. Monstrosum est æquiparare sententias tamquam perfectè congruentes, & earundem illationum radices, quæ tam in principiis, quàm in assertis ac illationibus evidenter discrepant. At benigna sententia, & Academicorum placitum evidentissimè discrepant in principiis, in assertis, & illationibus, ut constat *1. & 2. assert.* Benigna sententia admittit innumera esse certò inhonesta, cujus oppositum nec est, nec potest esse probabile, aut ulla verisimilitudine honestari. Hoc Academici negabant. Benigna sententia non omnem veri apparentiam admittit esse probabilem, sed eam solam, quæ in rebus verè incertis post diligentem veritatis indagationem, ob suam magnitudinem meretur assensum, eumque à peritis, ut peritos decet judicantibus, impetrare potest. Rursus ad licitè operandum postulat, ut formetur dictamen conscientiæ, quo ex motivo saltem probabili absolutè credamus opus, quod aggredimur, esse licitum, & sic bona fide ad operandum progrediamur. Tertiò requirit, ut probabilitas ista non sit apparens, sed vera & certa. Quæ omnia Academici aut rejiciebant ut superflua, aut damnabant ut absurda. Quartò, nos dicimus conscientiam vincibiliter errantem non excusare, quamvis opus & vehementer appareat, & firmiter credatur licitum. Academici omnem assensum improbabant ut imprudentem; sed opus ex tali apparentia profectum laudabant ut bonum, modò citra assensum fieret; cùm tamen tunc homo minùs excusationis, & plus malitiæ habeat, quia haud dubiè graviùs peccat, qui aliquid in dubio facit, quàm qui illud ipsum facit, eò quòd erroneè existimet illud esse bonum, non aliter illud facturus. Demum nos operationem in dubio factam indubitanter damnamus ut peccatum; Academici autem omne tale opus maxima laude dignum esse contendebant, immo nullum aliud admittebant esse laude dignum. Ecce nostra sententia

Comparatio benignæ sententiæ cum Academicis est absurdissima.

tentia evidentissimè discrepat ab Academicorum placito, & ab eo longissimè distat non solùm in principiis, sed quod plus est in ipsis assertis ac deductionibus. Et quidem discrepantia hæc in iis omnibus evidentissimè eminet, ex quibus Academici ab Augustino aliisque omnibus falsitatis arguuntur. Ergo monstrosissimum ac absurdissimum est benignam sententiam Academicorum placito comparare, simulque prætendere, eadem ex utraque absurda legitimè deduci.

Absurditas dictæ comparationis explicatur.

20. Probatur secundò. Opinio benigna est communis omnium Catholicorum sententia, & si sermo sit de opinione directè probabiliore est universalis omnium omnino, si unum Celladeum demas, & constans opinio. Præterea hæc sententia toleratur ab Ecclesia, quæ non ita pridem ob multorum clamores plures laxas opiniones (inter quas hæc, si Jansenistis aurem damus, habenda est pro omnium periculosissima) debitè examinatas condemnavit, nullâ de hac mentione factâ. Immo eadem ab Ecclesia satis apertè approbata est, ut *quæst. 8.* ex professo ostendi. Tertiò eadem opinio, sive auctoritatem, sive rationes spectes, est valdè probabilis, quique id negat, audacter dico, aut nescit quid dicit, aut passionis indebitæ impetu adeo obcæcatus est, ut oculis apertis lucem meridianam non videat. E contrario dogma Academicorum in propriis illius terminis est aperta hæresis. Deinde non solùm non toleratur ab Ecclesia, sed ab omnibus tamquam absurdissimum rejicitur. Quartò dogma illorum non est probabile, cùm doctrina contradictoriè illi opposita sit certa & evidens. Deinde dogma illud in se stultissimum est, ac evidenter falsum. Demum relatè ad operationes, quas dirigit, est impium, cùm omnia scelera evidentissimè cohonestet. At quid quæso monstrosius excogitari, quid absurdius dici, quid gravissimis ac de Ecclesia optimè meritis Auctoribus magis injuriosum obtrudi potest, quàm dicere opinionem, ab Ecclesia non solùm toleratam, sed satis apertè approbatam, ab omnibus ejus Doctoribus traditam, maximaque infra summam & infallibilem auctoritate stabilitam, efficacissimisque rationibus confirmatam, reipsa non discrepare ab Academicorum dogmate, quod omnes Ecclesiæ Doctores anathematizant ut hæreticum, rejiciunt ut improbabile, damnant ut impium, & evidentissimæ falsitatis redarguunt? hæc an fecerit Celladeus *3. & 4. quæst. lib. 2.* judicent alii, nam ego tam tetram notam illi haud inuram. Hoc solum dico, in quocumque demum culpandus sit, in eo vel maximè culpandus est, quod hanc accusationem absque ullius momenti ratione instituerit, ut ex objectionum solutione apertè constabit.

21. Probatur tertiò. Certum est, Academicos ea omnia admittere esse probabilia, quæ nos asserimus probabilitatem habere. Rursus certum est, eorum probabile innumera involvere, quæ nostra sententia rejicit tamquam evidenter improbabilia. Hæc duo ex sincera utriusque dogmatis explicatione sunt adeo conspicua, ut nemo de illis dubitare possit; nec Celladeus, ni fallor, in posterum ullam habiturus sit occasionem innocuos accusandi, ac dicendi, nos non afferre reale ac verum discrimen inter nostrum probabile, & probabile Academicorum; talia enim ac tam palpabilia discrimina attulimus, ut imperiti ipsi statim ea discernere valeant. Tertiò certum est, absurda contra Academicos illata non fundari in iis probabilibus, quæ illi nobiscum eodem nomine probabilia appellant, sed in illis dumtaxat, quæ illi vocant probabilia, nos autem dicimus, & certò scimus esse improbabilia, & ut talia rejicimus. Ergo qui has duas sententias æquat, aut comparat, non aliter facit, quàm qui rationem genericam ita speciei attribuendam censeret, ut quidquid generi competit, id speciei quoque tribuendum diceret. Ratio est evidens. Academici definiunt genus quoddam probabilium, atque omnia sub genere contenta licita esse contendunt. Nos pauca quædam sub hoc genere contenta accipimus, atque illa vocamus probabilia, illaque cum multis restrictionibus accepta dicimus esse licita. Ergo qui eadem absurda utrique sententiæ attribuit, non aliter facit, quàm qui speciem generi æquaret, omniaque peculiari speciei tribueret, quæ rationi genericæ ullo modo conveniunt.

Qui comparant sententiam Academicorum speciem generi æquant.

22. Exemplo res fiet clarior. Pelagiani, saltem ab initio, non distinguebant ignorantiam vincibilem ab invincibili, ac proinde absque ulla distinctione dicebant, opera ex ignorantia facta esse bona, laude digna, ac meritoria. E contra Catholici reclamabant, dicentes non omnem ignorantiam, sed aliquam tantùm à peccato excusare, & fundare opus laudabile. Distinguebant enim inter eam, quæ poterat, & eam, quæ vinci ac superari non poterat. Ignorantiam invincibilem à toto excusare aiebant, non item vincibilem, quam unà cum suo effectu imputabilem ac vituperabilem esse asserebant. Discrimen inter Pelagianos ac Catholicos aliud non fuit, quàm quod Catholici unam ignorantiæ speciem, Pelagiani omnem omnino, seu totum ignorantiæ genus ab omni peccato excusare asserebant. Jam qui diceret, sententiam Catholicorum & Pelagianorum non differre, quia tam hi quàm illi dicebant, opera ex ignorantia facta non esse peccata, ideoque utramque quoad absurditates æquipararet, aliud non faceret quàm genus speciei æquare, & omnia uni speciei attribuere, quæ ulli sub genere contento conveniunt. Hic est casus noster, quia Academici totum probabilium à se definitorum genus, nos unam tantùm illorum speciem juxta contractiorem vocis significationem probamus. Et sanè evidens est, nostrum probabile à probabili Academicorum non minùs differre, quàm ignorantia invincibilis ab ignorantia ut sic, aut homo ab animali genericè sumpto discrepat. Ergo sicut monstrosissimum esset ac absurdissimum hæresim Pelagianam comparare ac æquare cum doctrina Catholicorum, simulque contendere eadem ex utraque inconvenientia sequi, quia speciem generi æquaret, omniaque uni speciei determinatæ attribueret, quæ sub toto genere continentur; ita pariter monstrosissimum est ac absurdissimum comparare, ac in absurditatibus æquiparare stultissimum, falsissimum, ac maximè impium Academicorum dogma cum sententia benigna, quia hoc idem est, ac speciem æquare cum genere, & dicere hominem legitimè probari esse irrationalem, quia est animal, & plura animalia sunt irrationalia. Talis certè, & non melior est totus discursus Celladei in hac quæstione.

Declaratur hoc, & confirmatur exemplo.

ASSER-

ASSERTIO V.

Celladeus reprehendendus est, quod interposito jurejurando sententiam benignam rejecerit.

Celladeus reprehendendus est, quod per omne divinum dejeraverit, nescire se quomodo quidquam sit illicitum, si probabile, utrique parti contradictionis conveniens, actus nostros à peccato excuset.

23. PROBATUR. Et quidem inprimis non est, quod factum Augustini, quem in hoc se gloriatur fuisse imitatum, alleget, tum quia Augustinus ipse factum hoc suum damnavit, tum quia longè dispar est utriusque conditio. Inprimis Augustinus *lib. primo Retractationum cap. primo* expresè fatetur se post conversionem quidem suam, sed ante Baptismum, libros contra Academicos scripsisse, atque ibidem plura in illis libris à se dicta retractat & rigidè censurat; inter reliqua autem de dejeratione, quàm supra ex illo citavimus hæc habet. *Nec mihi illud placet quod dixi; libet dejerare per omne divinum.* Noli tibi plaudere Celladee, quòd in dejeratione ista Sanctissimum, ut ais, Episcopum, ac sapientissimum Ecclesiæ Doctorem imitatus sis. Erras profectò. Augustinum Neophytum, nondum Baptizatum, nondum factum Ecclesiæ membrum imitatus es: sed sanctum Ecclesiæ Doctorem, sed Augustinum Christianum, Sacerdotem, Episcopum non es imitatus. Ille, jam Sanctus, jam Sacerdos, jam Episcopus, jam Summus Ecclesiæ Doctor, protestatur, hoc suum juvenile dictum sibi displicere, rectiúsque se facturum fuisse, si illud non scripsisset: tu verò post illius retractationem, eadem dejerandi forma uteris, & quod plus est, te Augustinum, tantum Doctorem, imitari gloriaris. Crede mihi Celladee, hujusmodi loquendi formulæ multùm tibi officiunt, magnam enim præsumptionem fundant, te non eâ, quam præ te fers, diligentiâ Augustinum legisse; si enim eum diligenter legisses, scivisses utique eum hæc scripsisse, cùm adhuc Cathecumenus esset; non ignorasses, eum hoc ipsum juramentum retractasse; ideoque haud dubiè sub prætextu illum imitandi nunquam, ut fecisti, dejerasses; puduisset enim te illum in eo, quod ipse in se condemnat, imitatum fuisse.

Error Celladei in facto Augustini intelligendo & applicando.

Augustinus magnam Celladeus nullam aut exiguam jurandi occasionem habuit.

24. Verùm ne nimis severus censor existimer, hunc Celladei errorem incogitantiæ vel oblivioni potiùs quàm inerudítioni tribuendum censeo. Nihilominus si omnia inspiciantur, non apparet unde legitimè se excusare possit, quia Augustinus magnam, ille nullam aut exiguam prorsùs dejerandi occasionem habuit. Augustinus in dogma impium, in sententiam evidenter absurdam, ac infinitorum scelerum nutricem, quam ipsemet paulò ante approbaverat, vehementi calamo invectus est, ideoque ut toti mundo suum à tam palmari errore recessum, ac ad oppositam Sanctæ Ecclesiæ Doctrinam accessum majori energia testaretur, sub dicta dejeratione sententiam suam toti mundo explicavit, quod haud dubiè in talibus circumstantiis ex objecto ut malum reprehendi non potest. Nihilominus vir sanctissimus & sapientissimus, jam senex maturæ prudentiæ, dictum illud, ut nimis juvenile & minùs necessarium retractavit. At longè dispar est Celladei conditio; ille enim non impium Academicorum dogma, non opinionem Ethnicorum certò falsam, sed unanimem Catholicorum sententiam ab Ecclesia toleratam, communi bonorum praxi, atque efficacissimis rationibus stabilitam, paris impietatis ac stultissimum & impium Academicorum dogma absque ulla necessitate aut ratione sufficiente, solemni dejeratione interposita, condemnavit. At longè dispar est ratio in isto casu ac in illo Augustini; unde non apparet necessitas, aut justa ratio, ob quam Celladeus in tali causa dejerando per omne divinum gravissimam hanc suam censuram contra opinionem, quam falsitatis redarguere non potest, proponeret.

25. Quod si Celladeo placeat scire, quâ cautelâ, quo timore Aug. jam Sanctus Episcopus, jurare solitus sit, legat sermonem 28. *de verbis Apostoli*, ubi August. declarat, se jurare quidem aliquando, sed non nisi magna necessitate compulsum, & cum timore magno. *Quantum ad me*, inquit, *pertinet, juro: sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus: cùm videro, non mihi credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, hac perpensa ratione, & consideratione librata, cum magno timore dico: coram Deo, aut, testis est mihi Deus, &c.* Jam verò an Celladeus talem jurandi necessitatem habuerit coram toto mundo, an etiam cum dicto timore juramentum proposuerit, ipsius conscientiæ judicandum relinquo; si habuit utrumque, tum quidem Augustinum Sanctissimum Episcopum jurando imitatus est; sed si altero, & multò magis si utroque caruit, de illius imitatione frustra gloriatur.

Aug. in jurando cautela & timor.

26. Sed præter justam causam & debitam reverentiam, veritas ante omnia necessaria est ad jurandum. Non dubito, quin Celladeus tunc verum putaverit, quod menti ipsius obversabatur, quando dejerando affirmavit, *se nescire, quomodo quidquam sit illicitum, si benigna sententia sit vera.* Dixit enim quod tunc verum judicavit; sed si verba sumantur, ut jacent, haud dubiè veritatem non continent. Non potuit Celladeus ignorare, non esse probabile juxta sensum nostræ sententiæ, quòd blasphemia, quòd furtum, quòd adulterium, quòd voluntarium homicidium, & alia innumera scelera sint licita. Quomodo ergo ignorat, quidquam esse posse illicitum, si nostra sententia sit vera? Nónne citra omnem dubitationem, hæc omnia, ut certissima scelera apertissimè condemnat? Nónne inter præcipua, ac maximè essentialia requisita ad probabilitatem exigit, ne quidquam certi in contrarium afferatur? At in istis omnibus & lumen rationis, & dogmata fidei talium objectorum inhonestatem reddunt certam. Ergo illorum honestas nec est, nec potest esse probabilis. Ergo illa ex benignæ sententiæ præscripto, nec sunt, nec esse possunt licita. Nec Celladeus hoc ignorat. Ergo reipsa verum non est quod per omne divinum dejeravit. Certè Augustinus ideo usus est illa Emphasi, quia ex opinione, quam impugnabat, clarè sequi videbat, crimen illud adolescentis adulteri fore ab omni culpa excusabile; ideoque nil nisi certò verum juramento confirmavit.

Dictum juratum Celladei, ut jacet, veritatem non continet.

27. Quod si Celladeus dicat, se excludere omnia certò mala, & de illis solùm loqui, quorum honestas & inhonestas est simul probabilis, cujusmodi est, v. g. pingere in die Festo, adhuc convincitur sufficientem taliter jurandi occasionem non habuisse; tum quia omnis jurandi necessitas aberat, tum quia adhuc verba ejus, ut jacent, veritatem non continent. Quamvis enim homo in tali casu juxta præscriptum nostræ sententiæ sine peccato pingere possit, non tamen sequitur, hominem illum pingendo peccare non posse,

Idem dictũ est falsum, quamvis ad sola probabilia restringatur.

posse, quia si in dubio, conscientiâ non ritè depositâ ac formatâ, pingat, haud dubiè etiam ex præscripto nostræ sententiæ peccat. Et hoc bene sciebat Celladeus: cur ergo, interposito juramento, dixit, nescire se, quomodo quidquam sit peccatum, si utraque pars contradictionis concedatur esse probabilis, & probabilitas juxta præscriptum benignæ sententiæ actus nostros à peccato excuset? Hæc evincunt Celladeum reprehensione dignum, quod suam in nos censuram, & in se malè fundatam, & viris gravissimis ac de Ecclesia optimè meritis injuriosam, solemni jurejurando interposito expresserit, quem proinde in visceribus Charitatis moneo, ut à similibus in posterum caveat, si communem Theologorum sententiam impugnet, quia per illa plus sibi, quàm causæ adversæ nocumenti affert.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

28. OBJICIT primò. Augustinus *in libris contra Academicos* expressè dicit, se, ubi eorum sententiam ac probabile circumspexerat, *visum sibi videri, quà in securos error irrueret: Non enim*, inquit, *puto eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur*. Unde infert, probabile Academicorum non sufficere, quin error in securos irrepat. Idem valet de probabili consueto, quia in securos illius opinionis sequaces sæpe error irrepit, non solùm quia verum non sequuntur, quod per Augustinum ad errandum sufficit, sed etiam quia sæpe directè errant, erroneumque judicium sequuntur. Ita Celladeus partim *in 2. §. quæst 3* partim in initio *quæst. 4.* argumentum enim hoc ex iis, quæ locis illis habet, formari potest. Unde infert, Augustinum totum esse in culpandis actionibus humanis, quæ sunt erroneæ, quia per hoc sunt vitiosæ.

Error materialis in securos formaliter nō peccandi irrepit.

Respondeo, Augustinum non minùs solidè, quàm ingeniosè uti hoc argumento ad hominem contra Academicos dicentes, neminem errare in opere, qui facit quod ipsi probabile apparet, modò nulli tamquam vero assensum præbeat, eò quòd talis homo in judicio suo non erret. Inducit enim Academicum quendam iter cum aliis facientem, *per avios montes probabiliter ductum*, & eo nomine risu dignum, quòd se non errasse jactaret. Evidens enim est, illum non minùs errasse de via sequendo probabile, quàm si judicasset se viam rectam tenere, & sic in intellectu errasset. Hoc modo certum est, errorem in opere, seu materialem errorem irrepsisse in Academicos, qui se ab omni errore securos putabant, si nulli tamquam vero assensum præberent, errorémque in intellectu vitarent. Jam nos ultro fatemur, sequaces opinionum probabilium aliquando materialiter errare in opere. Concedimus etiam talem errorem in bonæ operationis securos irrepere. Cæterùm non existimo Celladeum putare, omnes ejusmodi errores vitio verti posse. Certè itinerans, viæ nescius, securus sequitur viam, per quam Sacerdos gravis eum dirigit. Nihilominus sic securus errare potest. An ideo error ille vitio verti potest? Nil minus. Ergo etsi error in securum irrepat, non ideo error vitio vertitur. Ecce Augustinus ex hoc exemplo ad hominem meritissimè irridet dogma Academicorum, nec tamen ex eo infert, aut quisquam inferre potest, omnem errorem esse culpabilem ac vituperabilem. Erravit ergo procul dubio Celladeus, qui Augustino talem illationem

Celladeus affingit Augustino doctrinā certissimè illius sententiæ contradictoriam.

ex hoc illius dicto affingit, qua nil Sancti Doctoris doctrinæ repugnantius inferri potuit. Certissimum enim est, Augustinum tenere, errorem invincibilem à toto excusare, ut fusè ostendi *quæst. 16. de Consc. prob. num. 45. & seqq.* Præterea August. *lib. de utilitate credendi*, totus est in ostendenda fidei humanæ utilitate, licèt dictis aliorum fidem dando sæpe erremus. Sentit proinde haud dubiè talem errorem vitio verti non posse, & opera per errorem illum regulata non esse culpabilia. Itaque argumentum, in hoc exemplo & dicto Augustini fundatum, haud dubiè ad nostram sententiam impugnandam nil conducit.

29. Objicit secundò. Stupidus est, vel nimis impudens, qui prædictis Augustini verbis, seu potiùs fulminibus ad consideranda mala, quæ ex permisso probabilium usu sequuntur, non incitatur. Certè non apparet unde Deo satisfaciat, qui ista nec examinare, nec considerare voluit, quando super hoc ipso articulo causa ipsius in ultimo judicio movebitur. Cogitet quicumque is est, Augustinum esse, qui hæc pronunciavit, Augustinum ea de re diu meditatum, cui via illa ab initio bellè tecta & secura videbatur, qui, cùm vigilantior factus esset, cautiùs circumspexit, & quà in securos error irrueret, detexit; nec hoc tantùm detexit, sed vidit ulteriùs omnia flagitia ex tali doctrina cohonestanda. Qui hæc cogitat ad ista seriò ac debitè examinanda se vehementer incitari reperiet. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 3. §. 2.* Objectio 2.

Auctores benignæ sententiæ nullam difficultatem in hoc textu invenerunt.

Respondeo Celladeum hæc objicere, quasi benignæ sententiæ Auctores aut Augustinum non legissent, aut adeo stupidi ac surdi essent, ut horrenda hæc tonitrua ab Augustini ore emissa non audirent, nec animum ad ea perpendenda applicarent. Verùm toto Cœlo aberrat. Legit Augustinum Gratianus, ex quo innumera undique collecta diligentissimè excerpsit, qui tamen nil ex hoc loco dignum invenit, quod pro Christianorum moribus dirigendis in suum Decretum reponeret. Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Joannes Gerson, Vasquez, Suarez, innumerique benignæ sententiæ Auctores Augustinum diligentissimè legerunt; quorum tamen nemo ullum ex hoc loco argumentum, quo usus resolutionis verè probabilis peccati damnetur, viderunt. Nec mirum: quia evidens est, probabile Academicorum, totumque illorum dogma à benigna sententia, naturaque opinionis probabilis à Doctoribus Catholicis assertæ, tantum distare, ut essentialis nostræ sententiæ ab Academicorum dogmate differentia apertè contrarietur iis, in quibus horrenda illa Augustini contra Academicos fulmina fundantur. Et sanè hoc adeo verum est, ut nullum ex hoc loco argumentum sumi possit, quod magis impetat benignam sententiam quàm similia ejusdem Augustini dicta communem & certam Catholicorum de erroris invincibilis excusabilitate opinionem impetant, quibus Pelagianorum de ignorantiæ excusabilitate dogma fulminavit. Primus, quod sciam, qui hunc locum objecit contra benignam sententiam, fuit Wendrockius, quem Celladeus in hoc imitatus est, quamvis eum inter Jansenistas numeret. Ego *quæst. 27. de Conscientiâ probabili num. 37. & seqq.* hunc locum à Wendrockio objectum ponderavi ac dilui, in quo ut verum fatear, nil reperio, quod rationabilis contra nos objectionis locum implere possit, cùm necesse sit, mutari significationem terminorum

Wendrockius textum hunc objecit, sed illi responsum est.

Augustino adhibitorum, ut ex illis contra benignam sententiam argumentum formari possit. Audivimus ergo hæc Augustini tonitrua, & locum perpendimus, nec tamen quidquam in eis nostræ sententiæ contrarium reperimus, aut unquam reperiet Celladeus, cùm benigna sententia ex propriis suis principiis eadem penitus fulmina unà cum Augustino contra Academicos torqueat.

Omnibus cautè agendum, quia unicuique pro se respondendū erit.

30. Cæterùm optima illa Celladei admonitio de necessitate respondendi in extremo judicio ante oculos habenda est, sed illa æquè premit omnes; nam ille non minùs de horrenda hac sua communis doctrinæ accusatione, quàm ego pro ejusdem defensione, respondere debet. Ego Deum enixè rogo, *Ne intret in judicium cum servo suo, quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens*, nec *poterit ei respondere unum pro mille*. Miserebitur ergo mei, ut spero, secundùm multitudinem miserationum suarum, atque ita me in hac dissertatione, aliisque omnibus meis studiis diriget, ut ea tantùm promam, quæ ipsi ad gloriam, proximis ad ædificationem, mihi ad salutem sint utilia. Hæc enim unicè cupio, ad hæc anhelo, ut sic in extremo judicio gratiam pro gratia, non judicium pro peccato inveniam. Idem ex animo Celladeo exopto. Verùm timeo illi, si unanimes Catholicorum omnium opiniones impugnare pergat, quia in rebus summi momenti magno errandi periculo se exponit, cùm non sit credibile, Deum in doctrina morum ita Ecclesiam suam deseruisse, ut omnes illius Doctores in turpissimum ac periculosissimum errorem labi passus sit. Credibilius est, Deum permissurum, ut Celladeus hallucinetur & erret, quàm ut tota Ecclesia in similibus à veritate recedat. Hæc cogitet Celladeus, & habebit unde meritò formidet. Interim, dum quæstiones agitantur, nostrum est veritatem diligenter investigare, atque absque animi passione in rebus incertis ea promere, quæ rationi ac auctoritati consentanea esse deprehendimus. Hæc si bono zelo, ex sincero Dei honore, proximorum bono, & veritatis amore, Deo opitulante, præstiterimus, habebimus unde in extremo judicio de talento non abscondito, sed negotiis exposito, præmium sperare potiùs quàm pœnam timere debeamus.

SOLVITUR ALIA OBJECTIO,

Ubi de natura sophismatum agitur.

In quo discrepat sophista à sapiente.

31. OBJICIT tertiò. Ad minimum ex hoc loco Augustini sequitur, omnem probabilitatem, ac probabilioritatem, immò & omnem certitudinem, ac securitatem purè sophisticam esse rejiciendam, tamquam insufficientem ad conscientiam debitè formandam, quia talis probabilitas & certitudo ab Academicorum probabilitate & securitate non differre videtur. Præterea probabilitas & certitudo sophistica non sunt probabilitas & certitudo, sed quædam illarum apparentiæ. In hoc enim discrepat sophista à sapiente, juxta expressam Philosophi sententiam, quòd sophista magis ambiat videri veritatem attingere, quàm reipsa illam attingere. Imò contra veritatem notam ambit alios decipere, & falsum sub veri specie proponere. E contra sapiens magis quærit ipsam veritatem, quàm cupiat videri illam attingere. Itaque opus sapientis, ut Aristoteles ibidem subdit, *est non mentiri de quibus novit, mentientem autem manifestare posse*. Ergo sapientis est in scibilibus demonstrare, in rebus moralibus, quæ certò sciri non possunt, nosse verum juxta capacitatem materiæ, & contradicentium errorem posse manifestare. At opus sophistæ est hæc ipsa videri facere, quin faciat. Porro sophistis ingenio & multiplici ratione opus est, ut fallant, modò in materia, assumendo rationes, quæ videntur veræ ac probabiles & non sunt; modò in forma, faciendo ratiocinationes, quæ videntur syllogismi, & non sunt. His positis.

Vtrùm omnis error sit opus sophistæ.

32. Quamvis Auctores benignæ sententiæ non sint sophistæ cùm alios fallere non intendant, &c. tamen opus sophistarum faciunt, quia opus sophisticum in eo situm est, *ut quod proponitur appareat verum, & non sit; appareat probabile, quin sit tale; appareat syllogismus, & sit paralogismus*. At hoc faciunt, qui quævis probabilia pro sufficienti conscientiæ regula proponunt; quia falsa pro veris, non probabilia pro probabilibus, & paralogismos pro syllogismis sæpe proponunt. At probabilitas purè sophistica non est sufficiens conscientiæ ritè formandæ regula. Ergo, &c. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 4.* ubi fusè agit de sophismatibus, & opere sophistico, contenditque, sola verè probabilia spectare ad scientiam, & pro conscientia debitè formanda sufficere, cùm apparens & sophistica probabilitas pseudoscientiam fundet. Rursus advertit, Judæos ac Hæreticos habere pro se probabilitatem apparentem, quæ tamen eos non excusat, quia dogmata eorum vera non sunt, quamvis ipsis videantur fide digna. Ratio autem est, quia opiniones nostræ non mutant sua objecta; unde si syllogismus peccet in forma, semper erit paralogismus, quantumvis videatur esse syllogismus. Idem dicendum de veris, idem de probabilibus, quæ nunquam erunt talia propter nostram apparentiam, nisi in seipsis verè sint talia.

Augustinus prohibet religionem in phantasmatibus haberi.

33. Et sanè hæc ita apparentia, sed non verè talia, ab Aristotele vocantur sophistica, ab Augustino verò appellantur phantasmata, quia non habent esse nisi phantasticum, ideoque ex mente illius sunt prorsùs contemnenda. Audi illum *lib. de vera relig. cap. 55. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris: melius est enim qualecumque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi potest, &c. Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata.* Ecce juxta Aug. melior est una vera propositio, quàm bibliotheca plena rationibus acutissimis, & fundamentis solidissimis, quæ delectant, & videntur talia, & non sunt, sed nos fallunt. Hinc sequitur, fundamenta & rationes, objectis non correspondentes, esse mera phantasmata, & ad sophisticam pertinere. Itaque ex dictis constat, probabilitatem aliam esse apparentem & fictam, aliam veram & realem. Illa ad sophisticam, seu pseudoscientiam, hæc ad veram scientiam moralem pertinet. Illa apparentem, hæc verum Theologum facit. Hæc hominem doctum, & scientiæ peritum reddit, illa imperitum & apparenter tantùm peritum efficit. Cùm ergo juxta omnes scientia & peritia requiratur, cum item nemo sufficere dicat homines pseudoscientiæ, apertè concluditur, solam probabilitatem apparentem, & talem quoad nôs non sufficere pro regula conscientiæ, sed requiri probabilitatem realem. Ita Celladeus loco citato.

Hæc omnia abs re objiciuntur.

Respondeo hæc omnia abs re objici contra benignam sententiam, quippe quæ pro regula conscientiæ in rebus incertis expressè postulat probabilitatem veram, & quidem certò cognitam. Cæterùm

terùm in eo errat Celladeus, quod putet probabilitatem, quam communis opinio pro regula conscientiæ proponit, non esse veram, sed solùm apparentem. Hoc illi unicè probandum erat; sed de hoc hactenus siluit; videbimus quid in posterum facturus sit. Interim non negamus dari probabilitatem merè apparentem. Datur haud dubiè, sed pro conscientia ritè formanda non sufficit. Ego *in tract. de Consc. prob.* ostendi probabilitatem aliam esse apparentem, aliam veram. Rursus veram distinxi in eam quæ certò, & in eam quæ solùm probabiliter, aut etiam improbabiliter nobis apparet, & ex istis omnibus solam probabilitatem veram, certò apparentem, pro sufficienti conscientiæ regula cum communi omnium sententia proposui. Hæc si Celladeus legisset, in doctrina sophismatum tam copiosè exponenda non frustra sudasset; frustra, inquam, in ordine ad præsens intentum, quia quæ dicit revera ad rem non faciunt, & ideo ulterior eorum ponderatio omitti poterat; nihilominus aliquid ad singula reponam, ut exinde benignæ sententiæ veritas magis stabiliatur, & objectorum nullitas apertiùs declaretur.

Error Celladei in intelligenda opinione, quam impugnat.

34. Inprimis ergo admitto, nullam probabilitatem purè sophisticam esse sufficientem conscientiæ regulam. Verùm æquivocatio latet in termino *purè sophistica.* Ego illam tantùm apparentiam purè *sophisticam appello*, quæ aliquam veri apparentiam cognoscitur habere ab eo, qui benè advertit fallaciam in illa apparentia latêre, nam respectu ejus, qui hoc non novit, apparentia illa non est purè sophistica, cùm magnum pondus ad assensum extorquendum habere possit; quod certè apparentiæ *purè sophisticæ* non convenit. Itaque *purum sophisma* non invenitur nisi in sophista, qui illo ad alios decipiendos utitur. Ratio est, quia sicut homo iniquus expresso mendacio ita alium decipere potest, ut ille non temerè, sed prudenter ipsi credat, ita pariter sophista difficilioribus sophismatibus rudem hominem ita circumvenire potest, ut ille etiam non temerè persuadeatur de veritate rei, quam sophista novit esse falsissimam.

Purum sophisma non nisi in sophista.

35. Cæterùm in casu, quo aliquis hac ratione mendacio vel argumento fallaci decipitur, ille non tantùm movetur ad assensum ex vi verisimilitudinis latentis in sophismate, sed simul & semel ex eo incitatur ad assensum, quòd nil videat in contrarium, quod suspensionem assensûs mereatur. Itaque apparentia illa ex duabus partibus componitur: altera est positiva verisimilitudo, quam sophisma male intellectum continet; altera est negatio argumenti contrarii. Porro intellectus ex utraque hac parte simul sumpta aliquando tanta vi hîc & nunc incitatur, ut absque ulla temeritatis nota, imo prudenter assensum præbeat. Tota enim illa apparentia assensum meretur, quia sæpe est apparentia verè probabilis, ut fusè ostendi *quæst. 3. de Consc. prob. num. præsertim 9. & 25.* Itaque nego sophisma respectu hominis taliter affecti esse rationem purè sophisticam, quia ut esset purè talis, deberet totam intellectum movendi vim à se ipsa inseparabiliter habere; per illud enim tantùm, quod à se ipso habet inseparabiliter, est purum sophisma. Jam talis apparentia in mente sophistæ, scientis illud esse sophisma, ad conscientiam ritè formandam non sufficit, cùm non sit apparentia probabilis, sed purum sophisma & fallax apparentia, cognita ut talis; qualis est apparentia fractionis in baculo propter meram radiorum refractionem respectu intellectûs, qui novit radios, quibus baculus ille repræsentatur, esse refractos.

Qui decipitur, nō movetur ad assensum à solo sophismate, sed aliquando à vera probabilitate.

36. Jam ergo, si loquamur de apparentia fallaci, non cognita ut fallaci, sed apparente solùm ut vera, atque illa post debitam diligentiam adeo vehementer stimulet ad assensum, ut homo absque temeritate per judicium invincibiliter erroneum illi assentiatur, dico talem apparentiam esse verè probabilem, & sufficientem conscientiæ regulam. Certum autem est, hominem posse invincibiliter errare ex vi sophismatis non detecti sive ipse per se sophisma detegere non potuit, sive non debuit, eò quòd à gravissimis viris audivit argumentationem esse bonam, & verè ac validè concludere. Verùm talis argumentatio, prout sumitur in talibus circumstantiis, non est purum sophisma, ut ex dictis constat.

Apparentia fallax, invincibiliter credita vera, est sufficiens regula conscientiæ.

37. Quod si his non acquiescas, sed omnino velis, omne sophisma esse purum sophisma, terminosque *sophisma*, & *purum sophisma* in nullo discrepare, non sum qui de voce velim contendere; admitto ergo tuum loquendi modum, etsi minùs congruum, & reipsa à veritate alienum; sed, eo admisso, audacter nego, omne purum sophisma, esse rejiciendum tamquam insufficientem conscientiæ regulam, quia certum est, aliquod sufficere, ut dictum est. Talis autem apparentia, seu tale sophisma longè plus habet, quàm probabilitas Academicorum; illa enim, non autem ista, est sufficiens motivum ad assensum absque ulla temeritatis nota, & prudenter præbendum. Unde pariter sequitur, totam illam apparentiam, ex positivo impulsu, negatione argumenti contrarii, ac invincibili ignorantia sophismatis conflatam, esse veram, non sophisticam probabilitatem, quamvis argumentatio ipsa secundùm se, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ sit sophistica.

38. Quod ad reliqua in objectione contenta attinet, vera sunt quæ Celladeus ex Aristotele promit, sed quæ ex suo adjungit non subsistunt. Inprimis falsum est, quod dicit, opus sophisticum in eo situm esse, *ut quod proponitur, appareat verum, & non sit; appareat probabile, & non sit probabile; appareat syllogismus, & sit paralogismus.* Hoc dictum, quoad priora duo membra, est evidenter falsum; sæpe enim erramus circa res ipsas earumque probabilitatem, absque ullo sophismate. Quando per mendacium decipimur, erramus, & verum apparet quod non est; nec tamen per sophisma decepti sumus. Idem valet, ex probabilibus ritè dispositis inferimus consequens falsum; quamvis enim altera præmissa sit falsa, illa tamen non est propositio sophistica, quia nulla propositio simplex, qualis illa esse supponitur, potest sophisma continere, ut patet. Unde neque Conclusio illata est sophisma aut sophistica, quamvis consequens illatum sit falsum. Itaque illud Celladei dictum est erroneum. Nec in eo tantùm errat, sed in illo ipso sibi contradicit. Ille enim tenetur idem dicere de omni errore invincibili, quem in multis admittit. Peto enim, an talis error sit sophisma, nec ne? Si sit, ergo sophisma, seu cognitio sophistica à peccato excusat. Ergo errat, & sibi contradicit, dum affirmat omnem apparentiam sophisticam esse rejiciendam tamquam inutilem ad conscientiam ritè formandam. Si non sit, iterum sibi contradicit, quia jam non omnis cognitio, cujus objectum verum apparet & non est, est sophisma, seu opus sophisticum.

Non omne falsum est sophisma.

Celladei cōtradictio.

39. Est & aliud, in quo reipsa Celladeus sibi contra-

contradicit in hac quæst. sic enim arguo. Contradictoria sunt, omnem veram probabilitatem sufficere ad conscientiam formandam, & nullum actum falsum (quem ille sophisma appellat) ad eam formandam sufficere, quia certum est, multos actus falsos esse verè probabiles. At Celladeus in hac quæst. expresse tradit utrumque. Ergo tradit contradictoria, & reipsa sibi contradicit. Scio eum tenere (& postea de hoc agendum erit) quod omnis vera probabilitas identificetur cum veritate rei, quæ dicitur, & verè est probabilis. Verùm hoc solùm probat, quod *in hac quæst.* non sibi contradicat in terminis expressis, non autem quod asserta ab ipso posita verè non se excludant, sicut contradictoria. At ego hîc non intendo probare primum, sed solùm ostendere secundum esse verum, prout est verissimum; quia ultra omne dubium est, verissimam probabilitatem sæpe conjungi cum falsitate, ut suo loco fusè demonstrabitur.

Sophisma propriè loquendo solùm consistit in mala argumentatione.

40. Quod dixi de veritate rei, æquè valet de probabilitate, quia probabilitas falsò apparens, sed credita vera, non magis est sophisma objectivum, quàm veritas ipsa falsò credita; eadem enim utriusque est ratio, cùm utraque æquè cognosci possit actu vero, vel falso. Itaque si propriè loquamur, opus sophistæ in sola argumentatione malè constructa consistit, in qua ex indebita terminorum complicatione, aut confusione apparet veritas in consequente, quando illa ex præmissis legitimè deduci non potest. Defectus autem iste aliquando ex materia, aliquando ex forma dependet, ut ex Elenchorum libris notum est. Erravit ergo Celladeus, dum sophisma, seu opus sophistæ sub conceptu rei apparentis ut veræ aut probabilis, quando non est vera vel probabilis, proposuit, cùm solùm consistat in eo, quòd argumentatio appareat legitima, quando est illegitima.

Nunquam proponimus falsam probabilitatem pro regula conscientiæ.

41. Porro cùm Celladeus in ipsis, ut visum est, principiis hac in re erraverit, mirum non est, quod in applicatione ac deductione argumenti etiam deceptus fuerit. Deductio ejus est, quòd Auctores benignæ sententiæ falsa pro veris, probabilia pro improbabilibus, paralogysmos pro syllogismis ad conscientiam regulandam sæpe proponant. Fateor aliquas ex opinionibus directis, quas omnibus inspectis, pro licitis proponimus, esse falsas, quia non est credibile, nullam ex opinionibus probabilibus minùs tutis esse falsam. Nihilominùs de nulla in particulari scire possumus, quod sit falsa; cùm etiam directè loquendo validas de veritate illius præsumptiones habeamus, & reflexè longè validissimas. At si sermo sit de probabilitate, nunquam nisi veram ac certam probabilitatem proponimus pro conscientia regulanda. Quòd si aliquando inter ratiocinandum aliquis paralogizet, id est per accidens, nec probabilitas, qua nitimur, in solo paralogismo, sed etiam in ignorantia deceptionis, & carentia argumenti prævalentis in contrarium, fundatur, ut dictum est. Illa autem simul sumpta sæpe sunt verissima ac certissima probabilitas, quæ ad excusandum à peccato, teste ipso etiam Celladeo, sufficit, saltem tunc quando, ut sæpe facit, errorem invincibilem fundat.

Alia Celladei contradictio.

42. Quod dicit de Judæis ac Hæreticis, non est ad rem; illi enim, qui invincibili veritatis ignorantia laborant, à peccato excusantur, quia per apparentiam verè probabilem diriguntur. Probabilitas autem illa partialiter fundatur in ignorantia invincibili veritatis oppositæ. Ecce probabilitas, & multò magis certitudo, quam ipse apparentem vocat, nonnunquam excusat Judæos ac Hæreticos. Et tamen omnem probabilitatem & certitudinem apparentem, ut insufficientem repellit. In quo iterum sibi contradicit. Nec mirum; confundit enim veram probabilitatem cum probabilitate merè apparente. Apparentia, quam hæretici formales ac vincibiliter errantes habent de veritate suorum dogmatum, contra argumenta Fidei Catholicæ ipsis sufficienter proposita, non est verè, sed solùm apparenter probabilis, nec ipsis, aut ulli videri potest digna fide, nisi consequenter ad affectum suis erroribus indebitè propensum. Talis autem apparentia consequens affectum uni parti indebitè alligatum, etsi maxima, non est apparentia rationalis ac probabilis (ut fusè ostendi *qq. 2. & 3. de Consc. prob.*) sed solùm falsò apparet esse talis, quia habet motiva certissima in contrarium. Verùm Celladeus hoc semper omittit, quando de probabili agit; cùm tamen hoc in nostra sententia sit omni veræ probabilitati maximè essentiale, ut sæpiùs dictum est. Atque quando hæreticus invincibiliter ignorat & errat, tunc apparentia, qua stimulatur, non solùm fundatur in positiva apparentia veri, quæ communis est hæretico formali, sed etiam in carentia rationis prævalentis in contrarium, atque in invincibili talium rationum ignorantia. Ex illis autem omnibus oritur vera, & non merè apparens probabilitas, qua heretici formales carent. Itaque illi ob veram, non ob apparentem probabilitatem excusantur: ad quod quia Celladeus non advertit, existimavit probabilitatem merè apparentem omnibus adesse, ideóque neminem per illam excusari, cùm tamen negare non possit, plures ex illis excusationem habere; quæ asserta non cohærent, sed sibi mutuo contradicent, si, ut rectè contendit, sola vera probabilitas excuset.

43. Quod affertur ex August. *lib. de vera relig.* non est ad rem, quia S. Doctor aliud in illo libro non contendit, quàm solum Deum verum esse colendum, tamquam Deum, cui soli omnis vera religio nos religat, seu alligat, & ab hac religatione ad Deum nomen religionis dicit esse derivatum. Ex hoc autem rectè infert, quod religio non sit impendenda *Phantasmatibus, quia*, inquit, *melius est qualecunque verum, quàm quidquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cùm falsa imaginatur, colere non debemus.* Hoc modo à potiori probat nil falsum aut fictum coli debere, quia omne verè existens plus habet, unde coli debeat (si coli licitè posset) quàm quidquid est purè imaginarium, & existentiâ caret. Id ipsum alio exemplo sic confirmat. *Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata. Et tamen stipulam, quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam.* Itaque toto illo capite aliud non docet August. quàm solùm Deum esse colendum. Inter reliqua autem ex eo probat phantasmata & ficta non esse colenda, quia constat plura vera, omnibus phantasticis meliora, non esse colenda. Hoc autem argumentum ad præsens intentum nil facit, ut patet.

Celladeus citat August. abs re.

44. Præterea Aug. hoc loco solùm loquitur de objectis, seu rebus à cognitione propositis, de illis autem verum est, quòd stipula vera mundo imaginario prævaleat. Hinc autem perperam infert Celladeus, meliorem esse ullam propositionem veram, quàm innumeros discursus probabilissimos, si à veritate deflectant. Perperam, inquam,

Celladeus auctoritate Augustini abutitur.

inquam, quia hoc ex dictis Augustini non sequitur, cùm ille non agat de cognitionibus veris & falsis, quæ omnes sunt entia verè existentia, & propterea comparari possunt in bonitate reali, sed de rebus, quarum una existit, altera non existit, quæ proinde nullam habent comparationem, aut rationem ad invicem. Abutitur ergo Celladeus auctoritate Aug. quia quod hic rebus non existentibus tribuit, id ille ad res verè existentes applicat.

Aug. præfert aliquos actus falsos aliquibus veris.

45. Demum Aug. *toto lib. de utilit. credendi* ex professo contrarium tradit. Demonstrat enim, fidem humanam, etiam falsam, sæpe esse utilem ad vitam rectè & ut oportet gubernandam. Exemplum ponit in filio, qui invincibiliter errat credendo eum esse suum patrem, qui verè non est. Nec dubium, quin Aug. pluris faciat talem fidem, etsi falsam, quàm similes actus veros temerè & vincibiliter elicitos, quibus filii non nisi turpiter colerent parentes veros, iis neglectis, quos nisi vincibiliter negare non possunt esse suos parentes veros. Ratio est, quia hi actus veri filios à peccato non excusant; illi autem actus falsi eos excusant, ut patet. Similiter pluris facit illos actus falsos in ordine ad finem vitæ humanæ, quàm aliquos actus speculativos veros, qualis est hic: *Petrus digitum movet*, quia hic actus ad vitam ritè instituendam utilis non est, qui tamen hîc & nunc sæpe institui non potest sine errore, ut in multis exemplis constat esse certissimum.

Aliquæ cognitiones falsæ sunt simpliciter meliores aliquibus veris.

46. Porro ratio à priori, cur aliquæ cognitiones falsæ prævaleant aliquibus veris, ex eo sumitur, quòd multæ falsæ sint intrinsecè & essentialiter tam perfectæ, imo sæpe perfectiores in eodem genere, & meliori ac rationabiliori fundamento innixæ, quàm aliquæ veræ. Ergo possunt tam prudenter & prudentiùs imperari, quàm aliquæ veræ. Rursus aliquæ ex istiusmodi cognitionibus falsis sunt valdè utiles ad vitam humanam instituendam, ut omnibus est notum. E contrario aliquæ cognitiones veræ, maximè, quæ circa similia objecta versantur, sæpe ob suam temeritatem ad vitam irreprehensibiliter instituendam non sufficiunt. Ergo si spectetur totus finis tam intellectûs quàm voluntatis (cui etiam intellectus deservit) aliquæ cognitiones falsæ præstant aliquibus veris. Imo si solus finis intellectûs respiciatur, id ipsum est verum; quamvis enim primarius, & directè intentus finis intellectûs sit veritas, seu conformitas realis actus cum objecto, tamen quando illa certò haberi non potest, intellectus secundariò eò tendit, ut habeat saltem conformitatem, quàm potest maximè rationabiliter apparentem; & tunc meliùs se habet, quando possidet majorem, & magis rationabilem ejusdem apparentiam, quamvis per accidens valida illa apparentia revera sit difformis objecto. Itaque secundarius finis ad hunc possidendæ veritatis modum extenditur. Est & alia ratio idipsum convincens. Intellectus in obscuris subditur imperio voluntatis. Ergo tunc meliùs se habet, quando voluntas rationabiliùs imperat assensum falsum, quàm verum. At hoc frequenter accidit. Ergo aliquæ cognitiones falsæ sunt tam bonæ, & meliores intellectui, quàm aliquæ veræ, temerè à voluntate imperatæ.

Probabilitas tantùm vera hominè peritum reddit.

47. Quod dicit ultimo loco verum est, scilicet probabilitatem veram ab apparenti distinguendam esse; illa enim Theologum verè, hæc tantùm apparenter peritum reddit. Has nos distinguimus, & hanc peritiam requirimus, ut quis sufficiens sit ad conscientias ritè dirigendas. Itaque ultrò fatemur, quod probabilitas realis & quoad se requiratur, quodque probabilitas merè apparens & quoad nos ad conscientiam formandam non sufficiat. Cæterùm cavenda est æquivocatio latens in voce illa *quoad nos*. Si enim idem significet, quod probabilitas merè apparens, veritati non obstat; si verò sumatur pro probabilitate præsumpta, (quam ego *quæst. 6. de Consc. prob.* fusè explicavi, ostendique, quomodo dicatur probabilitas *quoad nos*) falsum est, quòd probabilitas quoad nos non sufficiat, quia illa est vera probabilitas, ut loco illo fusè ostensum est.

Admonitio Celladei.

48. Quæres, quid dicendum sit de reflexione illa, quam Celladeus hîc fecit contra Auctores benignæ sententiæ? Quòd scilicet sint nimii rationum amatores, ideoque habent unde timeant, quia omnia speculationibus & ingenio, nullo aut exiguo respectu ad auctoritatem habito quæstiones resolvere solent. At hoc incongruum & periculosum est. Periculosum quidem, quia rationes nostræ sæpissimæ sunt sophisticæ & falsæ. Incongruum verò, quia recta fidei ac morum doctrina de cœlo venit, & non sine auctoritate rectè discitur, & docetur.

Non nos, sed ipsum percellit.

49. Respondeo admonitionem in se spectatam esse optimam; verùm illa arctè perstringit Celladeum, nos autem, Deo laus, non stringit. Perstringit Celladeum, quia ille, contempta omnium totius Ecclesiæ Doctorum auctoritate, (certum enim est, omnes omnino in rebus verè incertis docuisse, usum opinionis saltem probabilioris esse licitum) novam & singularem, sibique soli propriam opinionem invexit, qua omnem cujusvis opinionis probabilis, etiam probabilissimæ, usum ut illicitum damnat. Estne hoc, Celladee, auctoritatem magni facere? Auctoritas, quam tu rejicis, post infallibilem Ecclesiæ ac Pontificum decisionem, est maxima omnium, quæ in civili aut sacra republica reperiri potest. Hanc tu parvi pendis. Contra omnes solus insurgis, nec aliis argumentis, quàm miris quibusdam ac sophisticis speculationibus niteris, ut hactenus visum est, & ex sequentibus etiam, Deo dante, patebit. Quod si aliquam auctoritatem ex Aristotele, Augustino, aliôve Sancto Patre afferas, illa vel ad rem non est, vel illâ in sensu alieno abuteris, ut ex dictis constat. Præterea illa auctoritas, quantacumque sit, non est æquanda auctoritati, contra quam illam affers. Habes ergo unde timeas.

Nos multū rationi, sed plus auctoritati tribuimus.

50. Cæterùm, Deo laus, ista admonitio nos non stringit, quia plurimum rationi, sed plus auctoritati deferimus. Nos adeo nostris opinionibus non fidimus, quin contrariæ Doctorum ac piorum hominum auctoritati subscribamus, eorumque auctoritate fundati, nos tutos putamus, ut etiam contra propriam opinionem licitè operemur. Sed tu fortasse, *laudator temporis acti*, præsentis sæculi Doctores exiguæ aut nullius auctoritatis esse arbitraris. Proinde ad Augustinum, & ad antiquos Patres provocas; illorum enimverò auctoritatem & meritò plurimi faciendam dictitas. Sic est; sed scias, Celladee, aliud est, Augustinum & Sanctos Patres ubique crepare, aliud verum eorum sensum assequi. Jansenistæ Augustinum, hæretici purum putumque Dei verbum ubique crepant; sed in mente Augustini, ac sensu Sacræ Scripturæ intelligendo toto cœlo aberrant. Non tu solus Augustinum legisti, præstantissimi quique benignæ sententiæ Auctores eum diligentissimè examinarunt, atque ex

ex ejus dictis suas sententias roborarunt; & quidem quod ad præsentem quæstionem attinet, ego nonnulla Augustini, aliorumque Patrum loca perpendi *quæst. 27. de Consc. prob.* ex quibus manifestum est, eos in particularibus casibus usum benignæ sententiæ licitum habuisse. Plura in progressu afferam. Interim quæ hactenus ex SS. PP. attulisti, tibi non favent, sed vel ad rem non faciunt, vel à te perperam intellecta fuisse ostendi, &, Deo favente, in sequentibus ostendam.

QUÆSTIO VIGESIMA-SEXTA.

Vtrùm vera probabilitas dari possit contra certum & evidens?

Singularis Celladei opinio.

1. IN Scholis Catholicorum hactenus inauditum fuit, id alicui esse probabile, cujus oppositum est ipsi certum & evidens. Omnes enim ad probabilitatem, tamquam essentialissimum prædicatum requirunt, ne quidquam certum aut evidens in contrarium appareat. Celladeus tamen *lib. 2. quæst. 5* contra omnes insurgit, atque expressè contendit, probabilitatem, ab auctoribus benignæ sententiæ assertam, cohærere cum certitudine oppositi. Unde infert, nullius opinionis, ne quidem probabilioris usum esse licitum. Falsitas hujus paradoxi hoc loco examinanda est, simulque Celladei inconsequentia de exclusione opinionis probabilioris detegenda. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Probabilitas Academicorum cōponi potest cum certitudine oppositi.

Probabilitas Academicorum de una parte componi potest in eodem intellectu cum certitudine, non tamen cum perfecta evidentia de altera contradictionis parte.

2. PROBATUR. Quævis apparentia veri sollicitans intellectum ad assensum aut voluntatem ad operationem, est probabilitas ab Academicis asserta. At hæc componi potest cum certitudine de opposito. Fides enim de mysteriis revelatis certissima est, & tamen sæpe adest apparentia veritatis, qua intellectus & voluntas stimulantur ad assensum illis negandum, ut patet ex tentationibus fidei, & argumentis hæreticorum, quibus fidelis homo tentatur, & aliquo modo ad hæresim stimulatur. Ergo probabilitas Academicorum datur contra certitudinem.

Sed non cū evidentia partis contrariæ.

3. Probatur secunda pars. Evidentia perfecta excludit omnem formidinem, tam actualem quàm possibilem, oppositi. Nemo enim formidare potest, an totum sit majus sua parte, nec ullam oppositi apparentiam habere, qua ad dissensum stimuletur, ut experientia constat. Eadem autem ratio valet de omni alia perfecta & metaphysica evidentia. Ratio est, quia evidentia consistit in clara veritatis intuitione; illa autem statim rapit intellectum, illumque necessitat ad assensum, suaque luce omnes tenebras aut apparentiam stimulantem ad contrarium abstergit. Non sic fides, quæ obscura est, quamvis sit certa. Obscuritas autem illa efficit, ne actus fidei absque voluntatis imperio elici possit, quia intellectus à veritate obscurè proposita non rapitur in assensum. Itaque obscuritas necessariò relinquit possibilitatem suspendendi assensum; nec hanc tantùm sed etiam possibilitatem dissentiendi admittit, quia obscuritas non removet omnem apparentiam contrarii, alioquin eo ipso non esset obscuritas, sed perfecta claritas & evidentia. Stat ergo veritas assertionis.

ASSERTIO II.

Probabilitas à benigna sententia asserta de una parte contradictionis nequit simul componi in eodem intellectu cum evidentia aut certitudine alterius partis; utraque tamen potest simul existere in diversis intellectibus, aut in eodem pro diversis temporibus.

Probabilitas de una & evidentia de altera parte cōtradictionis simul dantur in diversis intellectibus.

4. PROBATUR assertio, quæ quoad secundam partem adeo clara est, ut sola illius propositio, potentiarumque ac temporum distinctio ad veritatem illius demonstrandam abundè sufficiat. Quis enim non videt fieri aliquando, ut Theologus aliquis non sophisticè, sed juxta possibilitatem humanæ fragilitatis & materiæ propositæ qualitatem, solidè ac rationabiliter procedens in sua resolutione, post omnem diligentiam adhibitam à vero aberret. In hoc casu Deus & Angelus certò & evidenter norunt veritatem, ac de illa evidentiam habent. Hoc autem non impedit, quò minùs Theologus ille probabiliter casum resolverit; imo, si hypothesis, in qua locuti sumus teneatur, non poterat non probabiliter eam resolvere. Erravit tamen. Ergo probabilitas de una, & evidentia de altera contradictionis parte simul existere possunt in diversis intellectibus. Idem omnes clarè discernunt in probabilitate extrinseca. Multi pueri probabiliter judicant eos esse suos patres, qui revera non sunt Patres ipsorum. Jam Deus & Angeli, ac homines aliqui evidenter norunt, quòd pueri in hoc suo judicio errent. Sed & ipsi pueri in fine mundi idipsum evidenter scient. Præterea eadem est ratio de uno eodemque intellectu hominis respectu diversorum temporum, ac plurium intellectuum respectu ejusdem temporis. Ergo sicut respectu diversorum intellectuum in eodem instanti dari potest evidentia unius, & probabilitas alterius contra-

contradictorii, ita pariter eædem successivè dari possunt in eodem intellectu, nec in hoc ulla difficultas superesse potest.

Sed non simul cohærent in eodē intellectu.

5. Probatur prima pars. Inprimis, stante evidentia unius partis, clarum est, alteram partem non posse esse probabilem probabilitate à benignæ sententiæ Auctoribus asserta, quia illa requirit stimulum ad assentiendum multò majorem, quàm probabilitas Academicorum, ut certò constat ex *quæst. præcedente*. Atque *ex prima assert.* evidens est, nec probabilitatem Academicorum, nec ullum stimulum assentiendi uni parti conjungi posse cum evidentia partis contradictoriè oppositæ. Ergo à fortiori omnis evidentia unius partis excludit probabilitatem, de qua nos loquimur, à parte contradictoriè opposita.

Idem probatur, quando altera contradictionis pars est certa, & non evidens. Vera certitudo fundatur in motivo falli nescio, quod ita proponitur intellectui ut mereatur assensum, quo omnis actualis formido excludatur. At tale motivum haberi non potest, nisi tanto intervallo superet omne motivum in contrarium, ut illud respectu hujus nullius sit momenti, nec ullam assensûs suspensionem aut retardationem mereatur, si omnia debitè, & sine passione animum obcæcante perpendantur. Nisi enim hæc adsint, judicium meritò suspendi poterit, & motivum ad illud impellens non merebitur assensum absque formidine, ut patet. Ergo non erit certum & infallibile ex vi sui motivi, contra quod supponimus. E contra probabilitas à nobis definita, non est quævis, sed solùm magna apparentia veri, immo tanta, ut mereatur assensum, etiam in contradictione motivi contrarii. Secundò tanta esse debet illa apparentia, ut nec physicè, nec moraliter evanescat in comparatione motivi contrarii, sed cum illo comparari possit, illudque aut æquet vel superet, aut certè non multùm ab eo superetur. Tertiò, motivum, ut sit probabile, debet esse tantæ efficaciæ, etiam in contradictione motivorum contrariorum, ut qui illi assensum præbet, temeritatis argui non possit. Quartò, quod in idem recidit, requiritur ad motivum probabile, ut aptum sit movere hominem peritum & probum ad assensum, quando judicium format sicut decet hominem peritum & probum. Quintò, requiritur ad apparentiam probabilem, ut illa ex vi magnitudinis suæ intrinsecæ frequentiùs connectatur cum vero, quàm cum falso; quæ omnia fusè monstrata sunt *in primis sex quæst. de Consc. prob.* Jam posita certitudine unius partis, impossibile est dari ullam apparentiam pro parte contraria, quæ ipsam certitudinem excludat, aut alias probabilitatis proprietates habeat. Inprimis motivum incertum & fallax non meretur assensum contra motivum certum & infallibile, cognitum ut tale. Secundò, omne motivum incertum evanescit in comparatione motivi certi in contrarium, quantum ad meritum impetrandi assensum, nec ullius ponderis reputari debet, cùm non solùm incomparabiliter excedatur à motivo certo, sed excessus ille sit in diverso ac superiori ordine. Tertiò, nemo magis temerè judicat, quàm qui, motivo certo rejecto, falso & incerto assensum præbet. At non temerè judicaret, si motivo probabili niteretur. Præterea nos loquimur in sensu composito cum certitudine, in quo sensu nemo reputare potest motivum oppositum dignum assensu rationabili, quia eo ipso putaret motivum certum esse fallibile & falsum. Quartò, repugnat hominem sequi motivum incertum contra certum, si judicet sicut decet hominem peritum & probum judicare. Quintò, omne motivum incertum ita debilitatur à motivo contrario certo, ut omnes apparentiæ illi æquales non possint frequentiùs connecti cum vero quàm cum falso. Ergo nullum motivum potest esse probabile, contra quod motivum certum militat. Saltem evidens est, nullum tale motivum esse posse probabile probabilitate à nobis asserta, quia evidens est, ea prædicata illi non convenire, quæ ad omnem veram probabilitatem requirimus ut essentialia.

Requisita ad probabilitatem explicantur.

Disertè requirimus ut oppositum non sit certum.

6. Demum licèt prædicata hæc, aliaque ejusmodi probabilitati assignata, evidenter inferant, partem oppositam non posse simul esse certam illi intellectui, cui altera pars tanta verisimilitudine repræsentatur, quanta ad probabilitatem requiritur; nihilominùs, ut omnis dubitatio & possibilitas æquivocandi in re tanti momenti tolleretur, inter reliqua ad probabilitatem essentialiter requisita hoc tamquam potissimum requirimus, ut nil certum afferatur in contrarium. Cogitet hæc Celladeus, & videbit concipi non posse, quòd probabilitas, quam requirimus in opinionibus quarum usum admittimus esse licitum, quæque sola est probabilitas à nobis asserta, cum evidentia partis contrariæ componi possit. Nihilominus Celladeus in hac luce meridiana non solùm non videt veritatem tam perspicuam, sed imaginatur se clarè videre oppositum, jactatque se illud clarè probare ac evincere. Sed certissimè ac clarissimè fallitur, ut ex rationum, quas affert, examine mox patebit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Auctores sæpe dicunt suas sententias esse evidentes.

7. OBJICIT. Nil magis obvium in Auctoribus etiam gravissimis, quàm quòd sæpe suam sententiam tueantur ut certissimam & evidentem; nec tamen oppositam damnant ut improbabilem. Ergo probabilitas, opinionibus dari solita, salvatur contra certum & evidens.

Confirmatur ex phrasibus, quas Auctores frequenter adhibent dicentes: *Hoc est evidens. Hæc ratio est manifesta. Argumentum evidenter solvitur.* Phrases istæ indicant, Auctores illos habere sua asserta pro evidentibus, qui tamen non censurant oppositas sententias, utpote communes, ac communissimas in scholis, sed eas supponunt esse probabiles. Sed & S. Thomas frequenter utitur hac phrasi, *Ad cujus evidentiam sciendum est.* Ergo S. Thomas censuit suam sententiam evidentem, nec tamen oppositam ut improbabilem reputat, aut refellit.

Hoc in multis specificatur.

8. Idipsum probatur secundò. In rebus ac opinionibus utrimque controversis aliquid aliquandò certò scitur ac demonstratur, alioquin Physica, Metaphysica, ac Theologia non essent scientiæ, & frustra traderetur Logica de modo sciendi, si nil scire contingeret. Quis dicet, Scholam Thomisticam, nil omnino demonstrasse contra Scotistarum ac Nominalium scholas, contra quas jam per tria sæcula dimicarunt? Idem dico de Scotistis contra Thomistas, &c. saltem non nemo Thomistarum arbitratur se demonstrasse aliquid contra Scotistas, v. g. non dari distinctionem formalem ex natura rei inter divinam essentiam & relationes. Similiter ex adverso aliqui Scotistæ putant se aliquid contra Thomistas demonstrasse. Nec tamen censurant sententiam oppositam, sed ultro fatentur, illam esse probabilem. Demum nil evidentiùs demonstratur, quàm quod

 Realistæ

Realistæ omnes contra Nominales dicimus, nempe dari aliqua entia modalia ab entibus absolutis distincta. Nec tamen possumus dicere, opinionem Nominalium non esse probabilem, cùm quotidie in scholis defendatur, & in libris tam antiquis quàm noviter editis toleretur absque nota vel censura.

Alia ad idē confirmandum exempla.

9. Demum ingens lis est inter PP. Dominicanos & Auctores Societatis, utrùm gratia efficax sit prædeterminans, an indifferens? lis hæc per decennium coram Summis Pontificibus discussa, nec tamen determinata fuit, quia Paulus V. decrevit, ut cuique parti suam tueri opinionem liceret, ita tamen, ut neutra adversam notaret vel censuraret. Decretum viget & servatur. Interim dubium nullum est, quin multis Dominicanis scientia media certò falsa & fictitia videatur; & vice versa tantundem aliquibus saltem ex adversariis videtur de physica prædeterminatione. Et tamen neutri oppositam sententiam ut improbabilem censurant. Quod dictum est de speculativis, æquè locum habet in moralibus, quia par de omnibus est ratio. At in eo casu non licet sequi opinionem probabilem contra propriam sententiam certam & evidentem. Ergo probabile opinionum cohæret contra certum & evidens. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 3. per totos tres primos paragraphos*, in quarto autem contendit, probabilitatem opinionum in alio non consistere, quàm in impunitate quadam, ratione cujus defendi aut edi potest absque ulla censura, vel impedimento. Hæc impunitas dupliciter tollitur, primò per superiorum, maximè per Romani Pontificis prohibitionem; secundò, per unanimem Theologorum consensum; si enim Summus Pontifex prohibeat aliquam opinionem, eo ipso impunitas dicta, & consequenter opinionis illius probabilitas tollitur. Secundò, hæc impunitas, tacentibus superioribus, ex concordi judicio omnium Theologorum tollitur, quando omnes aliquam sententiam tuentur. Eo ipso enim contraria opinio censetur improbabilis, si maximum aliquod fundamentum à reliquis prætermissum non afferat. Itaque opinionem aliquam esse probabilem probabilitate opinionibus dari solita significat hæc duo collectivè, eam scilicet nec esse contra uniformem doctrinam Theologorum, nec à superioribus doctrinarum judicibus impeditam aut prohibitam.

Mirabilis & inaudita probabilitatis explicatio à Celladeo cōficta.

Porrò probabilitas ista aliquando purè negativè convenit opinionibus, quia superiores nihil omnino, nec pro, nec contra determinarunt, sed tacuerunt. Aliquando convenit positivè, quando Summus Pontifex positivo decreto omnem censuram & notam utriusque opinionis inhibuit. Unde sequitur primò, probabilitatem opinionibus dari solitam præscindere à vero & falso, & ab approbato vel tolerato. Sequitur secundò, eandem principaliter esse fori exterioris, & non ineptè dici posse probabilitatem *secundùm dici*, cùm probabilitas conscientiæ dici debeat probabilitas *secundùm esse*. Similiter probabilitas opinionum dici potest probabilitas transcendentalis, quia transcendit omnes libros non prohibitos, omnesque ac singulas opiniones non notatas. Probabilitas autem conscientiæ est particularis quædam probabilitas fundatior & solidior, *ut ex omnium Auctorum gravium sensu ostendi lib. 1.* (inquit Celladeus) *& hic tamquam indubitatum suppono.* Hæc Celladeus, quibus putat se clarè intentum suum probasse.

10. Respondeo, argumentum esse prorsùs & undique invalidum. Inprimis ergo fateor, Auctores complures tueri sententiam suam ut certam & evidentem, quod dupliciter fieri potest; primò directè, eò quòd rationes, quibus moventur ad assensum, sint adeò certæ & evidentes, ut postea reflectentes in illas evidenter sciant rationes illas esse tales, ideoque absque omni formidine aut formidandi potentia non solùm directè & exercitè assentiuntur objecto proposito, sed etiam eodem modo reflexè ac signatè evidenter sciunt & asserunt rationes, quibus moti fuerunt, esse infallibiles ac certissimas. Talis est opinio in Physicis, quòd Sol terram, & terra Lunam in mole excedat; quòd dentur Antipodes; quòd terra sit rotunda, ac simpliciter loquendo rotundior pila lusoria, non obstante magna montium ac vallium anfractuositate. Talis in Theologia est opinio, quòd perfecta beatitudo creaturæ rationalis consistat in perfecta possessione Summi Boni, quòd ignorantia invincibilis à peccato excuset, &c. Jam in talibus nemo est, qui fateatur contrariam opinionem esse probabilem respectu intellectûs, cui veritates istæ modo dicto sunt demonstratæ. Talis enim intellectus evidenter scit ac judicat, partem contrariam esse manifestè falsam. Ergo impossibile est, quod reflexè ad se reputet illam esse probabilem, cùm nullum pro parte illa adesse possit argumentum, quo intellectus ad assensum stimuletur, ut dictum est. Nec quemquam inveniet Celladeus, qui de tali opinione sua loquens, unquam dixerit, oppositam esse sibi probabilem.

Auctores dupliciter dicunt suā opinionem esse evidentem.

Primus modus tollit probabilitatem oppositi in eodem intellectu.

11. Nihilominùs, stante hac certissima scientia de veritate unius & de falsitate alterius partis contradictoriè oppositæ, fieri poterit, ut credamus, partem oppositam, etsi nobis certissimè falsam, esse aliis probabilem, quia quod uni certò falsum est, potest alteri esse probabile, ut ostensum est *Assert. 2.*

Sed non in diversis.

12. Secundò, Auctores sæpe solùm reflexè asserunt, suam sententiam sibi videri certam & evidentem, idque vel absolutè, vel solùm quibusdam suppositis, quæ tamen certa non sunt, & ideo supponi debuerunt, ut ad certitudinem saltem ex suppositione pervenirent. In hoc casu, certitudo & evidentia, reflexè asserta, non certò & evidenter ut in primo casu, sed formidolosè & ad summum probabiliter affirmatur, quia nesciunt, an in suo discursu erraverint, aut aliquid ignoraverint, ex quo oppositum efficaciter probari possit. Hinc autem perspicuum est, judicium hoc reflexum non excludere judicium de probabilitate intrinseca partis contrariæ apud alios, neque etiam evidentiam probabilitatis extrinsecè ejusdem apud se. Hoc tunc vel maximè locum habet, quando quis hoc modo opinatur contra communem sententiam, videtque plurimos viros peritos & probos, post omnes suas rationes illis manifestatas, permanere in sua sententia, atque putare contrarias rationes illis prævalere, &c. Tunc certè homo ille habet motivum diffidendi de se ac suo discursu, ideoque evidenter scit, auctoritatem parti oppositæ faventem esse sufficientem, ut quis ex vi illius, non obstantibus rationibus, quas ipse certas esse arbitratur, rationabiliter assensum præbeat; imo ex eodem capite evidenter præsumere potest, quòd pars illa non destituatur validis ac verè probabilibus argumentis, quamvis ipse illa non videat, nec eorum robur percipiat. Jam quando Auctores tuentur suas assertiones ut certas & evidentes, plerumque in hoc tantùm sensu loquuntur, ideo-

Secundus modus asserendi suam sententiam esse evidentem nō impedit probabilitatem oppositi.

que simul existimare possunt, contrariam opinionem esse intrinsecè probabilem apud alios, eamque probabilitatē ab illis optimè cognosci, quamvis ipse illam non videat. Cæterùm si de gravibus Auctoribus sermo sit, Celladeus sæpissimè inveniet eos tunc solùm loqui dicto modo, quando ex suppositione aliqua discursum instituunt. Talis autem locutio non est ad rem, quia judicium de evidentia rei ex suppositione nullo modo contrariatur judicio de absoluta probabilitate oppositi.

Æquivocatio Celladei.

13. Hinc manifesta terminorum confusio apud Celladeum se prodit. Ille enim ita loquitur, ac si Auctores primo tantùm modo essent intelligendi, cùm rarissimum id sit. Tunc autem nemo omnium dicit, aut supponit, oppositum aut sibi, aut aliis rationes ipsius debitè intelligentibus, esse posse probabile, & Celladeum provoco, ut vel unum citet. Cæterùm Auctores frequenter secundo modo loquuntur, & tunc arbitrantur dari posse, ac de facto apud alios dari probabilitatem veram contra id, quod ipsis reflexè certum apparet & evidens. Imo existimant fieri posse, ut illa probabilitas ipsis aliquando appareat, etsi de præsenti illam non videant. Itaque certa probabilitas extrinseca, & intrinseca præsumpta rectè cohæret cùm existimata certitudine oppositi. Ex hoc autem nihil sequitur in favorem Celladei. Nam in primo casu nemini licèt contra propriam sententiam agere; quia oppositum non potest illi ulla ratione apparere verum, aut probabile, quamvis aliis, talem scientiam non habentibus, liceat partem falsam amplecti, quando ipsius honestas est illis certò probabilis, & inhonestas invincibiliter ignoratur. At in secundo casu non est cur homo licitè operari non possit contra suam sententiam directam, modò deponat illud judicium reflexum; quia, eo deposito, ob extrinsecam auctoritatem certò magnam formare poterit judicium practicum, quo prudenter credat, sibi licitum esse sequi opinionem tanta auctoritate suffultam, atque ita demum contra propriam sententiam operari, juxta dicta *quæst. 22.*

Sensus phrasium allatarum explicatur.

14. Ad confirmationem desumptam à phrasibus illis communiter usitatis, *Hoc est evidens. Argumentum evidenter solvitur, &c.* ex dictis patet responsio, scilicet probabilitatem opinionibus dari solitam nunquam cohærere in eodem intellectu cum vera certitudine ac evidentia oppositi, quamvis probabilitas extrinseca, & quædam intrinsecæ præsumptio cohærere possit cum evidentia reflexè & formidolosè affirmata. Neque phrases istæ, aut quidquid à Celladeo affertur, aliud probant, quamvis omnia admittantur esse vera in latissimo sensu, quem verba præferunt. Cæterùm locutio illa, *hoc est manifestum*, juxta communem phrasis acceptionem non infert certitudinem aut evidentiam propositionis, sed solùm ejusdem probabilitatem, quia in principiis immediatè probabilibus frequenter utimur tali locutione, quæ aliud non significat, quàm rem dignam esse assensu, nec ulteriori investigatione indigere, ut illi fides adhibeatur. Phrasis illa, *argumentum evidenter solvitur*, quando cum veritate profertur, solùm aufert probabilitatem ab argumento; inde autem non aufertur probabilitas opinionis, quam illud argumentum confirmabat, cùm illa ex aliis argumentis probabilitatem habere possit. Ergo quamvis aliquis evidenter solvat aliquod argumentum, simul potest agnoscere sententiam, cui argumentum illud favebat, esse probabilem, eò quòd alia argumenta ad hanc denominationem illi tribuendam sufficiant.

15. Quod attinet ad Phrasim illam S. Thomæ, *ad cujus evidentiam sciendum est*, præter responsiones hactenus datas, quæ illi applicari possunt, dico verba illa, *ad cujus evidentiam*, plerumque non sumi in stricta significatione, sed idem sonare, ac si diceret, *ad cujus clariorem intelligentiam, &c.* Quòd si hoc durum ac falsum videatur, non sum qui hac de re litem instituam. Loquatur in summo rigore de evidentia non morali, quæ in majori probabilitate invenitur, sed de metaphisica evidentia, quæ ex suo genere est summa; adhuc non sequitur, illum admittere probabile contra evidens. Ratio est, quia duæ præmissæ necessariæ sunt ad conclusionem inferendam. Jam si una tantùm ex præmissis sit evidens, & altera solùm probabilis, conclusio, quæ partem sequitur debiliorem, erit solùm probabilis. Unde cùm S. Thomas uti soleat illa phrasi, dum loquitur de præmissis, rationabiliter eam applicat uni præmissarum, non autem etiam alteri & conclusioni; quia utraque potest esse probabilis, cùm nulla contra ullam illarum sit evidentia.

Phrasis S. Thomæ explicatur.

16. Sed estò, loquatur S. Thomas de ipsa assertione, eamque absolutè evidentem enunciet, ostendat Celladeus, quod in tali casu opinionem contradictoriè oppositam ulli dixerit esse sibi probabilem, aut desinat dicere, S. Thomam putasse probabilitatem cohærere cum evidentia oppositi. At inquies, S. Thomas non rejicit opinionem contrariam ut improbabilem. Ergo supponit eam esse probabilem. Respondeo, transeat quod non semper expressè rejiciat illam ut improbabilem absolutè apud omnes alios, qui vim suæ demonstrationis ignorant. At frivolum est existimare, quòd non rejiciat illam ut sibi improbabilem. Profectò qui evidenter scit, & apertè pronunciat, opinionem aliquam esse evidenter falsam, ille non solùm dicit illam esse sibi improbabilem, sed omni prorsùs probabilitatis specie carere, quia longè plus est esse evidenter falsum, quàm esse improbabile; multa enim improbabilia sunt vera, & aliquam verisimilitudinem præ se ferunt, nec carent vi stimulandi intellectum ad assensum, cùm nil horum evidenter falsis conveniat. Itaque si S. Thomas certò & evidenter dicat, opinionem aliquam esse evidentem, eo ipso expressè sentit, opinionem contradictoriè oppositam esse sibi improbabilem, & plusquàm improbabilem. Quomodo enim quidquam esse potest probabile illi intellectui, qui non solùm illud non approbat, sed ex evidentia falsitatis necessitatur ad illud reprobandum & damnandum?

S. Thomas non tenet quidquam esse probabile, cujus contrarium est evidens.

17. Quod ad opiniones utrimque controversas attinet, rarissimè evenit, quidquam certò ac evidenter sciri, quamvis aliquando vera ac legitima demonstratio inveniatur. Cæterùm quoties veritas verè demonstratur, impossibile est, quòd oppositum eidem intellectui aut appareat, aut habeatur probabile. Multæ quidem sunt demonstrationes in Physica, Metaphysica, ac Theologia de assertis, in quibus omnes conveniunt, verum admodum paucæ, aut fortasse nullæ de opinionibus utrimque controversis. Nominatim Thomistæ non demonstrarunt contra Scotistas essentiam divinam non distingui actuali formali distinctione à relationibus. Si enim hoc demonstrassent, utique Scotistæ non ampliùs suam opinionem tenerent; puderet enim viros probos & doctos opinionem evidenter falsam tueri. Quid quod absque mendacio eam tueri non possent, ut veram; quia aliud verbis proferrent, aliud mente crederent. Quod si rationes Thomistarum

In opinionibus utrimque cōtroversis rarò datur vera demonstratio.

post

post diligentem earum inspectionem non convincant Scotistas, sed ab illis plausibiliter solvantur, profectò signum est, rationes illas demonstrativas non esse, sed solùm probabiles; si enim essent demonstrativæ, utique raperent intellectum ad assensum, & statim Theologi in illis, sicut Geometræ in rebus mathematicis, convenirent. Nullum enim certius judicium evidentiæ, quàm omnium rationes examinantium concordia; nullum apertius inevidentiæ signum, quàm Auctorum easdem rationes ponderantium discordia. Neque hæc discordia prævio partium affectui tribui potest, quia plures nulli partium alligati, sed in sua educatione liberi, hac in re Scotistis contra Thomistas subscribunt; quod certè non facerent, si Thomistæ veritatem suæ sententiæ demonstrassent. Cæterùm Celladeus exemplum hoc ex omnibus proponere non debuisset, cùm potissimum Scotistarum fundamentum in ipso Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio fundetur. Unde fit, ut sicut mysterium illud est singulare, & indemonstrabile, ita demonstratum hactenus non est, & fortè nunquam demonstrabitur, hoc ipsum mysterium distinctionem illam Scotisticam non includere. Quid enim mirum, si mysterium ineffabile mirabilem secum distinctionem afferat? Ego hac in re cum Scotistis non sentio; sentio tamen opinionem illorum hactenus evidentis falsitatis non fuisse convictam, & quod plus est, vix puto eam in hac vita evidenter convincendam.

Scotistæ tàm faciunt suas opiniones, quàm Thomistæ suas.

18. Quod si Thomista aliquis putet se demonstrasse suam assertionem contra Scotistas, non est, cur etiam Scotista non putet, se suam opinionem contra Thomistas demonstrasse. Annè ideo uterque aut alteruter suam opinionem demonstravit? Nil minus. Istæ sunt demonstrationes tantùm apparentes, quas illi reflexè considerantes, formidolosè putant esse evidentes, cùm revera non sint. Jam qui taliter afficiuntur, non possunt absolutè affirmare opinionem contrariam non esse aliis probabilem, ut dictum est; cùm & ipsismet sit extrinsecè probabilis, quamvis apud illos hìc & nunc extrinsecam probabilitatem non habeat.

An detur vera demōstratio quod dentur entitates modales?

19. Idem dico de opinione, qua contra Nominales affirmamus dari entitates modales ab entibus absolutis distinctas. In hac re existimo, nos nulla in re particulari demonstrare intentum, v. g. quod detur unio aut ubicatio, quæ sit peculiaris quædam entitas ab aliis omnibus distincta, qualem nos illam esse putamus. Ratio est, quia tota ratio nostra fundatur in eo, quod indifferentia tolli debeat, ut habeatur denominatio. Hæc propositio facilè admittitur pro evidenti, etiam ab adversariis. At minor, quæ subsumitur, quòd nil præter talem entitatem auferat aut auferre possit talem indifferentiam, non est evidens, & ab adversariis negatur, quorum aliqui unum, alii aliud pro sufficienti determinativo assignant. Ego quidem rejicio omnes eorum responsiones ut insufficientes, haud tamen omnes ut evidenter falsas audeo rejicere, cùm illas à doctissimis ut sufficientes admitti videam. Sed licèt scirem omnes esse evidenter insufficientes, nondum demonstrarem intentum, quia non est evidens, nullam aliam viam excogitari posse, per quam independenter ab hac entitate peculiari indifferentia illa tollatur. Ego plurimi facio ingenium Celladei, nec tamen puto illum absolutè demonstrasse, dari ullum ex peculiaribus modis communiter assertis, quia nisi evidenter demonstraverit, nullam aliam viam excogitari posse, qua indifferentia tollatur, non demonstravit intentum. At hoc demonstratu difficillimum, ne dicam, impossibile est, quia limitata mens nostra difficulter demonstrare potest, nullum alium intellectum assignare posse ea, quæ nos latent, nisi adsit argumentum positivum directè probans impossibilitatem rei. At tale argumentum deest in casu nostro, utimur enim argumento negativo, dum dicimus nihil assignari posse, quod indifferentiam tollat; si enim aliquid assignari possit, assignetur, & quod assignatum fuerit, invenietur insufficiens, sicut quæ hactenus assignata fuère, sunt insufficientia. Verùm hoc ultimum est mera conjectura, non demonstratio. Unde non rejicimus contrariam opinionem ut improbabilem, cùm illa nobis extrinsecè, & aliis intrinsecè sit probabilis. Quod si nos evidentiam haberemus illorum modorum, profectò Nominalium opinio nobis probabilis esse non posset.

20. Eadem prorsùs ratio est de PP. Dominicanis & Auctoribus Societatis nostræ; mysterium enim efficaciæ gratiæ, & scientiæ divinæ adeo reconditum est, ut etiam, positis principiis fidei, difficillimum sit certam & evidentem ejus notionem habere, ac positivè demonstrare, quòd hæc aut illa sententia, quæ à gravissimis Auctoribus post omnia hinc inde allata seriò considerata defenditur ut vera, sit evidenter falsa. Quòd si aliquis suam partem verè demonstret, opposita opinio illi probabilis esse non potest, cùm sit ipsi evidenter falsa. Si verò aliquis solùm reflexè putet, rationem suam esse demonstrationem, tale judicium non est incōpossibile cum probabilitate partis oppositæ, juxta dicta. Cæterùm si aliquis non solùm diceret, se putare suam sententiam esse veram ac demonstratam, sed absolutè contenderet, se demonstrativè scire suam rationem evidenter concludere partem suam esse veram, ideoque jactaret oppositam opinionem esse evidenter falsam, & certissimum ac indubitatum errorem continere; is certè gravissimam censuram alteri parti inureret, & longè majorem, quàm si diceret eam esse improbabilem. Nec dubito quin Celladeus ipse graviùs ferret, si dicerem ipsius opiniones esse evidenter falsas, quàm si solùm dicerem eas esse improbabiles; quia prima locutio significaret eum in meridiana luce non potuisse veritatem videre, cùm secunda solùm indicaret, eum in rebus obscuris non advertisse ad potissimas rationes contrarias, vel eas debitè non examinasse, aut certè nimis credulum fuisse, ac pluris, quàm par erat, rationes sibi faventes fecisse. Secundum indiligentiam, aut ad summum oscitantiam aliquam arguit; primum autem imperitiam, ac incapacitatem quandam sonat, quæ acerbiùs quàm indiligentia objicitur, ut patet.

Difficillimum est quidquam demonstrare in Theologicis, quādo utraque pars communiter habetur vera.

ASSERTIO III.

Gloriosa Celladei argumentatio, qua hoc loco evincere contendit, usum opinionum probabilium non esse licitum, est manifesta æquivocatio, nec umbram habet legitimæ consequentiæ.

21. PROBATUR. Argumentum suum Achilleum Celladeus his verbis proponit. *Probabile opinionibus dari solitum locum habet contra certum & evidens: sed probabile pro conscientiæ positum non habet locum contra certum & evidens.* Ergo

Gloriosa Celladei argumentatio est mera æquivocatio.

Ergo probabile opinionibus dari solitum non est probabile ab Auctoribus pro conscientia positum. Minorem asserit à nobis omnibus ultrò admitti. Majorem gloriatur se clarè evicisse. Consequentia est legitima. Ruit ergo benigna sententia. Gloriosam enimverò argumentationem! sed manifestè invalidam. Major enim evidenter falsa est respectu ejusdem intellectûs pro eodem instanti; sed aliquando locum habet respectu diversorum intellectuum, aut ejusdem pro diversis temporibus. Minorem admittimus respectu ejusdem intellectûs, quia quando inhonestas rei est alicui certa, tunc verum probabile de ejusdem rei honestate locum non habet in eodem intellectu. At respectu diversorum operantium, minor sæpe est falsa; quod enim uni est evidenter falsum, alteri esse potest probabile probabilitate conscientiæ, ut ostensum est *Assert. 2.* Præmissis hoc modo juxta indubitatum benignæ sententiæ sensum distinctis, consequentia non infertur, nec quidquam infertur contra nos, qui aliud non docemus, quàm illud unicuique licitum esse, quod in rebus incertis ipsi certò probabiliter apparet honestum. Unde si inhonestas rei sit ipsi certa, doctrina nostra pro illo casu apud eum locum non habet.

22. Dices: ergo nobis licitum erit agere contra ea, quæ aliis certa sunt & evidentia. Ergo hæretici excusantur, quia non agunt contra id, quod illis certum est, sed solùm contra id, quod certum est nobis.

In rebus facti sæpiùs quàm in rebus juris licet operari contra id, quod aliis est certum.

Respondeo consequentiam tunc solùm rectè deduci, ac à nobis admitti, quando certitudo, aliis manifesta, ita nos latet, ut tamen post diligentem ac debitam veritatis indagationem habeamus tantam apparentiam de honestate partis contrariæ, quanta juxta dicta ad veram probabilitatem requiritur. Hoc porro sæpe contingit in rebus facti, aliisque, quæ uni tantùm aut valdè paucis sunt certa & evidentia. At in rebus de jure, quæque notoriam ac publicam certitudinem habent (qualia sunt pleraque ad jus naturæ spectantia, quæque ab Ecclesia in materia fidei & morum sunt expressè definita) rarò evenit, ut liceat contra illa agere, quia rarò contingit ea invincibiliter ignorari. Qui enim circa hæc debitam diligentiam adhibet, ad illorum notitiam facilè pervenit. Cæterùm, si contingeret aliquem invincibiliter hæc ignorare, ac habere probabilitatem de veritate oppositi in tali ignorantia fundatam, ille haud dubiè excusaretur in opere, etsi contra veritatem aliis notoriè certam operaretur. Verùm hoc est per accidens, ut patet, & inter Catholicos non adeo frequenter contingit. Eadem ratione plures idiotæ apud hæreticos educati, à peccato infidelitatis excusantur.

ASSERTIO IV.

Probabilitas, opinionibus tribui solita, non est mera impunitas, ratione cujus propositiones edi possunt absque censura, vel impedimento. Rursus eadem probabilitas aliud significat, quàm hæc duo collectivè, nempe opinionem ab uniformi omnium peritorum doctrina non discrepare, & à legitimis doctrinæ Judicibus non esse impeditam vel prohibitam. Demum Celladeus, qui has definitiones pro legitimis attulit, palam erravit; & præterea in re summi momenti non, ut peritum Theologum decet, se gessit.

23. PROBATUR prima pars. Inprimis hæc impunitas convenit plurimis propositionibus temerè conceptis, ut patet; illæ enim sæpe imprimuntur, & defenduntur absque eo, quod ullus legitimus doctrinarum judex eas censuret ac prohibeat. Saltem fieri potest, ut quis propositionem aliquam peculiarem in re ab omnibus non agitata temerè proferat, eamque absque diligenti veritatis examinatione publicè defendat, atque etiam impunè divulget. Certum autem est, tales opiniones esse temerarias, Doctorumque censurâ dignas. Similiter certum est, tales opiniones ea non habere, quæ Auctores benignæ sententiæ, ad probabilitatem opinionum, de quibus loquuntur, expresse requirunt. Ergo impunitas dicta non est probabilitas opinionibus tribui solita.

Probabilitas non est impunitas, seu actualis immunitas à censura.

24. Secundò, impunitas ista non requirit ullam certam magnitudinem in motivo, cui opinio nititur, nec quidquam exprimit circa qualitatem ac vehementiam apparentiæ, qua intellectus ad propositioni assentiendum impellitur. Ergo nullo modo exprimit naturam probabilitatis opinionibus dari solitæ, quia omnes omnino illam explicant per magnitudinem motivi, aut apparentiæ impellentis ad assensum. Certè hæc impunitas minùs congruè definit probabilitatem, quàm hæc oratio, *animal voluptatis capax*, definiat hominem; quia illa impunitas nil plus de differentia probabilitatis, quàm dicta oratio de hominis differentia exponit, ut patet. Rursus illa nil de probabilitatis genere proximo, aut nobilissimo post differentiam ultimam prædicato explicat, sed per meram legum impunitatem, superiorumque conniventiam, imò & tolerationem etiam ex ignorantia profectam, genuinam probabilitatis naturam exponit, quo nil magis incongruum dici potest, cùm probabilitas in ordine ad impellendum judicantis intellectum, non ad actualem potentis judicare tolerationem, relationem dicat. E contra, illa oratio proximum hominis genus, præcipuamque dicti generis prærogativam explicitè declarat. Ergo præsens expositio est deterior probabilitatis, quàm illa oratio sit hominis definitio.

Celladei definitio probabilitatis communiter dictæ est prorsùs insufficiens, & mala.

25. Tertiò, hæc impunitas optimè cohæret in mente alicujus cum certitudine & evidentia oppositi. Sæpe, inquam, quia in materia facti frequentissimè, in materia autem juris non rarò alicui certò constat veritas, contra quam tamen datur præsens impunitas opinandi. At certum est, &, stabilita semel vocum significatione, evidens, nil esse probabile illi, qui evidenter novit contrarium.

rium. Ergo evidens etiam est, dictam impunitatem non esse prædicatum cum opinionum probabilitate ab Auctoribus benignæ sententiæ asserta convertibile. Ergo probabilitas opinionum per dictam impunitatem perperam definitur.

Ex hac doctrina sequitur, omnem opinionem nõ censuratam esse probabilem.

26. Quartò, si quis, contra communem aliorum omnium sententiam, opinionem novam invehat, non ideo illa est improbabilis, ut Celladeus ipse apertè fatetur; quia si afferat maximum aliquod fundamentum, ab aliis prætermissum, eo ipso suam opinionem reddit probabilem. Ergo absurdè in definitione ponitur, quòd opinio, ut sit probabilis, non debeat unanimi aliorum sententiæ repugnare. Quòd si dictam exceptionem adjicias, definitio ad nil inserviet, quia communis consensus contrarius non reddit opinionem aliquam improbabilem; illa reddi non potest improbabilis per hoc, quod dicas illam non habere magnum fundamentum. Unde enim hoc mihi constare poterit? Opinionis inventor dicit, se habere rationem summi momenti & prorsùs convincentem, quam alii aut prætermiserunt, aut non benè perceperunt. Itaque indivisim asserit, suam sententiam esse veram, & fundamenta, quibus nititur, gravissima. Unde constare non poterit, quòd opinio ipsius sit improbabilis; imo necesse erit, quod maneat probabilis, etsi omnes alii reclament, quamdiu legitimus doctrinarum judex eam non damnet. Itaque eò tandem deveniendum est, ut ea solùm opinio dicatur probabilis, quæ à legitimo Doctrinarum judice damnata non est. At hæc sequela est certò falsa, cùm apertè repugnet cum Decreto Alexandri VII. qui hanc propositionem, *si liber sit alicujus junioris & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectum esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem*, expressè damnavit.

27. Probatur secunda pars: Primò argumentis hactenus allatis, quippe quæ æquè militant contra secundum dicendi modum, ac contra primum, ut patet. Præterea Celladeus ipse fatetur, utramque explicationem coïncidere, & ad convertentiam dici. Ergo quæ unum illorum impugnant, impugnant & alterum.

Opinio esset improbabilis, etsi deesset potestas legitima censurandi illam.

28. Probatur secundò, & utraque explicatio rejicitur, quia si istæ definitiones essent veræ, extra Ecclesiam in republica Civili, in qua nulla datur aut exercetur potestas censurandi opiniones, omnes opiniones ab aliquibus traditæ essent probabiles, quia omnes haberent duo illa prædicata, in quibus essentia probabilitatis ponitur consistere. Nulla enim illarum aut censeretur à legitimo Censore, aut ab omnibus Auctoribus damnaretur, cùm aliqui illam tenerent. Ergo nulla ejusmodi propositio esset improbabilis. At sequela est contra lumen rationis, quia multi passione aliqua cæcati absque sufficienti fundamento opiniones inducunt & tuentur. Atqui tales opiniones sunt temerariæ, non probabiles. Præterea independenter à tali potestate, aut certè independenter ab ejus usu, tam Aristoteles, quàm alii omnes melioris notæ Philosophi, plures opiniones tamquam improbabiles & non ferendas rejecerunt, quamvis scirent illas à multis fuisse traditas. Ergo illi non hanc, sed aliam probabilitatis notionem agnoverunt.

Nec dicas, Aristotelem, & alios antiquos non locutos esse de probabilitate, quæ nunc opinionibus tribuitur, sed de alia probabilitate vera & reali. Nam contra est, quia hoc sine ullo fundamento dicitur. Præterea certum est, Auctores benignæ sententiæ eadem ad minimum, & fortasse plura requirere ad probabilitatem opinionum moralium, quàm Aristoteles & Antiqui postularunt, ut patet, tum ex dictis hoc loco, tum *ex tract. de Consc. prob.*

Demõstratio mathematica tollit probabilitatem oppositi.

29. Probatur tertiò. Si mathematica veritatis demonstratio inveniatur contra aliquam opinionem, illicò cessat probabilitas talis opinionis, non tamen tollitur ulla ex duabus negationibus, in quibus collectim sumptis probabilitas dicitur consistere. Ergo per se adhuc manet probabilitas; quod tamen lumini rationis, & communi tum Antiquorum, tum Recentiorum sententiæ repugnat. Ergo probabilitas de veritate alicujus rei non consistit in duplici illa negatione, cùm cohærere non possit cum evidentia de falsitate ejusdem rei, quæ tamen evidentia cum duplici illa negatione cohæret.

Auctores aliud intelligunt nomine probabilis, quàm Celladeus.

30. Probatur quartò. Tam Philosophi, quàm Theologi sæpe taxant opiniones ut improbabiles, etsi illæ nec sint à legitima potestate prohibitæ, nec contra unanimem aliorum omnium consensum probatæ. Ergo Auctores nomine probabilitatis, quam dant aut negant opinionibus, non intelligunt dictam impunitatem, aut complexum duorum illorum prædicatorum, quia vocant opiniones improbabiles, quibus certò sciunt, dictam impunitatem, dictaque prædicata, etiam collectivè sumpta, convenire. Antecedens notorium est omni, qui Auctores legit. Consequentia legitimè sequitur. Unde mirum est potuisse Theologum talem probabilitatis consuetæ explicationem contra veritatem adeo manifestam proponere.

Celladeus in multis à munere Theologi deficit.

31. Probatur tertia pars. Celladeus has definitiones proposuit ex proprio capite, nec vel unum ex Theologis benignæ sententiæ afferre potest, qui hanc, aut aliam cum illa convertibilem, probabilitatis opinionibus tribui solitæ definitionem assignaverit; provoco enim, ut vel unum afferat. È contra, omnes qui probabilitatem opinionum disertè explicarunt, contraria prorsùs dixerunt, & ea ad probabilitatis constitutionem proposuerunt, quæ nos illi essentialia esse docuimus. Ergo palàm contra manifestam veritatem erravit. Porro res hæc est summi momenti, cùm & rectæ Auctorum intelligentiæ, & conscientiæ fidelium debitè formandæ deserviat. In hac autem re Celladeus non se gessit, sicut decet sedulum & peritum Theologum. Seduli enim & periti Theologi est, sensum Auctorum ex illorum verbis, non ex propria imaginatione contra expressa illorum verba proponere. Deinde ipsius est in rebus multùm agitatis sensum vocum non immutare, sed eas in usitata significatione accipere, non novas & à communi sensu alienas earum explicationes ex proprio tantùm capite afferre. Demum seduli & periti Theologi est, dum de rebus ad conscientiæ regimen pertinentibus agitur, cum omni sinceritate ac claritate procedere, ne ansa æquivocationibus detur, & ex nova ac inusitata vocum consuetarum acceptione minùs periti in omnibus titubent, ac de sensu vocum, quas apud Auctores legunt, formident; atque ita demum nil certi habeant, cui inhæreant. At Celladeus omnia contraria hoc loco præstitit. Ergo à munere seduli & periti Theologi deflexit.

Divisiones probabilitatis à Celladeo factæ non subsistunt.

32. Hinc sequitur, omnes probabilitatis divisiones à Celladeo factas ruere, quia in falso fundamento, & suppositione falsissima fundatæ sunt. Nominatim falsum est, quod probabilitas opinionibus tribui solita sit fori exterioris, & *secun-*

dum

dùm dici, non fori conſcientiæ, & *ſecundùm eſſe*. Certè probabilitas, opinionibus ab Auctoribus attributa, pro regula conſcientiæ ab ipſis proponitur. Qua ergo veritatis ſpecie dici poteſt, quòd illa ſit probabilitas fori exterioris, non fori interni & pro conſcientia? Quid magis ad forum conſcientiæ pertinet, quàm quod ad conſcientiam ritè formandam potiſſimè deſervit? Præterea non minùs ſed potiùs plus requiritur in foro externo, ut aliquid admittatur pro tali in foro conſcientiæ: quin forum externum non admittit multa eorum, quibus forum internum maxima ex parte gubernatur. Ergo ſi forum externum admittat aliquid eſſe probabile, haud dubiè præſumendum eſt, quod habeat, quidquid ad veram probabilitatem requiritur. Demum forum externum & internũ non differunt, niſi quando forum externũ ob falſas præſumptiones ac teſtes fallaces à veritate aberrat. Hoc locum non habet in caſu noſtro. Ergo judicium fori utriuſque in hoc puncto idem eſt. Ergo Celladeus in præſenti materia incongruè diſtinxit inter hæc duo fora, quia utrumque prorsùs coincidit.

Probabilitas non tranſcendit omnes opiniones non notatas. 33. Deinde falſum eſt, probabilitatem, opinionibus tribui ſolitam, tranſcendere omnes & ſingulas opiniones non notatas. Hoc ex eo probatur, quòd nullus benignæ ſententiæ Auctor id aſſerat, ſed omnes ex oppoſito expreſſè profiteantur, multas eſſe opiniones non notatas, quæ probabiles non ſunt, ſimulque ex requiſitis ad veram probabilitatem diſcernendam regulas tradunt, quibus vera probabilitas à fucata, & opiniones probabiles ab improbabilibus diſcerni poſſint.

Probabilitas opinionibus tribui ſolita eſt ſolida, & bene fundata. 34. Verùm quidem eſt, quòd probabilitas conſcientiæ debeat eſſe probabilitas ſolida & bene fundata, aliter enim non eſſet vera ſed ficta probabilitas. Verùm quod probabilitas iſta conſcientiæ diverſa ſit à probabilitate opinionibus tribui ſolita, falſiſſimum eſt, quamvis Celladeus dicat *ſe lib. 1. ex omnium Auctorum gravium conſenſu id ipſum oſtendiſſe, atque hìc tamquam indubitatum ſupponere*. Neceſſe enim eſt, Celladeum, aut oblitum eſſe eorum quæ dixit in primo libro, aut minùs ſincerè hoc loco proceſſiſſe. Hoc ut conſtet ſciendum eſt, Celladeum *lib. 1. quæſt. 9.* conatum eſſe oſtendere, uſum benignæ ſententiæ non niti auctoritate eorum, qui pro illa citantur; eaque occaſione inducit Vaſquium, qui plura aliorum dicta ſatis liberè cenſurat. Hinc arripuit anſam dicendi, probabile opinionibus conceſſum non eſſe probabile conſcientiæ, & conatus eſt perſuadere, Vaſquium inter hæc duo diſtinxiſſe. Sed prorsùs infeliciter, quia conſtat, Vaſquium longè aliter & ſenſiſſe, & dixiſſe, ut fusè probatum eſt hìc *quæſt. 16.* ubi omnia circa hoc allata clarè refutata ſunt. Porro in illa ipſa *quæſt. 9. § 2.* ad clariorem rei probationem remittit ſe ad librum ſecundum, ubi pollicetur, *ſe clarè oſtenſurum ex proprio Auctorum benignæ ſententiæ ſenſu*, quod probabile, opinionibus tribui ſolitum, non ſit probabile conſcientiæ. At cùm ventum eſt ad librum ſecundum, ibi nil tradit de proprio Auctorum ſenſu ex illorum verbis, ſed ex imaginationibus hìc allatis, & illationibus malè fundatis, miram, novam, ac apertè falſam probabilitatis definitionem proponit, quam ut oſtendat eſſe legitimam, remittit ſe ad primum locum, ubi dicit: *Se ex omnium Auctorum gravium ſenſu oſtendiſſe, quòd probabilitas longè ſolidior, quàm quæ opinionibus tribui ſolet, ad conſcientiam debitè formandam requiratur.* Quid agis Celladee? ex primo libro remittis nos ad ſecundum, in quo ſpondes, te ex proprio Auctorum ſenſu oſtenſurum, quod probabilitas conſcientiæ non ſit illa, quæ opinionibus tribuitur, quamque benigna ſententia pro conſcientiæ regula admittit. Venimus ad ſecundum librum, & expectavimus, ut promiſſis ſtares. Sed fruſtra; quia nil prorsùs hìc ex proprio Auctorum ſenſu & verbis nobis exhibes, quod tamen te facturum ſpoponderas; ſed iterum jubes nos iter remetiri, & ad primum librum regredi, in quo hìc dicis, te ex omnium Auctorum gravium ſenſu illud ipſum oſtendiſſe, atque hoc loco pro indubitato ſupponere. Itáne verò Lectori fucum facis, & in circulum verè vitioſum circumducis? In primo lib. præter Vaſquium neminem citaſti. Certum autem eſt, Vaſquium intento tuo non favere, ſed tibi contradicere, ut *quæſt 16.* demonſtratum eſt. Cùm primum librum ſcriberes, conſcius eras, te non ſufficienter intentum tuum ex Auctorum verbis ac ſenſu probaſſe, & ideo ſpopondiſti, te in ſecundo libro ampliora allaturum. Sed jam ex libro ſecundo nos remittis ad primum, nec dubitas dicere, rem ibi planè confectam fuiſſe, cujus tamen confectionem ad hunc libri ſecundi locum expreſſè reſervaveras. Suadeo tibi, in poſterum ſis cautior. Celladeus ex oblivione factâ ſibi contradicit.

ASSERTIO V.

Celladeus inconſequenter egit, rejiciendo uſum opinionis probabilioris, eò quòd probabile dari poſſit contra certum.

35. PROBATUR. Et quidem nullum dubium eſt, quin *in hac quæſt.* omnem probabilitatem etiam majorem, ut inſufficientem conſcientiæ regulam rejiciat, cùm expreſſè dicat, eandem eſſe rationem de opinione probabiliore ac de aliis, ideoque eos redarguit, qui per partem probabiliorem omnia ſalvare conantur. Itaque cenſet omnem probabilitatem, etiam majorem, ex vi diſcursûs *in hac quæſt.* propoſiti eſſe repellendam. At hoc inconſequenter dictum eſt; quia quamvis probabile dari poſſet contra oppoſitum certum & evidens, adhuc perſpicuum eſt, probabilius non habere locum contra certum & evidens; quia unicuique ſua opinio eſt probabilior oppoſitâ. Ergo ſi quis habeat unam partem pro certa & evidente, impoſſibile eſt, quod pars oppoſita ſit ipſi probabilior. Quod adeo perſpicuum eſt, & omnium ſenſu comprobatum, ut à nemine terminos penetrante negari poſſit. Ergo quamvis ſequeretur, uſum probabilitatis minoris non eſſe licitum, quia illa datur contra certum & evidens, contra quod ex omnium ſententia non licet operari, non tamen inde ſequitur, uſum majoris probabilitatis non eſſe licitum, quia ex tali uſu licito non ſequitur, quod operari liceat contra certum & evidens. Ergo Celladeus inconſequenter diſcurrit, dum omnem probabilitatem & nominatim majorem ex argumento *in hac quæſt.* propoſito rejicit ut inſufficientem. Celladeus inconſequentiæ arguitur.

36. Dices. Opinio aliqua poteſt eſſe communiſſima ob turbam Doctorum, & tamen ratio oppoſitæ ſententiæ poteſt eſſe concludens. Rurſus major poteſt eſſe impunitas opinionis falſæ, quàm contrariæ certæ & evidentis. In his caſibus opinio falſa eſt probabilior, quàm oppoſita certa & evidens. Ita Celladeus *in fine quæſtionis*, qui ea videtur adjeciſſe, quia implicitè ſaltem advertebat,

tebat, inconsequentiam hîc explicatam illi objici potuisse.

Non omnis opinio cômunior est probabilior.

Respondeo non omnem opinionem communiorem esse probabiliorem, sed illud demum cuique probabilius est, quod ipsi magis probatur. Itaque ex hoc capite certum est, probabilius dari non posse contra oppositum evidens. Rursus quamvis Celladeanæ probabilitatis definitioni insistamus, non apparet quomodò major sit impunitas legalis pro parte falsa, quàm pro parte contraria certa & evidenti. Quis enim legitimus judex unquam censuravit aut prohibuit editionem ac defensionem sententiæ certæ & evidentis, ut sic faveret opinioni certò & evidenter falsæ, illique impunitatem tribueret, quam sententiæ evidenter veræ negavit? Nónne qui ita faceret, eo ipso nulliter faceret, quia limites suæ facultatis excederet? Si nulliter ageret, talis impunitas, etsi concederetur (quæ tamen, nî fallor, nunquam concessa est, nec Celladeus ostendere potest casum, in quo concessa fuerit) eo ipso nulla esset, quia esset certò illegalis. Ergo probabilius repugnat cum contrario certo & evidenti, etiam juxta falsissimam probabilitatis definitionem, à Celladeo traditam. Ergo inconsequenter locutus est.

QUÆSTIO VIGESIMA-SEPTIMA.

An & quomodo opinio, quæ erat probabilis, evadat improbabilis?

1. PROPONO quæstionem hanc sub istis terminis, ut ea examinem, quæ Celladeus tradit *lib. 2. quæst. 6.* ea enim omnia majorem ad hunc quàm ad ullum alium titulum respectum habere videntur. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Opinio ex probabili evadere potest improbabilis. Propositum autem sit modum ostendere, quo probabilitas desinit.

Probabilitas desinere potest, & modus, quo desinit, explicatur.

2. ASSERTIO est certissima, & in ea omnes conveniunt. Ratio est, quia probabilitas desinit, quoties ipsius constitutiva tolluntur. At illa tolli possunt, constitutiva enim probabilitatis multa sunt: primò requiritur ratio vehementer sollicitans intellectum ad assensum, quæ proinde sit magna non solùm absolutè, sed etiam respectivè ad omnia, quæ post debitam diligentiam afferri possunt in contrarium. Secundò requiritur, ne quid certi in contrarium afferatur. De istis aliisque probabilitatis constitutivis fusè egi *qq. 2. 3. 5. & 6. de Consc. prob.* ubi omnia ad hanc materiam spectantia declarata sunt. Jam hæc omnia auferri possunt. Inprimis ratio evidenter solvi potest. Deinde etsi evidenter non solvatur, possunt tot rationes in contrarium afferri, ut prior illa vigorem suum perdat. Tertiò, potest aliquid certum in contrarium afferri de novo, idque dupliciter, primò si demonstratio oppositi de novo reperiatur. Secundò si Ecclesia declaret oppositum, aut expressè prohibeat rem, quæ antea censebatur probabilis. In his casibus constitutiva probabilitatis tolluntur. Ergo probabilitas cessare potest. Cessat autem, sive omnia, sive aliqua tantùm illorum auferantur, quia omnia collectivè sumpta sunt ipsi essentialia, sicut anima corpus & unio sunt essentialia homini. Ergo opinio, quæ erat probabilis, evadere potest improbabilis, & modus, quo opinio suam probabilitatem perdit, ostensus est.

Celladeus frustra carpit Theologum quendam.

3. Hinc apparet, Celladeum frustra carpere Theologum quendam, ut vocat, primarium, eò quòd ille diceret, se nescire quomodo Pontifex efficere posset, ut opinio hoc anno probabilis, fieret improbabilis anno sequenti, quamvis caperet, quomodo idem Pontifex efficere possit, ut aliquid sit de fide, quòd antea non erat. Frustra, inquam, hunc hominem carpit, non enim adeo imperitus esse potuit primarius ille Theologus, ut diceret, oppositum dogmatis ab Ecclesia definiti manere probabile, quia per hoc ipsum apparet certitudo in contrarium, & consequenter probabilitas in omnium nostrûm sententia desinit. Ergo ille Theologus benè intelligebat, quomodo Pontifex simpliciter tollere posset probabilitatem ab opinione. Aliud ergo, nî fallor, non dicebat, quàm quod impossibile sit probabilitatem deperdi, quamdiu omnia ejus constitutiva manent immutata; quod procul dubio verum est: nec Pontifex, illis immutatis, efficere poterit, ut probabilitas, utpote ab illis indistincta, non remaneat; quod verum est. Quod si aliud dixerit, afferantur determinata ejus verba, & tunc illum rejiciam, si, quod non credo, tam absurdè locutus sit, ut Celladeus insinuat.

Celladeus æquivocè arguit, ut favere videtur cuidam Theologo.

4. Æquivocat etiam Celladeus, dum sic arguit pro illo Theologo. Pontifex non potest facere ut hoc anno non sit recta morum regula, quæ anno præterito erat recta morum regula. At opinio probabilis hoc anno est recta morum regula. Ergo Pontifex non potest efficere, ut anno sequenti sit improbabilis. Probat majorem primò à simili, exemplo regularum extrinsecarum; efficere enim nequit Pontifex, ut horologium vel ulna, quæ hoc anno sunt rectæ mensuræ, non sint rectæ anno sequenti. Ergo idem in casu præsenti. Deinde probat eandem majorem à priori, quia probabilitas non est minùs intrinseca opinioni probabili, quàm veritas opinioni veræ. Ergo sicut nemo efficere potest, ut opinio vera hoc anno evadat falsa anno sequenti, nisi objectum varietur, ita nil variando de rationibus & fundamentis opinionis, nemo efficere potest, ut evadat

dat improbabilis. At Pontifex, nisi legem aliquam constituat aut tollat, nil variat de fundamentis & rationibus opinionis probabilis hoc anno. Ergo nequit illam reddere improbabilem anno sequenti.

Æquivocat, inquam, Celladeus, quia multæ morum regulæ mutari, aboleri, ac condi possunt à supremo principe. Tales sunt leges ea præcipientes, quæ antea honestè omitti poterant, aut prohibentes, quæ antea licitè fiebant. Hæ leges sunt regulæ morum, quibus subditi diriguntur. Has alterare potest, & efficere, ut regula hujus anni desinat anno sequenti. Itaque argumentatio tota falso fundamento nititur. Cur ergo eam adhibuit Celladeus, ut, primarii illius Theologi partes ageret? hoc est potiùs homini illudere, quàm partes illius plausibiliter tueri. Viri eximii tali patrocinio non indigent, imò defensiones ejusmodi ipsis gratæ non sunt, cùm non nisi explosione dignæ censeri possint. Jam quod dictum est de regula morum ejusque defectibilitate, æquè quadrat in probabilitatem, ut patet, utpote quæ tolli potest, sicut aliæ quædam indubitatæ morum regulæ alterationi subjacent.

Alia Celladei æquivocatio. 5. Rursus in majoris confirmatione, iterum patenter æquivocat Celladeus. Inprimis materiales illæ mensuræ destrui aut variari possunt, nec ad hoc opus est ad supremum principem confugere, cùm quivis eas vitiare, aut corrumpere possit. Verùm quidem est, quòd horologium jam ritè dispositum non possit perdere rationem mensuræ, quam habet, si omnia immutata maneant; hoc autem æquè procedit de probabilitate aliisque omnibus, ac de horologio, ulna, &c. Et hoc est, quod eximius ille Theologus præsumitur docuisse.

Iterum errat in supposito. 6. Rursus in confirmatione à priori errat in supposito, quia veritas nulli propositioni incertæ est adæquatè intrinseca, ideoque eadem propositio vocalis materialiter sumpta apta est ut transeat de vera in falsam, quia eadem diversis temporibus loco diversorum ac dissimilium actuum intellectûs substitui potest Unde cùm probabilitas non sit magis intrinseca propositioni vocali, quàm veritas, utraque eidem mutabilitati subjacet, ut patet. Porro si probabilitas sit intrinseca alicui actui intellectûs, impossibile erit illam probabilitatem aliter ab actu auferre, quàm actum illum destruendo. Destruitur autem removendo objectum, in quo fundatur, aut producendo actum incompossibilem, &c.

Celladeus ipse sui argumenti vim destruit. 7. Demum Celladeus in fine argumenti destruit totum, quod antea proposuerat, quia fatetur, veritatem auferri posse, si objectum auferatur, eo autem manente, nullam in veritate alterationem fieri posse. At hoc ipsum est, quod Theologus ille, & nos omnes dicimus de probabilitate; illa enim inalterabilis est, quamdiu omnia ejus objecta & motiva tam positiva quàm negativa, quibus intellectus impellitur, manent immutata; neque Pontifex aut quisquam efficere potest, ut illis manentibus cesset probabilitas. At si illa mutentur, ut mutari possunt, absque dubio deficiet probabilitas. Cæterùm eo ipso quod Pontifex aliquid definiat, potissimum, in quo probabilitas oppositi fundatur, tollitur, quia jam habetur certitudo, in cujus carentia probabilitas consistebat, ut dictum est.

ASSERTIO II.

Per hoc quòd probabilitas ab aliqua opinione per Pontificis definitionem tollatur, eo ipso efficitur, ut quæ erat, non sit amplius recta morum regula.

8. PROBATUR contra Celladeum *in* §. *5. & 6. hujus quæst. 6.* Quamdiu opinio fundat judicium non temerarium, sed prudenter conceptum de honestate sui objecti, tamdiu est recta ac prudens morum regula. Sed omnis opinio fundat ejusmodi judicium, quamdiu manet probabilis, ut patet ex notione ac definitione terminorum. Ergo opinio tamdiu est recta morum regula, quamdiu manet probabilis. Totus hic discursus multimodè probatus est, tum *in hoc*, *tum in tract. de Consc. prob.* nec ulteriori probatione indiget. Rursus è contrario, opinio, quæ tale judicium non fundat, non est recta morum regula, ut patet. Atqui opinio probabilis perdere potest suam probabilitatem: eâ autem ablatâ, simul tollitur fundamentum eliciendi prudens judicium de honestate talis objecti. Ergo eo ipso efficitur, ut illa opinio materialiter sumpta, quæ erat, non sit ampliùs recta morum regula. *Mutatur regula, quando probabilitas tollitur.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

9. NULLA unquam doctrina prohibita fuit à Romano Pontifice, quæ ullo unquam tempore fuit recta morum regula; ipsius enim est regulas distortas rectificare, seu potiùs declarare illas esse distortas, non autem rectas abolere. Ergo Pontifex nunquam facit, ut recta morum regula fiat non recta, sed solùm facit, ut doctrina priùs tolerata, non ampliùs toleretur. Per hoc autem facit, ne quis deinde ex ignorantia per illam doctrinam regulari velit. Ita Celladeus §. 5. Nec aliud pro hac sua doctrina affert.

Respondeo, sufficientem, seu rectam morum regulam esse in duplici differentia; alia est regula per se, alia per accidens, seu quod idem est, alia est materialiter & formaliter, alia solùm formaliter recta. Illa doctrina est materialiter & formaliter, seu per se recta morum regula, quæ veritati rerum, & directæ Dei intentioni correspondet. Illa verò est recta per accidens, quæ, quando veritas sciri non potest, est rationabilis præsumptio de ipsa veritate. Certum autem est plures dari ejusmodi regulas. Inprimis omnis error invincibilis est ejusmodi regula; homo enim ex invincibili errore operans non sine regula operatur. At aliam non habet, quàm veritatem merè apparentem sub tali gradu in talibus circumstantiis. Ergo veritas sic apparens est regula, & quidem formaliter & per accidens recta, quia absque dubio operantem excusat, & operationem, quidquid Celladeus in contrarium dicat, honestam fundat. Datur ergo regula per accidens & solùm formaliter recta, quæ materialiter distorta est. Eadem est ratio de omni opinione probabili, quamdiu manet probabilis; tamdiu enim lex non est sufficienter promulgata aut applicata; tamdiu melior est conditio libertatis possidentis; tamdiu, omnibus pensatis, si lis institueretur, pro libertate judicandum esset; demum tamdiu alia plura suppetunt, quorum singula hîc & nunc ad conscientiam debitè formandam suffi- *Regula morum, alia est talis per se, alia per accidens.*

ciunt, quia in hac rerum incertitudine hæ sunt regulæ maximè rationabiles, quibus vitam nostram instituere possumus.

Pontificis est regulas morum, solùm per accidens rectas, abolere.

10. Ex his patet responsio ad objectionem; nulla enim doctrina unquam damnata fuit ab Ecclesia ut falsa, quæ ullo tempore fuit regula morum materialiter & per se recta; ipsius enim, utpote Judicis infallibilis, est regulas per se materialiter distortas rectificare, seu potiùs infallibili judicio distortas declarare. Ex eodem capite certum est, eundem non posse regulas per se & materialiter rectas abolere, quamdiu doctrinæ illæ manent veræ, ac materialiter rectæ. Quod si, ex circumstantiarum varietate, aut materiæ substractione, aliqua veritatem perdat, tunc hoc ipsum docere ad supremum Pastorem pertinet. At si sermo sit de regula morum formaliter tantùm, seu per accidens recta, tam antecedens quàm consequens argumenti est falsum. Pontificis enim est non solùm vincibiliter, sed etiam invincibiliter errantes docere, atque regulas omnes non materialiter & per se rectas abolere. Quin & plures ejusmodi abolevit, declarando illas fuisse erroneas ac materialiter malas; neque tamen ideo vel leviter insinuat, eos peccasse, qui antea talem doctrinam sequuti sunt.

Celladeus nullam de obviis distinctionibus mêtionem facit.

11. Quæ cùm clara sint, mirum est Celladeum res tam disparatas & oppositas confundere potuisse, atque de omnibus eo modo in genere locutum fuisse, ac si de altera tantùm parte, nempe de regula materialiter ac per se recta, loquendum fuisset. Certè distinctio hæc nec difficilis nec recondita est, sed ab Auctoribus benignæ sententiæ usurpata. Cur ergo Celladeus de tali distinctione nec verbum fecit? viderit ipse, & pro se respondeat, si possit.

ERRORES CELLADEI CIRCA Revisorum obligationem.

QUÆRES, quid dicendum sit de iis, quæ Celladeus §. §. 3. & 4. tradit de Revisorum obligationibus & approbationibus?

Respondeo illa parùm facere ad intentum præsens, ideoque non expedire ut in illis multùm immoremur. Nihilominùs juvat, errores illius in hac re notare, quia inde non parvum commodum benignæ sententiæ provenire potest.

Ordinariæ Revisorum approbationes multû conferunt ad probabilitatem opinionis, quæ in libro côtinetur.

12. Inprimis errat, dum dicit, ordinarias Revisorum approbationes nil conferre ad probabilitatem pro formanda conscientia requisitam. Hoc enim est contra omnium sensum; cur enim Ecclesia tam sedulò cavet, ne libri, præsertim de rebus fidei ac morum, absque diligenti Revisorum censura edantur? non nisi quia timet, ne quod est erroneum ac insufficiens proponatur ut verum & sufficiens pro fide ac conscientia regulanda. Censet ergo Ecclesia, fidem non immeritò tribui illis libris, quos constat editos non fuisse, nisi prævia diligenti eorum revisione ac censura. Itaque quamdiu nil affertur in oppositum, evidens est, Revisorum approbationem plurimum conducere ad probabilitatem extrinsecam, per quam plurimi gubernantur, etsi non tantum conducant ad augmentum probabilitatis intrinsecæ apud virum peritissimum, qui totam libri doctrinam diligenter evolvit, quia illi aliud non faciunt, quàm approbare doctrinam & rationes, quas in libro illo invenerunt, absque eò quòd veritatem illarum novis argumentis confirment. Unde approbatio illorum non adeo multum conducit ad hoc, ut peritissimus quisque præsumat doctrinas in libro contentas esse veras.

Revisores non debent approbare evidenter falsa.

13. Errat secundò, dum dicit, Sanctum Thomam approbaturum fuisse librum, quem ex officio revidisset, etiam quoad ea, quæ evidenter scivisset esse erronea, modò errores illi aliis essent incomperti. Errat, inquam, tum quia absque fundamento hoc dicit, tum quia durum videtur id de tam Sancto doctoque viro existimare. In his enim nemo positivè ac directè concurrere potest, ut falsa illa opinio in aliorum mentibus propagetur. At Revisor, approbans librum, positivè concurreret ad errorem sua auctoritate cohonestandum, ideoque malè faceret; sed & contra munus suum peccaret; ideo enim instituuntur Revisores, ne errores certos, aut periculosa & minùs probata edi permittant. Ergo talium editioni resistere debent, quantum est in ipsis. Hoc enim illorum officium postulat. Quod confirmatur. Quis enim credat, Pontificem, aut Episcopum quemvis contentum fore, si sciret, Censorem, quem instituit, libros approbare, in quibus evidenter sciebat, plures errores contra fidem ac legem Dei comprehendi? Hæc probant, officium Revisoris postulare magnam hac in parte sinceritatem, & animi libertatem. Et sanè ipsamet approbatio cuique præbet fundamentum credendi, Revisores non existimasse propositiones, à se approbatas, esse evidenter falsas. Quod iterum indicat, approbationem evidenter falsorum officio ipsorum repugnare, eosque mentiri, si talia approbent. Sed de hoc mendacio mox plura subjungam.

Possunt approbare probabilia, ab ipsis pro falsis habita.

14. Hoc tamen non obstat, quo minus Revisores approbent sententias, quas falsas reputant, modò sciant eas esse probabiles. Maximè si videant Doctores peritos & probos post examen rationum, quibus ipsi nituntur, contrarium tenere; quia tunc veritas est incerta, & res utrimque probabilis, quæ proinde ob contrariam Revisoris opinionem rejici ac condemnari non debet.

Mentitur Revisor, qui evidenter falsa approbat.

15. Neque ex subscriptione contra propriam sententiam sequitur Revisorem mentiri, quia nemo ex tali subscriptione prudenter infert, quòd Revisor putet omnia in libro contenta esse vera; sed solùm quòd putet ea temeritate carere, seu esse probabilia, aut ad minimum apertæ veritati non repugnare. At si contra evidentiam subscriberet, mentiretur; quia sua subscriptione protestaretur, se nil vidisse in libro, quod infallibili veritati contradiceret, cùm tamen aliter in mente sua judicaret. Rursus ex alio titulo mentiretur, quia expressè diceret, nil reperiri in libro fidei ac bonis moribus contrarium, cùm tamen certò & evidenter sciret, plura bonis moribus ac legi Dei contraria in illo contineri.

16. Neque satisfacit Celladeus dicendo, Revisores in illis casibus non mentiri, quia sensus subscriptionis est, librum, relatè ad communem hominum existimationem, nil falsum, aut bonis moribus repugnans continere, quod verum est, etsi ipsi ex privata sententia certò sciant librum errores continere. Præterea, *non intendunt*, inquit, *approbatum librum fieri regulam morum, sed solùm illud probabile conferre volunt, quod cæteris libris, qui edi solent, commune est: hoc autem non est probabile conscientiæ, ut toties ex communi Auctorum consensu ostensum fuit.*

Non, inquam, satisfacit, quia approbatio libri, ex officio facta, non solùm indicat, quid Revisor

Evasio Celladei eos à mendacio non excusat.

Revisor judicet de doctrina relatè ad communem aliorum existimationem, sed quid ipse de ea, ejusque merito judicet. Unde ad minimum indicat, Revisorem putare, doctrinam illam non esse certò erroneam, sed omnibus inspectis meritò præsumi posse rationabilem. Deinde quod subjungit, Revisores non intendere librum, quem approbant, fieri regulam morum, est apertè falsum. Libri enim morales ideo eduntur, ut per illos aliorum conscientiæ regulentur. Itaque qui librum approbant, apertè declarant, illum fini suo, seu conscientiis dirigendis, esse idoneum. Ergo intendunt affirmare, doctrinas libri habere probabilitatem sufficientem ad conscientiam debitè formandam, si liber ipse doctrinas proponat ut tales; nec hoc solùm affirmant, sed etiam eandem probabilitatem conscientiæ suo calculo aliqualiter augent, magisque præsumibilem constituunt, ut patet. Demum quod ultimo loco dicit, probabile conscientiæ non esse idem cum probabili, quod Auctores opinionibus tribuunt, idque se ex communi Auctorum consensu sæpius ostendisse, omni ex parte falsum est. Evidens enim est ex lectione libri, Celladeum nullibi communem Auctorum sensum pro hujus rei confirmatione attulisse, sed modò lectorem ad sequentia misisse, & cùm ad sequentia ventum est, iterum ad antecedentia remisisse, ac si in illis res confecta fuisset, quod est lectori illudere: sed circa hoc pluribus opus non est, cùm falsitas hujus asserti quæst. superiore explosa sit.

Censor libri non se habet instar Judicis ad reum.

17. Errat tertiò in eo, quod dicit, privatam Revisoris scientiam de errore doctrinæ in libro contentæ, non posse magis obesse libri editioni, quando doctrina illa communiter toleratur, quàm privatam judicis notitiam reo, quando ille juxta allegata & probata criminis non convincitur. Errat, inquam, quia Revisores non instituuntur tamquam judices, qui juxta aliorum informationem, sed potissimè juxta propriam ac privatam notitiam judicent, & censuram ferant. Itaque fateor, judicem ex privata scientia non posse quemquam damnare reum homicidii, de quo accusatur, sed debere eum liberum dimittere, si ex actis non convincatur esse reus, quamvis ipse certò sciat, illum patrasse illud homicidium. Ratio est, quia ille non potest aliter judicare, quàm juxta facultatem ipsi à principe communicatam; illa autem facultas solùm extenditur ad hoc, ut juxta allegata & probata procedat, ipsique inhibetur, ne simul sit judex & testis. At si sermo sit de supremo judice, qui facultatem habet nulli subordinatam, non est cur ille non possit juxta propriam scientiam procedere, & sic quodammodò fieri simul testis & judex, quamvis revera ipse tunc testem propriè non agat; nam reus, qui in oculis ipsius peccavit, seipsum accusavit ac convicit. Est ergo solùm testis, quatenus authenticè testificat subditis, se certò conscium esse criminis, ob quod reum absque ulteriori examine, utpote quod in tali casu necessarium non est, capitis damnat. Jam viri præstantis tantùm doctrinæ eliguntur in Revisores ac Censores librorum, ut ipsi ex sua scientia censurare ac corrigere possint, quæ correctione ac censurâ digna noverint. Itaque haud dubiè instituuntur, ut ex privata etiam scientia judicium ferant.

Revisor Matheseos peritus nō satisfacit muneri, si evidenter errores pro demonstrationibus propositos approbet.

18. Sed ut hoc clariùs pateat. Exemplo sit Revisor, Matheseos peritus, qui librum Geometricum censendum accipiat. Ponamus illum evidenter scire, quod liber plures errores pro demonstrationibus proponat. Sanè ille suo muneri haud satisfaciet, si errores non detegat, expresséque declaret, ubi errores latent; quod verum est, etsi plurimi, immò plerique reputent, errores illos esse veritates demonstratas. Quis ergo dixerit, eum suo officio fungi, qui absque censura & emendatione librum approbat, in quo evidenter scit, plures esse errores contra rectos mores, & legem Dei? Anne pluris est homines in Mathematicis quàm in moralibus decipi? Præterea Revisor non licitè approbat librum, in quo nova opinio eruditur, si evidenter sciat, illam esse falsam, quamvis videat rationes, quas Auctor affert, esse plausibiles, & plurimis placituras. Hoc adeo verum videtur, ut in dubium revocari non possit; quomodo enim non offenderet Deum, qui suo chyrographo approbaret, quod certò scit legi divinæ esse contrarium, quando Auctor libri, casum de novo inveniens, illum toti mundo proponit ut licitum. Ecce casum habemus, in quo Celladeus ipse, nî fallor, non diffitebitur, scientiam privatam Revisoris nocere posse librorum editioni, quia Revisor in illo casu simul est testis & judex, ideoque aliter se gerere debet, quàm judex criminalis in foro externo. Quod si hoc faciendum sit in casu opinionis novæ & peculiaris, quamvis plausibiliter probetur, idem pariter fieri debet in opinionibus communibus, quia utrobique idem est Revisoris officium, eadem obligatio.

Revisor debet improbare opinionem novam evidenter falsam.

19. Æquivocatio in eo latet, quòd rarissimè contingat, Revisores habere talem evidentiam. Verùm quidem est, quòd aliquando reflexè putent, aliqua esse certa, sed opinativè tantùm & formidolosè hoc asserunt. Unde non habent veram, sed solùm existimatam scientiam. In tali autem casu non semper debent tantum suæ opinioni tribuere, ut illius incertitudo sufficere possit ad alienam sententiam condemnandam. Itaque in tali casu Revisor probare potest opinionem suæ contrariam, si illa ab aliis communiter habeatur vera, maximè si illi sint viri valde periti, simulque conscii sint rationum, quas affert, & existiment, ac profiteantur, se illas solvere, illisque non obstantibus, reputent oppositum esse verum.

QUÆSTIO VIGESIMA-OCTAVA.

Vtrùm detur probabilitas purè negativa? & alia ejusmodi?

Quæstio hæc cur instituatur?

1. QUÆSTIO hæc verè procedit de subjecto non supponente, ideoque nullatenus tractanda fuisset, nisi Celladeus *lib. 2. quæst. 7.* fusè de ea disseruisset, atque circa illam plura protulisset, quæ Lectori offendiculo esse possint, quæque proinde examinari debuerunt. Inprimis ergo supponit, non paucos benignæ sententiæ Auctores confundere probabilitatem purè negativam cum probabilitate conscientiæ, illamque pro sufficienti conscientiæ regula proponere. Sed more suo neminem citat, cùm tamen, qui talia dicunt, maximè citandi essent, ut eorum doctrina vitaretur. Siquidem constat, talem assertionem esse culpandam. Citandi etiam erant, ne paucorum culpa ex Lectoris ignorantia pluribus innoxiis tribueretur. Deinde, hoc supposito, conatur ostendere, plures esse probabilitates *purè negativas, pura defensionis, pura impugnationis, &c.* quas omnes ut insufficientes pro conscientia regulanda rejicit. Ex hoc autem magnam benignæ sententiæ cladem se intulisse existimat. Verùm in his omnibus irrito conatu laboravit, nam aut nil horum est verum, aut certè si quid verum sit, id nostræ sententiæ non obstat, ut ex sequentibus patefiet. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Dicere, dari probabilitatem purè negativam in sensu Celladei, est ludere in terminis, & nihil dicere.

Nil dicit, qui dicit dari probabilitatē purè negativam.

2. PROBATUR. *Opinionem esse purè negativè probabilem in eo consistit, quod adversùs se non habeat ullum argumentum certum, aut concludens, nec pro se habeat ullum argumentum, saltem grave.* Ita Celladeus §. 1. definit opinionem purè negativè probabilem. At dicere, talem probabilitatem dari, est ludere in terminis illisque abuti, quia inauditum est hactenus, quòd probabilitas in carentia omnis motivi, aut motivi gravis consistat, cùm omnes benignæ sententiæ Auctores illam in ratione motivi allicientis ad assensum constituant. Nec quodvis motivum alliciens judicarunt esse probabile, sed illud solùm, quod tanta vi allicit, ut, omnibus hinc inde inspectis, mereatur assensum, eò quòd sit motivum verè magnum & dignum assensu, etiam in contradictione motivorum contrariorum. Ergo dicere, opinionem omni motivo gravi & magno, imo omni omnino motivo carentem esse probabilem, sed probabilitate purè negativa, est ludere in terminis, illisque abuti; quia perinde est ac dicere, non probabilitatem esse probabilitatem, & inter probabilitatis species numerari, quod ludicrum est, & ab omni veritate alienum. Certè ea, quæ Celladeus ponit in hac definitione, opinioni cuilibet maximè temerariæ, summéque improbabili conveniunt. Ergo certissimum est, contenta sub hac definitione non esse probabilia. Itaque dum aliqua dicuntur purè negativè probabilia, si rectè loqui velimus, idem est ac si dicerentur non probabilia, qualia reipsa sunt. Ergo vocare illa probabilia est ludere in terminis, illisque ad sensum prorsùs alienum abuti, cùm omnes definiant probabile per fundamentum grave. Ergo qui sic loquitur, nil dicit.

ASSERTIO II.

Celladeus inconsequenter loquitur, sibique contradicit in definitione probabilitatis purè negativa.

3. PROBATUR. Probabilitas purè negativa est omnium probabilitatum infima, cùm alia illâ inferior excogitari non possit. Ergo illa non est nobilior probabilitate opinionibus dari solita. At probabilitas opinionibus dari solita, datur contra certum ex mente Celladei, *lib. 2. quæst. 5.* ubi id ipsum demonstrare prætendit. Ergo à fortiori probabilitas purè negativa dari potest contra certum. Neque Celladeus id negare poterit, si rationabiliter & consequenter loquatur; quia illa ipsa probabilitas, contra quam datur certitudo, ad summum est probabilitas negativa, cùm ad aliquam probabilitatis speciem pertineat. Non est autem positivè probabile id, cujus oppositum est certum & evidens (ad hoc enim ut opinio per Celladeum sit positivè probabilis, debet habere fundamentum grave, & nil certi, immo nil grave contra illam afferri debet) ergo est solùm negativè probabile. Ergo certitudo in sententia Celladei dari potest contra probabilitatem purè negativam. Præterea si certitudo dari possit contra ullam probabilitatem, maximè dari poterit contra purè negativam, quæ est omnium minima, & minus habet quàm probabilitas positiva, quæ absque dubio repugnat cum certitudine oppositi. Ergo Celladeus inconsequenter loquitur, sibique contradicit, dum definit opinionem purè negativè probabilem per hoc, quod nil certum in contrarium afferatur.

Contradicit sibi Celladeus definiendo probabilitatem purè negativam.

ASSER-

ASSERTIO III.

Propositum sit exponere causam, ob quam Celladeus monstrosam hanc, inauditam, atque in terminis implicantem probabilitatem purè negativam induxit.

4. FUNDAMENTUM proximum hujus inventi fundatur in inaudita, ac patenter falsa definitione opinionis probabilis à Celladeo proposita. Ille enim opinionem probabilem definit per impunitatem quandam eam docendi ac evulgandi. Hoc stante, ut consequenter loqueretur, debebat dicere omnem opinionem, cui talis impunitas convenit, esse probabilem. At illa impunitas tribuitur ab ipso multis opinionibus, quæ juxta ipsum omni fundamento, saltem gravi, carent. Ergo necesse erat, ut diceret, tales opiniones esse probabiles. At videbat illas non habere fundamentum, quod ad positivam ac veram probabilitatem sufficeret, ideoque coactus est eas novo & inaudito vocabulo vocare opiniones purè negativè probabiles. Hæc videtur proxima & immediata origo hujus incongruæ locutionis. Hinc apparet, quàm miserè viri docti nonnunquam labantur, quando communem ac tritam Doctorum viam deserunt, & novas vocum significationes novasque terminorum definitiones contra communem omnium sensum, & notissimam terminorum acceptionem sibi præfigunt.

Quod si loquamur de remota falsæ hujus ac impropriæ loquutionis causa, illa videtur fundari in mala intellectione aliquorum assertorum, quæ Auctores gravissimi tradunt esse verissima, & sunt verè probabilissima, quamvis illorum probatio aliquo modo in negatione motivorum pro una vel altera parte consistat. Hoc quomodo fieri possit, exponendum est per sequentem assertionem, ex qua unusquisque facilè perspiciet, quænam fuerit prima origo hujus erroris in Celladeo.

ASSERTIO IV.

Aliquando, stante dubio de utraque parte contradictionis, pars minùs tuta est probabiliter licita; non tamen per negativam, sed per probabilitatem manifestè positivam.

5. PROBATUR. Dubitet aliquis, an votum emiserit? Aut an res ab ipso possessa ad alium pertineat? In hoc casu si debitam diligentiam ad veritatem inveniendam adhibeat, illamque invenire non possit, sed post omnem conatum, tam votum quàm jus alienum maneat dubium, probabile est, quod non teneatur ad voti impletionem, aut rei possessæ alienationem. Hæc probabilitas fundatur in carentia rationum, vel certè in carentia rationum prævalentium pro una parte, id est, fundatur in dubio negativo vel positivo de voto emisso, vel de jure rei possessæ. Hoc dubium, reflexè cognitum, est motivum saltem partiale, ex quo homo legitimè infert, quòd non teneatur aut ad votum, aut ad restitutionem. Exemplum pono in casu possessoris dubii de jure alieno. Talis enim discursus formatur. In dubio melior est conditio possidentis, quia æquum non est, ut propter merum dubium sua se possessione spoliet. Hoc est principium lumine naturæ notum, & ab omnibus admissum. At Titius, post debitam diligentiam adhibitam, manet dubius, an res à se possessa ad Caium pertineat. Ergo melior est conditio Titii, qui proinde licitè retinet rem possessam, nec tenetur eam Caio dare, seu restituere. Hæc & aliæ plures probabilitates fundantur in dubio tanquam in objecto, quod assumitur pro fundamento discursûs. Verùm istæ probabilitates sunt probabilitates manifestè positivæ, quia consistunt in motivis, & quidem gravibus ac rationabilibus, quæ positivè & vehementer impellunt ad assensum. Ergo aliquando, stante dubio directo de utraque parte contradictionis, pars minùs tuta reflexè considerata evadit probabiliter licita, non tamen per negativam, sed per probabilitatem manifestè positivam.

Pars minùs tuta nonquã est probabilis in dubio, nisi per probabilitatem positivam.

6. Probatur secundò. Omnis opinio est assensus. At repugnat assensus sine omni motivo. Ergo & opinio probabilis. Ergo repugnat opinio purè negativè probabilis, quæ omni omnino fundamento careat. Rursus opinio probabilis plus dicit, quàm opinio. Ergo plus dicit quàm habere motivum. Ergo superaddit magnitudinem aliquam atque præcellentiam in suo motivo. Ergo repugnat opinio probabilis, cui desit motivum, validum, præcellens, magnum, grave, ac prudens, quia hæc omnia identificantur cum propria differentia motivi probabilis. Consideret hæc Celladeus, & videbit inanem esse distinctionem probabilitatis in positivam ac purè negativam, nec ullum ex Auctoribus benignæ sententiæ ostendet, qui probabilitatem talem agnoscat, quamvis multos inveniet ita loquentes de dubio, sicut ego in assertione locutus sum, in quo tamen casu probabilitatem positivam exigunt, ut quis aut sententiam suam debitè proferat, aut conscientiam rectè formet. Interim remota ac radicalis origo deceptionis Celladei in hac aliquorum Auctorum locutione fundari videtur.

Nulla opinio caret motivo.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò. Omnibus notum est, dari argumenta negativa, & per illa plures conclusiones stabiliri. In physicis frequenter utimur hoc principio, *non sunt multiplicanda entia sine necessitate.* Jam hoc principium pro inferenda conclusione indiget minore dicente, *nullam hic esse necessitatem*, quod probari solet progressu negativo. Ergo dantur in scientiis multæ probabilitates negativæ, quia conclusio fundatur non solùm in majori, sed etiam in minori negativa, & sequitur debiliorem partem. Ergo non habet fundamentum grave positivum. Ergo est probabilis negativè, quia non aliter est probabilis, quàm sicut probatur. Ita Celladeus §. 2. *in fine.*

Objectio 1.

Respondeo inprimis, Celladeum in hoc argumento inconsequenter discurrere, ac apertè deserere definitionem opinionis purè negativè probabilis, priùs stabilitam; illam enim definierat esse, contra quam nil certum affertur, modò illa pro se nullum fundamentum, saltem grave, habeat. At jam in argumento vocat opinionem negativè probabilem, quæ non habet pro se fundamentum positivum grave, quamvis habeat validissimum fundamentum negativum, quod non minùs sollicitat ad assensum, quàm valida fundamenta positiva. Quid dicis Cellade? Est ne hoc opinionem illam carere omni motivo? Saltem

Celladeus inconsequenter discurrit, & sibi contradicit.

gravi?

gravi? Nemo certè ita dixerit, cùm nil evidentius, quàm opiniones tales non solùm non omni fundamento carere, sed gravissimo fundamento, validéque stimulante muniri. Ergo tales opiniones non sunt purè negativè probabiles juxta definitionem probabilitatis purè negativè à te antea stabilitam. Ergo inconsequenter discurris, dum hoc argumento niteris probare, quòd dentur opiniones purè negativè probabiles. Immò, quod plus est, ipse tuam definitionem subvertis, & contradictoria inter paucas lineas doces, cùm probatio thesi probandæ apertè contradicat.

Argumenta negativa habent positivam vim movendi, non minorem, quàm argumenta positiva.

8. Respondeo secundò. Dantur quidem argumenta, quæ vocantur negativa, quia in propositionibus negativis consistunt. Cæterùm illæ propositiones negativæ, ut sint propositiones, debent habere fundamentum, alioquin propositiones ac judicia esse non possent, cùm judicium sine motivo elici nequeat. Sanè multæ propositiones negativæ tam sunt evidentes quàm positivæ, fiuntque plures demonstrationes, quarum conclusio est propositio negativa. Anne propositiones negativæ evidentes, & conclusio negativa demonstrata carent omni motivo gravi? Eadem est ratio de propositionibus negativis inevidentibus; illæ enim non minùs quàm evidentes indigent motivo, & si sint magis rationabiles, ut sæpe sunt, quàm aliquæ propositiones affirmativæ, meliori aut validiori fundamento nituntur. Ex his apertè sequitur conclusionem in scientiis, quam Celladeus purè negativè probabilem, ac proinde omni fundamento saltem gravi carentem appellat, non esse talem, cùm valido fundamento muniatur.

Error Celladei notatur.

9. Rursus falsum est, quòd minor illa negativa, *sed hic nulla est necessitas*, probari soleat in scientiis progressu negativo; quia contrarium prorsùs evenire necesse est. Ut enim probemus nullam esse necessitatem actionis distinctæ, v. g. id positivè probamus, quia ostendimus quomodò sine actione distincta omnis indifferentia auferatur, & omnia alia habeantur, ad quæ præstanda actio media introducitur. Neque enim aliter fieri potest, ut probemus nullam dari necessitatem tertii, nisi ostendamus munus illius suppleri posse sine illo tertio. At hoc non nisi argumentis positivis probari solet aut potest, ut patet. Ergo falsum est, quod illa minor in scientiis progressu negativo probari soleat.

Motivum propositionis negativæ sæpe est entitativè positivum, & semper positivè impellit.

10. Demum displicet, quod motivum propositionis negativæ dicatur negativum; haud dubiè enim motivum, quo intellectus impellitur ad dissensum, est positivum. Credo Deo dicenti, *Verbum suum non esse factum: Spiritum S. non esse genitum.* An ideo motivum fidei meæ est negativum? Nil minus. Idem enim motivum habeo pro actu negativo, quod habeo pro actu affirmativo fidei, nempe auctoritatem Dei revelantis, absque dubio est motivum positivum. Idem valet non solùm in fide humana, sed extra fidem in propositionibus negativis scientificis, sive illæ evidentes fuerint, sive probabiles; repugnantia enim terminorum, eorumque contrarietas est motivum dissensûs. At illa contrarietas est quid positivum, ergo propositiones negativæ fundantur in motivo positivo. Ergo nulla est propositio probabilis negativa, quæ non sit positivè probabilis, seu probabilis ex vi motivi plerumque saltem positivi in se, & semper positivè impellentis ad assensum. Tantùm abest, ut negativus in probanda opinione progressus, si admittatur, arguat illam esse purè negativè probabilem, seu non niti fundamento positivo, aut positivè impellente, ut certissimè evincat oppositum.

Objectio 2.

11. Objicit secundò. *Vel argumenta, quæ adduco* (inquit Celladeus §. 2.) *ad probandam probabilitatem purè negativam, sunt fundamenta gravia, vel non sunt? Si concedas esse gravia, ergo assertio mea est positivè probabilis, at prudenter posita. Ergo pars opposita erit solùm negativè probabilis, ex quæst. seq. ergo habeo conclusionem. Si neges mea fundamenta esse gravia. Ergo Conclusio mea erit solùm negativè probabilis, pro qua scilicet nullum est positivum fundamentum grave. Ergo per hoc ipsum fundamenta mea sunt gravia, quia per hoc ipsum probant conclusionem, pro qua sunt. Ergo habemus grave ex non gravi, & probamus conclusionem per defectum probationum.* Ita Celladeus loco citato, qui putat se hoc argumento inevitabiliter evincere, quòd dentur propositiones purè negativè probabiles.

Dilemma Celladei est merus paralogismus.

Respondeo, opus non esse argumentis ad probandum, quòd multæ sint propositiones & opiniones non probabiles, sed improbabiles, cùm omnes id admittamus. Itaque si Celladeus nomine opinionis purè negativè probabilis, intelligat opinionem non probabilem, utpote quæ sola in definitione ipsius comprehenditur, sine argumentis totum concedo. Verùm si contendat, quod dentur opiniones probabiles, ut hoc loco contendit, quæ tamen sint merè negativè probabiles juxta definitionem ab ipsomet stabilitam, non solùm id nego, sed dico dilemma, quo putat se rem conficere, esse merum sophisma. Itaque inprimis dato non concesso, quòd argumenta ipsius sint gravia, do etiam non concedo, assertionem ipsius esse positivè probabilem, quia hoc est consequens ad priùs datum. Verùm inde non sequitur, oppositum esse purè negativè probabile, quia cum hoc stare potest, quod sit prorsùs improbabile, ut patet. Itaque prima pars dilemmatis est prorsùs invalida, quamvis antecedens concedatur esse verum. Nec obstat, quod Celladeus pro consequentiæ probatione remittat se ad quæstionem sequentem, quia in illa solùm contendit, utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem. Verùm inprimis hoc est falsum, ut *quæst. sequenti* ostendetur. Deindè quamvis esset verum, ex eo solùm sequeretur, partem alteram non esse positivè probabilem, non autem quod sit probabilis negativè, si voces istæ aliud significent, quàm illam non esse probabilem. Itaque Celladeus ad probandam consequentiam, remittit se ad principium non solùm falsum, sed etiam insufficiens ad probandum intentum, quamvis illud ipsum admittatur ut verum.

Gloriosa argumentatio refellitur.

12. Ad secundam partem dilemmatis, quæ magis rem concernit, nil admitto, sed juxta rerum veritatem aut falsitatem respondeo, & dico, fundamenta Celladei gravia non esse; potissimum enim omnium est illud, quod in prima objectione proposui; illud autem non modò non est grave ad probandum intentum, sed efficacissimè convincit oppositum, ut ostensum est. Porrò ex hoc antecedens sequitur, quòd assertio ipsa non sit probabilis, quia & reipsa, & etiam ex suppositione caret fundamento gravi; non autem sequitur, quod sit negativè probabilis, aut quod habeat fundamentum grave, quale habent opiniones, quas argumento negativo probamus. At hoc deberet sequi, ut hæc pars dilemmatis probaret intentum. Falsum ergo est, quod argumenta Celladei per hoc ipsum evadant gravia, & probent conclusionem intentam; quòd non sint gravia,

gravia, quia nec reipsa, nec ex hypothesi vel apparenter hoc probant. Quævis enim conclusio ex æquo improbabilis est, sive probetur esse talis, sive non probetur esse probabilis. Neque enim ad improbabilitatem conclusionis requiritur, ut argumenta illam probent, sed sufficit, ut illam non probent, ut patet. Itaque in hac parte dilemmatis aliud non reperio quàm merum sophisma, quod à quoquam vel novitio Theologo facilè solvi potest, quia argumentatio eò tendit, ut persuadeat propositionem non probabilem esse probabilem, sed probabilem purè negativè, quod est ludere in terminis, & implicatoria dicere. Quæ cùm ita sint, non ampliùs gloriabitur Celladeus, ni fallor, *se ritè inferre grave ex non gravi, & sufficienter probare conclusionem suam per defectum probationum.*

Objectio 3. 13. Objicit tertiò. Sicut absurdum est dicere, Theologos in omnibus leviter discurrere, ita pariter absurdum est dicere, quod in omnibus gravia fundamenta afferant. Ergo aliquando habetur probabilitas negativa. Ita Celladeus §. 2.

Opiniones quæ nunc carent, olim non carebāt motivo gravi. Respondeo, opiniones illas, quas Theologi levi manu pertractant, & sine gravi fundamento evulgant, non esse probabiles, sed improbabiles, & pro talibus habentur ab omnibus, qui agnoscunt illas gravi fundamento carere. Ergo ex hoc non sequitur probabilitas negativa, nisi per has voces solùm intelligatur non probabilitas. At Celladeus aliud intelligit, ut patet. Ideoque intentum suum non probat. Est & alia æquivocatio, quæ latet in argumento scilicet, opinionem gravium Theologorum nunc carere fundamento gravi, quia jam aliqua apparent in contrarium, quæ ipsos latebant? Hoc autem probat Theologos illos caruisse fundamento gravi, quia cùm invincibiliter ignorarent istas rationes contrarias, habuerunt stimulum vehementem, & motivum grave ad assensum. Motivum enim probabile plerumque conflatur ex ratione positiva, & negatione argumenti nimium prævalentis, ut sæpe dictum est. Itaque sicut nec Celladeus, nec quisquam alius prudenter dixerit, S. Thomam, aut Scotum ullam thesim leviter & sine gravi fundamento tradidisse, quamvis jam post varias rationes à posterioribus in contrariam allatas, aliquæ illorum opiniones videantur minùs solidè fundatæ, quia detectio veritatis à sequentibus non impedit, quò minùs præcedentes gravissimo argumento moti fuerint, ut patet. Ita pariter nemo de gravissimis Theologis recentioribus aliter loqui debet, quamvis aliquæ eorum opiniones jam non censeantur, nec ampliùs sint probabiles. Incredibile enim est, quòd ipsis non fuerint verè probabiles, cùm ipsis fundamentum validum ac grave videatur haud defuisse. Itaque tunc illorum sententia erat verè probabilis, & ad conscientiam ritè formandam sufficiebat; licèt ad hoc modò non sufficiat, quia probabilitatem perdidit. Sic ego libentiùs loquor de Theologis, qui communiter graves reputantur, quàm cum Celladeo dicere, eos in multis leviter ac oscitanter suo functos officio & plura temerè & absque fundamento gravi enunciasse. Primum enim & illis honorificum, & veritati consonum est; secundum autem & à veritate, & ab honore debito nimis deficit.

ASSERTIO V.

Propositum sit ostendere, Celladeum ex æquivocatione Lectori illudere, & absque fundamento contra apertam veritatem conari, ut sibi persuadeat, Auctores benignæ sententiæ indubitanter tenere, quod non liceat sequi innumerabiles ex opinionibus, quas illimet dicunt esse probabiles.

14. PROPOSITUM ostenditur hoc modo. Inprimis Celladeus §. 1. definit opinionem illam esse purè negativè probabilem, *quæ ita omni fundamento gravi caret, ut nil certum contra illam sit.* Deinde asserit, has probabilitates, si dentur, ex mente Auctorum benignæ sententiæ pro conscientia debitè formanda non sufficere, tum quia stulti & imprudentis est moveri ad operandum ex levi fundamento, vel nullo; tum quia Auctores benignæ sententiæ expressè requirunt fundamenta gravia ad probabilitatem pro conscientia regulanda. Tertiò, per totum §. 2. conatur ostendere, dari plurimas probabilitates negativas, quales contendit esse omnes illas, quas in scientiis ex modo arguendi negativo probamus. Demum ex his omnibus colligit intentum, scilicet, nullam opinionem probabilem, tali modo probatam, esse sufficientem conscientiæ regulam ex communi omnium Auctorum gravium consensu. Quoad hæc quatuor ejus asserta seorsim sumpta sic discurro. Inprimis definitio, quam proponit, implicatoria involvit, si termini juxta communem usum & significationem accipiantur. Hoc supra probatum est *num. 2.* Quod secundo loco proponit est verissimum, si velit definitionem suam solùm complecti non probabilia (qualia certè sunt omnia à definitione contenta, utpote omni motivo gravi carentia) quia omnes uno ore dicunt, non licere sequi non probabilia, seu omni motivo gravi carentia. At si velit definitionem suam complecti opiniones, quas Auctores benignæ sententiæ, aut dicunt, aut supponunt esse probabiles, & deinde asserat illas ex mente Auctorum nostrorum non sufficere pro conscientia regulanda, & loquitur de subjecto non supponente, & contradictoria simul jungit. Loquitur quidem de subjecto non supponente, quia supponit, Auctores nostros ea vocare probabilia, quæ omni fundamento carent, quo nil falsius excogitari potest, nam omnes definiunt probabile in genere per hoc, quòd gravi fundamento nitatur. Jungit verò contradictoria, quia, facit illos affirmare, licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem, etiam minùs probabilem; & simul facit eosdem affirmare, quòd non liceat sequi plurimas opiniones, quas ipsi vocant probabiles. Rursus, facit eosdem fateri, probabilitatem connecti cum carentia fundamenti gravis, cùm tamen expressè definiant opinionem probabilem in genere per hoc, quòd habeat fundamentum grave. At hæc sunt manifestè repugnantia. Demum quamvis Auctores nostri in speculativis admitterent tales probabilitates (quod tamen est apertè falsum) non tamen eas in moralibus admitterent, quia expressè asserunt, usum cuivis opinionis probabilis in moralibus esse licitum. Ergo nullam in moralibus opinionem reputant probabilem, quæ gravi fundamento caret, quia expressè requirunt tale fundamentum, ut usus opinionis sit licitus.

Celladeum æquivocare, lectoriq; illudere ostenditur.

15. Quod

Celladei cōtradictio.

15 Quod tertio loco dicit, repugnat cum antecedentibus; quia dicit illas opiniones, quas modo negativo probamus, esse probabiles purè negativè, ad quod deberent carere omni fundamento gravi; cùm tamen illæ habeant fundamentum gravissimum, & quidem positivum ac positivè influens in assensum. Certè, si illæ opiniones, non sint benè fundatæ, nullas alias inveniet Celladeus benè fundatas, cùm nullæ sint istis magis rationabiles, ut patet.

Alia ex dictis Celladei absurda.

16. Demum, si tertium hoc dictum componatur cum illatione ultima, alia iterum absurda se produnt, quia asserit, tales opiniones ex mente Auctorum benignæ sententiæ non sufficere pro conscientia, quia non sunt nisi purè negativè probabiles, & omni prorsùs fundamento carent. Hæc autem omnia sunt falsa. Quinam enim dixerunt, tales opiniones carere omni fundamento? Multi ex ipsis tales opiniones tenent. Anne ipsi censent proprias suas opiniones omni fundamento gravi carere? Rursus peto ut unus illorum afferatur, qui fateatur, opinionem moralem non esse sufficientem pro formanda conscientia, quam admittit esse tam probabilem, quàm sunt illæ assertiones in Physicis, quas probabiles esse admittit, & ex fundamento ac progressu negativo probat. Hunc cùm quæsierit, & non invenerit Celladeus, perspiciet, quàm inane & secum pugnans argumentum attulerit contra nos.

Æquivocationes Celladei & falsa ejus illatio

17. Jam si omnia ista Celladei dicta inter se conferantur, veritas assertionis statim patebit. Inprimis æquivocatione duplici utitur: prima in ipsa definitione opinionis purè negativè probabilis continetur; altera elucet in eo, quòd velit, opiniones, progressu negativo probatas, omni solido fundamento carere, quódque insinuare conetur, Auctores omnes ita sentire; quasi verò idem sit fundamento carere, ac progressu negativo probari; cùm toto Cœlo discrepent. Celladeus tamen hæc duo confundit, ideoque æquivocationibus Lectori illudit. Rursus ex illis conatur persuadere, quod Auctores benignæ sententiæ pleno ore dicant, nullas opiniones progressu negativo probatas habere probabilitatem sufficientem pro praxi, quamvis ipsimet dicant illas esse probabiles. Jam ad hoc suadendum nil habet præter æquivocationem duplicem jam detectam, ideoque sine fundamento conatum exhibet, nec solùm sine fundamento, sed contra apertam veritatem, quia notorium est, Auctores benignæ sententiæ asserere, tales opiniones esse verè ac propriè probabiles, atque ad conscientiam licitè formandam sufficere.

ASSERTIO VI.

Propositum sit explicare, an & quomodo solutio argumentorum in contrarium, impugnatio ad hominem, & argumentum à pari fundent veram probabilitatem.

Sola argumentorum solutio non reddit opinionem, cui favet probabilem.

18 PROPOSUI hæc explicare, quia Celladeus *tribus ultimis §. §. hujus quæst. 7.* multa de illis disserit, quæ incautos decipere, non quæ peritos movere possint. Inprimis ergo dico, solam solutionem argumentorum non efficere, ut pars, cui favet, sit probabilis; quia solutio, etiam evidens, rationum contrariarum solum ostendit, partem adversam non esse benè fundatam; ex quo præcisè non sequitur, partem hanc sufficienti fundamento corroborari. Ergo sola solutio argumentorum; uni parti faventium, non facit partem alteram esse probabilem; quia ad hoc gravi fundamento corroborari deberet.

Solutio argumentorū multùm cōducit ad probabilitatem.

19. Dico secundò, solutio argumentorum, maximè si sit evidens, plurimùm conducit ad probabilitatem partis, contra quam argumenta militant. Ratio est, quia probabilis solutio tollit certitudinem & evidentiam à contrario. At hoc essentialiter requiritur ad probabilitatem. Ergo vel probabilis argumentorum solutio multùm conducit ad probabilitatem, cùm ponat partem probabilitati maximè essentialem. Quòd si solutio sit evidens, reddit partem, cui argumenta favebant, prorsùs dubiam. Hoc autem non solùm certitudinem, sed etiam probabilitatem omnem tollit à parte illa, ut patet. Ergo pauciores rationes probabilem efficient partem alteram, utpote contra quam nulla datur ratio. Ergo hæc argumentorum solutio multùm conducit ad probabilitatem partis oppositæ.

Impugnatio ad hominem sola nō sufficit ad probabilitatem.

20. Dico tertiò. Impugnatio ad hominem se solâ non sufficit, juvare tamen potest ad probabilitatem oppositi. Se solâ non sufficit, quia solùm ostendit alterum inconsequenter loqui, aut etiam ineptire. Hoc autem non est sufficiens fundamentum dicendi, quod absolutè erravit. Juvare tamen potest, quia aliquando illud ipsum, quod redarguit inconsequentiam alterius, directè probat, aut rem ipsam esse veram, aut rationes oppositas non valere. Utrumque autem ad probabilitatem partis, cui favet, juvare potest, ut patet.

Argumentum à pari solitariè sumptum non sufficit ad probabilitatem.

21. Idem prorsùs dicendum de pura paritate, illa enim nisi aliquid aliud adjungatur rarò sufficit ad probabilitatem, quia sæpe disparitas adest, licèt non appareat. Deinde aliquando, etsi nulla sit disparitas, argumentatio à pari non valet, quia legislator præcipere voluit unum, non aliud, etsi eadem pro utroque præcipiendo ratio adesset. Itaque si aliud argumentum præter paritatem non adsit, illud rarò aut nunquam ad probabilitatem sufficiet. Quod si in aliquo casu, non tam paritas quàm identitas rationis, materiæ similitudo, atque præsumpta similis intentio in legislatore tanta vi veritatem suadeat, ut prudentes meritò illi assensum præbeant, tunc illa paritas simul cum adjunctis in illa peculiari materia ad probabilitatem sufficiet, maximè si nil momenti afferatur in contrarium. Verùm hoc non adeo frequenter contingit, quamvis non est cur aliquando evenire non possit.

Conatus Celladei frustrarius esse ostenditur.

22. Hinc sequitur, Celladeum frustra laborasse, dum argumenta ex hujusmodi titulis confecta non tam refert, quàm explodit, ut sic innumeras, ut patet, opiniones tanquam insufficientes pro formanda conscientia rejiciat. Putat enim se ostendisse, quod mirabilis sit probabilitatum ac opinionum probabilium confusio, disertéque asserit § 5. *in initio, quod sensui sapientium omnium repugnet, dicere omnes prorsùs opiniones probabiles pro regula conscientiæ usurpari posse.* Verùm toto cœlo aberrat à fine, quem intendit; nam aliud est, quod innumeræ opiniones inveniantur apud Auctores, quas illi argumentis proximè allatis confirmant, aliud quod illæ ideo censeri non possunt habere fundamentum grave, & esse positivè ac verè probabiles. Primum omnibus obvium est, & ultrò conceditur. Secundum probandum erat, quod certè nec Celladeus, nec quisquam probaverit, quia quamvis illa argumenta solitariè sumpta non reddant conclusionem probabilem,

Auctores graves rarò utuntur sola paritate rationis.

babilem, multùm tamen ad probabilitatem conducunt, atque si aliis argumentis adjungantur, certissimam probabilitatem conflant. Jam Celladeus ostendere debebat, Auctores graves frequentissimè uti solis istis argumentis ad suas doctrinas stabiliendas; hoc enim omisso, reliqua ad rem non faciunt; quia ipsemet fatetur, nec quisquam negat, ista aliis adjuncta probabilitatem conflare posse. Ergo, ut concluderet, opiniones illas innumeras non sufficere pro regulanda conscientia, debuisset ostendere, Auctores graves aliis argumentis pro firmanda sua doctrina usos non fuisse. At hoc non ostendit, nec ostendere potest, quia oppositum est certissimum, & omnibus, qui graves Auctores legerunt, notorium. Quòd si quis aliquando multùm tribuat alicui ex istis argumentis, id est, quia hîc & nunc ob materiæ qualitatem, & alias circumstantias, illud habet vim adeo vehementer alliciendi intellectum, ut valeat à probo & perito, non temerè judicante, assensum impetrare; hoc autem ad probabilitatem sufficit.

Aliqui Theologi recentiores nimium tribuerunt argumento à pari.

23. Cæterùm non nego, quin aliqui Theologi moderni nimis confisi sint hujusmodi argumentis, atque illis solis moti, novas opiniones contra communem scholæ sensum induxerint. Verùm opiniones illæ nec sunt, nec censentur probabiles; quia ab omnibus, aut plerisque statim ut improbabiles rejectæ fuere; ex hac autem illarum rejectione à posteriori colligitur tam argumentorum illorum inefficacia, quàm opinionum improbabilitas. De hac re questus sum in admonitione ad lectorem *in tract. de Consc. prob.* Et multis in locis dixi, quid adjungi debeat, ut argumenta istiusmodi ad probabilitatem pertingant, quæ hîc repetenda non sunt; quia sufficienter hîc expressum est in genere, quod ibi in specie fusiùs dictum reperies.

Omne fundamentum non sufficit ad probabilitatem.

24. Interim tres errores Celladei in hac re omittendi non sunt. Primus habetur *in initio* §. 4. ubi sic ait. *Quot sunt genera argumentorum infra certum, tot sunt genera, vel modi probabilitatum, nam probabilitas efficitur per fundamenta. Fundamenta autem alicujus conclusionis sunt argumenta, quæ pro illa afferuntur.* Hæc dicit, alludens ad modos arguendi antea à nobis & à se recensitos, apparentiamque in illis fundatam *vocat probabilitatem negativam, quia omnes illi modi argumentandi carent positivo fundamento gravi.* Jam error in hoc consistit, quòd expressè supponat, omnia ista argumenta, etsi ad fundandum assensum rationabilem insufficientia, tribuere probabilitatem aliquam, quòd apertè falsum est, & contra unanimem omnium consensum, quia nisi aliis concurrentibus adeo roborentur, ut assensum mereantur, ad probabilitatem non pertingunt. Celladeus tamen tot genera probabilitatum quot argumentorum concedit, vultque fundamenta levia, imo levissima aliquam probabilitatem fundare. Et ipse quidem contra omnes hoc concedit, eamque probabilitatem vocat negativam, quæ tamen est verissima non probabilitas, non autem species probabilitatis ab Auctoribus admissæ, quia ad illam omnes uno ore fundamentum grave requirunt.

25. Alter error est, quem habet *in initio* §. 5. ubi dicit, quòd omnium sapientium sensui repugnet dicere, usum omnium prorsùs opinionum probabilium esse licitum. Inprimis videtur supponere, quòd hoc à multis communiter doceatur: si hoc supponat, errat in supposito, ut alibi demonstravimus, quia nulli Doctores in ea latitudine locuti sunt, cùm omnes aut explicitis terminis, aut certè implicitè per ipsam materiam & scopum disputationis suæ omnes opiniones tantùm speculativè probabiles à regulanda conscientia excluserint. Itaque ad solas opiniones practicè probabiles assertionem suam restrinxerunt. Jam si in hoc sensu Celladeus contendat, hanc assertionem omnium sapientum sensui repugnare, patenter errat, cùm omnes fermè uno ore dicant, quamvis opinionem practicè probabilem, etsi sit minùs probabilis opposità, ad conscientiam debitè formandam sufficere. Itaque Celladeus in omnibus errat, nec aliud præstat quàm fucum imperito lectori facere, ut in intelligenda benigna sententia decipiatur, & sic faciliùs eam suspectam habeat.

Nemo docet usum cujusvis opinionis probabilis esse licitum.

Tertius error Celladei.

26. Tertius error est, quòd dicat Auctores loqui de diversis probabilitatis generibus, quando tradunt, usum opinionis minùs probabilis esse licitum. Rem sic declarat. Magnum & parvum non sunt denominationes absolutæ, sed relativæ. *Nil enim*, inquit Aristoteles in Prædicamento quantitatis, *per seipsum magnum vel parvum dicitur, sed eò quòd ad alterum refertur; ut mons quidem parvus dicitur, & milium magnum; quòd hoc iis, quæ sunt sui generis, majus sit; illud verò iis, quæ sui sunt generis, minus.* Ex hac doctrina Celladeus fatetur, sæpe licitum esse sequi opinionem minùs probabilem contra magis probabilem, tunc scilicet quando minùs probabile est in genere positivè probabilium, & magis probabile est in genere negativè probabilium; tunc enim quod est minùs probabile in suo genere, habet fundamentum grave, quo caret illud, quod in alio genere est magis probabile. In hac autem re tam confidenter loquitur, ut insinuet, hanc esse mentem Auctorum docentium, usum opinionis minùs probabilis esse licitum. At hoc est certò falsum, nam Auctores illi probabilitatem non distinxerunt, nisi in intrinsecam & extrinsecam; dixerunt autem licitum esse sequi minorem contra majorem in quovis ex istis generibus. Sic dixerunt licitum esse sequi opinionem contrariam minùs communem contra propriam communiorem, quo in casu haud dubiè existimarunt, propriam opinionem esse utroque modo contrariâ probabiliorem. Ergo non sunt locuti de magis & minùs probabili in diverso, sed in eodem prorsùs genere. Nec de hoc dubium esse potest. Præterea nemo agnovit distinctionem illam Celladei in probabilitatem positivam & purè negativam; nam purè negativa, utpote quæ omni fundamento, saltem gravi, caret, non est probabilitas; quæcumque autem nititur fundamento gravi, sed incerto, est vera ac legitima probabilitas, sive fundamentum illud sit positivum, sive dicatur esse negativum; hoc enim impertinenter se habet ad probabilitatem, seu ad gravitatem stimuli intellectualis, ut patet.


Celladeus confidenter loquitur contra apertam veritatem.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-NONA.

Vtrùm utraque contradictionis pars esse possit simul probabilis.

Modus tractandi quæstioné proponitur.

1. E hâc re fusè egi *in tract. de Consc. prob. quæst. 2. num. 11. & seqq. item quæst. 5. nu 16. & seqq. item quæst. 8. nu. 4. nu. 22. nu. 25. & seqq.* in quibus aliisque locis plura ad hanc materiam spectantia reperies. Ego ibi dicta non repetam, sed data occasione breviter insinuabo, quid sit, quid non sit tenendum. Porro assertiones nonnullas more consueto ponàm, ut ea, quæ Celladeus *lib. 2. à quæst. 8. usque ad 13. inclusivè* circa hanc materiam coacervat, quæque contra veritatem, & assertiones locis citatis à me stabilitas objici possunt, dissolvam, iis omissis, vel breviter tantùm indicatis, quæ ibidem à me proposita & soluta sunt. Cæterùm ego hîc ordinem Celladei nonnihil immutabo, præponamque quæ ille postposuit, quia id ad clariorem & faciliorem quæstionis resolutionem mihi conducibilius videtur. Itaque primo loco quæram, an utraque pars contradictionis possit simul esse probabilis diversis intellectibus, ad quod ea pertinent, de quibus Celladeus *quæst. 9.* egit. Quæram deinde, an & quomodò utraque pars contradictionis esse possit probabilis respectu ejusdem mentis, quod Celladeus *quæst. 8.* pertractat. Porro omnia in sex illis Celladei quæstionibus contenta sub uno eodemque præsentis quæstionis titulo propono, quia omnia ad illum facillimè reducuntur, ac sub genuina quæstionis propositæ significatione continentur.

ASSERTIO PRIMA.

Quod est falsum, potest esse, & sæpe est probabile.

Falsa sæpe sunt probabilia.

2. PROBATUR assertio. Inprimis, omnes cum Aristotele pro communi ac indubitato axiomate habent, quòd multa falsa sint probabiliora veris, quod certè verum non esset, nisi multa falsa esse possent verè probabilia. Sed & Celladeus hoc ipsum expresè videtur admittere, nam *lib. 1. quæst. 1. §. 4.* hæc habet: *Non opinio, sed proverbium est, aliquando falsa esse probabiliora.* Secundò, id ipsum innumeris exemplis patet. Sæpe judex habet plenam probationem contra innocentem, cumque condemnat. In hoc casu nemo negare potest, judicem probabiliter judicare innocentem esse reum. Impossibile enim est, tantam veri apparentiam, quanta ad plenam probationem & rei damnationem sufficit, non esse probabilem, & plerumque non connecti cum veritate, licèt hîc & nunc per accidens à vero aberret. Idem valet de multis, qui falsò putant eum esse suum patrem, qui verè non est. In istis enim casibus falsitas est non solùm evidenter credibilis, sed adeo credibilis, ut oppositum non sit ipsis credibile; quia validissima argumenta confirmant falsum, cùm veritas omnibus argumentis destituatur. Ergo in istis datur apparentia digna assensu, & evidens credibilitas. Ergo sæpe datur probabilitas, & quidem evidens ac valdè perfecta probabilitas, qua falsum comprobatur. Tertiò à priori. Probabilitas consistit in vi quadam impellendi intellectum; hæc si sit magna, & antecedenter ad omnem effectum uni parti indebitè affixum validè impellat intellectum ad assensum, est vera & propria probabilitas. At sæpe datur istiusmodi vis adeo validè impellens ad assensum falsum, ut non solùm ille prudenter eliciatur, sed sine imprudentiæ nota omitti non possit, ut evidens est in exemplis allatis. Ergo quod est falsum, potest esse & sæpe est verè & propriè probabile. Omitto in re clara plura coacervare; quia nec ista fuissent necessaria, nisi mirabilis opinatio Celladei, quam in objectionibus mox proponam, veritati tam apertæ opponeretur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

3. OBJICIT primò, omne quod est tale ex ignorantia vel errore, non est tale simpliciter, sed solùm secundùm quid, & cum addito, quia simpliciter talia, sunt reipsa talia, ut homo simpliciter, est reipsa homo. Ergo non possunt esse talia ex errore & ignorantia, cùm sint talia ex veritate. Ergo ex opposito, quod est tale ex errore vel ignorantia, non est simpliciter tale, sed secundùm quid & cum addito; quale est, quod ex errore creditur aurum & non est; illud enim non est simpliciter aurum, sed solùm cum addito *apparenter.* At fundamenta confirmantia falsum non sunt gravia, & consequenter neque probabilia nisi ex errore & ignorantia, quia scilicet ignorantur esse falsa; si enim hoc sciremus, diceremus fundamenta illa esse nulla, sicut dicimus aurichalcum non esse aurum. Ergo motiva probantia falsum solùm ex errore possunt esse gravia, seu probabilia. Uno verbo, possunt videri, non autem esse gravia. At quod videtur esse & non est, non est tale simpliciter. Ita Celladeus hîc *quæst. 9 §. 1.* *Objectio 1.*

Respondeo inprimis tam hanc, quàm sequentes Celladei objectiones apertè contradicere illi, quod jam ex ipso citavimus. Si enim falsa non opinativè, sed certò & proverbialiter aliquando sint probabiliora; utique certum est, falsa verè esse posse, & non tantùm dici aut fingi probabilia. *Celladei contradictio.*

4. Respondeo 2. aliquid dupliciter esse posse tale

Res dupliciter esse potest talis ex errore vel ignorantia.

tale ex ignorantia vel errore, primò causaliter, ita scilicet ut ignorantia sit causa, cur illud existat, eò quòd ablatâ ignorantiâ existere non potuisset. Hoc modo omne judicium falsum verè existit ex ignorantia, quia si veritas clarè innotuisset, tale judicium elici non potuisset. Secundò aliquid est tale ex errore, quatenùs est objectum erroris, per quem repræsentatur aliter ac est in se. Sic aurichalcum ex errore dicitur & creditur esse aurum, cùm tamen non sit aurum, sed aurichalcum: hæc distinctio aperit æquivocationem, quæ Celladeum decepit, & evidenter solvit argumentum. Major enim, in qua tota vis argumenti consistit, vera est de iis, quæ sunt objectum ipsius erroris, sed est evidenter falsa de iis, quæ existunt dependenter ab ignorantia vel errore; illa enim, cùm existant, necessariò sunt simpliciter, qualia ex sua entitate sunt. Sic judicium falsum est simpliciter ac sine addito judicium, quamvis non sit tale nisi ex ignorantia. Idem dico de conclusione falsa legitimè deducta ex præmissis. Conclusio enim illa est verissima conclusio, licèt non sit talis nisi dependenter ab errore, in altera saltem præmissarum contento. Similiter peccatum est propriè ac verè peccatum, licèt sit tale ex ignorantia, quia omnis peccans est ignorans, qui si plenitudinem scientiæ haberet, non peccaret.

Hic est casus noster, quia probabilitas in casu præsenti est quidem talis ex ignorantia causativè, quatenus impetus ille intellectualis, quem existentem experimur, non extitisset, nisi veritas latuisset. Non autem est talis ex errore terminativè ac repræsentativè, quia existentia hujus impetûs, ejusque vis ac magnitudo, non erroneè, sed verè & perspicuè cognoscitur per actum, quo ejus naturam & vim investigamus. Itaque cùm probabilitas consistat in hoc impetu intellectuali ejusque magnitudine, procul dubio apparentia illa est verè & propriè probabilis, suaque existentiâ denominat objectum simpliciter probabile, credibile, ac dignum fide. Ergò motiva probantia falsum non solùm videri, sed esse possunt gravia, & probabilia.

Quod est tale constitutivè per errorem est simpliciter tale.

5. Rursus ad essentiam veræ probabilitatis essentialiter requiritur, ne certitudo aut evidentia contrarii appareat. Itaque carentia certitudinis de opposito est de essentia omnis probabilitatis, ut fusè probavi *quæst. 3. de Consc. prob. numero præsertim 9. 25. & 26.* Hoc verum est, sivo argumenta probabilia verum, sive falsum suadeant. Hoc posito, argumentum non valet, quia major non potest procedere de iis, quæ per ipsam ignorantiam constituuntur: illa enim ita sunt simpliciter talia per ignorantiam, ut sine ignorantia repunet illa aut esse aut esse talia. Itaque quidquid sit de majori in alio sensu, in hoc certè est evidenter falsa, quia homo simpliciter est errans & ignorans per errorem & ignorantiam, quamvis non nisi per illa sit errans vel ignorans, ut patet. Eadem est ratio de ignorantia veritatis certæ in contrarium respectu probabilitatis, quia probabilitas non minùs constituitur per talem ignorantiam, quàm concretum *ignorans*.

Objectio 2.

6. Objicit secundò. Negari non potest, quin motiva suadentia falsum sæpè magnam vim habeant ad movendum intellectum, quia magnam & validam veritatis apparentiam excitant; nihilominus ista apparentia est magna ex errore vel ignorantia, & quò major est, eò etiam est fallacior, & veritati repugnantior, quia eò majorem decipiendi vim habet. Ita Celladeus *ibidem*.

Stimulus ad assensum falsum impellens non apparenter sed verè est magnus.

Respondeo apparentiam illam, illumque stimulum esse revera validum & simpliciter magnum in seipso, non per fictionem, sed ex suis intrinsecis prædicatis; & quidem tantus est hic stimulus in ordine ad falsum, quantus est in ordine ad verum solùm probabiliter cognitum. At quando refertur ad verum, vel te fatente, est simpliciter magnus intrinsecè & per se. Ergò etiam quando refertur ad falsum, quia per hoc nil de intrinseca illius magnitudine demitur, ut patet. Jam quòd apparentia ista sit magna ex ignorantia, nil facit ad rem, ut constat ex dictis ad primum, maximè cùm intrinseca illius magnitudo aut causetur, aut certè per ipsam ignorantiam constituatur. Quòd autem apparentia illa per accidens sit magis fallax, probat intentum; quia probat, quod apparentia sit intrinsecè magna, & major aliis, quæ minùs impellunt.

Apparentia veri dicit respectum ad objectū & intellectū.

7. Objicit tertiò. Apparentia ista, & stimulus iste intellectualis est quidem magnus quoad intellectum; non autem quoad objectum. Porrò ista specificantur & præcipuè talia sunt & dicuntur relatè ad objectum, non ad intellectum, alioquin hæretici, quibus suæ sectæ videntur certæ, haberent probabilitatem de veritate suorum errorum, quia absque dubio validam & vehementem apparentiam habent de objectis, quæ credunt. At sequela est falsa, nec à nobis admittitur, quia dogmata hæreticorum non sunt probabilia. Itaque dicendum est, apparentiam falsam esse magnam solùm relatè ad intellectum, non ad objectum, & consequenter non esse magnam simpliciter, sed secundùm quid & cum addito, quia est ficta. Ita Celladeus *ibidem*.

Apparentia veri potiorem dicit respectum ad objectum quàm ad intellectum.

8. Respondeo omnem apparentiam intellectualem dicere duplicem respectum, alium ad intellectum, alium ad objectum. Dicit respectum ad intellectum, tanquam ad subjectum, in quo recipitur, & ad potentiam vitalem, quam informat, atque in genere causæ formalis stimulat ad assensum. Dicit respectum ad objectum, tanquam ad terminum, quem repræsentat. Hic secundus respectus potior est, quàm primus, quia apparentia potissimum est ejus, quod apparet. At solùm objectum apparet per illam, non intellectus. Ergò omnis apparentia veri potissimè refertur ad objectum, quod represensat. Ergò quævis ejusmodi apparentia non solùm est magna respectu intellectûs, quem movet, sed etiam respectu objecti, quod repræsentat, quia clariùs & majori perspicuitate repræsentat objectum, quàm alia minùs valida. Hoc autem est apparentiam esse magnam respectu objecti. Certè per hoc evadit magna respectu objecti, quando objectum est verum. Ergò per idem evadit magna respectu objecti, quando objectum est falsum; quia quòd objectum sit vel non sit, ut repræsentatur, nullo modo variat apparentiam, aut quidquam de illius intrinseca magnitudine aut relatione immutat, ut patet. Demùm repugnat apparentiam esse magnam respectu intellectûs, quin sit magna respectu objecti; ideo enim intellectus movetur, quia objectum repræsentatur, quóque repræsentatio objecti est clarior & fortior, eò intellectus vehementiùs movetur. Itaque distinctio illa, de apparentia magna respectu intellectûs seu subjecti, non autem respectu objecti, sine fundamento excogitata est, & perspicuæ veritati repugnat; quin & terminos connexos, seque mutuo inferentes, ponit pro terminis repugnantibus, seque mutuo excludentibus, quo nil absurdius dici potest.

Idem est apparentiam esse magnā respectu intellectus & respectu objecti.

Apparentia

9. Porrò ob instantiam hæreticorum, suis erroribus

duplex, alia sumitur ab objecto, alia ab affectu indebito.

tibus firmiter adhærentium, non cogimur hanc distinctionem, aut aliam illi æquivalentem admittere. Certè si Celladeus legisset, quæ tradidi de apparentia probabili *quæst. 2. 3. & 8. de Consc. prob.* hæc nunquam objecisset. Dico ergò aliam esse apparentiam, quæ oritur à dispositione opinantis; aliam, quæ à mera objecti propositione consurgit. Apparentia veritatis, consequens judicium aut affectum uni parti indebitè impensum, est longè major, & vehementiùs stimulat ad assensum, quàm quæ ex mera objecti propositione provenit, ut & per se patet, & fusè ostendi locis citatis. Jam ex apparentiis, illa sola est probabilis, quæ est rationalis, suamque magnitudinem sumit ab ipsa objecti propositione, & non ab indebita animi affectione ad unam partem; nam illa sola fundare potest judicium rationabile ac prudens; quia judicium regulatum ab apparentia, quæ magnitudinem suam à passione mentem excæcante trahit, non potest esse prudens. Jam probabilitas solùm dicitur in ordine ad judicium rationabiliter ac prudenter elicitum, ut patet. Unde non omnis apparentia magna est probabilitas, sed illa sola, quæ fundat judicium rationabile ac prudens; prout fusè explicatum est locis citatis. His positis.

Hæretici culpabiles nunquam, sed merè materiales aliquando probabiliter credūt suos errores.

10. Hæretici, alii invincibiliter, alii vincibiliter errant. Qui errant invincibiliter, eò quòd positâ debitâ diligentiâ suis instructoribus fidem præbeant, sæpè stimulantur tantâ apparentiâ veri, quanta sufficit ad prudentem assensum ab eo impetrandum, qui veritatem scire non potest, quique non ex passione animum cæcante, & ad unam partem præcipitante, sed ex sincero veritatis amore judicium elicit. Tales, inquam, hæretici merè materiales habent apparentiam ipsis hic & nunc per accidens peculiariter probabilem pro suis erroribus, qui aliquando tantâ verisimilitudine rudibus proponuntur, ut citra imprudentiam assensum suspendere nequeant. Ratio est, quia apparentia veri in istis non solùm est magna, sed etiam est rationabilis, quia suam magnitudinem sumit ab objectis ipsis taliter propositis, non autem à prava opinantis dispositione. E contrà hæretici vincibiliter errantes necessariò carent omni apparentiâ probabili, seu omni apparentiâ verè magnâ ac rationabili; quia apparentia, quam habent, consequitur ad assensum & affectum uni parti indebitè alligatum; talis autem apparentia, etsi maxima, & ipsis certissima videatur, est extra totam seriem apparentiarum probabilium, & eò minùs de probabilitate participat, quò major fuerit; quia ille excessus magnitudinis ab excessu affectûs indebiti provenit; quò autem affectus indebitus fuerit vehementior & obstinatior, eò magis à ratione ac prudentia in ferendo judicio recedit, ut patet. Stat ergò, apparentiam probabilem dicere tres respectus, seu rationes: Primus est ad intellectum, qui movetur: Secundus ad debitam dispositionem ejus, qui movetur: Tertius ad objectum, quod proponitur, & hic est potissimus ac maximè essentialis illius respectus. Cæterùm apparentia dicens respectum ad pravam dispositionem subjecti, sive illa fuerit in intellectu, sive in voluntate, rarò est probabilis, cùm illa, quæ mensuram suam ab objecto desumit, non possit non esse probabilis, si verè sit magna.

Apparentia veri dicit tres respectus.

11. Objicit quartò. Apparentia falsa non facit fundamenta verè gravia; quia si faceret gravia, crescente gravitate, faceret tandem certa. At consequens est falsum. Ergò & antecedens. Itaque apparentia falsa est mera fictio, quia non habet objectum sibi correspondens, ideoque non facit argumenta esse gravia simpliciter, sed solùm secundùm quid, scilicet ex errore vel ignorantia eorum, qui ignorant, vel errant.

Objectio 4.

Respondeo, apparentiam falsam, sive sermo sit de apparentia formali, quæ consistit in actu intellectûs, sive de apparentia objectiva, quæ consistit in objecto adæquato tantâ claritate repræsentato, propriè non efficere fundamentum grave, sed intrinsecè illud constituere; nam sicut apparentia, ita & argumentum dividitur in objectivum & formale. Nec dubium, quin sicut apparentia objectiva identificatur cum argumento objectivo, ita apparentia formalis identificetur cum argumento formali. His positis, quamvis apparentia veri faciat, seu potiùs constituat fundamenta gravia, non ideo sequitur quod crescente apparentia, argumenta tandem evasura sint certa, quia probabilitas & certitudo sunt diversi ordinis. At inferius ex duobus diversi ordinis per nullam additionem æquare potest superius, ut videre est in peccato veniali & mortali, in linea & superficie, in perfectione bruti & hominis; nulla enim additio unquam reddet inferius æquale superiori, ut patet. Idem prorsus locum habet inter argumentum probabile & certum, quia certum excludit omnem formidinem, quam probabile non excludit. Rursus idipsum experientiâ patet, quia quamvis plura & plura argumenta incerta & dissimilia afferantur pro aliqua thesi, illa tamen non evadit certa, nec omnem formidinem excludit, quamvis formido semper cum aliqua proportione muniatur, prout argumenta rem confirmantia augmentum sumunt.

Apparentia potest semper crescere absq; eo quod res evadat certa.

12. Quòd si aliquando argumentorum similium, seu potiùs similium testium multitudo rem testatam reddat certam, sicut certum est Cæsarem & Pompeium inter se bellâsse, id non oritur ex eo, quòd quævis argumenta incerta per additionem tandem æquent certa (hoc enim falsum est) sed ex eo, quòd detur quædam magnitudo apparentiæ in tali ordine, quæ fallere, & falli nescit, cùm tamen infra illam magnitudinem plura dentur homogenea toti, quæ aut fallere aut falli possunt. Talia proinde, si augeantur, tandem coincidunt cum ipso certo, & sic conflant argumentum certum. Cæterùm, hoc proprium est rerum, quæ tali testimonio probantur, ut nil falsum tantâ talium testium nube confirmari possit, quanta requiritur & sufficit ad certitudinem. Unde loquendo in casu ejusmodi, argumentum procedit de subjecto non supponente, quia motiva probantia non possunt semper crescere per partes æquales, modò supponamus objectum, quod confirmant, esse falsum. Itaque argumentum vel est de subjecto non supponente, quia stante falsitate, motivum non potest crescere juxta intentum argumenti; vel certè nil concludit, quia dato perpetuo incremento, non ideo ponitur certitudo aut evidentia.

Repugnat falsum in aliqua materia novis & novis testibus similibus confirmari.

13. Cæterùm quòd apparentia falsa dicatur fictio, verum quidem est, relatè ad terminum repræsentatum; falsum autem relatè ad propriam ipsius apparentiæ vim & magnitudinem. Jam quod facit argumentum grave, non est fictio aut veritas, quia multa argumenta tam conformia quàm difformia suis objectis sunt levissima; sed est intrinseca magnitudo ipsius apparentiæ rationabilis, ut patet; hæc enim est, quæ facit argumentum simpliciter leve vel grave. Nec obstat, quod talis apparentia sit ex ignorantia, aut etiam ex ignorantia confletur, ut constat ex dictis.

Apparentia falsa est fictio respectu objecti, non autem respectu suæ magnitudinis.

14. Obji-

Argumentum unde dicatur grave respectu hominis.

14. Objicit quintò. Onus, quod solùm est grave alicui ob malam illius dispositionem, non est simpliciter grave, sed solùm secundùm quid, nempe quoad debiles & ægrotos, alioquin decem libræ essent onus grave. At error & ignorantia sunt ægritudo intellectûs. Ergò fundamentum solùm grave ex errore vel ignorantia non est simpliciter grave, cùm tale non sit benevalentibus in ea re. Ita Celladeus loco citato.

Respondeo grave & leve esse denominationes relativas ad vires, quæ debent ferre, aut fulcire onus. Jam nos comparavimus motiva cum perfectione limitata humani intellectûs, & dicimus, illa esse gravia intellectui sic limitato, quæque vehementer illum impellunt ad assensum, maximè quando intellectus ob suam imbecillitatem, nec habet, nec habere potest quidquam simile pro opposito. Quid clariùs? jam omnes homines in multis insuperabilis ignorantiæ ægritudine laborant. Ergò omnia argumenta sunt hominibus simpliciter gravia, quæ in rebus ejusmodi sunt gravia ignorantibus, quia omnes homines in rebus ejusmodi sunt naturaliter ignorantes. Certè si omnes homines essent naturaliter tam debiles sicut ægroti, decem libræ essent simpliciter onus grave, quia talis denominatio sumitur relatè ad vires humanas, quales illæ sunt communiter juxta leges naturæ. Itaque haud dubiè talia fundamenta sunt simpliciter gravia nobis, quamvis sint levissima ac prorsus nulla angelo, qui evidentem rerum scientiam habet.

Apparentia probabilis est essentialiter argumentū grave.

15. Est & aliud peculiare in hac re, ad quod Celladeus non advertit, scilicet, quòd motiva istiusmodi ex sua essentia postulent esse in intellectu ignorante, quia conflantur ex ipsa ignorantia, ut dictum est. Et sanè repugnat angelum contra veritatem evidenter visam stimulari tali stimulo, quali nos ad falsum stimulamur. Ergò motiva ista sunt essentialiter gravia, quia essentialiter repugnant esse in intellectu, qui illis graviter non urgeatur ad assensum, seu in intellectu, qui veritatem clarè videat. Ergò licèt gravitas oneris materialis sit relativa ad vires majores vel minores, ideoque dici possit parva vel magna, aliter tamen dicendum est de apparentia probabili, & impetu intellectuali; ille enim non est indifferens ad intellectum scientem & ignorantem, sed essentialiter refertur ad solum intellectum ignorantiâ laborantem, ideoque simpliciter gravis est, sicut pondus quodvis esset simpliciter grave, si uni tantùm potentiæ posset imponi, à qua tamen absque difficultate attolli non posset, quia tale pondus non haberet potentiam, respectu cujus dici posset leve.

ASSERTIO II.

Utraque pars contradictionis potest simul esse probabilis diversis intellectibus aut eidem intellectui successivè.

Utraq; pars cōtradictionis potest esse simul probabilis duobus intellectibus.

16. CONSEQUITUR ex dictis. Pars vera potest esse probabilis uni intellectui, utpote qui valida pro illa argumenta, & nulla pro opposito habeat, & de hoc non est dubium. Rursus hoc non obstante, pars falsa potest simul esse probabilis alteri intellectui, opposita de causa, ut certum est *ex asser. 1.* hâc ratione probabile est uni, quod Petrus non sit filius Pauli, cùm tamen ipsi Petro sit probabilissimum, quod sit Pauli filius. Ergò utraque pars contradictionis simul esse potest probabilis diversis intellectibus. Idem valet respectu ejusdem intellectûs respectu diversorum temporum, quia eædem rationes idipsum evincunt, ut patet.

Aristoteles expressè ponit utramque partem cōtradictionis esse posse probabilem.

17. Confirmatur expressâ atque indubitatâ Aristotelis auctoritate, qui in *in libris Rhetor.* totus est in ostendendo, quomodo utraque pars contradictionis reddi possit probabilis, atque credibilis. Certè Philosophus *lib. 1. cap. 1.* exponit quid sibi in illo opere præstandum præfigat. *Præterea*, inquit, *oportet ut sicut & in syllogismis persuadere contraria possimus.* Et mox hæc subjungit. *Aliarum igitur artium nulla de contrariis ratiocinatur, sed Dialectica & Rhetorica id sola faciunt. Nam utraque similiter de contrariis est.* Ecce sibi proponit pro scopo totius dissertationis, ut utramque partem probabilem ac credibilem efficiat. Proprium enim opus Dialecticorum & Rhetorum est, ut utraque pars per Oratores & Dialecticos sibi contradicentes reddatur probabilis, & hoc ipsum est quod quotidie fieri videmus. Hoc sibi Aristoteles in genere ostendendum proposuit, atque hoc ipsum in decursu libri ad particulares materias applicat, ostendendo in singulis principia & modum, quibus utraque pars reddi possit credibilis, ut benè observavit Esparza *in Appendice art. 94.* ubi pulchrè rem specificat ex *cap. 15. lib. 1. Rhetor.* Deinde id ipsum exemplo & ratione sic declarat. Utraque pars contradictionis subesse potest principio universali, quod primò & per se probabile est, & haud dubiè plerumque verificatur in particularibus. Ergò una pars credi potest propter unum motivum probabile, cui subest, & alterum propter aliud principium probabile, sub quo continetur. Hoc modo utraque pars esse potest probabilis, quia quod ex probabili infertur est probabile per Aristotelem: sed & S. Thomas *opusc. 41. cap. 1.* idipsum aperè asserit his verbis. *In omni materia existentibus veris, vel probabilibus præmissis, semper sequitur conclusio vera, vel probabilis.* Doctrinam hanc sic exemplo confirmat Esparza. *Probabile* est matrem diligere filium. Similiter credibile est lædentem non diligi à læso. Utrumque enim est principium primò & per se credibile, seu probabile. Contingat jam Bertam iniquè & graviter lædi à Titio, suo filio. Probabile ergò erit Bertam diligere Titium, utpote filium; & probabile erit, quòd eum non diligat, utpote à quo iniquè læditur. Et sanè nil evidentiùs, quàm exemplum hoc intentum evincere respectu duorum intellectuum, quorum alter solùm sciat Bertam esse matrem Titii, alter solùm novit, quod à Titio graviter læsa fuerit. Itaque haud dubiè Aristoteles nobiscum est, quem citavi in hac assertione, quia evidentissimum est, quod in hoc saltem nobiscum sentiat. Verùm haud dubiè consentit etiam in sequenti conclusione, quia totum opus ipsius in Rhetoricis eò tendit, ut utraque pars contradictionis apud eundem judicem reddatur probabilis. Ergò Aristoteles in omnibus nobiscum sentit.

ASSERTIO III.

Si fundamenta utriusque partis contradictionis simul accipiantur, & invicem comparentur, illa sæpè sunt simul probabilia respectu ejusdem intellectûs illa invicem comparantis.

Utraq; pars sæpè est probabilis respectu ejusdem intellectûs.

18. PROBATUR Assertio. Fieri potest, ut intellectus ita consideret fundamenta duarum opinionum sibi contradicentium, in quibus Auctores se fundant, ut neutri parti assensum præbeat, sed de utriusque veritate judicium suspendat. In hoc casu intellectus ille examinare potest gravitatem istorum fundamentorum, non tam ab impulsu, quem in se sentit, quàm ab impulsu, quem videt illa in aliorum mentibus excitare. At videt fundamenta partis A in contradictione fundamenti contrarii tam validè impellere mentes plurimorum Auctorum probitate ac peritiâ præstantium, ut post diligentem quæstionis enodationem, & omnia hinc inde perpensa, ab illis assensum impetrent; quod certè facere non possent, nisi essent valdè gravia, quia viri periti & probi, qui omnia diligenter perpendunt, absque valido ac gravi motivo sententiam non ferunt. Rursus idem videt locum habere in fundamento partis B. contra motiva partis A. Ergò videt, scit, & judicat motiva utriusque partis non solùm solitariè sumpta, sed etiam prout comparantur cum fundamentis contrariis esse gravia. Illa enim motiva sunt gravia, quæ maximè peritos tam vehementer movent, ut ad assensum alliciant, sicut illa onera sunt simpliciter gravia, quæ validè premunt etiam robustiores. At fundamenta utriusque partis sæpè vehementer movent, & ad assensum alliciunt maximè peritos etiam in contradictione mutua. Ergò fundamenta utriusque partis sunt probabilia in contradictione mutua, etiam respectu intellectûs illa invicem comparantis.

Prob. 2. Grave & leve, magnum & parvum dicuntur relativè, ut ex Aristotele proximè observatum est. Ergò apud nos homines illa motiva sunt, & dicenda sunt gravia, quæ doctissimis ac maximè probis & peritis non solùm videntur gravia, sed etiam habentur vera, & ab illis assensum extorquent. Ratio est, quia isti sunt maximè robusti, & optima inter homines sanitate fruuntur, reliqui autem respectu istorum quoad veritates difficiles intelligendas debiles sunt & infirmi. Ergò quod illos validè movet, simpliciter grave est, & consequenter etiam probabile. At motiva cujusvis partis contradictionis sunt & cognoscuntur esse talia etiam in contradictione contrariorum. Ergò sunt simul gravia & probabilia, etiam respectu ejusdem intellectûs. Pluribus supersedeo, quia quæ pro sequentibus assertionibus afferenda sunt, à fortiori istius veritatem ostendent.

Responsio Celladei ostenditur insufficiens.

19. Celladeus vidit secundum hoc argumentum, illudque contra se proposuit, ut probaret partem falsam esse posse probabilem, ac magno fundamento niti, saltem divisivè, si non comparetur cum fundamentis contrariis. Verùm quod reponit, est penitùs insufficiens, cùm solùm recurrat ad duo jam rejecta. Primò dicit, quod motivum non sit grave simpliciter, sed solùm secundùm quid, quia est ex ignorantia. Secundò vult, quod argumentum non dicatur grave, nisi ex respectu ad veritatem, alioquin motiva fidei Christianæ non essent gravia, quia comparatione factâ ad omnes aliarum Religionum professores vim non habent, nec gravia sunt nisi respectu paucissimorum. Hæc responsio est planè insufficiens ut constat ex dictis. Verùm præter hactenus dicta in contrarium, falsum est quod hic dicit, gravitatem fundamentorum, seu probabilitatem involvere respectum ad ipsum verum, sine quo nullum argumentum est grave, quantumvis tale videatur. At hoc est apertè falsum ex mente omnium, quia omnes apertè asserunt, multa falsa esse probabiliora veris, ut in casu judicis ex plena probatione innocentem condemnantis, aliisque ejusmodi. Præterea omnes fatentur, probabilitatem esse certò discernibilem, etsi veritas ipsa certò discerni non possit. At hoc esset falsum, si vera probabilitas respectum diceret ad ipsum verum reale, tunc enim certificari non possemus de probabilitate aut fundamento gravi, nisi de ipsa veritate pariter certificaremur.

ASSERTIO IV.

Motiva, contrariantia opinioni certò probabili, sæpè notabiliter sollicitant intellectum ad assensum, licèt intellectus ille absolutè existimet opinionem illam esse & veram, & certò probabilem.

20. PROBATUR. Experientia constat, fideles, firmissimè credentes fidei mysteria, sæpè sollicitari ad discredendum ob argumenta, quæ ipsis in contrarium objiciuntur. At mysteria sunt non solùm probabilia, sed certa, etiam in contradictione omnium argumentorum, quæ inimici fidei, vel diaboli ipsi in contrarium objicere possunt. Rursus intellectus illa admittit ut vera & certa, & tamen aliquando in sensu composito notabiliter sollicitatur ad discredendum. Ergò à fortiori sollicitari potest ad discredendum illis, quæ solùm sunt probabilia, & non certò sed formidolosè & probabiliter habentur vera. A fortiori, inquam, quia motiva incerta minorem habent vim contra motiva opposita certa, quàm contra incerta; quivis enim excessus in motivis unius partis minuit vim motivorum alterius partis ut patet. Ergò si, non obstante certitudine fidei, cui intellectus actu adhæret, motiva, fidei contraria, vehementer sollicitent ad dissensum; eadem motiva fortiùs eundem impellerent, si pro fide sua non certa, sed solùm probabilia & incerta motiva haberet.

Motiva contraria opinioni creditæ veræ, notabiliter sollicitant ad assensum contrarium.

21. Confirmatur. Omnes quotidie experimur formidinem deceptionis in assertionibus, quas solùm credimus esse probabiliter veras. Eò autem major est ista formido, quò clariùs consideramus motiva in contrarium. Ergò motiva illa notabiliter sollicitant ac movent intellectum in sensu composito motivorum contrariorum, etiam quando prævalent, & ad veram & certam probabilitatem pertingunt. Necesse enim est, aliquas ex opinionibus, quas tanquam probabiles defendimus, esse verè & certò probabiles.

Formido opinionis idipsum confirmat.

22. Confirmatur secundò. Sæpè levia judicia notabiliter sollicitant ad temerè judicandum contra proximum, etsi ex argumentis longè majoribus & prævalentibus absolutè putemus illum esse innocentem. Ergò judicia multò majora longè validiùs intellectum stimularent, si argumenta pro innocentia simul non crescerent. Et quidem hæc pugna inter argumenta utriusque partis in uno

Item & simulant ad temerè judicandum.

uno eodemque instanti sentitur, tum quia experientia id testatur, tum quia alioquin nulla esset pugna aut lucta, nam qui hoc anno stimulatur ad credendum unum sine stimulo ad oppositum, & anno sequenti stimulatur ad oppositum sine stimulo ad prius, nullam luctam sentit, quia in nullo instanti resistentiam aut difficultatem experitur. Ergò ut sit lucta, ac resistentia, pugna unius motivi pugnæ alterius coëxistere debet. Demùm hoc ipsum fusè probavi *quæst. 9. de Consc. prob. num. 9. & seqq.* ubi plura de hac re invenies.

ASSERTIO V.

Sæpè utraque pars contradictionis, tam quoad se, quàm quoad nos, est simul verè probabilis eidem intellectui, quamvis intellectus absolutè existimet partem alteram esse veram, alteram falsam.

Utraq; pars cōtradictio. nis potest simul esse probabilis eidem intel. lectui, tam quoad se, quàm quoad nos.

23. PROBATUR Assertio contra Celladeum *lib. 2. quæst. 8.* Illa motiva dicuntur gravia & probabilia quoad nos, quæ nobis apparent tanquam digna assensu. Illa verò sunt probabilia quoad se, quæ verè sunt digna assensu, & sufficientia ad fundandum assensum rationabilem ac prudentem. His pro terminorum explicatione dictis, sic arguo. Inprimis, quod utraque pars sæpè sit probabilis quoad nos, è communi gravissimorum Auctorum confessione, & omnium peritorum experientiâ satis testatum est. Ex Auctorum quidem confessione, quia plurimi post omnia utriusque partis argumenta diligentissimè ponderata, ita uni parti subscribunt, ut tamen apertè fateantur opinionem contrariam esse valdè probabilem. Ergò utraque pars illis videtur valdè probabilis, etsi una alteri ab illis præferatur. At hi ipsi Auctores expresè declarant, se nomine opinionis valdè probabilis intelligere opinionem magnis, gravibus ac rationabilibus fundamentis stabilitam. Ergò quoad illos utraque pars simul est probabilis, & habet fundamentum valdè grave. Idem etiam ex peritorum experientia constat, quia ex assertione antecedenti certum est, fundamenta propriæ sententiæ contradicentia, sæpè esse tantæ efficaciæ, ut intellectum vehementer stimulent ad assensum oppositum. Hunc stimulum omnes experiuntur, dumque illum ejusque qualitatem considerant, agnoscunt & fatentur illum esse talem, etiam in contradictione motivorum, quibus ipsi assensum præbent, ut si aliquis ex imperio voluntatis illi, opposito rejecto, assensum præberet, non temerè, sed rationabiliter, ac prudenter opinaretur. Hoc enim apud illos est opinionem esse probabilem. Imò quod plus est, vident & existimant motiva illa esse tam gravia, ut ab aliis viris doctissimis non immeritò præferantur illis, quæ ipsis magis probantur. At hoc est, motiva utriusque partis esse probabilia & gravia quoad nos, ut patet.

Quàm etiā quoad se.

24. Probatur secunda pars de probabilitate quoad se. Probabilitas quoad se non est nisi apparentia digna assensu. At apparentia utriusque partis talis est etiam in contradictione motivorum contrariantium; quia videmus plures prudentes ab his contra illa allici ad assensum, & alios complures illis motivis contra hæc assensum præbere. At apparentia, quæ virum prudentem, non temerè, non ex passione, sed sicut virum probum & peritum oportet judicantem, inducit ad assensum, est digna assensu, verè magna, & probabilis. Ergò motiva utriusque partis verè & quoad se sunt simul probabilia, idque respectu ejusdem intellectûs, qui hæc omnia rectè percipit, quamvis unam partem alteri actu præferat.

25. Probatur secundò. Motiva contraria non ita se elidunt, quin utrumque alliciat intellectum contra alterum, ut constat *ex assertione 3.* Hoc posito sic. Illa apparentia est verè probabilis, quæ tanta est, ut ex omnibus illi æqualibus plures connectantur cum veritate quàm cum falsitate. At apparentia veritatis pro utraque parte potest simul esse tanta, etiam respectu ejusdem intellectûs, ut fusè ostendi *quæst. 2. num. 13. & seqq.* item *quæst. 5. num. 16. & seqq. de Consc. prob.* ubi etiam argumenta in contrarium dissolvi. Ergò utraque potest esse simul verè probabilis quoad se. Secunda ratio.

26. Probatur tertiò. Probationes istæ maximè procedunt de motivis dissimilibus, quæ secundùm quid mutuo excedunt se invicem; qualia sunt motiva opinionum contradictoriarum, quas scholæ & Auctores communiter amplectuntur, & aperto ore vocant valdè probabiles. Jam si loquamur de istis motivis inter se colluctantibus, illa sumi possunt: primò, prout se habent in intellectu pro priori ad omnem assensum aut affectum uni parti impensum: secundò prout se habent pro posteriori ad affectum & assensum uni parti præstitum. Hoc posito, sic arguo. Apparentia veritatis consequens affectum & assensum absolutum de rei veritate longè major est, quàm quæ præcessit affectum & assensum, quia per assensum pars credita judicatur esse absolutè vera, & pars opposita ut absolutè falsa contemnitur, ut fusè ostendi *quæst. 8. de Consc. prob. num. 25. & seqq.* de quo etiam nonnulla dixi *quæst. 3. num. 16. in eodem tract.* Rursus, quò una pars contradictionis verisimilior apparet, eò altera, si motiva illius non crescant, apparet minùs verisimilis, ut per se patet. Ergò motiva reprobata minùs fortia apparent post assensum motivis oppositis præstitum, quàm antea apparerent, quia illa non crescunt, opposita autem crescunt; quippe quæ absolutè præferuntur & judicantur vera, cùm illa absolutè repudientur ut falsa. At apparentia veritatis pro parte repudiata est valdè magna & notabiliter impellit intellectum ad dissensum, etiam consequenter ad judicium, quo absolutè contemnuntur ut falsa. Et sanè hæc apparentia tanta est in contradictione totius apparentiæ contrariæ, ut sæpè ab ipsis, qui illam respuunt, vocetur probabilis, valida, & gravis. Ergò à fortiori apparentia illa pro priori ad talem affectum & assensum erat valida, cùm esset multò major saltem comparativè, quàm jam sit, & intellectum multò vehementiùs stimularet. Ergò pro illo priori erat simpliciter gravis, simpliciter valida ac probabilis, & apta sine dubio ad impetrandum assensum à probo & perito. Jam apparentia probabilis potissimè desumenda est à magnitudine stimuli intellectualis, qui omnem assensum & affectum uni parti impensum antecedit, ut patet, & ostendi *quæst. 2. de Consc. prob. num. 13.* Ergò utraque apparentia in eo statu sumpta (in quo præsertim sumi debet ut rationalis ac vera apparentiæ magnitudo cognosci, ac quasi mensurari possit) est verè magna, simpliciter valida, absolutè rationalis, non temeraria, sed assensu digna, & verè probabilis. Motiva partis repudiatæ majora sunt in actu primo quā post assensum alteri parti præstitum.

27. Probatur quartò. Illa sententia non potest non esse probabilis, cujus motiva, & in se, & relatè ad argumenta opposita sunt talia, ut post omnia considerata impetrare potuerint assensum à viginti Numerus Auctorum utrique parti faventium probat, u-

viginti viris maximè probis ac doctis. Manifestum enim videtur, quòd viginti viri graves & docti, post omnia utrique parti faventia diligenter considerata, non possint in unam convenire sententiam, nisi illa habeat fundamentum grave, verè magnum, & assensu dignum. Præterea, auctoritas tot Auctorum, post omnia in contrarium considerata, conspirantium in eandem sententiam est motivum extrinsecè probabile, quia per se patet, quod talis auctoritas plerumque nec fallatur nec fallat. Si enim de tali auctoritate dici non possit, quod plerumque non erret, frustra talem quæreremus, aut illi habitæ staremus. Atqui sæpè evidens est, viginti Auctores maximè peritos & probos, post omnia considerata, stare pro una, & totidem pro altera parte contradictionis. Ergò aliquando utraque pars contradictionis est simul & semel probabilis; idque tam extrinsecè, quàm intrinsecè; quia in hoc casu extrinseca probabilitas convincit probabilitatem intrinsecam non deesse. Et sanè cùm totum hoc simul clarè innotescat eidem intellectui, tam illi, qui absque judicio ulli parti alligato utraque motiva considerat, quàm illi, qui actu unam partem ut absolutè veram approbat, necesse est, ut utraque pars aliquando simul appareat, sit, & agnoscatur esse probabilis, tam quoad se, quàm quoad nos; idque ab uno eodemque intellectu, etiam ab illo, qui unam partem judicat esse veram, & alteram falsam. Et hoc est, quod Auctores gravissimi tradunt, quando affirmant, opinionem suæ sententiæ contradictoriam esse valdè probabilem.

(Utramq; esse simul probabilem.)

28. Demùm, dubium non est, quin hæc sit mens expressa Philosophi *in libris Rhetor.* quem supra *num. 17.* citavi. Porrò quod utraque motiva valdè gravia sint eidem intellectui, tam clarum, experientiæque communi tam conforme videtur, ut nemo de rei veritate meritò dubitet, si terminis utamur in legitimo eorum sensu ab Auctoribus usitato, qui omnes communiter asserunt, pondus seu vim stimuli intellectualis dici & esse magnam relatè ad intellectum humanum, & ad insuperabilem ejus ignorantiam, ac pronitatem ad assensum in rebus incertis. At motiva utriusque partis sunt tam efficacia, ut relatè ad ista non possint non dici verè magna, & simpliciter gravia. Ergò utraque sunt verè simul probabilia. Qui plura cupit de hac re legat *quæst. 8. de Consc. prob. num. 16. & seqq.* & Martinum de Esparza *in Appendice art. 94. & seqq.* Ubi rem hanc tum ex mente Aristotelis, tum ex rationibus solidè declarat, & meo judicio convincit. Plura etiam ad idem spectantia dicenda erunt in objectionum solutione, quam aggredior.

(Aristoteles à nobis stat.)

(Motivū relatè ad quid dicatur magnum?)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

(Objectio 1.)

OBJICIT primò. Duo contradictoria nunquam nobis proponi possunt ut simul opinabilia, seu digna assensu, quia motiva concurrentia vel sunt æqualia, vel inæqualia. Si æqualia, nulli parti assentiri possumus; si inæqualia, omnem assensum suspendere possumus, sed si dandus sit, necessariò dandus est parti meliùs fundatæ, & probabiliori. Ergò utraque pars non potest esse simul opinabilis. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 8. §. 2.* ubi plures pro hac doctrina citat. Unde ulteriùs sic arguit. Fundamenta utriusque partis non possunt esse gravia quoad nos, & proponi tamquam digna assensu; quia si ut talia proponerentur, & essent talia quoad nos, utique cuilibet assentiri possemus. At secundùm Auctores dictos non possumus cuivis parti assentiri, sed vel neutri, vel solùm probabiliori. Ergò utraque pars non est digna assensu quoad nos. Ergò utriusque partis fundamenta non sunt simul gravia quoad nos.

Respondeo, motiva occurrentia, sive æqualia sint, sive inæqualia, dupliciter considerari posse: primò, antecedenter, prout proponuntur intellectui in actu primo ante omne judicium de alterius partis veritate, aut de comparatione motivorum inter se, eorumque excessu, vel defectu. Secundò, prout concomitanter aut consequenter se habent ad judicium de alterius partis veritate, aut de mutuo illorum excessu vel defectu. Si sumantur in hoc secundo sensu, ego quidem fateor intellectum flecti non posse ad assensum ullius ex partibus, quas ipse actu reputat esse æquales, & multò minùs ad assensum partis, quam reputat minùs probabilem, quamvis multi contrarium sentiant. Ratio est, quia tale judicium comparativum excludit assensum de absoluta veritate cujusvis partis, nisi illius, quam probabiliorem reputat. Suum enim cuique opinatum probabilius est quàm oppositum. Ergò eo ipso quòd intellectus feratur in aliquod ut absolutè verum, fertur in illud ut probabilius opposito. Ergò repugnat, ut simul judicet oppositum esse æquè probabile, aut probabilius illo, quod absolutè verum reputat. Jam hoc est, quod Auctores à Celladeo citati tenent, quibus subscribo, quia tam experientia, quàm ratio convincit, hanc eorum sententiam esse veram. At si loquamur de fundamentis primo modo consideratis, falsum est, quod voluntas flectere nequeat intellectum in assensum partis, quæ, antecedenter ad omnem affectum aut judicium absolutum vel comparativum, æqualiter aut etiam minùs illum trahebat ad assensum. Similiter nego omnes aut potissimos ex Auctoribus à Celladeo citatis quidquam huic resolutioni contrarium tenere. Quòd si quis in terminis expressis (quod non credo, nam distinctionem hanc hac in re planè necessariam apud Auctores non invenio) contradicat, illi ego pariter contradico, quia errat, nec argumentum ullius momenti pro se afferre poterit. Porrò *quæstione sequenti* ostendam, voluntatem flectere posse intellectum ad assensum partis æquè aut etiam minùs probabilis, modò intellectus de motivorum excessu comparationem non instituat, antequam judicium de alterius veritate proferat.

(Nemo affirmare potest ullam partem, quamdiu judicat utramque esse æquè probabilē.)

(Auctores à Celladeo citati non côtrariantur nobis in sensu à nobis ...nto, & expresso.)

30. Hinc habemus, duo contradictoria posse ita proponi intellectui, ut utrumque sit opinabile ac dignum assensu divisivè, quamvis juxta multorum opinionem, cui subscribo, neutrum sit opinabile, si judicium feratur de utriusque motivi æqualitate: existimo enim neminem actu opinari posse partem, quam actu minùs probabilem reputat; stat ergò utramque contradictionis partem esse posse simul divisivè opinabilem ab uno eodemque intellectu, idque ob motiva, & quoad nos, & quoad se verè gravia ac probabilia.

(Contradictoria sæpè sunt simul opinabilia divisivè.)

31. Deinde respondeo, utramque partem judicari posse probabilem ac dignam assensu aliorum, etsi intellectus sic judicans neutri parti assentiri possit, si pars utraque sit apud illum æquè probabilis. Ratio est, quia benè videt, hoc non obstante, singulas partes apud alios peritos quamplurimos parti oppositæ prævalere. Hoc autem sufficit, ut utraque pars & quoad nos, & verè quoad se sit & habeatur probabilis, ac gravi revera fundamento fulciatur.

(Utraq; pars credita æquè probabilis judicari potest digna assensu aliorum.)

32. Objicit secundò. Illud fundamentum non est

(Objectio 2.)

est grave, aut in se aut quoad nos in ordine ad aliquam conclusionem probandam, de quo evidenter scimus, quod aut sit falsum, aut certè quod conclusio ex illo non sequatur. Sed de fundamentis utriusque partis contradictionis evidenter scimus disjunctivè, quod alterutrum illorum vel sit falsum, vel certè quod conclusio ex illo non sequatur. Ergò alterutrum ex fundamentis contradictoriorum non est grave neque in se, neque quoad nos. Ergò utrumque non potest esse grave. Major patet. Probatur minor. Evidenter scimus alterutram ex opinionibus contradictoriè oppositis esse falsam, quamvis determinatè nesciamus quæ sit vera, quæ falsa. Eâdem autem evidentiâ scimus alterutra ex illarum fundamentis, aut falsa esse, aut nulla in ordine ad conclusionem, quia si utraq; essent vera, & legitimè concluderent pariter utraque conclusio esset vera, quod est impossibile. Ergò evidens est, alterutra vel esse falsa, vel non inferre conclusionem. Ergò sicut non possumus judicare utramque simul conclusionem esse veram, ita neque possumus judicare utraque simul fundamenta esse gravia, cùm sicut falsitas alterutrius conclusionis indeterminatè nobis evidenter constat, ita nobis evidenter constat falsitas vel nullitas alterutrius fundamenti indeterminatè. Ita Celladeus §. 3.

Ex motivis opinionum cõtradictoriarum alterutrũ vel est falsum, vel non certè infert conclusionem.

33. Respondeo, minorem quidem esse veram, sed majorem esse certò falsam, nisi legitimè intelligatur. Quare distinguo majorem. Illud fundamentum non est grave vel in se vel quoad nos, quod determinatè scitur vel esse falsum, vel non probare conclusionem, concedo majorem; quod solùm indeterminatè scitur vel esse falsum, vel non inferre conclusionem, nego majorem. Jam disparitas inter hæc duo est evidens, quia quod determinatè scitur esse falsum, nullam habet vim ad movendum, ideoque non habet notionem fundamenti aut rationis probantis, & consequenter est incapax ut denominetur fundamentum grave, aut ratio validè trahens. Idem dico de eo, quod est verum, sed evidenter scitur non probare conclusionem: illud enim non habet rationem argumenti, & consequenter nec argumenti gravis, quia nullatenus movet ad conclusionem inferendam, cùm evidenter sciatur carere aut veritate, aut debitâ ad ritè inferendum connexione. At si loquamur de eo, quod solùm indeterminatè scitur aut esse falsum, aut nil inferre, aliter se res habet; quia sicut hoc non aufert rationem motivi actu impellentis ad assentiendum conclusioni utrilibet, ita neque tollit rationem motivi notabiliter ac validè impellentis, ut constat ex dictis. Jam sicut motivum seu fundamentum dicitur tale, quia impellit ad assensum, ita dicitur motivum seu fundamentum grave, si notabiliter aut vehementer alliciat. Ergò quod non tollit à fundamento actu movere & vehementer allicere, non tollit rationem fundamenti aut gravis motivi, ut patet. At scientia de dicto alterutrius fundamenti defectu neutrum ex illis tollit. Ergò non tollit rationem motivi gravis. Ergò fundamenta utriusque partis possunt simul esse magna & gravia.

Gravitas motivi non tollitur per hoc, quod sciatur vel illud vel oppositum ejus esse falsum, vel non concludere.

34. Sed, ut clariùs videas falsitatem majoris in sensu negato, applica illam primò ad duos intellectus, & videbis quod non subsistat. Quamvis enim ego sciam fundamenta alterutrius vel esse falsa, vel nil concludere, ex hoc tamen non scio, quod alteruter careat gravi motivo, aut quoad se, aut saltem quoad nos; immò possum evidenter scire oppositum, ut constat *ex 1. & 2. assertione.* Ergò propositio illa est certè falsa in sensu negato, si referatur ad duos intellectus. Eadem autem aut similis ratio & exceptio locum habet respectu ejusdem intellectûs, ut patet. Applica secundò majorem ad fundamentum aliquod particulare, puta ad illud quod habet judex, qui deceptus condemnat innocentem legitimè convictum reum. Tunc major illa debet hoc modo efferri. *Illud non est fundamentum grave in se, quod aut est falsum, aut non infert conclusionem.* Et sanè Celladeus ipse eam ita proponit §. 5. ut probet alterutrum ex motivis non esse grave quoad se, unde infert nullum fundamentum falsum aut fallens esse posse grave in se. Verùm ex dictis in prima assertione certissimè constat, multa argumenta falsa & fallentia esse gravia, immò quoad se gravissima. Ergò major illa certò falsa est, quamvis Celladeus eam pro indubitata habeat.

Falsitas argumenti aliunde ostẽditur.

35. Objicit tertiò. Voluntas potest eligere alterutrum ex duobus bonis æqualibus vel inæqualibus, quia utrumque est verè bonum. Nam honestas unius partis contradictionis non excludit delectabilitatem ab altera, ut patet. Itaque non est mirum, quod voluntas in alterutrum ferri possit, cùm in utroque suum objectum inveniat. At veritas unius partis contradictionis tollit veritatem alterius partis. Unde non possumus credere utramque partem esse veram, quia scimus alterutram esse falsam. Deest ergò veritas, quæ est objectum intellectûs. Ergò intellectus non potest flecti ad assentiendum utrivis parti. Præterea si duo cibi perfectè æquales proponerentur voluntati, & intellectus certò sciret alterum esse fictum, alterum verum, voluntas non posset ullum eligere. Ergò similiter intellectus non potest flecti in assensum alterutrius ex contradictoriis, quia scit alterum esse falsum. Ita Celladeus §. 5.

Objectio 3.

Respondeo, veritatem realem esse primarium sed non unicum objectum intellectûs, alioquin nulli falso assentiri posset, quia in eo non inveniret suum objectum. At certum est, quod præbere possit assensum falso, dummodo appareat verum. Ergò verum apparens est objectum saltem secundarium intellectûs. Idem valet de bono respectu voluntatis, siquidem constat, utramque potentiam moveri ab objecto tantùm apparente. Jam voluntas non solùm ferri potest in alterutrum ex duobus bonis realibus inæqualibus & dissimilibus, sed etiam in bonum fictum & imaginarium, modò ipsi repræsentetur ut verum. Unde nullatenus admittenda est opinio Celladei dicentis, voluntatem eligere non posse inter duo bona, quorum alterum esset certò verum, alterum certò fictum. Contrarium enim constat ex dictis *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.* Unde pariter è contrario sequitur, intellectum à voluntate flecti posse in assensum illius, quod determinatè apparet verum, quamvis certò sciat illud vel oppositum esse falsum, quia in quavis parte determinatè sumptâ invenit proprium suum objectum, nempe verum determinatè apparens.

Objectum intellectus est verum apparens, & non tãtùm verum reale.

36. Objicit quartò. Si vir gravis & fide dignus dicat tibi aliquid, prudenter ei credis. Mox occurrat alius æquè gravis ac fide dignus & dicat oppositum, jam neutri credis, quia alter est alterius impugnatio. Præterea, uterque non potest esse fide dignus quoad rem, in qua sibi contradicunt; esse enim fide dignum est nullum dari fundamentum existimandi, quòd fallatur, aut fallat. At in casu posito certò scis, *quod alteruter fallatur, aut fallat*, Ergò nequis judicare: *Neuter fallit nec fallitur.* Ergò nequis dicere, *Uterque est fide dignus.* Ergò asserta contradictoria non possunt simul esse

Objectio 4.

probabilia extrinsecè, & gravi auctoritate comprobari. Ita Celladeus §. 5.

Aliter testes, aliter Auctores fidem merentur.

Respondeo, casum objectionis dupliciter contingere posse: primò, quando uterque prætendit certam scientiam rei, de qua loquimur, ideoque illam affirmat tamquam testis de visu: secundò, quando singuli opinionem suam solùm proferunt, dicuntque se ita existimare ob rationes valdè graves, quibus moti sunt ad ita sentiendum. In primo casu fateor, neutram partem esse probabilem illi, qui hanc testium dissensionem perpendit. Ratio est, quia evidens est alterum mentiri, omnique ratione destitui ad probandum quod dicit. Similiter evidens est, alterum judicare contrarium ejus quod proponit; & consequenter evidens est, illum suam auctoritatem non interponere, quia fingit se judicare quod non judicat. Jam in hoc casu constat quidem alteram partem omni ratione ac auctoritate destitui, sed non constat quænam sit illa pars, cùm nulla sit præsumptio pro una parte, magis quàm pro alia, ut supponitur. Itaque nulla est ratio gravis ac prudens, cur uni potiùs quàm alteri fides adhibeatur. At in secundo casu aliter se res habet, quia est evidens præsumptio, quòd utraque pars, magnis rationibus mota, juxta mentem suam loquatur; ideoque non apparenter & fictè, sed verè suam auctoritatem interponat, ut fidem ab aliis obtineat. Unde neutra pars destituitur ratione & auctoritate. Porrò quod dixi, tunc vel maximè locum habet, quando duo illi viri graves fatentur se omnia alterius fundamenta consideràsse, eaque invenisse valdè rationabilia, quamvis singuli in diversas sententias abierint; in tali enim casu nec extrinseca, nec intrinseca probabilitas opinionibus illis sibi contradicentibus deest, sed utraque vera ac legitima probabilitate, seu gravi auctoritate, ac ratione fulcitur. Itaque in hoc casu intellectus omnia considerans, habet sufficiens fundamentum, ut per imperium voluntatis flecti possit in assensum alterutrius partis. Similiter uterque est fide dignus etiam in contradictione alterius, quia quamvis unus alium impugnet, neuter tamen expugnat alterum, sed relinquit magnam vim pertrahendi ac alliciendi animum etiam in parte contraria.

Quid requiratur, ut quis sit fide dignus?

37. Itaque uterque fide dignus est, ad quod certè non requiruntur quæ Celladeus exigit. Sic enim nullus, etsi probus & doctus, esset fide dignus, quia de unoquoque habemus fundamentum timendi quod fallatur. Quocirca ut quis sit fide dignus, duo requiruntur. Primum est, præsumptio valida, quòd non fallat, sed juxta mentem suam loquatur. Secundùm est præsumptio, quod sufficienti doctrina instructus sit, ut juxta humanam capacitatem possit veritatem rimari, illamque per diligens studium invenire. Jam totum hoc convenit utrique. Quamvis enim repugnet utrumque in actu secundo veritatem attingere, quando sibi contradicunt, uterque tamen habet potentiam in actu primo sufficienter dispositam ad eam inveniendam, ideoque uterque est dignus fide.

Unde oritur ut contradicentes sibi aliquando sint digni fide?

38. Nec obstat, quod sciam alterum falli aut fallere; nam ut quis sciatur dignus fide, non opus est scire quod nec fallatur nec fallat, sed sufficit si sit ratio sufficiens ad rationabiliter existimandum quod nec fallatur nec fallat. Hæc ratio non deest in casu nostro. Ergò dicere possum utrumque esse fide dignum, quamvis sciam alterutrum falli in actu secundo; quia scio neutrum fallere, & utrumque habere dispositionem sufficientem ad veritatem discernendam juxta capacitatem infirmitatis humanæ. Hoc autem est hominem esse fide dignum, quamvis per accidens erret in actu secundo, nec desint rationes existimandi quod erret, dummodo adsint rationes ad credendum quod non erret. At hæc omnia habentur in casu præsenti. Ergò uterque est fide dignus. Ergò contradictoria possunt esse simul probabilia & extrinsecè & intrinsecè.

ASSERTIO VI.

Utraque pars contradictionis potest esse & frequentissimè est simul probabilis probabilitate reali & conscientiæ.

39. HÆc Assertio est contra Celladeum *tota quæst. 10.* in qua, ut oppositum probet, æquivocationes & falsas assertiones, per plures ex anterioribus quæstionibus sparsas, tam confertim recapitulat, ut tota quæstio mihi videatur æquivocationum ac falsitatum congeries. Porrò juvat aliquid de singulis notare, quia idipsum ad assertionem stabiliendam eo saltem nomine conducet, quod hâc ratione nullitas eorum, quæ Celladeus contra illam coacervat, patefiet.

Multæ Celladei æquivocationes.

40. Contendit ergò inprimis, utramque partem contradictionis esse posse simul probabilem multipliciter. Primò probabilitate opinionibus dari solitâ & secundùm dici, non reali & secundùm esse. Sic quando una est communissima, quam turba Doctorum sequitur, sed solidâ ratione destituitur; altera paucorum, & gravi ratione comprobatur. Prima est probabilis & probabilior probabilitate opinionibus tribui solitâ, quia multitudo, quæ non rationes sed suffragia numerat, semper habebit opinionem communiorem pro probabiliori. Et tamen verè non est probabilis probabilitate reali & conscientiæ. Hisce paucis verbis Celladeus complectitur æquivocationes, atque falsitates in superioribus observatas & detectas. Insinuat inprimis, aliam esse probabilitatem opinionibus dari solitam, aliam verò probabilitatem realem, quæ conscientiæ formandæ sufficit. Hoc autem *quæst. 16. & alibi* sæpè ostendimus esse apertè falsum. Secundò confundit non valentes discernere fundamenta & rationes cum valentibus illas discernere. Jam illis probabile est ab extrinseco, quod ab omnibus communiter docetur, & necessariò manebit probabile, quamdiu tenetur communiter, & non sufficienter illis constat, opinionem illam sufficienti ratione destitui. Itaque, ipso Celladeo fatente, imperiti excusantur, si sequatur talem opinionem, quia si diligentiam præmiserint, sequuntur id, quod gravi quoad eos auctoritate fulcitur. Unde sequitur, illos habere probabilitatem realem & conscientiæ, quia per hoc non intelligimus aliud quàm probabilitatem per quam excusantur à peccato, qui eam sequuntur. Quod si loquamur de paucis, qui norunt nullitatem fundamenti communis sententiæ, illa non erit probabilis apud ipsos, ut patet. Unde sequitur utramque contradictionis partem esse posse simul probabilem pluribus, etiam in hoc casu, non per imaginariam & à Celladeo confictam distinctionem diversarum specie probabilitatum, sed per veram ac realem probabilitatem extrinsecam, vel intrinsecam, quas solas scholæ Catholicorum hactenus norunt & admiserunt.

Primus ejus error.

Secundò non distinguit inter peritos & probos.

41. Secundò

Iterum cõfundit rudes & peritos.

41. Secundò, ponit casum, quod particularis opinio unius aut paucorum sit certa. In hoc casu, inquit, opinio communis opposita non erit probabilis probabilitate verâ ac reali, quamvis sit probabilior probabilitate existimatâ, & opinionibus tribui solitâ. Hic iterum redit confusio de scientibus & nescientibus rationes certas pro altera parte. Certè communis opinio non est probabilis iis, qui certò norûnt illam esse falsam. E contrà communis opinio est verè probabilis iis, qui post diligentem veritatis indagationem nil certi contra illam invenerunt, sed validis rationibus stimulati illi subscripserunt. Ecce neque hic locus est pro diversis, & confictis illis probabilitatum generibus.

Fingit probabilitates, quæ non dantur.

42. Tertiò, vult, utramque partem contradictionis esse posse probabilem probabilitate negativâ, non positivâ. Verùm jam supra *quæst. 28.* clarè patuit, distinctionem hanc esse nullam, sed à Celladeo contra omnem auctoritatem ac rationem purè confictam.

Aliæ distinctiones jam rejectæ.

43. Quartò contendit, utramque partem contradictionis non posse esse simul positivè, simpliciter, & verè probabilem, seu quod idem est, gravi fundamento confirmari, sed alteram semper esse solùm probabilem secundùm quid, quoad nos & cum addito. Unde infert, utramque non habere probabilitatem conscientiæ, de quo fusè egit *quæst. 8. & 9.* Verùm hæc omnia in hac ipsa quæstione rejecta sunt, eorumque falsitas detecta.

Aliæ ejus æquivocationes.

44. Quintò, multa congerit de sophismatibus, multa de probabilitate comparativa & ad hominem, ut inter illam ac probabilitatem realem distinguat. Verùm frustra, quia illa aut ad rem non sunt, aut falsa sunt, ut ex dictis *quæst. 25. & quæst. 28.* constat.

Celladeus torquet Aristotelem.

45. Sextò demùm Aristotelem torquet, ut eum in suam sententiam trahat. Fatetur Philosophum in Rhetoricis pleno ore admittere probabile contra probabile adeoque ultrò fateri ac asserere, utramque contradictionis partem esse probabilem. Sed simul contendit, eum alter loqui in Logica, & in libris Elenchorum docere, nil esse probabile, quod est purè sophisticum. Hoc est seipsum torquere, non Aristotelem interpretari. Aristoteles ubique eodem modo loquitur, neque in ipsis Elenchorum libris ullam probabilitatis distinctionem adducit, quod tamen maximè facere debuisset, si & in veritate ipsa, & in ipsius mente terminus ille tam varias, tam dissimiles, tam improportionatas inter se significationes haberet, ut Celladeus comminiscitur. At nil horum Aristoteles. Ergò evidens signum est, Aristotelem non distinxisse inter probabilia, sed omnia sub una eademque notione (ut alii omnes, dempto Celladeo, faciunt) accepisse & expressisse. Verùm quò tandem rapitur homo passione, aut etiam judicio in unam partem violenter inclinato? Aristoteles in Rhetoricis *lib. 2. & 1. Priorum cap. 27.* rigorosissimam probabilitatis definitionem tradit, asseritque illud esse probabile quod plerumque contingit. Hanc definitionem Celladeus ipse duabus manibus amplectitur, illamque solam vult esse legitimam veræ probabilitatis definitionem. Ergò Aristoteles in Rhetoricis saltem & in Logica, dum loquitur de probabili, aliud nomine probabilis non intelligit, quàm quod expressè definierat per *plerumque contingere.* At hoc per Celladeum est verum probabile. Ergò Aristoteles ibi definit verum probabile. Et tamen, fatente etiam Celladeo, agnovit utramque contradictionis partem esse posse probabilem. Ergò agnovit utramque esse posse verè & propriè probabilem. Quod si Celladeus non intelligat, quomodo utraque pars possit esse probabilis, si probabile definiatur esse, *quod plerumque contingit*, legat *quæstionem 8. à num. 11. & quæstionem 15. à num. 16. de Consc. prob.* & ibi mysterium inveniet revelatum.

Aristoteles contrarius est Celladeo.

46. Rursus certum est, Aristotelem Topicorum libros libris Elenchorum opposuisse. In Topicis autem definivit probabile hoc modo. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis &c.* Ergò hoc est probabile, quod opposuit sophismatibus. Nec dubium, quin conclusionem ac syllogismum probabilem conclusioni ac syllogismo sophistico contraposuit. Rursus certum est, Aristotelem expressè docuisse multa falsa esse probabiliora veris; ea autem absque dubio ab omni sophismate ex mente Aristotelis & omnium sensu diversa sunt; & tamen Celladeus contendit, omnem conclusionem falsam, imò & omne principium falsum ex mente Aristotelis esse sophisticum quid, & non aliud, quàm merum sophisma. Hoc modo torquet Aristotelem, ut eum, evidenter reclamantem, ad suas partes trahat; sed verè infructuoso labore torquet seipsum, quia certum est, Aristotelem, omnesque Aristotelem sequutos per omnia contrarium sentire.

47. Itaque aliud in his omnibus Celladeus non agit, quàm ut fucum Lectori faciat, multiplicique probabilitatis à se excogitatæ distinctione ante ejus oculos positâ, persuadeat Aristotelem, gravissimosque Theologos easdem distinctiones admisisse, atque probabile conscientiæ in peculiari classe collocasse. Verùm certum est, & Aristotelem, & Theologos nullam nisi veræ probabilitatis notionem admisisse, quam diversis postea materiis applicârunt. Similiter certum est, Theologos unanimiter expressè docuisse, eam probabilitatem sufficere pro conscientia regulanda, quæ opinionibus, quas vocant probabiles, tribuitur, ut ex dictis certò constat. Hæc sunt, quæ Celladeum frustra in his laborâsse convincunt, quæque præmittenda fuerunt, ut fuci, quos facit, detegerentur. His autem detectis.

Utraq; pars cõtradictionis potest esse simul probabilis probabilitate conscientiæ.

48. Probatur Assertio, quæ per modum Corollarii sequitur ex dictis. Inprimis constat, utramque partem contradictionis saltem diversis intellectibus esse posse simul propriè ac strictè probabilem, probabilitate ad conscientiam ritè formandam requisitâ. Ratio est, quia utraque potest esse adeò probabilis, ut prudentissimè assensus illi tribuatur, ut oppositum omni careat probabilitate. At juxta omnium Auctorum consensum, talis est vera ac rigorosa probabilitas, & ad conscientiam ritè formandam sufficit. Ergò utraque pars diversis saltem hominibus esse potest probabilis probabilitate verâ, ac conscientiæ. Hoc autem sufficit ad conclusionem probandam contra Celladeum, qui hoc ipsum hoc loco expressè negat.

Etiam respectu ejusdem intellectûs.

49. Secundò, utraque contradictionis pars potest esse simul probabilis eidem intellectui probabilitate verâ, ut constat ex dictis; illa autem juxta communem Auctorum omnium consensum sufficit ad debitè formandam conscientiam, expressè enim dicunt, opinionem, quam ipsimet reputant esse minùs benè fundatam, minusque communem, id est, opinionem tam intrinsecè quàm extrinsecè & in omni genere minùs probabilem,

babilem, tam quoad se quàm quoad nos, sufficere ad conscientiam ritè formandam, nec de hoc ullum illi dubium esse potest, qui Auctores legerit. Unde sic arguo. Evidens est, utramque contradictionis partem non posse habere probabilitatem conscientiæ à Celladeo positam. At evidens est utramque sæpè habere probabilitatem, quam Auctores ad conscientiam debitè formandam requirunt, quia Auctores gravissimi id ipsum nominatim ac frequentissimè declarant. Ergò evidens est, Celladeum aliud intelligere nomine *Probabilis Conscientiæ*, quàm Auctores & communis sensus scholæ ac Ecclesiæ intelligant. Ergò quamvis utraque pars non habeat eam probabilitatem, quam Celladeus requirit, utraque tamen habet eam, quam Auctores exigunt, & nomine probabilitatis conscientiæ intelligunt. At aliud hîc non requiritur.

Tertia ratio.

50. Tertiò. Probabilitas vera & realis, ac ad conscientiam formandam sufficiens, ab Auctoribus definitur, *quæ nititur fundamento gravi*. At utraque contradictionis pars sæpè nititur tali fundamento, non solùm divisivè eidem seu pluribus intellectibus, sed copulativè simul eidem intellectui, ut constat ex dictis. Ergò utraque pars non solùm divisivè, sed etiam copulativè habere potest probabilitatem realem & conscientiæ. Hæc quamvis adeò clara sint, ut in illis pigeat diutiùs immorari, nihilominus antequam ulteriùs progrediar, juvat insignem Celladei æquivocationem, & hac in re contradictionem contemplari.

Objecta cōtradictoria sæpè sunt licita.

51. Quando agimus de licito probabilium usu, disputatio cò fertur, ut quærat an ex objectis contradictoriè oppositis quodvis liceat pro arbitratu, quando pars minùs tuta est probabilis. v. g. quæritur an sicut in die Festo licet ambulare & non ambulare pro libitu, ita pro libitu liceat pingere & non pingere, modò probabile sit quod pingere non sit opus servile, sed permissum in die Festo, quamvis non desint rationes & auctoritates graves in oppositum. Respondemus affirmativè, quia altera pars est certò permissa, altera est certò probabilis, & certa probabilitas ad conscientiam ritè formandam sufficit. Jam pro utroque ex istis contradictoriis dari potest probabilitas conscientiæ, etiam Celladeo non diffitente. Nam altera pars est certa, ejus autem certitudo non excludit probabilitatem de honestate alterius partis, ut patet. Ergò honestas pingendi (nam absque dubio licitè non pingitur) potest esse vera, & motivis magnis ac veris comprobari. Eo ipso autem habet probabilitatem conscientiæ. Ergò utraque pars contradictionis potest esse probabilis probabilitate conscientiæ. Nec argumenta Celladei contra hoc urgent, quia veritas unius non tollit veritatem alterius, ut patet.

Celladeus quæstionem ab objectis ad actus cōtradictorios transfert.

52. Verùm ipse quæstionem ab objectis contradictoriè oppositis transtulit ad propositiones & opiniones formales sibi contradicentes, quarum altera est necessariò vera, altera falsa. Sed in hoc etiam sensu errat juxta propria principia, dùm asserit utramque non posse habere probabilitatem veram & conscientiæ. Accipio duas propositiones contradictorias. *Licet pingere in die Festo: non licet pingere in die Festo.* Hoc posito sic. Altera ex istis potest esse probabilis probabilitate conscientiæ. Sit prima. Ergò ex vi illius licebit pingere in die Festo, quia qui se regulat per tale judicium non peccat, sed benè operatur. Rursus altera habet probabilitatem conscientiæ, quia non peccat, sed benè operatur, qui ex illa persuasione à pingendo abstinet, cùm certus sit se nullum præceptum violare, sed facere quod permissum est. Quid ergò deest, quò minùs utraque sit simul probabilis probabilitate conscientiæ?

53. Dices. Deest sufficiens fundamentum: nam si pars minùs tuta melius fundamentum non haberet, non esset licita: sed contra, quia si tale fundamentum excusaret sequentes partem minùs tutam, tunc illud sufficeret ad probabile conscientiæ in illa materia. Ergò cùm hoc fundamentum huic materiæ ac propositioni essentialiter alligetur, & sufficiat ad honestandam electionem, quam dirigit, non est cur non habeat in sua materia probabilitatem sufficienter pro regulanda conscientia.

Utraq; propositio contradictoria habere potest probabilitatem cōscientiæ.

54. Est & alia contradictio, quam Celladeus §. 2. contra seipsum objicit, nec solvit. Contradictio in eo consistit, quòd fateatur utramque partem contradictionis esse posse saltem divisivè probabilem quoad nos, quo in casu nemo peccat sequendo alterutrum, si debitam diligentiam præmisit. Rursus docet, utramque partem contradictionis non posse nec divisivè quidem habere fundamentum grave simpliciter, sed solùm secundùm quid. At hæc duo secum pugnant. Si enim fundamentum A est solùm grave secundùm quid, & non simpliciter, non faciet probabile ab Auctoribus requisitum pro conscientia. Illi enim uno ore requirunt fundamentum grave, ut quis à peccato excusetur, si sectetur partem minùs tutam. Ergò peccat, qui illo fundamento nixus operatur: vel si non peccat, habet probabile conscientiæ, quia per probabile conscientiæ intelligimus probabile, per quod à peccato excusamur. Ergò utraque pars erit probabilis probabilitate conscientiæ. Ergò utrumque fundamentum erit grave, & Celladeus sibi contradicet, nisi faciat quæstionem de nomine, & communem terminorum significationem immutet. Hoc sibi ipsi objecit Celladeus, qui frustra conatus est contradictionem à se amoliri, ut ex solutione objectionis constabit; in illa enim proponam quomodo se defendere conetur: sed per modum objectionis doctrinam propono, quia eadem æquo jure contra assertionem positam objici potest.

Celladei cōtradictio, quam sibi objicit, & non solvit.

SOLVITUR OBJECTIO.

55. OBJICIT. Plus est habere probabile conscientiæ, quàm habere dispositionem exclusivam peccati, quia ignorantia invincibilis operantem à peccato excusat. At ignorantia invincibilis reperitur extra omnem opinionem, ut quando adest ignorantia puræ privationis, & homo nec cogitat, nec habet unde cogitare possit de re, quam ignorat. Et tamen hæc ignorantia excludit peccatum. Ergò juxta omnes plus est habere probabile conscientiæ, quàm habere dispositionem exclusivam peccati. Jam quando utraque pars contradictionis est probabilis quoad nos, altera habet fundamentum grave tantùm ex ignorantia vel errore. Itaque gravitas fundamenti desumitur ab ignorantia vel errore. Ergò operans solùm excusatur à peccato ex ignorantia vel errore, si debitam diligentiam adhibuit, non autem excusatur per probabilitatem, quæ solùm est talis secundùm quid. Unde excusaretur similiter à peccato, si absque ullo fundamento per puram ignorantiam invincibilem ignoraret obligationem. Declaratur idipsum exemplo certi. Credat quis firmissimè ex errore invincibili aliquam legem non dari, quæ tamen datur. In hoc casu

Probabile conscientiæ plus habet quàm esse simpliciter exclusivum peccati.

casu talis non peccaret juxta omnes, & tamen non ideo vitaret peccatum, quia sequeretur certum, quia illud non est certum simpliciter, sed solùm apparens & secundùm quid. Ergò excusaretur præcisè propter invincibilitatem erroris. Idem dicendum de probabili. Ita Celladeus §. 3. Qui putat se hâc ratione ostendere, & quod sibi non contradixerit, quodque utraque pars contradictionis non possit esse simul probabilis probabilitate reali, & conscientiæ.

Peccatum multipliciter excluditur ab homine.

56. Respondeo, peccatum multipliciter excludi; primò per hoc, quod libertatis exercitium impediatur, ut per somnum, amentiam &c. In hisce casibus non habetur probabile conscientiæ, quod proinde distinguitur à formis, per quas peccatum impediendo libertatis exercitium excluditur. Secundò peccatum excluditur vitaliter per evidentiam ac certitudinem de honestate operationis, & hæc dispositio plus habet quàm probabile conscientiæ, ut patet. Tertiò peccatum excluditur ab homine liberè operante per commodam & invincibilem ignorantiam ac incogitantiam mali, quia in eo casu non sumus proximè liberi ad malum, etsi liberè ponamus actus, quos omittere poteramus. Hæc dispositio minùs habet, quàm probabile conscientiæ, & accedit ad primam classem, quatenus deest libertas proximè disposita ad peccandum. Quartò, peccatum excluditur ab opere quod fit, quando, non obstante aliqua apparentia mali, homo post debitam diligentiam adhibitam rationabiliter ac probabiliter format conscientiam de honestate operis, & ex illa sic formata progreditur ad opus, & hic est casus, de quo in præsenti agitur, & quæritur quid sit, quod à peccato excusat? Celladeus contendit hoc soli ignorantiæ invincibili tribuendum esse, non autem ipsi opinioni, seu judicio probabiliter judicanti opus esse honestum. At hoc & inconsequenter dictum est, & indubitatæ veritati, communique omnium consensui repugnat. Certum enim est, quòd exequens aliquid cum conscientia dubia, seu de quo dubitat an sit malum nécne, peccet, tametsi post omnem diligentiam adhibitam habeat invincibilem ac prorsus insuperabilem ignorantiam ejus, de quo dubitat. Hoc Celladeus ipse & novit, & admittit pro indubitato. Hoc ómnes unanimiter agnoscunt pro certo, quia ex Deo per S. Paulum testante nôrunt, verissimum esse effatum illud, *quod non est ex fide peccatum est*. Ergò Celladeus in hoc inconsequenter locutus est, & certæ veritati communique omnium consensui contradixit. Itaque certum est ipsum judicium probabile prudenter elicitum esse dispositionem formaliter exclusivam peccati.

Exclusio peccati judicio probabili tribuitur.

57. Quod si Celladeus contendat, excusationem à peccato non tribui soli judicio, sed etiam ignorantiæ invincibili, quia utrâvis ex illis ablatâ peccatum non excluderetur, hoc ipsi non suffragatur, quia totum includitur in opinione ac judicio probabili, prout est probabile, & ad excludendum peccatum concurrit. Ratio est, quia Celladeus ipse ad judicium excusans requirit fundamentum quoad nos grave, & diligentiam fuisse præmissam: hoc etiam omnes requirunt, ut quis licitè sectari possit opinionem probabilem. Imò si rem rectè consideremus, inveniemus judicium probabile practicum non posse formari, ut juxta illud operemur, nisi in casu dubii exorti diligentia debita præcesserit, quia illâ non præmisâ, haud dubiè unusquisque temerè, ideoque non probabiliter neque ex fundamento etiam quoad nos gravi judicat rem esse licitam. Quomodò enim potest esse aut reputari fundamentum grave, prudens, aut probabile, quod sine debita diligentia arripitur, ut causâ non discussâ per illud sententia decisiva proferatur? Ecce necesse est diligentiam debitam præcessisse, ut quis formet judicium probabile, etiam quoad nos, juxta mentem Celladei. Ergò judicium illud probabile per suum solum positivum est causa sufficienter exclusiva peccati, vel certè non denominatur probabile per seipsum, sed solùm per adjunctionem diligentiæ præmissæ, & ignorantiæ, quam debita diligentia superare non potuit. Quodcumque dicatur, habetur intentum, quia semper erit verum, quod judicium conscientiæ, prout est probabile quoad nos (etiam juxta mentem Celladei) sit dispositio peccati exclusiva quatenus aut per seipsum solum illud adæquatè excludit, aut certè quatenus præsupponit diligentiam præcessisse, & ignorantiam veri fuisse invincibilem, ideoque partim ex præsuppositis ad se, partim per se peccatum excludit. At hoc est probabile conscientiæ, scilicet probabile quod à peccato excusat, quodque qui bonâ fide sequitur, in hoc peccare non potest. Hoc enim omnes intelligimus nomine probabilis conscientiæ, quia per hoc ipsum unanimiter explicamus ejus vim, dum dicimus eos, qui tali judicio regulati operantur, excusari à peccato. Itaque Celladeus sibi contradixit, nec evitare potest hanc notam, nisi quæstionem de nomine inducat, dicatque probabile conscientiæ esse aliud, quàm omnes hactenus per illos terminos intellexerunt.

Ignorantia invincibilis aut constituit opinionem practicè probabilem, aut ad illam præsupponitur.

Celladeus non vitat contradictionem.

58. Porrò quod dicit, gravitatem fundamenti quoad nos desumi ab errore vel ignorantia, verum est, si loquamur de ignorantia motivi contrarii, non autem de ignorantia motivi nos impellentis, ut dictum est in hac ipsa *quæst. num. 4*. Verùm hoc probat contra Celladeum, quia jam motivum, quatenus grave est, constituitur tale per ignorantiam motivi contrarii. Itaque si in hoc casu præsenti excusemur ratione ignorantiæ, excusamur per motivum, quatenus gravis est quoad nos, quod tamen ille falsum esse contendit. Præterea licèt plus sit habere probabile conscientiæ, quàm habere dispositionem exclusivam peccati pro aliquo casu, non tamen est plus in casu præsenti, quando dubium oritur de honestate operis; in tali enim casu nemo excusatur, nisi per judicium probabile reguletur; si autem per tale judicium reguletur, haud dubiè excusatur, nec Celladeus id negat, si judicium illud sit probabile quoad nos, & diligentia præcesserit, quæ præcedere debet, ut sit quoad nos probabile. Itaque haud dubiè idem sunt probabile conscientiæ, & dispositio exclusiva peccati in circumstantiis, in quibus quæstio procedit. Errat proinde Celladeus, qui hæc pro rebus distinctis proponit.

Alia ejus contradictio.

Gravitas fundamenti probabilis sumitur ab ignorantia motivi contrarii.

59. Nec quidquam facit exemplum de certo existimato; id enim, per quod homo excusatur à peccato non est certum ipsum, sed rationabilis existimatio de certo, sicut in casu probabilitatis quoad nos, quod excusat, non est ipsum verum, sed rationabilis opinio de ipso vero; nec tamen negamus, utrumque excusari ob invincibilitatem erroris vel ignorantiæ, sed asserimus hanc invincibilitatem necessariò præsupponi ad tale judicium, quia si non supponeretur, judicium illud non prudenter sed temerè eliceretur, & sic non ex merito propositionis objecti, sed ex prava & culpabili dispositione operantis suam certitudinem desumeret. At quæ sunt ejusmodi vitio vertuntur, excusationem non merentur.

Exemplum de certo nil probat.

60. Demùm

60. Demùm quod spectat ad assertionem positam, hæc objectio illam confirmat, quia ostendit, quomodo utraque pars contradictionis esse possit saltem divisivè probabilis probabilitate reali & conscientiæ: ostendit enim quomodo utraque habere possit motiva gravia, invincibili veritatis ignorantiæ conjuncta. At hoc sufficit ad probabile conscientiæ, ut ostensum est: ergò &c. Quod si loquamur de utraque parte contradictionis respectu ejusdem intellectûs pro eodem instanti, argumentum nil probat, quia quod fundamentum alterius partis non graviter alliciat nisi ex ignorantia veritatis contrariæ, non facit quominùs illud sit verè & propriè grave, ut ostensum est. Itaque cùm ex dictis constet, fundamenta utriusque partis posse simul vehementer allicere eundem intellectum, constat utrumque etiam in contradictione alterius, esse posse fundamentum grave.

SOLVUNTUR OBJECTIONES,

quas Celladeus demonstrativas reputat.

Objectio 1.

61. OBJICIT primò. Probabile ab extrinseco fundatur, aut consistit in peritia, in scientia, in doctrina unius aut plurium, qui affirmant illud ita se habere. Sed nullæ conclusiones contradictoriæ simul habent pro se peritiam, & doctrinam Auctorum illas docentium, quia alterutra falsa est; quæ proinde supponit imperitiam, ignorantiam & errorem in Auctoribus illam docentibus. Ergò nullæ conclusiones contradictoriæ simul esse possunt probabiles ab extrinseco. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 11. §. 1.*

Probabile ab extrinseco consistit in probitate & peritia loquentis.

Respondeo tantùm abesse, ut hoc argumentum sit demonstrativum, ut ne quidem habeat ullam probabilitatem. Inprimis probabile ab extrinseco consistit in veracitate docentis. Veracitas autem duplicem loquentis dispositionem involvit: altera est probitas, ratione cujus non vult fallere: altera est peritia, ratione cujus rationabiliter præsumi potest, quod non fallatur; non enim requiritur peritia, quæ nunquam fallitur, ut omnes, etiam Celladeus, & supponunt, & fatentur: sicut enim verum ac legitimum probabile, tam per Aristotelem quàm per ipsum, non est illud quod nunquam fallit, sed quod plerumque non fallit, etsi fallat aliquando; ita peritia, scientia, & doctrina requisita ad probabilitatem extrinsecam, non est peritia quæ nunquam fallitur, sed solùm quæ hîc & nunc prudenter præsumitur non falli. Hoc posito sic. Probabilitas extrinseca est duplex: alia quoad se, alia quoad nos. Illa est vera probabilitas extrinseca quoad se, quæ verè & realiter in duplici illa dispositione consistit. At vera probabilitas extrinseca quoad nos consistit in illis ipsis dispositionibus non ut realiter existentibus in seipsis, sed ut rationabiliter præsumptis. Sic plures sunt, qui apud vulgus magnam scientiæ & probitatis famam adepti sunt, & communiter tales audiunt, quamvis aliquando nec probi sint, nec periti, sed non rarò & fallantur & fallant. Nihilominus evidens est, quod imperiti prudenter stent dictis ab illis; quod nec verum esset nec evidens, nisi illi sufficiens fundamentum haberent ad ita sentiendum. At hoc fundamentum non consistit immediatè in ipsa veracitate loquentis, illa enim nec existit, nec per se innotescit. Ergò consistit in fundamento præsumptionis prudentis de veracitate loquentis. Hoc autem fundamentum est ultima forma denominans probabilia quoad nos, quæ alii nobis proponunt ut vera. His quæ certa sunt, præmissis.

Quid & probabilitas extrinseca quoad se; quid quoad nos?

62. Distinguo majorem. Probabilitas extrinseca quoad se consistit in ipsa reali veracitate docentis, concedo: probabilitas quoad nos consistit in illa, nego majorem: consistit enim in ea ut meritò præsumpta, seu in motivis prudentis præsumptionis de illius præsentia. Atqui evidens est, utramque partem contradictionis simul esse posse extrinsecè probabilem hoc modo quoad nos, quia duo contraria docentes, singuli apud singulos auditores, habere possunt magnam & rationabiliter præjudicatam opinionem de sua veracitate. Ergò duo illi auditores possunt simul habere probabilitatem extrinsecam quoad nos de objectis, quibus assentiuntur. Assensus autem illorum sunt propositiones contradictoriæ. Ergò duæ propositiones contradictoriæ possunt simul esse probabiles extrinsecè quoad nos.

63. Rursus, si loquamur de probabilitate extrinseca quoad se, iterum distinguo majorem. Probabilitas extrinseca consistit in peritia, scientiâ, ac doctrina loquentis, quæ in rebus incertis communiter appellatur peritia, scientia, & doctrina, & meritò præsumi potest conformis objecto, concedo majorem; in illa tantùm quæ est aut certa & evidens, aut reipsa objecto conformis, nego majorem. Nec ego tantùm illam nego in hoc sensu, sed omnes mecum sentientes habeo; nec Celladeus vel unum Auctorem nominatum inveniet, qui aliud pro probabilitate extrinseca requirat. Itaque adeo certum est, distinctionem hanc veram ac legitimam doctrinam continere, ut oppositum non sit probabile, ne plus dicam de indubitata ejusdem veritate. Jam majori in hoc sensu acceptâ, minor sub eadem distinctione transmitti potest, aut simpliciter negari; quia utraque pars contradictionis habere potest peritiam & scientiam pro se. Nec obstat, alteram partem esse falsam, nam quod falsum est, judicio tam benè fundato affirmari potest, ut illud judicium reputetur & sit peritum, doctum, ac scientificum, eâ peritiâ, doctrinâ, ac scientiâ, quam in rebus incertis ac propriè inscibilibus ab humano intellectu sperare possumus, & cui tales denominationes communiter tribuuntur. Sic S. Thomas v. g. Scotus & alii viri primarii dicuntur & verè sunt periti Theologi, quia in omnibus valdè rationabiliter discurrunt, etsi in aliquibus errent & fallantur. Itaque tantùm abest ut conclusio Celladei demonstretur, ut è contrario ex argumento illius ritè intellecto sequatur, utramque contradictionis partem esse posse simul probabilem probabilitate extrinseca, tam quoad se quàm quoad nos.

Peritia & scientia dupliciter dicitur strictè & latè.

64. Sed, inquies, pars falsa supponit imperitiam, ignorantiam, & errorem in mente errantis. Ergò non jungitur cum peritia, scientia, & doctrina.

Respondeo. Pars falsa jungitur quidem cum imperitia, ignorantia & errore, si isti termini accipiantur in strictissima significatione, quâ plerumque utimur in logica. At jungitur cum peritia, & doctrina, si termini illi sumantur in communi ac usitata significatione; quia haud dubiè eos judicamus, ac cum veritate vocamus peritos, qui in rebus incertis ac à nobis indemonstrabilibus ex tanta verisimilitudine discurrunt, ut meritò præsumi possint non falli, tametsi ex imbecillitate condi-

conditionis humanæ fortè fallantur. Alioquin neminem dicere possemus esse peritum in rebus ejusmodi, quia nescimus an verum dicat, an erret. Itaque in eo consistit æquivocatio Celladei, quod terminos, quos certum est diversas significationes habere, ita adhibeat, ac si unam tantùm haberent; nam in majori latam & consuetam habent significationem, alioquin propositio non est vera. Rursus in minori strictam significationem subire debent, ut propositio mereatur admitti, unde certum est argumentum continere quatuor terminos, & esse paralogismum, non demonstrationem.

Objicit sibi Celladeus.

65. Post hanc liquidam responsionem juvat duas responsiones inspicere, quas ipse sibi Celladeus proposuit, ac ut putat refellit. Prima est, quod illud est probabile ab extrinseco, quod asseritur ab exercitato in illa materia, sive erret, sive non erret, modò post diligens veritatis examen magno, valido, ac prudenti fundamento motus ita dicat. Jam certum est, quod utraque pars contradictionis ex tali fundamento simul affirmari possit à diversis saltem intellectibus, ut constat ex dictis *num. 16.* Ergò utraque pars contradictionis potest simul esse probabilis, & magno, valido, ac prudenti fundamento niti.

Nec objectionē solvit.

Contra hanc responsionem verissimam Celladeus dupliciter insurgit: primò dicit, responsionem confundere probabilitatem extrinsecam cum intrinseca. Hoc verum non est, quia probabilitas extrinseca consistit in auctoritate ipsa, ac in fundamentis præsumptis. At intrinseca consistit in ipsis motivis, quibus apprehensis intellectus ad assensum impellitur. Itaque non confundimus has probabilitates, sed unam in ordine ad aliam explicamus, nec aliter fieri potest, cùm una sit relativa ad alteram, ut patet. Dicit secundò, se antea ostendisse motiva utriusque partis non posse simul esse magna, valida, prudentia, sed altera esse necessariò captiosa, sophistica &c. Verùm in his omnibus fallitur Celladeus; egit quidem de illis, sed nullum eorum demonstravit, aut validè probavit; sed è contrà in omnibus erravit, ut ostensum est suis locis. Deinde saltat extra chorum exemplificans in argumentis Zenonis contra motum, & hæreticorum contra fidem, dicens illa esse difficilia, non tamen magna & gravia, aut probabilia Quid hoc ad rem? ut aliquid sit probabile, inprimis & ante omnia nil certum in contrarium obstare debet. In hisce autem casibus certitudo adest in contrarium. Ergò nulla adest probabilitas. Et tamen Celladeo lubet in istis ludere ac tempus terere; sed mihi in illis ulteriùs insistere non lubet.

Celladeus non satisfacit iis, quæ côtra se objicit.

Secunda responsio, quam sibi objecit Celladeus, est, quod probabilitas extrinseca consistat in assertione Auctorum, qui plerumque non fallunt, etsi fortasse hîc & nunc fallant in hac peculiari materia recondita, & incerta. Hoc verum est, quia peritia nullius in hac peculiari materia ex eo dignosci potest, quòd non erret. Ergò aliunde sumitur. Itaque sumitur ex eo, quòd in plerisque suis dictis non fallat. Jam certum est, quod utraque pars contradictionis à tali auctoritate affirmari possit. Ergò utraque pars potest simul esse probabilis extrinsecè.

Prima replica insufficiens.

66. Contra hanc responsionem verissimam opponit primò Celladeus, quòd juxta hanc doctrinam haberem probabile ab extrinseco, etsi per demonstrationem, aut Dei revelationem, scirem illum falli. Ecce iterum in eandem terminorum confusionem incidit. Si mihi aliquid sit certum & evidens, oppositum ejus nullo modo mihi esse potest probabile, sive extrinsecè, sive intrinsecè, quia motivum probabile essentialiter involvit carentiam certitudinis de opposito, ut in ejus constitutivis declaratur. Unde hoc semper supponitur in omni explicatione posteriori. Cur ergò ad hæc frustra recurrit Celladeus? Præterea, etsi oppositum ejus, quod talis Auctor dicit, mihi certum sit, & consequenter ego ob meam certitudinem ad rationabilem assensum ob illius auctoritatem moveri non possim, benè tamen video, auctoritatem illius esse sufficientem ad alium tali notitia carentem rationabiliter regulandum; quod sufficit, ut res credita sit illi probabilis extrinsecè.

Secunda replica insufficiens.

67. Opponit secundò, responsionem non sufficere, quia Auctores non in una vel altera re, sed in plurimis dissident. Ergò non omnes plerumque veritatem dicunt. Sed contra est, quia licèt Auctores in multis sibi contradicant, in plurimis tamen inter se conveniunt. Certè, si omnes omninò duorum exercitatorum resolutiones in omni materia accipiantur & invicem comparentur, invenientur in longè pluribus convenire quàm discrepare, modò cum sufficienti diligentia rem examinent. Hoc perspicuè verum est in moralibus. Accipiantur quævis duæ Summæ nominatæ, & verum invenietur quod dico; in viginti enim convenient pro uno, in quo discrepant. Unde, semper stat, nullum esse Auctorem gravem, doctum ac diligentem, qui sæpiùs non dicat verum, quàm erret. Et sanè nisi ita esset, nemo alteri prudenter crederet in rebus ejusmodi, quia si non esset major spes credendi verum quàm errandi, stultè illi crederem. Jam spes ista fundari non potest in ista peculiari materia, quia nescio an in illa erret, nec ne. Ergò sumitur ex ipsa natura hominis, qui ita constitui debuit, & ita constitutus est, ut periti ac exercitati in discursibus, quos post materiam diligenter discussam eliciunt, frequentiùs verum dicant, quàm errent. Alioquin nemo post diligentiam adhibitam, rebus incertis prudenter assentiretur, aut ullus alteri rationabiliter fidem daret, quia per hoc ipsum æquali aut majori periculo errandi, quàm spei ad verum perveniendi se exponeret; quod absque dubio temerarium & imprudens est. Stet ergò, peritos, doctos, ac exercitatos ita dispositos esse, ut in suis responsis ac sententiis diligenter examinatis multò sæpiùs verum dicant, quàm errent. Unde perspicuum est, quomodò utraque pars contradictionis simul esse possit probabilis extrinsecè.

Auctor peritus plerūque non errat in suis assertis.

68. Veritas hæc tam clara est, ut Celladeus eam ex parte non potuerit non videre. Fatetur enim auctoritatem Medici vel Nautæ, cujus peritiam sæpè experti sumus, esse talem, ut meritò præsumamus illum etiam verum dicere in peculiari casu hîc & nunc incerto. Sic est Celladee, in hoc, communi omnium opinioni subscribens, verum dicis. Jam cogita duos esse medicos, quorum scientia non eidem, sed duobus modo dicto sit cognita. Ponamus jam unum illorum dicere Petro ægrotum moriturum, alterum verò Paulo affirmare eum non moriturum; in hoc casu utraque pars contradictionis erit probabilis extrinsecè, una Petro, altera Paulo. At hoc est quod nos asserimus, & tu negas. Ergò non nobis tantùm, sed etiam veritatibus à te admissis contradicis.

Celladeus veritatem hanc agnoscit, & sic verè sibi cōtradicit.

69. Objicit secundò. *Ubi nulla præsumptio scientiæ & veritatis, nulla auctoritas: sed in Auctoribus sibi contradicentibus nulla præsumptio veritatis in utrinsque simul,*

Secūda Celladei demōstratio prætensa.

simul. Ergò nulla auctoritas in utrisque simul. Ubi nulla auctoritas, nulla probabilitas conscientia ab extrinseco. Ergò in Auctoribus sibi contradicentibus nulla in utrisque simul probabilitas conscientia ab extrinseco. Iterum sic. *Ubi totalis repugnantia ad veritatem & scientiam, nulla auctoritas. Sed in Auctoribus sibi contradicentibus totalis repugnantia ad veritatem & scientiam in utrisque simul. Nulla ergò auctoritas in utrisque simul. Nullum ergò probabile conscientia ab extrinseco in utrisque simul.* Sunt verba Celladei §. 4. quæ ideo sic protuli, quia brevissimè auctoris intentum explicant. Hæc est secunda ex prætensis ipsius demonstrationibus.

Celladeus malè probat propositionẽ apertè veram.

Respondeo, majorem primi argumenti esse ex terminis verissimam, quam proinde Celladeus frustra corroborare conatus est, maximè verò ubi probat illam à priori, *quia*, inquit, *Omnis doctrinalis auctoritas consistit in non fallere neque falli.* Frustra, inquam, quia hoc principium, ab ipso assumptum, est evidenter falsum; cùm certum sit, pueros aliosque rudes sæpissimè errare in fide aliis præstita, quando credunt ob auctoritatem loquentium, qui aut fallunt aut falluntur. Ergò datur aliqua auctoritas incitans ad assensum, quæ non consistit *in non fallere nec falli.* Ecce Celladeus assumit propositionem apertè falsam, tamquam rationem à priori, ad demonstrandam propositionem per se notam, & à nemine negatam aut negandam. Interim omittit probationem minoris subsumptæ, dicens eam esse perspicuam, cùm tamen illa palmari hallucinatione ac terminorum æquivocatione suam obscuritatem, ac etiam falsitatem prodat.

Simul dari potest auctoritas pro utraq; parte contradictionis.

70. Hanc ut videas recordare utramque partem contradictionis affirmari posse simul à duobus ob auctoritates diversas. In hoc casu vox *simul* aliud non significat, quàm judiciorum sibi contradicentium coëxistentium in eodem instanti reali. Jam certum est, auctoritates illas simul existere in eodem instanti, ex quibus duo illi moventur ad judicia contradictoria, ad quæ certè non moverentur, si nullam veritatis præsumptionem haberent. Quod si dicas, utrumque veram auctoritatem non habere, quia alter errat, id demùm dicis, neminem errantem ullam auctoritatem habere, quod evidenter falsum est, cùm peritus medicus auctoritatem habeat, illique ob auctoritatem ipsius prudenter credamus, tametsi hîc & nunc per accidens erret. Quomodo ergò caret omni auctoritate, si erret? sed esto (quod tamen apertè falsum est) omni reali auctoritate careat is, qui decipit aut decipitur, quid hoc ad rem? Minor expressè procedit de auctoritate præsumpta. At evidens est, quod in eodem instanti reali duo illi præsumere possint magnam auctoritatem de suis Auctoribus, singuli de suo, eò quòd multas & magnas ejus rationes perpendant, magnamque de eorum sufficientia opinionem ex publica fama habeant, maximè si nil in contrarium illis objiciatur. Ergò evidens est, quòd in isto casu validissima detur præsumptio veritatis; sicut & auctoritatis, in utroque Auctore simul, & pro utraque parte contradictionis simul, seu pro eodem instanti reali, maximè si nemo unus auctoritates, aut veritates illas præsumptas inter se comparet. Et tamen hic casus tam ad verificandam assertionem nostram, quàm ad demonstrationem prætensam, & ipsam Celladei opinionem evertendam abundè sufficit.

Datur auctoritas simul pro utraque parte

71. Sed esto, loquamur de uno eodemque intellectu comparante auctoritates ac rationes sibi invicem contradicentes. In hoc sensu distinguo minorem: nulla est præsumptio veritatis in utrisque Auctoribus simul, relatè ad collectim affirmandum quod uterque dicit, concedo minorem, quia ad hoc credendum nec ratio nec auctoritas datur, ut patet. Nulla datur præsumptio veritatis in utroque simul ad distributivè seu divisim affirmandum quod dicunt, nego minorem, oppositum enim constat clarissimè; simul enim coëxistunt rationes & auctoritates ad assensum allicientes. At præsumptio veritatis pro utraque parte distributivè sumpta est prorsus inseparabilis ab istis rationibus & auctoritatibus simul coëxistentibus in mente, à quibus ad assensum utrique parti distributivè sumptæ præbendum allicimur. Ergò datur manifesta præsumptio veritatis in utrisque simul, quamvis non pro veritate utriusque partis simul & collectivè sumptæ, sed solùm pro veritate utriusque distributivè acceptæ. Labitur ergò prætensa demonstratio.

contradictionis in eodẽ intellectu.

Datur auctoritas, ubi in objecto datur repugnantia ad veritatem.

72. In secundo argumento major est falsa, quia docti post omnem diligentiam, & validas rationes excogitatas, aliquando errant in rebus veritatis necessariæ. In hoc casu Doctor, sic errans, aliquam habet auctoritatem apud imperitos. Et tamen à parte rei datur essentialis repugnantia ad veritatem in dictis ipsius habendam. Ergò falsum est, *quod nulla detur auctoritas, ubi adest totalis repugnantia ad veritatem.* Rursus eadem major distinguitur hoc modo. Nulla datur auctoritas in aliquo, ubi repugnantia ad scientiam & veritatem in dictis ipsius reperiendam datur à parte rei, & clarè innotescit; conceditur major. Ubi datur repugnantia veritatis, sed illa non certò apparet, sed creditur abesse; negatur major. Eodem modo distinguo minorem. In Auctoribus sibi contradicentibus datur repugnantia ad veritatem & scientiam in utrisque, & semper scitur illos sibi contradicere, nego: & illud sæpè non innotescit, concedo minorem, quia quando loquimur de diversis hominibus, qui in eodem instanti affirmant contradictoria, singuli solùm cogitant de suo objecto illiusque veritate, illudque credunt esse verum, & oppositum falsum, omnemque repugnantiam ad verum abesse credunt à dictis ejus, cui fidem adhibent. Unde in hoc sensu negatur consequentia. Iste autem sensus sufficit ad veritatem assertionis positæ, totumque Celladei intentum evertendum, quia probat, utrumque contradictorium posse esse simul probabile respectu diversorum intellectuum.

Alia ejusdẽ argumenti solutio.

73. Rursus si loquamur de eodem intellectu, comparante utramque contradictionis partem, & advertente alteram esse necessariò falsam, iterum distinguo minorem. In Auctoribus contradicentibus datur totalis repugnantia ad veritatem utriusque partis collectivè sumptæ, concedo: utriusque partis distributivè sumptæ, nego minorem. Unde negatur consequentia: non enim datur auctoritas contra veritatem apertam ad affirmandum utrumque esse simul verum, quia neuter hoc cupit, nec ad hoc suam auctoritatem interponit. At datur auctoritas pro veritate singularum partium distributivè sumptarum, quia aut non datur, aut certè non apparet totalis repugnantia veritatis in hoc sensu. Nec mirum, sicut enim necesse est alterum esse falsum, sic etiam necesse est alterum esse verum. Dum ergò latet, cui parti veritas faveat, & simul dantur rationes & auctoritates tam faventes parti A contra partem B, quàm parti B contra A; & illæ rationes ac auctoritates solùm stimulant ad assensum partium distributivè sumptarum, manifestum est, quod in hoc sensu nulla

nulla appareat repugnantia totalis ad veritatem in ulla ex partibus, si comparetur ad alteram, quam excludit; imò magna adest veritatis similitudo pro singulis partibus, seu pro utraque distributivè sumpta, etiam quando considerantur ut simul propositæ eidem intellectui in uno eodemque instanti. Ergò in hoc sensu simul datur auctoritas, ratio, probabilitas, immò & veritas apparens pro utraque parte. At aliud non contendimus.

Celladeus tenetur solvere argumenta sua.

74. Atque hinc habemus, instantiam ab ipso Celladeo solvendam. Argumentum enim utrumque proponi potest contra ipsum opinari, sive opinatio sit probabilis, sive temeraria. Hoc enim parùm refert ad intentum præsens. Quare sic arguo. *Ubi nulla præsumptio veritatis, ibi nulla est possibilis opinatio. At de utrisque simul contradictoriis nulla est præsumptio veritatis. Ergò nulla est possibilis opinatio de utrisque simul.* Rursus eodem modo proponitur secundum argumentum. *Ubi repugnantia veritatis est perspicua, ibi repugnat opinio. Sed in Auctoribus sibi contradicentibus repugnantia veritatis in utrisque simul est perspicua. Ergò in Auctoribus sibi contradicentibus repugnat opinio de rebus contradictoriis.* Quid diceres, Celladee, si aliquis hæc afferret, ut probaret non posse, ne quidem in diversis intellectibus, dari simul propositiones sibi contradicentes, maximè si uterque intellectus compararet motiva opposita, & adverteret utramque partem non posse simul esse veram? Rideres, arbitror, & diceres, illum terminos confundere, & inter sensum distributivum ac collectivum non discernere. Sic est. At cogita idem prorsus locum habere in tuo argumento, & fatere illud non solùm non esse demonstrativum, sed apertè sophisticum & fallax, quod à te ipso & omnibus eo modo solvendum est, quo illud solvimus.

Potissima Celladei demonstratio prætensa.

75. Objicit tertiò. Contra veritatem certam & indubitatam non datur probabile conscientiæ, ut omnes fatentur. Hoc posito sic. Forma, quæ est impossibilis cum alia in aliquo subjecto determinatè sumpto, conjungi nequit cum illa alia forma in duobus subjectis, si exclusio formæ prioris indeterminatè necessariò conveniat alterutri illorum subjectorum. Sic scientia perfecta de aliquo objecto, quæ est incompossibilis cum ignorantia circa idem in Petro, repugnat simul esse in Petro & Paulo, simulque reddere utrumque scientem, si supponamus alterutrum necessariò carere illâ scientiâ. Similiter, si necesse sit Petrum vel Paulum scire hoc objectum, impossibile est, utrumque simul illud ignorare. Sed certitudo falsitatis in una propositione, v. g. in A, est incompossibilis cum probabilitate conscientiæ de veritate ejusdem propositionis determinatè sumptæ. Ergò certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabilitate conscientiæ simul in hac & in propositione contradictoriè opposita, etiam indeterminatè sumptis, seu cum simultate probabilitatis in utraque propositione. Sed in omni contradictione adest certitudo & evidentia falsitatis in una ex propositionibus indeterminatè sumptis. Ergò repugnat cum probabilitate utriusque conclusionis determinatè sumptæ, seu cum simultate probabilitatis in utraque. Ergò repugnat duas conclusiones contradictorias esse simul probabiles. Idem argumentum sic breviùs proponitur. Repugnat ut illud idem sit tibi probabile, quod est certò tibi falsum. Est autem tibi certò & evidenter falsa alterutra duarum propositionum sibi contradicentium. Ergò utraque non potest esse tibi simul probabilis probabilitate conscientiæ. Ita Celladeus §. 4. Et hæc est potissima ratio, cui tamquam prorsus demonstrativæ confidit.

Argumentum evidenter retorquetur.

76. Respondeo inprimis per instantiam à Celladeo aliisque omnibus solvendam. Repugnat intellectum allici, attrahi, aut impelli ad assensum objecti evidentissimè falsi. v g. motiva & argumenta sæpè movent nos ad credendum aliquid, quamdiu veritas illius est incerta. At statim ac veritatem ipsam oculis videmus, non ampliùs impellimur ad oppositum propter dicta aut rationes alterius, quibus antea validè impellebamur. Hoc posito, argumentum æquè probat utramque partem contradictionis non posse simul allicere ac impellere intellectum ad assensum, ac utramque non posse simul esse probabilem. At evidens est argumentum non convincere primum, quia oppositum est certum & evidens, ut certissimâ experientiâ constat. Ergò evidens etiam est, quod non convincat secundum; non solùm quia ex hac instantia evidens est argumentum esse sophisticum, etsi nesciremus ubi sophisma latet, sed etiam quia probabilitas ipsa formalis consistit in impetu illo intellectuali. Ergò si impetus ad utramque partem non excludantur, sed simul existere possint, utique & probabilitas utriusque partis simul datur.

77 Porrò ut videas instantiam evidenter valere, facilitatis causâ incipio à secunda argumenti propositione, quippe quæ clarior est ac intelligibilior, quàm prima, quæ certè valdè difficilis est & intricata, cùm tamen Celladeus clarè loqui consueverit. Verùm hoc ipsum dat ansam credendi, æquivocationem aliquam in argumento latêre, alioquin Celladeus rem clariùs expressisset. Itaque sic formo syllogismum. Repugnat ut illud objectum te attrahat ad assensum quod evidenter tibi est falsum. Est autem evidenter tibi falsum alterutrum duorum objectorum contradictoriorum. Ergò utrumque non potest simul te attrahere ad assensum. Quid dicis Celladee? habes hîc argumentum tuum sub eadem penitùs forma alteri materiæ applicatum. Præmissæ evidentes sunt. Estne etiam conclusio demonstrativa? Nequaquam, est evidenter falsa, evidenter sophistica, evidenter nulla. Dic ergò, ubi latet sophisma? detege errorem, & ipse tu prætensam tuam demonstrationem invenies esse paralogismum. Sed ubi latet deceptio? Dicam, latet in diversa terminorum acceptione; idem enim terminus modò in determinata, modò in vaga & indeterminata suppositione sumitur. Major enim non est vera, nisi terminus *evidenter* sumatur in suppositione determinata. Sic si determinatè videam solem splendere, non moveor ad oppositum, eò quòd tu dicas solem non splendere: loquimur enim de splendore solis, qui determinatè sumptus est mihi evidens. Jam in minori terminus *evidenter* non applicatur ulli objecto determinatè sumpto, sed supponit vagè pro alterutra parte contradictionis, nec constat pro qua determinatè accipiatur. Est enim mihi evidens, quod alterutrum sit falsum, sed nescio quodnam illud sit. Mutatur ergò terminorum suppositio, argumentumque ex quatuor terminis constituitur. Eadem porrò responsio evidenter valet respectu argumenti contra probabilitatem utriusque partis propositi, ut patet. Itaque conclusio non subsistit. Ratio à priori est, quia sola evidentia de objecto determinatè sumpto excludit impetum intellectualem, seu repræsentationem objectivam impellentem ad contrarium. Ergò cùm evidentia veritatis de parte alterutra neutram partem deter-

Prætensa demonstratio ostenditur esse merum sophisma.

determinatè afficiat, non potest impedire, quin pars quævis determinatè sumpta actu alliciat. Et hinc est, quod utraque pars determinatè simul alliciat; & quia impetus ille tantus esse potest, quantus ad probabilitatem requiritur, ideò evidentia de falsitate alterutrius partis indeterminatè sumptæ non excludit simultaneam probabilitatem utriusque partis determinatè sumptæ; non quod detur probabilitas de simultanea utriusque partis veritate, hoc enim repugnat; sed quod detur simultas duarum probabilitatum, quarum singulæ ad determinatum objectum referuntur.

Sophisma primi syllogismi detegitur.

78. Eodem modo instantia, ab impetu intellectuali desumpta, fieri potest contra formam prioris argumenti, quia contra evidens non datur impetus intellectualis, sicut contra evidens non datur probabilitas conscientiæ. Itaque, cùm totum argumentum in hoc principio fundetur, manifestum est, formam argumenti æquè applicari ad impetum intellectualem, ac ad probabilitatem conscientiæ; & facilè erit unicuique argumenti formam applicare. Jam certum est argumentum non concludere contra simultatem duorum impetuum intellectualium. Ergò neque concludit contra simultatem probabilitatis utriusque partis. Ego prolixitatis vitandæ causâ applicationem omitto, & respondeo per doctrinam utrique casui æquè applicabilem. Inprimis ergò distinguo principium assumptum. Contra objectum determinatè certum & evidens non datur probabilitas determinata circa contrarium, concedo: contra objectum indeterminatè tantùm certum & evidens, non datur probabile certum ac determinatum, nego. Sic si videam solem splendere, non potest mihi esse probabile, quod non splendeat, quia splendor solis determinatè sumptus est mihi evidens in seipso, seu determinatè evidens, & hæc evidentia excludit probabilitatem determinatam de opposito. At quod splendor solis sit mihi evidens indeterminatè, eò quòd sciam solem splendere, vel non splendere, non tollit determinatam probabilitatem, quòd non splendeat, quia hæc evidentia non opponitur motivo gravissimo suadenti illum non splendere, ut patet. Ergò evidentia de veritate objecti indeterminatè sumpti, non tollit probabilitatem determinatam de opposito. Jam totus discursus nititur in hoc principio, quod solùm verum est in acceptione determinata terminorum; & tamen argumentum fundatur in indeterminata eorundem acceptione.

Argumentum transit ab una forma ad aliã longè diversam, eodem nomine significatam.

79. Quod additur de formis incompossibilibus non est ad rem, quia nulla fit variatio in ipsis formis, sed illæ eædem sumuntur & comparantur cum eisdem objectis aut subjectis, ut patet. Sic si necesse sit Petrum vel Paulum scire hoc objectum, impossibile est utrumque illud ignorare, quia ignorantia est forma, quæ utrique applicata haud dubiè expellit scientiam ab utroque. At in casu nostro fit transitus ad formas diversissimas. Alia enim est evidentia quod sol splendeat, alia evidentia quòd vel splendeat vel non splendeat. Imò si presè loquamur, aliud est objectum, non solùm terminativum, sed vel maximè motivum utriusque. Ergò licèt prima evidentia de splendore solis excludat probabilitatem de opposito, inde solùm sequitur, quod eadem ipsa evidentia excludat probabilitatem ab utroque contradictorio simul sumpto, quod est evidens, quia, stante tali evidentiâ, impossibile est, ut utraque pars sit probabilis. At inde non sequitur, quod secunda evidentia, utpote forma diversissima, excludat probabilitatem ab utroque opposito determinatè sumpto; quia sicut non excludit probabilitatem ab ullo determinatè sumpto, sic nec ab utroque: sicut enim nec admittit probabilitatem partis unius determinatè sumptæ, sic etiam alterius partis determinatè sumptæ probabilitatem admittit, quia eadem de utraque est ratio, sicut & de impetu intellectuali: nam sicut hæc secunda evidentia non impedit quò minùs utraque pars intellectum sollicitet, quamvis prima evidentia tollat omnem stimulum ad contrarium; ita pariter secunda hæc evidentia non tollit probabilitatem ab utraque contradictionis parte simul, quamvis prior evidentia illam tollat.

80. Hic habes fundamentum totius hallucinationis in argumento, quod in majori proponit formam aliquam peculiarem determinatam, contrariam tam probabilitati alterius partis determinatè sumptæ, quàm utriusque simul, & de hac formâ vera est major. At in minori fit transitus ad aliam certitudinem & evidentiam; subsumitur enim: *At in omni contradictione adest certitudo & evidentia falsitatis in una ex propositionibus*: Peto enim de qua certitudine & evidentia loquaris? de illa eadem, de qua antea loquebaris in majori, an de alia aliqua? Si de eadem, minor non solùm est de subjecto non supponente, sed etiam est apertè falsa, quia sæpè neutra pars, determinatè sumpta, est certò falsa. Si de alia (certum autem est quod de alia loquaris) eo ipso argumentum ruit, quia cogeris fateri, te terminos mutasse, ac sub eadem voce plura dissimilia complexum esse. Ergò cogeris fateri argumentum esse merum sophisma. Nos autem omnibus locum sophismatis ostendimus.

Locus sophismatis presè aperitur.

81. Dices; si tibi constaret, alteram ex conclusionibus contradictoriis esse scitam ac demonstratam, etsi non constaret quænam illarum esset scita ac demonstrata, in tali casu utraque non esset tibi probabilis probabilitate conscientiæ. Ergò neque de facto utraque potest simul esse probabilis, quia æquè certò scis, alterutram esse falsam, sive demonstretur, sive non demonstretur altera pars. Ita Celladeus.

Respondeo negando antecedens, si sumatur universaliter, ut jacet, quia semper scimus alterutrum ex contradictoriis esse scitum à Deo, à Christo ut homine, ab Angelis &c. Unde miror, quod Celladeus in hoc difficultatem fecerit, putaveritque illud à nobis esse concedendum, quod ignorare non poterat ab omnibus hac in re nobis consentientibus expresè negari. At si loquamur in aliquo peculiari casu, antecedens poterit esse verum, tunc scilicet, quando scirem alteram partem esse scitam à Petro, quem consulere possem; in tali enim casu teneor diligentiam adhibere, & facere quod in me est, ut veritatem sciam, alioquin imprudenter ac temerè sententiam feram, & opus incertum aggrediar. Quod si ille conveniri non possit, vel quia nescitur, vel quia est in Indiis v. g. & ego diligentiam adhibeam, inveniamque Auctores ac rationes valdè stimulantes ad assensum utriusque partis distributivè sumptæ, utraque pars erit mihi probabilis probabilitate conscientiæ, quamvis non sit talis ei, qui veritatem evidenter novit.

Celladeus assumit ut per se notũ quod ab omnibus fermè creditur falsum.

82. Præter responsiones peculiares huic argumento jam datas, duæ aliæ dari possunt; prima est, quam ultimo loco dedi objectioni secundæ, quæ huic ac illi argumento æquè applicari potest, sicut & responsiones ac instantiæ, quibus huic argumento satisfecimus, magna ex parte secundæ obje-

Datur simultas, sed non datur probabilitas simultanea.

objectioni applicari possunt. Secunda fundatur in certa ac indubitata distinctione simultatis potentiæ, & potentiæ simultatis, quæ duæ toto cælo differunt. Habemus enim simultatem potentiæ ad amandum & non amandum, quia potentia amandi non excludit, sed secum admittit potentiam non amandi; non tamen habemus potentiam simultatis, seu potentiam simul conjungendi amare & non amare, seu ponendi utrumque copulativè, sed solùm disjunctivè. Eodem pariter modo discurrendum est de probabilitate utriusque partis contradictionis: datur enim simultas probabilitatis utriusque partis, quia stimulus intellectualis, seu probabilitas alliciens ad assensum unius, non excludit stimulum intellectualem, seu probabilitatem, quia intellectus simul allicitur ad oppositum. At non datur, nec dari potest probabilitas simultatis, quia nullus est aut esse potest stimulus ad credendam utramque partem contradictionis esse simul veram. Jam argumenta Celladei solùm probant, utramque partem contradictionis non habere probabilitatem simultatis, quod ultrò concedimus; nullatenus autem ostendunt, utramque partem non habere simultatem probabilitatis, de qua sola præsens quæstio procedit.

Celladeus immeritò sugillat quendam Theologũ.

83. Contra hanc distinctionem insurgit Celladeus §. 6. Inprimis autem sugillat Theologum quendam, qui hâc distinctione usus docuit, liberum nobis esse opinari inter propositiones probabiles contradictorias, quia alterutram pro libero voluntatis imperio elicere possumus, quamvis non possimus simul opinari per utramque. Ex hoc autem apparet, quòd simultas probabilitatis, & probabilitas simultatis cöincidant quodammodo cum simultate potentiæ, & potentia simultatis. Sed frustra sugillat illum, quia sententia illa vera est, ut fusè ostendi *in tract. de Consc. prob. quæst. 8. & 9.* Sed & de hoc ipso expressè contra Celladeum agendum erit *quæst. sequenti.*

Mira Celladei æquivocatio, ac terminorum confusio.

84. Secundò prætendit, distinctionem istam in casu præsenti esse merè verbalem, & simultatem probabilitatis necessariò inferre probabilitatem simultatis. Inprimis dicit, judicia contradictoria rationabiliter concepta, & in diversis intellectibus simul existentia esse per nos simul probabilia probabilitate simultatis. Rursus dicit, quod per nos detur probabilitas simultatis utriusque conclusionis, quia non una vel altera, sed utraque simul & in sensu composito est probabilis. Verùm hoc est confundere simultatem probabilitatis cum probabilitate simultatis, ac loqui de nostra sententia, ac si illam non intelligeret. Simultas probabilitatis aliud non significat, quàm cöexistentiam duorum motivorum tantæ magnitudinis, quorum singula alliciunt intellectum ad assensum unius determinatæ partis cum rejectione alterius. At evidens est duo motiva contraria simul conjungi posse in intellectu. Similiter efficaciter probatum est, quod singula ex illis motivis eam magnitudinem habere possint, quæ ad probabilitatem requiritur. Ergò dari potest simultas probabilitatis. At probabilitas simultatis in casu præsenti significat, simultaneam objectorum contradictoriorum conjunctionem esse probabilem, quod evidenter repugnat; adeo enim evidens est hoc repugnare, ut intellectus nullum stimulum habeat ad id affirmandum. At probabilitas in stimulo intellectuali consistit. Ergò evidens est probabilitatem simultatis non dari; ad hoc enim propositio, dicens utrumque contradictoriorum simul existere, deberet esse probabilis. At propositio illa est evidenter falsa. Ergò & evidenter improbabilis.

Simultas probabilitatis quid?

Probabilitas simultatis quid?

Celladeus illegitimè nos impugnat.

85. Hic est genuinus sensus eorum, quos Celladeus hoc loco impugnat, sed illum non attingit, ut patet. Imò in illis, quæ nobis attribuit, apertè confundit duos istos sensus, qui tamen non minùs opponuntur inter se, quàm simultas potentiæ & potentia simultatis. Interim prætensæ illius demonstrationes per hanc etiam clarissimam doctrinam, certissimamque distinctionem funditùs corruunt, sicut per priores responsiones fuerunt eversæ.

ALIA OBJECTIO,

Occasione cujus quæritur, quid S. Thomas & Antiqui hac de re senserint.

S. Thomas periculum agnoscit in re, de qua Auctores contraria sentiunt.

86 OBJICIES, S. Thomas Opusculo 73. *de usuris, in proœmio* dicit, Auctores sui temporis *etiam in moralibus, in quibus periculum est, diversa sentire & opinari.* Deumque paulò antè enixè precatur, *ne ipsum in periculum animæ suæ, & in laqueum aliorum errare permittat.* Hinc sequitur primò, periculum esse tam animæ propriæ, quàm laquei alieni in decidendis quæstionibus moralibus. Secundò sequitur, non satis esse ad periculum hoc & laqueum evitandum habere Doctores diversa sentientes & opinantes, quia notorium erat S. Thomæ, quod Doctores tunc temporis inter se discreparent de rebus ad usuram spectantibus. Et tamen periculum ac laqueum timebat. Non ergò sentiebat cum modernis Theologis, quod in rebus controversis liceret sequi quamcumque partem, pro qua Doctores reperiuntur. Si enim hoc verum reputasset, eo ipso periculum cessasset, & laqueus, quem timebat, contritus fuisset. Tertiò sequitur, S. Thomam non admisisse probabilitatem, in sola Doctorum opinione sitam, esse sufficientem conscientiæ regulam. Itaque distinxit inter probabile conscientiæ, & probabile opinionibus dari solitum.

In rebus incertis quæstio delicito periculosè determinatur per S. Thomam.

87. Rursus S. Thomas *quodlib. 9. quæst. 7. art. 15.* quærit an liceat simul habere plures præbendas non curatas absque dispensatione, & post argumenta proposita hæc habet. *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Ecce iterum agnoscit periculum, & tamen expressè fatetur hac etiam in quæstione, Theologos Theologis, & Juristas Juristis contraria docere. Rursus S. Thomas, *quodlib. etiam 8. art. 13.* eandem quæstionem tractans observat, alterutram ex opinionibus contradictorijs esse falsam. Unde infert, habentem plures præbendas non excusari à peccato, si faciat contra opinionem veram, quia facit contra legem, licèt non peccet contra conscientiam. Ecce S. Thomas ubique sibi similis est, cùm eædem reflexiones & illationes fieri possint ex istis locis, quas ex prima auctoritate deduximus. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 12.* ex quibus contendit, Sanctum Thomam per omnia cum ipso sentire, ac etiam ex necessitate falsitatis in alterutra contradictoriarum suam (ut ipse) sententiam stabilire. Nominatim autem videtur sequi, quod ad præsens attinet, utramque contradictionis partem ex mente S. Thomæ non posse simul esse probabilem probabilitate conscientiæ, cùm non sufficiat, quod Doctores hinc inde teneant opposita.

Scotus idē agnoscit periculum.

88. Sancto Thomæ Celladeus Scotum subnectit, qui *in 3. dist. 25. quæst. 1. ad 4.* in determinandis quæstionibus moralibus, idem periculum, quod S. Thomas agnoscit; dicit enim, *Benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur;* & expressè loquitur in casu altercationis Doctorum, an aliquid liceat, néene. Unde videtur sequi, antiquos cum Celladeo contra nos tenere.

S. Thomas & Scotus nobis favent.

Respondeo me fusè examinâsse mentem Sancti Thomæ *quæst. 29. de Consc. prob.* ubi clarè ostendi, S. Thomam in nullo à nobis discrepare, sed per omnia communem doctrinam aut supponere, aut expressè tradere. Legatur quæstio, quia in ea jam satisfactum invenies istis auctoritatibus & ponderationibus, antequam à Celladeo proponerentur. Similiter quod ad Scotum attinet, & hunc & alios ejus textus expendi *quæst. 22. de Consc. prob. à num. 151. ad num. 160.* eumque à nostris partibus stare probavi: quocirca ne acta agam, pro pleniori hujus rei decisione eò Lectorem remitto; hic autem sufficiet rem breviter declarare, & æquivocationes Celladei aperire.

Itaque omnes fatemur moralium dubiorum decisionem esse periculosam; quod verum est in quamcumque partem dubium resolvas, quia nec Dei lex evacuanda, nec conscientia proximi indebitè oneranda est. Quocirca hoc tam premit Celladeum & adversarios, quàm nos, quia nec illi nec nos tuti sumus, nisi debitam diligentiam impendamus, & ea, quæ rationi consona sunt, proferamus.

Pro praxi opinionis non sufficit quod illa ab auctoribus doceatur.

89. Similiter ultrò admittimus, non satis esse pro licita opinionum praxi, quod constet, eam à Doctoribus tradi: omnes enim requirimus plura, nempe ut nil certum in contrarium afferatur; ut opinio, quam sequimur, non sit rejecta tamquam improbabilis; ut habeat pro se tantam rationem vel auctoritatem, quanta ad certam probabilitatem à nobis præscribitur. Jam, stante tali opinione, dicimus licitum cuique esse illam sectari. Nec S. Thomas, aut hic, aut ullibi docuit oppositum. Nec obstat S. Thomam agnovisse periculum, non obstante, quod Auctores contraria sentirent: nam inprimis non constat, an Auctores illi omnia requisita haberent, quæ ad certam probabilitatem requiruntur. Sed licèt hoc S. Thomæ constitisset, ideoque ille omittere potuisset illam suam disputationem; nihilominus si in se suscipiebat onus rem examinandi, suamque auctoritatem pro regula operandi aliis proponendi, utique non fuisset tutus, si quidquid pro arbitratu dixisset. Sic enim inprimis proximos decepisset, quia illi ab eo propriam ipsius sedulitatem in veritate investiganda, ut in operando conscientias suas tutiùs conformarent, expectabant; ipse autem tali expectationi non correspondisset, sed eos per simulationem justissimâ spe fraudasset. Deinde proprio officio defuisset, quia officium Theologi postulat, ut si quæstionem directè solvendam arripiat, eam sedulò valdè pertractet, rationibusque omnibus inspectis ac diligenter examinatis, id demùm proferat, quod veritati magis consonum repererit; quia omnes, maximè Theologi, (quorum præcipuè id munus est) tenemur veritatem ipsam quantum possumus investigare, ut sic non solùm corde quæramus, sed etiam ostendamus opere, nos aliud quàm veritatem ipsam, & sinceram ac genuinam Dei voluntatem & gloriam non quærere. Qui hisce non correspondet, Theologi nomine indignus est. Itaque ut S. Thomas suo muneri satisfaceret, necesse erat, ut quæstionem, quam examinandam susceperat, diligentissimè discuteret, ne & sibi periculum, & proximis laqueum crearet.

Periculum Theologi solventis quæstionem in quo consistat?

Ratio, ob quam Sanctus Thomas timuit, nil facit ad præsentem quæstionē.

90. Est & alia ratio id ipsum evincens. Qui doctrinæ capaces sunt, non tam facilè acquiescere debent aliorum dictis, quàm qui eas examinare, earumque vim & efficaciam investigare ac penetrare non nôrunt. Itaque si viro valdè docto solùm repræsentetur, quod plures teneant utramque partem contradictionis, non illicò tutus erit, si sectetur partem minùs tutam, sed vel scire debet qualitatem Doctorum eam tenentium, ut sic sine ulteriori investigatione, eorum sententiam in conscientiæ regulam licitè accipiat, vel ipsemet tenebitur rationes investigare, ut nil agat, nisi illud rationi congruum esse noverit. Hoc maximè verum est in Theologo, qui rem à fundamentis examinandam ac determinandam suscipit. Itaque S. Thomas, utpote summus Theologus, qui quæstionem illam à se determinandam acceperat, tutus non fuisset, nisi rem valdè diligenter examinasset. Et ecce habes rationem, unde timeret, etsi sciret, plures cuivis contradictionis parti favere. At hoc nil facit ad præsentem quæstionem, quæ solùm procedit, quando constat hanc diligentiam præmissam fuisse, & veritatem, hoc non obstante, ita latêre, ut probabilissimum sit, utrumque contradictorium objectivum, etiam minùs tutum, licere.

S. Thomas censuit utramque opinionem cōtradictoriam esse probabilem probabilitate conscientiæ.

91. In hoc casu sententia benigna procedit: & dico S. Thomam tenuisse, quod in ejusmodi casu liceat sequi opinionem quamcumque, etiam minùs tutam, modò juxta illam omni dubitatione postpositâ, conscientia bonâ fide formetur. Ratio evincens intentum est, quia S. Thomas plurimas resolutiones habet in favorem partis minùs tutæ, ut quod lapsus in peccatum mortale non teneatur statim confiteri, nisi in paucis casibus, quos exprimit. Quod circumstantiæ aggravantes in eadem specie non sint materia necessaria confessionis. Quod judex licitè condemnare possit innocentem, qui per allegata & probata convictus est reus, aliaque ejusmodi quàm plura. Hæc tenuit S. Thomas partim contra S. Bonaventuram, partim contra alios Auctores gravissimos. Peto jam an S. Thomas existimaverit, licitum esse resolutionibus ipsius stare, néene? si neges, nullus es; quia certum est, quod ideo tales resolutiones ponantur, ut alii juxta illas conscientiam forment. Unde videmus, quod fideles ad hunc usque diem per illas conscientiam regulant. Si concedas, habeo intentum, quia jam putavit opinionem minùs tutam, rationabili fundamento munitam, esse posse sufficientem conscientiæ regulam, quamvis S. Bonaventura, & alii præstantissimi doctissimique Theologi, etiam post rationes S. Thomæ sedulò expensas, contrarium tenerent, & partem tutiorem ut unicè veram amplecterentur. Ergò S. Thomas existimavit, utramque partem contradictionis esse probabilem probabilitate conscientiæ. De opinione S. Bonaventuræ, contraria opinioni ipsius, nulla esse potest difficultas, illa enim cùm sit tutissima, non potest nocere conscientiæ, si in regulam admittatur, nisi homo spontaneè contra conscientiam agere velit. Ergò illa & tunc erat, & nunc est probabilis probabilitate conscientiæ. Rursus S. Doctor censuit suam quoque opinionem esse probabilem probabilitate conscientiæ, & quidem illi, cui etiam opposita sufficiens erat ad conscientiam ritè formandam, casu quo illi assensum præbuisset. Ergò existimavit,

mavit, utramque partem contradictionis esse simul probabilem probabilitate conscientiæ.

92. Dices. Aliud est Sanctum Thomam sentire partem suæ oppositam esse tutam, seu sine peccato in praxim reduci posse; aliud illam esse probabilem probabilitate conscientiæ: nam sæpè pars minùs tuta non est simpliciter certa, sed solùm valdè probabiliter licita, cùm tamen propositio, contradictoriè opposita, non sit probabilis, seu digna assensu, eò quòd nullis aut levissimis argumentis nitatur. Ergò non rectè intulimus, S. Thomam existimâsse utrumque ex contradictoriis esse probabile.

Idem ex aliis ponderatione convincitur.

Respondeo, id quidem non sequi, nisi omnia & singula in argumento expressa simul considerentur: nam certum videtur, S. Thomam non existimâsse, rationes & auctoritatem S. Bonaventuræ, & aliorum ipsi contradicentium, etiam post rationes ejus diligenter consideratas, esse exigui valdè momenti, sed valdè rationabiles, & sufficientes ad prudentes & probos in assensum alliciendos. Hoc autem est esse verè probabile ex mente S. Thomæ & aliorum. Et quidem hoc ipsum est probabile conscientiæ, cùm aliam in ejusmodi suis dictis probabilitatem prætendere non potuerit. At S. Thomas consideravit tutam eorum opinionem, suæ oppositam, prout rationibus & auctoritatibus dictis suffultam. Ergò haud dubiæ judicavit illam esse probabilem probabilitate conscientiæ. Sed ut omne dubium tollatur sic arguo. S. Thomas non adeò altè de se, & submissè de aliis sentiebat, ut existimaret, suam quidem sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam pro parte minùs tuta, etsi alii post rationes ejus auditas reclamarent; reputaret verò aliorum sententiam pro parte minùs tuta non sufficere, si ipse non assentiret. Hoc enim propriè superborum est, non humilium & Sanctorum, ut patet. Ergò sicut S. Thomas existimavit suam sententiam pro parte minùs tuta esse sufficientem conscientiæ regulam, etsi S. Bonaventura & alii reclamarent, modò homines bonâ fide juxta illam conscientias suas formarent; ita pariter existimabat, sententiam S. Bonaventuræ de parte minùs tuta esse pariter sufficientem conscientiæ regulam pro omnibus, qui juxta illam bonâ fide conscientias formarent, etsi ipse S. Thomas contrariam opinionem existimaret esse probabilem. At suam opinionem existimavit probabilem probabilitate conscientiæ. Ergò existimavit utramque ex propositionibus contradictoriis esse probabilem probabilitate conscientiæ. Eadem prorsus fuit mens S. Bonaventuræ, ut probavi *quæstione 22. de Consc. prob. num. 169.* ubi ipsum citatum invenies; asserit enim, quod sequi tutiorem ad consilium spectet, quando graves Auctores tenent minùs tutam esse licitam. Et quidem loquitur de casu, in quo ipse partem tutiorem tenebat.

S. Bonaventura nobiscum est.

Periculum in moralibus quando cessat?

93. Dicimus itaque periculum cessare, & laqueum conteri, quando gravissimi Theologi rem examinârunt, & in rebus incertis in contrarias sententias abeunt: tunc enim ratio & auctoritas talis habetur, ut quicumque alteri parti adhæserit, & juxta illam bonâ fide conscientiam formaverit, tutus sit in conscientia; & hoc S. Thomas, S. Bonaventura, aliique ejusdem ætatis Theologi pro indubitato habuerunt. At hic est casus noster. Non enim loquimur nisi in casibus ejusmodi, ut certum est.

S. Thomas non distinxit inter probabilitatem conscientiæ & probabilitatem opinionum.

94. Ex hisce perspicuum est, S. Thomam non distinxisse inter probabilitatem conscientiæ, & probabilitatem opinionibus dari solitam; non solùm, quia nullibi quidquam de tali distinctione insinuat; sed quia ex dictis certum videtur, quod contrarium expresiè tenuerit. Error Celladei in eo est, quod indefinitas quasdam S. Thomæ expressiones accipiat, quæ opinionibus probabilibus communes sunt, illasque exaggerat ut periculosas, si pro conscientiæ regula admittantur. At hoc nos etiam fatemur, imò expressè docemus, illas in sua universalitate sumptas non esse sufficientes conscientiæ regulas; sed necesse esse, ut certò nobis constet, opinionem esse probabilem, ut sic eam licitè sequamur in praxi. At hoc est, quod S. Thomas hisce in locis docuit; voluit enim diligentiam præmitti, per quam certò constaret, veritatem ipsam certò inveniri non posse, sed solùm probabili ratione conjectari; hâc præmissâ nullum periculum agnovit, aut laqueum timuit, si quis bonâ fide, atque probabili motivo munitus, partem minùs tutam sectaretur. Alioquin post omnem suam resolutionem pro parte minùs tuta subjungere debuisset, suam & aliorum opiniones meræ speculationi deservire, cùm pro praxi unica regula deserviret, nempe in rebus omnibus partem tutiorem esse tenendam. At nec ipse nec quisquam hoc docuit; sed omnes oppositum aut disertè tradiderunt, aut expressè supposuerunt. Itaque S. Thomas singularissimis Celladei opinionibus in nullo favet, sed in omnibus benignæ sententiæ subscribit.

S. Thomas in omnibus Celladeo côtrariatur, sed nobis favet in omnibus.

Celladeus confundit peritos & rudes, & ea omnibus applicat, quæ Sanctus Thomas solis peritis accommodat.

96 Est & alia non levis Celladei æquivocatio in hac materia, quòd scilicet confundat valentes & non valentes discernere fundamenta concludentia à non concludentibus, & manifestè prævalentia ac probabilia à debilibus & non probabilibus. S. Thomas & Scotus expressè loquuntur de obligatione priorum, per quorum resolutiones alii diriguntur. Jam cùm omnes juxta suam capacitatem & officium teneantur veritatem ipsam, quantum humano modo possunt, investigare, manifestum est, multa esse periculosa & necessaria Theologo, ut casum resolvat, quæ post ejus resolutionem, debita cum diligentia peractam, non sunt ampliùs periculosa iis, qui eorum auctoritatem sequuntur. Jam benigna sententia illis potissimùm deservit, qui aut non possunt, aut non debent hoc examinare. De illis autem dicimus, quod tutâ conscientiâ sequi possint opinionem ullam certò practicè probabilem juxta præscriptum benignæ sententiæ, modò rationibus & auctoritatibus nostræ sententiæ moti conscientiam forment, bonâque fide procedant. Ratio est, quia jam post diligentiam, quam Sanctus Thomas exigit, præmissam, veritas latet. Ergò si contingat hominem errare, invincibiliter errat. Ergò cùm ex motivo rationabili conscientiam formet, & bonâ fide procedat, nullum periculum, nullusque laqueus terendus est. Jam certum est, S. Thomam istis locis nil contra hoc docere, sed ipsum insinuare & supponere, quia post diligentiam præmissam & resolutionem rationabilem, reputat tutum esse tali opinioni inhærere. Agnoscit tamen periculum in peritis ac Theologis, qui casum resolvunt, quod ad rem præsentem non attinet, cùm ab omnibus talis eorum obligatio agnoscatur, & non præsupponamus eam esse debitè impletam, priùs quàm benigna sententia locum habeat, aut habere possit.

ULTIMA OBIECTIO SOLVITUR,

Et agitur de doctrina sana.

Utrùm veritas requiratur ad doctrinam sanam?

95. DEMUM objicies. Utraque ex propositionibus contradictoriis non potest esse probabilis probabilitate conscientiæ, nisi utraque sit tuta. At utraque non potest esse tuta, nisi etiam utraque propositio contradictoria sit doctrina sana; omnis enim doctrina tuta est sana, & nulla non sana est tuta. Ergò utraque ex propositionibus contradictoriis non potest simul esse probabilis probabilitate conscientiæ, nisi utraque sit doctrina sana. At repugnat utramque esse doctrinam sanam. Ergò repugnat utramque esse probabilem probabilitate conscientiæ. Probatur minor subsumpta. Nulla doctrina falsa est bona. Sed alterutra ex doctrinis contradictoriis est falsa. Ergò alterutra non est sana. Ergò utraque non est sana. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 13. per totam*, ubi multa congerit ad probandum, quod nulla doctrina falsa sit sana, primò quia alioquin Deus infundere posset errorem, cùm haud dubiè omnis doctrina sana Deum Auctorem habere possit. Ipse autem putat se demonstrare, nullum errorem esse posse à Deo Auctore. Secundò, quia doctrinæ sanitas est veritas: *Sana doctrina est* (inquit S. Thomas *in cap. 4. Epist. 2. ad Timoth.*) *quando non habet admixtam falsitatem*. Ergò nulla doctrina falsa est sana. Nec mirum, quia bonum intellectûs est verum, ejusdemque malum est ignorantia & error. At malum potentiæ non potest esse sanitas ejusdem. Demùm omnis error seducit credentem. Nulla doctrina sana seducit credentem. Ergò nulla doctrina sana est error. Hæc & similia plura congerit Celladeus loco citato.

Respondeo, me in hac Celladei quæstione nullam difficultatem, sed magnam rerum & terminorum confusionem invenire: meum proinde erit eam detegere, atque ita difficultatem istam non solvere tantùm, sed prorsus evacuare.

Aliqua opinio falsa est aliquo modo tuta.

96. Prima æquivocatio latet in termino illo, *opinio tuta*. Inprimis certum est, aliquam opinionem falsam esse aliquo modo tutam: illa enim opinio aliquo modo tuta est, per quam homo eam sequens à peccato defenditur. At omnis error invincibilis est ejusmodi, ut omnes pro certo habent, & Celladeus ipse fatetur. Ergò certum est aliquam opinionem falsam esse doctrinam aliquo modo tutam; nec de hoc dubitari potest. Hinc habemus fundamentum necessarium distinguendi opinionem tutam in tutam per se, & tutam per accidens. Doctrinæ evidenter certæ, & rationabiliter veræ sunt tutæ per se, quia sunt conformes tam voluntati divinæ existenti per se, seu independenter ab ignorantia & errore intellectûs humani, quàm objectis, quæ Deus directè præcipit, permittit aut consulit. Doctrinæ illæ erroneæ sunt tutæ per accidens, quæ aut invincibiliter reputantur veræ & conformes dictæ divinæ voluntati, aut fundant novam consultationem, per quam consurgimus ad sciendum, electionem objecti in hisce circumstantiis esse conformem voluntati Dei existenti per accidens, seu ex suppositione ignorantiæ & erroris in intellectu humano. Hæc certa sunt. Jam positâ hâc solâ distinctione, tota objectio sine ullo urgente per se statim ruit, quia omnis doctrina tuta est sana, ipso Celladeo fatente. Ergò doctrina sana eandem distinctionem ac divisionem admittit. Alia enim est sana per se, alia per accidens, quod negari non potest, si dictum illud Celladei admittatur esse verum, *Quod omnis doctrina tuta sit sana, & nulla non sana sit tuta*. Ex hisce enim inevitabiliter sequitur, utramque ex propositionibus contradictoriis sæpè continere doctrinam tutam & sanam, saltem per accidens; quia sæpè propositio falsa invincibiliter creditur vera, atque prudenter elicitur ab intellectu, & irreprehensibiliter in praxim reducitur.

Doctrina, alia tuta per se, alia per accidens.

97. Atque hinc secundò alius Celladei error elucet, quia juxta illius principia certum est, utramque propositionem contradictoriam sæpè esse doctrinam tutam & sanam. Sic enim arguo. Illa doctrina est tuta, quam qui sequitur, in nullam legem ne materialiter quidem offendit. Hoc & per se notum est, & traditur ab omnibus, qui definiunt opinionem seu doctrinam tutam. At sæpè utraque ex propositionibus contradictoriis est ejusmodi, quia sæpè propositio, quæ continet doctrinam apparenter minùs tutam, & favet libertati, est vera, & quæ continet tutissimam, ac favet legi, est falsa. Accipiantur istæ propositiones contradictoriæ. *Licet scribere in die Festo lucrandi causâ: non licet scribere in die Festo lucrandi causâ.* Supponamus primam esse veram, secundam verò falsam, nam revera sunt tales. Dico, utramque esse doctrinam tutam. Ratio est perspicua: qui sequitur primam, inhæret doctrinæ veræ, nullamque transgreditur legem, ne quidem materialiter, ut patet. Ergò doctrina illa reipsâ tuta est, nec diffitetur Celladeus. Secunda propositio est falsa quidem, tamen tutissima; qui enim juxta illam operatur, non solùm nullam legem reipsâ transgreditur, sed ne quidem obversatur menti illius ulla species præcepti in contrarium, quod certè non habet locum in primo casu. Ergò utraque propositio est doctrina tuta, & sana. Ergò Celladeus errat, dum universaliter contendit utramque contradictoriam non posse esse doctrinam tutam eò quòd utraque non possit esse vera. Immò sibi contradicit, quia admittit propositionem faventem libertati esse tutam. Si sit vera, quamvis aliquod legis violandæ periculum appareat; quod certè repugnat cum universali propositione negante utramque contradictoriam esse tutam, quia nullum est dubium, quin doctrina legi favens sit, & ab omnibus admittatur tuta. Sic in dubio tutior pars est eligenda, & doctrina exercitè dicens illam esse eligendam, est tutissima, tametsi sæpè sit falsa. Ergò non repugnat doctrinam falsam esse tutam, sed è contrario asserta Celladei sibi contradicunt.

Sæpè utraque propositio contradictoria est doctrina sana & tuta ex mente Celladei.

Celladei contradictio.

98. Tertiò displicet, quod vim faciat in voce *doctrina sana*, alludatque ad terminum illum in sensu, quo S. Paulus illâ sæpiùs utitur in Epistolis ad Timotheum & Titum. Displicet, inquam, quia S. Paulus aliud per vocem illam non intelligit, quàm certam & indubitatam fidei mores regulantis doctrinam, seu doctrinam & materialiter & formaliter sanam, ut videre est apud Cornelium à Lapide, & alios Interpretes. Nec mirum, quia hortatur Timotheum & Titum, ut conservent, defendant, atque promoveant doctrinam sanam, quam ab ipso acceperant; quæ certè exhortatio abs re fuisset, si loquutus fuisset de doctrina incerta, de qua ipsimet nescirent, quæ esset, quæ non esset doctrina materialiter sana. Jam etsi omnis ejusmodi doctrina certa & indubitata & sit, & ab Apostolo vocetur sana, non inde sequitur, quod nulla alia doctrina in rebus incertis appellari possit formaliter sana, imò oppositum

Quæ sit doctrina sana in sensu Apostoli?

In rebus incertis doctrina falsa potest esse sana.

oppositum est certum; sic dicimus summam Sancti Thomæ continere doctrinam sanam, non quòd existimemus nullam inveniri opinionem falsam in tota Summa: sed quia scimus, quod doctrinæ illius Summæ non adversentur fidei, aut contra se quidquam certi habeant. Rursus scimus S. Thomæ opiniones rationabili fundamento nixas esse. Hæc duo in incertis faciunt doctrinam formaliter sanam, quia doctrina formaliter sana in rebus incertis distingui non potest à non sana per veritatem ipsam, tum quia veritas certò non innotescit, tum quia utraque opinio pro veritate contendit. Ergò doctrina formaliter sana distinguitur à non sana formaliter per duo illa prædicata; & consequenter per illa constituitur formaliter sana. Jam eadem est ratio de doctrina S. Bonaventuræ, Suarez, & aliorum Theologorum primæ classis, quorum doctrinæ ab omnibus censentur formaliter sanæ. Hinc certum est, utramque contradictoriam sæpè continere doctrinam formaliter sanam, cùm duo illa prædicata utrique sæpè conveniant, ut fit, quando propositiones contradictoriæ docentur ab ejusmodi Theologis, quod non rarò accidit.

Duo constituunt doctrinam sanam.

Non omnis opinio vera est sana.

99. Quartò displicet, quod dicat, omnem doctrinam veram esse sanam. Hoc falsum est, quia sæpè opiniones veræ à peccato non excusant. Ergò tales opiniones non sunt doctrinæ sanæ. Consequentia est legitima. Antecedens probatur. Sæpè homines temerè, & absque sufficienti diligentia, auctoritate & ratione credunt partem minùs tutam esse licitam; ideoque eam in praxim reducunt. In hoc casu temeraria hæc eorum opinio est vera, & tamen haud dubiè à peccato non liberat; peccant enim ob temeritatem, ut patet. Itaque sola veritas non efficit doctrinam sanam, sed præterea ad formalem sanitatem doctrinæ essentialissimè requiritur, ut sit rationabilis, seu rationabili fundamento post debitam diligentiam stabilita. Ratio à priori, quia denominatio doctrinæ sanæ magis respicit voluntatem, quàm intellectum; quia magis respicit directionem morum, quàm conformitatem cum suo objecto. At pro directione morum maximè requiritur, ut cognitio dirigens sit rationabilis, seu recta. Ergò hæc rationabilitas essentialissimè requiritur, ut doctrina sit sana.

Doctrina sana magis respicit voluntatem, quàm intellectum.

Ratio, cur doctrina falsa possit esse sana.

100. Hinc autem sumitur ratio à priori, cur aliqua doctrina falsa esse possit sana. Ratio est, quia illa doctrina est sana, quæ ita mores dirigit, ut à peccato excuset. At doctrinæ falsæ, si sint rationabiles, ut sæpè sunt, ita dirigunt mores, ut à peccato excusent. Ergò sunt doctrinæ sanæ. Itaque sicut sola veritas, si adsit, non reddit doctrinam sanam, ita neque si absit, facit illam absolutè non sanam; sola enim rationabilitas doctrinam reddit sanam. Cæterùm veritas rationabilitati conjuncta, facit doctrinam sanam per se, seu materialiter & formaliter sanam; rationabilitas verò à veritate sejuncta doctrinam reddit sanam per accidens, seu formaliter sanam, etsi eadem materialiter non sit sana. Hæc sunt, quæ in hac Celladei quæstione meritò displicent; fallitur enim, dum putat, nullam doctrinam falsam esse posse ullâ ratione sanam. Nec argumenta ipsius contrarium probant, ut mox ostendam in sequentibus responsionibus.

Primum Celladei argumentum insufficiens.

101. Ad primum. Parum refert ad quæstionem hanc, an Deus infundere possit errorem nec ne? Si possit, argumentatio procedit ex subjecto non supponente. Si non possit, nil concludit; quia factâ tali hypothesi, dicendum est, Deum infundere posse omnem doctrinam per se & materialiter sanam, non autem omnem sanam per accidens & solùm formaliter, quia aliqua doctrina formaliter & per accidens sana est erronea. Et tales sunt omnes errores prorsus invincibiles, ut patet. Cæterùm ego existimo, Deum, factâ saltem suppositione aliqua de hominis conatu ac libera electione, posse errorem infundere; quia sicut, factâ suppositione peccati, Deus potest pœnas æternas peccatori infligere, quamvis tali dolore innocentem torquere nequeat, ita pariter, factâ suppositione de prævio intellectûs & voluntatis nostræ operatione, Deus infundere poterit errorem, saltem quando est invincibilis, quamvis concederetur (quod tamen non conceditur) quod merè pro arbitratu & nullâ factâ suppositione non possit errorem infundere. Nec moveor prætensa Celladei demonstratione, illam enim non meliorem existimo, quàm sint, quas hoc in opere jactat. Sed & ipse, si suam doctrinam ad distinctionem hîc insinuatam iterum examinet, nisi fallor, inveniet, Deum eò saltem modo, quem hîc insinuavi, infundere posse errorem, quia maximo ingenio pollet, nec indiget ut argumenta illi præbeantur.

Deus in aliquo saltè casu infundere potest errorem.

102. Ad secundum respondeo, S. Thomam exponere sensum S. Pauli, & de illis solùm doctrinis loqui, quas Apostolus sanas vocat. Apostolus autem loquitur de dogmatibus certissimis, & doctrinis per se ac materialiter tutis ac sanis, & consequenter S. Thomas hoc loco de aliis intelligendus non est. Quocirca ità fateor solùm verum esse optimum intellectûs, ut simul asseram, probabilitatem in rebus incertis esse etiam bonum illius secundarium, & ab homine simpliciter quærendum; quia ubi certitudo nequit haberi, probabilitas est optimum, ad quod pervenire potest, & præstat ad illam pertingere, quàm instar stipitis in omnibus suspenso judicio hærere. Præclarum illud Augustini dictum *lib. 19. de Civit. cap. 17.* contra Academicos hoc ipsum confirmat: *Civitas Dei*, id est turba fidelium, inquit, *Credit sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur; quoniam miserabiliùs fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum.* Sicut enim hæc ponderatio probat fidem sensibus dandam esse, quamvis sensus non rarò nos fallant, ità eadem ponderatio probat, bonum esse probabilibus inhærere, quamvis per probabilia nonnunquam decipiamur. Nec tamen nego ignorantiam & errorem esse malum intellectûs; sunt enim mala, sed mala quæ omne bonum intellectûs non semper excludunt. Itaque quando junguntur cum judicio valdè probabili, efficiunt quidem illud esse minùs bonum, quàm fuisset, si error non affuisset; sed non tollunt quod sit simpliciter bonum, & secundùm quid optimum, nempe hîc & nunc, & in istis circumstantiis. Sed si loquamur de errore temerè concepto, vincibili ac imprudente, ille est simpliciter malum intellectûs, quia malum prævalet bono, quod includit.

S. Thomas loquitur juxta sensū S. Pauli.

Dictum notandum S. Augustini.

Probabilitas est bonū intellectûs.

103. Quod si aliquis contendat, nullam doctrinam dici posse sanam, nisi sit simul vera & rationabilis, eò quòd terminus *sanus* significet perfectionem statui congruentem sine defectu, simul asserat, nullam doctrinam etiam prudenter conceptam, & à peccato excusantem, dici debere sanam, si sit falsa; non sum, qui in quæstione de nomine multùm repugnare velim. Verùm stabilito hoc principio, corruit argumentum Celladei; non enim sequitur, doctrinam non sanam astrui

Quomodocumque doctrina sana accipiatur, argumentū Celladei corruit.

astrui sanam, quia non omnis doctrina tuta, probabilis, & à peccato excusans est sana. Itaque quocumque modo termini accipiantur, argumentum est nullum. Cæterùm in rebus incertis, ad fidem & mores pertinentibus, omnem doctrinam communiter vocamus sanam, quæ rationabilis est, & nil certum in contrarium habet, ut videre est in doctrinis Theologicis contradictoriis, quas omnes communiter appellant sanas, quia formaliter sanæ sunt, quamvis sint materialiter falsæ.

104. Ad tertium de seductione, dico Celladeum terminis abuti, non enim quivis error est, aut dicitur seductio. Theologi, qui in rebus incertis probabilissimè aliquid asserunt, propriè non seducuntur, si errent. Nec S. Thomas, nec S. Bonaventura rectè dicuntur seducti, etsi certum sit, alterutrum illorum in aliquo erràsse. Itaque non omnis deceptio propriè loquendo est seductio, sed multa ad talem denominationem requiruntur præter merum errorem. Negatur ergò major, & consequentia argumenti.

Quamvis omnis error sit seductio argumentū ruitur.

105. Quòd si contendas, omnem errorem & deceptionem debere aliquo modo, etsi minùs propriè, dici seductionem, ego potiùs admittam locutionem tuam, quàm quæstionem de nomine instituam. Verùm, hoc admisso, minor argumenti est falsa, quia jam aliqua doctrina materialiter & per accidens sana impropriè seducit. Itaque quocumque te verteris, argumentum ruit.

Celladeus non distinguit inter culpabiliter & inculpabiliter deceptos.

106. Cæterùm potissima æquivocatio Celladei hac in parte fuit, quòd inter culpabiliter & inculpabiliter deceptos & errantes non distinxerit. Si inter hos distinxisset, non ita lusisset in terminis deceptionis & seductionis comparatis cum doctrina sana; quia quoad accidentalem seu merè formalem doctrinæ sanitatem ingens inter illas reperitur diversitas. Error culpabilis est error nocivus, qui proinde ex una parte non incongruè dici potest seductio, quia ab imperio voluntatis peccaminoso, & consequenter aliquo modo seducto ortum trahit: ex altera verò parte nullo modo, ne quidem per accidens, dici potest doctrina sana, cùm à peccato non excuset. At error inculpabilis à rationabili voluntatis imperio dependet, & operationem, quam dirigit, à peccato excusat, unde dici potest doctrina sana per accidens, & propriè dici non debet seductio, quæ in malam tantùm partem accipi solet.

QUÆSTIO TRIGESIMA.

Vtrùm intellectus opinari possit æquè & minùs probabilia?

Status quæstionis & opinio Celladei.

1. IN hoc conveniunt Auctores, quod intellectus in obscuris nunquam determinetur ad assensum ex sola propositione objecti; in quibus tamen per voluntatem flecti potest ad assensum, saltem quando potentiora dantur motiva pro parte, cui datur assensus, quàm pro parte opposita. Præsens quæstio est, utrùm intellectus per voluntatem flecti possit ad præbendum assensum cuilibet contradictionis parti, quando utraque est probabilis, sive illa fuerit probabilior, sive æquè, sive minùs probabilis. Hac de re Celladeus in Appendice fusè agit per tres primas quæstiones integras, in quibus contendit probare, quod æquè & minùs probabilia non sint opinabilia. Verùm in hoc, sicut in aliis multis, totus illius discursus ex confusione & æquivocatione terminorum procedit. Hoc ut evincam, non opus est, nisi breviter suggerere, quæ fusè exposui ac probavi *in tractatu de Conscientia probabili, quæst. 7. 8. 9. ac 10.* Quæ si Celladeus vidisset, aut planè omisisset, aut longè aliter quæstionem istam decidisset. Sed ut omnia ista ante oculos legentium clarè statuantur. Sit

ASSERTIO PRIMA.

In rebus incertis & probabilibus, apparentia veritatis, quæ comitatur & sequitur affectum & assensum uni parti contradictionis alligatum, cæteris paribus, major est, quàm quæ antecedit talem affectum & assensum, aut omninò ab illa separatur.

Apparentia consequens assensum est major, quā apparentia illum antecedens.

2. VERITAS hujus propositionis fusè demonstrata est *quæst. 8. num. 25. & sequent. de Consc. prob.* quæ videri possunt, neque enim opus est illa repetere.

ASSERTIO II.

Qui, omnibus pro utraque contradictionis parte inspectis, absolutè existimat ea esse æqualia, stante tali judicio, neutri parti assensum præstare potest. Et multò minùs assentire potest illi parti, quam absolutè & finaliter credit minùs validis argumentis roborari.

Nemo assentire potest illi quod absolutè credit, nō esse probabilius opposito.

3. RATIO est, quia apparentia concomitans & sequens assensum uni parti alligatum, semper fertur in objectum suum tamquam in rem absolutè veram, ideoque illud præfert contradictorio, quod reputat esse absolutè falsum. Ergò non potest simul judicare, quod motiva pro utraque parte sint æqualia, aut etiam potiora pro parte, quam falsam reputat. Et hæc est

est ratio, cur sua cuique opinio sit absolutè probabilior oppositâ. Hæc etiam omnia latè probata sunt *quæst. 8. num. 25. de Consc. prob.* Nec tamen desunt, qui contrarium tenent. Sed ego hoc Celladeo libenter concedo, ut, eo admisso, nullitas eorum, quæ affert, patentior evadat.

ASSERTIO III.

Intellectus assentire potest parti, quæ antecedenter est æquè aut minùs probabilis.

Intellectus ex imperio voluntatis flecti potest in assensum partis æquè aut minùs probabilis, si sermo sit de apparentia seu probabilitate antecedente affectum & assensum ulli contradictionis parti peculiariter alligatum.

PROBATUR primò ex iis, quæ fusè de hac re tradidi totâ *quæst. 8. & totâ quæst. 9. de Conscientia probabili*, quæ videantur.

Rationes à Celladeo sibi objectæ id probant.

4. Probatur secundò ex iis, quæ Celladeus *quæst. 1. & 2.* Appendicis affert contra se; ea enim, positâ distinctione apparentiæ antecedentis & consequentis affectum & assensum uni parti alligatum, efficaciter probant intentum, quamvis Celladeus ob confusionem utriusque sub uno eodemque termino ea rejiciat, ut minùs sufficientia.

Cur expendantur rationes Celladei?

5. Porrò duabus de causis hæc argumenta proponere, atque nonnihil ultra dicta à Celladeo promovere statui. Primò, ut ostenderem, Celladeum ea suis responsis non solvisse. Secundò, ut haberem occasionem ea solvendi, quæ contra nostram sententiam objicit, quæque reputat & jactat esse planè demonstrativa.

Ratio prima Celladei.

6. Inprimis ergò sic arguit. Aliqui meliùs, alii non ita benè opinantur circa eandem rem, vel ab aliis propositam, vel ab ipsis examinatam. Neque enim omnes rectissimè opinantur. Ergò aliqui opinantur vel æquè vel minùs probabilia, nam qui probabiliora opinantur, rectissimè opinantur, cùm meliùs opinari non possint.

Ratio 2. Celladei.

7. Secundò, omnia probabilia sunt opinabilia, quia ea solùm vocantur & sunt probabilia, quæ sunt digna assensu. At æquè & minùs probabilia sunt verè probabilia. Ergò sunt opinabilia. Ergò opinari possumus minùs probabilia, quia possumus opinari quodvis opinabile, sicut credere quodvis credibile.

Ratio 3. Celladei.

8. Tertiò, possibile est suspicari, imò & temerè judicare, cùm suspicando ac temerè judicando sæpè peccemus. Ergò à fortiori opinari poterimus æquè & minùs probabilia, & solùm controverti poterit, an talis opinio sit prudens an temeraria? Probatur consequentia, quia opinio temeraria nititur levibus indiciis. Ergò à fortiori possibilis est assensus nixus gravi fundamento. At tale est omne motivum probabile, etiam æquè & minùs probabile. Ergò.

Ratio 4. Celladei.

9. Quartò, idipsum confirmatur auctoritate. Inprimis S. Thomas *22. quæst. 1. art. 1.* hæc habet. *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam. Et siquidem hoc fit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio.* Hic S. Thomas satis expressè docet, intellectum non semper determinari sufficienter ab objecto proprio, seu ab apparentia veri, sed per electionem voluntatis declinari in unam partem. Hinc sequitur, apparentiam comitantem & sequentem imperium voluntatis & assensum intellectûs circa veritatem rei esse majorem apparentiâ antecedente, quia apparentia antecedens non determinat ad veritatem, ad quam apparentia concomitans & consequens determinatur. Hâc autem distinctione habitâ, statim apparet, quod voluntas flectere possit intellectum in assensum partis æquè, imò & minùs probabilis, maximè si aut unam partem cum altera non comparet, aut prorsus ignoret, quæ illarum sit potentior aut probabilior, quamvis reverâ detur aliqua diversitas. Tunc enim nil obstat quò minùs intellectus ex mente S. Thomæ flectatur in assensum pro arbitrio voluntatis.

10. Huic ponderationi in locum citatum Sancti Thomæ libet addere textum longè magis expressum, quem habet S. Doctor *lib. 3. Eth. lect. 13. ante medium*, ubi agens de opinionibus moralibus & practicis, hæc habet. *Sed quia operabilia sunt contingentia, non cogitur ratio ad assentiendum huic, vel illi, sicut accidit in demonstrativis; sed in potestate habet homo* (nota benè) *quod assentiat uni, vel alteri parti contradictionis, sicut accidit in omnibus opinabilibus, & maximè circa operabilia, in quibus plurima attenduntur, secundùm quorum quodlibet aliquid potest judicari bonum.* Nec dubium, quin sermo sit de libertate immediata, quia etiam quoad demonstrata datur libertas mediata. Sic videmus homines per vitia & affectatam doctrinam declinare in errores, quorum falsitas antea ipsis erat evidentissima. Sed plura de mente Sancti Thomæ dicentur *quæst. 33.* ubi ex professo de libertate opinandi quæstio instituetur.

11. Huic doctrinæ S. Thomæ prorsus consonant, quæ S. Pater noster Ignatius tradit in epistola de obedientia. Sed & Suarez (quem Celladeus *quæst. 2. §. 2.* pro se immeritò citat) *tract. 2. in 1. 2. disput. 10 sect. 1.* idem æquivalenter expressit his verbis. *Dico voluntatem nonposse movere intellectum nisi sub ratione veri &c. Quando autem est tale medium, quod non infert necessitatem simpliciter, tamen aliquo modo ostendit veritatem, tunc potest voluntas movere intellectum ad assensum, & mihi probabile est, non posse movere nisi in illud, quod verisimiliùs & probabiliùs apparet: quamvis ipsa affectio voluntatis plurimùm conferre possit, ut ipsum objectum probabilius & verius appareat.* Hæc ille, ex quibus totum conficitur; quia si apparentiæ antecedentes sint æquales, aut una paulò minor aliâ, non solùm una ex æqualibus, sed etiam minor duarum consequenter ad affectionem voluntatis, poterit fieri major alterâ, & consequenter intellectus ex mente Suarez, flecti poterit in illam per imperium voluntatis.

S. Pater Ignatius & Suarez nobiscum sunt.

12. Cæterùm quàm immeritò Celladeus citaverit Suarium pro se, ex eo constat, quòd Suarez in illa sectione ponat has duas assertiones. *Dico tertiò, quando judicium intellectûs est evidens, non pendet à voluntate in specie actûs. Est etiam Divi Thomæ.* Et paulò pòst. *Dico quartò, quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto potest moveri à voluntate ad speciem actûs, id est, ad assentiendum vel dissentiendum. Est etiam S. Thomæ &c.* Hæc Suarez, in quo haud dubiè per omnia nobiscum sentit: quod enim postea subjungit, videri sibi probabile, quod intellectus non moveatur, nisi in id quod sibi verisimilius apparet, solùm explicat id quod ego apertiùs doceo; nempe quod intellectus in actuali judicio, & consequenter ad affectionem aut imperium unius partis feratur in illud objectum, ut verisimilius opposito, quod nullo modo tollit libertatem quoad speciem actûs. Unde mirum est, Celladeum existimare potuisse, quod Suarez ipsi faveat, cùm quoad præsentem quæstionem luculentissimè subscribat nostræ sententiæ,

Celladeus immeritò citat Suariū pro se.

Suarez & Theologi cōmuniter tenent actū opinativum esse liberum quoad speciem actûs.

tentiæ, nec ipse tantùm nobiscum sentit, sed omnes communiter, qui nobiscum docent usum partis minùs probabilis esse licitum. Immò omnes etiam, qui dicunt fidem, & alios actus opinativos esse nobis liberos libertate contrarietatis, seu specificationis, vel ad speciem actûs; quia illi omnes loquuntur de immediata potestate voluntatis quoad tales actus pro ipso instanti reali, pro quo intellectus aliquem ejusmodi actum elicit. Nam de libertate mediata nulla est difficultas, cùm apud omnes certissimum sit, omnem actum opinativum, immò & fidem, esse mediatè liberum quoad speciem, seu contrarietatem, quia possumus assensum suspendere, & mentem à rationibus præsentibus avertere, & alias rationes pro parte contraria excogitare, atque ita demùm flectere intellectum in assensum contrarium vel contradictorium, ut patet. At certum est plerosque Theologos docere actum fidei & multò magis actum opinativum, quando adest motivum probabile pro utraque parte, esse nobis liberum quoad speciem actûs, seu quoad eliciendos actus & judicia contraria. Ergò major pars Theologorum nobiscum sentit. Nec quisquam meritò dubitabit, si distinctionem in assertionibus positam præ oculis habuerit.

SOLVUNTUR REPLICÆ contra rationes allatas.

13. DICES primò cum Celladeo *quæst. 2. §. ult.* argumentum primum & tertium in idem fermè recidunt. Utrumque verò retorquetur contra nos, quia omnes opinantes, putant se optimè opinari; similiter & temerè judicantes sibi videntur non temerè, sed fundatè judicare. Itaque etsi omnes isti reipsâ & quoad esse non optimè judicent, omnes tamen apparenter & quoad videri optimè judicant.

Replica Celladei nõ impetit assertionem, sed eam cõfirmat.

14. Respondeo, replicam hanc confirmare secundam, sed ne quidem impetere tertiam assertionem, quod per se patet. Verùm addo, quod responsio hæc etiam tertiam assertionem confirmet, quia admittit argumentum optimè procedere *de esse*, sed non *de videri*. Ergò reipsâ non omnes optimè, sed alii benè, alii malè judicant. Ergò non omnes accommodant se apparentiæ antecedenti omnem affectum, nam alioquin omnes eodem modo & benè judicarent, quia si illa sit magna & probabilis, omnes illi meritò fidem darent, cùm illa ponatur esse eadem in omnibus. Ergò aliqui, illâ relictâ, sequuntur apparentiam consequentem affectum indebitum, qui videtur major priore, & sic malè judicant. Rursus hinc habeo, apparentiam absolutam quoad videri non esse parem aut similem in omnibus. Ergò illa non mensuratur ab apparentia antecedente omnem assensum & affectum ulli parti alligatum; alioquin apparentia consequens semper proportionaretur antecedenti, & apparentia antecedens tam verè esset apparentia magna, quàm consequens apparet esse magna; quia non esset unde prioris apparentiæ magnitudo & vigor minueretur. Ergò iterum omnes tam quoad esse, quàm quoad videri rectè judicarent. Hæc quidem ex responsione Celladei sequuntur. Verùm positâ nostrâ distinctione, omnia conciliantur: quia omnes quidem concomitanter & consequenter ad suum judicium videntur sibi optimè judicare, quia sequuntur apparentiam majorem pro veritate; sed non omnes rectè judicant, quia temerè judicantes non sequuntur apparentiam majorem antecedentem; quæ digna est assensu, sed ex prava voluntate afficiuntur suis erroribus, de quibus consequenter ad suum affectum habent apparentiam majorem, quàm habeant de dogmatibus fidei, aut aliis rebus, pro quibus antecedenter habent validissima fundamenta, contra quæ ex pravo affectu voluntatis temerè judicant. Itaque hæc replica confirmat nostram sententiam.

Replica 2. Celladei.

15. Dices secundò, & cum Celladeo sic retorquebis secundum argumentum. In superioribus fusè probatum est æquè & minùs probabilia non esse opinabilia, nec digna assensu opinativo, ac proinde non esse verè probabilia. Ergò sicut tu infers, quod æquè probabilia sint opinabilia & digna assensu, ita è contrario ex inopinabilitate talium objectorum ego infero, ea non esse probabilia, nec fide digna.

Replica quæst. superiore rejecta fuit.

Hæc retorsio nulla est, quia nos quoque quæstione superiore, eadem cum illo tractantes, ostendimus ejus argumenta fuisse prorsus insufficientia. Cæterùm ultrò fatemur, æquè aut minùs probabile ultimatè agnitum tale, non esse proximè opinabile; non quia non est dignum assensu, sæpè enim dignum est, sed quia datur in mente judicium exclusivum talis assensûs.

Replica 3.

16. Dices tertiò. Ad auctoritates ultimo loco allatas benè respondet Celladeus, S. Thomam loqui de intellectu magis inclinato ad unam quàm ad alteram partem contradictionis ut ipsemet paulò ante contestatus est. Deinde dicit, ex alibi dictis satis apparere, mentem S. Thomæ Sanctique Ignatii omninò contrariari libertati quidlibet opinandi ex imperio voluntatis.

Rejicitur replica ut insufficiens.

Respondeo. Quod ad alibi dicta à Celladeo attinet, ego ea suis locis examinabo, ibique ostendam S. Thomam, Sanctumque Ignatium ab opinione Celladei longissimè abesse. Quod autem S. Thomas loco citato exemplum ponat de intellectu magis inclinato in unam quàm in aliam partem, non obstat, quia ne leviter quidem insinuat, quod ideò præcisè flecti possit ad assensum per imperium voluntatis, quia intellectus antecedenter magis inclinatur in unam quàm in aliam partem, cùm totam rationem referat in hoc, quòd cùm intellectus non determinetur per objectum, determinetur tandem per affectionem voluntatis, quod certè tam convenit intellectui æquè inclinato in utramque partem, ac magis inclinato in unam, quàm in aliam, dummodò in utramque validè propendeat. Præterea cùm constet, quod intellectus consequenter ad affectionem voluntatis vehementiùs propendeat ad assensum, quàm propenderet ante illam, fieri poterit ex mente S. Thomæ, ut apparentia antecedens minor evadat major, & consequenter tunc intellectus ex imperio voluntatis flecti poterit ad assensum partis, quæ pro priori ad omnem affectionem erat æquè aut minùs probabilis.

17. Ex hisce facilè conciliantur Auctores. Qui enim asserunt æquè & minùs probabilia esse opinabilia, aut universaliter loquuntur, aut saltem intelligendi sunt juxta tertiam assertionem; qui autem illud negant, intelligendi sunt juxta secundam, quia revera rationes singulorum hoc solùm probant.

18. Hæc dicta sunto ad ostendendum, Celladeum non satisfecisse argumentis contra se propositis. Superest ut solvamus argumenta, quæ ipse contra nos objicit, ex quibus Lector nostram sententiam non tam impugnari quàm corroborari & videbit, & mirabitur.

SOLVUN-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

In quo sensu Aristoteles dicit opinari non esse in potestate nostra.

19. OBJICIT. primò. Aristoteles *2. de anima tex. 153.* expressè tradit, quod imaginari sit in nostra potestate, & statim addit, quod *opinari non sit in nobis*; & rationem dat. *Verum enim aut falsum dicere necesse.* Hæc doctrina Philosophi in eo fundatur, quòd intellectus se habeat ad verum, sicut voluntas ad bonum, quodque proinde tam impossibile sit intellectum judicando non ferri sub ratione veri, quàm voluntatem amando non ferri sub ratione boni. Atque hinc est, quod imaginari sit quidem in potestate ac libertate nostra, quia per simplicem apprehensionem simul ferri possumus in contradictoria; opinari verò non sit in potestate nostra, quia opinando non possumus simul ferri in contraria, aut in merè dubia, aut in falsa, cognita ut falsa, quia intellectus necessariò fertur sub ratione veri, sive affirmet, sive neget; ideoque semper credit ac putat, se verum affirmare, & falsum negare. Ex his autem sic arguitur.

Vis argumenti proponitur.

20. Inprimis, si intellectus per voluntatem flecti posset ad opinandum æquè & minùs probabile, eo ipso opinari esset nobis liberum, quod est contra Philosophum. Deinde ex doctrina proximè posita directè sequitur, intellectum non posse flecti ad opinandum æquè vel minùs probabile, quia sic opinando non magis crederet se verum dicere quàm falsum, cùm putaret oppositum esse tam aut magis fundatum, quàm illud quod affirmat. At hoc repugnat, quia omnis judicans magis credit se verum dicere, quàm eum, qui oppositum asserit. Ergò repugnat assensum dari propter motiva æqualia. Ita Celladeus §. 4.

Sensus Philosophi & nullitas argumenti declaratur.

21. Respondeo, explicationem quidem doctrinæ Pphilosophi, utpote communiter ab omnibus admissam, esse bonam, sed illationem esse prorsus nullam. Inprimis non sequitur opinari esse liberum nobis in sensu, quo id à Philosopho negatur; ille enim non negat opinari esse nobis liberum, quasi verò omnis opinio existeret in mente sine imperio voluntatis: constat enim de opposito, cùm nullus actus opinativus absque voluntatis imperio elici possit. Itaque solùm negat, nos posse semper pro arbitratu opinari, sicut possumus imaginari, quia possumus imaginari tam falsa quàm vera, idque absque ulla ratione. At non possumus opinari nisi quæ ante opinionem aliquo modo apparent vera. Hæc autem apparentia non semper est in potestate nostra. Similiter negat nos posse simul opinari contraria, cùm possimus ea simul imaginari. At nullibi, ne quidem per umbram, negat, quod, quando veritas apparet in objecto, non sit nobis liberum flectere intellectum in assensum veri apparentis. Et hæc quidem ad auctoritatem hanc sufficiunt: qui plura velit, legat Esparzam in Appendice *ab art. 107.* ubi præclarè, & manifestè hunc textum explicat.

Ratio hæc probat, non improbat nostram opinionem.

22. Ad rationem verò dico, illam probare secundam assertionem, sed non impetere tertiam, quia omnis opinans putat se verum opinari, & oppositum esse falsum, ideoque fertur in motivum suum, ut in prævalens opposito, tendentiâ identificatâ cum suo judicio; imò fertur in illud ut in prævalens antecedenter, quia apparentia remota, quæ pro priori ad affectum non prævalebat, consequenter ad illum magis afficit mentem quàm antè, & fortiùs trahit, ac prævalet. Sed tota hæc prævalentia & majoritas libera est, & sita in potestate nostra. Hoc modo liberum nobis est opinari ea, quæ apparentiâ antecedenti sunt solùm æquè aut minùs probabilia, vel quia accedente affectione possumus ea reddere apparenter magis probabilia, etiam pro priori ad ipsum judicium, aut certè, quia per ipsum saltem judiciũ, ea præferimus, & absolutè rejicimus opposita ut falsa, quamvis pro priori nullam faceremus comparationem de excessu apparentiarum, nec unam alteri intellectualiter præferremus. Itaque sic verum est, nos non posse dare assensum propter motivum æquale & æqualiter impellens in actu secundo, aut propter motivum, quod omnibus inspectis habetur æquale, ut tamen assentiri possimus propter motivum, quod remotè & in actu primo est solùm æquale, vel quia illud accedente affectu crescit, & magis afficit ac movet quàm ante, idque antecedenter ad assensum; vel quia accedente imperio voluntatis illud jam actu influit in assensum prælativum ipsius, & sic magis movet in actu secundo, quamvis ex se præcisè, & antecedenter ad dictum imperium non magis, sed aliquantò minùs movebat, quàm oppositum.

Modus, quo opinari possimus æquè probabilia explicatur.

Objectio 2.

23. Objicit secundò. Nemo experitur in se hunc actum: *Credo hoc esse verum, sed video oppositum esse probabilius, vel æquè probabile.* Experiremur autem talem actum, si possemus opinari æquè aut minùs probabilia. Confirmatur: Ideo non possumus judicare sidera esse potiùs paria, quàm imparia, quia non habemus peculiarem rationem pro una parte potiùs quàm pro altera. At hoc locum habet in omni paritate motivorum. Ergò in nulla tali paritate quidquam judicare possumus. Ita ex Cardinali Pallavicino arguit Celladeus *quæst 2. §. 3.*

Ratio ista potiùs confirmat quã impugnat nostram opinionem.

Respondeo hæc omnia probare secundam, sed non impetere tertiam assertionem. Itaque dico, homines in actu secundo, post affectum, & multò magis post, & per assensum uni parti impensum, ferri in objectum aliquod tamquam probabilius, & absolutè verum; in quod in actu primo ante omnem talem affectum non ferebantur, ne exercitè quidem tamquam in probabilius. Jam actus in argumento propositus procedit de judicio consequente affectum; illud autem nec dicit, nec dicere potest oppositum sibi videri probabilius, aut æquè probabile, sed semper dicit, illud esse minùs probabile, quamvis apparentia antecedens pro parte jam affirmata verè non esset major, quàm opposita. Non ergò sequitur, quod talem actum experiri debeamus, sed oppositum clarè elicitur.

Ad opinandum non requiritur peculiaris aut prævalens ratio, sed sufficit ratio.

24. Ad illud de paritate siderum, respondeo, nos non ideo non posse illam opinari, quia deest nobis peculiaris seu efficacior ratio, sed quia omnis omninò ratio abest. Quod si aliquæ rationes, etiam levissimæ, in actu primo pro illa darentur, utique intellectus ex inordinato affectu voluntatis temerè præcipitari posset in assensum illius. Et quidem rationes illæ & per se solas aliquo modo, & conjunctæ cum affectu voluntatis multò apparentiùs quàm antea veritatem ostenderent, & quàm pars opposita appareret. Itaque intellectus simpliciter flecti posset ad talia opinanda. Cæterùm illa propositio: *Non possumus quidquam affirmare, pro quo non habemus potiorem & prævalentem rationem*: falsa est, si sermo sit de apparentia præcisè antecedente; sed vera est, si loquamur de apparentia concomitante & consequente affectum; per accessum enim illius ratio prior jam

jam prævalet. Id ipsum multò magis verum est de ratione & apparentia ipsius opinionis actu præferentis unam partem alteri, & de apparentia consequente tale judicium. Ex horum autem æquivocatione factum est, ut adversarii de omni apparentia id enunciaverint, quod solùm convenit apparentiæ, quæ affectum & judicium uni parti obligatum consequitur.

Æquivocatio adversariorum.

Objectio 3.

25. Objicit tertiò. Æqualis ratio, quoad movendum assensum, est sicut nulla ratio, quia intellectus, stantibus motivis æqualibus, non magis inclinatur ad assensum, quàm ad dissensum, sed hæret sicut in casu nullius rationis: motiva enim illa vicissim se elidunt. Præterea quantum ponitur causę ex una, tantùm ponitur impedimenti ex altera parte. Ergò tanta vis requiritur ad movendum, quanta requireretur, si nulla omninò adesset causa, ut evidenter patet in bilancibus habentibus æqualia pondera; quia tanta vis requiritur ad lances movendas, quanta requireretur, si lances nil ponderis haberent. Ecce æquale pondus in bilance est sicut nullum pondus in ordine ad lances movendas, quia quantum adjumenti ex una, tantum impedimenti ponitur ex altera parte. Ergò ob eandem causam æqualis ratio, quoad movendum ad assensum, est sicut nulla ratio. At nulla ratio non sufficit ad movendum assensum, etiam accedente imperio voluntatis. Ergò æqualis ratio, accedente eodem imperio, non sufficit. Ita Celladeus ibidem.

Æquales rationes contrariæ non sunt sicut nullæ rationes.

Respondeo negando majorem, quia nulla ratio nullo modo allicit ad assensum. At certum est, quod non solùm æqualis, sed etiam minor ratio alliciat ad assensum, ut experiuntur, qui tentationibus circa fidem, aut judiciis temerariis vexantur; illi enim alliciuntur ad errores, quamvis firmi sint in persuasione circa objecta fidei &c. At allici & non allici ad assensum non se habent eodem modo ad movendum assensum. Ergò in ordine ad hoc æqualis ratio non est sicut nulla ratio. Idem apparet in voluntate, quæ ita movetur, & in diversa trahitur à motivis æqualibus, maximè si sint dissimilia, ut possit quodlibet præferre in actu secundo. At ubi nulla sunt motiva non potest se ad actum secundum extendere. Ergò in intentionalibus & liberis agentibus æqualis ratio non est sicut nulla ratio. Falsum proinde est, quod talia motiva sese penitus elidant, aut quod intellectus & voluntas necessariò hæreant inter motiva æqualia, sicut quando nulla habent. Similiter falsum est, quod tantùm ponatur impedimenti, quantùm ponitur adjumenti; sicut enim in voluntate adjectio motivorum possibilitat utrumque effectum, qui sine motivo non est possibilis; ita pariter evenit in intellectu, prout ille subditur imperio voluntatis. Cæterùm in utraque potentia contrarietas motivorum est impedimentum difficultans, redditque effectum difficiliorem, sed eum non impossibilitat. Paritas porrò illa bilancis solùm probat intellectum, utpote potentiam necessariam, non posse seipsum determinare in illo casu, sed non probat, eum non posse determinari per voluntatem, cujus imperio subjicitur. Imperium enim voluntatis, de novo accedens, est sicut novum pondus uni lanci impositum, quo intellectus determinatur ad assensum, sicut lanx ad motum. Et quidem intellectus in hoc casu dupliciter determinatur ad assensum: Primò quia affectus ille plurimum auget priorem apparentiam. Secundò quia sine tali augmento vi meræ subordinationis suæ determinari potest à voluntate, ut in actu secundo præferat unum alteri, illudque verum, hoc falsum reputet: intellectus enim si esset immediatè liber hoc modo determinare se posset. Ergò jam hoc modo determinari potest per voluntatem, cujus libertas æquè servit aliis potentiis sibi subjectis, sicut sibi ipsi, ut fusè ostendi *quæst. 9. num. 22. de Consc. prob.* idque ex Sancto Thoma ibidem efficaciter confirmavi.

Objectio 4.

26. Objicit quartò. Stantibus motivis æqualibus, non convenit intellectui potiùs huc quàm illuc moveri, quia utrimque refulget eadem spes veritatis, idemque periculum falsitatis. Ergò cùm æqualiter trahatur, & frangi ac dividi nequeat, hærebit immobilis. Ita Celladeus §. 5.

Convenit intellectui in obscuris subdi imperio voluntatis.

Respondeo, expedire intellectui, ut possit à voluntate determinari, quando solùm allicitur, sed non determinatur ab ipso objecto. Porrò in actu primo non eadem, sed par est spes veritatis; non idem, sed par metus falsitatis: verùm, stante determinatione voluntatis & assensu producto, una pars præfertur ut absolutè vera, & altera rejicitur ut absolutè falsa, adeò ut intellectus nunquam feratur in objectum per assensum, quin illud habeat longè majorem apparentiam veri quàm falsi, idque non solùm per ipsum assensum, qui est formalis prælatio unius alteri; sed etiam pro priori ad ipsum assensum, quia eædem rationes accedente affectu & imperio voluntatis vehementiùs movent, quàm movissent, si nullus affectus voluntatis affuisset.

27. Dices. Intellectus naturaliter est ad verum. Ergò est illi disconveniens, ut moveatur ad minùs probabile, in quo scilicet ratio veri minùs apparet, quàm in opposito. Ergò magis contra ipsum est, quòd sit mobilis ad minùs probabile, quàm ad omnium dubia; in quibus nulla apparet ratio veri aut falsi. At ad ista intellectus est immobilis. Ergò à fortiori immobilis est ad minùs probabilia. Ita Celladeus ibidem.

Est minus conveniens, sed non est disconveniens intellectui ferri in minus probabile.

Respondeo esse quidem minùs conveniens intellectui ferri in minùs probabile, sed nego illud esse simpliciter disconveniens, si loquamur de apparentia antecedente; quia motivum minùs probabile sæpiùs connectitur cum veritate quàm cum falsitate. Conveniens autem est intellectui ferri in tale motivum, quando certitudo deest; quamvis magis conveniat ferri in motivum magis probabile, utpote quod frequentiùs connectitur cum vero quàm motivum minùs probabile. Rursus inconveniens quidem est intellectui ferri per assensum in illud ut verum, quod, omnibus consideratis, enunciat esse minùs probabile, quia talia judicia sibi contrariantur. At non est inconveniens ferri in actu secundo in id, quod erat minùs probabile in actu primo, quando per illum actum secundum objectum apparet probabilius, & præfertur opposito, quamvis pro priori non erat magis probabile, nec magis afficiebat animum, quàm oppositum.

Intellectus flecti potest ad illud, quod est ipsi inconveniens.

28. Præterea quamvis talis assensus esset disconveniens intellectui, non inde sequitur, intellectum non posse flecti ad illud per imperium voluntatis. Profectò omnes hæreses, omnia temeraria judicia, omnesque errores multò magis disconveniunt intellectui, quàm judicium nixum motivo antecedenter minùs probabili; quia hujusmodi judicium plerumque est verum. Et tamen intellectus ex imperio voluntatis flecti potest in omnes illos errores, etiam temerarios. Quidni ergò flecti etiam possit ad assentiendum motivo minùs probabili, quamvis illud esset ipsi positivè disconveniens.

Paritas &

29. Cæterùm paritas & illatio Celladei de immobilitate

Illatio nulla esse ostenditur. mobilitate intellectûs ad minùs probabilia, eò quòd intellectus sit immobilis ad purè dubia, nil valet. Paritas quidem nulla est, quia in casu dubii veritas non apparet, sed veritate non apparente assensus est impossibilis, quia intellectus non potest ferri extra objectum suum. Præterea experientiâ constat, intellectum in casu dubii non moveri in actu primo, cùm ad nullam partem stimuletur. At in casu rationum utrique parti faventium, certum est, intellectum moveri ad utramque partem, & ad assentiendum inclinari, atque ideo in uno casu assensus est possibilis, in alio impossibilis. Illatio verò est prorsus nulla, cùm ex antecedenti etiam admisso consequens non inferatur. Quamvis enim assensus motivo minùs probabili esset disconveniens intellectui, non inde sequeretur assensum illum per imperium voluntatis non posse elici ab intellectu. Itaque paritas nulla est, & consequentia est penitùs nulla.

Voluntas an sit immobilis inter bona æqualia? 30. Objicit quintò. Ipsa voluntas est immobilis inter bona æqualia, & in nullo discrepantia, cùm neutrum eligere possit. Voluntas enim semper habet *cur* objectivum, non solùm cur amet, sed cur hoc præ illo amet, nec sufficit *cur* quasi subjectivum, *quia volo*; alioquin beati possent desistere ab amando Deo; non enim indigebunt ratione ex parte objecti, quæ nulla est, sed satis erit illud, *quia volo*. Itaque voluntas non potest ferri in bona æqualia, nisi sint dissimilia, adeoque singula excedant & excedantur secundùm aliquam considerationem, ut tradit S. Thomas *1. 2. quæst. 13. art. 6 ad 3*. Ergò voluntas flecti nequit in ullam partem nisi in partem præeminentem. Ergò multò minùs flectere potest intellectum, quia voluntas plus potest in seipsam, quàm in intellectum. Ergò intellectus est prorsus immobilis, quando motiva sunt æqualia. Ergò à fortiori est immobilis in partem minùs probabilem. Ita Celladeus ibidem.

Volũtas est liberrima inter æqualia. Respondeo, voluntatem tunc esse liberrimam, quando versatur inter bona prorsus æqualia & similia. Ratio est, quia tunc voluntas in actu primo est maximè indifferens, ideoque maximè libera. Sic Deus liberrimè elegit hunc solem præ alio prorsus simili & æquali. Eodem modo etiam creaturæ liberæ tunc agunt liberrimè, quando nil est ex parte objecti, aut quod determinet, aut magis alliciat voluntatem ad unam, quàm ad aliam partem; tunc enim tota determinatio ad solam voluntatem pertinet, quæ ideo summâ libertate eligit quod vult. Neque in tali casu deest *cur* objectivum: si enim famelicus statueretur inter duos panes in omni consideratione æquales, haberet motivum sufficiens ex parte objecti, cur unum præ alio eligeret; sufficiens, inquam, quod omninò requiritur ad libertatem, non necessitans, quod eam destruit, non vehementiùs ad unam partem quàm ad aliam alliciens, quod libertatem minuit, cùm omnem electionem difficilem reddat, eòque difficiliorem, quo quis scit se sua electione privandum bono, ad quod vehementer allicitur. Motivum autem ejus est hujusmodi. *Volo hunc panem, quia ille mihi sufficit, sed illum respuo, quia illo non indigeo.* Hoc motivum abundè

Volũtas inter æqualia eligens habet cur objectivum. sufficit, quamvis è contrario potuisset dicere, *Volo alterum, quia ille sufficit, & hunc respuo, quia hoc non indigeo.* Verùm hoc solùm probat, quod adsint duo motiva sufficientia, unum ad hoc eligendum præ illo, & aliud ad illud eligendum præ isto, quod est verissimum, ut apertissimè constat in Deo, primo libero, omniumque liberè agentium liberrimo. Deus enim semper eligit inter duo penitùs æqualia, quia loco ejus quod posuit, potuisset non hoc, sed aliud ponere huic penitùs simile & æquale. In quo casu Deus habet, *cur* objectivum sufficiens, seu sufficienter movens ad præferendum unum alteri, & non solùm *cur* subjectivum, *quia volo*. Quamvis loquendo de ratione determinatè, non sit alia, quàm ipsum *cur* subjectivum, *quia volo*. Sed hoc est determinativum formale in actu secundo, non prædeterminativum in actu primo; hoc enim non solùm non requiritur, sed requiritur ut non sit, quia tolleret libertatem & indifferentiam. Jam creaturæ in hoc imitari possunt libertatem divinam, quam participant: & quidem si eligere possint difficilius, & quod, omnibus inspectis, putant excludere bonum absolutè majus, ut innuere videtur Celladeus, quid impedict, quò minùs eligere possint illud, quod non excludit nisi bonum simile & æquale?

31. Quod ad S. Thomam attinet, ille in hac controversia parum debet Celladeo, qui, ut illum in suam sententiam trahat, persuadere conatur, quod S. Doctor hac in re priorem sententiam revocaverit. Inprimis fatetur Celladeus, S. Thomam *lib. 2. de Cælo & mundo textu illi 94.* reprobâsse Platonem dicentem, famelicum, si videat cibum æqualiter hinc inde distantem, ad neutram partem movendum, cùm se ad neutram possit determinare. Ergò S. Thomas ibi saltem tenuit nostram sententiam, nec eam unquam retractavit. Quamvis enim Celladeus in objectione citet S. Thomam *1. 2.* quasi S. Thomas ibi se declararet, aut contrarium diceret, tamen non est ita; nam quod *lib. de cælo* tradidit, optimè cohæret cum eo, quod *dicto loco in 1. 2.* tradit, quia in eo loco in corpore articuli ex eo probat, voluntatem non ex necessitate eligere; quia voluntas potest tendere in quodcumque objectum, quod ratio proponit ut bonum. Ratio autem sæpè proponere potest utramque partem oppositam ut bonam, & in eo casu liberè eligit quod vult, nec unquam necessitatur nisi ad amandum purum bonum, nempe beatitudinem; quia nemo potest velle esse miser, sed omnis homo necessariò cupit esse beatus. Profectò hæc doctrina articuli æquè extenditur ad omnia bona opposita & æqualia, sive similia fuerint, sive dissimilia, ideoque S. Thomas censendus est nobiscum sentire. Nec obstat, quod respondens *3. arg.* in quo dicebatur ex Platone famelicum inter cibos prorsus æquales non posse eligere, dicat, nil obstare, quò minùs ea quæ proponuntur ut æqualia secundùm unam rationem, proponantur ut inæqualia secundùm alteram, ita ut unum emineat secundùm aliquam conditionem, & sic magis moveat voluntatem quàm aliud. Non, inquam, obstat, quia in responsione ad argumentum ea solùm ponuntur, quæ ad solvendum argumentum sunt insufficientia. Jam verò argumentum illud solùm procedebat de bonis æqualibus & similibus, & ex ineligibilitate prætensa illorum simpliciter inferebat, nunquam eligi posse nisi quod prævalet. Hanc illationem, utpote doctrinæ articuli contrariam, negat S. Thomas, ostenditque illam ex assumpto antecedente non sequi, quia quæ sunt æqualia simpliciter, possunt esse dissimilia, & secundùm quid excedere & excedi ab invicem, in quo casu voluntas secundùm quid magis flectitur ad unam partem quàm aliam. Hoc sufficiebat ad solvendum argumentum, & hoc solùm traditur ibi: neque enim S. Doctor approbat doctrinam illam Platonis, quam in lib. de Cælo rejecerat, sed solùm ostendit, ex illa admissa nil sequi contra doctrinam in articulo stabilitam.

S. Thomas tenet voluntatem inter æqualia posse eligere.

S. Thomas non docet contraria in hac re. Duo ejus textus conciliantur.

S. Thomas haud dubiè tenet volùntatem inter æqualia dissimilia posse eligere.

32. Cæterùm haud dubiè S. Thomas tam in dicta responsione *ad 3.* quàm in toto articulo supponit, quod voluntas eligere possit quodlibet ex æqualibus, si sint dissimilia, alioquin nec respondisset argumento, nec suam sententiam stabilivisset, quia qui vult finem, necessariò debet eligere aliquod medium. Ergò si non posset ferri nisi in potentius, ex necessitate ferretur in illud. At si semel ferri possum in quodvis ex æqualibus dissimilibus, eadem prorsus ratio valet de similibus: quia si privari bono æquali, sed dissimili illi, quod eligo, non impedit electionem; nec est, quod privari bono æquali & simili electionem impediat.

Illatio Celladei nulla est.

33. Præterea nulla prorsus est illa Celladei illatio: quòd si in eligibilibus æqualibus & similibus sufficeret illa ratio, *volo quia volo*, Beati possent desistere ab amando Deo. Probatur hoc. Ratio illa non est absurda in ordine ad præferendum unum alteri, quando omnia sunt æqualia; tunc enim nil est ex parte objecti necessitans, aut magis alliciens ad unam, quàm ad aliam partem. Ergò rectè vult, quia vult. At summum bonum clarè possessum non relinquit libertatem, sed rapit voluntatem ad amorem & fruitionem ipsius. Ergo ex eo quòd quia volumus, præferre possumus unum ex duobus incompossibilibus & æqualibus, non sequitur, quod aut ex hoc, aut ex ullo capite Beatus deserere possit amorem Dei, in quem prorsus ita rapitur, ut nullus sit libertati locus ad Deum non amandum.

Quamvis voluntas nō posset moveri inter æqualia, posset tamen movere intellectū ad æquale.

34. Sed neque sequitur, quod voluntas flectere nequiret intellectum ad unum ex æqualibus, quamvis ipsa inter æqualia & similia non posset eligere: imò contrarium sequitur; quia fieri poterit, ut sit majus bonum voluntatis, si intellectus hanc partem amplectatur; tunc autem voluntas determinabit intellectum ad partem illam amplectendam, & alteram rejiciendam. Nec mirum, quia certum est, voluntatem flectere posse alias potentias ad minus bonum in eadem specie, si hoc sit ipsi voluntati melius. Sic dolorem majorem, vel minorem tactui incutere, oculosque dirigere potest ad hoc vel illud simile, & minus in eadem specie videndum præ alio. Ergò similiter & in intellectu: neque inde sequitur, quod simpliciter plus possit in intellectum quàm in seipsam, sed solùm quod secundùm quid plus possit: quod certè in tali hypothesi est verissimum, quia sicut non obstante illa hypothesi plus potest secundùm quid circa alias potentias, sic etiam, eadem stante, plus poterit secundùm quid circa intellectum, quàm circa seipsam; & consequenter non est cur non possit flectere intellectum in assensum partis æquè aut minùs probabilis.

35. Neque placet, quod dicit Celladeus in fine §. *3.* scilicet quod in intellectu & in vero non habeatur illa distinctio bonorum æqualium & inæqualium, sed dissimilium, quam Auctores admittunt in voluntate; quia dissimilitudo bonum diversificat, & consequenter multùm facit ad voluntatem. At dissimilitudo rationum & auctoritatum, non ponens inæqualitatem, ad intellectum nil facit, nec verum diversificat. Bona enim diversa, ratione suæ diversitatis, sibi contrariantur, & ideo voluntas moveri potest ad bona etiam minora, si sint dissimilia & diversæ rationis. At verum vero non contrariatur. Ideo in vero solùm consideratur quantitas, non qualitas apparentiæ, nisi qualitas quantitatem variet; solùm enim consideratur in rationibus, quantam connexionem habeant cum vero.

Motiva intel. & similia & dissimilia non minùs excedunt & exceduntur quàm motiva voluntatis.

Non, inquam, placet, quia rationes sibi contradicentes non minùs differunt quàm bona inter se pugnantia. Sæpè enim rationes contrariæ sunt prorsus similes, sæpè sunt omninò dissimiles, sicut bona. Quare sicut bona dissimilia aliquando sunt æqualia, & ideo excedunt, & exceduntur; sic etiam aliquando rationes dissimiles sunt æquales, quæ tamen secundùm quid se invicem mutuò excedunt. Sic experimur motiva ab inductione ordinis naturalis desumpta, sollicitare mentem contra fidem, quibus tamen motiva fidei, quæ sunt ordinis supernaturalis, contradicunt, & apud fideles prævalent, quamvis apud plurimos opposita argumenta prævaleant. Singula ex istis peculiari ratione verisimilitudinem præferunt, & comparantur ad invicem ut excedens & excessum: non quòd argumenta fidei, omnibus inspectis, non multùm prævaleant, sed quòd non habeant eam peculiarem vim movendi ad assensum, quàm argumenta in ordine naturæ fundata habent ad suadendum dissensum. Itaque distinctio motivorum tam æqualium, quàm inæqualium & dissimilium, æquè locum habet in intellectu ac in voluntate, quia sicut dissimilitudo diversificat bonum apparens, sic etiam dissimilitudo rationum diversificat verum apparens, suaque diversitate peculiariter ac diversimodè allicit, atque ita non minùs facit ad intellectum, quàm diversitas boni apparentis ad voluntatem.

Verum apparens contrariatur vero apparenti, sicut bonum bono.

36. Cæterùm, licèt nullum verum necessarium nulli vero necessario repugnet; similiter, licèt nullum verum reale existens ullum verum coëxistens destruat, multa tamen vera contingentia, alia vera contingentia excludunt & destruunt, idque non minùs quàm ens enti opponitur, cùm verum & ens dicantur ad convertentiam. Sed quidquid sit de hoc, verum apparens non minùs contrariatur vero apparenti, quàm bonum apparens bono apparenti, ideoque in utroque non solùm quantitas, sed etiam qualitas apparentiæ attendenda est, etsi qualitas illa simpliciter quantitatem non augeat, sed solùm faciat, ut secundùm quid excedat, licèt ex opposito secundùm aliud excedatur. Fateor nihilominus diversitatem inter bona esse majorem, quia specifica diversitas bonorum videtur esse frequentior & notabilior, quàm diversitas rationum moventium. Verùm hæc majoritas nil facit ad intentum præsens, quia libertas voluntatis non fundatur in multiplicitate varietatis, sed solùm in varietate. Ergò cùm detur varietas specifica rationum in contrariis moventium, intellectus per imperium voluntatis flecti poterit in assensum cujuslibet partis, cùm libertas voluntatis æquè deserviat aliis potentiis sibi subjectis, ac sibi.

An opinio possit pro arbitrio & facilè mutari?

37. Objicit sextò. Si intellectus ex imperio voluntatis flecti posset ad prudenter præstandum assensum motivo æquè aut minùs probabili, possemus singulis momentis mutare opiniones absque vitio, immò & cum laude. Absque vitio quidem, quia, stantibus motivis æqualibus, possum affirmare hanc partem propter motivum illius partis. Sed in sequenti instanti habeo idem fundamentum quod antea, nec libertas ablata est. Ergò etiam in sequenti instanti prudenter judicare potero alteram contradictionis partem, sicut quando occurrentibus duobus æquè indigentibus nunc uni do eleëmosinam, & paulò post eisdem occurrentibus, vel eidem vel alteri largiri possum eleëmosinam, ut libuerit. Cum laude verò, quia æqualibus æqualia tribuere laudabile est. Ergò si hodie assentior alicui propter auctoritatem Hieronymi,

ronymi, eras laudabiliter idem rejiciam propter æqualem auctoritatem Augustini (casu quo sibi contradicerent) sic enim neutrum despicio, sed utrique æqualem honorem tamquam æqualiter dignis defero. Idem à fortiori valet respectu rationum æqualium, & multò magis respectu inæqualium, si ab initio motivo minùs probabili assensum præbui, quia omnis mutatio in melius in omni judicio laudatur. At sequelæ sunt absurdæ. Ergò non possumus opinari æquè aut minùs probabilia. Ita Celladeus *quæst. 1. Append. §. 1.*

Opinio difficilè & rarò mutari potest.

Respondeo, argumenta ista validè confirmare secundam assertionem, sed tertiam non impugnare, quia concomitanter & consequenter ad assensum uni parti datum, pars illa semper evadit longè probabilior opinanti, quàm contraria; adeo ut, stante illo judicio, impossibile sit opinantem existimare oppositum esse æquè aut magis probabile. Ex hoc autem omnia prorsus contraria contentis in objectione sequuntur. Sequitur inprimis, homines non posse facilè opiniones mutare, quia non possunt facilè efficere, ut pro parte semel rejecta habeatur apparentia comparabilis cum apparentia consequente ad judicium uni parti alligatum. Præterea difficilè est homini dicere, se deceptum fuisse, nisi nova aliqua ratio, & quidem valdè magna appareat. At qui mutat opinionem, dicit se antea fuisse deceptum. Non ergò hoc facilè est, sed longè difficillimum, & quodammodò impossibile, ac de rebus aut nunquam aut rarissimè contingentibus. Cæterùm, si possemus hinc apparentiam consequentem exuere, & flexibilitatem intellectûs falsò in objectione suppositam induere, concederem posse nos sine vitio, imò & cum laude opiniones mutare pro arbitratu; verùm cùm constet, suppositionem esse falsam, constat etiam consequentiam esse nullam, cùm homines suis opinionibus, undecumque habitis, sint addictissimi, & nisi novæ ac validæ rationes afferantur quodammodò inflexibiles.

Voluntas, etsi libera, non potest singulis instantibus suas affectiones mutare.

38. Sed ut Celladeus nullitatem sui argumenti videat, peto ab illo, an voluntas hic & nunc libera & indifferens ad amandum & odio habendum aliquem, possit in hoc instanti illum amare, in sequenti odisse, & sic totâ die pro singulis instantibus deliberatum suum affectum erga illum mutare? si concedat, concedam & ego idem de intellectu, quod certè aliter de ipso concedi non potest, quàm si idipsum voluntati concedatur, quia intellectus in obscuris nullum assensum elicere potest, nisi dependenter ab affectu & imperio voluntatis. Ergò non potest contradictoria judicare, nisi affectus & imperium voluntatis mutentur. At illa non possunt facilè mutari. Ergò nec opinio semel concepta. Et sanè præter hanc difficultatem mutandi opinionem ob voluntatis constantiam in eodem, datur alia ex parte ipsius intellectûs, cui difficilè est existimare se deceptum, nisi nova, vehemens, & clara ratio accedat. Ergò intellectus est inflexibilior quàm voluntas. Verùm, si affectus voluntatis erga aliquod objectum mutetur, tunc etiam prior apparentia mutatur, & sic homo facilè mutat intellectum ac opinionem suam, ut constat experientiâ. Neque tamen ideo homo habet novas rationes, sed priores, quæ antea minùs alliciebant ob affectum ad illas.

Paritas indifferentiæ in dante eleëmosynā non nos, sed Celladeum urget.

39. Itaque consequentia argumenti nulla est, cùm procedat ex falsa suppositione, scilicet quod post assensum uni parti datum maneat apparentia par aut major pro parte opposita, quod est apertè falsum. Similiter paritas illa dantis eleëmosynam cui libuerit ex duobus æquè indigentibus, nos non urget, sed Celladeum. Non urget nos, quia datio eleëmosinæ uni non facit ipsius indigentiam apparere majorem, sed potiùs minorem, quippe quæ per ipsam eleëmosynam minuitur. Ergò relinquit dantem eleëmosynam æquè indifferentem, ut antea erat, ad dandum alteri. Ratio autem indifferentiæ in istiusmodi casu ex eo etiam sumitur, quòd motivum misericordiæ æquè extendatur ad omnes æquè indigentes pro quovis tempore. Atque ideo quod fit uni, non tollit omnimodam indifferentiam ad operandum circa alios. At secus est quando motivum amoris uni tantùm alligatur, ut in amore amicitiæ &c. tunc enim non possumus facilè mutare amicum, aut eum odisse quem diliximus, quia non possumus motivum ipsum continenter nunc amare, nunc aversari pro arbitratu. At in intellectu rationes, quibus assentimur, uni tantùm parti favent: ideoque libertas non extenditur ad tales assensus mutandos pro arbitratu. Ergò paritas illa non urget nos, sed urget Celladeum, tum quia est validissimum argumentum ad ostendendum, quod voluntas eligere possit inter objecta prorsus similia & æqualia, quod ipse negat; tum quia ipse hunc casum ita proponit, ac si voluntas inter æqualia posset eligere pro arbitratu, atque ita sibi videtur contradicere. Et sanè nisi supponat voluntatem in eo casu ferri posse pro arbitratu ad æqualia & similia, argumentum contra ipsum facit; quia ut huic largirer, deberem existimare, eum esse indigentiorem. Ergò non possum esse liber postea ad largiendum ipsi vel alteri, nisi habeam indifferentiam ad judicandum hunc illo esse indigentiorem. Ergò nisi sibi in hac ipsa quæstione contradicat, & admittat voluntatem posse eligere inter similia & æqualia, ex altera parte debet sibi contradicere, & supponere quod possim pro arbitratu meo facere apparentiam indigentiæ hujus esse majorem vel minorem, imò & jam judicare quod sit major, & hoc quidem eâdem facilitate, quia possum huic vel alteri eleëmosynam dare.

Celladeus proprio argumento premitur, nec potest illi vim tribuere, nisi sibi contradicat.

Primum inconveniens prætensum.

40. Objicit septimò. Ridiculus esset, qui inter disputandum, dum disputatio fervet, mutaret sententiam, & concederet quod ab initio negabat. At si possemus opinari æquè probabilia ex sola determinatione voluntatis, utique possemus in processu argumenti rectè negare, quod antea affirmaveramus, quia pro negando haberemus fundamentum æquale illi, quod habuimus ad affirmandum.

Secundū inconveniens prætensum.

41. Secundò sequeretur, quod in hinc inde opinabilibus bellum rationis esset utrimque justum, idque citra errorem, & ignorantiam omnem; occurrentibus enim rationibus æqualibus, alter rectè prudenterque affirmat, alter rectè prudenterque negat. At hoc est absurdum, quia rectè prudenterque dicenti non rectè prudenterque contradicitur. Ergò alter non rectè contradicit. Ergò alter non rectè dicit; nam qui rectè dicit, adversario rectè contradicit. Ergò unus solus rectè dicit. Et sanè quando incidimus in duos litigantes, supponimus unum solum & non utrumque rectè dicere; nam pro uno solo sententiam damus, dicimusque eum rectè dicere, & rationem habere.

Tertium inconveniens.

42. Tertiò, qui aliquid tenet, nunquam fatetur contraria motiva esse meliora, aut æquè bona; fatuus enim haberetur, qui ita loqueretur in publico. Ergò etiam fatuus est, qui ita sentit in corde, nam si illud prudenter diceretur in corde, utique etiam diceretur in ore.

Quintū inconveniens.

43. Quartò, nemo in probabilibus rectè disputaret

sputaret contra adversarium, quia ille rectè judicat, cùm habeat motiva probabilia, vel majora, vel æqualia, vel saltem minora. At rectè dicit, qui nititur tali motivo. Ergò omnis disputatio deberet cessare. Quia si tu disputas contra illum, intendis probare illum malè dixisse. Ergò non putas eum rectè ac prudenter dixisse.

Quintũ inconveniens.

44. Quintò demùm sic. Omnis arguens putat, se ostendere posse adversarium non rectè dicere, & meliùs esse si secum sentiat. Ergò putat, se habere fundamenta sufficientia ad id probandum. Ergò putat sua fundamenta esse meliora. Ergò non minora nec æqualia. Ergò nullus ritè impugnans alium, & consequenter nullus opinans putat se habere motiva minora aut æqualia, quia unusquisque putat se fundatiùs loqui, quàm adversarium, quem impugnat. Ita Celladeus *quæst. 1. Append. §. 2.*

Argumenta allata fundantur in æquivocatione.

45. Respondeo, omnia ex istis, quæ faciunt ad rem, procedere ex confusione apparentiæ antecedentis, & apparentiæ consequentis affectum & assensum uni parti alligatum. Convincunt quidem apparentiam consequentem esse semper majorem, sed nullà ratione id probant de apparentia antecedente. Itaque reipsà non tangunt difficultatem præsentem. Hoc dictum in genere abundè sufficit ad solutionem objectionis. Ad majorem tamen claritatem aliquid ad singula reponam.

An ridiculus sit, qui inter disputandũ mutat sententiam?

46. Ad primum. Ridiculus esset, qui inter disputandum mutaret sententiam, nisi planè convinceretur argumentis contrariis; tunc enim laudabiliter mutaret sententiam, seque illa in re victum fateretur. Talem enim irridere non rectè ordinati sed superbi animi esset. Cæterùm, qui sine manifesta convictione inter disputandum mutaret sententiam, ridiculus esset, quamvis ob rationem, quæ ipsi jam validior apparet, eam mutaret. Non tamen rideretur præcisè, quia mutaret sententiam, sed quia sine necessitate declararet se eam mutare, & sic intento disputationis non satisfaceret, sed in re seria ludicrò ageret. Finis enim disputationis est, ut assertio defendatur, donec opposita veritas convincatur, & sic bonitas fundamentorum eluceat. At veritas opposita non convincitur, quamdiu probabiliter respondetur. Præterea, etsi defendens nunc turbetur, eò quòd argumentum urgere videatur, fortasse postea inveniet argumentum fuisse nullum; ideoque ridiculus esset, si statim manus daret, aut palam sententiam mutaret. Demùm applicatio hujus doctrinæ procedit de subjecto non supponente. Supponit enim posse quemvis sine nova ratione statim pro libitu sine ulla difficultate sententiam mutare, & reputare argumenta contraria esse æqualia illis, quæ habet pro sua sententia. At hæc omnia jam ostensa sunt falsa.

47. Ad secundum respondeo, in incertis ac utrimque opinabilibus bellum rationis esse posse utrimque justum formaliter, ut dictum est in superioribus, quia Auctores utriusque partis putant se habere rationes prævalentes, nec convincuntur ab adversariis, aut reprehendi possunt quasi irrationabiliter judicantes. Tales autem jus habent ad suam opinionem tutandam; ideoque voluntas eam tutandi in utroque justa est, & hoc est bellum, seu voluntatem bellandi esse utrimque justam formaliter. Verùm loquendo de ipsa veritate, quæ quæritur, illa non stat nisi pro una parte, ac proinde illa sola pars est materialiter justa; ideoque bellum, quod titulo veritatis tali parti faventis inducitur, & formaliter & materialiter est justum. At bellum pro parte opposita non est materialiter, sed solùm formaliter justum. Neque tamen justitia formalis belli utrimque illati habetur citra omnem errorem & ignorantiam, ut vult Celladeus, quia ex sola ignorantia veri oritur rationabilis titulus ad propugnandam partem, quæ est falsa. Si enim falsitas illius clarè appareret, nullum patronum habere posset.

48. In hoc ergò Celladeus satis apertè erravit, sicut satis clarè æquivocat in sequentibus, ubi dicit, rectè prudenterque dicenti non posse rectè prudenterque contradici. Unde infert, alterum ex contradicentibus non rectè prudenterque dicere. Hæc enim vera sunt, si nomine recti ac prudentis intelligat verum reale, seu materiale, & rectitudinem logicam, quia utraque pars non potest esse vera, & logicè recta. Sed si intelligantur non de veritate materiali propositionis, nec de rectitudine logica, sed de rectitudine morali, seu de conformitate talis opinionis cum appetitu recto, in quo propria ratio prudentis judicii consistit, utraque pars potest esse recta & prudens, quia utriusque contradicentis opinio est conformis appetitui recto; uterque enim per appetitum rectum imperat assensum suæ opinionis, & ad eam tutandam bellum rationis indicit. Unde etiam sæpè concludimus, utrumque litigantem propriè loquendo prudenter judicare, quamvis si veritatem ipsam materialiter & logicè sumptam spectemus, non possimus nisi uni causam & victoriam judicare.

Æquivocatio Celladei detegitur.

49. Similis prorsus est responsio ad quartum argumentum, quod eàdem æquivocatione laborat; quia confundit verum materialiter sumptum cum eo, quod creditur verum ex imperio seu appetitu recto; & quod priori tantùm convenit, transfert ad secundum, cùm illa toto cœlo differant. Jam quando disputamus, conamur ostendere adversarium logicè errare, nosque logicè verum dicere. Neque tamen ideo putamus, illum antea non prudenter, aut non rectè judicâsse secundùm considerationem ethicam, sed conamur efficere, ut mutet sententiam, quia sæpè putamus, illum non commodè soluturum argumenta, quæ afferimus. Quod si prævideremus eum illa commodè soluturum, non disputaremus animo illum convincendi, sed solùm vel exercitii causâ, vel ut meliùs partem nostram adversario explicaremus.

50. Ad tertium & quintum, quæ etiam coincidunt, jam sæpiùs responsum est, scilicet illa fundari in suppositione, quod qui aliquid opinatur, simul judicet partem oppositam æqualibus aut potioribus rationibus stabiliri, quod est falsum. Uno verbo in istis argumentis apparentia antecedens confunditur cum consequente. Ac proinde illa confirmant secundam, non improbant tertiam assertionem.

QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA. PRIMA.

Vtrùm subjectio intellectûs ad voluntatem, probet assensum æquè aut minùs probabilium esse probabilem?

1. ARGUMENTUM hoc à me tractatum est *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.* in quibus efficaciam rationis ab ista subjectione desumptæ latè deduxi. Non est meæ intentionis ibi dicta hîc repetere, libuit tamen quæstionem sub istis terminis iterum proponere, ut argumentum, quod à subjectione intellectûs ad voluntatem, & à paritate utriusque potentiæ Celladeus *quæst. 3. Appendicis* sibi objecit, proponerem, ostenderemque responsiones, quas ad illud infirmandum affert, nullius roboris esse, sed ad argumentum validè corroborandum plurimùm deservire.

ASSERTIO UNICA.

Celladeus non solvit argumentum, ab intellectûs ad voluntatem subjectione desumptum, quod sibi objecit ad probandum, quod æquè & minùs probabile sit opinabile.

2. ASSERTIO hæc non aliter probari potest, quàm argumentum proponendo, & solutiones illius examinando. Primò ergò proponam argumentum, sed cum aliqua diversitate, ut illud fortiùs urgeam. Itaque Celladeus *quæst. 3. Appendicis* sic contra se insurgit.

ARGUMENTUM PROPONITUR.

Argumentum proponitur. 3. ITA se habet intellectus ad verum apparens, sicut voluntas ad bonum sibi apparens. Sed voluntas ex duobus bonis incompossibilibus propositis potest determinari ad æquale & minus. Ergò intellectus ex duobus veris apparentibus incompossibilibus determinari potest ad æquale & minus. Sed in eo est diversitas, quòd voluntas, utpote unica potentia libera, determinetur à seipsa, intellectus verò à voluntate, cujus libertas ad omnes potentias sibi subjectas determinandas deservit, ut ostensum est, *quæst. 9. de Consc. prob. num. 22.* Hoc argumentum Celladeus gravissimo cuidam, sed innominato magistro attribuit, de quo queritur, quod illi nimis adhæserit, quódque tum propter illud, tum propter maximam & gravissimam apparentiam veritatis utrique contradictionis parti faventis fixus in sua sententia permanserit. Hæc est Celladei querela, qui in hoc argumento de maximo illo Magistro & victoriam & triumphum tulisse sibi videtur. Sed quàm immeritò, Deo dante, clarè apparebit *quæst. 38.* ubi de eodem illo Magistro, atque de hac Celladei querela opportuniore loco sermo redibit.

Argumentum hoc, ut à me propositum est, & *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.* latè tractatum, existimo esse efficax &, apud æquum judicem rem convincere, si apparentia tam antecedens, quàm consequens affectum & assensum uni parti impensum, ante oculos habeatur; simulque seriò cogitetur, qualis & quanta sit potestas in voluntate ad indifferentiam potentiarum sibi subjectarum determinandam. Certum enim est argumenta Celladei ex istorum confusione procedere, omnemque vim amittere, si hæc debitè perpendantur, ut mox apparebit.

OBJECTIONES CELLADEI solvuntur.

4. OBJICIT primò. Pro voluntate fit comparatio inter bonum & bonum; quia utraque pars est bona. Ergò ut sit paritas, fieri debet comparatio inter verum & verum: sed in opinabilibus contradictoriis non datur verum & verum, sed verum & falsum. Ergò argumentatio est inepta. Objectio 1.

Respondeo, comparationem sæpè fieri pro voluntate inter bona tantùm apparentia, non vera; aut saltem inter bonum purè apparens ex una parte, & bonum reale ex altera. Ergò comparatio & paritas hæc aptissimè quadrat per omnia. Verùm quamvis quoad hoc daretur aliqua disparitas, adhuc paritas quoad alia abundè sufficeret ad intentum argumenti, ut ex sequenti objectione constabit. Solutio.

5. Objicit secundò. Per bonum & bonum non egredimur extra sphæram & objectum voluntatis. At per verum & falsum egredimur extra sphæram intellectûs. Ex contradictoriis autem unum est falsum, & hoc intellectus novit. Ergò licèt voluntas eligere possit inter bonum & bonum, & amplecti quod est minus; non ideo poterit movere intellectum, ut eligat inter verum & falsum, & judicet quamlibet partem. Objectio 2.

Respondeo primò ut antè, sicut voluntas non egreditur extra suum objectum, quando eligit bonum purè apparens non verum: ità nec intellectus quando non determinatur ad falsum, quod apparet verum, ut omnes fatentur in quovis judicio falso. Præterea voluntas eligere posset inter duo bona apparentia, quamvis intellectus sciret, alterutrum esse solùm apparens, modò determinatè nesciret, quænam esset illa pars. Ergò utrobique datur omnimoda paritas. Responsio.

Intellectus non egreditur extra suum objectum, quãdo determinatur ad quamlibet ex partibus contradictoriis.

6. Respondeo 2. intellectum non egressurum extra suam sphæram, casu quo determinaretur à voluntate ad assensum, idque duabus de causis. Primò, quia antecedenter utraque pars disjunctivè est apparenter vera, quamvis altera illarum sit falsa. Ergò voluntas determinans intellectum, non moveret illum extra suam sphæram, quia moveret ad verum apparens. Nec obstat, opposita argumenta falsi periculum proponere; quia etiam in voluntatis objecto sæpè proponitur non periculum, sed certissima ratio mali connexi cum bono quod eligitur, quo non obstante, eligi potest hoc præ illo. Secunda ratio est, quia per ipsum affectum & imperium voluntatis, veritas magis apparet ex parte erga quam voluntas propendet. Idem autem multò magis habetur per ipsum assensum imperatum, utpote qui essentialiter est approbatio sui objecti ut veri, & rejectio oppositi ut falsi. Ergò intellectus non egrederetur extra suum objectum, nec determinaretur ad agendum extra sphæram, quamvis determinaretur ad assensum juxta doctrinam *quæstione superiore* traditam. Et sanè quamdiu utraque pars contradictionis apparet probabiliter vera, perspicuum est, objectum intellectûs reperiri in utraque. Stante autem hoc, paritas argumenti subsistit, quamvis in aliis daretur disparitas, quæ tamen non datur.

Objectio 3.

7 Objicit tertiò. Ex eo quòd sit bonum jejunare in die præcepti, non sequitur quod solvere jejunium non sit bonum, aut non contentum sub objecto voluntatis. At si unum ex contradictoriis sit verum, evidenter sequitur alterum esse falsum, & extra sphæram intellectûs. Ergò paritas est inepta.

Responsio per retorsionem.

Respondeo, argumentum à Celladeo solvendum esse in voluntate. Quando sciremus, unam partem propositam non esse bonam, tunc enim ex eo, quòd una sit bona, evidenter sequitur, alteram non esse bonam, sed positam extra objectum voluntatis. Voluntas tamen in eo casu eligere posset pro arbitratu.

Utraq; pars cõtradictionis in probabilibus est objectũ intellectus, quãvis sciamus alterutram esse falsam.

8. Respondeo secundò, argumentum ad intellectum applicatum non aliter valere, quàm si una pars determinata sciatur esse vera, non enim aliter scimus, alteram partem esse falsam. In probabilibus enim, quamvis credamus unam partem esse veram, non tamen scimus alteram esse falsam, quia fortè decipimur. Itaque quamvis unum ex probabilibus sit verum, non sequitur alterum non apparere verum, aut esse extra sphæram intellectûs; quamvis si unum actu credatur verum, alterum, stante illo judicio, verum reputari nequeat. Ratio est, quia adhuc pars rejecta sollicitat ad assensum, & accedente imperio voluntatis efficere potest, ut prius judicium deponatur, & aliud oppositum eliciatur. Verùm quoad hoc etiam viget paritas cum voluntate, quia voluntas non potest simul velle utrumque ex bonis apparentibus oppositis, nec stante electione unius eligere alterum. Illud tamen non ideo egreditur extra objectum voluntatis, quia adhuc sollicitat voluntatem ad mutandam electionem, & ad se amplectendum, repudiato opposito ut minùs conveniente. At totum hoc locum habet in intellectu, etiam in sensu composito judicii, uni parti alligati. Et multò magis locum habet in sensu diviso talis judicii, quod nobis ad præsentem paritatem firmandam abundè sufficit. Ergò iterum errat Celladeus, dum infert paritatem esse ineptam, sicut clariùs in argumento erraverat, dicens: *Evidenter sequi unum ex contradictoriis probabilibus esse extra objectum intellectûs, si alterum sit verum.* Quia ex dictis perspicuum est, oppositum esse verissimum.

Error Celladei notatur.

9. Objicit quartò. Ex eo quòd voluntas eligere possit bonum æquale vel minus, inferri deberet, quod intellectus judicare possit verum æquale vel minus. At hoc est de subjecto non supponente. Præterea contradictoria probabilia non solùm non sunt æqualiter vera, sed nec vera, quia unum est necessariò falsum. Ergò ipsi termini argumenti argumentum dirimunt. Objectio 4.

Respondeo, rectè inferri, quod intellectus determinari possit ad absolutè judicandum, illud esse verum, quod, antecedenter ad omnem affectum, solùm æquè aut etiam minùs apparenter erat verum, quàm oppositum. Esset quidem de subjecto non supponente dicere, utramque contradictionis partem esse realiter æquè veram. At certum est, quod utraque sit simul apparenter vera, quodque sæpè pars realiter falsa longè magis accedere videatur ad verum, quàm quæ reipsa vera est. Similia per omnia reperiuntur etiam in voluntate, quando illa versatur inter duo bona merè apparentia, aut inter bonum reale, & apparens. Quod enim unum illorum non sit verum bonum, sed vel bonum inane, vel etiam malum, non tollit, quò minùs utraque pars sit apparenter bona. Nulla ergò contradictio in terminis argumenti, sed solùm in mente Celladei, qui confundit verum apparens cum vero reali: distinguat hæc, & argumentorum suorum nullitatem perspiciet. Responsio.

10. Objicit quintò. Magis & minùs probabile in contradictoriis non sunt species, seu differentiæ veri, quod est objectum intellectûs, quia una pars est falsa. Genus enim salvari debet in speciebus ac differentiis subjectis. At contrarium cernitur in bono, quia utrumque ex bonis contrariis est bonum, ut videre est in honesto ac delectabili sibi contrariantibus. Ergò paritas nulla est. Objectio 5.

Respondeo, eandem hîc latere æquivocationem, quam in superioribus deteximus, quia bonum & verum reale confunditur cum bono & vero apparente. Objectum intellectû est verum apparens. At utrumque ex contradictoriis est verum apparens, quia hæc ratio non destruitur in una parte, eò quòd veritas realis reperiatur in altera. Idem prorsus dicendum de bonitate, non enim semper bona opposita, voluntati proposita, sunt vera & realia bona, sed alterum saltem membrum aliquando est merè apparens. Nec inde sequitur, quod pars illa non sit species boni, quod est objectum voluntatis; quia non solùm bonum reale, sed etiam bonum apparens est objectum voluntatis. At hæc ratio bonis etiam fictis competit, quando proponuntur ut bona. Errat proinde Celladeus, dum supponit in argumento, quod solùm bonum reale sit objectum voluntatis, cùm contrarium satis constet. Præterea, etsi oppositum concederetur, adhuc argumentum nil concluderet, quia certum est, verum apparens esse proprium objectum intellectûs, extra quod ferri nequit, & in quod semper fertur. Solutio.

Objectũ propriũ voluntatis est bonum apparens; intellectus autem verum apparens.

11. Objicit sextò. Paritas ista non magis probat de probabilibus in doctrina & in jure, quàm in facto. At in rebus de facto nemo non videt falsitatem consecutionis. Duobus enim æque fide dignis contraria testantibus, neutri credo, & imprudens essem, si ulli, maximè si fide minùs digno, crederem. Hæc probant assensum, in casu æqualis aut minoris probabilitatis in rebus facti, esse vel impossibilem, vel imprudentem. Objectio 6.

Ergò

Ergò & in jure, cùm argumentum nostrum non magis valeat pro uno, quàm pro alio casu.

Solutio.

Diversa est ratio in materia juris & facti.

Respondeo primò, magnam esse disparitatem inter factum & jus, quia in rebus facti, quando testes contraria deponunt, certum est nullam esse rationem pro una parte, nempe pro illa, quæ studiosè mendaciter asseritur. Unde certum pariter est, quod utraque pars non sit probabilis. At in rebus juris & doctrinæ certum est, rationes apparentes dari pro utraque parte, easque adeo validas esse, ut homines peritos in assensum alliciant, etiam postquam consideraeunt argumenta opposita. Itaque in casu doctrinæ & juris certum est, utramque partem esse probabilem. Hac de causa motiva illa similia testium, contraria deponentium, ita se elidunt, ut nemo prudenter ulli præstare possit assensum; sed in casu doctrinæ ac juris motiva dissimilia rationum non ita se elidunt, quin intellectus prudenter flecti possit in assensum cujuslibet partis. Quæ omnia ex professo ostendentur infra *quæst. 38.*

Tam in materia facti, quàm juris assensus utriusq; partis est possibilis per imperium voluntatis.

12. Respondeo secundò. Si sermo sit non de prudentia, sed de possibilitate judicii, paritas argumenti æquè extenditur ad res facti, ac ad res juris, quia judicium in utraque materia est possibile, quamvis in neutra elici possit judicium de veritate unius partis, in sensu composito cum judicio finali, agnoscente motiva utriusque partis esse æqualia. Ratio est, quia quamvis antecedenter ad omnem affectum, uni materiæ aut personæ peculiariter addictum, dignitas utriusque testis sit æqualis, tamen consequenter ad affectum uni parti addictum, pars illa verior, & testis veracior apparet. Similiter si ante assensum nulla fiat comparatio, eo ipso quòd animus magis afficiatur ad unam personam, quàm ad aliam, intellectus determinari potest ad unius testimonium alteri præferendum, credendo hunc esse veracem, & illum mendacem; ita tamen, ut per hunc ipsum actum magnæ apparentiæ inæqualitas inducatur, ut scilicet nunc hoc ipsum longè probabilius appareat, quàm oppositum, quamvis antecedenter ad omnem affectum, nullus esset excessus inter apparentiam unius & alterius partis. Itaque intellectus in eo casu ita se haberet per imperium voluntatis, sicut se habet voluntas, dum eligit unum præ alio. Sicut enim voluntas in eo casu magis amat unum quàm alterum, & affectivè præfert hoc ut sibi conveniens, alterumque ut inconveniens repellit, quamvis antecedenter ad electionem voluntas æquè attraheretur ad utramque partem, aut etiam minùs ad partem, quam amplectitur, ut præfert in actu secundo, ita similiter se res haberet in intellectu, qui per actum imperatum ferretur in actu secundo in unam partem, ut in prævalentem ac veram; in alteram ut in superatam ac falsam, quamvis in actu primo non magis attractus fuit ad unam quàm ad alteram.

Æquivocatio Celladei.

13. Porrò in hoc continua æquivocatio decepit Celladeum; putat enim nos ita dicere, judicium de absoluta veritate unius partis elici posse ex imperio voluntatis, ut simul habeamus aliud judicium, quo dicamus partem oppositam æqualia aut potiora fundamenta habere. At omnes hoc non dicimus, sed ego cum multis dico oppositum. Frustra ergò expectat Celladeus, ut Magister ille, de quo antea locutus erat, in aliquo libro palam & disertè edat hanc propositionem: *Ego sic opinor, fateor tamen argumenta contraria esse meliora.* Non dicet hoc Magister ille, Celladee, sed si fortè scribat contra te, dicet, ni fallor, quod ego dixi & dico, falli te in intellectu opinionis, quam impugnandam suscepisti, atque ex mera terminorum æquivocatione apparentias quasdam, quibus incauti decipi possunt, attulisse; sed eas ne quidem impetere quæstionem ritè propositam, & in sensu à nobis intento intellectam.

Objectio 7.

14 Objicit septimò. Voluntas passim mutare potest suos amores, & si eligit minus bonum, manet indifferens ad amplectendum melius. Ergò si paritas subsistat, intellectus debet esse indifferens ad opinionem de una in aliam contradictionis partem mutandam. Hoc non conceditur. Cur ergò paritati voluntatis insistitur?

Solutio.

Respondeo inprimis, disparitatem jam supra allatam esse, quia apparentia consequens judicium est longè majus pro illa parte, quàm pro opposita. Similiter ostensum est, difficultatem mutandi opiniones majorem esse ex hoc ipso capite, quàm in mutanda libera electione voluntatis.

Electio minus partis sæpè difficiliorem reddit electionem oppositi.

15. Respondeo secundò, voluntatem esse quidem liberam ad melius, postquam amavit minus bonum; ità tamen ut electio melioris hoc ipso evadat longè difficilior, quàm esset ab initio. Quàm rarum est, ut qui peccatis indulget ad meliora amanda revocetur, quamvis ipse ea fateatur esse meliora? quantâ gratiâ opus est, ut talis voluntas, etsi libera, ex fundo cordis verè mutetur? Quid mirum ergò, si intellectus opinionem conceptam difficulter mutet? Certè illa mutari non potest, nisi voluntatis imperantis affectus etiam mutetur. At talis voluntas difficilè mutatur, ut apparet in hæreticis, aliisque omnibus, qui suis opinionibus addicti sunt. Cæterùm si affectus voluntatis mutetur, & judicium comparativum de æqualitate aut minoritate motivorum impediatur, eadem mutatio conceditur in intellectu, quæ in voluntate conceditur, quia eadem mutatio per imperium voluntatis fieri potest in intellectu, quæ liberè exercetur in ipsa voluntate. Ergò rarissimè insistitur paritati.

Objectio 8.

16. Objicit octavò. Voluntas libera est, ut ex omnibus bonis visis amet & non amet quodcumque voluerit, excepto Deo viso. Ergò, si paritas voluntatis valeat, inferri debet, quod intellectus determinari possit à voluntate ad negandum assensum cuicumque veritati manifestatæ præter Deum clarè visum. At consequens est apertè falsum. Ergò voluntas est liberior, circa suos actus, quàm circa actus intellectûs. Ergò ineptè arguitur, unde plus potest, ad id in quo minùs potest; sicut si rex possit aliquid in suo regno, malè infertur, quod illud possit in regno non suo.

Solutio.

Multa sunt, ad quæ voluntas non est libera.

Respondeo, argumentum hoc tot errores continere, quot propositiones. Inprimis voluntas non est libera ad volendam & non volendam beatitudinem sub notione beatitudinis, ut S. Thomas expressè tradit in illo ipso articulo, quem Celladeus hic contra nos citavit. Id ipsum antea à Sancto Augustino traditum fuerat, & omnes in eo consentiunt. Ergò voluntas etiam extra casum Dei visi non semper est libera. Nec desunt alii casus innumeri, in quibus nulla est libertas. Quoties deest cognitio indifferens, quoties bonum aliquod repræsentatur ut purè bonum, nec ulla mali mixtio apparet, voluntas non est libera, sed rapitur ad consensum. Itaque voluntas est solùm libera in illis circumstantiis, in quibus non rapitur in consensum ab objecto proposito, aut ipsa non posuit affectum incompossibilem cum alio affectu, qui cæteroquin liber fuisset.

fuisset. In istis enim casibus voluntas non est libera. Non in primo, quia rapitur ab objecto. Non in secundo, quia in sensu composito cum amore Petri, non potest Petrum odisse ob dispositionem inconjungibilem cum odio Petri.

Intellectus determinari potest à voluntate, sicut voluntas à semetipsa.

17. Hinc non infertur, intellectum determinari posse ad non assentiendum ulli veritati, præterquam existentiæ Dei intuitivè visi. Immò quamvis antecedens esset verum, consequentia esset mala: quia sicut voluntas non habet imperium in seipsam, quando bonitas objecti illam rapit in amorem; ità non habet imperium in intellectum, quando veritas rapit illum in assensum. Accidentale autem est, quod veritas in pluribus casibus rapiat intellectum, quàm bonitas voluntatem. Itaque paritas in eo est, quod sicut voluntas suâ libertate se determinare potest ad quamvis partem quamdiu aut non rapitur à bonitate proposita, aut non habet affectum incompossibilem cum affectu alterius partis; ità pariter determinare potest intellectum, & alias potentias sibi subjectas, quamdiu non rapiuntur ab objecto proposito, aut non habent actum incompossibilem cum alio actu. Atque hinc est, quod voluntas determinare possit intellectum ad utramlibet partem contradictionis judicandam, quando utraque in actu primo est æquè probabilis, aut una probabilior aliâ, neque ponitur ullum judicium comparativum ex parte intellectûs incompossibile cum judicio approbante unam, & rejiciente alteram partem. Ratio est, quia intellectus in hisce ità subditur voluntati, sicut reliquæ potentiæ eidem subduntur. Præterea si intellectus & aliæ potentiæ essent liberæ, sicut voluntas, in istis casibus possent se determinare, sicut voluntas nunc seipsam determinat. Ergò nunc determinari possunt per voluntatem in istis casibus, quia libertas voluntatis de facto servit ad determinandas alias potentias pro iis circumstantiis, pro quibus illæ seipsas determinare possent, si essent liberæ sicut voluntas. Porrò ad hoc impertinens est, quòd voluntas sit, aut non sit liberior circa suos actus, quàm circa actus aliarum potentiarum; quia tunc solùm determinatio habenda est per voluntatem, quando potentiæ nec ex se, nec ex objecto, nec aliunde terminantur ad unum. Aptissimè ergò arguitur à voluntate ad intellectum pro omni casu, quo neutra potentia à suo objecto determinatur, sed solùm ab illo allicitur, quamvis per accidens hoc sæpiùs contingat in voluntate, quàm intellectu.

Voluntas habet imperium in intellectum.

18. Cæterùm paritas illa regis imperantis in suo regno, ad eundem imperantem extra suum regnum, non est apta ad præsens intentum, quia supponit, voluntatem non magis habere dominium in alias potentias, quæ proinde ad illam pertinent, tamquam regno & imperio ejus subjectæ. Tota difficultas est, quæ & quanta sit ista subjectio? Nos respondemus, eam in omnibus esse similem & eandem, ut nempe sicut voluntas seipsam determinat, quando ab objecto non rapitur, sed cognoscit illud cognitione indifferenti &c. ità pariter determinare potest potentias subjectas, quando illæ ab objectis suis non determinantur, maximè si ab illis, ut fit in intellectu, notabiliter alliciantur. Ad hoc enim voluntati libertas collata est, ut in talibus suppleat vices objecti determinantis, idque tam pro se quàm pro aliis potentiis sibi subjectis. Nil contra hoc faciunt, quæ Celladeus contra argumentum à paritate hac desumptum attulit, sed omnia eandem paritatem confirmant. Unde Magister ille gravissimus gratias debet Celladeo, qui suis impugnationibus illustriorem reddit paritatem ac veritatem ab illo propositam.

Quantum sit hoc imperium?




QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA SECUNDA.

Vtrùm possimus solùm probabiliter opinari probabilia?

Celladeus alium singularem opinionem tenet.

1. ELECTARI videtur Celladeus, quando, datâ vel etiam quæsitâ opportunitate, singularem aliquam suam doctrinam, communi omnium opinioni repugnantem, exhibere potest. Sic præsentem quæstionem arripuit, ut contra communem Auctorum sensum probaret nullam de probabilibus probabilitatem dari posse. Hac in re postquam fassus est, Auctores quosdam certò probabilia à probabiliter probabilibus distinguere, tandem partem affirmantem, probabilia probabiliter cognosci posse, tribuit cuidam Dialogistæ, quem *superficialem* appellat, eò quòd multa statuat, sed sine probatione afferat. Huic ut manum porrigeret, expresse asserit, se aliquot argumenta pro illa parte suppeditâsse. Et quidem nonnulla attulit in *Appendice quæst. 4. §. 1.* ubi quæstionem istam pertractat. Verùm argumentis illis à se allatis non satisfacit, ut in progressu apparebit. Quis ille Dialogista sit, ignoro; sed cum eandem ego opinionem *in tract. de Consc. prob.* tradiderim, illamque existimem esse certissimam, justum putavi rem hanc iterum hic, sed breviter & efficaciter probare, ac deinde Celladei argumenta ad examen vocare, eorumque nullitatem ostendere. Sit ergò.

ASSERTIO PRIMA.

Objectum scibile ab aliquibus cognosci potest tantùm opinativè.

2. PROBATUR. Omne objectum tot viis potest cognosci, quot viis proponi potest. At objectum idem, quod uni clarè & evidenter proponitur, alteri proponi potest obscurè & inevidenter. Ergò objectum, quod clarè & evidenter scitur ab uno, ab altero cognosci potest obscurè & solùm probabiliter.

Scibile probabiliter cognosci potest.

Idipsum exemplis evidentissimis comprobatur. Astronomi certò & scientificè sciunt Ecliptim tali die ac horâ futuram. Eandem autem Eclipsim non certò & scientificè, sed solùm probabiliter affirmat ille, qui solùm Astronomi asserentis auctoritati fisus, credit illam tali die futuram. Idem valet de aptitudine instrumentorum, quibus Mathematici & camporum & temporum spatia metiuntur. Hanc Mathematici certò & scientificè nôrunt, alii verò solùm probabiliter ex auctoritate fallibili eandem affirmant. Demùm nos aliqua solùm probabiliter novimus. At Deus & Angeli eadem certò & scientificè norûnt. Ergò quod Angelo est scitum, nobis est probabile, Ergò fieri etiam potest, ut quod ab uno homine scitum est, alteri non scientificè, sed solùm probabiliter innotescat.

ASSERTIO II.

Idem objectum, quod ab uno evidenter cognoscitur esse probabile, ab alio solùm probabiliter cognosci potest esse probabile.

3. PROBATUR eisdem argumentis, quibus prior assertio. Inprimis probabilitas opinionis est objectum indifferens, ut sciatur, vel ignoretur, ut patet. Ergò hoc objectum proponi potest per media diversa, nempe per auctoritatem fallibilem. Si primo modo, probabiliter & fallibiliter cognoscetur; certò & infallibiliter si secundo. Similiter eadem proponi potest per rationem evidentem; & illi, quibus sic proponitur, eam certò sciunt. At aliis proponi potest solùm per conjecturas & rationes probabiles ac fallibiles; qui proinde eam solùm probabiliter affirmant.

Probabilitas, quæ ab uno scitur, cognosci potest ab alio solùm probabiliter.

4. Probatur secundò exemplis. Ponamus constare nobis, quod omnes opiniones tali libro contentæ sint probabiles, eò quòd Ecclesia illud declaraverit, aut ex communi omnium sensu id ipsum constet. In hoc casu, qui librum illum legit, certò novit tales propositiones esse probabiles. At qui librum nunquam legit, nec novit quænam propositiones contineantur in illo, hic si à viro fide digno audiat, talem propositionem in illo libro contineri, probabiliter illi tantùm credit, & consequenter solùm probabiliter novit, illam propositionem esse probabilem; quia probabilitas talis propositionis per hoc solùm illi innotescit, quòd in illo libro contineatur; hoc autem illi certum non est, sed solùm probabile. Secundò, sæpè homines errant affirmando ea esse probabilia, quæ non sunt; & negando ea esse probabilia, quæ sunt; ut patet in hæreticis dicentibus, sua quidem esse, Catholica autem dogmata non esse probabilia. Ergò probabilitas opinionis potest erroneè & inevidenter cognosci. Ergò etiam inevidenter & verè; & consequenter probabiliter. At alii, aut etiam idem homo diverso tempore, eandem evidenter cognoscere possunt. Demùm paritas à scibili idipsum efficaciter confirmat.

Idem exemplis probatur.

5. His addi possunt alia non multùm dissimilia, ab ipso Celladeo contra se proposita. Inprimis Auctores disputant, an unus Auctor pius & doctus faciat opinionem probabilem. Quidam affirmant, alii negant. Neutri partis assertæ evidentiam habent. Ergò objectum illud proponitur, solùm ut probabiliter probabile. Et sanè multæ

Alia argumenta Celladei id ipsum probantia.

multæ hujusmodi quæstiones de ipsa probabilitate procedunt. Ergò probabilitas sæpè non certò constat. Ergò ut summum probabiliter, aut probabiliùs. Secundò, sæpè probabilitas latet sicut veritas, & ideo investigatur, sicut veritas. Ergò sicut assentimur vero, probabiliter & non evidenter invento, sic assentiri possumus probabilitati, probabiliter & nondum evidenter inventæ. Demùm in multis impossibile nobis est veritatem ipsam certò assequi, & cogimur in opinione sistere; sunt autem opiniones contrariæ, de quibus difficilè dictu est, quænam sit probabilior, ac proinde de talibus utiliter opinari possumus, quænam ex opinionibus contrariis sit probabilis, aut probabilior oppositâ. Nec mirum, quia probabilitas aut probabilioritas sæpè non est magis per se nota, aut magis demonstrabilis, quàm ipsa rei veritas. Ergò sicut veritas rei latêre potest indemonstrata, sic & probabilitas aut probabilioritas. Ergò tunc ritè opinamur circa probabilia aut probabiliora. Hæc Celladeus, quibus non aliter respondet, quàm remittendo se ad rationes, quibus conatus est probare oppositum. Harum rationum nullitas ubi apparuerit, apparebit etiam eum argumentis allatis non satisfecisse.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio I.

6. OBJICIT primò. Omnis propositio opinabilis vel est propositio immediata, seu per se nota; vel est mediata, & ex aliis deducenda. Si primum, est evidenter probabilis, quia est principium opinandi mediatè. Ergò sicut principium demonstrandi est propositio seipsâ immediatè evidens, ita propositio probabilis immediata est manifestè & evidenter opinabilis, ac probabilis. Si secundum, ritè deducitur ex opinabilibus immediatis. Ergò est evidenter probabilis & opinabilis. Ita Celladeus in *Appendice quæst. 4. §. 2.*

Solutio.

Respondeo inprimis, argumenta à nobis allata procedere de propositione probabili mediata. Quare dato, non concesso, quod dicitur de propositione probabili immediata, atque de legitima illatione probabilis mediatæ, dico, nostram assertionem ex hac argumentatione stabiliri non impugnari, quia ex illa solùm sequitur, objectum consequentis illati esse evidenter probabile. Verùm, objectum illatum non est veritas propositionis propositæ, sed ejusdem probabilitas, quæ quærebatur, & de qua dubitabatur. Ergò solùm infertur, quod detur probabilitas propositionis propositæ. Verùm hoc non infertur evidenter, sed solùm probabiliter & formidolosè, quia præmissæ supponuntur esse probabiles, quæ proinde non magis certificant de consequente, quàm de seipsis. Ergò probabilitas, illata ex vi propositionis immediatæ & evidenter probabilis, non affirmatur certò & evidenter, sed solùm formidolosè & probabiliter, ut apparet in casu propositionis contentæ in libro, de quo constat, omnes propositiones in eo contentas esse probabiles; nam si non aliter mihi innotescat talis propositionis probabilitas, quàm quia est in tali libro, & non aliter scio quod sit in illo libro, nisi quia vir fide dignus hoc dixit: tunc utique non firmiùs dico propositionem esse probabilem, quàm credo virum illum esse veracem. Hoc autem solùm credo probabiliter. Ergò probabilitatem propositionis illius solùm probabiliter credo, quamvis credam illam dependenter à propositione evidenter probabili. At postea certificari possum, quod propositio illa contineatur in illo libro, & consequenter certò scire, quod illa propositio sit probabilis.

Objectio confirmat nostram assertionem.

7. Æquivocatio Celladei in eo vertitur, quòd evidentiam probabilitatis præmissarum confundat cum evidentia probabilitatis, non conclusionis formalis ritè deductæ (hæc enim solet esse evidens) sed objectivæ, quæ solùm potest esse probabilis ex vi præmissarum probabilium, ut ex logica notum est. Distinguat hæc, & nullitatem argumenti videbit.

Æquivocatio Celladei.

8. Deinde respondeo, omnem propositionem esse immediatam, cujus termini ex sola eorum penetratione inter se connexi videntur. Aliquando connexio est tam perspicua, ut intellectus rapiatur in assensum. Tales sunt omnes propositiones ex seipsis evidentes. At quando hæc evidentia deest, magna prorsus est diversitas inter reliquas propositiones immediatas, nam aliquæ sunt fide dignissimæ, & omni prorsus exceptione majores; & tales, si reflexè inspiciantur, evidenter apparent esse probabiles, & non aliter sunt signatè in mente, quàm sint in seipsis exercitè. Aliæ sunt quidem dignæ fide, quia si proponantur homini nullum præjudicium habenti, nec indebitè propenso, aut inclinato ad illam partem, manifestè merentur fidem; at intellectui aliter disposito non ita apparent. Hujusmodi propositiones immediatæ, si reflexè considerentur, non statim producunt evidentiam suæ probabilitatis, sed uni videntur, alteri non videntur probabiles, huic magis, illi minùs probabiles apparent, juxta dispositionem uniuscujusque. Aliæ non sunt fide dignæ, illis tamen ob imprudentiam homines sæpè assensum præbent, quia ob affectum indebitum apparentia veritatis augetur, & ex imperio voluntatis intellectus præcipitatur ad illis assentiendum. Ex his constat, non omnem propositionem obscuram immediatam esse probabilem. Similiter constat non omnem propositionem immediatam statim evidenter prodere suam probabilitatem; unde fieri potest, ut conclusio legitimè inferatur ex propositione verè probabili, absque eo quòd nobis certò constet, conclusionem, aut etiam ipsam præmissam esse verè probabilem. Nec valet paritas à principio evidenti, quia omne principium evidens, tantæ claritatis est, ut seipsum suamque qualitatem vel primo aspectu evidenter ostendat rapiatque intellectum ad assensum. Quòd si aliquod principium evidens tale non esset, sed ob affectum indebitum posset non clarè manifestare seipsum, de illo idem dicendum esset, quod dicitur de propositione obscura immediata. At propositio immediata obscura plura complectitur membra, quorum aliqua non ità manifestant suam qualitatem, quin ob diversam dispositionem eorum, quibus proponuntur, diversæ efficacitatis appareant. Itaque loquendo de ipsis principiis probabilibus, non omnia semper sunt evidenter probabilia quoad nos, quamvis quoad se verè sint probabilia.

Non omnis propositio obscura & immediata est evidenter probabilis.

9. Præterea dantur illationes quædam solùm probabiles, quales sunt illæ, quæ fiunt à paritate rationis, aut ex inductione quadam imperfecta, non habente certam & infallibilem connexionem cum re illata: constat enim nos sæpe ex ejusmodi causis consequens inferre, cùm tamen ex tali modo arguendi nil certò & evidenter inferri possit. Itaque ex præmissis probabilibus, aut etiam evidentibus, sequi potest conclusio probabilis, ita ut ipsa illatio sit solùm probabilis, & probabiliter connectatur cum consequente, cùm stante veritate antecedentis possit esse falsa. Itaque in tali casu illatum esse poterit solùm probabiliter probabile.

Dantur illationes solùm probabiles.

Si

Si enim ipsa probabilitas inferatur, utique erit solùm probabiliter talis, cùm tantùm probabiliter inferatur.

Vis formæ syllogisticæ imperfectè cognosci potest. 10. Neque obstat, formam syllogisticam in scibilibus & opinabilibus esse prorsus eandem, & eâdem necessitate ac evidentiâ concludere. Hoc enim ita admittitur in modis & figuris perfectis syllogismorum, quæ tam demonstrationibus, quàm opinionibus formandis sunt communes, ut negetur in modis inferendi imperfectis, qui demonstrationibus formandis nequeunt deservire. Porrò, quamvis defectibiles isti, & imperfecti discurrendi modi examinari possint per bonos syllogismos, ex illis tamen nil amplius concludi potest, quàm quod illatio per modos imperfectos facta sit probabilis & de plerumque, non necessaria & evidens, ac de semper.

Rursus rationi dissonum non est, quod optimæ syllogismorum formæ tam imperfectæ ab aliquo hebete percipiantur, ut illi non appareant habere necessariam & infallibilem, sed solùm probabilem & formidolosè credibilem vim inferendi. Hoc colligitur ex imperfectione & diversitate ingeniorum, ratione cujus quod uni est clarum, alteri manet obscurum, & quod unus perfectè, alter minùs perfectè cognoscit. Ergò licèt unus videat necessariam connexionem, alter minùs videre poterit, & solùm discernere, quod contingenter & in plerisque inferat. Hoc si Celladeus considerâsset, non tam fidenter dixisset, nullas esse syllogismorum formas in se certas ac infallibiles, quæ ita imperfectè cognosci possint, ut sic intelligenti sint solùm probabiles.

Objectio 2. 11. Objicit secundò. Probabilitas probabilitatis ita probari debet, ut tandem sistamus in aliquo principio primo, ultra quod non progredimur in nostro discursu. Hoc principium debet esse evidenter probabile. Ergò intellectus nunquam opinatur probabilia probabiliter, quia intellectus incipere debet à per se notis, & ab illis progredi ad per se non nota. At in probabiliter probabilibus non invenitur primus assensus, immediatè & evidenter probabilis, alioquin tota series conclusionum esset evidenter probabilis. Non ergò datur assensus opinativus probabiliter probabilium. Ita Celladeus §. 3.

Solutio. Respondeo inprimis, transeat antecedens, sed consequentia negatur, quia incipiendo à per se probabiliter notis, ex illis evidenter quidem inferimus consequens quoad vim illationis, sed illi non fortiùs assentimur, quàm præmissis. At illis solùm probabiliter assentimur. Ergò solùm probabiliter assentimur consequenti. At consequens est probabilitas propositionis quæsitæ, ut videre est in exemplo allato. Ergò probabiliter opinari possumus probabilitatem alicujus propositionis, quando probabilitas illa latebat, & per media probabilia investigatur. Et quidem assignari potest primus, aut certè proximus assensus probabilis, in quo fundamur; nempe quod verum dicat, qui dicit talem propositionem contineri in illo libro. Hoc non est evidenter verum, sed ad summum evidenter probabile, ut patet. Ex hoc autem totum intentum directè infertur, ut constat ex argumentis pro assertione allatis.

Alia responsio. 12. Deinde respondeo, principium, in quo fundamur, esse posse solùm probabiliter probabile, eò quòd reflectentes supra illud, nesciamus an certò pertingat ad gradum requisitum pro vera probabilitate. Rursus fieri poterit, ut ipsa illatio sit solùm probabilis. Ergò consequens, id est probabilitas quæsita, solùm probabiliter innotescit.

13 Objicit tertiò Probabiliter scibilia non sunt scibilia; modus enim ille *probabiliter* addictus scibili, destruit scibile, quia non est simpliciter scibile, sed solùm secundùm quid, & simpliciter opinabile, quod per scientiam sciri non potest, sed ad summum opinativè credi. Ergò probabiliter probabilia non sunt probabilia, nec per opinionem haberi possunt, sed ad summum remanent dubia, quia modus ille, additus probabili, tollit simpliciter probabile, & facit illud probabile secundùm quid, simpliciter autem dubitabile. Objectio 3

Respondeo, ex dictis constare, antecedens esse falsum; unde negatur consequentia. Æquivocatio in hoc latet, quòd probabiliter scibile demonstrari ac sciri nequeat per illud medium, per quod solùm probabiliter innotescit. At non repugnat illud idem ab alio, aut postea ab eodem sciri per aliud medium, ut evidens est in exemplo ecclipsis futuræ superiùs allato. Jam quoad hoc, eodem modo se habet probabiliter probabile; illud enim non potest demonstrari probabile per illud medium, per quod solùm probabiliter creditur esse probabile, sed per aliud potest. Nec tamen probabilitas illata manet dubia, sed est manifestè opinata, & illata ex motivo probabili legitimè, vel certè probabiliter illam inferente.

14. Objicit quartò. Qui probabiliter opinaretur probabilia, deberet sic explicare suam opinionem: *mihi videtur hoc mihi videri*. Immò deberet sine fine dicere, *mihi videtur mihi videri, mihi videri &c.* Ratio est, quia non potest simpliciter dicere, *hoc mihi videtur*, quia hoc dici nequit, nisi de probabili manifesto, cùm sit propria enunciatio talium. Ergò debet restingere orationem, & dicere: *mihi videtur hoc mihi videri*. Sed ipsa probabilitas probabilitatis non proponitur ut certa, sed ut probabiliter probabilis. Ergò aliud videri addendum est, & sic in infinitum. Hæc autem absurda sunt & ridicula. Ergò non contingit talia opinari. Objectio 4.

Respondeo, taliter opinantem sic proferre suam opinionem; *probabilitas hujus propositionis mihi videtur dari in rerum natura*: in qua locutione probabilitas, quæ affirmatur dari, est purum objectum intellectûs, non actus existens in mente: è contra, illud *mihi videtur* significat actum probabilem in mente existentem, per quem probabilitas illa objectiva mihi innotescit. Ecce hic sistimus in terminis claris, & scimus quid singuli significent, absque ulla confusione aut repetitione ejusdem. Falsum proinde est, quod taliter opinans simpliciter dicere nequeat, *probabilitas objectiva hujus opinionis mihi videtur dari*, cùm probabilitas illa objectiva sit propriè probabilis, & mihi probabiliter innotescat per actus, si velis, certò & evidenter probabiles. Itaque transeat, quod vox *videtur* significet probabile manifestum, quia significat præmissas & illationem formalem, per quas objectum innotescit. Has autem admitto saltem sæpè esse evidenter probabiles. At terminus *hoc*, seu objectum, quod videtur, non debet esse evidenter probabile, quia est res, quæ ex vi præmissarum probabilium infertur, & non potest certiùs cognosci, quàm veritas præmissarum innotescit. Probabilitas probabilitatis explicatur sine processu in infinitum, aut circulo vitioso.

15 Quod si dicas, phrasim hanc, *hoc mihi videtur*, esse propriam rerum probabilium: respondeo, esto, sit proprium objecti per motivum probabile cogniti. Hoc certè in casu nostro reperitur, quia probabilitas opinionis talis directè affirmatur dari ob motivum probabile. Hinc constat, probabilitatem activam, seu probantem existen- Celladei error.

existentiam probabilitatis passivæ seu objecti propositi, esse posse evidentem. Unde sequitur, nullum dari processum vel umbram processûs in infinitum. Cæterùm evidenter falsum est illud, *hoc mihi videtur*, non posse dici nisi de probabili manifesto & certo, cùm omnes hæretici, omnesque temerè judicantes dicant, *hoc mihi videtur*, neque tamen illud cadit supra probabile certum & evidens, cùm illorum asserta sint prorsus improbabilia.

Objectio 5. 16. Objicit quintò. Qui dicit *probabiliter probabile*, vel nugatur idem bis repetendo, vel certè nil omninò dicit, sicut qui diceret, *demonstrativè demonstratum*. Ratio est, quia si terminus *probabiliter*, qui à probabili dicitur, retineat suam significationem, nil significat, cùm ab alio non derivetur quàm à probabili. Ergò implicat probabiliter probabile. Ita Celladeus.


Qui dicit probabiliter probabile non dicit idem bis.

Respondeo, per tales locutiones idem bis non repeti: *Probabile* significat objectum cognitum, & *Probabiliter* significat modum, seu actum, quo cognoscitur. Porrò quia hæc duo sunt evidenter diversa in probabilitate directa propositionis, quando illa latet, & per alias cognitiones investigatur, ideo adverbium *Probabiliter* congruè adjicitur adjectivo *Probabili*: quia adjectivum significat rem cognitam; adverbium, verò indicat modum, quo cognoscitur, & à quo probabilitas, quæ est objectum quæstionis, denominatur probabilis. Quod si in aliis casibus adverbium non rectè adjiciatur nomini, à quo derivatur, id est, quia modus significatus per adverbium non differt à re per nomen significatâ. Sic juxta communem loquendi modum incongruè dicitur aliquid *demonstrativè demonstratum*, quia terminus *demonstratum* significat cognitum *demonstrativè*, *seu per demonstrationem*, ideoque per tales voces idem repetitur. Cæterùm si quis non solùm directè demonstraret aliquid, sed postea ex regulis logicæ reflexè ostenderet, se veram ac legitimam demonstrationem attulisse, de tali homine dicere possemus, quod demonstrativè demonstrasset talem rem, seu quod idem est, talem rem fuisse demonstrativè demonstratam; quia in tali casu adverbium longè aliud significaret, quàm nomen repræsentat; demonstratio enim directa esset objectum discursus reflexi, ideoque intenderemus dicere, objectum illud, seu actus, ex quibus directa demonstratio constabat, reflexè consideratos in ratione objecti, esse conformes regulis Logicæ, ac proinde constituere veram ac legitimam demonstrationem. Ergò non implicat probabiliter probabile; sed ex adverso certum est, quod detur objectum solùm probabiliter probabile quoad nos.

ASSERTIO III.

Celladeus in hac sua doctrina apertè contradicit iis, quæ maximè ex professo tradit de essentia veræ probabilitatis, quæq; examinanda erunt infra quæst. 37.

17. PROBATUR. Celladeus agens de probabilitate vera & secundùm esse, seu de probabili, quod vocat positivum, expressè tradit, nil falsum esse probabile, quia omnia falsa sunt mera sophismata. Secundò, consequenter ad hoc docet, veram probabilitatem non minùs latêre, quàm ipsam veritatem. Ex his autem evidenter sequitur, veram probabilitatem in principiis ipsius non posse nobis aliter innotescere, quàm probabiliter, quia si evidenter innotesceret, etiam veritas rei esset evidens, & consequenter nullus probabilitati locus superesset. Ergò evidenter sibi contradicit, quia hîc ex professo contendit, nullam probabilitatem posse probabiliter cognosci; cùm alibi doceat, etiam quàm maximè ex professo, nullam probabilitatem aliter innotescere posse, quàm ipsa veritas innotescat. At veritas in probabilibus non certò, sed solùm probabiliter innotescit. Ergò & probabilitas. Ergò Celladeus non incidenter, sed in materiis ex professo tractatis apertè sibi contradicit. Hæc sunt incommoda, quæ illi facilè incurrunt, qui tritam viam deserentes, in pluribus per novas prorsus vias incedunt; priusquam enim periculum advertant, in plura præcipitia ruunt. Celladei error.



QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA-TERTIA.

Vtrùm & qualiter opinari sit nobis liberum?

1. DE hoc argumento latè egi *in tract. de Consc. prob. à quæstione 7. usq; ad undecimam.* Nec opus esset quidquam ibi dictis superaddere, nisi comitandus esset Celladeus, *qui quæst. 5. Appendicis* rem istam tractans, non parum discrepat ab eis, quæ loco citato tradidi. Verùm cùm plurimum à veritate aberret, quæ affert examinanda sunt, ut veritas, quantum fieri potest, clarè determinetur. Hoc ut fiat præmitti debent ea, in quibus convenimus; sic enim de statu controversiæ & principiis necessariis melius instructi, ad res, de quibus dissentimus, examinandas ac determinandas accedemus.

ASSERTIO PRIMA.

Quando opinamur, opinio est nobis libera quoad exercitium, seu libera libertate contradictionis.

Omnis opinio est libera libertate cōtradictionis, seu quoad exercitium.

2. IN hoc omnes conveniunt. Sanctus Thomas *22. quæst. 1. art. 4.* hæc habet. *Intellectus assentit alicui dupliciter. Uno modo quia ad hoc movetur ab objecto, quod vel est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principiis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam. Et siquidem hæc fit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem fit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.* Hic S. Thomæ discursus manifestam assertionis rationem continet, quæ in eo consistit, quod quando objectum ipsum non determinat ad assensum, intellectus aliter assentiri nequeat, quàm per liberam ac voluntariam inclinationem in unam partem magis, quàm in aliam. At in obscuris, & maximè in opinabilibus, intellectus non sufficienter determinatur ab objectis, cùm ex se in illis non quiescat, sed semper ulteriùs tendat, ut ad evidentiam pertingat, in qua tandem clarè quiescat. Ergò in obscuris intellectus nequit assensum præbere, nisi per liberam voluntatis inclinationem determinetur. De incertis autem & opinabilibus datur peculiaris ratio. Intellectus enim ex se aversatur errorem, ut proprium malum, & consequenter aversatur periculum errandi, tamquam periculum proprii mali; atque hac de causa objectum obscurè & multò magis formidolosè propositum non sufficienter determinat intellectum. Ergò intellectus in omnibus obscuris, & multò magis in omnibus opinabilibus aliter determinari non potest, quàm per liberam electionem voluntatis, vi cujus fit, ut magis declinet in unam partem, quàm in aliam, quia cùm ipse non sit liber in se, non est unde determinetur, quàm per liberam electionem voluntatis. At quando assentimus dependenter à libertate voluntatis, voluntas illa suspendi poterat; quâ suspensâ, etiam assensus fuisset impeditus. Ergò in ipso instanti, in quo opinamur, sumus liberi ad non opinandum, quia poteramus assensum suspendere & non assentire. Hoc autem est ipsum assensum esse liberum libertate contradictionis & quoad exercitium; quia est illum posse poni & non poni in hoc instante, in quo ponitur. Omitto alia argumenta, quia assertio ab omnibus habetur certa.

ASSERTIO II.

Omnes assensus obscuri sunt nobis, mediatè saltem, liberi libertate specificationis, & contrarietatis.

3. PROBATUR experientiâ manifestâ. Homines in rebus inevidentibus frequenter mutant sua judicia, immò & fidem ipsam. Hæc mutatio est libera, cùm ab ipsorum voluntate adæquatè dependeat; tam enim primum, quàm secundum judicium erat liberum, & poterat non poni. Ergò mediatè saltem & pro diversis temporibus sumus liberi ad assentiendum & dissentiendum rebus obscuris. Hoc autem est assensum, esse nobis mediatè saltem liberum libertate contrarietatis & quoad speciem. Ratio à priori est, quia etsi nunc habeamus valida argumenta pro una parte, liberi tamen sumus mentem avertere ab illis, & ad oppositas rationes considerandas mentem applicare, atque illis etiam affici, abstracto affectu ad priores &c. Hâc ratione quæ priùs videbantur verisimiliora, postea apparere possunt hîc & nunc minùs verisimilia, & minùs allicere ad assensum, quàm opposita. Ergò intellectus jam saltem flecti poterit in dissensum rei, quam antea assensu suo comprobaverat. Hactenus omnes consentiunt, illisque Celladeus subscribit.

In obscuris omnis assensus est mediatè liber libertate specificationis, & contrarietatis.

ASSERTIO III.

Opinari ac credere, saltem aliquando, est nobis immediatè liberum libertate specificationis seu contrarietatis

Opinio & fides, aliquando saltem, est immediatè libera libertate specificationis, seu contrarietatis.

PROBATUR Assertio contra Celladeum. Aliquando credimus, & opinamur, quando actu advertimus ad motiva utriusque partis; quo non obstante, unum alteri absoluto judicio præferimus, etiam dum illud cum opposito ejusque motivis comparamus. Hoc non videtur posse negari, quia si oculos ad opposita clauderemus, temerè & imprudenter judicaremus, quia nesciremus an expediret sic vel aliter judicare. Præterea ipsa actualis formido opinionis manifestè arguit, intellectum ad opposita argumenta reflectere, & ab illis cogi ad formidandum de veritate assensûs præstiti. Hoc posito sic. In hoc casu, pro priori ad omnem affectum ulli parti singulariter impensum, intellectus sæpè vehementer trahitur in utramque partem ob motiva valida hinc inde apparentia. Tunc autem voluntas est libera ut huic & illi parti afficiatur. Ergò libera est ut apparentia hujus partis augeatur vel minuatur, animumque magis vel minùs afficiat & trahat. Stante autem hoc affectu ad unam partem, simulque stante apparentiâ per illum affectum auctâ, & apparente ut nobis commodâ & congeneâ, voluntas flectere potest intellectum in assensum illius partis. At in actu primo voluntas erit libera, ut dicta progressio & incrementum apparentiæ cresceret pro parte opposita. Ergò in tali casu opinio & fides est libera libertate contrarietatis.

Ratio 2.

5. Probatur secundò, ex iis omnibus quæ *quæstione 30.* attulimus ad probandum, quod liberum nobis sit opinari æquè & minùs probabilia. Quia esse liberum ad opinandum æquè & minùs probabilia, idem prorsus est ac opinionem esse liberam libertate contrarietatis. Videri etiam possunt, quæ de hoc ipso argumento latè prosecutus sum *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.*

Ratio 3. ex S. Thoma.

6. Probatur tertiò, auctoritate S. Thomæ *22. quæst. 1. art. 4.* ad primam assertionem ponderatâ. Ibi enim expressè tribuit imperio & electioni voluntatis, quòd intellectus magis propendeat in unam, quàm in aliam partem. Ergò licèt ante omnem affectum uni potiùs quàm alteri parti impensum detur perfecta æqualitas motivorum, voluntas est libera ad imperandum assensum, & flectendum intellectum in unam partem magis quàm in aliam. Hoc autem est opinionem esse liberam libertate contrarietatis. Ergò Sanctus Thomas nobiscum sentit.

S. Pater Ignatius eâdem opinandi libertatem tradit.

7. S. Thomæ addo S. Patrem Ignatium, qui *in epistola de obedientia* tradit id ipsum, dicens, perfectum obedientem debere immolare Deo non solùm voluntatem ad faciendum, sed etiam intellectum ad credendum id, quod superior præcipit, esse bonum & conveniens. Hoc esse possibile ex eo probat, quòd *intellectus multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari.* Ecce S. Pater omnia tradit, quæ dicimus. Neque enim, ut vult Celladeus, solùm contendit, id fieri posse vi rationum, quas affert; quia sic non rectè confugisset ad subjectionem intellectûs respectu voluntatis, sed ad solam vim rationum prævalentium, quod est contra totum S. Patris intentum, qui vult illud sacrificium fieri per imperium voluntatis, suo pondere magis in unam partem inclinantis. Affert quidem rationes, suadentes rationabile esse, ut nobis diffidamus, & superioribus credamus; sed illæ afferuntur, ut per rationem suaviùs afficiamur, & quasi ex præoccupato rationis judicio inclinemur ad subjiciendum intellectum, non autem ad probandum, quod sine talibus motivis prævalentibus, per pium voluntatis affectum non possimus magis inclinare intellectum in unam partem. Itaque violenter, & contra S. Patris mentem locum hunc interpretatur Celladeus §. 4. quasi S. Ignatius aliud significare non voluerit, quàm quod voluntas tunc solùm possit flectere intellectum, quando ille antecedenter magis propendet in unam partem quàm in aliam.

Judicium temerarium est liberũ libertate cõtrarietatis, seu specificationis.

8. Probatur quartò. Objectum æquè aut minùs probabile pro priori ad omnem affectum, plus meretur, quàm apparentia similiter antecedens in judicio temerario. Hoc autem non obstante, accedente affectu & imperio voluntatis, possumus temerè judicare. Ergò multò magis opinari quodlibet ex oppositis probabilibus, cùm probabilia pro illo priori gravi ac magno nitantur fundamento, temeraria verò levi & exiguo. Præterea, qui temerè judicant, sæpè ita fixi sunt in suis judiciis, ut quamvis judicii temeritas sufficienter ipsis explicetur, illi tamen huic apparentiæ oculos claudant, cùm tamen haud dubiè apparentia temeritatem ostendens, longè major sit, quàm apparentia veri pro parte, quam tenet, si illa consideretur, prout antecedit pravum affectum. At pravus ille affectus suspendi ac mutari potest in hoc instanti, & consequenter fieri potuisset ex solo imperio voluntatis, ut, cæteris stantibus, quæ ab illo non dependent, major fuisset apparentia pro innocentia, quàm pro defectu proximi. Ergò in hoc instanti per affectum & liberum imperium voluntatis flecti potuisset intellectus in assensum contrarium illi, quem de facto elicuit. Et sanè durissimum est existimare, neminem temerè judicantem, etiam quando arguitur, & rationes contrariæ illi proponuntur, esse ità dispositum in illo instanti, maximè si præscindamus ab omni præsenti exercitio libertatis, ut non possit pro illo eodem instanti præsumere proximum esse innocentem. Et tamen adversarii debent id asserere. At hoc est absurdum, & consequenter non admittendum. Ergò libertas contrarietatis locum habet in opinabilibus.

Fides est libera libertate contrarietatis.

9. Probatur quintò. Hæc libertas satis clarè apparet in fide, quam nemo suscipit nisi volens. Hanc fidem plurimi tenent esse nobis immediatè liberam libertate contrarietatis, ut mox dicam uberiùs; & meritò quidem, quia multi obstinatè adhærent erroribus suis, etiam tunc quando argumenta fidei Catholicæ validè proponuntur. Incredibile autem videtur, quod nemo unquam in illo instanti potuerit mysterio fidem dare, etsi ob pravum voluntatis affectum actu præferat errorem. Poterat enim non solùm suspendere judicium erroneum, sed etiam affectum indebitum removere & oppositum induere. Quo facto, incredibile prorsus est, quod non potuisset veritatem credere, rejecto errore. Et sanè, ablato illo affectu, & apparentiâ illum comitante & consequente, argumenta pro errore levia prorsus fuissent respectu eorum, quæ nunc illi proponuntur, pro fide. Ergò fides, saltem aliquando, est immediatè libera libertate contrarietatis & specificationis

cationis. Idem autem valet de opinione. Ergò tam credere quàm opinari, saltem aliquando, est nobis liberum libertate contrarietatis.

Omnes animæ potentiæ tam aliis potentiis quàm sibi-ipsis deserviunt.

10. Probatur sextò expressiùs ex doctrina Sancti Thomæ, quam *in tract. de Consc. prob.* fusiùs proposui. Sic ergò arguebam. Sicut intellectus non solùm sibi, sed etiam voluntati intelligit, sic etiam voluntas non solùm sibi, sed etiam intellectui vult. Universaliter enim ita constitutus est homo, ut quævis potentia æquè aliis ac sibi deserviat. Unde cùm sola voluntas sit libera, illius libertas non minùs deservit ad determinandas alias potentias, quando ab objectis non determinantur, quàm ad seipsam determinandam, quando non determinatur à proprio objecto. Hinc sic arguebam. Voluntas est libera quoad speciem actûs, seu est libera libertate contrarietatis, saltem quando objecta contraria ita ipsi proponuntur, ut bonitas apparens utriusque secundùm quid excedat bonitatē apparentem alterius. Quod verum est, sive bonitates illæ reipsâ sint æquales sive inæquales. Ergò quando duo objecta cōtradictoria simul proponuntur intellectui ut probabilia, poterit intellectus per imperium voluntatis flecti ad utrilibet pro arbitratu assentiendum, maximè si motiva illa sint dissimilia, & secundùm quid se invicem excedant. Ratio est clara, quia si intellectus ipse gauderet simili libertate circa suum objectum, sicut voluntas circa suum, posset credere alterutrum pro libitu. Ergò nunc potest flecti in assensum utriuslibet per imperium voluntatis, quia ità prorsus de præsenti subditur voluntatis imperio, sicut in eo casu in proprii consilii manu constitueretur; tota enim libertas voluntatis ideo deservit aliis potentiis, ut ita illis provideri possit per voluntatem, sicut illæ sibi providerent, si essent immediatè liberæ, sicut est voluntas.

S. Thomas tenet actus intellectûs sæpè esse liberos quoad specificationem actûs.

11. Hoc argumentum in ipsis rerum naturis fundatum est efficacissimum. Nunc autem dico, totam hanc doctrinam à S. Thoma satis expressè tradi. Inprimis ergò *quæst. 6. de malo art. 1. ad 10.* hæc habet. *De intellectu & voluntate quodammodò est simile, & quodammodò dissimile. Dissimile quidem quantum ad exercitium actûs, nam intellectus movetur à voluntate ad agendum. Voluntas autem non ab alia potentia, sed à seipsa. Sed ex parte objecti est utrobique similitudo: sicut enim voluntas movetur ex necessitate ab objecto, quod potest accipi secundùm aliquam rationem ut malum, ità etiam intellectus ex necessitate movetur à vero necessario, quod non potest accipi ut falsum, non autem à vero contingenti, quod potest accipi ut falsum.* Ecce objecta utriusque potentiæ, teste S. Thomâ, eodem prorsus modo se habent ad suas potentias. Quòd verò intellectus eodem modo determinari possit ad suum objectum per imperium voluntatis, sicut ipsa seipsum determinat circa suum objectum, probat S. Thomas *1. 2. quæst. 17. art. 6. corp.* ubi hæc habet. *Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ, & ideo propriè loquendo naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Ecce S. Thomas expressè ponit libertatem ad utrumque ex contradictoriis, aut ad alterutrum, prout scilicet motiva fuerint pro utraque parte, vel pro alterutra. Si solùm pro alterutra, actus erit liber quoad exercitium; si pro utraq; liber erit quoad specificationē.

Opinio S. Thomæ de libertate fidei.

12. Hæc his in locis in genere traduntur à S. Thoma, qui idipsum satis expressè tradit in particulari de actu fidei, quem *2. 2. quæst. 1. art. 4.* probat esse liberum, & *quæst. 2. art. 9.* probat esse meritorium. In priori loco expressè dicit, *Intellectum aliquando assentiri alicui, non quia sufficienter movetur à proprio objecto, sed per quandam electionem voluntariè declinatur in unam partem magis quàm in aliam.* Ecce tribuitur electioni voluntatis, non tantùm quòd declinet vel non declinet intellectum ad assensum, sed etiam quòd illum declinet ad hoc potiùs, quàm ad oppositum. Rursus in secundo loco hæc habet *in corp. artic. Credere est actus intellectûs assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis.* Deinde in responsione *ad 2.* seipsum explicat his verbis. *In scientia duo considerari possunt, scilicet ipse assensus scientis ad rem scitam, & consideratio rei scitæ. Assensus scientiæ non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, & ideo assensus scientiæ non est meritorius, sed actualis consideratio rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare, & ideo consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis, id est ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, & ideo quoad utrumque actus fidei potest esse meritorius.* Ex his locutionibus, juncto communi S. Doctoris Interpretum consensu, qui fidentissimè hanc opinionem illi tribuunt, satis constat, S. Thomam tenere, fidem esse liberam quoad speciem, seu libertate contrarietatis. Idem communiter docetur à Theologis. Videatur Suarez *de Fide tract. 1. disp. 6. art. 6.* ubi expressè ponit nostram sententiam, eamque ex SS. Patribus, Conciliis, Sacrisque Litteris confirmat. Eadem est ratio de opinione, ut per se constat, & ex dictis S. Thomæ colligitur. Similia habes apud Valentium, Tannerum, & alios.

S. Thomas & Theologi intelligendi sunt de libertate immediata.

13. Nec dicas S. Thomam, aliosque intelligi debere de libertate tantùm mediata: nam contrà; quia nulli dubium est, quin detur ejusmodi libertas mediata, neque de hoc graves Theologi quæstionem instituunt. Ergò cùm quæstionem hanc proponant tanquam valdè gravem, asserantque dari talem libertatem, haud dubiè intelligendi sunt de libertate immediata, de qua sola potest esse difficultas. Rursus S. Thomas aliique majorem libertatem fidei & opinioni concedunt, quàm scientiæ. Sed concedunt scientiæ libertatem mediatam, etiam quoad speciem & contrarietatem actûs, quia certum est, quod multa scita, præsertim in moralibus, ita mediatè ignorari possint, ut oppositus error credatur. Ergò libertas, quam fidei & opinioni concedunt, est immediata. Tertiò demùm, si Auctores locuti fuissent solùm de libertate mediata, vel illud dixissent expressè, vel certè per argumenta suam mentem expressissent, ostendendo id fieri successivè ac mediatè, & non aliter. At nil ejusmodi aut ex verbis aut dictis apparet, sed ità arguunt, ac si de mediata hac libertate non cogitassent. Ergo certum videtur, quod de libertate immediata pro uno eodemque instanti intelligendi sint.

Argumentum ingeniosum Esparzæ.

14. Legi etiam potest Esparza in *Appendice ab art. 103.* fermè usque ad finem secundæ partis, ubi fusissimè hoc argumentum cum omnibus ad id pertinentibus pertractat. Omnia placent, sed aliqua ex illo annecto, quæ mihi in mentem non venerunt, quando materiam hanc tractavi *quæstione 8. & 9. de consc. prob.* Sic enim arguit *art. 117.* Quando adest motivum probabile pro utraque parte,

parte, assensus est tam liber quoad speciem, quàm est quoad exercitium, quando adest motivum tantùm probabile pro una parte, & nullum motivum pro parte opposita. Ideo enim in hoc secundo casu assensus est liber quoad exercitium, qui cùm spes veritatis appareat juncta formidini erroris, intellectus non determinatur ab objecto ad assensum; & quia non est liber ex se, non potest determinari nisi per imperium voluntatis. Porrò voluntas, utpote libera, potest illum determinare ad assensum, pro quo datur sufficiens motivum. Similiter potest illum non determinare ad assensum, suspendendo imperium; & hoc est assensum esse liberum quoad exercitium. Jam si accedat motivum positivè alliciens ad dissensum, eo ipso habetur eadem ratio libertatis ad assensum & dissensum & ad utriusque suspensionem, quæ antea erat ad assensum & non assensum, siquidem ex vi novi motivi tanta ad minimum apparet spes attingendi veritatem per dissensum, quantus antea apparebat timor falsitatis incurrendæ per assensum. Ergò si in priori casu suspensio assensûs, non obstante prævalenti motivo ad assentiendum, ratione dicti periculi subsit imperio voluntatis, à potiori in secundo casu duorum motivorum probabilium dissensus eidem subjacet. Ergò eadem ratio, quæ in casu unius tantùm motivi probabilis probat assensum esse liberum quoad exercitium, in concursu duorum motivorum dissimilium, quorum excessus non est certus & perspicuus, probat eundem esse liberum quoad speciem.

Libertas specificationis non est nisi duplex libertas exercitii.

15. Hinc ego sic arguo. Libertas quoad speciem, non est nisi duplex libertas quoad exercitium simul existens in eodem instanti. At quando adsunt duo motiva dissimilia, & in actu primo æqualia aut fermè æqualia, duplex libertas quoad exercitium coëxistit. Accessus enim secundi motivi non tollit primam libertatem exercitii, quia non tollit spem attingendi veritatem, nec aufert metum incurrendi errorem per assensum. Hæ autem sunt causæ fundantes talem libertatem. Demùm nulla est ratio, ob quam accessus posterioris motivi incerti impediat priorem libertatem actûs. Ergò illa manet. At sequens motivum æquo jure fundat libertatem dissensûs quoad exercitium. Ergò simul datur in voluntate libertas assensûs quoad exercitium, & libertas dissensûs quoad exercitium. Sed hoc est assensum & dissensum esse liberum quoad speciem. Ergò in casu assertionis semper datur ejusmodi libertas.

S. Augustinus favet libertati fidei quoad specificationem.

16. Et sanè restringendo quæstionem ad libertatem fidei, & erroris oppositi, libertas fidei quoad speciem optimè colligitur *ex Epist. 49. S. Aug. quæst. 2.* quem Esparza citat *art. 119.* Sic enim loquitur S. Doctor. *Multi in ejus* (Christi) *corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt; quales nunc etiam multos videmus, cùm tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humanâ astutiâ resistere, quàm tam claræ atque perspicuæ, tamque sublimi & sublimiter diffamatæ divinæ credere auctoritati.* Hic sermo est de iis, quibus fides sufficienter proposita fuit, ut crederent, si vellent. At loquitur de iis, qui erroribus suis insistendo fidei contradicunt. Hoc enim importat particula illa, *humanâ astutiâ resistere.* Ergò fides, & error fidei sufficienter propositæ contrarius, sunt liberi quoad speciem actûs.

Consuetudo & praxis hominum

17. Idem videre est in fide humana, ut benè observat Esparza: siquidem aliquando contingit, duos homines diversimodè affectos opposita prorsus judicare de eadem re, circa quam duos opposita referentes audiunt. Alter enim dicit, volo credere Petro, & puto id quod dicit esse verissimum; alter dicit, nolo credere Petro, sed Paulo, & puto dictum Petri esse falsissimum. Hoc tam frequens est in novorum narrationibus, quæ fiunt coram duobus, qui diversis partibus addicti sunt, ut vix quidquam frequentiùs observari possit. Jam quis non videt, totum hoc à varietate affectûs provenire? At affectus illi suspendi possunt, & mutari pro arbitrio hominum; eo autem mutato, etiam judicia mutarentur, quia rerum apparentiæ per tales affectiones plurimum immutantur. Rursus sæpè contingit, duos homines eidem narrare opposita; audiens autem uni præstat fidem, alterius auctoritate rejectâ. Inde fit, ut homo repulsus de injuria conqueratur & dicat; iste homo noluit mihi credere, etsi provectior sim, majorisque auctoritatis, sed alteri minoris fidei, aut certè in nullo supra me meriti excellentioris. O quantum potest affectus in ordine ad fidem impetrandam! hæc omnia convincunt, omnibus naturæ lumine persuasum esse, quod in familiaribus istis casibus assensus sit liber quoad speciem. Unde, qui post tot & tam efficacia argumenta hoc in dubium vocat, eam opinandi libertatem exercere convincitur, quam negat.

probat hanc libertatem in fide humana.

18. Demùm sic arguit Esparza. Hæc libertas probatur à libertate benè & malè judicandi de proximo. S. Aug. *lib. 2. de sermone Domini in monte,* ad illa verba. *Nolite judicare &c.* hæc habet. *Hoc loco nil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiunt, in meliorem partem interpretemur.* Ergò talis interpretatio est possibilis, quia quæ nobis præcipiuntur subsunt utique libertati nostræ. Ergò in tali casu liberum nobis est benè judicare de proximo. At in eodem casu liberum etiam est malè de illo judicare, quia nil est ex parte objecti unde potiùs possimus benè, quàm malè de illo judicare, quia supponitur res incerta. Ergò tota proxima utriusque judicii possibilitas sumitur à libero voluntatis imperio, quæ pro arbitratu flectere potest intellectum ad utrumlibet judicandum, quando adsunt rationes pro utraque parte.

Aliud argumentum ex Aug.

19. Huic doctrinæ pulcherrimè consonat Sanctus Thomas *2. 2. quæst. 60. art. 3.* *Qui contemnit,* inquit, *vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso &c. Secundus gradus est: cùm aliquis pro certò malitiam alterius æstimat ex levibus judiciis, & hoc, si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale.* Deinde *ad 2.* hæc habet. *Ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei.* Similia habet ibidem art. 4. *Ubi non apparent manifesta judicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Hujus asserti rationem dat *in resp. ad 1.* *Melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rariùs fallatur habens malam opinionem de aliquo bono homine, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* At certum est, quod possimus malè judicare de homine, quando desunt manifesta judicia dè ejus malitia. Tunc autem ex mente S. Thomæ, & ipsa veritate possumus, & tenemur dubium in meliorem partem interpretari, & hominem illum habere ut bonum. Hoc autem est, utrumque assensum esse liberum non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Rursus *ad 2.* hæc habet. *Ad hoc potiùs attendere debemus in tali judicio, quòd hominem judice-*

Aliud argumentum ex S. Thoma.

judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. Ergò possumus talem hominem judicare bonum, quando manifesta ratio non est pro malitia. Possumus autem absque dubio eum reputare malum, cùm potiora sint sæpè motiva pro malitia quàm pro bonitate. Imò hinc habemus ex S. Thoma, quod sola manifesta ratio ita ligat intellectum, ut voluntas non possit, nec debeat niti illum inflectere ad partem oppositam. Hinc, cùm omne judicium temerarium nitatur levibus judiciis, sequitur quod aut semper, aut sæpè formetur contra motivum, quod revera prævalet relatè ad intellectum. Ergò tota ratio flectendi intellectum ad assensum temerarium sumitur ab imperio & affectu voluntatis, qui si defuisset, & oppositus affectus, ac oppositum imperium affuisset, oppositum judicium formari potuisset. Ergo talia judicia temeraria sunt libera quoad specificationem. Ergò à fortiori tam fides quàm opinio ab eadem libertate procedunt. Hæc & hisce similia complura habes apud Esparzam loco citato.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. OBJICIT primò. Qui credit, non potest immediatè dissentire rebus propositis, si velit, alioquin ego nunc immediatè possem Calvinismo assentire, cùm interea illa secta mihi proponatur ut evidenter incredibilis, & ex mea & aliorum opinione evidenter falsa. Sequela autem est absurda. Ergò fides non est immediatè libera quoad speciem, seu contrarietatem actûs. Ita Celladeus §. 2. Qui mox adjungit, idem constare de opinione; dicit enim se supra probasse, quod non sit nobis liberum opinari circa æqualiter probabile.

Fides est simpliciter libera quoad speciem, sed non facta aliqua suppositione. Respondeo. Fides non est libera quoad speciem in sensu composito cum actuali judicio de evidentia incredibilitatis oppositi. Hoc multò magis valet, si adsit judicium, quo quis putat oppositum esse evidenter falsum. Similiter non est libera quoad speciem in sensu composito cum absoluta voluntate non credendi oppositum. Verùm hoc non quæritur, sed solùm an in sensu diviso talium dispositionum sit libera quoad speciem. Argumentum istud hoc non tangit. Nos autem probavimus, talem dispositionem aut abesse, aut posse abesse ab actu primo, vi cujus inducimur ad credendum & opinandum, nam ablato pio affectu voluntatis, à quo fides dependet, & inducto affectu pravo ad errores oppositos (quæ diversitas affectuum est immediatè libera, saltem aliquando) non hæc, sed alia rerum apparentia fuisset, potuissetque voluntas imperare assensum errori. Ergò fides est immediatè libera libertate contrarietatis, saltem aliquando.

Æquivocatio Celladei. 21. Itaque Celladeus eandem hîc æquivocationem passus est circa libertatem fidei, quâ antea deceptus negavit libertatem opinandi circa æquè probabilia; ex eo scilicet, quòd nec fides, nec opinio sit libera quoad speciem, stante judicio, quo reputamus utramque partem, omnibus inspectis, esse æquè probabilem, aut unam partem esse minùs fundatam oppositâ. Hoc non aliud probant, quæ attulit *quæst. 1. 2. & 3. Appendicis*, ut ostensum est. At hoc non obstat immediatæ libertati fidei & opinionis quoad speciem, ut patet.

22. Objicit secundò. S. Thomas *1. 2. quæst. 9. art. 1.* docet, intellectum & voluntatem mutuò comparari tamquam movens & mobile, sed quis idem respectu ejusdem non potest esse movens & mobile, respondet S. Thomas, intellectum esse movens secundùm unum, & non secundùm aliud, similiter & voluntatem. Unde infert, quod sint mutuò movens & mobile secundùm diversa, non secundùm idem. Hinc in responsione *ad 3.* concludit, voluntatem movere intellectum quoad exercitium, quia intelligimus, cogitamus, studemus, quando volumus. Ideo autem voluntas potest hâc ratione movere intellectum, quia verum, quod est perfectio intellectûs, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare, & sic voluntas movet intellectum ad quærendum verum, aut ad cogitandum de vero &c. hoc est, movet intellectum quoad exercitium. *Sed quantum*, inquit, *ad determinationem actûs, quæ est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem, quia ipsum bonum apprehenditur secundùm quandam rationem comprehensam sub universali ratione veri. Et sic patet, quod non sit idem movens & motum secundùm idem.* Ergò juxta S. Thomam voluntas movet intellectum quoad exercitium actûs, & intellectus movet voluntatem quantum ad determinationem, id est, quantum ad speciem actûs. Ergò intellectus non est immediatè mobilis, seu determinabilis à voluntate quoad speciem actûs. Ita Celladeus ibidem.

Respondeo, S. Thomam hoc loco aliud non docere, quàm intellectum aliquando movere, & non moveri à voluntate ad illud, per quod movebat voluntatem. Hoc autem S. Doctor per varias doctrinas egregiè deducit, quas omnes tandem in illud resolvit, *quod intellectus moveat voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum.* Porrò quia objectum debet præsentari voluntati, antequam voluntas ipsa moveatur, aut suâ motione moveat alias potentias; hinc est, quòd intellectus necessariò præcedat, & habeat aliquem actum per determinationem habitam ab objecto, à quo talis actus specificatur, & ideò intellectus quoad speciem talium actuum nullo modo dependet à voluntate, cùm species talis habeatur independenter ab omni motione voluntatis; quamvis postea per imperium voluntatis intellectus iterum exerceri possit in similibus actibus eliciendis. Et hoc est intellectum posse adhuc moveri quoad exercitium talium actuum per imperium voluntatis. Itaque S. Thomas aliam hoc loco non agnoscit determinationem intellectûs quoad speciem, quàm quæ fit per determinationem objecti independenter ab imperio voluntatis. Porrò cùm certum sit, intellectum sæpè sic determinari ab objecto, Sanctus Doctor ex eo clarè deducit, voluntatem & intellectum non esse mutuò moventes & motos secundùm idem, sed secundùm diversa. At certum est, intellectum nunquam determinari ab objecto obscurè proposito ad ullum assensum, sed solùm dependenter à voluntate. Ergò S. Thomas hoc loco non loquitur de ullo assensu obscuro, cùm omnis talis assensus ita dependeat à motione voluntatis, ut ab illa separari non possit. Et sanè postquam intellectus, à voluntate non motus, movit intellectum, repræsentando illi obscurè rationem veri apparentis pro utraque parte contradictionis, idque sub peculiari ratione boni, non est cur voluntas æquè non possit determinare intellectum tam ad speciem quàm ad exercitium talium actuum. Certè ex eo quòd voluntas sic determinaret intellectum, non sequeretur, quòd voluntas & intellectus simul essent moventes & moti secundùm idem; & tamen S. Thomas loco citato ad hoc absurdum vitandum induxit

Mens Sancti Thomæ declaratur.

distinctionem illam determinationis quoad speciem, & quoad exercitium. Certùm itaque videtur, S. Thomam hoc loco solùm sub universalissima notione quæsivisse, an fieri possit, ut intellectus & voluntas mutuò se moveant? Respondet, id absurdum non esse, quia necesse est intellectum, aliquando saltem, determinari ad speciem actûs ab ipso objecto, independenter à motione voluntatis; & sic intellectum, non motum à voluntate, movere voluntatem, quamvis postea voluntas possit iterum movere intellectum, ut in similibus actibus se exerceat, quod est intellectum moveri posse à voluntate ad exercitium actuum in eadem specie. At, quod S. Thomas hîc aut docuerit, aut innuerit, intellectum in nullo casu posse determinari à voluntate ad speciem assensûs, nec verum est, nec verisimile. Et sanè si hoc loco ità sensisset S. Thomas, cur postea in 2. 2. ubi expressè agit de determinatione intellectûs ad assensum fidei, & de ejusdem fidei merito ac libertate, cur, inquam, non promit doctrinam, quam Celladeus cogitat hîc latère, cùm nulla alia opportunior occasio esse potuisset ad rem illam declarandam? Scis cur? quia nullam talem doctrinam antea tradiderat. Et sanè mirandum est, quod relictis locis, in quibus S. Thomas expressè agit de dependentia opinionis & fidei à voluntatis imperio, Celladeus ad alium tractatum prorsus genericum confugiat, atque ex indefinita quadam locutione S. Doctoris, quæ manifestè verificatur independenter à quæstione præsenti, inferat doctrinam universalem, quam S. Doctor ne quidem insinuat. Et tamen aliud argumentum non affert Celladeus pro sua opinione, quàm quod continetur in prima objectione, quódque ex æquivocatione terminorum procedit, & hunc textum S. Thomæ, qui verè nil prorsus facit ad præsentem quæstionem: sed de mente S. Thomæ plus quàm satis constat ex dictis.

Celladeus incongruè procedit citando Sanctum Thomam.

23. Objicit tertiò. Argumentum desumptum à judiciis temerariis, quæ levi tantùm fundamento nituntur, nil probat, quia nunquam movemur ad talia judicia ob levia fundamenta, quorum levitas nobis sit nota, sed totum ad hoc reducitur, quòd fundamenta, revera levia, nostro vitio nobis videantur gravia, & sic tandem præcipitemur ad assensum; generaliter enim verum est, intellectum nullis motivis plus tribuere, quàm æstimat ea mereri. Porrò S. Thomas 2. 2. quæst. 60. affert triplicem causam, ob quam de aliis temerè judicemus. Prima est propria malitia; nam qui malus est, facilè arbitratur alios esse sibi similes, & eisdem affectibus indulgere. Secunda est, mala affectio erga alios, ob invidiam, iram, aut odium, *quia unusquisque*, inquit, *facilè credit, quod appetit*. Tertia est longa experientia, ob quam senes solent esse suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Ob has causas motiva, in seipsis levia, videntur gravia; & sic voluntas movet intellectû ad assensum ejus, quod videtur probabilius. Peccat tamen, quia debebat rem ulteriùs examinare, antequam judicaret, aut etiam suspendere judicium post examen, donec magis de veritate ipsa constaret per apparentiam independentem à prava dispositione propria. Ita Celladeus §. 3.

Causa temerè judicandi triplex.

24. Respondeo replicam hanc eâdem æquivocatione laborare, quâ priora argumenta; supponit enim, quod dicamus, judicantes temerè ob levia fundamenta, aut debere, aut posse simul existimare ea esse levia. Sed omnia alia dicimus, scilicet eos, quamvis in actu secundo exercitè saltem existiment argumenta pro parte affirmata esse longè potentiora, ita tamen esse dispositos in actu primo, ut possint habere validiorem apparentiam pro parte negata, & minùs validam pro parte jam affirmata. Hoc autem ex iis ipsis colligitur, quæ ex S. Thoma afferuntur ad suadendum contrarium; scilicet quòd vitio nostro fiat, ut malitia proximi verisimilior nobis appareat; si vitio illo careremus. At vitio illo carere possumus, quia possumus non invidere proximo, nec illum odisse. Certè ex tribus illis causis, prima ab initio vitæ in nemine locum habet, postea in multis deest; similiter & tertia sensibus tantummodo convenit, quæ ipsa, ut S. Thomas ibidem expressè ait, minuit rationem suspicationis, quia experientia proficit ad certitudinem, quæ est contra rationem suspicionis. Itaque sæpè sola secunda causa locum habet. At illa est nobis libera. Ergò potuit abfuisse in hoc instanti. At si illa, & omnia illam consequentia abfuissent, cæteris manentibus longè alia fuisset rerum apparentium facies; maximè si quis loco illius contrarium affectum voluntatis elicuisset, tunc enim facillimè contrarium judicâsset, quia ex mente Sancti Thomæ affuisset causa oppositi judicii, tum quia *quisque facilè credit, quod appetit*, tum quia apparentia malitiæ fuisset valdè exigua, utpote quæ secundùm se & ex parte actûs primi remoti est levis; & è contra apparentia innocentiæ fuisset valdè magna, cùm & in se sit gravis, & ob affectum contrarium plurimum aucta fuisset. Ergò replica hæc solùm servit ut vis argumenti fortiùs elucescat.

Æquivocatio Celladei.

Textus S. Thomæ probat contra Celladeum.

25. Dictum porrò illud Celladei, ***Intellectus nullis motivis plus tribuit quàm æstimat ea mereri***, verum est, si sermo sit de ipso actu judicii, quo in actu secundo illa approbat, quia actus secundus judicii est illa ipsa eorum æstimatio, & prælatio, saltem exercitè. Sed hoc nec facit ad rem, nec solvit argumentum. Non facit ad rem, quia loquimur de dispositione antecedente, & quærimus quid illi per liberum arbitrium superaddi possit. Non solvit argumentum, sed roborat, quia difficultas redit de ipsa æstimatione motivorum. Nam illa vel est, vel non est temeraria. Si non est, sumus extra quæstionem. Si est, ergò nititur levibus fundamentis. Nec iterum respondeas per aliam æstimationem, quia sic daretur processus in infinitum. Ergò sistendum est in ipso judicio actuali, quod præfert illa ut veriora & vera. Sed hoc judicium est liberum, & poterat abesse. Ergò in casu judicii temerarii non est necesse, quod detur ullus excessus motivorum pro malitia proximi antecedenter ad exercitium libertatis; sed oppositum evenit. Ergò totus ille excessus apparentiæ est liber. Ex quo iterum sequitur, intellectum immediatè determinari posse à voluntate ad speciem actûs, quod erat probandum.

Responsio Celladei nec est ad rem, nec solvit argumentum.

QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA. QUARTA.

Quid sit opinari? & quæ natura opinionis?

1. DE natura atque essentia opinionis egi *quæst. 2. de Consc. prob.* nec opus fuisset quidquam addere, nisi Celladeus in Appendice *quæstionibus 6. 7. & 8.* fusissimè de hac re tractâsset, atque sic occasionem rem hanc breviter retractandi dedisset. Duo autem potissimùm explicanda sunt. Primum, quid sit opinio: secundum, in quo consistat formido, quam omnes opinioni tribuunt. Multa quidem affert, & ingeniosè expendit Celladeus circa rem hanc, in qua tamen, utpote satis clara ac facili, tanto molimine opus non erat, maximè cùm post omnia, quæ in tribus illis quæstionibus fusè congerit, ritè intellecta, non appareat, in quo à communi opinione dissentiat. Ego rem, quâ potero brevitate & claritate, expediam.

ASSERTIO PRIMA.

Opinio quid sit?

Opinio est judicium absolutum de re proposita, nixum motivo fallibili.

2. PROBATUR, & declaratur. Omne judicium, absolutè enuncians de veritate rei propositæ, est vel scientia, vel fides divina infallibilis, vel opinio, comprehendendo fidem humanam & fallibilem sub notione opinionis, seu judicii opinativi. In hoc omnes conveniunt. Sed judicium absolutè enuncians de veritate rei propositæ, motivo fallibili nixum, non est scientia, nec fides divina; quia utraque nititur motivo infallibili; illa evidenti, hæc certo sed obscurè proposito. Ergò omne tale judicium est opinio: ex opposito, nullum judicium nixum motivo infallibili est opinio, sed reducitur vel ad scientiam vel ad fidem. Ergò omne & solum judicium nixum motivo fallibili est opinio. Itaque opinio est assensus debilior, seu minùs fortis quàm scientia & fides, quia nititur motivo minùs valido, ut patet. Rursus ex omnibus judiciorum speciebus opinio est imperfectissima. Ratio est perspicua, quia omnia judicia possibilia reducuntur ad scientiam, fidem, vel opinionem. At judicia duobus prioribus classibus contenta sunt perfectiora opinione. Ergò opinio ex genere suo est omnium judiciorum absolutè enunciantium imperfectissima, & in hac ejus imperfectione consistit formido saltem radicalis deceptionis, quæ omni opinioni essentialis est. Nihilominus opinio præeminet dubitationi, & suspicioni; quia dubitatio nullam enunciationem continet, sed hæret inter utrumque; suspicio verò est imperfectus quidam modus tendendi in rem, de qua tamen non pronunciat absolutè *quod sit aut quod non sit.*

Opinio est omnium judiciorū imperfectissima.

3. Hæc explicatio, seu definitio opinionis est maximè propria, & omnium, quæ afferri possunt, optima; quia explicat differentiam essentialem illius per ipsam radicem, à qua speciem accipit, & à qua propria illius differentia derivatur. Ideò enim talis est, & tam imperfecta, atque radicaliter saltem formidolosa, quia nititur motivo fallibili. Quæ cùm adeò clara sint, atque perspicua, mirum est, Celladeum, istis omissis, per longas ambages, & obscuras ac intricatas vias, naturam opinionis explicare voluisse.

Definitio data est maximè essentialis opinioni.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

4. OBJICIT primò. Paralogizantes non sciunt, sed opinantur. Atqui paralogizantes feruntur in suam assertionem absque omni formidine, ac si esset demonstrata, eamque habent pro demonstrata. Ergò non nituntur motivo fallibili. Saltem motivum non illis apparet fallibile. Ergò non omnis opinio nititur motivo apparenter fallibili, cùm aliqua nitatur motivo apparenter infallibili. Objectio 1.

Respondeo inprimis, omnem opinionem niti motivo revera fallibili, quod absque dubio verum est in omni paralogismo; & hoc sufficit ad veritatem assertionis.

Paralogizantes nituntur motivo fallibili.

5. Respondeo secundò. Omnem opinionem ita niti motivo fallibili, ut ipsius fallibilitas aliquo modo, exercitè saltem, appareat & innotescat opinanti. Ratio est clara. Quia motivum in se obscurum & fallibile, non potest refundere claritatem & infallibilitatem in actum, quem fundat. Ergò actus ille intrinsecè & in sua essentia nec clarus est, nec modo infallibili tendit in suum objectum. Unde intellectus, illo actu informatus, non potest non exercitè percipere debilitatem & fallibilitatem apparentiæ, cui nititur. Hinc sequitur, hominem paralogizantem non esse directè certum de conclusione, quam demonstratam putat. Concedo tamen, quod reflexè feratur in illam tanquam in legitimam demonstrationem. Sed neque hæc cognitio reflexa est certa, cùm nitatur motivo non solùm fallibili, sed falso, quod obscurè, fallibiliter, & falsò proponit qualitatem motivi directi. Ergò non certificat, illud motivum esse infallibile, sed probabili ad summum enunciatione dicit, illud esse certum ac demonstrativum. Itaque quamvis homo errans reflexè asserat motivum directum esse infallibile, hoc tamen fallibiliter & obscurè enunciat. Ergò fieri nequit, quin motivum directum fallibile non solùm exercitè, sed etiam signatè illi appareat aliquo modo fallibile, quia per cognitionem reflexam solùm fallibiliter apparet infallibile.

Fallibilitas motivi exercitè apparet omni opinanti.

6. Fieri

Omnis opinio caret firmitate intellectuali. 6. Fieri quidem potest, ut per imperium voluntatis imperetur assensus valdè firmus, firmitate adhæsionis habitâ à voluntate contemnente quidquid est in oppositum; sed fieri nequit, ut intellectus tali objecto firmitèr & sine ulla formidine adhæreat firmitate intellectuali. Neque enim dispositio errantis aut paralogizantis æquare potest dispositionem intellectualem verè scientis, ut patet.

Objectio 2. 7. Objicit secundò. Motivum infallibile proponi potest fallibiliter. In hoc casu, assensus propter illud elicitus nec evidens est, nec certus, sed opinativus, & formidolosus. Ergò nec est scientia, nec fides divina. Ergò est opinio. Ergò non omnis opinio nititur motivo fallibili.

Motivum infallibile potest innotescere fallibiliter, quando innotescit mediatè. Respondeo, antecedens verum esse, quando motivum infallibile mediatè tantùm proponitur, & per aliud motivum innotescit. Verùm tunc assensus non respicit illud ut motivum propriè dictum, seu ut motivum suum formale, sed solùm illud aliud motivum, propter quod fallibiliter & formidolosè affirmamus dari motivum infallibile. At hoc motivum est fallibile. Ergò proprium motivum talis assensûs est fallibile, & consequenter ille assensus est opinativus. Sic si quis habens revelationem privatam alicujus rei, mihi diceret, talem rem esse à Deo revelatam, & ego illi crederem, atque ex fide illi data, inferrem rem illam esse veram, quia Deus illam revelavit; in hoc casu Dei revelatio non esset motivum credendi, sed res aliunde credita. Quamvis enim revelatio Dei respectu ultimæ illationis esset una ex præmissis, illa tamen non esset præmissa immediata, & habita per se, sed ex discursu cognita; & consequenter niteretur motivo fallibili, in quo solo proinde veritas ex illa illata fundaretur tamquam in motivo propriè dicto, de quo solo loquitur assertio.

Respondetur argumento admissa hypothesi, quam continet. 8. Quod si fieri possit, ut motivum, quod intellectui benè disposito ratione sui est evidens aut infallibile, alteri obtusiori intellectui immediatè innotesceret apparentiâ minùs perfectâ, tunc illa apparentia esset quidem infallibilis ex parte objecti, & quoad se; sed ex parte subjecti, seu quoad cognoscentem, vel quoad nos illa apparentia objectiva non esset infallibilis, quia proponeretur per apparentiam formalem imperfectam & motivo suo improportionalem. Ergò assensus tali motivo præstitus esset opinativus, quia niteretur motivo fallibili quoad nos, id est motivo non meliùs proposito, seu fortiùs allicienti, quàm appareat & alliciat motivum fallibile debitè propositum. Hoc autem sufficit ad intentum assertionis, si casus iste admittatur. Cæterùm vix videtur fieri posse, ut motivum infallibile, immediatè movens intellectum, possit inferre nisi actum certum, quia modus tendendi actûs proportionatur lumini, in quo immediatè fundatur. Ergò motivum infallibile immediatè movens intellectum necessariò infert assensum sibi proportionatum, nempe assensum ex modo tendendi certum & infallibilem. Quod si motivum illud fallibiliter appareat, id est, quia non immediatè ac ratione sui, sed solùm mediatè ac ratione alterius motivi fallibilis innotescit.

ASSERTIO II.

Omnis opinio de una parte contradictionis annexam habet formidinem, ne pars opposita sit vera. Propositum autem sit explicare, quid, & quotuplex sit formido opinionis.

9. OMNES in eo conveniunt, quòd opinio sit assensus formidolosus. Ratio est, quia motivum fallibile tribuere nequit actui, ad quem movet, evidentiam aut certitudinem intellectualem. Ergò fundat judicium carens certitudine intellectuali. Ergò intellectus vi talis judicii fertur quidem absolutè in objectum, sed absque certitudine, id est, absque firma adhæsione intellectuali circa veritatem illius. Sed ferri in objectum, & non ferri in illud per firmam adhæsionem, seu per certitudinem intellectualem, est ferri formidolosè in illud, seu cum aliqua, ut ita dicam, diffidentia intellectuali de veritate rei affirmatæ, ne fortè oppositum sit verum. Hæc diffidentia intellectualis est propria formido opinionis. Ergò omnis opinio est formidolosa. Omnis opinio est judicium formidolosum.

10. Itaque propria & essentialis formido opinionis aliud non est, quàm ipsa imbecillitas assensûs præstiti, derivata in actum ab imperfectione motivi, cui nititur. Sicut enim motivum evidens, ob suam perfectionem & claritatem, tribuit actui claram, evidentem, ac fidentissimam tendentiam in objectum, & sicut motivum certum & infallibile tribuit actui, quem fundat, fidentem, certam, & infallibilem tendentiam in suum objectum; sic motivum fallibile, cùm in se non habeat istas perfectiones, sed oppositas imperfectiones, necessariò easdem imperfectiones tribuit actui, quem causat. Motivum enim est potissimum, si non unicum, à quo actus tam intellectûs, quàm voluntatis speciem accipit. Actus enim in repræsentando æmulatur motivum suum. Ergò si motivum sit fallibile, & defectibile à vero, actus ab illo causatus fallibiliter, defectibiliter, & ut ita dicam intellectuali quâdam diffidentiâ tendit in verum, quod est actum esse formidolosum; sicut ex opposito, actum esse certum ac evidentem, seu minimè formidolosum, sed intellectualiter fidentem, est actum causari à motivis habentibus evidentiam vel infallibilitatem secum identificatam, ac ab illis proportionatam evidentiam vel infallibilitatem participare. Formido opinionis est actui essentialis.

11. Porrò formido opinionis est duplex. Alia est essentialis, alia accidentalis actui opinativo. Formido essentialis consistit in essentiali actûs opinativi limitatione, seu exclusione perfectionis, quæ inest actibus scientificis & certis. Perfectio autem judicii evidentis consistit in eo, quòd sit clara perfectio connexionis inter prædicatum & subjectum, per quam intellectus rapitur in assensum. Propria autem perfectio fidei consistit non in clara perceptione connexionis terminorum inter se, sed solùm in adhæsione intellectûs & voluntatis, quatenus illa contemnit omnia, quæ afferri possunt in contrarium, & quatenus dicit ordinem intrinsecum & essentialem ad evidentiam præviam de summa mysterii credibilitate, atque de obligatione firmissimè credendi propter testimonium Dei revelantis. Hæc adhæsio, dicens intrinsecè hunc respectum, est propria certitudo & firmitas fidei. Jam opinio nec oritur à clara perceptione objecti, nec respectum ullum dicit Formido opinionis alia essentialis alia accidentalis. Essentialis formido opinionis quid?

ad præviam evidentiam de summa rei credibilitate, aut ad obligationem ipsi firmissimè adhærendi, sed oritur à motivo inferioris ordinis; atque ideo prodit actus limitatus, qui necessariò & intrinsecè caret perfectione scientiæ & fidei. Hæc carentia dictarum perfectionum est propria & essentialis opinionis imperfectio, estque ipsa opinionis incertitudo, & ad ejus differentiam essentialem pertinet. Eadem autem est & vocatur formido radicalis, quam aliqui formidinem negativam, seu exclusivam certitudinis appellant.

Accidentalis seu formalis quæ?

12. Verùm, quia opinio non solùm elici potest, quando objectum non ità repræsentatur, sicut quando scimus aut credimus, sed etiam quando intellectus actu advertit ea adesse vel ex parte objecti, vel certè ex parte repræsentationum ipsum impellentium, quæ habentur in scientia & fide, ideò duplex est formido, prima radicalis, quam jam explicavimus; secunda formalis, quæ in ista advertentia consistit. Quod verum est, sive illa advertentia identificetur, sive non identificetur cum ipso actu opinativo. Si non identificetur cum actu, talis formido erit actui accidentalis; si verò identificetur cum actu, erit quidem formido illa dicto actui essentialis, cum quo realiter identificatur, sed pariter erit logicè accidentalis conceptui opinionis, quia talis differentia accidentaliter connectitur cum conceptu generico opinionis, sicut rationabilitas accidentaliter logicè superadditur animalitati. Et hæc est propria natura formidinis radicalis ac formalis, quam distinctionem omnes habent in ore, quamvis pauci exactè explicent, in quo utraque consistat.

Natura motivi fallibilis, ejusque influxus in assensum explicatur.

13. Confirmantur hæc, considerando naturam motivi fallibilis. Illud enim, cùm sit fallibile, non potest se manifestare, quin suam fallibilitatem simul manifestet; unde fit, ut licèt manifestet se esse, non tamen eâdem ratione manifestet verum esse, quod repræsentat. Evidenter enim manifestat se posse, sed non evidenter manifestat objectum à se repræsentatum esse verum, quia fieri potest, ut ipsum existat, quin existat res repræsentata. Exemplum sume à fide humana fallibili. Testimonium duorum vel trium est fide dignum. Hoc testimonium, quia est fallibile, quamvis evidenter manifestet se esse, atque etiam esse fide dignum, non tamen evidenter aut infallibiliter manifestat, rem ab illis dictam esse veram; cùm illa duo possint separari. Idem videre est extra casum auctoritatis. Credibile est matrem diligere filium suum. Jam id quod certò manifestat matrem, non infallibiliter manifestat amorem, quia mater & amor filii separari possunt, & hoc est motivum esse fallibile; quod quamvis & manifestet se esse, & aliud esse credibile, non tamen repræsentat manifestam connexionem necessariam inter rem immediatè notam, & aliam, quam proponit; quamvis enim homo certò cognoscat matrem, non inde certò colligit amorem; & ideò formidolosè affirmat, matres diligere filios. Unde omne motivum fallibile hoc habet, ut manifestet quidem aliquam terminorum connexionem, sed simul aut expressè & formaliter, aut exercitè & virtualiter dicat, rem ipsam, quantum est ex vi hujus motivi, non esse omninò certam, & ideò non mereri assensum firmissimum omnis formidinis exclusivum. Prima apparentia de terminorum connexione reddit rem opinabilem. Secunda de fallibilitate fundat formidinem aliquam, de qua opinio separari nequit.

14. Porrò formido omnis opinionis, tam immediatæ, quàm mediatæ, communiter ut dictum est, dividitur in radicalem, & formalem. Radicalis est, quæ cum actu identificatur, & consistit in propria ac essentiali illius imperfectione hactenus explicata. Formalis est actus, quo reflectentes supra qualitatem seu imperfectionem motivi, cui opinio nititur, dicimus nos non certificari per hanc apparentiam, quòd objectum sit, sicut apparet, ideoque intellectualiter vacillamus, & minùs fidentes sumus de veritate assensûs eliciti.

Formido actualis in quo consistat.

Formido actualis non rectè explicatur per actum ic ntem, objectum potest aliter se habere.

15. Quæ cùm ita sint, in eo displicet Celladeus, quòd formalem opinionis formidinem explicet per actum reflexum, quo judicamus, falsum sebesse posse opinioni, quam elicimus. Displicet, inquam, quia sæpè opinamur res necessarias, & elicimus opinionem, quâ expressè dicimus, eas non posse aliter se habere; hujusmodi autem opiniones non sunt minùs formidolosæ, quàm aliæ. Ergò sunt capaces formidinis actualis, seu formalis. At non possunt conjungi cum judicio dictante, objectum illud posse aliter se habere, quia hoc judicium prorsus contrariatur opinioni jam elicitæ. Ergò formido actualis talis opinionis non consistit in hoc judicio. Meliùs diceretur formido talis opinionis consistere in judicio dicente, objectum posse aliter se habere, non simpliciter sed quantum est ex vi hujus motivi; quia quamvis per opinionem formidolosam dicamus objectum necessario ità se habere, idque dicamus ex vi hujus motivi, nihilominùs, cùm motivum sit fallibile, agnoscimus illud ex vi sua esse fallibile, quamvis existimemus illud hìc & nunc non fallere, & propter materiam, cui applicatur, fallere non posse. Sed hoc accidentale est lumini moventi, ut patet.

16. Itaque formido formalis opinionis, universaliter loquendo, non consistit in judicio absolutè dicente, rem posse aliter se habere, sed ad summum, quod aliter se possit habere, ex vi hujus motivi. Cæterùm optimè explicatur in ordine ad imperfectum meritum motivi, seu in ordine ad modum adhærendi objecto per opinionem ex tali motivo elicitam. Sic enim nil nisi verum dicitur, & quod sub experientiam semper cadit, quoties reflexè & formaliter formidamus. Præterea per hoc ipsum clarè patet, quid sit formido reflexa & formalis, aliud enim non est, quàm reflexa cognitio de qualitate opinionis postpositæ, & explicata reflexio supra formidinem radicalem.

Actualis formido non rectè explicatur per actum dicentem, fortè ita est.

17. Cæterùm Celladeus benè refellit eos, qui formalem seu actualem opinionis formidinem crudè explicant per particulam illam *fortè ita est*: & sanè si loquamur de formidine radicali, illa incongruè explicatur per particulam *fortè*, alioquin idem esset dicere *mater amat filium*, ac *mater fortè amat filium*. At dicere, *mater fortè amat filium*, est idem ac dicere, *fortè amat*, *fortè non amat*, quia terminus *fortè* est comparativus ad oppositum ejus, cui applicatur. Ergò opinio æquè utrumque diceret, & consequenter neutrum diceret absolutè, quod est absurdum. Hæc vera videntur, si *fortè* sumatur in pressa sua significatione, quæ communiter loquendo dubitantis potiùs, quàm opinantis dispositionem exprimit. Idem dicendum de formidine actuali & reflexa, si terminus *fortè* in propria significatione accipiatur. Itaque hic terminus non est idoneus ad formidinem opinionis declarandam.

ASSER-

ASSERTIO III.

Propositum sit explicare, quid hâc de re Celladeus dixerit, ejúsque defectus & errores notare.

Qui scit, dicit rem esse; qui opinatur dicit, rē videri esse.

18. PRIMUM Celladei assertum habetur §. 4. & desumitur à S. Thoma *ad textum 153. secundi de anima*, ubi hæc habet. *Cùm aliquid intelligimus, asserimus sic esse: cùm autem opinamur, dicimus sic videri, vel apparere nobis.* Ex hoc Celladeus infert, per hoc opinionem differre à scientia & certa fide, quòd per scientiam & fidem indubitatè dicamus *res est*, vel *talis est*; per opinionem verò non dicimus, quod sit, aut quod talis sit, sed solùm pronunciamus, quid de illa nobis videatur. *Ratio*, inquit, *est, quia cùm opinemur per media, quæ possunt aliter se habere, hoc videntes non audemus absolutè dicere ita est, sed cum restrictione & limitatione dicimus; ita nobis videri. Idem proinde est opinando dicere rem esse, ac dicere, videri nobis rem esse.*

Videri dicitur dupliciter, exercitè & signatè.

19. Sed quia affirmatio illa, *hoc mihi videtur*, directè non cadit in rem, de qua opinamur, sed principaliter in nostram opinionem, seu visionem, ideò videtur, quod natura opinionis per hoc explicari non possit, quia de vestra opinione seu visione, non opinionem sed certissimam perceptionem habemus. Huic difficultati respondet, tam opinionem, quàm *videri*, in mente ipsa sumi dupliciter. Primò exercitè & in se, secundò signatè & reflexè. Quando reipsa opinamur, opinari, ac *videri* se habet exercitè; sed cùm reflectimus, utrumque se habet signatè, tamquam aliquid expressè cognitum. At in ore opinio solùm hoc secundo modo se habet: nam de rebus, de quibus opinamur, dicimus *ità nobis videri.* Sicenim, quando dicimus, *ego video*, voces signatè important ipsum videre, cùm tamen ipse visus non dicat se videre, sed videat, & è contrà lingua non videat, sed solùm dicat visionem, quæ ab oculo exercetur: sic pariter quando opinamur, non dicimus in mente *nobis videtur*, sed reipsa exercitè ità nobis videtur, sed lingua non opinatur, nec opinando dicit, sed solùm enunciat nos opinari, & *nobis videri.* Nec dubium, quin affirmationes circa res ipsas communiter explicentur per hos terminos, *mihi videtur.* Sic dicimus: mihi videtur, Petrum hoc morbo moriturum; quo significamus affirmationem de ipsa morte, non de perceptione talis affirmationis tanquam rei reflexè cognitæ. Tales porrò actus, qui explicantur per hos terminos, *mihi videtur*, sunt opinativi. Itaque cùm plus sit scire & certò credere quàm opinari, priores illos assensus majores & fortiores, utpote absolutam & indubitatam sententiam continentes, exprimimus per terminos definitivos: *ità est*, vel *non est.* At quia magis limitatè & restrictè affirmamus & negamus per opinionem, quàm per scientiam & fidem, ideò cùm opinamur, non absolutè dicimus *ita est*, sed restrictè loquimur, sicut restrictè intelligimus, & dicimus, *ità nobis videri*, aut *videri nobis rem esse.* Ita Celladeus, fermè de verbo ad verbum.

Videri sumptum exercitè significat opinionem.

Celladeus incongruè explicat naturam opinionis per rem ita videri.

20. Hæc explicatio, etsi vera, est prorsus inidonea ad naturam & essentiam opinionis explicandam, tum quia declaratur per verba æquivoca, tum vel maximè, quia nil de natura opinionis dicit, nisi quòd sit imperfectior scientiâ; sed unde derivetur hæc imperfectio, aut in quo illa consistat, nil penitus dicitur, nec ex tota explicatione aliud affertur quàm judicium, quo ex verbis & phrasi loquentis inferri possit, quòd homo opinetur, non credat, aut sciat. At pro hoc sciendo tanto molimine opus non erat. Cæterùm hæ reflexiones ideò contra Celladeum faciunt, quia prætendit essentiam ac naturam ipsam opinionis explicare, ad quod præstandum ipsa proprietatum omnium radix & origo exponi debuisset. Proinde reflexiones illæ ex S. Thoma nil faciunt, cùm S. Thomas ibi opinionem non definierit, sed more suo ingeniosè observârit diversitatem verborum, quibus utimur ad significandam scientiam & opinionem. Mirum autem est, quòd ipsâ rei essentiâ relictâ, ad hoc S. Thomæ dictum confugerit Celladeus, quasi per illud potissima opinionis prædicata explicarentur.

Formido opinionis quid sit juxta Celladeũ?

21. Secundum ejusdem assertum est circa formidinem opinionis, quam §. 6. sic explicat. In hoc differunt scire & opinari juxta Aristotelem *1. poster. tex. 44.* quòd scire sit de iis, quæ nec aliter se habere possunt in se, nec aliter se haberi posse scienti videntur. Opinari verò est de iis, quæ aliter se possunt habere in se, vel ita saltem opinanti videntur. Itaque opinanti duo videntur, unum est rem ita esse, alterum est, non repugnare contrarium. Porrò sicut in rebus ipsis non repugnat actus amandi, cum potentia non amandi; sic in intellectu non repugnat assensus de actu, cum assensu circa non repugnantiam ad oppositum in sensu composito omnium, quæ hic & nunc repræsentantur, quia sunt assensus de diversis. Itaque opinio, in quantum opinio, & in quantum differt à scientia, dicit istos duos assensus, ex quibus cum S. Thoma, & aliis Commentatoribus Aristotelis infert, eundem intellectum non posse simul habere opinionem & scientiam de eodem; quia repugnat eundem de eodem simul judicare, quòd possit aliter se habere, & quòd non possit aliter se habere. At hæc judicia requiruntur, ut scientia & opinio de eodem simul conjungantur. Hactenus Celladeus.

Celladeus errat in explicando doctrina Philosophi.

22. Rectè fecisset Celladeus, si hanc Philosophi doctrinam ad ipsam essentiam opinionis investigandam adhibuisset, sicut ad explicandam ejusdem formidinem illam adhibet; quia revera per eam ipsa opinionis essentia rectè explicatur, ut vidimus. Sed Celladeus in ea adhibenda & explicanda non semel erravit. Primò, falsum est, quod omnis opinans existimet, rem, quæ ipsi absolutè videtur vera, posse aliter se habere. Sæpè enim opinamur de rebus necessariis, quæ non possunt aliter se habere, ut evidens est in innumeris opinionibus de Trinitate, de Deo, ejusque attributis, atque universim patet ex tota Philosophia ac Theologia. Et de his quidem sicut opinamur ea esse, ità opinamur ea aliter esse non posse, quia idem est ea esse talia, ac necessariò & essentialiter esse talia. Ergò non possumus simul dicere, quod possint non esse talia. Ergò non omnis opinio, etiam quà opinio, dicit illa duo, nempe rem ita se habere, sed tamen non repugnare quod aliter se habeat.

Primus Celladei error.

23. Error in eo est, quòd illud transferatur ad objectum materiale, quod soli formali convenit. De formali objecto opinionis semper verum est, quod aliter se possit habere, cùm sit motivum fallibile, ideoque de illo etiam verum est, quod, etsi credatur verum, eâ apparentiâ nonobstante, appareat, aut apparere possit non repugnantia aliter se habendi. Aliter ergò de immediatæ,

diatæ, aliter de mediatæ opinionis formidine dicendum est. Illa semper consistit in expressionibus dictis. Hæc verò, universaliter loquendo, non dicit rem affirmatam posse absolutè se aliter habere in se, sed solùm posse se aliter habere in mente opinantis, quantùm est ex vi hujus motivi, quod cognoscitur esse fallibile.

24. Hinc sequitur primò, repugnantiam scientiæ & opinionis circa idem in eodem intellectu esse quidem perspicuam, si sermo sit de motivo fallibili, seu probabili, quod immediatè innotescit; eam verò non esse ità perspicuam, si sermo sit de objecto mediatè tantùm scito & opinabili; quia per opinionem solùm dicimus, tale objectum ità quidem se habere, sed posse aliter se habere in mente opinantis, quantum est ex vi hujus motivi. Hoc autem judicium ex hoc capite non repugnat cum judicio, quo ex alio motivo simpliciter dico, rem istam ità esse, & non posse aliter se habere. Sed an ex aliis rationibus repugnet talis conjunctio, disputent alii in suis locis, quia hoc ad præsens institutum non attinet. Solùm adverto, Celladeum non ità confidenter dicturum fuisse, scientiam & opinionem de eodem simul in eodem intellectu combinari non posse, si distinctionem formidinis opinionis mediatæ & immediatæ percepisset, quia ratio, quam affert, non semper habet locum in opinione mediata, sed solùm quando opinamur de rebus contingentibus, quæ nobis videntur posse aliter se habere.

Clarè repugnat scientiam conjungi cum opinione immediata, non tam clarè cum mediata.

25. Secundus error est, quòd dicat, duo *videri* opinanti; nempe rem ita esse, & rem posse aliter se habere. Primum verum quidem est de veritate ipsius rei, sed secundum de potentia aliter se habendi falsissimum. Illa enim non videtur, sed clarè scitur. Ergò per Celladeum non debet explicari per *videtur*. Ecce in propriis principiis incongruè loquitur & errat, & in hoc ipso errore iis, quæ paulò ante dixerat, contradicit.

Secundus Celladei error & contradictio

26. Tertius error est, quòd dicat, opinionem, in quantum est opinio & differt à scientia, includere duos illos actus, ex quo cum Sancto Thoma intulit ex Aristotele, scientiam & opinionem de eodem non posse simul conjungi in eodem intellectu; *quod tamen*, inquit, *intelligendum est de opinione in esse opinionis, non autem in esse assensûs, ut idem S. Thomas 3. parte quæst. 9. art. 3. ad secundum perspicuè tradit.* Hæc doctrina, quòd opinio non aliter differat à scientia quàm per duos illos actus, est falsa, cùm evidens sit, primum actum per se solum, utpote nixum motivo fallibili, differre à scientia. Itaque differentiam suam à scientia ab alio illo actu non accipit. Quid, quod impossibile est, duos actus inter se differre per tertium, cùm uniuscujusque differentia tam specifica quàm individualis cum propria ejus entitate identificetur? Præterea secundus actus ex mente Celladei separari potest à primo, in quo casu putat opinionem in ratione assensûs de veritate rei posse componi cum scientia. Jam peto, quid in illo casu cum scientia componatur; scientia, an opinio? an verò actus in genere extra omnem speciem constitutus? Si primum: ergò ille actus non potest postea constitui opinio, quia non potest perdere suam essentiam. Si secundum: ergò actus ille per se solum est opinio, & differt à scientia. Ergò opinio vera in tota sua ratione ac essentia componitur cum scientia, quamvis actualis illius formido illi superaddita cum scientia non componatur. Præterea

Opinio, in quantum opinio, differt à scientia per suã simpliciter entitatem.

Tertius Celladei error.

certum est, illum actum, si daretur, secundùm se præcisè consideratum, esse opinionem, quia niteretur motivo fallibili. Et hæc est expressa mens Celladei. Ergò esset actus obscurus habens tendentiam fallibilem, & continens formidinem saltem radicalem oppositi. Opinio autem in esse opinionis & in esse diversæ speciei à scientia & fide per hæc præcisè constituitur. Ergò ex mente Celladei est opinio. Ergò sibi contradicit Celladeus. Tertium est nimis absurdum, ut vel in mentem tanti viri cadere possit, ideoque explodendum est, & ejus impossibilitas logicis probanda relinquitur.

Celladei contradictio.

27. Tertium Celladei assertum aliam opinionis atque formidinis opinativæ explicationem continet. Hanc *tota quæst. 7. Appendicis* ideò exponit, tum quia prior, ut ait, videbatur nimis implexa, tum quia tradebat, particulam *est* solis certis convenire non probabilibus; particulam verò *videri* appropriari probabilibus non certis. Ob has aliasque rationes aliam explicationem orditur per particulam *est*, quâ opinantes frequentissimè utuntur, ut suum judicium explicent tam in scholis, quàm in civilibus & familiaribus negotiis. Sic qui ex inspectione horologii sive sciaterici sive rotatilis horam didicit, absque ulla hæsitatione aliis horam petentibus dicit, *est talis hora*, & nunquam utitur illa phrasi, *mihi videtur, talem esse horam*. Tamen judicium de hora ex inspectione horologii publici ortum, non est nisi opinativum, ut patet. Idem videre est in innumeris aliis negotiis. Unde absurdum videtur excludere vocem *est* tanquam incongruam ad explicandam opinionem, cùm omnes fermè ad eam explicandam illo termino utantur. Sic ergò Celladeus rem aggreditur.

Alia Celladei explicatio de natura opinionis.

28. Inprimis objectum opinabile, vel conclusio opinanda, necessariò repræsentatur omni opinanti ut potens aliter se habere. Potest quidem conclusio esse in se scibilis, & repugnans aliter se habere. At opinanti non ità repræsentatur. Secundò omnis opinans absolutè enunciat de objecto in quod fertur. Itaque omni opinanti hæc duo repræsentantur, scilicet conclusionem ità quidem se habere, posse tamen aliter se habere. Hinc opinans rectè utitur particula *est*, recteque dicit, *hoc est ità*: illud tamen *est* modificatur, & ab aliis modis affirmandi certis ac firmioribus differt per adjunctum illud, quòd ea conclusio possit aliter se habere. Porrò quia notius est, conclusionem illam posse aliter se habere, quàm esse veram, intellectus priusquam eliciat actum conclusionis hanc defectibilitatem percipit, postea verò elicit conclusionem, quæ à priori illo actu est & dicitur formidolosa.

Est attributum opinãtis modificatur aliter, quàmquando attribuitur scitis.

Formido opinionis quæ?

29. Cæterùm aliam etiam agnoscit formidinem, actui rem affirmanti identificatam, quam sic exponit. Sicut voluntas magis amat Deum, quàm amicum, quamvis verè amet utrumque; ità intellectus magis affirmat unum, quàm alterum, quamvis utrumque affirmet. Ergò sicut eadem vox *amat*, diversis objectis applicata, significat amores specificè diversos; ità eadem vox *est*, diversis objectis applicata, significat adhæsiones, seu affirmationes specie diversas. Dixi *amores specie diversos*, quia omnis rectè amans amat juxta mensuram bonitatis objecti, & consequenter ex bonitatis amatæ diversitate oritur diversitas adhæsionis seu amoris. Amor ergò Dei ex sua tendentia in Deum est alterius speciei adhæsio, quàm amor erga amicum. Ergò amor amici minor est amore Dei. Hoc tamen minus non est

Alia opinionis formido.

est fuga ab amico, aut aliquid admixti odii, sed est modus ipsius amoris, quod non sit adhæsio tam firma. Quod amor sit & adhæsio, quid positivum est, & oritur à bonitate motivi; quod non sit major est defectus potiùs, quàm motus aliquis affectûs vel fuga. Itaque sicut amicum non esse Deum defectuosum est, & defectum bonitatis exprimit, ità pariter in amore; nam amorem amici non esse fortiorem est defectus in vi ac fortitudine amoris, correspondens defectui bonitatis ac meriti in objecto. Eodem prorsus modo particula enunciativa *est* significat enunciationes specie diversas. *Est* scientiæ specificæ differt ab *est* opinionis, quia illud ex suo modo tendendi est fortius, hoc verò debilius, sicut motiva, quibus nituntur, postulant. Quod opinio sit assensus, positivum est, & provenit à perfectione motivi; quod autem sit debilior & infirmior, est defectus adhæsionis, ad quam determinatur intellectus ab imperfectione motivi, & hic defectus est & vocari potest formido, & sic *est* opinativum ex suo genere est omnium *est* debilissimum, ac proinde formidolosum. Ex quo infert, nil repugnare, quo minùs opinio hoc modo explicata cum sua formidine componi possit cum scientia vel fide.

Voluntas magis amat unũ quàm aliud, & intellectus magis affirmat unum quàm aliud.

Est significat adhæsiones specie diversas.

30. In hac explicatione placent omnino, quæ de diversis specie adhæsionibus, seu amoribus & affirmationibus dicuntur. Sed displicet, quod Celladeus dicat, id esse notius in voluntate quàm in intellectu, cùm vel in utraque potentia id constet ex æquo, vel certè id clariùs appareat in intellectu, in quo assensus immediatus & mediatus, clarus & obscurus, scientificus & opinativus ex ipsa eorum inspectione statim apparent habere modos tendendi specie diversos, quorum aliqui minùs intellectualiter adhærent objecto. Deinde placet, quod agnoscat formidinem aliquam actui opinativo identificatam, cujus originem & causam, atque etiam propriam ejusdem constitutionem rectè exponit. Tertiò placet, quod duplicem in opinione formidinem agnoscat, aliam distinctam, quam Auctores actualem communiter appellant, aliam identificatam, quam ego cum communi radicalem appellavi. Hæc enim omnia vera sunt, & per ea, atque per connexa cum illis, tota opinionis essentia optimè explicatur, ut constat ex dictis.

Quid placeat, quid displiceat in Celladeo?

31. Cæterùm totam hanc explicationem perpendenti duo valdè displicent. Primum est, quod dicat, conclusionem omni opinanti videri posse aliter se habere. Id enim jam vidimus esse falsum. Secundum est, quod dicat, conclusionem esse posse in se scibilem & repugnare aliter se habere, quamvis aliter appareat opinanti. Dictum hoc non displicet ut est in se, quia verum est; sed displicet in Celladeo, qui in hoc apertè contradicit illi, quod dixerat *quæstione 4. Appendicis §. 3.* circa medium, ubi dixit, *probabiliter scibilia non esse scibilia, nec per scientiam haberi posse*, quod attulit ut probaret, probabiliter probabilia non posse esse probabilia, seu probabilitatem non posse probabiliter cognosci, de quo ex professo agebat *in illa quæst.* Huic autem priori asserto, hoc secundum apertè contradicit. Eidem contradicit adhuc apertiùs, quod addit in fine, nempe opinionem, etiam juxta suam explicationem formidolosam, cohærere posse cum scientia. Ergò tenet idem simul esse posse scitum & opinatum ab eodem intellectu, quod ante quæstione quartâ expresè negaverat esse possibile.

Duæ Celladei contradictiones.

32. Quartò asserit omne opinabile ac probabile reduci ad necesse vel impossibile. Hoc *quæstione 8. Appendicis*, sic declarat. Logici omnium enunciabilium materiam ad quatuor capita seu modos essendi revocant; scilicet, necesse, impossibile, possibile contingens. Ex his duo posteriora revocantur ad necesse, quia quod est contingens necessariò est contingens, similiter & possibile necessariò est possibile. Demùm contingens, ut Logici notant, evadere potest necessarium non simpliciter, sed ex suppositione. Sic contingit hominem sedere; ex suppositione tamen quòd sedeat, necesse est eum sedere, juxta illud notum axioma, *omne quod est, quando est, necesse est esse.* Rursus Theologi, ubi disputant, an & quomodò futura libera tam absoluta, quàm conditionata cognoscantur à Deo, in eo conveniunt, nil posse à Deo ipso cognosci, nisi detur necessitas aliqua vel absoluta vel conditionata, propter quam res cognoscatur & affirmetur. Qui docent ea cognosci in decretis Dei, ponunt necessitatem absolutam; qui verò tradunt ea in seipsis cognosci, admittunt necessitatem ex suppositione, quia ex suppositione quòd sit vel esset futurum, necesse est quod sit, vel quòd esset futurum. Porrò sicut necessitas semper requiritur ad affirmationem, sic impossibilitas eisdem de causis requiritur ad negationem. Itaque Theologi supponunt, nil indifferens, ac proinde nil contingens aut possibile habere cognoscibilitatem affirmabilem aut negabilem. Atqui omne opinabile est cognoscibile per affirmationem vel negationem. Ergò nil indifferens, nil contingens aut possibile (in quantum possibile) est opinabile. Ergò æquè probabilia non sunt opinabilia, quia non sunt magis vera, quàm falsa. Ergò à fortiori minùs probabilia non sunt enunciabilia.

Opinabile an reducatur ad necesse vel impossibile?

33. Porrò ut explicet, quomodò omne opinabile reducatur ad necesse & impossibile, sic pergit. Necessitas, sicut & impossibilitas, inquit, communiter dividitur in Moralem, Physicam, & Metaphysicam. Illud dicitur moraliter necessarium, cujus oppositum sine miraculo quidem, rarissimè tamen aut difficillimè fieri potest. Physicè necessariũ est, cujus contrariũ fieri potest, sed non sine miraculo. Illud autem, cujus oppositum nullâ potentiâ fieri potest est Metaphysicè necessarium. Verùm hæc explicatio est impropria & aliena, quia necessitas vel impossibilitas Moralis est, quæ materiam Moralem, Physica quæ Physicam, Metaphysica quæ Metaphysicam concernit. Sed unaquæque ex istis tam necessitatibus quàm impossibilitatibus est duplex; alia simpliciter talis, alia talis secundùm quid. Illud est simpliciter necessarium, cujus oppositum est chymericum, ut in physicis, corpus naturale seu mobile esse finitum, & in moralibus peccatorem esse Deo odibilem. Similiter tam in physicis quàm in moralibus illud est necessarium secundùm quid, ad quod datur magna inclinatio, sed absolutè impedibilis. Sic in physicis necesse est homines canescere, parturientes lac habere &c. In moralibus verò secundùm quid necesse est, homines offensos irasci; & oppositum est impossibile secundùm quid. Quocirca, cùm probabile affirmativum consistat in magna quadam inclinatione & connexione, sed absolutè impedibili, & probabile negativum in magna difficultate, manifestum est, omne probabile esse necessarium vel impossibile secundùm quid, & propterea quidquid non est ità reducibile, non est probabile, seu opinabile & enuntiabile. Porrò quod in rebus est necesse vel impossibile, hoc in mente est certum, quia certitudo

Celladeus communẽ necessitatis divisionem rejicit.

Novam invehit divisionem necessitatis.

titudo intellectualis sequitur ad necessitatẽ vel impossibilitatẽ objecti, & ubi cessat necessitas & impossibilitas tam simpliciter quàm secùdùm quid, cessat in intellectu certitudo tam simpliciter quã secundũ quid. Ergò tunc res manẽt incertæ & dubiæ, de quibus nil mentaliter enunciare possumus. Ita ille.

Celladeus immeritò carpit communem necessitatis divisionem.

34. Poteram ego ista omisisse, quia vix spectant ad præsentem materiam. Volui tamen ad complementum doctrinæ aliquam etiam circa ista reflexionem ponere. Inprimis immeritò carpit communem explicationem triplicis necessitatis, neque enim rationem sufficientem affert, cur ab unanimi omnium aliorum explicatione recedat. Deinde quamvis divisio illa, quam ex materiis trium scientiarum assumit, esset adæquata, adhuc non sufficeret; quia in materia cujusvis ex tribus illis scientiis dantur illi tres gradus, quos communis opinio vocat necessitatem Moralem, Physicam, & Metaphysicam, quæ expressiones non minùs rectè explicant illas differentias, quàm termini illi, *absolutè, & secundùm quid.* Immò meliùs illas explicant. Membrum enim illud *secundùm quid* est nimis genericum, quia duo necessitatis genera inter se valdè diversa complectitur, quod est inconveniens. Verùm divisio illa Celladei non est adæquata ex parte materiæ, quia dantur plures necessitates extra Ethicam, Physicam, & Metaphysicam, scilicet in Mathesi, Logica, aliisque artibus, atque etiam in Theologia, ex purè revelatis discurrente. Ergò vel alia membra addenda sunt divisioni, nempe necessitas Logica, necessitas Mathematica &c. vel illa rejicienda est tanquam inadæquata & insufficiens, qualis revera est. Tertiò voces significant ad placitum. Cùm ergò omnibus doctis divisio necessitatis in Moralem, Physicam & Metaphysicam placuerit, illamque ac illius membra per dictos terminos eorumque communem intelligentiam explicaverint, & quod plus est triplicem hanc necessitatis speciem cujuslibet scientiæ artisque materiæ applicaverint, factum est, ut voces illæ jam propriissimè significent hanc diversitatem, quamvis illæ originaliter significationem magis restrictam ad talium scientiarum materias habuerint. Itaque non est in potestate Celladei, aut cujusvis particularis hominis vocum illarum significationem mutare. Quicumque enim dicit, illas non hoc sed aliud significare, certò errat. Ergò hæc Celladei explicatio, quatenus corrigit communem acceptionem dictæ divisionis, rejicienda est, & esset, quamvis nova ejus explicatio ex parte objecti nil falsum diceret.

Celladeus in hac re indebitè usurpat terminos.

35. Deinde, illud in modo loquendi adhuc absurdius est, quòd doctrinam suam de necessitate objectorum transferat in actus intellectûs, dicatque illos esse certos ea ratione, quâ objectum est necessarium, nempe simpliciter vel secundùm quid. Inprimis ergò omnis assensus per ipsum est certus secundùm quid, & consequenter absolutè loquendo dici debet certus, quia objectum omnis judicii per ipsum est certum, nempe necessarium, vel impossibile. At hoc repugnat non solùm communi modo loquendi, sed etiam experientiæ, & revera ipsi etiam Celladeo, qui admittit actus actu formidolosos, undecumque tandem illa formido proveniat. An illi etiam absolutè dicendi sunt certi? docètne sensus scholarum, omnes actus absolutè enunciantes esse absolutè certos? Quàm hoc remotum à communi omnium sensu & locutione? & tamen hæc Celladeus affirmare debet, ut ad suam sententiam consequenter loquatur. Deinde in materia Metaphysicæ admittere debet certitudinem Metaphysicam *secundùm quid* in actibus intellectûs. Talis autem locutio non minùs absurda est in scholis juxta communem usurpationem terminorum, quàm si diceret, certitudinem summam & absolutissimam esse exiguam, & solùm talem secundùm quid. Et hæc quidem quoad modum loquendi, & indebitum terminorum usum displicent.

Celladeus eodem contextu idem reprobat quod approbat.

36. At longè majoris momenti est, quod res ipsæ, quas dicit, falsæ sint. Inprimis unâ manu ædificat, & alterâ destruit. Dicit enim Logicos materiam propositionum in quatuor classes seu membra dividere. Hoc habito pro fundamento, loco illud confirmandi, aut ex eo ut ex principio arguendi, idipsum mox destruit dicens, duo posteriora membra reduci ad priora. Ergò prior divisio est inepta, cùm non habeat membra contradistincta & opposita, quod tamen ad bonam divisionem requiritur. Præterea certum est, materiam necessariam & impossibilem sumi à Logicis pro simpliciter tali, & non complecti omnia evidenter vera, nedum incerta & probabilia: sic evidens est Petrum esse album, sed quia non est necessaria sed contingens connexio inter terminos, ideò materia illius propositionis juxta Logicos contingens est, non necessaria. Rursus, afferat vel unum Logicum, qui dixerit projectionem pũctorum parium in primo talorum jactu esse materiam impossibilem, aut ad materiam impossibilẽ revocari, & aliquid pro sua sententia effecerit, sed cùm neminem invenerit, fateatur tandem, tales propositiones non posse revocari ad necesse aut impossibile juxta sensum Logicorum, ac proinde doctrinam illã Logicorum non solùm non deservire ad intentum Celladei, sed illam manifestè evertere.

Non loquitur in sensu Logicorũ, quos pro se citat.

37. Præterea nil juvat Celladeum, quod Logici doceant, contingens esse necessariò contingens, aut Petrum necessariò non currere, ex suppositione quòd sedeat, quia istæ propositiones sunt in materia prorsus necessaria, cùm subjectum propositionis separari nequeat à prædicato, quod est materiam esse necessariam. At præter hoc, ipsa positio conditionis, quòd sedeat, est contingens, quia sessio contingenter additur Petro; nos autem non solùm affirmamus, quod sedeat ex suppositione quod sedeat, sed simpliciter affirmamus, quod sedeat. Primum est necessarium, secundum contingens. Itaque certum est, non omne affirmabile reduci à Logicis, aut reduci posse ad materiam necessariam, quia ipsa simplex essentia rei contingentis directè affirmari potest, sine prætensa suppositione ex parte objecti. At talis materia est purè contingens, ut patet.

Materia contingens non reducitur ad necessariam, sed illi opponitur.

38. Nec felicior est in exemplo è Theologia desumpto de cognitione futurorum contingentium, quia quamvis per prius sint futura, quàm cognoscantur esse futura, id est, quia in istiusmodi casibus valet dicere, ideò cognoscuntur, quia sunt futura; non ideò sunt futura, quia cognoscuntur esse futura, & hoc est objectum hujusmodi contingens præsupponi futurum, priusquam cognoscatur futurum. Nihilominus materia illius scientiæ est purè contingens, quia Deus non videt illa esse futura, quasi verò dicat, ex suppositione quod sint futura sunt futura, hæc enim est veritas necessaria, & spectat ad scientiam necessariorum, sed enunciat de ipsa conditione, & dicit ea esse futura, cujus cognitionis objectum non est necessarium, sed purè contingens, quia nil est, quod reddat veritatem illius necessariam præter ipsam entitatem rei, quæ essentialiter est contingens, & ita est, ut omnibus consideratis potuisset

Objectum scientiæ de futuris contingentibus est materia purè contingens.

potuisset non esse. Supponunt quidem Theologi, nil indifferens ad opposita posse esse objectum sufficienter determinans ac movens ad cognoscendum unum potiùs quàm aliud; at falsissimum est, quod supponant, hanc indifferentiam convenire rebus contingentibus, quia res contingens, etsi nullam in causis determinationem habeat, habet tamen determinationem in se, sed contingenter à causa. Hæc autem contingens determinatio est objectum, quod cognoscitur in se, per propositionem habentem materiam contingentem, scilicet talem, quæ poterat non affirmari ac cognosci à Deo, sicut nunc cognoscitur, quod non est verum de ulla veritate necessaria, ut patet. Itaque falsum est, quod nil contingens, quà contingens, sit cognoscibile; sicut etiam falsum est, quòd æquè & minùs probabilia non sint enunciabilia, quia intellectus flecti potest per imperium voluntatis, ut ea enunciet; sed ita ut simul per ipsum judicium feratur in ea ut in probabiliora, sicut explicatum est.

Affirmabilitas & negabilitas in quo fundentur.

39. Demùm falsum est, quod universaliter dicit, omne affirmabile consistere in magna quadam inclinatione, & omne negabile in magna quadam difficultate, quia multa sunt, quæ sine ulla difficultate aut propensione eveniunt. Talia sunt, quòd Petrus hîc & nunc impingat in lapidem, aut quòd ego projiciens viginti talos hæc determinata puncta jaciam. Hæc & hisce similia proveniunt absque ulla propensione ad unum, aut difficultate ad oppositum, ut patet. Et tamen sunt affirmabilia, quando per experientiam innotescunt; sed tunc qui videt illa, habet quidem magnam propensionem ad illa affirmanda, sed illa propensio se tenet ex parte intellectûs judicantis, non ex parte rei affirmatæ, quæ proinde nullo modo est necessaria, sed purè contingens, non solùm in sensu Logicorum, sed, quod plus est, juxta acceptionem materiæ necessariæ ab ipso Celladeo adhibitam. Certum ergò est, dari aliquid affirmabile & negabile, quod absque ulla magna propensione vel difficultate ponitur, & consequenter, quod nullo modo reducitur ad materiam necessariam vel impossibilem.

Absurda ex doctrina Celladei.

40. Porrò, etsi in sensu Celladei, omnia illa dici possint secundùm quid necessaria, quæ proveniunt ex magna propensione vel difficultate, non tamen è converso omnia ejusmodi necessaria vel impossibilia proveniunt ex difficultate vel propensione. Sic antequam jacerem talos, erat improbabile, omnes illos determinatos jactus eventuros, qui ex decem projectionibus de facto evenerunt. Ergò secundùm Celladeum illud erat impossibile. Ex opposito contrarium erat probabile. Ergò contrarium erat necessarium. Et tamen nec positio unius, nec alterius exclusio facta est ex ulla magna propensione vel difficultate. Ergò doctrina Celladei nec vera est in rebus in se existentibus, & per proprias species cognitas, nec in rebus, quæ ex prævia causarum dispositione cognoscuntur. Immò ex suis principiis tenetur admittere in casu allato, impossibile fieri factum esse, & necesse non fieri esse factum, quæ certè & in se absurda sunt, & in præsenti materia absurdissima, utpote in qua nil dictis propositionibus magis absonum dici potest.

Parùm probabilia non sunt necessaria, aut impossibilia.

41. Cæterùm, quamvis in casu ingentis probabilitatis rarissimè fallentis dici possit, quod ejusmodi objectum sit quodammodò necessarium, maximè si probabilitas fundetur in propensione vel difficultate maxima (nam in jactu talorum, & in aliis, quæ absque propensione vel difficultate eveniunt, aliter dicendum videtur) & multi dicant, cognitionem talium esse quodammodò moraliter certam; nihilominùs loquendo de iis quæ sunt parùm probabilia, qualia sunt, quod puncta in primo talorum jactu non pertingent ad numerum octonarium, nemo communiter dixerit, hoc esse necessarium, aut oppositum impossibile, ne quidem secundùm quid, nisi maximè impropriè loquatur, sicut loqueretur, qui simpliciter diceret, aquam calentem esse frigidam.

Aliquod opinabile nó reducitur ad impossibile.

42. Præterea quæ sunt necessaria aut impossibilia secundùm quid, communiter vocantur talia. Sic dicimus impossibile esse hominem datâ opportunitate, non operari ex habitu intenso, quia scilicet oppositum valdè raro, & non nisi difficulter fit. Nihilominùs nemo vocat ea impossibilia, quæ valdè frequenter eveniunt, quamvis opposita eveniant frequentiùs. Similiter nemo vocat ea necessaria, quæ frequentiùs eveniunt, si oppositum valdè frequenter contingat, ut evidens est in dicto jactu talorum, aliisque innumeris. Certum tamen est, illa objecta esse probabilia, & affirmabilia, quia multò frequentiùs eveniunt quàm opposita. Ergò in omnium sententia dantur objecta opinabilia, de quibus nemo prudenter dicit, quod sint necessaria vel impossibilia, etiam juxta largissimam harum vocum significationem, ab imperitis juxta ac peritis usurpatam. Errat ergò Celladeus, & non solùm contra certissimam Logicorum doctrinam, sed contra communem omnium sensum opinatur, dum asserit, omne opinabile reduci ad necesse vel impossibile.



QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA-QUINTA.

Vtrùm ex natura & essentia opinionis sequatur usum æquè aut minùs probabilium esse licitum.

1. QUÆSTIONEM hanc Celladeus *quæst. 9. ac ultima Appendicis* proponit, conaturque ex dictis de natura opinionis ostendere, nequaquam licitum esse sequi opinionem æquè aut minùs probabilem contra legem. Porrò ex opinione, inquit, probabiliore, si sit falsa, resultat conscientia erronea, circa quam hoc solùm quæritur, non an sit regula (nemo enim hoc quæsivit de conscientia erronea) sed an excuset vel non excuset? si sit invincibilis, excusabit; si vincibilis, non excusabit. Hæc ille. Ego autem, cùm in antecedentibus illius errores detexerim circa naturam opinionis, justè utor contrario argumento, ad ostendendum usum talium opinionum esse licitum. Quod breviter expediam, ut solvam argumenta, quæ affert, illorumque inanitatem aperiam. Sed ante omnia confutandum est, quod in ipsa introductione ad quæstionem pro vero supponit, nempe conscientiam invincibiliter erroneam, nec esse, nec dici posse regulam conscientiæ. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

Conscientia invincibiliter erronea est & dici debet regula operationis humanæ.

Conscientia invincibiliter erronea est regula operationis humanæ.

2. PROBATUR. Quando quæritur, an conscientia invincibiliter erronea sit regula, sermo est de regula formali applicante regulam objectivam, non autem de regula objectiva, quæ proponitur. Hoc posito sic. Illud judicium est regula formalis, per quod regula objectiva proponitur. Sed omnis conscientia de honestate objecti, sive vera, sive erronea, proponit regulam objectivam, in quam voluntas fertur, & à qua movetur. Ergò omnis conscientia est regula formalis. Quod sanè adeò verum est, ut Theologi agentes de conscientia in genere universaliter dicant, eam esse regulam formalem, per quam regula objectiva proponitur. Et sanè impossibile est, quod aliquis feratur in quidvis tamquam honestum, quin regula aliqua objectiva illi proponatur. At nulla regula objectiva proponi potest sine regula formali, ut patet. Proponitur autem omnis regula objectiva per judicium rationis, sive verum sive falsum. Ergò omne judicium conscientiæ proponentis rem esse honestam est regula. Et sanè nil evidentius, quàm dictamen conscientiæ dirigere ipsum opus; idem autem est dirigere ac regulare. Ergò omne dictamen conscientiæ dictantis opus esse honestum est regula operationis humanæ. Præterea, ex æquo repugnat operationem humanam elici sine regula formali, ac sine objectiva. At repugnat eam elici sine regula objectiva, in quam operans respiciat. Ergò repugnat eam elici sine regula formali, per quam respiciat in objectivam. Hæc autem regula est ipsum dictamen conscientiæ proponentis honestatem rei; quæ quia æquè proponitur sive actus sit falsus sive verus, ideò omne ejusmodi judicium conscientiæ est regula humanorum actuum.

Auctores supponunt errorem invincibilem esse sufficientem regulam.

3. Et hactenus quidem genericè loquendo nulla est difficultas, quæ tamen se prodit, quando loquimur de regula non in genere, sed de regula sufficiente ad honestatem humanorum actuum: nam in hoc sensu nemo quærit in genere, utrùm conscientia erronea sit hujusmodi regula; quia omnes expressè excludunt conscientiam vincibiliter erroneam à ratione talis regulæ. At si sermo restringatur ad conscientiam invincibiliter erroneam, omnes præter Celladeum, supponunt eam esse regulam sufficientem. Primò, quia excusat operationem ab omni malitia morali, in quo Celladeus etiam consentit. Secundò, quia honestatem refundit in actum illum, ut omnes etiam, præter Celladeum, fatentur. Ergò est regula servans à malo morali, & inducens bonitatem moralem. Et sanè primus titulus, seu vis removendi malum ab actione humana, quam dirigit, meretur nomen regulæ. Secundus verò titulus, seu vis inferendi bonitatem moralem, indubitanter sufficit ad rationem regulæ, nec hoc Celladeus negaret, si bonitatem moralem ab errore invincibili in actum refundi admitteret. Ergò omnes qui hoc admittunt (sunt autem omnes aut fermè omnes præter Celladeum) aut expressè tradunt, aut implicitè fatentur & supponunt, errorem invincibilem esse regulam sufficientem actionis humanæ, quia per hoc ipsum, quod dicant errorem illum excusare, æquivalenter dicunt, eum esse regulam; quia idem est quærere an excuset, & quærere an sufficienter regulet.

Error invincibilis est, quoad nos patètior regula, quàm judicium probabile verum.

4. Confirmatur. Ratio invincibiliter erronea non est minùs regula, quàm ratio probabilis vera. Nil enim invenitur in ejusmodi ratione vera, propter quod sit regula, quod æquè non reperiatur in ratione invincibiliter erronea. Utraque enim proponit objectum sub ratione boni, utraque arcet malum, utraque inducit bonum. Ergò utraque exercitè sufficienter regulat opinionem. Quod si loquamur reflexè, & consideremus utram-

utramque in ordine ad munus regulandi, ratio invincibiliter erronea magis prodit se esse sufficientem regulam, quàm ratio probabilis vera. Si enim supponamus duos simul operari, unum ex probabili vera, alterum ex conscientia invincibiliter erronea, statim dicimus neutrum peccasse, utrumque bene fecisse. Si verò quæramus in particulari, an hic habuerit conscientiam veram, ille erroneam? faciliùs scire possumus hunc vel non errasse, vel errasse invincibiliter, quàm alterum verum dixisse. Hoc secundum certò sciri nequit, primum verò frequentissimè scitur. Ergò conscientia invincibiliter erronea & in se est regula, & reflexè quoad nos est certior ac patentior regula, quàm ratio probabilis vera.

Celladeus ponit non regulã pro regula.

5. Atque hinc ad hominem sic arguo contra Celladeum. Per te, ratio probabilis si sit vera, est regula, non aliter. Peto jam de aliqua peculiari ratione, an sit regula? respondere debes, fortasse est, fortasse non est regula, sicut fortassis est, fortassis non est vera. Ergò tu ponis regulam non regulam; ponis enim id pro regula, quod discernere non possumus à non regula. Ergò frustra negas rationem invincibiliter errantem esse regulam, cùm & reipsâ regulet, & aut semper aut certè frequenter discerni possit & certò cognosci, ita ut ex reflexa illius cognitione certificari possimus, quod opinatio non fuerit mala, sed bona; & consequenter quod fuerit conformis regulæ institutæ pro hominis directione; nam quæ regulæ institutæ non est conformis, non solùm non est operatio bona, sed est defectuosa & mala, ut patet. Sed de hac improportionata Celladei regula infrà plura dicenda occurrent.

ASSERTIO II.

In quo sensu usus opinionis æquè probabilis sit licitus?

Licet operari juxta opinionem, quæ in actu primo remoto est solùm æquè aut minùs probabilis, modò intellectus ex imperio voluntatis flectatur in actu secundo ad absolutè existimandum illam esse veram.

6. PROBATUR. Voluntas in casu Assertionis sequitur opinionem probabilem, quam intellectus credit esse veram, & in quam fertur tanquam in probabiliorem. At licitum est sequi talem opinionem, ut fusè probatum est, quia omne ejusmodi judicium est prudens, & vel est verum, vel invincibiliter erroneum &c. Ergò &c. Itaque cùm ex doctrina de natura opinionis constet, intellectum posse hâc ratione assentire opinioni directè minùs probabili, ex eadem etiam constat, usum ejusdem opinionis esse licitum.

ASSERTIO III.

Quomodò liceat sequi opinionem, quæ agnoscitur esse minùs probabilis?

Licet operari juxta opinionem directam, etiam minùs probabilem, etsi intellectus agnoscat opinionem illam esse directè minùs probabilem, modò per rationes reflexas probabiles & prævalentes absolutè credat, tale objectum, omnibus consideratis, esse licitum.

7. PROBATUR, ex omnibus, quæ fusè allata sunt tum in *præsenti tractatu*, tum in *tract. de Conscientia probabili.* Et ratio perspicua est, quia in hoc casu voluntas conformat se opinioni probabiliori ac prudenti; qui autem dicunt oppositum ex mera æquivocatione ac intelligentia terminorum decepti, illud docuerunt, ut ibidem latè probatum est. At ex communi omnium sententia licitum est sequi opinionem probabiliorem, quam intellectus amplectitur, & habet absolutè veram. Ergò licet sequi opinionem directam in sensu Assertionis, quamvis illa, directè sumpta, & in se sit, & in mente operantis habeatur minùs probabilis, quàm opposita. Hæc breviter dicta sunto, ut objectionibus Celladei proponendis congruus locus detur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

8. OBJICIT primò. Motiva opinionis æquè aut minùs probabilis tam parvi fiunt ab intellectu, ut ille ipsis stare non possit, nec moveri ad judicandum ullo genere assensûs. Ergò absurdè, & contra rationem pluris fient à voluntate, si eis ipsa stare velit, quibus intellectus stare nequit. Potest quidem fortasse voluntas propter suam libertatem solis apprehensibilibus moveri, & sequi appetibilia, quæ minimè judicantur prosequenda, sed tunc contra rationem agit, & peccat. Ergò si sequatur æquè vel minùs probabilia, contra rationem operabitur, & peccabit. Ita Celladeus §. 1. Objectio 1.

Respondeo inprimis negando antecedens, etiam quoad judicium directum; quia ostensum est, intellectum in actu primo moveri ab æquè & minùs probabili, & posse in actu secundo illud tamquam verum & probabilius opposito præferre. Solutio 1.

9. Respondeo secundò, intellectum posse aliquo genere assensûs moveri ab æquè & minùs probabilibus, etiam in sensu composito talis æqualitatis agnitæ & affirmatæ; quia moveri potest ad credendum, immò ad sciendum, quod sint verè probabilia; stante autem illâ scientiâ, per rationes reflexas cognoscere potest objectum illud hîc & nunc esse licitum in istis circumstantiis; in quo casu voluntas rationabiliter stat istis motivis reflexis, & sic liberatur ab obligatione sectandi partem tutiorem. Solutio 2.

10. Dices cum eodem ibidem. Sæpè dictum est, cognitiones istas reflexas nil suffragari. Ratio est, quia reflexarum cognitionum valor fundatur in magnitudine motivorum directorum, dicendo quod sint magna & gravia, quia de motivis parvis mille reflexiones formantur. At motiva directa, æquè aut minùs probabilia, ipsi intellectui magna non sunt, nec gravia, cùm stare illis non possit aut per reflexas cognitiones persuaderi, quod sint vera. Ergò illa motiva non sufficiunt, ut voluntas rationabiliter per illa moveatur. Certè si intellectus per reflexas cognitiones proponeret illa motiva directa voluntati, quæ ex se cæca est, tamquam magna & sufficientia, proponeret illa pluris pro voluntate, quàm ipsemet illa faceret pro se. Ergò iniquè ageret, sicut ageret iniquè, qui ignoranti & cæco proponeret monetam pluris, quàm ipsemet eam acciperet. Replica.

Respondeo, Celladeum multoties quidem contra reflexa principia exclamâsse, sed nil solidæ impugnationis attulisse, ut constat ex dictis. Errat porrò dicens, cognitionum reflexarum valorem fundari in sola magnitudine motivorum directorum, dicendo ea esse gravia &c. quia fundantur in aliis, scilicet in eo, quòd lex non sit sufficienter promulgata, aliisque similibus. Ergò ad plura reflectunt, quàm ad præcisam magnitudinem motivo-

Vis rationũ reflexarum non solùm desumitur à magnitudine motivorum directorum.

motivorum directorum. Et sanè sæpè similes reflexiones fiunt etiam super motiva levia aut nulla, quia reflectunt super ipsum casum dubii, & dicunt legem dubiam non obligare. Præterea intellectus judicat, motiva æquè probabilia esse magna & gravia, non solùm in ordine ad alios, sed etiam in ordine ad se; quia judicat ea esse talia, ut, si abstineret ab ultimata comparatione de æqualitate, voluntas vi singulorum posset prudenter imperare assensum, per quem unum alteri absolutè præferretur tamquam absolutè verum, & probabilius opposito. Quicumque enim judicat aliquid esse probabile, judicat illud esse dignum assensu, & æqualiter affirmat omnia, quæ jam dixi. Cæterùm sicut intellectus non stat solis illis motivis, quando judicat, illa esse æqualia; sic nec ea proponit voluntati, ut per illa reguletur, sed proponit nova motiva novasque rationes reflexas fundatas in comparatione operationis faciendæ in ordine ad diversas circumstantias, atque ita non proponit pro regulanda voluntate, quod ipsemet non approbat, & æstimat honestum ac dignum electione & amore. Itaque paritas illa de persuadente valorem monetæ esse majorem, quàm ipsemet judicat, non est ad rem.

Intellectus nil proponit voluntati pro regula, quod ipsemet non approbat ut dignum electione.

11. Objicit secundò. Qui, omnibus inspectis, putat motiva contra legem esse æqualia aut minora, judicat ea non mereri assensum suum. Ergò voluntas licitè non potest juxta illa operari quamvis intellectus proponat illa à multis magnisque viris majoris fieri, quàm motiva pro lege. Hæc enim apparentia aliorum mihi non suffragatur, quia quòd illa motiva ipsis magna visa fuerint, non facit quod mihi magna videantur, & judicentur digna assensu, cùm per illa nec movear, nec moveri possim ad assensum. Ergò quòd alii ea magni fecerint, non suffragatur voluntati, nisi proprius intellectus eadem præferat. Ergò abs re faciunt, qui in hac causa ad aliorum intellectum appellant. Ita Celladeus §. 2.

Responsio.

Respondeo, omnem judicantem aliquid esse probabile, simul judicare quod mereatur assensum suum, quamvis ille assensus hîc & nunc impediatur per actum, quo reflexè affirmamus motiva esse æqualia vel minora oppositis, ut ostensum est; per accidens autem est, quod talis comparatio instituatur. Hoc enim ex eo oritur, quòd voluntas non magis propendeat in unam partem quàm in aliam, sed potiùs ad æqualitatem affirmandam inclinet. Quod si alium affectum habuisset, aut nullam aut oppositam comparationem fecisset, suoque imperio flectere potuisset intellectum ad assensum. Itaque cùm antecedens sit falsum, negatur consequentia, etiamsi non respiciamus ad ea, quæ alii sentiunt, sed solùm ad apparentiam, quam ipsi habemus. Quod si ad alios peritos contradicentes respiciamus, profectò ex hoc ipso rectè infero, motiva illorum esse magna etiam quoad me, & mereri assensum, quamvis hîc & nunc illis assentire non possim ob alios actus incompossibiles, qui tamen abesse poterant, & in eo casu assensus motivis illis præstari potuisset.

In probabilibus rectè respicimus ad aliorum opinionem.

12. Hactenus responsio procedit de assensu directo; sed si loquamur de assensu reflexo nulla est difficultas, quia tam propriæ rationes, quàm auctoritates & motiva aliorum dant fundamentum novo discursui reflexo, qui considerat objectum in ordine ad alias circumstantias quàm opinio directa, ac proinde absolutè enunciat objectum illud hîc & nunc esse licitum: quidquid sit an motiva directa sint vera vel falsa. Non itaque abs re faciunt, qui, ut ostendant opposita motiva esse probabilia, ad alienum judicium appellant; nil enim condocibilius ad hoc demonstrandum, quàm quòd multi viri periti ac probi illud verum habeant. Ex illo autem datur locus discursui reflexo, per quem honestas rei probatur, & conscientia debitè formatur.

Motiva aliena sunt fundamentum discursus reflexi, quo rei honestas cóncluditur.

13. Objicit tertiò. Suus cuique intellectus datus est, & sua non aliena ratio pro regula voluntatis & morum; ille scilicet intellectus & ratio, quam quisque apud se format, post perpensa utrique & satis examinata (non Dei & Ecclesiæ, quæ examinare non licet, sed obaudire & credere) motiva utrique parti faventia. Hoc facto, sua cuique ratio data est pro regula secundaria, scilicet, homogenea, subordinata, applicativaque primæ regulæ, quæ est lex æterna. Ecce hoc modo propria ratio data est pro regula, sicut etiam propria conscientia. Quemadmodum enim homo suâ non alienâ conscientiâ, ita suâ tandem ratione non alienâ uti debet. Certè ratio & conscientia solùm differunt sicut universale & particulare; nam quod intellectus & ratio dictant in universali, hoc conscientia dictat in particulari, cùm conscientia aliud non sit, quàm applicatio scientiæ vel rationis universalis ad actum particularem. Itaque sicut tua tibi conscientia data est pro regula, contra quam vel præter quam si egeris, peccabis, quocumque tandem modo se habeant aliorum conscientiæ; ita tuus intellectus & tua ratio tibi data sunt, ut ex illis formes conscientiam, & deinde agas & velis. Et sanè nisi intellectus & ratio tua mutentur, non magis mutari poterit conscientia, quàm conclusio mutari non mutatis præmissis. Stat ergò suam cuique rationem datam esse pro regula. Hinc sic arguo. In casu opinionum æquè aut minùs probabilium, tuus intellectus, & tua ratio nil tibi dicere potest, cùm æquè & minùs probabilia non sint enunciabilia. Ergò neque conscientia formari potest, cùm illa ex ratione prævia formari debeat. Porrò aliorum rationes & conscientiæ nil juvant, nisi tua ratio, & eâ mediante, tua conscientia mutetur. Ergò si in tali casu operaris, agis quod nescis an sit bonum vel malum, vel de quo dubitas, an sit bonum vel malum. Hoc autem est peccatum juxta omnes. Præterea in tali casu agis præter utramque tibi datam regulam proximam volendi, scilicet universalem, quæ est ratio tua, & particularem quæ est conscientia tua, cùm lumen naturæ dictet, non esse operandum præter istas regulas, aut ipsis hærentibus & dubitantibus.

Propria tantùm ratio est formalis regula morum.

Ratio & conscientia in quo differunt?

14. Confirmatur. In tantùm ratio propria est regula, in quantùm applicat primam & supremam regulam, scilicet legem Dei. Hæc applicatio consistit in affirmatione vel negatione; ut patet. Sed in casu æqualis probabilitatis nulla est affirmatio aut negatio, ut ostensum est. Ergò nullus tunc est intellectus aut ratio, quæ sit regula, aut applicatio supremæ regulæ. Hoc multò magis locum habet in casu opinionis minùs probabilis, ut patet. Et sanè si liceret operari juxta opinionem minùs probabilem, à fortiori liceret in dubio, quia pejor est status minùs probabilis, quàm conscientiæ dubiæ, quia hæc non magis est legis quàm non legis; at in altero casu magis est lex quàm non lex, ideoque & opinio datur de lege. Ergò sicut evidens est, opinari plus esse quàm dubitare; ita est evidens, minùs probabile esse minùs quàm dubium, & magis contra legem esse operari ex minùs probabili, quàm ex dubio. Ita Celladeus §. 3.

Status minùs probabilis, an sit deterior ad operandum quàm status dubii?

 15. Respon-

Celladeus confundit regulã formalẽ cum objectiva.

15. Respondeo, Celladeum in antecedente seu in fundamento sui discursûs & confundere regulam formalem cum objectiva, & sibi in hac ipsa quæstione contradicere. Confundit regulam formalem cum objectiva, quia omnes quidem fatentur non alienam, sed propriam rationem & conscientiam esse regulam formalem; cum quo stat, alienam rationem & conscientiam esse posse ac debere regulam objectivam, juxta illud *Tobiæ 4. 14. Consilium semper à sapiente perquire.* Et sanè illud est regula objectiva, ex quo cognito formatur ratio, per quam immediatè dirigimur. At ex opinione aliorum cognita, eorumque consilio cognito sæpissimè formatur ratio, per quam immediatè dirigimur. Ergò opinio & ratio aliena est regula objectiva, neque aliter nos illâ utimur, aut uti possumus, ut patet. Ergò ex eo, quòd propria ratio sit regula, non nisi ex terminorum confusione infertur, quod ratio aliena non sit regula; non enim infertur, quod non sit simpliciter regula, sed solùm quod non sit regula formalis immediatè applicans regulam objectivam, non autem quod non sit regula objectiva mediata & subordinata legi æternæ. Nos prudentiam & rationem alienam solùm ponimus pro regula objectiva, ut patet; talis autem est etiam in casu agnitæ paritatis rationum mihi apparentium, saltem in ordine ad discursum reflexum. Hoc autem ne apparenter quidem opponitur doctrinæ antecedentis, si terminorum æquivocatio absit. Et sanè si Celladeus duas illas diversas regulas sub uno termino non confudisset, tanto molimine opus non fuisset ad probandum, propriam non alienam rationem esse datam nobis pro regula, quia immediatè evidens est solam propriam esse posse regulam formalem, neque quæstio illa locum habere potest de ratione aliena. E contrario evidens etiam est, rationem alienam esse posse ac sæpè debere esse regulam objectivam, ex qua nota inferamus, quid Deus velit & exigat. Ergò doctrina antecedentis frustra tanto conatu tradita est, cùm omnis ille labor ex sola terminorum confusione processerit.

Aliena ratio est & debet esse regula objectiva remota & secundaria.

Celladei cōtradictio.

16. Præterea eâdem operâ sibi apertè contradicit Celladeus; in introductione enim ad quæstionem palam dixerat, rationem erroneam non esse regulam, & ne quidem rationem invincibiliter errantem posse regulam computari. Sed quid? nónne ratio erronea est propria ratio? si ergò propria ratio, & conscientia propria (ut magnâ energiâ per totum §. contendit) data est pro regula, utique illa est regula, sive sit erronea sive sit vera; maximè autem si invincibiliter erret. Sed quid? ponamus nos eam diligentiam adhibuisse, quam Celladeus postulat, ut ratio propria sit regula. In hoc casu per illum erit regula. At ratio in hoc casu aliquando est invincibiliter erronea, ut Celladeus ipse nunc supponit, quia negat illam, etiam quando datur, esse regulam. Ergò ratio erronea aliquando est regula, præter quam, aut contra quam agere non debemus, idque ex ipsis Celladei assertis. Ergò idem asserit & negat, atque in eadem quæstione sibi contradicit.

Celladeus falsò supponit, multa fuisse (satis probata.

17. Quantum ad consequens argumenti, illud procedit ex falsa suppositione plurium, quæ Celladeus putat se probâsse, sed minimè probavit. Nempe æquè & minùs probabilia non esse enunciabilia, quod falsum est, quamvis in sensu composito judicii finaliter judicantis illa esse æqualia, enunciari non possint. Sed in tali casu intellectus per novum discursum reflexum cognoscit, objectum illud directum in hisce circumstantiis esse licitum, & sic voluntas vi hujus rationis reflexæ extenditur ad opus, in quo non agit contra aut præter sed juxta propriam rationem, seu regulam ipsi præscriptam, ut patet.

18. Eadem responsio solvit confirmationem, quia intellectus & directè, & multò magis reflexè opinari potest illud esse licitum, quod directè loquendo est æquè probabile; per tale autem judicium suprema regula seu lex Dei proponitur & affirmatur, ut patet. Porrò in eo patenter errat Celladeus, quòd dicat clarum esse, quòd minùs liceat sequi opinionem minùs probabilem, quàm operari in dubio, cùm minùs probabile sit minus quàm dubium, & pejor sit status minùs probabilis, quàm conscientiæ dubiæ, quia ratio dubia non magis est legis, quàm non legis, at ratio minùs probabilis magis repræsentat legem quàm non legem. Patenter, inquam, errat, quia saltem per reflexas cognitiones inferre possumus, & multi intulerunt, & inferunt, quod, non obstante minore probabilitate directa, hic & nunc liceat operari; quod certè in dubio practico, de quo nunc loquimur & in quo non licet operari, locum non habet, ut patet. Cæterùm in multis casibus dubiis, maximè si de ipso jure dubitetur, per discursus reflexos conscientia ritè formatur, ut in superioribus probatum est. Et in talibus casibus idem dicimus de dubio speculativo, quod de minùs probabili, scilicet, quod simpliciter loquendo in utroque casu licitum sit operari. Cæterùm falsissimum est, quod in ordine ad judicandum deterior sit status minoris probabilitatis, quàm status dubitationis, quia in casu dubitationis nullus est stimulus, nulla ratio ad assensum; at in casu minoris probabilitatis per evidentem experientiam constat, intellectum trahi & allici ad dissensum, etiamsi actu credat oppositum, & præterea ostensum est, minorem probabilitatem accedente imperio voluntatis, sufficere ad assensum eliciendum, quod certè de dubio verum non est.

Notabilis Celladei error.

Ad judicandum melior est status rei minùs probabilis, quã status dubii.

Præterea quid dicet Celladeus, si omnibus inspectis, aliquis reflectens in aliorum opinionem & motiva mutet suam rationem, & per discursum reflexum inferat, licitum esse opus illud, quod directè loquendo ipsi videtur æquè aut minùs probabile? operabitúrne iste contra regulam à natura præscriptam? minimè. Ad quid ergò serviunt ista argumenta? viderit ipse: certè non tangunt quæstionem, quæ procedit de eo, qui saltem ex reflexis rationibus & auctoritatibus format conscientiam, quod opus directè minùs probabile sit licitum. Præterea non probant tale judicium non posse elici, cùm evidens sit, quod ab innumeris eliciatur. Sed neque probant, quod stante illo judicio, homo operetur præter aut contra regulam à natura ipsi præscriptam. Ergò nil prorsus probant.

Argumentum non tangit quæstionem in sensu, qui unicè impugnandus est.

19. Sed instat Celladeus, quod dicitur de istis reflexis, sæpè contritum est, & multis in locis validissimè impugnatum. Audio hæc, Celladee, verba me non terrent, argumentis omnibus à te allatis responsum est, eorumque nullitas declarata. Idem, Deo dante, de afferendis constabit ex sequentibus. Sed quidquid sit de meis responsionibus, certè in ordine ad præsentem quæstionem omnia hìc à te dicta nil faciunt, quia non probant, sectantes opinionem directè minùs probabilem non formare conscientiam, aut agere præter & contra regulam à natura ipsis præscriptam, cùm perspicuum sit, illos & conscientiam formare, magnisque rationibus & auctoritatibus ductos, existimare illud esse licitum. At nunc de hoc solùm

Idem iterū ostenditur.

solùm agitur, an possint conscientiam formare. Ergò argumenta illa frustra allata fuerunt.

Objectio 4. 20. Objicit quartò. Cùm propria cujusque ratio sit regula, non magis licet operari illam omittendo, quàm liceat operari omittendo primam regulam. At in statu paris probabilitatis propria ratio non movetur, sed manet neutra. Ergò tunc non judicat rem esse licitam. Ergò peccat & operatur omittendo regulam statutam, qui sectatur partem minùs tutam. Et sanè operans semper debet dicere suo intellectu, quod opus sit licitum, seu non contra legem, alioquin peccat. At hoc non potest dicere; nam sic insto contra illum. Quidquid est contra legem est prohibitum. Quod agis est contra legem. Ergò est prohibitum. Major est certa, consequentia est legitima: ad minorem quid dicet? certè in casu probabilitatis æqualis nequit dicere, *lex non est*. Ergò ad minorem dicit, *nescio*, vel *dubito*. Ergò idem respondet circa licitum. Ergò non habet regulam statutam. Ergò si operetur, operatur omittendo regulam, & peccat.

Licitè operans format judicium de Lege Dei. 21. Confirmatur: Ut quis licitè operetur, intellectus debet judicium formare circa ipsam legem Dei, quæ est prima regula, & primum principium morum, ex quo cætera in moribus non minùs pendent, quàm in scientiis aliis conclusiones ex primis principiis. Ergò impossibile est, ut quis rectè operetur, quin per judicium applicet sibi legem Dei. Atqui in æquè probabilibus tale judicium formari non potest. Ergò non licet sequi æquè probabile contra legem. Et sanè non videtur aliter posse salvari, quod liceat operari juxta æquè & minùs probabile contra legem, nisi simul defendatur, quod intellectus opinari possit æquè aut minùs probabile. At hoc est impossibile: quis enim fatetur se aliquid opinari, sed existimare paria aut majora fundamenta stare pro opposito? Ergò sectari partem minùs tutam æquè aut minùs probabilem non potest non esse peccatum. Ita Celladeus §. 4.

Responsio. 22. Respondeo jam dictum esse, qua ratione verum sit, quod intellectus inter æquè probabilia hæreat, vel non hæreat: si non hæreat, ut evenire potest, argumentum procedit de subjecto non supponente. Demus ergò, quod circa directam quæstionis solutionem hæreat, judicetque utramque partem esse æquè probabilem, aut etiam partem faventem libertati esse minùs probabilem, ut sic tota vis argumenti prodeat. In hoc quidem casu propria ratio directa manet neutra, quia non determinat quæstionem, propria tamen ratio reflexa eam determinat, & affirmat opus, omnibus inspectis, esse licitum in hisce circumstantiis, quidquid sit an sit licitum in circumstantiis per rationem directam propositis. Nec huic judicio formando obstat Syllogismus à Celladeo allatus duabus de causis. Prima est, quia ut valeret, deberet esse comparatio operis respectu earundem circumstantiarum, quod non evenit; nam discursus reflexus considerat opus in ordine ad alias circumstantias, quàm discursus directus. Ergò licet major admitteretur, & minor cum consequentia negari non posset relatè ad solas circumstantias per directum discursum propositas, tamen minor & consequentia absolutissimè negantur respectu operis considerati in ordine ad circumstantias per rationem reflexam propositas. Nec mirum, quia aliter & aliter enunciamus de eadem re relatè ad diversas circumstantias, ut patet. Secundò, Syllogismus ille non obstat, quia major est solùm vera, quando procedit de lege sufficienter promulgata & applicata, seu de lege habente & exercente vim legis. Majore sic distinctâ, minor eodem modo distinguitur; nam in casu paris probabilitatis pro & contra legem, lex illa non est sufficienter applicata, nec potest vim legis exerere, ut ostensum est. Negatur ergò existentia talis legis, quamvis negari non possit lex directa vocaliter sumpta, de qua tamen reflexè dicitur, quod non possit vim legis exerere. Unde in eodem sensu negatur consequentia, & nullitas argumenti apparet, quia homo manifestè operatur juxta regulam rationis suæ.

Ratio illius, qui sequitur minùs probabile, non manet neutra, sed reflexè saltem quæstionē determinat.

Qui sequitur minùs probabile, proponit sibi legē Dei libertati faventem. 23. Ad confirmationem responsio patet ex dictis. Quia in æquè & minùs probabilibus formari potest judicium præferens unam partem. Sed esto, in dicto casu agnitæ paritatis vel minoritatis, non possit formari judicium directum de lege Dei per se existente, potest tamen per discursum reflexum formari judicium de lege æterna existente per accidens, quia per talem discursum cognoscimus, quid Deus exigat, quando veritas directa post omne studium omnemque diligentiam adhibitam sciri ac inveniri non potest. Ergò in casu allato habemus primum principium morum, quod nobis per propriam rationem applicamus, ut patet. Itaque ultrò fatemur, in dicto casu licitum esse operari ex solis cognitionibus directis, quia per illas lex Dei sufficienter proponi non potest, sed hoc non obstat, quin illa proponatur per discursum reflexum, vi cujus licitè operamur.

Error Celladei. 24. Cæterùm in eo fallitur Celladeus, quòd dicat, non posse probari ac defendi licitum esse sequi æquè ac minùs probabile, nisi simul probetur ac defendatur, quod intellectus opinari possit æquè ac minùs probabile. Errat, inquam, quia hæc duo non sunt connexa, cùm per principia reflexa formari possit conscientia, etsi per principia directa non possit formari. At, conscientiâ per principia sive directa, sive reflexa, ritè formatâ, voluntas licitè se extendit ad opus. Reliqua adjecta, de opinante aliquid simulque judicante motiva opposita esse æquè bona aut meliora, continet æquivocationem in prioribus sæpè detectam.

Replica prætendens duplicem demonstrationem. 25. Sed instat Celladeus. Inepta est illa distinctio legis sufficienter promulgatæ & non promulgatæ in casu argumenti, quia *lib. 3.* contrarium fusè probavit. Porrò duo videntur rem demonstrare. Primum est, quod hoc supposito, ipsi inepti essemus, dum in quæstionibus, ubi adsunt probabilitates, diceremus aliquid esse peccatum, aut illicitum, cùm notum sit contra leges non satis promulgatas nullum dari peccatum. Alterum est, quod Theologiam moralem reddamus ridiculam, quia tota fermè versatur in materia, in qua sunt utrimque probabilitates. Ergò in qua leges non sunt sufficienter promulgatæ. Cùm ergò sciatur leges non satis promulgatas non habere vim obligandi, ad quid tempus teritur, quærendo, an hoc sit peccatum, an illud? omittantur hæc, & examinentur alia, in quibus non sunt probabilitates. Quod si hæc etiam evadant probabilia, mox in his quoque pars minùs tuta non erit sufficienter promulgata. Ergò hæc distinctio est valdè extranea. Ita Celladeus ibidem.

Celladeus in fine operis consueto acerbiùs scribit, & cur? 26. Respondeo inprimis, mirandum videri, quòd Celladeus præter morem suum (nam ubique fermè de aliorum opinionibus modestè loquitur) distinctionem hanc, atque doctrinam in ea contentam, utpote apud Auctores communem, ineptam vocaverit, omnesque ineptos esse dixerit, qui eâ admissâ, adhuc quærunt, cur aliquid sit peccatum? judicent alii quid sibi voluerit: ego certè

certè existimo, *in ultima quæstione totius operis*, ideò hoc intellectuali quodam impetu scripsisse, quòd clarè videret, stante eâ doctrinâ ac distinctione, totum opus à se post plurium annorum laborem, ut ibidem fatetur, exantlatum in nihilum prorsus recidere, ac nullius prorsus valoris esse; quod quia absque ægritudine animi nec apprehendere nec ferre poterat, ideò calamo paulùm acerbiore censuras illas præter morem apposuit, duasque, ut putat, demonstrationes, acriore illo currente atramento, contra nos exaravit. His circa modum exprimendi argumentum præmissis,

Prætensæ demonstrationes non tãgunt quæstionẽ præsentem.

27. Respondeo secundò, multa quidem attulisse Celladeum in tertio libro circa quæstionem hanc, sed ea omnia seriò examinata reperies *quæst. 43.* ubi monstrabuntur inefficacia. Porrò quæ hîc objicit, ad præsens intentum nil faciunt; sive enim inepti sint, sive non sint, qui admissâ benignâ sententiâ dicunt hoc & illud esse peccatum, inde non sequitur, eos non posse formare suam conscientiam, & mentaliter applicare sibi legem Dei, quod solùm *in hac quæst.* à Celladeo controvertitur. Sed & eadem simpliciter nullius sunt roboris. Ad primum: non ineptit, qui suam sententiam dicit. Jam nos qui tenemus benignam sententiam reflexam, eâ non obstante, primò quærimus veritatem directam, ad hoc enim omnes eniti debemus, & probabiliter dicimus hoc vel illud esse peccatum, quia rationes ad hoc potiùs, quàm ad oppositum dicendum apud nos prævalent. Sed quia videmus rationes nostras non esse certas, sed oppositas esse probabiles, & ab aliis præferri rationibus nostris, remque ipsam non posse directè certò decidi, convertimur ad considerationem reflexam, ut quaquâ tandem viâ veritatem inveniamus. Sic tandem statuimus opus illud in hisce circumstantiis esse licitum; & inter reliquas rationes hanc quoque asserimus, quòd leges, quæ directè loquendo probabiliter non existunt, non sint sufficienter promulgatæ & applicatæ, ut vim legis possint exerere, quod est verissimum, & satis per se patet, quidquid Celladeus conetur in contrarium. Porrò quia hoc aliaque ejusmodi reperiuntur in omni casu probabilitatis practicæ faventis utrique parti, inferimus licitum esse sequi quamcumque ex partibus certò practicè probabilibus. Quid hîc ineptum reperitur? an quòd considerationem directam ad veritatem inveniendam adhibeamus? hoc non dixerit, quia ad hoc obligantur ii, qui munus talia tradendi suscipiunt. An quòd veritatem certò non reperiamus? hoc quidem arguit nos minùs aptos, & multùm defectuosos: sed hæc est misera hominis conditio, cui necessariò & sine culpa aut vitio subjacet. An quia cùm teneamus benignam sententiam, frustra insudamus, dicendo hoc aut illud esse peccatum, cùm contra leges non satis promulgatas non sit peccatum? hoc quidem rectè reprehenderetur, si absque priori resolutione scire possemus, legem non esse sufficienter promulgatam, aut sine eadem locus esse posset pro stabilienda sententia benigna. Verùm quia perspicuum est, nec primum sciri posse, nec pro secundo dari locum, nisi diligens examen directum præmittatur, ideò non sunt inepti, sed maximè laudandi, qui primum præmittunt, & postea ad secundum progrediuntur, quod sine illo priori benè stabilito nec sciri nec examinari poterat.

Non ineptè sed laudabiliter quæritur veritas per argumenta tam reflexa quã directa.

28. Ad secundum eadem responsio se extendit, quia si sint multæ probabilitates practicæ pro utraque parte contradictionis, multi etiam sunt casus, in quibus rectè inferimus, legem hoc vel illud vetantem aut nullam esse, aut certè non esse sufficienter promulgatam. Ubi hîc, aut unde, quæso, scientia moralis redditur ridicula? an quòd post rerum examen una pars uni, altera alteri probetur, & sic utraque inveniatur probabilis? hoc non est ridiculum, sed stante ingeniorum varietate prorsus necessarium. An quòd absurdum sit quærere obligationem, ubi leges non sunt sufficienter promulgatæ? hoc quidem ridiculum esset, si suppositâ negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc illius obligatio quæreretur. Sed hoc non fit, nam antequam per reflexam considerationem dicere possimus, *Lex hæc non est sufficienter applicata*, necesse est, ut veritas directa debitâ diligentiâ investigetur. Præcedit ergò directa consideratio, an hoc sit peccatum, & post illam examinatam succedit quæstio reflexa, an licitum sit sequi opinionem directè æquè aut minùs probabilem. Patet ergò non ridiculè, sed necessariò requiri directam veritatis investigationem, quamvis admittamus legem non esse sufficienter applicatam, quando utraque pars hinc inde est certò practicè probabilis. Itaque ita possumus aliis speculationibus insistere, ut has & harum ordinationem omittere non possimus, nisi in morali scientia tractanda inordinati, præposteri, ac absurdi esse velimus. Itaque demonstrationes istæ prætensæ sunt solùm indigestæ cogitationes, ex quibus probabile argumentum formari non potest.

Nullitas secundæ demonstrationis prætensæ.



QUÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMA-SEXTA.

Vtrùm probabilitas Conscientiæ, à nobis asserta; æqualiter se habeat ad verum & ad falsum.

1. SI genuinum benignæ sententiæ sensum Celladeus ante oculos tenuisset, omisisset, opinor, *quæstionem 14. lib. 2.* in qua contendit, probabilitatem, à nobis pro conscientiæ regula assignatam, æqualiter se habere ad verum ac falsum. Omisisset, inquam, quæstionem hanc, quia nil evidentius, quàm nil ejusmodi, sed omnia prorsus contraria, à nobis doceri, nec ullam inter sententiam benignam & hujusmodi illationem inveniri connexionem. Nihilominus in hac rerum evidentia Celladeus videtur sibi omnia contraria videre. Unde quodammodò jactat, se necessitate compulsum fuisse ad aliam conscientiæ regulam inveniendam, quæ magis se habeat ad verum, quàm ad falsum. Verùm, eadem hujus, quæ plurium aliarum Celladei deceptionum est origo, nempe indebita benignæ sententiæ acceptio, atque, quod consequens est, incongrua terminorum æquivocatio, ut mox palam fiet.

ASSERTIO PRIMA.

Ad essentiam veræ, positivæ, ac realis probabilitatis in particulari sumptæ non requiritur, ut apparentia illa magis connectatur cum vero reali quoad se, quàm cum falso. Requiritur tamen, ut magis connectatur cum vero quoad nos, seu cum vero apparente, quàm cum falso.

Ad probabilitatem in particulari quid requiratur?

2. PROBATUR *ex asser. 1. quæst. 29.* Multa falsa sunt probabiliora veris, immò multa falsa sunt nobis unicè probabilia, ut contingit in judice, qui ex probationibus prorsus convincentibus dolosè allegatis damnat innocentem, & in puero credente aliquem esse suum patrem, qui non est. In hujusmodi casibus judicia ista sunt probabilissima, ac prudentissima, & tamen sunt erronea. Ergò ad essentiam veræ probabilitatis in particulari non requiritur, ut apparentia probabilis hîc & nunc magis connectatur cum vero reali quoad se, quàm cum falso, quia apparentia illa hîc & nunc non conjungitur cum vero, sed solùm cum falso. Hoc tamen nonobstante, apparentia illa validè repræsentat objectum suum, ut verum; ideoque vehementer stimulat ad assensum, quod nî faceret, non esset probabilis apparentia veri, ut patet. At hoc est apparentiam illam hîc & nunc magis connecti cum vero quoad nos, seu magis connecti cum vero apparente, quàm cum falso. Hoc autem est essentiale omni apparentiæ probabili; quia, hoc ablato, nulla apparentia remanere potest probabilis, ut patet.

ASSERTIO II.

Omnis apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum, quàm ad falsum, licèt aliquando aliter eveniat in particulari.

Apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum, quàm ad falsum.

3. PROBATUR. Illa apparentia magis se habet ad verum reale in genere, quàm ad falsum, quæ tantæ magnitudinis est, ut propter illam ipsam ejus magnitudinem necesse sit, ex omnibus illi æqualibus plures connecti cum vero, quàm cum falso; quamvis hîc & nunc per accidens aliquando in particulari à vero aberret. Hoc videre est in auctoritatibus, quibus judex ille & puer moventur ad assensum; illæ enim sumptæ in genere, ex naturæ necessitate sæpiùs connectuntur cum vero, quàm cum falso, quamvis hîc & nunc per accidens in individuo à vero aberrent. Et sanè nisi illa apparentia ex ratione suæ magnitudinis sæpiùs connecteretur cum vero, saltem genericè sumpto, quàm cum falso, non mereretur assensum, ut patet. At evidens est, quod mereatur assensum. Ergò ratione suæ magnitudinis magis connectitur cum vero genericè sumpto quàm cum falso. Sed omnis apparentia probabilis, contenta in definitione probabilitatis à nobis posita, tantæ magnitudinis est, ut propter illam ipsam suam magnitudinem necesse sit, ex omnibus illi æqualibus plures connecti cum vero quàm cum falso, ut fusè ostendi in *tract. de consc. prob. multis in locis, præsertim quæst. 2. à num. 11. fermè usque ad finem, & quæst. 4. à num. 16.* ratio est, quia motivum probabile juxta nos est motivum incertum, sed assensu dignum, seu aptum ad impetrandum assensum à viro probo & perito, non temerè, sed, sicut peritum & probum decet, judicante. At nullum motivum incertum, quod ex vi suæ magnitudinis non connectitur frequentiùs cum vero quàm cum falso, est dignum assensu, ut patet, & fusiùs explicatum est in locis citatis. Ergò omnis apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum quàm ad falsum; licèt aliquando aliter eveniat in particulari.

ASSERTIO III.

In æquè probabilibus, utraque pars magis se habet ad verū genericè sumptum quàm ad falsum.

Quando utraque pars contradictionis est æquè probabilis, probabilitas utriusque partis magis se habet ad verum reale in genere, & ad verum apparens in individuo, quàm ad falsum.

4. PROBATUR. Prima pars sequitur *ex assertione 2.* quia talis connexio est de essentia omnis probabilitatis, ut dictum est. Nec obstat æqualitas probabilitatis, quò minus utraque apparentia ad hanc magnitudinem pertingat, ut constat *ex locis proximè citatis ex tract. de Consc. prob.* & probatum est *quæst. 29. assert. 5. maximè num. 27.* Probatur secunda pars. Complexio contradictoria non est probabilis, cùm evidenter repugnet illam verificari. Itaque probabilitas, quæ habetur, solùm suadet utramlibet contradictionis partem seorsim sumptam esse veram. Dantur ergò simul duæ probabilitates, quarum altera suadet unum, altera suadet oppositum. Hoc posito: dico, utramque ex illis probabilitatibus esse magis ad verum apparens & quoad nos, quàm ad falsum. Ratio est clara. Probabilitas partis A. fundatur in rationibus directè suadentibus veritatem ipsius A. & in solutione argumentorum, quæ afferuntur in contrarium. At hæc duo simul sumpta magis sunt ad verum quàm ad falsum, quia magis alliciunt ad assensum, quàm alliciant ad dissensum. Imò si rectè loquamur, nullo modo alliciunt ad dissensum, sed solùm ad assensum objecti, cui favent; quod certè non facerent, si non magis se haberent ad verum apparens quàm ad falsum. Ergò probabilitas partis A magis est ad verum apparens & quoad nos, quàm ad falsum. Eadem ratio valet de probabilitate partis B. Ergò utraque probabilitas quoad nos magis se habet ad verum, quàm ad falsum.

ASSERTIO IV.

Regula nobis assignata magis se habet ad verū quàm ad falsum.

Probabilitas, quàm benigna sententia præscribit pro proxima conscientiæ regula, multò magis se habet ad verum quàm ad falsum.

5. PROBATUR. Inprimis benigna sententia pro regula conscientiæ in obscuris, ad minimum postulat veram probabilitatem. At illa, quæcumque demum sit, magis se habet ad verum, quàm ad falsum *ex assert. 3.* Ergò &c.

Secundò, idipsum clariùs probatur declarando sensum sententiæ nostræ. Nemo habet probabilitatem proximè sufficientem pro regulanda conscientia circa ullam partem contradictionis, nisi absoluto judicio credat illam esse licitam. Nec hoc sufficit, nisi judicium illud motivo valido ac certò rationabili nitatur, quando nil certi affertur in contrarium. At evidens est, omne hujusmodi judicium magis se habere quoad nos ad verum, quàm ad falsum; tum quia fertur in suum objectum tamquam in rem unicè & absolutè veram, & oppositum rejicit ut falsum; tum quia est propria sic judicantis opinio, quæ non potest non esse ipsi probabilior quàm opposita. Ergò tale judicium non solùm magis se habet ad verum quàm ad falsum, sed solùm verum rationabiliter apparens approbat, & oppositum ut absolutè falsum repellit. Hinc constat, regulam à nobis propositam non solùm magis se habere ad verum quàm ad falsum, sed unicè se habere ad verum quoad nos seu apparens, cùm essentialiter sit repræsentatio sui objecti ut veri & oppositum repellat ut falsum. Præterea eadem regula ex vi suæ magnitudinis magis connectitur cum vero reali genericè sumpto, quàm cum falso, ut constat ex *assertione secunda.* Quæ cùm adeo perspicua sint, miror Celladeum potuisse sibi persuadere, oppositum sequi ex sententia nostra; & ideo magis miror, quia quæ objicit, aut apertè falsa sunt, aut ingenti terminorum æquivocatione legentibus confusionem pariunt; ut ex ipsius doctrina, mox in objectionibus proferenda, constabit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

6. OBJICIT primò. Quod est commune utrique parti contradictionis, æquè se habet ad verum & falsum. Sed probabilitas à nobis asserta est communis utrique parti contradictionis. Ergò probabilitas à nobis asserta æqualiter se habet ad verum & falsum. Ergò probabilitas non est apta conscientiæ regula; ineptum enim est existimare regulam illam esse idoneam ad aliquid regulandum, quæ æquè indifferenter se habet ad errandum, ac ad non errandum. Errant proinde omnes, qui ponunt probabilitatem conscientiæ in contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictionis parti æquè conveniat. At omnes, qui dicunt quamvis probabilitatem partis minùs tutæ sufficere pro regula conscientiæ, etsi pars tutior contradictoriè opposita sit æquè probabilis, ponunt probabilitatem conscientiæ in contradictione, aut certè in aliquo, quod utrique parti contradictionis æquè convenit. Ergò errant. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 14. §. 1.* ubi gloriatur se, omni æquivocatione remotâ, omnia explicare in ordine ad verum, qui terminus ab omnibus in uno eodemque sensu accipitur. Objectio 1.

Celladeus immeritò gloriatur.

7. Respondeo inprimis, Celladeum in aliis quidem quæstionibus magnas, in ista verò, longè maximas æquivocationes passum esse. Et quamvis terminus *verum*, per quem conatur (sed irrito prorsus conatu) omnia explicare, non videatur æquivocus, verè tamen æquivocus est, maximè in casu præsenti, in quo non solùm veritas realis & quoad se, sed etiam apparens & quoad nos locum habet. Jam certum est, probabilitatem non posse explicari per connexionem cum vero reali in individuo, quia tunc probabilitas non magis discerni posset, quàm veritas. At veritas ipsa realis certò sciri nequit. Ergò nec probabilitas: quod tamen omnes negant, cùm per omnes sæpè evidens sit propositionem esse verè probabilem, etsi incertum sit an sit vera. Ergò terminus, in ordine ad quem Celladeus omnem suam explicationem dirigit, æquivocus est, & nisi accipiatur in sensu opposito ejus, quem ille considerat, est prorsus ineptus ad præsentem disputationem.

Quod convenit utrique contradictorio nō semper æquè se habet ad verum & falsum à parte rei.

8. Respondeo secundò. Distinguo majorem. Quod est commune utrique contradictionis parti, æquè se habet ad verum & falsum, si sit una eademque indivisibilis forma, transeat major; si prædicatum convenientiæ sit ratio præcisa à diversis formis, quarum una uni altera alteri parti convenit, nego majorem. Exemplo sint duæ propositiones contradictoriæ, simul existentes in duabus mentibus, quarum quælibet sit probabilissima

bilissima judicanti, eò quòd sic judicans gravissima motiva habeat pro parte in quam fertur, & parùm aut nil in contrarium. In hoc casu evidens est, nullam dari formam aut probabilitatem realem, quæ æquè se habeat ad verum & ad falsum; nam si sermo sit de connexione cum vero reali, & quoad se, una tantùm propositio ac probabilitas cum illo connectitur, & eadem repugnat falso; opposita repugnat vero, & connectitur cum falso, ut patet. Ergò utraque non æquè connectitur cum utroque contradictorio, seu cum vero & falso. Si autem loquamur (ut nunc loqui debemus, nisi abs re loquamur) de vero apparente & quoad nos, longè evidentiùs est, nullam dari formam à parte rei, quæ æquè se habeat ad utramque partem contradictionis; nam opinio affirmativa aliter se habet ad seipsam & ad suum objectum, quàm ad propositionem negativam ipsi contradictoriè oppositam, & objectum illius. Similiter propositio negativa aliter se habet ad seipsam & suum objectum, quàm ad affirmativam ipsi contradictoriè oppositam & objectum illius. Ergò neutra æquè se habet sive ad propositiones, sive ad objecta contradictoria. Rursus certum est, utramque esse præcisè & propriè ad verum tantùm, quia utraque est rationabilis tendentia in suum objectum ut verum. Nihilominus ab istis duabus propositionibus abstrahi potest ratio communis non solùm judicii, sed etiam judicii probabilis, & aliæ complures, quæ rationes æquè se habent ad utramque partem contradictionis, tam formalis quàm objectivæ. Hoc tamen non obstante, certum est, quod nulla sit forma à parte rei, quæ æquè conveniat utrique contradictorio, aut sit æquè indifferens ad verum & falsum. Ergò evidens est, distinctionem datam esse legitimam ac veram; illâ autem admissâ, tota evertitur objectio.

Palpabilis Celladei æquivocatio.

9. Peto enim à Celladeo, utrùm benè argueret, qui contenderet, nil esse in duabus dictis propositionibus, quod ex æquo utrique contradictorio non conveniat, eò quòd ab illis abstrahi possint rationes quædam utrique contradictorio communes? Dicet haud dubiè, eum non solùm non benè arguere, sed uti æquivocatione palpabili, eò quòd confundat rationem specificam cum generica, & aliud prædicato differentiali non tribuat, quàm quod generico præciso convenire constat. At hic est casus noster, utpote qui ad hoc ipsum exemplum extenditur, illudque non minùs complectitur, quàm quævis alia contradictoria. Ergò Celladeus malè arguit, & palpabili æquivocatione utitur.

Replica.

10. Dices, loquimur in præsenti de uno eodemque intellectu, qui utramque conclusionem tamquam æquè probabilem considerat. Ergò frustra objicitur exemplum illud de duobus intellectibus. Ita Celladeus §. 2.

Replica nō est ad rem.

Respondeo, quæstionem procedere in genere de omni contradictione, ut patet; unde si argumentum vel in uno casu deficiat, nullum est. Deinde esto, restringatur quæstio ad eundem intellectum, considerantem utramque partem ut æquè probabilem. Inprimis casus iste non est ad rem, quia talis homo per hoc non habet dispositionem seu probabilitatem sufficientem ad proximè regulandam conscientiam, quia nisi directè vel reflexè absoluto judicio feratur in partem, quam sequitur, tamquam in rem verè honestam, & oppositum ut falsum rejiciat, non habet probabilitatem, quam nos pro proxima conscientiæ regula postulamus. At in hoc sensu perspicuum est argumentum nil valere. Deinde eadem prorsus æquivocatio reperitur in hoc ac in priori illo casu, quia æquè in utroque dantur duæ probabilitates realiter distinctæ, sibique contradictoriæ, quarum quævis solùm se habet ad verum, cùm solùm ad assensum non ad dissensum alliciat, ut patet *ex assert. 3.* Deinde in hoc casu nil datur à parte rei, quod sit commune utrique contradictorio, nec aliud utrique commune est, quàm prædicatum aliquod ab utroque præcisum. Ergò inevitabiliter incidit in dictam æquivocationem.

Nec liberat Celladeum ab æquivocatione dicta.

Probabilitas regulandæ conscientiæ necessaria, unitantùm, non utrique contradictorio convenit.

11. Majori hoc modo distinctâ, eâdem ratione minor etiam distinguitur; quia probabilitas, quæ sæpè est & creditur esse æqualis pro utraque parte contradictionis, non est unum quid, sed sunt plures formæ diversæ ac penitus contrariæ, à quibus tamen ratio probabilitatis, & alia prædicata utrique contradictorio communia præscindi possunt. Unde nil invenitur à parte rei, quod æquè utrique conveniat. Secundò, prædicata ista, utrique contradictorio communia, non sunt probabilitas regulandæ conscientiæ sufficiens; ad conscientiam enim regulandam opus est peculiari aliquâ specificâ probabilitate, determinatè affixâ parti, quam sequimur, quæ certè utrique contradictorio non convenit. Tertiò, probabilitas, à nobis asserta pro proxima conscientiæ regula, est probabilitas per quam, & propter quam intellectus directè, vel indirectè movetur ad absolutè judicandum partem illam, quam sequitur, esse absolutè veram, & oppositum falsum. At evidens est, talem probabilitatem, hîc & nunc respectu hujus intellectûs, non convenire utrique contradictorio, nec esse æquè indifferentem ad verum & falsum. Unde negatur consequentia, & totum argumentum ruit. Errat proinde Celladeus, dum putat nos ponere probabilitatem conscientiæ in contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictionis parti æquè conveniat; nemo enim ex Catholicis scriptoribus somniavit, contradictionem aut complexionem contradictoriam esse probabilem, aut ullam dari probabilitatem veram & realem, quæ ante opus mentis utrique contradictorio conveniat. Probabilitas, quam ponimus, est probabilitas partis minùs tutæ secundùm se totam, prout illa determinatè suadet partem illam esse licitam. Hanc probabilitatem dicimus tunc solùm sufficere, quando intellectus vi illius directè aut indirectè surgit ad formandum absolutum judicium de honestate sui operis: si enim, stante notitiâ de probabilitate partis minùs tutæ, hoc modo conscientiam non formaret, sed in dubio maneret, peccaret indubiè, si opus illud exhiberet. At evidens est, talem probabilitatem utrique contradictorio non convenire. Itaque patenter errat, dum ait, eos, qui dicunt licitum cuique esse sequi quamlibet ex partibus æquè probabilibus, ponere probabilitatem in ipsa contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictorio commune est.

Errores Celladei indicantur.

Duplex alius defectus argumenti.

12. Demùm argumentum hoc ex duplici alio capite labitur. Primum est, quòd non deserviat intento Celladei, quia ipse æquè condemnat usum partis probabilioris, ac æquè aut minùs probabilis. At argumentum applicari non potest contra usum partis probabilioris, quia impossibile est, ut probabilioritas respectu ejusdem intellectûs simul conveniat utrique contradictorio. Ergò argumentum ad primarium Celladei intentum non conducit. Secundum est, quòd reipsâ benignam sententiam non impetat, quia benigna sententia reipsâ solùm ponit majorem probabilitatem pro sufficienti

sufficienti conscientiæ regula; nam nisi directè vel saltem reflexè honestas operis evadat probabilior operanti, quàm ejus inhonestas, nemo excusatur, ut latè probavi *in tract. de Consc. prob. qq. 22. & 23.* Ergò argumentum hoc non tangit benignam sententiam in sensu proprio ipsius, & prout illa à suis auctoribus declaratur, & defenditur.

Objectio 2. 13. Objicit secundò Intellectus, qui motiva oppositis contradictionis partibus faventia considerat ut æqualia, tantùm habet pro falsitate, quantum pro veritate cujusvis partis. Ergò æqualiter se habet ad verum & falsum. Ergò probabilitas à nobis asserta æquè se habet ad verum & falsum.

Responsio. Respondeo, intellectum sic dispositum, si aliud illi non addatur, æqualiter se habere ad verum & falsum, & propterea talis dispositio non est sufficiens regula ad licitè sectandam partem minùs tutam, cùm ad hoc absolutum judicium de honestate operis formandum sit, ut sæpè dictum est. Itaque concedo antecedens & primam consequentiam, quia intellectus habet duas formas æquales, quarum una alteri contradicit, unde quantum habet pro veritate partis A, per unam formam, tantùm habet pro falsitate ejusdem per alteram. Verùm ultima consequentia non sequitur, quia probabilitas à nobis asserta non consistit in utraque illa forma sumpta per modum unius, sed solùm in singulis. Singulæ autem magis se habent ad verum, quàm ad falsum, ut constat *ex asser. 2. & 3.* Sunt ergò tunc duæ formæ æquales in intellectu, quarum singulæ feruntur præcisè in veritatem sui objecti & falsitatem oppositi; ac proinde probabilitas utriusque partis est par; sed nulla est probabilitas utrique parti communis, quæ æquè se habet ad verum & falsum. Verum quidem est, quod probabilitas A non magis suadeat veritatem objecti sui, quàm probabilitas B illam dissuadeat. Similiter verum est, quod probabilitas A non magis se habeat ad veritatem sui objecti, quàm probabilitas B se habet ad ejusdem objecti falsitatem. Sed hoc non est ad rem in præsenti, quia solùm quæritur, an probabilitas A æquè se habeat ad verum & falsum. Hoc autem est evidenter falsum, ac proinde contrarium absque fundamento à Celladeo asseritur.

Objectio 3. 14. Objicit tertiò. Quando idem intellectus simul concipit conclusiones contradictorias, simulque perpendit motiva æqualia singulis faventia, non magis agnoscit dari, quàm non dari conclusionem. Ergò, consideratis omnibus, totoque objecto tam in se quàm etiam quoad nos simul sumpto, adest totalis indifferentia ad verum & falsum. Ergò ponere probabilitatem conscientiæ in hoc objecto, est eam ponere in objecto totaliter indifferenti ad verum & falsum. Ergò non ponitur in fundamento gravi, immò nec in levi, sed in nullo; quia fundamentum totaliter indifferens ad conclusionem & non conclusionem, seu ad verum & falsum, non est fundamentum grave aut leve, sed prorsus nullum. Ergò non est probabilitas conscientiæ.

Confirmatur; si totum hoc objectum non sumatur per modum unius, sed quasi per partes dividatur in duas conclusiones & duo fundamenta, dici posset, quòd non incarnatio v. g. & quævis hæresis nitatur fundamento gravi ac probabili, quia si totum pro utraque parte contradictionis non sumatur simul per modum unius, sed pars contra incarnationem solitariè sumatur, ex illa magis sequitur non incarnatio. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus frustra laborat. Respondeo Celladeum duplici de causa frustra laborare in hoc argumento. Primò laborat, ut concedatur consequentia, quam ultro concedimus; nempe dispositionem illam intellectûs, de qua nunc loquimur, non esse proximam ac sufficientem regulam, seu propriam probabilitatem conscientiæ; illa enim consistit in judicio absoluto, quo pars aliqua probabiliter judicatur licita, & oppositum absolutè rejicitur ut falsum, ut sæpè dictum est. Ergò frustra laborat ad hoc persuadendum. Secundò frustra laborat, quia totum argumentum evidenter procedit de subjecto non supponente, quia supponit tam utramque conclusionem contradictoriam, quàm utrumque fundamentum contrarium sumi per modum unius. At hoc est impossibile, quia nec propositiones illæ in unam assertionem, nec fundamenta illa ob essentialem repugnantiam coalescere possunt in unum fundamentum. Rursus nemo dicit, aut dicere potest, ipsam complexionem contradictoriam esse probabilem, cùm sit evidenter falsa & impossibilis. Similiter intellectus stimulari non potest ad illam affirmandam. Ergò nullum datur fundamentum pro tali complexione. Ergò argumentum procedit de subjecto non supponente. (rat & argumenta ut ex subjecto non supponente.)

15. Præterea Celladeus ipse fatetur, totum illud motivum sumptum per modum unius, non esse motivum, cùm nulla ratione stimulet ad assensum. Ergò evidens est illud non esse motivum, de quo loquimur; nam certum est, intellectum in casu posito habere duplicem stimulum tendentem ad opposita; ab una enim parte stimulatur ad assensum, & ab altera parte ab assensu retrahitur ad dissensum. Ergò ibi sunt actu duo motiva, quæ simul sumpta nil suadent, quia simul sumpta per modum unius fundamenti sunt chymæra, cùm in unum coalescere non possint. At singillatim movent. Ergò distributivè sumpta sunt motiva & fundamenta. Errat ergò Celladeus, dum contendit, in hoc casu nullum prorsus esse fundamentum. (Celladeus cōtradictoria in unum colligit, & inde nulliter arguit.)

16. Quod ad confirmationem attinet, sequela est prorsus nulla; quamvis enim omnis hæresis habeat aliquod fundamentum, non tamen habet fundamentum grave, sed leve & imprudens; quia omne fundamentum hæresis tantâ vi superatur à fundamentis credibilitatis mysteriorum fidei, ut nemo citra immensam temeritatem & summam imprudentiam, possit illi assensum præbere, unaque fidem sufficienter propositam repudiare. Verum quidem est, quod non incarnatio magis sequatur ex fundamento illius hæresis, quàm incarnatio; hoc enim proprium est omni motivo etiam temerario ac minimo. Verùm hoc ad probabilitatem, seu ad fundamentum grave non sufficit: oportet enim omnia considerare, ac ponere ex una parte fundamenta positiva ac negativa unius, & ex altera parte fundamenta positiva ac negativa alterius propositionis, atque illa inter se comparare. Si fundamenta unius propositionis incomparabiliter prævaleant, fundamenta propositionis contradictoriæ non sunt gravia, prudentia, & probabilia, sed levia, imprudentia, & temeraria, ut patet. Jam fundamenta credibilitatis fidei hoc modo evidenter superant motiva hæresum. Ergò omnes hæreses sunt evidenter improbabiles, quamvis non careant motivis sollicitantibus ad assensum. (Sequela cōfirmationis pariter nulla.)

17. Objicit quartò. Auctores benignæ sententiæ, in casu probabilitatis utrique contradictoriæ æqualiter faventis, dicunt nos excusari per hoc, quod etsi voluntas Dei detur, non tamen sit sufficiēter promulgata. At hoc non satis est. Nam si utramque partem esse probabilem esset legem non esse sufficienter promulgatam, in talibus & de tali- (Objectio 4.)

de talibus non esset disputandum, an sint peccata nécne; quia certum est, leges non promulgatas non obligare; & qui supponit legem non esse promulgatam, non amplius disputat an hoc vel illud sit peccatum contra legem. At in contradictoriis utrimque probabilibus disputatur, an liceant nécne, & libri de istis rebus implentur, quod frustra fieret, si ex hoc capite peccandi periculum cessaret. Ita Celladeus §. 3.

Responsio. Respondeo, nos ita quidem discurrere, sed in hoc ipso jam reflexè procedimus, & per fundamentum reflexum absolutè credimus, utramque partem contradictionis objectivæ esse licitam. Habemus ergò regulam non æquè indifferentem ad verum & falsum, sed expressè determinatam ad solum verum, & nisi hanc haberemus, non excusaremur. Jam quod hic discursus noster sit benè fundatus, constat ex iis, quæ hac de re scripsi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 14 & multis seqq.* Nec metuendum est ab iis, quæ Celladeus minatur, se *libro 3.* contra hoc allaturum, inveniemus enim ea in nullo meliùs fundata esse, quàm quæ hactenus attulit, quæ certè aut æquivocationibus plenissima sunt, aut de subjecto non supponente procedunt, nec quidquam concludunt. Jam ergò ad argumentum, fateor non amplius disputandum esse an lex obliget, si post debitam diligentiam præmissam utraque pars inveniatur esse certò probabilis; & in hoc omnes conveniunt, qui unanimiter asserunt, utramque partem in eo casu esse licitam; ac proinde disputatio ulterior cessat, nec quisquam de eo dubitasset, nisi pauculi aliqui

Celladeus aliique frustra quæstionem præsentem in dubium vocârunt.

(qui tamen non benè intellexerunt sensum nostræ sententiæ, ut sæpè ostendi) absque necessitate ac sufficienti fundamento jam stabilita in dubium revocâssent. Hos imitatus est Celladeus, sed magis irrito conamine, quia solus contra omnes novam sententiam invexit, quâ omnem etiam majorem probabilitatem à conscientia regulanda removet. Itaque fateor, eum frustra hunc laborem assumpsisse, cùm nulla planè esset necessitas quæstionem hanc reflexam in dubium revocandi ac iterum determinandi. Unde nos, positâ semel certâ probabilitate utrimque æquali, non amplius ambigimus, an pars minùs tuta liceat, quia jam supponimus legem illam non esse quoad hoc sufficienter promulgatam. Nec tamen frustra disputatur de honestate talis operis, quia disputationes illæ procedunt in sensu directo, in quo sensu sunt valdè utiles ac necessariæ, quia omnes tenentur conari ad veritatem ipsam directè sumptam inveniendam, ut sæpè dictum est. Quòd si quis ambigat, an lex in eo casu sit sufficienter promulgata seu applicata, benè facit hoc ipsum investigando. Nos illud investigavimus, & illud verum esse invenimus; unde meritò intulimus, utramque contradictionis partem in eo casu esse licitam, atque eâ illatione quæstionem determinavimus.

ALIÆ OBJECTIONES
solvuntur.

Objectio 1. 18 OBJICIT primò. Velle usurpare pro regula aliquid æqualiter indifferens ad verum & falsum, quin hæc indifferentia tollatur, est tanti facere falsum quanti verum quoad regulandos mores. At tanti facere falsum quanti verum ad regulandos mores est illicitum, & contra Dei legem, quia est tanti facere non operari juxta voluntatem Dei, quanti operari juxta illam. Ergò illicitum est velle id usurpare pro regula quod æqualiter indifferens est ad falsum & verum, nisi indifferentia tollatur. Sed qui assumit pro regula quamlibet ex partibus æquè probabilibus, vult usurpare pro regula, quod æqualiter indifferens est ad falsum & verum, quin illa indifferentia tollatur. Ergò illicitum est velle usurpare talem regulam. Probatur major. Assumptio illius regulæ huic voluntati æquivalet. *Ego volo sumere pro regula mei actûs hanc opinionem, quæ an sit vera vel falsa nescio, cùm tantum habeo pro ejus falsitate, quantum pro veritate.* Hoc autem perinde est, ac velle quem se regulare per opinionem hanc sive sit vera sive sit falsa, & per illam sive veram sive falsam honestè operari, quia existimat mores suos fore honestos ex vi regulæ, sive illa regula fuerit vera sive falsa. Ergò tanti facit falsum quanti verum in ordine ad regulandos mores. Stat ergò major. Reliqua legitimè deducuntur. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 15.* §. 2.

Respondeo. Transeat totus primus syllogismus, si sumatur ut jacet. Sed nego minorem subsumptam; quia quando opiniones directæ sunt & habentur æquè probabiles, intellectus neutri parti assentitur, sed manet in quodam æquilibrio, ut patet. Jam Celladeus supponit, hanc dispositionem intellectûs, seu hanc directam probabilitatem assignari à nobis pro regula conscientiæ, antequam illius indifferentia tollatur. Hoc autem falsissimum est; expressè enim dicimus, eum peccare, qui non aliter dispositus, absque judicio de absoluta honestate operis, minùs tuta sectatur; non quia sequitur regulam æqualiter indifferentem ad verum & falsum (hoc enim verum non est, ut constat ex dictis) sed quia manet dubius, nec ex bona fide operatur. Itaque audacter dico, Celladeum non intelligere sensum opinionis, quam impugnat, si ita eam intelligat, sicut verba ipsius hac in quæstione mentem ipsius exponunt. Sensus ergò nostræ sententiæ est iste. Quoties utraque pars contradictionis, directè considerata, est, & creditur esse æquè probabilis, toties licet sequi quamcumque partem voluerimus, quia objectum illud, quod directè consideratum non sufficienter movet intellectum ad assensum, nec magis apparet honestum per hæc motiva, quàm inhonestum per illa, quodque proinde quoad nos, omnibus pensatis, videtur indifferens ad verum & falsum, illud, inquam, objectum jam non amplius directè sed reflexè consideratum, prout substans huic probabilitati atque incertitudini insuperabili de directa ipsius veritate &c. per motiva potentissima cognoscitur esse licitum, & absoluto judicio affirmatur esse tale, omni eo, quod affertur in contrarium, rejecto ut falso.

Celladeus arguit ex subjecto nō supponente.

19. Hoc supposito, regula, quam in casu paris probabilitatis directæ sequimur, alia est objectiva, alia formalis: formalis est ipsa benigna sententia, quæ reflexè considerat opiniones contradictorias ut directè æquè probabiles: objectiva est objectum opinionum directarum non nudè sumptum, sed ut vestitum novis circumstantiis, nempe ut substans probabilitati, possessioni libertatis, insuperabili veritatis ignorantiæ &c. quod objectum diversum est ab objecto opinionum directarum, ut patet. Jam neutra ex istis regulis æqualiter se habet ad verum & falsum, sed utraque determinatè se habet ad verum tam quoad nos, quàm etiam quoad se, quia utraque & reputatur, & est reipsâ vera; objectum quidem veritate transcendentali, actus verò judicativus veritate formali. Itaque regula objectiva in casu objectionis non est objectum à probabilitate directa propositum, quod hic

Regula tam formalis quàm objectiva cum sola veritate connectitur.

hic & nunc, omnibus inspectis, est quoad nos magis verum quàm falsum, sed est illud idem objectum novis circumstantiis vestitum, per quas indifferentia illius ad verum & falsum tollitur, & sic tandem evadit regula apta ad conscientiam dirigendam. Rursus regula formalis est absoluta unio hujus regulæ objectivæ cum intellectu, quæ consistit in absoluto judicio, quo credimus objectum illud, omnibus inspectis, esse licitum, & oppositum absolutè rejicimus ut falsum.

Celladeus mira contra nos absque fundamento objicit. 20. Jam, si argumentari contra opinionem benignam eo modo, quo Celladeus argumentatus est, non sit argumentari ex subjecto non supponente, terminisque per æquivocationem abuti, nemo dixerit, quæ sint ejusmodi vitia in arguendo. Te ipsum, Celladee, judicem appello, ut statuas, an ullâ verisimilitudinis specie dici possit, nos, reflexè eligentes hanc regulam, hujusmodi volitionem elicere, *Ego volo sumere hanc opinionem pro regula mei actûs, quæ an sit vera, vel falsa nescio, cùm tantum habeam pro ejus falsitate, quantum pro veritate?* Nónne expressè dicimus, opinionem directam secundùm se acceptam, non esse regulam, sed objectum illius novis circumstantiis affectum nos regulare? nónne apprehensiones, quibus utraque propositio objectiva pari claritate directè repræsentatur, ut insufficientes pro conscientia debitè formanda rejicimus? Docti benè nôrunt, quod hæc rejiciamus ut insufficientia. Nihilominùs si objecta illa reflexè considerentur ut substantia hisce apprehensionibus, & insuperabili veritatis ignorantiæ &c. habemus novum objectum, quod ponimus pro regula. Sed quid? Dicimúsne de hoc objecto, seu de hac opinione objectiva, quod ignoremus, veráne sit, an falsa? Quod tantum habeamus pro ejus falsitate, quantum pro veritate? Imò è contrario hæc est nostra sententia, hanc unicè veram esse dicimus & scimus; tantùm habemus pro ejus veritate, ut nil simile pro opposito afferri possit. Cur ergò hæc & hisce similia absque fundamento objicis?

Celladeus, ut se tuetur, ad nostram responsionē confugere debet. 21. Demùm hoc addo, Celladeum ipsum, nî ad hanc ipsam doctrinam confugiat, seipsum tutari non posse: siquidem *lib. 2. quæst. 14. § 3.* & alibi, fatetur cum Vasquio *1. 2. disp. 67. cap. 1. Dubium negativum, utpote sine ulla ratione conceptum, promptè & sine ulla ratione deponi posse, quia ipsa nulla ratio, est ratio contra nullam rationem.* Hæc Celladeus. Sed quomodò ista subsistunt? Nónne hîc dubium ipsum eligitur pro regula? At dubium indifferenter se habet ad verum & falsum. Ergò hîc eligitur regula indifferens ad verum & falsum. Quid respondes, Celladee? Uteris, nî fallor, simili responsione, & dices, dubium directè & exercitè sumptum non esse regulam, quia est indifferens ad verum & falsum, sed dubium ipsum reflexè cognitum, prout substat carentiæ fundamenti ad dubitandum, esse regulam debitè formandi conscientiam, quia hâc ratione non est dubium, sed movet ad assensum, quo credimus rem illam hîc & nunc, dubio illo directo non obstante, esse licitam.

Objectio 2. 22. Objicit secundò. Eligat aliquis pro decem operandi opportunitatibus decem opiniones, habentes contra se contradictorias æquè probabiles. Hic nescit, an illæ futuræ sint veræ an falsæ, seu an juxta an contra legem Dei: fortassis enim omnes futuræ sunt falsæ, fortè omnes veræ, fortasse aliquæ falsæ, aliquæ veræ. Ergò assumit non regulam pro regula, quia omnia mero casui committit. Deinde electio illius regulæ huic volitioni æquivalet. *Ego volo dirigere hos decem actus meos per hanc regulam, quam nescio, an semper, an nunquam futura sit contra legem Dei, quamvis adsit validissima præsumptio, illam dimidia circiter ex parte fore juxta, & dimidia fermè ex parte contra legem.* Hæc voluntas mala est & peccaminosa. Ergò peccatum est eligere opiniones minùs tutas, si solùm sint æquè aut minùs probabiles, pro regula conscientiæ.

Solutio ab ipso Celladeo danda est. Respondeo, Celladeum hîc iterum ex eodem subjecto non supponente, & mala opinionis nostræ intelligentia præcipitanter currere per devia, & ad miras sed malè fundatas consequentias deflectere. Quare ut omnes errorem ejus clarè perspiciant, respondeo primò indirectè per instantiam duplicem. Prima instantia sumitur à dubio negativo sine ratione concepto, & sine ratione disposito. Quid fiet de homine eligente dubium sine ratione conceptum pro regula suæ conscientiæ decem vicibus? nónne dubium sine ratione conceptum æquè indifferens est ad verum & falsum, sicut opinio utrimque est probabilis? Ergò qui hanc regulam eligit, casui se committit, & habet volitionem similem illi in objectione propositæ. Et tamen Celladeus fatetur, hanc regulam in dubio negativo sitam, esse sufficientem. Videat ergò quid ipse respondeat, & debitam solutionem inveniet.

Prima argumenti retorsio.

Secunda argumenti retorsio. 23. Secunda instantia est, quod argumentum nimis probet, quia non solùm probat, necessariam esse regulam magis se habentem ad verum quàm ad falsum, sed probat, necessariam esse regulam, quæ indefectibiliter se habet ad verum; si enim non fuerit indefectibiliter vera, qui illam usurpaverit, sciet se juxta illam operando aliquoties facturum contra legem Dei. At eligere talem regulam, & velle operari juxta illam, est contemnere legem Dei & peccare. Itaque argumentum urget Celladeum, qui hoc loco expressè fatetur, se ponere regulam non omninò indefectibilem.

Duplex Celladei replica, sed utraque insufficiens. 24. Respondet Celladeus, argumentum sibi videri convincens, quod proinde non ideo infirmum esset, si contra ipsum probaret; sed evinceret, ipsum quoque in regula assignanda defecisse. Unde exceptio esset ad hominem, non autem in re. Deinde respondet, se infra ostensurum, quomodò homo uti possit regulâ defectibili, & tamen nolit, nec sæpiùs nec semel contra legem Dei agere. Secunda hæc responsio, si subsisterit æquè solvet argumentum contra nostram sententiam, ac contra opinionem Celladei. Prima responsio ostendit, Celladeum esse minùs fixum in argumento levissimo, illudque habere pro demonstratione, quod nullius est prorsus ponderis.

Responsio directa ad argumentū. 25. Itaque, respondeo secundò directè. Eligens decem opiniones minùs tutas, quæ directè sunt solùm æquè probabiles ac tutiores oppositâ, verè nescit, an illæ sint omnes veræ, an omnes falsæ? an medio modo se habeant? habet tamen præsumptionem, quod totidem fermè sint veræ, quot falsæ. Nemo de hoc dubitat, quia ille non magis fertur in eas veras quàm falsas, cùm habeat paria motiva ad credendum, quod sint falsæ, ac veræ, & nulli parti assensum præbeat. Sed inde non sequitur, quod assumat non regulam pro regula, & casui se committat. Sequeretur hoc quidem, si aliam regulam non haberet, quàm apprehensiones exercitè manifestantes objecta illa ut non magis vera quàm falsa. Verùm nec illæ apprehensiones, nec objecta per illas proposita sunt regula, quam usurpat; & quicumque arbitratur nos talem regulam ponere, crassissimè hallucinatur. Nos enim pro regula objectiva ponimus objecta

Regula, quam benigna sententia ponit, est non solùm quoad nos, sed etiam quoad se indefectibilis.

objecta illa aliter circumstantiata, quàm sint, prout directis apprehensionibus repræsentantur; nunc enim considerantur reflexè, ut subſtant certæ probabilitati, ac insuperabili veritatis ignorantiæ &c. Et de illis hoc modo consideratis, dicimus, quod sint regula nunquam à vero deflectens, & quod plus est, dicimus regulam hanc esse indefectibilem, quidquid sit, an positio illorum objectorum futura esset juxta vel contra voluntatem Dei, si directis tantùm illis apprehensionibus regulata fuisset, quia constat objectum illud istis circumstantiis regulatum, non esse contra legem Dei.

Prætensa Celladei demonstratio prorsus vana & irrita.

26. Quod si Celladeus dicat, regulam hanc non solùm non esse indefectibilem, sed ne quidem veram, respondeo illum in utroque decipi, ut constat ex toto hoc opere, & ex *quæst. 19. 20. 21. 22. & 23. de Consc. prob.* Cæterùm quod ad præsens attinet, negare non potest, regulam hanc à nobis electam, quoad nos saltem, esse & haberi indefectibilem, omnique secundùm illam operanti persuasum esse, se in nullo ex omnibus docem suis actibus operaturum contra legem Dei. Itaque eligens talem regulam, non eligit regulam indifferentem ad verum & falsum, sed soli vero semper alligatam; nec arbitratur se aliquoties offensurum contra Legem, sed absolutè dicit, se per hoc nunquam ulli legi Dei repugnaturum. Ergò voluntas usurpans hanc regulam non est mala, sed justa ac prorsus rationabilis.

Regula nostra debitũ Deo respectum defert. Regula Celladei non item.

27. Interim perspicuum est, nostram regulam esse longè rationabiliorem, & respectu Deo debito magis conformem regulâ Celladei. Ille enim ponit regulam, quam ipsemet agnoscit esse defectibilem. At nos ponimus regulam, quam asserimus esse indefectibilem. Ergò nos in electione regulæ nostræ debito respectu ferimur in Deum, quia ita disponimur, ut eam non eligeremus, nisi maximis fundamentis ducti crederemus, nos nil unquam facturos contra ipsius voluntatem & legem. At Celladeus eligens suam regulam, caret hoc respectu debito, quia illam arripit in regulam, dum conscius est, se illam sequendo nonnunquam saltem peccaturum in legem, & contraventurum voluntati Dei.

Regula, quam assignavimus, non subest periculo violandi legem ullam verè obligantem.

28. Est & alia æquivocatio in voce illa *contra legem, contra voluntatem Dei*: siquidem lex seu voluntas Dei obligans, dupliciter sumitur: primò, pro lege grammaticaliter sumpta, seu pro lege aliquo modo apprehensa: secundò, pro lege verè obligante, & vim legis exerente. Quod hæc duo sint separabilia certum est, quia possidens rem, de qua dubitat an ad alium spectet, formidat ne fortè retineat alienum, & consequenter ne fortè faciat contra voluntatem Dei universè jubentis, alienum invito Domino non esse retinendum. Jam certum est, possidentem rem in dubio non violare ullam legem Dei verè obligantem, & vim legis exerentem contra eum, quamvis fortè faciat contra legem ac voluntatem Dei aliquo modo apparentem; quæ tamen non est lex hîc & nunc verè obligans, sed solùm est lex quædam merè grammaticaliter dicta saltem relatè ad istas circumstantias. Hoc posito, æquivocatio Celladei detegitur: ille enim confundit voluntatem ac legem Dei grammaticaliter sumptam cum lege Dei verè obligante, & hîc & nunc vim legis exerente. Ratio est, quia putat, voluntatem ac legem Dei, in casu paris utrimque probabilitatis apparentem, esse legem verè obligantem, quæ vim legis exerat; cùm tamen hîc & nunc sit lex merè grammaticaliter sumpta, quæ nec obligat, nec obligare potest, aut vim legis exerere. Non enim magis obligat, si existat, quàm si non existat, quia non magis applicatur voluntati si existat, quàm si non existat. At si non existat, nec obligat, nec vim legis exerit. Ergò neque obligat hîc & nunc, quamvis existat. Quomodò enim obligare potest, cùm post omnem diligentiam adhibitam non magis appareat existere, quàm non existere? Certè non est cur magis obliget, quàm opposita voluntas permittens, æquè apparens, excuset. Itaque veritas est, nullam ex istis voluntatibus esse verè hîc & nunc obligatoriam seu permissivam pro hisce circumstantiis. Similiter veritas est, hominem taliter dispositum non ideo peccare, quia facit contra legem hanc incertam, sed quia peccat contra legem certam certò vetantem ne operetur in dubio. Itaque si in casu ejusmodi dubium prudenter deponatur, homo non peccat, etsi fortasse contrarietur voluntati ac legi dubiè apparenti, quia illa non est vera lex, nec voluntas hîc & nunc verè obligatoria. Præterea quæcumque tandem illa sit, non ad has, sed ad alias tantùm circumstantias refertur.

Celladeus confundit legẽ grammaticaliter sumptam cum lege verè hîc & nunc obligante.

Alia facilis & clara solutio argumẽti, quod Celladeus jactat esse insolubile.

29. His positis, iterum respondeo argumentis istis, ex mente Celladei insuperabilibus, & dico, eligentem sententiam benignam pro regula, nescire quidem, an operationes, quas eliciturus est in istis circumstantiis, sint materialiter juxta, an contra aliquam Dei voluntatem dubiam & incertam; quæ, si sit, alias prorsus circumstantias respicit, ideoque in hoc se casui committere, quia impossibile est, ut extra casualitatem illam se ponat. Scit tamen, & absolutè reputat, se in istis circumstantiis operando non acturum contra ullam legem prohibentem opus hîc & nunc, sed in omni opere suo secuturum legem verè permittentem opus in istis circumstantiis. Non ergò peccat, qui talem regulam eligit, quia ipse in omnibus vult obedire veris legibus vim legis habentibus, quamvis casui se committat, ut materialiter agat juxta vel contra legem grammaticaliter sumptam, quæ hîc & nunc vim legis non exerit, quæque si detur, respicit hoc objectum non in his, sed in aliis circumstantiis, ut videre est in possessore bonæ fidei, qui in casu paris probabilitatis ideò retinet rem, quam possidet, quia in pari causa melior est conditio possidentis.

QUÆSTIO TRIGESIMA-SEPTIMA.

Quænam sit exacta definitio probabilitatis?

Cur quæstio hæc instituatur?

1. EGO veram essentiam, propriam notionem, ac exactam veræ probabilitatis definitionem fusè exposui *quæst. 2. de Consc. prob.* atque per omnia secutus sum Philosophum, duplicemque illius definitionem, quarum altera intrinsecam, altera extrinsecam probabilitatem complectitur, explanavi, illisque inhærens propriam ac essentialem probabilitatis notionem elicui. Si Celladeus quæstionem illam legisset, non conquestus fuisset *lib. 2. quæst. 16. §. 1.* neminem, præter unum Cardinalem Pallavicinum, hoc tempore, in quo tam acriter de probabilibus disputatur, ex mente Philosophi, sæpiùs & exactè de probabilibus agentis, naturam & essentiam probabilitatis explicare conatum esse. Non opus est, ut repetam quæ ibi fusè tradidi; nihilominùs quæstionem istam eo fine iterum instituam, ut Celladeum comiter, dictaque ipsius, quæ legitima sunt ac vera, pro veris admittam; quæ autem à vero aberrant, erroris redarguam.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit ex Celladeo ea in medium afferre, per quæ Aristoteles probabile explicavit.

Probabile declaratur ex Aristotele in Logicis.

2. ARISTOTELES, inquit Celladeus, *libro 2. Prior. cap. 27.* vel apud alios *28.* hæc habet. *Sed εἰκὸς est propositio probabilis; quod enim ut in pluribus sciunt sic factum vel non factum, aut esse vel non esse, hoc est εἰκὸς: ut invidere invidentes, vel diligere amantes.* Sensus horum est, quòd propositio probabilis sit, quæ enunciat illud, quod in pluribus evenire solet, ut amantes diligere, & invidos odisse.

Item in Ethicis.

3. Rursus *lib. 3. Ethicorum cap. 5.* hæc habet. *Consultatio autem de illis est, quæ ut plurimum quidem fiunt, incerta tamen sunt, quomodò evadant.* Hoc in loco Philosophus non nominat probabile; nihilominus alludit ad probabilia, ad quæ aut per consultationem, aut per conclusionem deductivam pervenimus.

Demùm in Rhetoricis.

4. Tertio, *1. Rhetor. cap. 2.* apertiùs ac magis signatè loquens de probabilibus, eorumque naturam exponens, hæc habet. *Probabile namque est, quod ferè semper fieri solet, verùm non simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod in iis, quæ contingit aliter se habere, sic se habet ad illud quod est probabile, sicut universale ad particulare.* Ex his Aristotelis locis Philosophi communiter definiunt, *Probabile esse quod plerumque contingit.* Quæ est definitio probabilitatis intrinsecæ in ipsis objectis fundatæ: & ad hanc probabilitatem respicit *regula illa 44. juris in 6. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Hæc Celladeus.

5. Has Aristotelis propositiones, postremam præsertim, ita explicat Celladeus, ut nolit quidquam esse probabile, nisi in suo esse sit contingens; quia quæ necessariò sunt talia, vel sunt prima principia evidentia, vel sunt scibilia & demonstrabilia. De necessariis autem contendit, illa esse solùm probabilia quoad nos cum fundamento in re, quatenus probantur non per medium scientificum, sed per medium probabile, quod quidem aliter se potest habere, tamen *ferè semper* ita se habet. — Quomodò Celladeus ex his explicet probabile?

Secundò, vult, ut ex contingentibus illud solùm sit probabile, quod ferè semper contingit; sic enim verbis Philosophi exactiùs insistit.

Tertiò, contendit, hæc ad probabilitatem non sufficere, sed ulteriùs requiri, ut medium, assumptum ad probationem, sit universalius objecto, ad quod probandum assumitur. De singulis istis fusè tractat, per quæ putat, se ipsam probabilitatis intrinsecæ naturam, ex rei veritate, atque etiam ex mente Philosophi tradidisse. Ego verò omnia ista aut falsa, aut correctione digna invenio. Sit ergò

ASSERTIO II.

Nisi quæstio fiat de nomine, multa necessaria sunt tam propriè probabilia, quàm quævis contingentia; idque tam quoad se, quàm quoad nos.

6. PROBATUR. Innumeræ quæstiones tam in Theologia quàm in Philosophia repe- riuntur, de quibus absolutum judicium formamus, non scientificum, sed solùm opinativum. At omnes, aut certè ferè omnes illæ materiæ sunt res, quæ non possunt aliter se habere. Ergò res necessariæ, quæque aliter se habere non possunt, tam sunt objecta opinabilia, quàm scibilia. Rursus plurima istorum motivis valdè rationabilibus, multùm prævalentibus, ac veris comprobantur. Ergò sunt, non utcumque, non temerè, sed prudenter, & maturè opinabilia. Ergò sunt probabilia, quia omne incertum, prudenter ac maturè opinabile, est etiam probabile, ut omnes & fatentur, & supponunt. Ergò multa objecta necessaria, propriè loquendo, sunt probabilia, nec quisquam de hoc dubitabit, nisi Philosophorum ac Theologorum omnium unanimem sensum in usu termini *Probabile* in dubium revocârit, & condemnârit; ac deinde ineptam de nomine quæstionem instituerit; quia certum est, omnes unanimiter hujusmodi opiniones vocare probabiles, nec — Necessaria tam propriè sunt probabilia, quàm contingentia.

nec vel per umbram insinuant, se aut impropriè loqui, aut supponere, terminos illos in strictiori significatione usurpari posse. Quin Celladeus ipse §. 2. expressè asserit, *omne probabile esse opinabile, & omne absolutè & simpliciter opinabile esse probabile.* Quod assertum quoad primam partem verum est, quoad secundam verò est nimium; quia omnes hæreses sunt opinabiles, cùm innumeros sectatores habeant, quæ tamen omnes sunt prorsus improbabiles. Idem dico de omni judicio ac opinione temerè concepta; objectum enim talium actuum est opinabile, alioquin opinio de illis elici nequaquam posset. At objectum illarum non est probabile. Demùm opinio & opinabile sunt immediatè correlativa. At opinio ex omnium sententia dividitur in temerariam, & benè fundatam, seu in improbabilem & probabilem. Ergò opinabile eandem subit divisionem, & aliud est probabile, aliud improbabile. Ergò non omne opinabile est probabile, sed illud solùm, quod prudenti ac rationabili fundamento nititur.

Celladei error.

7. Scio, Celladeum torquere terminos, ut supposititiam suam de probabilitate opinionem, per solam veritatem realem omnia explicantem, fulciat. Dicit enim, hujusmodi objecta non esse opinabilia simpliciter, sed solùm secundùm quid; scilicet ex errore vel ignorantia; nam sicut hæc consequentia in credibilibus non valet. *Hoc actu creditur. Ergò est credibile*, quia multi ex simplicitate, ignorantia, vel errore credunt incredibilia; ita pariter similis consequentia non valet in opinabili, quia multi eisdem de causis opinantur inopinabilia. Verùm hæc omnia contra apertam veritatem dicuntur; impossibile enim est, ut simpliciter incredibile credatur, aut inopinabile affirmetur, aut non cognoscibile cognoscatur; quia termini isti sunt prorsus oppositi & inconjungibiles. Itaque quando dicimus incredibilia credi, sensus est, ea credi ab aliquibus, quæ aliis sunt incredibilia; aut ea ex passione ac temeritate credi, quæ prudenter credi non possent, si omnia inspicerentur. Cæterùm quidquid creditur aut affirmatur, haud dubiè est simpliciter credibile & affirmabile. Nec obstat, illud credi ex errore aut simplicitate; nam undecumque tandem appareat motivum, propter quod aliquid creditur, motivum illud reddit objectum credibile, cùm sine motivo nil credi possit, quod proinde per motivum illud redditur credibile.

Celladeus torquet terminos, illisque abutitur.

8. Dices cum Celladeo. Multa videntur nobis certa & evidentia, quæ tamen nec certa sunt, nec evidentia. Ergò pariter multa videntur probabilia ac opinabilia, quæ verè talia non sunt, sed solùm nobis apparent talia.

Inopinabile potest credi opinabile.

Respondeo, transeat totum, quia sicut reflexè errare possumus circa certitudinem & evidentiam, ita pariter & circa probabilitatem existimando motivum aliquod sufficere ad prudentem assensum, quod ad illud non sufficit. Et idem valet de opinabili. Sic si aliquis reflexè crederet, se posse opinari aliquid sine ullo motivo, deciperetur circa opinabile, quia objectum sine motivo videretur illi opinabile, cùm tamen opinabile non sit absque motivo; nemo enim quidquam opinatur sine motivo. At si opinetur, aut actu credat, evidens tunc est, objectum illud non fictè & apparenter, sed verè & propriè fuisse credibile & opinabile. Itaque Celladeus haud dubiè errat, dum asserit probabile converti cum opinabili; ratio est, quia longè plus requiritur ad probabiliter opinandum, quàm ad opinandum simpliciter, ut omnes tradunt. Sed Celladeus contentus non est, nisi in omnibus fermè sit singularis, & ideò nil mirum si in omnibus fermè à veritate recedat.

9. Stet ergò certum esse, quòd multa necessaria tam propriè sint probabilia, quàm quævis contingentia. Nec hoc in dubium vocari potest, nisi quæstio fiat de nomine, & quis ex proprio cerebro contra omnes loqui velit. Jam autem quod ea sint non solùm quoad nos, sed etiam quoad se probabilia, probatur, quia non est magis certum quoad se quòd ecclypsis Lunæ futura sit tali die, quàm quod Petrus cras sit peccaturus, quia Deus immediatè ac certissimè videt omnia ejusmodi in seipsis. Itaque tota diversitas est quoad nos, qui non habemus fundamenta sciendi nisi alterum. Præterea denominatio certi & probabilis est relativa ad cognoscentem. Nam Deo, aut aliis omnia intuitivè videntibus, nil est probabile. Ergò quidquid ita excedit captum nostrum, ut à nobis certò sciri non possit; illud, si medio verè probabili comprobetur, tam quoad se quàm quoad nos erit probabile. Quoad se quidem, quia non ficto, sed medio verè probabili innotescit, nec meliùs nobis innotescere potest. Quoad nos verò quia ita illud nobis innotescit per hoc medium, ut aliâ meliori ratione ad illius notitiam pervenire non possimus.

Necessaria sunt verè probabilia tam quoad se, quàm quoad nos.

ASSERTIO III.

Incongruum est definire, probabile esse illud quod ferè semper contingit, si voces strictè accipiantur.

Probabile non rectè definitur, quod ferè semper contingit.

10. PROBATUR. Illa est definitio incongrua, quæ non satisfacit quærenti, quid res sit, sed relinquit ultimam ejus differentiam dubiam, & adhuc investigandam. Talis esset definitio hominis, si diceres, homo est animal habens differentiam valdè præclaram, quia differentia adhuc manet quærenda, nec satisfacit intellectui, donec illa sine ambagibus expressè declaretur. At talis est definitio dicens, *probabile est quod ferè semper contingit*, si voces propriè sumantur; quia particula illa, *ferè semper contingit*, quæ exprimit differentiam rei definitæ, non habet sensum determinatum, nec satisfacit intellectui, quia magna latitudo est in verborum illorum significatione; nam ferè semper evenit, homines hisce temporibus mori ante annum 150. suæ ætatis, & tamen oppositum aliquando contingit. Quæritur ergò, ut determinetur, quæ & qualis frequentia & infrequentia requiratur in proportione contingentiæ & non contingentiæ? An talis, qualem habemus in exemplo proximè posito? an major, an minor infrequentia requiratur & sufficiat? Immò, nisi determinatè explicetur, quæ & quanta frequentia & infrequentia determinatè includatur & excludatur, definitio est vitiosa. Ergò incongruum est definire probabile hoc modo, si voces strictè accipiantur, ut Celladeus contendit illas accipi debere.

Ratio 1.

11. Probatur secundò. Quæritur definitio opinionis probabilis, per quam scire possimus, an aliqua opinio sit probabilis néc ne? omnis enim alia definitio est inutilis, & inepta ad finem præsentis Tractatûs. Sed hæc explicatio non est ejusmodi, quia eâ instructi scire non possumus in particulari, an objectum hujus opinionis ferè semper contingat, idque non solùm propter inde-

Ratio 2.

indeterminationem termini *ferè semper* jam explicatam, sed etiam propter ipsam naturam rei, de qua quæritur; illa enim sæpè talis est, ut aut semper, aut nunquam contingat. Ergò non possum certò scire, quod aliquando contingat, nisi certò sciam, quod semper & necessariò contingit. At hoc secundùm certò scire non possum. Ergò nec primum. Ergo ex vi hujus definitionis non possum certò scire, an opinio sit probabilis. Ergò definitio est inutilis & inepta ad finem intentum, si verba accipiantur ut jacent.

Ratio 3.

12. Probatur tertiò. Multa etiam inter contingentia sunt probabilia, quæ tamen semper contingunt, seu quæ nunquam non contingunt in sensu, quo proferuntur. Tales sunt istæ propositiones. *Nullus Pater hujus pagi hodie occidet suum infantem. Aliquis hujus pagi mentietur intra biduum &c.* Dixi *etiam inter contingentia*, quia de necessariis res est prorsus indubitata ex secunda assertione. Rursus multa tam contingentia quàm necessaria sunt probabilia, quæ nunquam contingunt. De necessariis constat ex eadem assert. 2. de contingentibus patet, quia probabile est Petrum hîc & nunc loquentem non me decipere; quod tamen est falsum, & nunquam contingit esse verum, quia objectum est particulare individuum, quod semel tantùm & uno modo contingit. Ergò definitio non complectitur omnia probabilia. Et sanè cùm non solùm præmissæ, sed etiam conclusio sit probabilis; imò conclusio maximè propriè sit & dicatur probabilis, procul dubio definitio illa bona non est, quæ omnes conclusiones probabiles non comprehendit. Hæc autem evidentissimè non comprehendit omnes, quia innumeræ sunt de materia necessaria, quæ aut semper aut nunquam contingunt; aliæ versantur circa individua peculiaria, quæ semel tantùm & uno modo contingunt; & talia sunt potissima, de quibus prudentia per consultationem discurrit, ut in solvendis peculiaribus conscientiæ casibus v. g. an hîc & nunc vovens habuerit intentionem se obligandi, & alia innumera ejusmodi, quæ solùm uno modo se habent, nec aliter & aliter contingunt. Idem dico de conclusionibus artis, ut quando medicus infert Calliam hîc & nunc tali morbo laborare &c. Hæc enim omnia uno tantùm modo contingunt, ideoque dicere de illis quòd plerumque contingant, vel falsum est, si nunquam ita se habent, vel de subjecto non supponente, si ita se habeant.

Multa contingentia sunt probabilia, quæ semper contingunt.

Multa item sunt contingentia, quæ nunquam contingunt.

Item multa, quæ uno solùm modo & semel contingunt

13. Demùm certissimum est, multa plerumque contingere, & eo nomine esse probabilia, de quibus etiam certum est, quod non ferè semper contingant, sed satis frequenter non eveniant. Talia sunt, quod non decipiar ab hominibus seriò mecum tractantibus; non enim ferè semper non fallunt, sed satis frequenter mentiuntur; quia tamen plerumque non mentiuntur, ideo illis prudenter, seu probabiliter credo: quod enim plerumque ita se habet est probabile, etsi non ferè semper ita se habeat.

Multa plerumq; contingunt, quę non ferè semper eveniunt.

14. Dices. Nónne Aristoteles expressè definit probabile esse, quod ferè semper contingit? Quomodò ergò audemus Celladeum, Aristotelis auctoritate munitum, impugnare?

Celladeus non videtur rectè citare Philosophū.

Respondeo Celladeum minùs fideliter citâsse Aristotelem, dum dicit, illum *lib. 1. Rhetor cap. 2.* definivisse probabile esse, *quod ferè semper contingit*, cùm ibi solùm dixerit, *probabile est, quod plerumque fit*, ita enim habet versio latina, qua utor, Lutetiæ Parisiorum anno 1619. typis regiis impressa, & græca vox ἐπιτοπολὺ, quâ Philosophus seipsum exprimit, strictè ac propriè non significat *ferè semper*, sed dumtaxat *plerumque*, seu ad litteram *in multis*, aut ad summum *in pluribus*, ut græcæ linguæ mediocriter peritis est notorium. Afferat ergò Celladeus Interpretem, apud quem lectionem hanc invenit, ne in re summi momenti sensum Philosophi alterâsse videatur. Certè quoad præsentem quæstionem summi momenti est scire, Aristotelem & antiquos non requisivisse ad probabilitatem, ut ferè semper res ita se habeat, seu ut non nisi in casu rarissimo (est hæc alia Celladei expressio) contingat rem aliter se habere, sed judicasse ea esse probabilia, quæ plerumque eveniunt.

15 Itaque Aristoteles in omnibus istis locis reipsa idem exprimit, illudque dicit esse probabile, quod plerumque contingit. Nec alia est diversitas, nisi quod *in Rhetoricis & in lib. priorum* utatur termino positivo ἐπιτοπολὺ, cùm in aliis locis suorum operum utatur termino comparativo ἐπὶ τὸ πλεῖον; certissimè autem constat, terminum illum comparativum nec solere, nec posse, nec debere aliter verti, quàm *plerumque*, seu ut *in pluribus*. Ergò absurdissimum est, positivum ipsum ἐπιτοπολὺ vertere *ferè semper*, quod vix convenit superlativo ἐπὶ τὰ πλεῖστα, quod aliud non significat, quàm ut *Plurimum*, seu *in plurimis*. Tantùm ergò abest, ut locus ille ex Rhetoricis majorem frequentiam significet, quàm alii textus, qui de plerumque contingentibus loquuntur, ut certum sit, quod magis positivam significationem habeat & sensum magis restrictum, quàm phrases, quas in aliis locis Philosophus adhibet, ad significandum id, quod plerumque evenit. Nec dubium, quin hæc vera sint, si termini in propria ac pressa significatione accipiantur, in qua sola Philosophi, qui propriè ac pressè loquuntur, eas accipiunt. Verùm hoc non obstat, quò minùs Poëtæ & Rhetores eisdem terminis in sensu ampliori utantur, & positivum aut comparativum aliquando adhibeant pro superlativo, sicut frequentèr utuntur superlativo, ut positivum cum majori energia significent. Et hoc modo dubitandum non est, quin terminus ἐπιτοπολὺ, aliquando sumatur pro superlativo, & significet ut *plurimum*, seu in *plurimis*, vel etiam, si velis, *ferè semper*. Sed hoc nil facit ad præsens institutum, & ad propriam & strictam significationem vocum, quatenus à Philosophis, & maximè ab Aristotele, qui strictissimè loquitur, adhiberi solent.

Aristoteles ubiq; idem dicit de probabilibus.

16. Neque tamen ita intelligendus est Philosophus, quasi dicat sola contingentia esse posse probabilia; & ex contingentibus ea dumtaxat, quæ, cùm aliquando eveniant aliquando non eveniant, plerumque contingunt, ut Celladeus arbitratur; hoc enim certò falsum est, nec quisquam meliùs novit sensum Aristotelis, quàm Aristoteles ipse. Ipse autem *1. Post. cap. 24.* postquam docuerat, scientiam de necessariis, quibus repugnat aliter se habere, & opinionem de iis, quæ possunt aliter contingere, objicit sibi contra hanc doctrinam, unum habere opinionem de eadem re, de qua alius scientiam habet, quo stante, sequitur, vel scientiam esse de contingentibus, vel opinionem de necessariis. Huic argumento respondens Philosophus, admittit antecedens ut indubitatum, sed negat consequentiam, quia res necessaria aliter apparet scienti, aliter opinanti. Scienti ex vi medii scientifici repræsentatur tanquam non potens aliter se habere. Opinanti autem ex vi medii opinativi non apparet tanquam non potens aliter se habere, sed vel formaliter, vel

Aristoteles tenet necessaria esse verè probabilia.

vel æquivalenter apparet intellectui ut contingens, seu ut, quantum scimus, potens aliter se habere. Ex quo solùm sequitur, idem non posse simul esse scitum & opinativum respectu ejusdem intellectûs; quod Aristoteles ex professo tradit esse verissimum.

Celladeus Aristoteli cōtrariatur.

17. Hinc habemus, realem contingentiam objecti non requiri ab Aristotele, ut opinionem terminet, sed apparentem ex vi motivi opinativi, & ex modo repræsentandi sufficere. Certum enim est, eum admittere opinionem veram, ac benè fundatam de rebus, quæ in seipsis necessariæ sunt, modò quoad nos sint contingentes, & appareant lumine non certificante nos, quod ita se habeant. Ergò dicere, nullas res necessarias, sed solùm res realiter contingentes esse probabiles, apertè repugnat Aristoteli. Cui proinde Celladeus contrariatur, dum veram probabilitatem rebus dumtaxat contingentibus tribuendam esse docet.

Definitio hæc complectitur omne probabile. Si rectè explicetur. Si ad litteram sumatur, non complectitur omne probabile.

18. Itaque si quis crudè insistat terminis, quibus Aristoteles locis citatis probabile exponit, illosque non aliter intelligi velit, quàm ut ex primo auditu sonant, vel dicendum erit, eum non intendisse definire omnia probabilia, sed solùm ea, quæ sumuntur ut principia, ex quibus probabiliter discurrimus, quæque proinde sunt magis notoria, & ab omnibus sciuntur, ideoque sunt primum analogatum, ad quod respicimus, quando declaramus aliquid esse probabile. Hæc autem interpretatio in eo fundari potest, quòd definierit probabile, quo Rhetores in suis argumentis utuntur. Rhetores autem circa facta peculiaria versari solent, quæ aptiùs probari non possunt, quàm ex eo, quod omnes norûnt plerumque contingere: vel certè definitio ista aliter intelligenda est, quàm primo aspectu apparet, modò admittatur esse generalis definitio omnium probabilium. Ego illam, ut universalem, ac prorsus legitimam amplector, sed simul ex indubitata Philosophi mente dico, illam ita intelligendam esse, ut frequentior rei contingentia desumenda non sit ab objecto materiali, quod denominatur probabile; hoc enim sæpissimè est prorsus necessarium, & non potest aliter se habere; sæpè est singulare, & uno tantùm modo contingit se habere, quod proinde non est capax denominationis in definitione positæ. Itaque definitio hæc pressè solùm convenit probabili formaliter sumpto, quatenus reduplicat apparentiam, per quam constituitur probabile, ut sensus sit, illud est probabile, quod tantâ verisimilitudine repræsentatur, ut plerumque eveniant, quæ sub æquali veritatis apparentia repræsentantur, quamvis non sit necesse, omnia tali apparentiâ repræsentata esse vera, sed aliquando contingat ea esse falsa. Itaque forma concreti *Probabile* potissimè explicatur in hac definitione, & explicatur quidem in ordine ad terminum, quem unaquæque probabilitas ex vi suæ magnitudinis vagè exigit poni in plerisque. Quamvis enim aliqua peculiaris probabilitas hìc & nunc à veritate aberret, illa tamen ex vi suæ magnitudinis est necessitas vaga, ut quæ pari verisimilitudine repræsentantur, plerumque contingant. Nec dubium, quin Aristoteles ad vim & magnitudinem hujus repræsentationis potissimè respexerit, tum quia verba ipsa id satis expressè insinuant, tum quia expressè admittit probabilitatem de necessariis, quæ etsi sint necessaria in se, non tamen apparent ut prorsus necessaria, sed potiùs exercitè repræsentantur, ut potentia aliter se habere, quantum est ex vi luminis quo repræsentantur, quæ ideo sunt probabilia.

Plerumque contingere non sufficit ad probabile.

19. Hinc apparet, cur Aristoteles dixerit, non sufficere ad probabile, quod simpliciter plerumque ita se habeat, ut aliqui dicebant. Ratio est, quia hæc expressio, ut jacet, convenit omnibus evidentibus, quæ non sunt probabilia. Itaque ad probabilitatem requiritur ulteriùs, ut sit de iis, quæ possunt aliter se habere, quantum est ex vi luminis, quo repræsentantur. Atque hinc omne probabile determinatum comparatur ad terminum proprium apparentiæ probabilis, tanquam singulare ad universale. Terminus enim, in ordine ad quem apparentia probabilis explicatur, est tota collectio rerum sub æquali verisimilitudine apparentium, quæ collectio est universale respectu ullius objecti particularis, ut patet. Et hoc planè coincidit cum eo quod Aristoteles dicit 1. *Rhetor cap. 2.* jam citato. *Probabile est, quod plerumque fit, non tamen simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod in iis, quæ contingit aliter se habere, sic se habet ad illud, ad quod est probabile, sicut universale ad particulare.* Hic textus, junctus doctrinæ ex 1. *Post. cap. 24.* allatæ, & reliquis ponderationibus, convincit, definitionem Aristotelis à nobis hìc ritè explicatam esse; Philosophumque haud dubiè nobiscum sentire in assertionibus hâc quæstione hactenus stabilitis. Præterea, si universaliter loquamur, ut nunc loquimur, res probabilis, seu id quod repræsentatur lumine magno sed incerto, non potest comparari ad suum motivum, tanquam singulare ad universale, eâ ratione quàm Celladeus indicat, aut ullâ aliâ præter illam, quam jam insinuavi, ut ex assertione sequenti constabit.

ASSERTIO IV.

Ad probabilitatem conclusionis non est necesse, ut motivum, quo probatur, sit universalius conclusione. Seu ut antecedens comparetur ad consequens quod probat, tanquam universale ad particulare, in sensu quem Celladeus proposuit.

Motivum conclusionis probabilis non est necessariò universalius ipsâ conclusione.

20. PROBATUR primò. Motivum, ex quo conclusio deducitur, non est sola major aut minor, sed utraque præmissa, per modum unius sumpta, est proprium motivum conclusionis, seu proprium antecedens, ex quo consequens deducitur, sed hoc complexum non magis latè patet, quàm ipsum consequens, nec comparatur ad illud tanquam universale ad particulare, quia termini consequentis positi in præmissis ita limitant sensum illarum propositionum, ut illæ simul sumptæ non possint applicari alteri, quàm consequenti, ut patet. Ergò, presse loquendo, motivum conclusionis probabilis non potest esse universalius ipsâ conclusione. Verum quidem est medium terminum, solitariè sumptum, solere habere sensum universaliorem, quàm aliquis ex terminis positis in conclusione: sed hoc non est ad rem: nam medius terminus solitariè sumptus, nec est motivum conclusionis, nec antecedens ex quo infertur consequens nec medium, quo intellectus propriè utitur ad faciendam illationem, sed hoc motivum, & hoc antecedens est medius terminus actu in præmissis distributus. At ut sic distributus non magis latè patet quàm consequens. Idem valet de principio universaliori, si aliquandò adhibeatur in præmissis; illud enim secundùm se est universalius conclusione; at secundùm se non est motivum, aut medium sufficiens ad inferendam conclusionem, nec

compa-

comparatur cum consequente tanquam universale cum particulari, quia nisi minor accedat, non magis apparet connexum quàm non connexum cum consequente. At accedente minore, jam prout refertur ad consequens, non est universalius consequente, quod erat probandum.

Idem probatur exemplo.

21. Probatur secundò. Consideretur iste syllogismus, *Omnes matres hujus Pagi amant suos filios: sed omnes fœminæ, quas video præsentes in agro, sunt matres hujus pagi. Ergò omnes fœminæ, quas video præsentes in agro, amant suos filios.* Hæc conclusio est tam universalis quàm major, aut minor, maximè si contingat omnes matres pagi esse præsentes, quod facilè fieri potest, & à me certò dignosci. Hinc autem sic arguo. Hoc consequens est probabile, & legitimè infertur à præmissis. Atqui medium assumptum ad probandum hoc consequens non magis latè patet, quàm ipsum consequens. Ergò falsum est, quòd medium, ex quo consequens probabile legitimè infertur, debeat esse universalius ipso consequente, & comparari ad illud tamquam universale ad particulare. Ratio à priori est ista. Nullum est principium universale probabile, quod non habeat aliquod aliud prædicatum contingens aut necessarium, æquè latè patens secum connexum. Sumatur hoc principium universalissimum. *Omnes parentes amant suos filios.* Jam plura inveniri possunt prædicata æquè latè patentia, ac terminus *omnes parentes.* Talis esset ista minor, *sed omnes, de quibus nunc cogitas, sunt parentes*, qui terminus potest omnes omninò parentes complecti & neminem alium. Unde legitimè infertur, *ergò omnes, de quibus cogitas, amant suos filios.* Consequentia hæc est æquè universalis ac major vel minor, ut patet. Jam major est solùm probabilis, quia est principium probabile. Minor potest esse certa & evidens aliunde. Ergò conclusio, quæ sequitur debiliorem partem, est probabilis; & quidem eundem planè gradum probabilitatis obtinet cum majore; quia cùm minor sit evidens, nulla est defectibilitas aut periculum erroris in illa. Ergò eadem prorsus est defectibilitas in majore & in consequenti. Ergò utrumque est prorsus æquè verisimile, ac probabile.

Idem probatur à priori.

Triplex error Celladei.

22. Ex hactenus dictis constat, Celladeum errâsse in tribus illis requisitis, quæ tanquam maximè necessaria & essentialia pro natura probabilitatis declaranda proposuit. Rejectis ergò præliminaribus ipsius, superest, ut novam & inauditam ipsius de natura probabilitatis opinionem falsitatis redarguam, quod sequenti assertione præstare conabor.

ASSERTIO V.

Probabilitatis definitio à Celladeo tradita.

Absurdum est dicere cum Celladeo, ac definire, illud solum esse verè probabile, quod ita probatur argumento plerumque immò ferè semper non fallente, ut etiam hîc & nunc argumento non fallente probetur: atque ideo nil falsum esse probabile, nisi secundùm dici & sophisticè.

SEU QUOD IN IDEM RECIDIT

Absurdum est dicere, illa sola fundamenta esse verè gravia, magna, fundata, rationabilia, prudentia, seu probabilia, quæ ita ferè nunquam fallunt, ut etiam hîc & nunc jungantur cum veritate rei in se. Reliqua esse solùm talia apparenter, sophisticè, & quoad nos, & esse reipsa vana, sophistica, & improbabilia.

Falsitatis & insuffi ientiæ convincitur.

23. PROBATUR Assertio, quæ diametraliter opponitur definitioni & explicationi veræ à Celladeo propositæ. Probatur autem sic. Inprimis omnes cum Aristotele uno ore fatentur, multa falsa esse probabilia, & probabiliora veris. Nec quisquam eorum per umbram significavit, ea verè non esse, sed solùm existimari probabilia. Secundò ex dictis *quæst. 29. num. 2.* certò constat, multa falsa esse propriè probabilia. Tertiò, omnes uno ore fatentur, probabilitatem posse certò innotescere, etsi veritas lateat. At hoc verum non esset, si nulla daretur vera & realis probabilitas, nisi quando objectum ita se haberet, sicut repræsentatur à probabilitate; eo enim admisso, probabilitas certò sciri non posset, nisi veritas etiam certò innotesceret. Quartò, omnes, qui præsentem quæstionem instituunt, eò collimant, ut regulam proponant, quam homines tutâ conscientiâ sequantur. Dicunt autem, hanc regulam esse opinionem certò practicè probabilem. Ergò omnes censent, probabilitatem posse certò innotescere, alioquin non regulam, seu regulam indiscernibilem, pro regula proponerent, quo nil absurdius dici potest. At absurdum est contra veritates adeo contestatas opinari, Ergò absurda prorsus est allata opinio ac definitio Celladei, qui veram probabilitatem per rei propositæ veritatem definit, juxta dicta in assertione. Ex eo etiam absurditatis & falsitatis convincitur, quòd non regulam proponat pro regula; asserit enim verum probabile ita regulandæ conscientiæ sufficere, ut probabile solùm apparens, utpote vanum & merè sophisticum non sufficiat, nec sit regula. At verum probabile discerni nequit per ipsum, cùm veritas nequeat discerni: ergò non regulam proponit pro regula, cùm regula discerni debeat, ut per eam alia regulentur. Ergò Celladeus rem non solùm reipsâ, sed etiam ex propria mente & assertione indiscernibilem ponit pro regula. Quo nil absurdius dici potest.

Celladeus proponit nō regulam pro regula.

Quod dictum est de probabilitate, extendi debet ad motiva gravia, rationabilia, magna &c. quia omnia ista ex omnium consensu, Celladeo etiam consentiente, dicuntur ad convertentiam

cum

cum motivo probabili. Ergò eadem de utrisque verificantur. At absurdum est, quod ea, quæ Celladeus proponit, applicentur probabilibus. Ergò absurdum pariter est, si motivis gravibus, magnis &c. applicentur.

Celladeus in vocis cõmunis intelligentia ab omnibus recedit.

24. His positis, Assertio indubitata redditur, & probatur secundò, quia in definitione vocum absurdum est à communi omnium sensu recedere, & sine ullo comite propriam imaginationem, aliis omnibus repugnantem, pro legitima vocis significatione proponere. At certum est, omnes in eo convenire, quod vera probabilitas aliquando cohæreat cum falso, quod vera probabilitas certò cognosci possit, veritate rei latente, quodque proinde vera probabilitas proponi possit ut regula certò discernibilis. Ergò absurdum est in intelligentia hujus vocis à communi omnium sensu recedere, & ex propria phantasia aliam prorsus contrariam proponere. Absurda proinde est explicatio & definitio probabilitatis veræ à Celladeo proposita, quæ expressè asserit, nil nisi verum esse probabile, sed omnia falsa habere probabilitatem solùm phantasticam, apparentem, vanam, sophisticam, nullam. Stat ergò hanc Celladei definitionem & falsam esse, & insufficientem. Falsa est, quia exponit sensum vocis communis contra usum, sensum, & consensum omnium. Ergò patenter aberrat. Est insufficiens, quia non regulam, seu regulam indiscernibilem proponit pro regula. Errat etiam ex alio capite, quia illud solùm admittit pro motivo probabili, quod ferè semper connectitur cum vero, nec contentus est, quod plerumque non fallat. Hoc autem hîc *asser. 3.* falsitatis convictum est. Quæ cùm ita sint, quis antiquæ regulæ, clarissimæ, ac rationabilissimæ renunciabit, ut novam regulam, non solùm in omnibus particulis falsam, sed absolutè indiscernibilem amplectatur?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio I.

25. OBJICIT primò. In syllogismo dialectico & topico nunquam assumitur medium indifferenter se habens ad verum & falsum, sed requiritur saltem, ut plerumque ita se habeat. Unde Aristoteles *2. Prior. cap. 27.* (sed juxta alios 28) dicit *pallidum* non esse medium ad probandum mulierem peperisse, quia tametsi omnis, quæ peperit sit pallida, non tamen omnis pallida peperit, quia satis frequens est, pallidas esse, quin pepererint. Hinc sequitur, utrumque contradictorium non posse esse simul probabile, quia pro contradictoriis nunquam est medium plerumque ita se habens. Similiter sequitur, nullum esse syllogismum illorum, qui probant chocolatem esse potum, assumendo liquidum aut calidum pro medio, quia hæc media se habent ad potum & non potum, sicut pallidum ad peperisse & non peperisse. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 16. § 1.* unde videtur sequi, probabile non esse, nisi quod ferè semper fieri solet.

Responsio.

Respondeo, medium syllogismi probabilis debere quidem apparere frequentiùs connexum cum vero quàm cum falso, non autem requiritur, ut reipsâ frequentiùs connectatur cum vero quàm cum falso, si sermo sit de ipso objecto, quod per illud hîc & nunc est & apparet probabile, ut constat. Hinc autem è contrario clarè sequitur, utrumque contradictorium esse posse simul probabile diversis saltem intellectibus, cùm duo objecta opposita inferri possint ex mediis, quorum alterum uni, alterum alteri apparet frequentiùs connexum cum vero quàm cum falso, ut dictum est *quæst. 29.* Quòd si contradictoria eidem intellectui comparentur, illa etiam possunt esse simul probabilia ipsi. Hoc quomodò eveniat, fusè explicatum est *quæst. 29. jam citatâ*, & idem facilè colligitur ex expositione definitionis Aristotelicæ supra *num. 18.* allata. Fieri enim potest, ut utraque pars contradictionis simul proponatur tantâ verisimilitudine, ut unaquæque illarum ex vi suæ magnitudinis sit necessitas, ut intellectus plerumque non erret, si talem apparentiam sectetur. Quamvis ergò repugnet, intellectum simul existimare, hoc objectum peculiare ita se habere, ut utraque pars contradictionis plerumque contingat, non tamen repugnat, eundem intellectum simul judicare, apparentiam utriusque partis postulare veritatem frequentiùs connecti cum apparentia tantæ magnitudinis. At per hoc utraque pars simul constituitur probabilis respectu ejusdem intellectûs. Porrò Celladeus & Cardinalis Pallavicinus, quem hîc citat, in eo errâsse videntur, quòd cùm adverterent, utramque contradictionis partem, nec in re, nec in mente nostra posse simul plerumque contingere, intulerint, utramque non posse esse simul probabilem eidem intellectui, cùm definitio probabilis utrique simul non conveniat. Verùm decepti sunt tribuendo id objecto materiali, seu subjecto concreti *probabile*, quod soli formæ convenit; quæ si distinxissent, vidissent utique, quòd sicut probabilitas unius partis determinatè sumptæ non sumitur à frequentiori contingentia illius partis, sed solùm à frequentiore connexione veritatis cum magnitudine apparentiæ, sub qua repræsentatur; ita pariter utriusque partis probabilitas non à prima, quæ dari nequit, sed à secunda, quæ dari potest, & sæpissimè datur, desumitur. Hæc cogitet Lector, & videbit, utramque partem contradictionis simul esse posse verè probabilem, & talem uni eidemque intellectui apparere.

Quomodò utraq; pars cõtradictionis sit simul probabilis eidem intellectui?

Celladeus minùs fideliter citat Aristotelẽ.

26. Interim Celladeus haud fideliter citat Aristotelem, quia Philosophus aliud loco illo non dicit, quàm quòd *pallidum* non sit medium aptum ad probandum in secunda figura, fœminam uterum gestare. Nam quòd omnis uterum gestans sit pallida, & hæc sit pallida, non sequitur uterum gestare; quod verissimum est, quia nulla conclusio affirmativa legitimè sequitur in secunda figura. Neque quidquam ibi dicitur de frequentia magna aut parva, quòd pallidæ uterum non gestent; quare illa omnia à Celladeo assuta sunt, quasi Aristoteles illo loco ea diceret, de quibus ne quidem somniavit. Cæterùm si sæpiùs contingeret, pallidas gestare quàm non gestare uterum, haud dubiè Aristoteles non negâsset ex pallore probabiliter inferri gestationem uteri in prima figura, quamvis sæpè contingeret pallidas non gestare uterum; quia ubique in illis libris aliud non requirit ad medium probabile, quàm quòd plerumque contingat, nec ullibi insinuat, quòd quævis probabilia debeant rarissimè aliter se habere.

Celladeus immeritò carpit Theologos quasi malè arguẽtes.

27. Atque hinc etiam sequitur, Celladeum immeritò carpere Theologos, qui ex *liquido*, aut *calido* tanquam ex medio probant chocolatem esse potum, tum quia ex Aristotele solùm sequitur, talia prædicata non esse media ad illam conclusionem affirmativam legitimè probandam in secunda figura. At quid inde? ánne ideo non sunt media apta ad illam probandam in aliis figuris? Nugæ. Præterea, non satis est Celladeo, si dicat, liquidum ita prorsus se habere ad potum, sicut pallidum ad gestare uterum. Est, fateor, aliqua simili-

similitudo; sed nisi probet, liquidum non magis connecti cum potu, quàm pallidum cum gestatione uteri, illatio contra Theologos, quos ibi carpit, est prorsus nulla. At certum videtur, longè majorem connexionem esse inter liquidum, ab homine ebibi aptum, & potum propriè dictum, quàm inter pallidum & uterum gestare. Unde prima consequentia esse potest probabilis, quamvis secunda non sit. Præterea Theologi non ex uno solùm prædicato, sed ex multis simul sumptis inferre possunt chocolatem esse potum, & conclusio erit probabilis, quamvis illa ex singulis seorsim probabiliter inferri nequeat, sicut ex pallido unà cum alio signo probabiliter infertur gestatio uteri, quamvis illa ex neutro solo probabiliter inferri possit. Hæc dicta sunto ad inconsequentiam Celladei redarguendam, non ad affirmandum chocolatem esse potum, quia ego, qui tali potioni non assuevi, nec rem examinavi, de tali re judicium non fero. Cæterùm hinc constat, ultimam illationem argumenti nullatenus sequi ex præmissis, quæ aut falsæ sunt, aut certè inconnexæ cum eo, quod nil sit probabile, nisi ferè semper contingat.

Et ipse Inconsequenter arguit.

Objectio 2.

28. Objicit secundò. Probabile simpliciter dictum coïncidit cum opinabili simpliciter dicto. At quæ æqualiter se habent ad verum & falsum non sunt opinabilia; qualia sunt omnia æquè probabilia. Ergò nil ejusmodi est probabile. Rursus si aliquid parum magis se habet ad verum quàm ad falsum, erit suspicabile quidem, aut conjecturabile, non autem opinabile. Ergò omne opinabile ita se habet ad esse, ut plerumque & ferè semper contingat. Ita Celladeus §. *2.*

Pobabile non coincidit cum opinabili.

Respondeo juxta dicta hìc *num 8.* omne probabile esse opinabile, sed non è converso, quia multa sunt propriè opinabilia, quæ probabilia non sunt, ut ostensum est loco citato. Quòd autem ait, ea non esse opinabilia, quæ æquè se habent ad verum & falsum in aliquo sensu verum est, in alio est falsum. Tunc verum est, quando hæc indifferentia consistit in negatione motivorum allicientium, tunc enim intellectus de neutra parte valet opinari; at si utraque pars per motiva æqualia repræsentetur, intellectus ex imperio voluntatis flecti potest ad opinandum de quovis seorsim sumpto. Verùm in eo casu post affectum seu imperium voluntatis, & multò magis consequenter ad judicium uni parti affixum, pars illa videtur verisimilior alterâ; etsi in actu primo ante dictum voluntatis affectum intellectus æqualiter prorsus traheretur ad utramque partem. Hæc omnia efficaciter probata habes in superioribus.

Omnequod magis apparet verum quàm falsum est opinabile.

29. Quæ sequuntur jam soluta sunt. Inprimis in illis confunditur connexio realis cum connexione solùm apparente de plerumque. Hæc requiritur, illa ad probabilitatem non requiritur, ut dictum est. Celladeus autem probare debebat realem illam connexionem necessariò requiri ad probabilitatem, quod certè ex argumento non sequitur. Jam si aliquid appareat frequentiùs connecti cum vero, illud non solùm est suspicabile, sed propriè opinabile, & multi de talibus opinantur. Quod si contendas, excessum valde exiguum, si de illo constet, non sufficere ad judicium probabile, id non nego, quia probabilitas non desumitur ab objecto, quod proponitur, ut mox evincam, sed à modo, quo objectum proponitur. Itaque cùm lumen, quo res proponitur, in hoc casu exiguam fundet spem determinati eventûs, apparentia illa tanta non est, ut ex vi suæ magnitudinis plerumque conjungatur cum veritate, ideoque non sufficienter sollicitat intellectum, ut mereatur assensum; quamvis intellectus ex imperio voluntatis temerè saltem præcipitari possit in assensum objecti sub minimo veritatis apparentis excessu. Cæterùm ad assensum prudentem & probabilem sufficit, si aliquid certò appareat ut plerumque contingens ex vi illius luminis, quo repræsentatur, quamvis objectum nec ita se habeat, nec ita videatur se habere ad verum, ut ferè nunquam à vero deficiat.

30. Est & alia æquivocatio frequens apud Celladeum, quia supponit fundamenta opinionum æquè probabilium non magis se habere ad verum, quàm ad falsum, quod tamen est falsum, ut constat ex dictis *quæst. 29. & 30.* Nec opus est ibi dicta repetere.

Æquivocatio Celladei.

31. Objicit tertiò. Omnia objecta reducuntur ad tres classes. Prima classis est eorum, quæ semper ita se habent ex necessitate, qualia sunt prima principia Metaphysica ac Mathematica, & omnia ex illis demonstrata. Secunda classis est eorum, quæ semper ita se habent sine necessitate assignabili in ullo determinato individuo illius speciei, de qua propositio procedit. Ejusmodi est, omnes patres non occisuros esse suos filios &c. Tertia classis est eorum, quæ non semper ita se habent. Probabilia non continentur in duabus primis classibus, ut omnes concedunt, & supponunt. Ergò continentur solùm in tertia classe. Verùm hæc tertia classis tria membra habet. Aliqua enim non magis se habent uno modo, quàm alio, sed æquè frequenter contingunt non esse ita, ac esse ita. Sic in jactu aleæ se habet numerus par & impar; uterque enim æqualiter se habet, ut jaciatur, & non jaciatur, ut patet. Alia magis se habent ita quàm non ita, non tamen adeo quin frequenter non ita se habeant. Alia demùm non semper, sed ferè semper ita se habent, ut senes canescere. Jam duo priora membra non cōtinent probabilia: non primum, quia talia objecta sunt merè fortuita, casualia, ac contingentia. Non secundum, alioquin si ex centum militibus, quadraginta essent promiscuè eligendi, ut urbem aggrederentur, esset probabile Petrum non esse determinatè eligendum ad urbem aggrediendam, quod nemo prudens absolutè credet. Ergò probabile pertinet solùm ad tertiam membrum, & consequenter probabilitas dumtaxat reperitur in eis, quæ ferè semper se habent uno modo. Itaque vera & realis probabilitas non aliter definiri potest, quàm quòd objectum illud ferè semper ita se habeat.

Objectio 3.

Objectum intellectus reducitur ad tres classes.

32. Quod dictum est de hoc objecto, seu de vera probabilitate in se, æquè valet de probabilitate quoad nos: si enim objectum appareat ut semper ita se habens, existimatur certum; si ut prorsus indifferens, reputatur casuale; si parum magis inclinatum ad unum, habetur tanquam leviter suspicabile; si vero appareat ferè semper uno modo se habere, tunc est propriè opinabile ac probabile quoad nos. Ita Celladeus §. *3.* qui toto §. *4.* idipsum confirmat ex doctrina S. Thomæ *lib 1. Periher. lect. 14.* ubi dicit, omnia, ex suppositione quòd ita se habeant, necessariò ita se habere. At si nulla fiat suppositio, esse rerum creatarum est necessarium vel contingens, prout fuerit causa illius. Si enim in causa habeat totalem determinationem ad esse, dicitur necessarium; si habeat totalem determinationem ad non esse, dicitur impossibile; & hæc pertinent ad certa. Si non habeat determinationem nec ad esse nec ad non esse, erit contingens, sive se habeat magis ad unum quàm ad alterum, sive æqualiter ad utrumque.

Contingentia etiam ad tres classes reducuntur.

33. Idipsum

Futura tripliciter connectuntur in suis causis.

33. Idipsum confirmat ex doctrina, quam Sanctus Thomas *lect. 12. in eundem librum* tradit de futuris. *Quod est in præsenti habet esse in seipso, & ideo verè potest dici de eo, quod est. Sed quamdiu aliquid est futurum, nondum est in seipso, est tamen aliqualiter in sua causa. Si sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex illa proveniat, tunc determinatè habet esse in sua causa; unde determinatè potest dici, quòd erit. Si sit in causa habente inclinationem ad effectum, quæ tamen impediri potest, jam determinatum est in sua causa, sed mutabiliter. Et de hoc verè dici potest, quòd erit, sed non per omnimodam certitudinem. Demùm aliquid est in sua causa purè in potentia, quæ non est magis determinata ad unum quàm ad aliud: unde relinquitur quòd de nullo tali potest dici, quod sit futurum, vel non sit futurum.* Hanc S. Thomæ doctrinam applicat Celladeus ad suum intentum probandum hoc modo. Medium, quo probamus conclusiones, vel habet totalem determinationem ad conclusionem, & tunc generat assensum certum conclusionis. Vel medium habet inclinationem vel determinationem aliquam, non tamen totalem, sed impedibilem, & tunc verè dici potest de conclusione quòd ita est, *sed non per omnimodam certitudinem*, & sic erit conclusio opinativa, seu dialectica. Vel medium non magis se habet ad conclusionem quàm ad contrarium, & tunc de conclusione non habetur quòd ita sit vel non sit, nihil enim determinatè habetur. Ergò nil est probabile, quòd non subest medio plerumque ita se habenti, ut rarò & ferè nunquam deficiat.

Medius terminus tripliciter se habet ad consequens inferēdum.

An sit perinde habere duo motiva æqualia, ac nullum motivum?

34. Ex eodem futurorum exemplo sequitur, perinde esse intellectui ad eliciendam conclusionem, sive habeat nullum motivum, sive habeat duo æqualia, sed sibi contradicentia. Sit homo æqualiter ambitiosus & avarus. Hic homo habet stimulos contrarios æquales, unum ad expendendum, alter ad retinendum. Profectò futura ejus donatio erit purè contingens & nobis ignota. Ergò similiter si intellectus habeat duo motiva æqualia & contraria, veritas rei propositæ erit æquè ignota, ac si nullum adesset motivum, quia non magis poterit existimare objectum illud esse verum potiùs quàm falsum, quàm possit credere hominem illum potiùs daturum, quàm non daturum pecuniam. Ita Celladeus.

Primus Celladei error.

35. Respondeo, plurimos in dictis istis errores latêre. Inprimis, falsum est, omnes agnoscere probabilia non contineri in primis duabus classibus; certum enim est contrarium ab omnibus & supponi & doceri; omnes enim Auctores fatentur, se probabiliter tantùm judicare de multis, de quibus tamen nôrunt, quòd habeant omnimodam determinationem aut ad esse, aut ad non esse ita. Ergò talia objecta & sunt, & habentur probabilia apud ipsos. Ratio à priori est, quia esse certum, esse probabile, esse dubium &c. sunt denominationes non rerum in seipsis (omnia enim in seipsis æquè certa sunt certitudine objectivâ, quia æquè terminare possunt cognitionem certam, si lumine congruo cognoscantur) sed rerum relatè ad intellectum, prout ipsi proponuntur. Si tali apprehensione proponantur, ut intellectus omnimoda necessitate rapiatur ad assensum, sunt & dicuntur evidentia. Si ita proponantur, ut summa eorum credibilitas super omnia negari non possit, quamvis assensus rebus ipsis dandus suspendi possit, ut contingit in rebus fidei, tunc sunt certa, & certissima fide credi possunt, ac debent. Si verò proponantur lumine inferioris rationis, erunt incerta, idque magis vel minùs, prout propositio illorum fuerit magis vel minùs clara, vel obscura. Hâc ratione aliquando sunt probabilia, aliquando suspicabilia, aliquando merè dubia. Jam cùm certum sit, multa in se prorsus necessaria non posse à nobis ita cognosci, ut de eorum existentia aut natura certi esse possimus, clarum est ea nec esse, nec posse evadere certa. Eadem tamen proponi possunt (etiam sub hac ipsa expressione quòd sint, quódque necessariò & inevitabiliter ita se habeant) per lumen inferius, à quo varias denominationes sumere possunt, probabilis, suspicabilis, aut dubii, prout lumen, quo proponuntur, fuerit majus aut minus &c. Itaque haud dubiè probabile est denominatio, quæ tam propriè convenit necessariis, quàm contingentibus. Sicut enim, si contingentia certò & evidenter cognoscantur in seipsis, non sunt amplius probabilia sed certa; ita si necessaria non certo sed incerto lumine repræsententur, non erunt certa, sed incerta, & sic esse possunt probabilia.

Esse certū, esse probabile, esse dubium, sunt denominationes relativæ.

Secundus error Celladei.

36. Quod ad tertiam classem attinet, in illa etiam Celladeus erravit. Nam sicut necessaria possunt esse probabilia, ita quæ non sunt necessaria, sed plerumque & ferè semper uno modo contingunt, & possunt esse, & toties verè sunt improbabilia, quoties ob rerum difficultatem, aut aliam causam, tantâ verisimilitudine proponi non possunt, quanta ad probabilitatem requiritur. In tali enim casu, quæ plerumque & ferè semper contingunt, non sunt probabilia, sed aut incerta, aut solùm suspicabilia, vel ad summum temerè opinabilia. Porrò Celladeus in eo æquivocat, quòd quando aliunde certò scimus aliquid plerumque aut ferè semper ita se habere, tunc de singularibus probabiliter enunciamus, quòd ita se habeant, dummodo de illis aliam notitiam non habeamus, quàm quæ fundatur in natura causarum, à quibus procedunt: nam si experimentalem notitiam haberemus de tali re, aut ex auctoritate sciremus illam non esse, eo ipso probabilitas cessaret. Itaque quòd res sit in classe eorum, quæ non semper sed ferè semper contingunt, aut eorum, quæ æquè frequenter aut paulò frequentiùs contingunt quàm non contingunt, impertinenter se habet, ut sit probabilis, certa, vel improbabilis; omnia enim ista denominationem suam habent à modo, quo res proponitur, non ab objecto quod proponitur, ut patet. Quod si aliunde constiterit, rem contineri in aliquo membro istius classis, & aliam de illa notionem non habeamus, eo ipso res illa substat determinatæ propositioni, & consequenter denominatur probabilis, vel suspicabilis, prout propositio pro sua varietate ac natura postulaverit.

Æquivocatio Celladei detegitur.

Ejusdem error.

37. Ex hisce omnibus infertur, Celladeum falsò contendere, veram probabilitatem solùm desumendam esse ab objecto, quod dicitur probabile; cùm luce clarius sit, illam non ab objecto, sed à sola propositione objecti desumendam esse. Ratio est, quia objectum in se non est magis certum quàm dubium, magis probabile, quàm improbabile, sed ad omnia ista est prorsus indifferens. Ergò istæ denominationes non ab objecto ipso, sed ab illius propositione desumendæ sunt.

Exemplum Celladei facit contra ipsum.

38. Circa exemplum de Petro milite, Celladeo non consentio; peto enim in qua tandem rerum illarum proportione sistendum est, ut probabile sit Petrum non eligendum ad aggressionem. Quid si solùm decem, aut quinque eligendi essent? nónne tunc foret probabile, Petrum non eligendum? haud dubiè foret; & tamen electio Petri in tali casu non est res, quæ ferè nunquam contingit.

Certè de illo, quod ex centum vicibus decies aut vigesies contingit, dici nequit quod vix umquam eveniat. At de illo dici potest quod sit probabile, ut omnes fatentur, & infra ex ipsius Celladei argumentis evincam. Ergò ad probabilitatem non requiritur, ut res ferè semper contingat, seu quod ferè nunquam aliter se habeat. Itaque casus à Celladeo propositus, qui continet rationem trium ad duo; aut continet infimum quendam probabilitatis gradum, aut ad eum proximè accedit; certè nemo est, qui non libenter sponderet in ludo, si triplo plus spei eluceret pro lucro, quàm timor appareret de damno. Immò nemo non prudenter existimaret, se primâ vice lucraturum. At non potest ita prudenter judicare, nisi victoria esset ipsi probabilis.

Non omne, quod apparet non posse aliter se habere apparet esse certum.

39. Vidimus Celladeum in multis errasse circa objectum, quod propriè est, & vocatur probabile; nunc addo, illum non minùs errasse circa objectum, quod nobis apparet probabile, & ab ipso vocatur probabile quoad nos. Inprimis dicit, objectum illud existimari certum, quòd apparet tanquam semper ita se habens. Hoc certò falsum est, quia multa objecta solùm probabiliter apparent ita se habere ex omnimoda necessitate, ut in innumeris quæstionibus Philosophis ac Theologicis videre est. In hoc casu objecta illa videntur vera, & quidem veritate inalterabili; sed nec sunt, nec videntur nobis esse certa, quia non proponuntur lumine certo, sed solùm incerto. Itaque ad existimandum aliquid esse certum, plus requiritur quàm existimare illud ita esse, & non posse aliter se habere; nempe requiritur, ut ratio, seu lumen manifestans hanc veritatem sit certum, & omnem formidinem contrarii excludat.

Non omne, quod apparet plerumque ita se habere est probabile quoad nos.

40. Secundò dicit, illud esse probabile, seu opinabile quoad nos, quod apparet ferè semper uno modo se habere. Hoc dictum dupliciter intelligi potest: primò, ut sensus sit iste. Illud est probabile quoad nos, quod nobis videtur ferè semper ita se habere per apparentiam certificantem nos quod ferè semper ita se habeat. Et hoc est verum, quia apparentia illa simul repræsentat objectum capax talis denominationis, & formam, à qua talem denominationem accipit. Secundò, potest hunc sensum habere. Illud est probabile quoad nos, quod quomodocumque apparet fermè semper ita se habere; & hoc falsum est, quia hoc ipsum ex levissima tantùm conjectura apparere potest, in quo casu illud non est probabile quoad nos, quia non possumus prudenter præsumere quod ita se habeat sicut apparet. Apparet quidem prædicatum illud, quod quoties certò innotescit clarè monstrat principale analogatum inter probabilia, & ideo videtur apparere probabile, quia locutio procedit ac si debita rei innotescentia simul appareret & constaret. At hoc non est necessarium, imò oppositum contingere potest, ut constat. Unde habemus, nec veram, nec apparentem probabilitatem, aut certitudinem consistere in solo objecto; quia sive objectum ex necessitate ita se habet, sive ferè semper ita contingit, non ideo est certum aut probabile, nisi tali determinatâ ratione proponatur. Similiter etsi appareat non posse aliter se habere, aut plerumque ita se habere, non ideo apparet certum aut probabile, nisi modus, quo taliter apparet, etiam repræsentetur. Itaque Celladeus in omnibus, quæ ad essentiam veræ probabilitatis pertinent, à veritate aberrat.

Nec vera, nec apparens certitudo sumitur ab objecto, quod apparet.

S. Thomas non favet Celladeo.

41. Quod ad S. Thomam attinet, ille verissimam doctrinam tradidit in utroque loco; sed doctrina illa Celladeo non favet. Prima auctoritas loquitur de necessariis, impossibilibus, & contingentibus, quæ sunt denominationes reales nullam dicentes relationem ad intellectum, aut ullam earum apparentiam ac repræsentationem. At ex hoc non sequitur, has denominationes coincidere cum certo & probabili, quæ sunt denominationes relativæ ad intellectum, & objectis immutatis variari possunt.

S. Thomas loquitur de objecto, ut sufficienter repræsentato, & Celladeo contrariatur.

42. Secunda auctoritas in nullo prodest, in multis obest Celladeo. Non prodest, quia Sanctus Thomas loquitur ex suppositione, quòd res vel cognoscatur sufficienter in seipsa, vel certè quod modus, quo continetur in causa, sufficienter innotescat. Nam nisi ista cognitio præcesserit, quæ dicit affirmari non possunt. Itaque locus hic ex hoc capite obstat Celladeo, quia denominationes istæ non desumuntur ab objectis solis, vel earum causis, sed à modo, quo causæ in quibus continentur innotescunt, cùm Celladeus velit denominationes certi ac probabilis ab ipsis præcisè objectis dependêre. Certè parùm refert, effectum omnimodâ determinatione contineri in causa, ut ego affirmare possim illum esse futurum, nisi cognoscam quod hoc modo in illa contineatur. Rursus nisi sufficienter hoc cognoscam, scilicet certò vel probabiliter, non possum prudenter dicere effectum illum esse futurum. Idem valet de effectu contento in causa, sed mutabiliter; nam nisi hoc ipsum aut certò aut probabiliter innotuerit, nemo nisi stultè ejus futuritionem prædicet. Demùm S. Thomas in secundo textu expressè dicit, quod opinari possimus de effectu in impedibili causæ inclinatione contento, nec per umbram ad hoc requirit, ut inclinatio illa ferè nunquam impediatur; immò ex toto contextu ac universali ejus locutione oppositum videtur certum. At Celladeus vult, nil esse opinabile, aut probabiliter prædici posse, quod non contineatur in causa, quæ ferè nunquam impeditur. Ergò repugnat S. Thomæ, quem citat.

Denominatio certi & probabilis provenit à propositione objecti.

43. Nec feliciùs applicat hanc doctrinam Sancti Thomæ ad motiva, quibus incitamur ad res affirmandas; nam eadem prorsus est difficultas de motivis probabilibus, ac de rebus ipsis, quæ à motivis illis denominantur probabiles. Quid enim juvat, medium habere necessariam connexionem cum consequente, nisi ego certò cognoscam medium illud & existere, & indefectibilem illam connexionem habere? Certè si alterutrum horum desit, non magis potero illud certò affirmare, quàm si medium non necessariò, sed solùm plerumque ita se haberet. Itaque errat Celladeus, dum dicit totalem medii determinationem generare assensum certum conclusionis; nam certitudo conclusionis non ab ipsa tantùm reali determinatione medii, sed à certa talis determinationis propositione dependet. Similiter errat, quando loquitur de medio non omnimodè sed plerumque connexo, quia loquitur tantùm de reali connexione, se tenente ex parte objecti, independenter à comparatione ad intellectum. At motivum illud non erit probabile, stante tali connexione, nisi appareat in tali gradu esse plerumque connexum cum re, quam probabilem denominat. Præterea, quamvis appareat plerumque connexum cum re illata, non ideo motivum illud erit probabile; quia si frequens illa connexio non certò innotescat, sed exigua prorsus claritate appareat, haud dubiè non erit probabile, nec quisquam nisi temerè infert conclusionem ex tali medio. Itaque ut medium ejusmodi sit certò probabile, debet

certò

certò nobis innotescere, quod plerumque connectatur cum consequente; nam quamdiu formidamus de hac connexione, certi non sumus, aut quod detur, aut quòd illud motivum sit probabile. Ecce nullū objectum, sive motivum sive illatum, est probabile per se, nec aliter habere potest talem denominationem, quàm dependenter à qualitate propositionis, quâ repræsentatur intellectui, ut mox explicabitur. Interim falsissima est illa Celladei illatio, quod nil sit probabile, quod non subest medio ita plerumque se habenti, ut ferè nunquam aliter se habeat; oppositum enim multipliciter, & efficaciter probatum est, ut constat ex dictis.

Intellectus aliter se habet cum motivis oppositis æqualibus, quàm cum nullis.

44. Demùm falsum est, quòd perinde sit intellectui ad eliciendam conclusionem, sive nullum habeat motivum, sive habeat duo æqualia sibi contradicentia: nam sicut non est perinde voluntati nullum habere motivum, ac inter duo detineri: ita pariter dicendum est de intellectu, quippe qui ita subditur imperio voluntatis, ut ubi sunt duo motiva contraria, flecti possit ad assensum alterius, quod repugnat, si omne motivum desit. Ad exemplum hominis æquè ambitiosi ac avari, dico intellectum non posse flecti ad existimandum, quòd secuturus sit potiùs unam, quàm alteram ex illis propensionibus, nisi habeat aliquod motivum ad hoc asserendum. Jam si dicas, quòd neutrum possit affirmari, eò quòd voluntatem habere duo motiva æquè allicientia, non sit motivum impellens intellectum ad credendum unum potiùs quàm alterum futurum; nil mirum, si talis assensus elici non possit, cùm intellectus omni motivo carere supponatur. Si verò intellectus duplici motivo alliceretur ad affirmanda opposita, sicut voluntas illius ad opposita amplectenda stimulatur, utique ex imperio voluntatis flecti posset ad alterutrum existimandum, quamvis stimuli illi intellectuales verè essent æquales, ut constat ex dictis *quæst. 29. & 30. & 31.* ubi fusè de hoc argumento actum est.

Multiplex & mirabilis doctrina Celladei, in omnibus fermè à veritate aliena.

45. Objicit quartò. Res probabilis debet esse minùs universalis, quàm principium ex quo probatur; alioquin principium illud ita se haberet ad illam conclusionem, ut respectu illius semper eodem modo contingeret. At ex definitione Aristotelis requiritur ad probabilitatem, ut motivum comparetur ad rem illatam tanquam ferè semper ita se habens, ita tamen, ut aliquando deficiat. Ergò ut motivum sit probabile, debet plura complecti, quàm inferuntur in conclusione. Hoc autem est motivum illud ita se habere ad rem probabilem, sicut universale ad particulare, seu sicut magis latè patens ad id quod minùs latè patet. Ita Celladeus §. 5. ex quibus comminiscitur, Aristotelem ideo apposuisse suæ definitioni probabilium, ut motivum se habeat ad probabile sicut universale ad particulare, quia alioquin nulla elici posset conclusio probabilis. Si enim principium & medium conclusionis probabilis ferè semper ita se habeat, jam aliquando vel in aliquo deficit. Ergò nulla determinata conclusio sequitur, quia concedi possent præmissæ & negari consequentia. Sic in hoc syllogismo. *Omnis mater diligit filium. Berta est mater filii. Ergò Berta diligit filium.* Concessis præmissis, negari posset consequentia, quia fortè principium illud deficit in Berta. Quod si dicas conclusionem, stantibus præmissis, negari non posse, sed majorem esse negandam, quia non est principium, *omnes matres, sed solùm omnes fermè matres diligere filios*; tunc certò certiùs nil sequitur in conclusione, quia syllogismus iste: *Omnis ferè mater diligit filium. Sed Berta est mater filii. Ergò Berta diligit filium*: caret formâ legitimâ. Hæc ut conciliet Celladeus, dicit limitationem illam Aristotelis fuisse necessariam, quia principium aut medium probabile non omnia prorsus particularia reddit probabilia, sed solùm pleraque & ferè omnia. Quod ut probet, dicit medium probabile in affirmativis ad magnam inclinationem, & in negativis ad magnam difficultatem, sed superabilem, reduci. Difficilium natura est, ut ferè nunquam eveniant, sicut habentium magnam inclinationem, ut ferè semper fiant, & ideo istæ propensiones ac difficultates fundant probabilitatem. Cæterùm S. Thomas ex Aristotele notat, & experientia comprobat, quòd sicut difficultas in tali gradu est necessitas, ut ferè nunquam res fiat, sic est necessitas, ut aliquando fiat. Sic hominem se suspendere difficillimum est; hoc ipsum tamen aliquando deficit, & necesse est ut deficiat in aliquo. Ex hisce infert Celladeus, medium probabile ita se habere ad ea, quæ reddit probabilia, sicut universale ad particulare; quia non omnia, sed solùm pleraque sub se contenta reddit probabilia: nam in aliquibus deficit. Unde vult syllogismum illum, *Omnis mater diligit filium &c.* & omnes illi similes non solùm non esse idoneos ad materiam probabilem, sed directè illi contrarios, si medium *Mater* ad omnem matrem applicetur in majori; quia major illa non solùm non est probabilis, sed apertè falsa; siquidem probabile habet de se, ut in aliquo deficiat.

46. Respondeo inprimis, argumentum hoc esse solutum ex dictis in probatione Assertionis quartæ, ubi ostendimus, conclusionem probabilem sæpè esse æquè universalem ac medium ex quo sequitur. Itaque nulla erat necessitas ponendi hanc objectionem, nec eam posuissem, nisi ut occasionem haberem detegendi plurima alia falsa, quæ Celladeus adjungit, ut falsissimam suam assertionem reddat verisimilem.

Primus Celladei error.

47. Primus error est, quòd tam necesse sit principium probabile in aliquo deficere, quàm in quamplurimis ita se habere. Inprimis multæ sunt res ex se necessariò connexæ, quæ etiam primo aspectu connexæ apparent, non tamen lumine evidenti aut certo. Hujusmodi objecta aut sunt, aut esse possunt motiva probabilia, quia sub eo præcisè lumine proponi possunt, quod illa non reddat certa, sed solùm prudenter credibilia. Rursus in rebus contingentibus sæpè principium probabile hîc & nunc adhibitum omnibus sub termino universali comprehensis ita convenit, ut nullum particulare excludatur. Tales sunt istæ propositiones universales. *Omnis octogenarius hujus civitatis aliquam infirmitatem habuit. Nulla mater hujus pagi occidit filium.* Certè istæ propositiones sunt hîc & nunc evidenter credibiles, & sæpè absque temeritate negari non possunt, etsi certò non innotescant. Et tamen propositiones istæ sæpè absque ulla exceptione conveniunt omnibus individuis sub termino universali comprehensis. Adde propositionem illam, *Nulla mater hactenus occidit filium suum*, erat probabilis ab initio mundi, antequam ulla mater proprium partum extinxisset. Et tamen tunc omnibus sub se contentis æquè conveniebat. Ergò non est necesse ad principium probabile, ut in aliquo deficiat. Quod si accipiamus talem rerum collectionem, tot circumstantiis variatam, ut jam necesse sit aliquam judicii varietatem inter contenta sub termino universali, propositio universalis non erit probabilis, sed evidenter falsa. Talis est hæc propositio, *nulla mater*

Principium probabile non necessariò deficit in ullo individuo.

Principium quod scitur deficere in ullo, non est probabile.

occidet filium, quæ ideo non est principium probabile; sed propositio certò falsa, quia tot sunt occasiones, quibus matres aliquando gravissimè urgentur ad suos filios interimendos, ut moraliter impossibile sit, plures ad proprios partus conficiendos non esse inducendas. Itaque omnia exempla hujusmodi sunt abs re. Peto enim à Celladeo, ut mihi proponat vel unum principium universale probabile. Deinde peto, an sit vel non sit necesse, illud ad omnia sub se contenta non extendi: si exceptio aliqua sit & sciatur esse necessaria, propositio illa universalis non erit principium probabile; sed propositio certò falsa, cui proinde nemo nisi imprudenter assensum præbere potest. Si non sit necesse exceptionem fieri, unde scit Celladeus, aliquam semper intervenire? Ecce qualia & quàm inconsistentia congerit hic Auctor, ut in causa malè incepta cum consequentia progrediatur. Si enim verum dicat, tollit omne principium probabile, quod tamen unicè stabilire contendit.

Omnes cū Aristotele sentiūt contra Celladeum.

48. Certè quod ille ad rationem motivi probabilis requirit, communi omnium sensui apertè repugnat. Omnes enim cum Aristotele admittunt, eandem prorsus esse formam syllogismorum probabilium & scientificorum. Ergò eo ipso omnes admittunt ac supponunt, plures dari propositiones universales, quæ sint probabiles, & per modum principii admittantur pro veris. At nemo assentitur ulli propositioni universali, nisi credat illam absque ulla exceptione esse veram; nemo enim, qui credit ullam latêre exceptionem, formare potest propositionem universalem de contrario. Ergò omnium sensus est, principia probabilia non necessariò pati exceptionem; sed aliqua, imò omnia, quæ pro principiis admittuntur, reputari vera absque ulla exceptione actuali, quamvis certò non appareat necessitas aut ita se habendi simpliciter, aut ita se habendi sine exceptione.

Secundus Celladei error.

49. Secundus error latet in miro illo commento, quo contendit, Aristotelem ideo dixisse medium probabile non sufficienter explicari *per plerumque contingens*, nisi comparetur ad conclusionem sicut universale ad particulare, quia alioquin nulla conclusio probabilis elici posset. Nam ratio quam affert, nec est vera, nec admissa probat intentum. Non est vera, quia supponit omne principium probabile universale necessariò deficere in aliquo, & non posse se ita habere in omnibus. At hoc est falsum, ut constat ex dictis. Deinde hoc admisso, consequentia non sequitur: nam in illo syllogismo, *Omnis mater diligit filium. Berta est mater. Ergo berta diligit filium.* Conclusio necessariò sequitur, admissis præmissis; quamvis enim principium illud revera in aliquo deficiat, & sic fortassè locum non habeat in Berta; tamen si in mente nostra admittatur ut vera in omnibus, admittitur etiam ut vera in Berta. Unde conclusio legitimè deducitur, & intellectus necessitatur ad illi assentiendum, si semel præmissas concedat.

Confundit principium evidenter falsum cum principio probabili.

Itaque in eo errat, quòd majorem illam de matribus in omni universalitate sumptis intelligi velit. Nam major illa sic sumpta non est probabilis, sed & est, & scitur esse evidenter falsa. Ponat propositionem universalem, quam intellectus admittit ut veram, & haud dubiè conclusio legitimè sequetur, quamvis nec à parte rei, nec in mente discurrentis ulla detur exceptio. Quòd si signum universale omittatur, & dicatur, *omnis ferè mater amat filium*, conclusio non legitimè sequitur; sequitur autem, si dicatur, *Omnis mater hujus Pagi diligit filium. Berta est mater hujus pagi. Ergò diligit filium.*

Tertius error Celladei.

50. Tertius error est, quòd dicat, medium probabile omnia sub se contenta non reddere probabilia, sed solùm pleraque; ea scilicet, quæ sub se verè complectitur, non ea in quibus deficit. Hic est error prorsus intolerabilis in præsenti tractatu, non solùm quia procedit de subjecto non supponente, quatenus supponit nullum principium probabile assignari posse, quod in aliquo non deficiat; sed vel maximè, quia jam supponit probabile coincidere cum vero, quia juxta hunc dicendi modum nil falsum esse potest probabile. unde duo evidenter sequuntur. Alterum est, probabile definiri debere per veritatem, ut illud solùm sit probabile quod est incertum & verum. Alterum quod probabilitas æquè lateat ac veritas. Unde sicut nunquam certi sumus an propositio probabilis de ullo determinato objecto incerto sit vera; ita nunquam certificari possumus, quòd ulla propositio sit probabilis. At utraque sequela est certò falsa, ut ostensum est.

Quartus error Celladei.

51. Quartus error est, quòd dicat medium probabile solùm reddere pleraque sub se contenta probabilia. Nam contra est, quia reddit pleraque evidentia; evidens enim est, plerasque matres diligere filios. At Celladeus contra apertam veritatem vult, quod solùm reddat illa probabilia. Unde mirum non est, quòd non intellexerit naturam motivi probabilis universalis, quia erravit in principio, ex quo illa declarari debet. Necessitas enim quòd pleræque matres diligant filios suos, reddit hanc propositionem universalem primò & per se probabilem, *de quavis matre particulari dicendum est, quod amet filium, nisi aliqua exceptio magni momenti obstet in contrarium.* Unde subsumitur: *Sed Berta est mater filii, & nulla exceptio momenti assertur contra ejus affectum erga filium. Ergò dicendum est quod Berta diligat filium.* Major est credibilis, quamvis aliquando deficiat à vero in aliquo particulari casu.

Motivum probabile reddit pleraque evidentia.

Omnis mater diligit filium, in quo sensu sit principium probabile?

Et sanè quando dicimus: *omnis mater diligit filium*: & illud proponimus ut principium probabile, propositio illa non debet sumi cum universali distributione, quæ resolvatur per descensum copulativum, ut sensus sit, & hæc & illa & reliquæ amant filios, quia hoc est evidenter falsum; sed accipi debet cum distributione, quæ resolvitur non per descensum illum copulativum, sed solùm per separatum & singularem descensum singulis seorsim applicabilem, juxta sensum propositionis à me allatæ. Et in hoc sensu propositio digna est assensu. Nec necesse est, ut habeat ullam exceptionem, quia procul dubio ab initio mundi diu vera erat absque ulla exceptione, multoque tempore mansit vera absque ulla necessitate exceptionis. Porrò credibilitas, seu probabilitas hujus propositionis fundatur, non in probabilitate (ut falsò vult Celladeus) sed in evidentia, quòd matres plerumque diligant filios; quia hâc evidentiâ stante propositio à me allata non potest non esse credibilis, & illâ ablatâ non est unde sine exceptione credibilis evadat. Ergò dantur motiva probabilia, quæ universaliter admitti debent ut vera, quamvis contingat aliquando ut exceptionem patiantur, & in particulari subjaceant falsitati.

Quintus error Celladei.

52. Quintus error est, quod radicem omnis probabilitatis reducat ad propensionem vel difficultatem, cùm tamen certum sit, multa esse probabilia, quæ tamen nullam difficultatem habent, ut ponantur. Qui unâ vice jacit decem aleas, absque difficultate projicit numerum ex punctis determinatis conflatum, cùm tamen antequam aleas jaceret, probabilissimum esset, numerum

numerum

merum expunctis illis determinatis conflatum non esse proventurum.

Sextus error Celladei.

53. Sextus error est, quòd ex S. Thoma & Aristotele dicat, ipsam difficultatem in tali gradu constitutam, sicut est necessitas ut res ferè nunquam fiat, ita esse necessitatem, ut aliquando fiat. Hoc assertum naturæ lumini apertè repugnat. Id enim, quod necem suiipsius reddit homini difficilem, est dolor mortis subeundæ, privatio delectationis, quam haurit & sperat haurire ex vita &c. At ista non sunt, quæ necessitant aliquos ex tota collectione ad seipsos interficiendos, sed omnia istis contraria; nempe ereptio sui ex malis præsentibus & imminentibus, à quibus sperant se per mortem liberandos, & à quibus aliter se liberari non posse putant. Verum quidem est, necessitatem ad mortem frequentissimè omittendam non impedire necessitatem ad aliquam exceptionem, quia in rebus humanis datur rerum vicissitudo, & hisce dispositionibus rem difficultantibus succedunt aliæ prorsus contrariæ, quæ rem facilitant. At dicere ipsam difficultatem, ratione cujus necesse est, ut res ferè nunquam eveniat, esse ipsam necessitatem ut res illa aliquando eveniat, est ab omni veritate prorsus alienum. Nec minùs absurdum est in tam palmaris falsitatis patrocinium S Thomam, Aristotelem, & ipsam experientiam adducere. Certè si illæ circumstantiæ, quæ mortem propriam reddunt difficilem, semper manerent invariatæ, nemo manus sibi inferret, sed omnes ex morali quadam necessitate oppositum eligerent, ut patet. Similiter si circumstantiæ illæ, quæ homines ad propriam mortem exstimulant, semper adessent, illæ non ad raram, sed frequentissimam mortem sibi inferendam homines stimularent.

Necessitas ad plerumque non inferendam sibi mortem, non est necessitas ad illam aliquando inferendam.

Septimus error Celladei.

54. Septimus error est, quod dicat, syllogismum illum. *Omnis mater diligit filium &c.* omnesque similes non solùm non esse idoneos ad materiam probabilem, sed illi directè contrarios, si medius terminus sumatur in sua universalitate. Contrarium enim ex dictis constat esse certissimum. Præterea, omnes, qui formant syllogismos probabiles, necessariò ponunt præmissas universales, quæ in sua universalitate sumptæ sunt probabiles, & creduntur nunquam aliter se habere, ut certum est ex dictis. Quòd si peculiaris illa major sit evidenter falsa, id ad rem non est, quia tunc illa, ut jacet, non est probabilis, nec absque limitatione posita sumi potest pro principio probabili. At loquendo de aliis propositionibus universalibus, illæ probabiles sunt, nec certum est, ullam dari exceptionem, sed oppositum in casibus innumeris est credibile; & ideo assumi possunt tanquam præmissa, seu principium pro inferenda conclusione probabili. Imò perspicuum est quomodò syllogismus probabilis in omni modo & figura formari possit per illas, sicut syllogismi scientifici formantur; quod Celladeus nunquam ostendet, cùm neget ullas propositiones universales esse posse medium syllogismi probabilis. Ille quidem hoc sibi quodammodò objicit, sed difficultatem rejicit ad Logicos, quos ait acumine indigere, ut in probabilibus rectum syllogismum forment. Sed si principiis illius inhæreant, nullum acumen ad rem prorsus impossibilem perficiendam sufficere poterit. At si sequantur doctrinam communem, quæ verissima est, admittantque propositiones universales esse posse probabiles, ac pro præmissis assumi, non majori acumine opus est pro forma syllogismi probabilis, quàm scientifici, ut omnibus est notissimum.

Syllogismus probabilis est impossibilis in principiis Celladei.

55. Hi sunt errores, quos Celladeus *in ultimo §. quæst. 16.* coacervavit, quibus non obstantibus, visus sibi est præclarè rem suam confecisse, & fundamenta solida contra benignam sententiam jecisse; sed in omnibus fallitur: fundamenta enim mera eorum denudatione corruunt, ut visum est; & licèt starent, benignam sententiam fulcirent, non everterent, ut infra patebit. Interim dejectis Celladei argumentis, ejusque doctrinâ eversâ, videndum est, in quo essentia probabilitatis consistat. Sit ergò

ASSERTIO VI.

Propria ratio motivi probabilis consistit in quadam vi stimulandi intellectum ad aliquid affirmandum, vel negandum.

Ratio motivi probabilis consistit in vi stimulandi intellectum.

56. PROBATUR primò. Probabilitas non est denominatio absoluta, objectis adæquatè intrinseca, sed est denominatio relativa ad intellectum, ut ostensum est. Porrò relatio hæc in eo peculiariter consistit, quòd sollicitet & stimulet mentem ad judicium ferendum de re proposita; quia tam probabilitas quàm certitudo & evidentia eò tendunt, ut aliquid nobis persuadeant, & hoc omnes statim intelligunt, quando audiunt aliquid esse probabile, certum, vel evidens. Ergò tam probabilitas, quàm certitudo, & evidentia essentialiter consistunt in stimulo potente allicere intellectum ad aliquid affirmandum vel negandum.

Omne motivum stimulat potentiam, quam movet.

57. Probatur secundò. Ipsa notio motivi directè exprimit vim stimulandi illam potentiam, cujus est motivum. At motivum probabile est motivum potentiæ intellectivæ. Ergò propria illius essentia ac notio consistit in vi stimulandi intellectum ad aliquid affirmandum vel negandum. Hæc vis est prædicatum genericum, in quo omnia motiva tam certa quàm incerta conveniunt. Et hoc prædicatum in præsenti assertione solùm proponitur, & explicatur. Nam in sequentibus prædicatum differentiale motivi probabilis exponetur. Interim ut pergam in pleniori notitia hujus prædicati generici. Sit

ASSERTIO VII.

Propositum sit explicare, in quo motivum intellectûs consistit, & quod sit officium partium illud constituentium.

Quid sit motivum intellectûs? & ex quibus partibus componatur?

58. OMNE motivum intellectuale essentialiter dicit duo; alterum est objectum, quod proponitur; alterum est apprehensio, quâ objectum proponitur. Repugnat siquidem intellectum moveri ab objecto, quod ipsi non proponitur. Rursus propositio est objecti alicujus repræsentatio, ut patet. Quolibet autem ex istis ablato, cessat ratio proximè movens ad assensum. Ergò utrumque essentialiter requiritur ad rationem motivi completè sumpti. Nec de hoc ulla est, aut esse potest difficultas.

Objectum movet ut quod, repræsentatio ut quo.

59. Jam ex istis duobus, id quod subit denominationem motivi, & verè movet, est objectum quod repræsentatur, non repræsentatio illius. E contrà id, quo intellectus movetur, est repræsentatio non objectum; sicut enim nil movet volun-

voluntatem ad amorem, nisi illi repræsentetur ut bonum, ita nil movet intellectum ad assensum, nisi illi proponatur ut verum. Porrò sicut repræsentatio boni nec est id quod movet voluntatem, nec est bonum quod intenditur, & cujus gratia cætera fiunt, sed solùm est id, quo repræsentatur & applicatur bonum quod movet; ita id quod movet intellectum, non est repræsentatio veri, sed ipsum verum quod ipsi repræsentatur, quia hoc solùm apparet ut verum, cùm ipsius propositio reflexè non cognoscatur, & licèt cognosceretur, illius prædicata cognita non haberent vim movendi intellectum ad inferendam conclusionem. Itaque id quod verè movet intellectum, & subit denominationem motivi, est objectum quod repræsentatur, non autem illius repræsentatio. Hæc tamen complet denominationem, tum quia illâ solâ ablatâ denominatio cessat, tum quia per illam objectum movet intellectum, ut patet.

Objectum est indifferens ut sit certum vel dubium &c.

60. Probatur secundò. Objectum ipsum est indifferens, ut habeat denominationem motivi evidentis, vel inevidentis, certi vel incerti; objectum enim quod movet ad fidem, quia obscurè proponitur, moveret ad scientiam si clarè & intuitivè repræsentaretur. Universaliter enim verum est, quòd omnia prorsus objecta sive mediatè sive immediatè innotescentia per cognitionem obscuram, quæ ideo dicuntur vel motiva vel illata obscura, evaderent motiva aut illata evidentia, si immediatè vel mediatè innotescerent per claram & evidentem repræsentationem. Itaque objectum quod movet & denominatur motivum, completur in hac denominatione per aliquid aliud, nempe per propositionem illius, à cujus specifica differentia tota motivorum diversitas dependet. Ergò motivum intellectûs ita constat ex duabus partibus essentialibus, ut objectum sit id quod movet ut quod, repræsentatio verò illius movet ut quo.

Repræsentatio vitaliter unit objectum motivum intellectui.

61. Demùm probatur, quia ut objectum moveat intellectum, debet illi vitaliter uniri; nisi enim ita uniatur, nequit illum movere, ut patet. Ergò id, per quod objectum vitaliter unitur intellectui, complet illud in ratione motivi. Et ratio est, quia motivum intellectûs reducitur ad unam ex causis, à quibus assensus dependet. Motivum enim impellit ad assensum, & ad hoc solùm deservit, ut ex vi illius assensus eliciatur. Ergò quidquid complet objectum in ratione causæ proximè allicientis ad assensum, & in assensum influentis, id ipsum complet illud in ratione motivi, seu causæ motivæ. At certum est, quod sola repræsentatio objecti proximè compleat illud in ratione allicientis & vitaliter impellentis ad assensum; immò objectum non aliter influit in assensum, quàm mediante hac sui repræsentatione. Ergò hæc sola est, quæ proximè & formaliter constituit illud in ratione motivi.

ASSERTIO VIII.

Probabilitas consistit in repræsentatione objecti, quod est probabile.

Probabilitas, seu forma dans objecto apparenti denominationem motivi probabilis, est ipsa objecti repræsentatio, quâ intellectus stimulatur ad assensum illi præbendum.

62. PROBATUR. In omni concreto ex duabus partibus conflato illud est subjectum denominationis, quod est indifferens ad hanc vel aliam denominationem; illa verò est forma denominans, quæ non est indifferens ad plures denominationes, sed necessariò attribuit unam determinatam subjecto, cui applicatur. Sed omne motivum probabile est concretum, ex objecto & objecti repræsentatione conflatum. Ergò illud est materiale seu subjectum hujus concreti, quod est indifferens ad denominationem motivi probabilis; illud verò forma denominans, quod non est indifferens ad hanc denominationem, sed necessariò tribuit illam subjecto, cui applicatur. At objectum repræsentatum est indifferens ad denominationem motivi probabilis, certi, aut evidentis; ipsa verò repræsentatio non est indifferens ad hanc aut illam denominationem, sed essentialiter alligatur suo objecto, illudque ad hanc denominationem determinat. Ergò probabilitas, seu forma denominans motivum probabile, est ipsa objecti repræsentatio, quâ intellectus stimulatur ad assensum illi præbendum.

Repræsentatio est forma hujus cõcreti probabile.

63. Argumentum allatum æquè procedit de denominationibus *evidentis & certi*; utraque enim dicit objectum pro subjecto, repræsentationem autem pro forma. Idem enim objectum pro diversitate suæ repræsentationis modò est probabile, modò certum, modò evidens; diversa autem repræsentatio diversas has denominationes tribuit. Itaque evidentia, certitudo, ac probabilitas non sunt formæ se tenentes ex parte objecti, quod subit illas denominationes, sed sunt solùm repræsentationes diversæ, ac diversi stimuli, quibus intellectus diversimodè incitatur ad assensum tali objecto præbendum. Probabilitas ergò, certitudo, & evidentia adæquatè consistunt in actibus intellectûs, & objecta ab illis denominantur probabilia, certa, vel evidentia. Itaque Celladeus in eo erravit, quòd probabilitatem in ipsis objectis quæsierit, atque subjectum cum forma, & probabile cum probabilitate confuderit, in quo non minùs deceptus est, quàm si evidentiam cum re evidenti confudisset, quas tamen certum est distingui, cùm vera, propria, seu formalis evidentia in ipsa clara repræsentatione consistat, & sine illa haberi non possit. Eadem autem ratio procedit de probabili, & probabilitate, ut patet.

Probabilitas, certitudo, & evidentia consistunt in actibus, non in objectis.

ASSERTIO IX.

Probabilitas rectè definitur, fallibilis apparentia veritatis, antecedens omnem indebitum animi affectum, omnémque assensum objecto repræsentato præstitum, tanta tamen magnitudinis, ut ex omnibus illi æqualibus in unum collectis pleraque conjungantur cum veritate.

Exacta probabilitatis definitio.

64. DEFINITIONEM hanc latè explicui ac probavi *quæst. 2. de Consc. prob. num. 11. & seqq.* ubi ostendi quomodò definitio illa Aristotelis, *Probabile est, quod plerumque contingit*, non possit universalem veritatem continere, nisi per hanc probabilitatis notionem explicetur. Interim, ut assertio meliùs intelligatur, lubet paucula ex ibi dictis breviter exponere. Sciendum ergò est, apparentiam veritatis, seu stimulum intellectualem, antecedentem omnem affectum omnemque assensum uni parti indebitè alligatum (non loquor hîc de apparentia consequente dictum affectum & judicium uni parti alligatum, quia illa sumit augmentum suum à voluntaria dispositione opinantis, non à solo merito causæ, ideoque nemo prudens ex tali apparentia regulat judicium suum) quadrifariam dividi. Primus stimulus tantæ claritatis est, ut nullum stimulum ad oppositum secum patiatur; ideoque rapit intellectum ad assensum objecti, quod tantâ claritate repræsentatur.

Stimulus intellectualis in quadrifariam dividitur.

tatur. Hic stimulus, & hæc apparentia est & dicitur videns, quia prima ac formalis evidentia objecti in illa consistit. Secundus stimulus non excludit omnem impulsum ad contrarium, ideoque est obscura ac inevidens repræsentatio objecti, & non necessitat ad assensum; est tamen tantæ magnitudinis, ut nec illa, nec ulla illi æqualis jungi possit cum falsitate. Talis est apparentia, quam fideles habent de veritate mysteriorum fidei, quæ apparentia, licèt non fundetur in evidentia rei creditæ, postulat tamen evidentiam summæ credibilitatis de veritate ipsius. Hæc apparentia & hic stimulus est certus ac infallibilis, sed obscurus.

Apparentia alia infallibilis, alia fallibilis.

65. Hæ duæ classes complectuntur omnia certa & infallibilia, quorum aliqua sunt evidentia, alia obscura, sed evidenter credibilia super omnia. Unde apparentia certa & infallibilis dividitur in evidentem & obscuram. Post apparentiam autem certam & infallibilem, sequitur apparentia fallibilis & incerta, quæ in eo consistit, quòd illa non sit tantæ magnitudinis, quin aut ipsa, aut alia illi æqualis, connecti possit cum falsitate. Hæc classis apparentiæ fallibilis bifariam dividitur, nam alia parùm recedit ab apparentia certa, & obscura, quia tantæ magnitudinis est, ut ex omnibus illi æqualibus pleræque connectantur cum veritate. Porrò ipsa intrinseca magnitudo talis apparentiæ essentialiter connectitur cum hac necessitate, alioquin non fundaret judicium prudens, nec homo unquam prudenter assentiri posset propter motivum fallibile; stultum enim est in incertis assensum præstare propter motivum, cujus intrinseca magnitudo est adeo exigua, ut non frequentiùs connectatur cum vero, quàm cum falso, aut, quod deterius est, frequentiùs connectitur cum falso; quia hâc ratione intellectus nimis evidenti errandi periculo exponeretur; id est, aut planè fortuitò se haberet ad verum, aut certè magis exponeretur ad falsum, quàm ad verum. Demùm quarta classis multùm recedit ab apparentia certa; & tam exiguam magnitudinem habet, ut ex omnibus illi æqualibus aut pauciores, aut certè non plures, connectantur cum vero quàm cum falso.

Probabilitas est stimulus intellectualis fallibilis, sed assensu dignus.

66. Ex hisce apparentiis, & apparentiarum classibus, prima est evidentia; secunda est infallibilis certitudo obscuritati conjuncta; tertia est apparentia fallibilis, sed digna assensu, quia fundat assensum, de cujus veritate possumus prudenter confidere ob intrinsecam magnitudinem sui motivi. Et sanè quando certitudo haberi nequit, nemo argui potest ut imprudens, si sequatur stimulum intellectûs, cui veritas plerumque subest; malum enim fuisset intellectui, si absque nota imprudentiæ & temeritatis tantæ apparentiæ fidem dare non potuisset, cùm illa ob suam magnitudinem mereatur fidem, sed cum formidine oppositi. Quarta classis est infra probabilitatem, quia non est digna assensu. Ex his constat probabilitatem esse apparentiam assensu dignam, seu apparentiam in assertione explicatam, quæ ex vi suæ magnitudinis necessariò postulat plerumque connecti cum vero.

ASSERTIO X.

Probabilitas unde innotescat.

Propositum sit explicare, unde cognosci possit, quæ apparentia ex sua intrinseca magnitudine postulet plerumque connecti cum vero.

67. ALIUD ad completam probabilitatis, & ad motivi ac opinionis probabilis notitiam superesse non videtur, quàm ut explicetur, unde dignosci possit, quæ demum sit apperentia vi suæ magnitudinis plerumque connexa cum vero. Hoc ergò hîc declarandum assumpsi. Itaque inprimis in multis casibus magnitudo hujus apparentiæ colligitur ab experientia earum rerum, quas sensibus ipsis experimur plerumque contingere. *Ut senes canescere, homines mori ante annum centesimum &c.* Unde statim habetur tanta apparentia veri circa quodvis istorum objectorum, ut certi simus, eos plerumque non falli, qui sæpissimè de particularibus personis judicant, & dicunt, *Hic puer canescet si ad senectam pervenerit: hic infans non pertinget ad annum centesimum.* Et ideo omnia hæc particularia sunt probabilia, quia affirmantur ex vi luminis, quod ex intrinseca sua magnitudine, à rebus ipsis benè perceptis desumpta, postulat plerumque non fallere.

Aristoteles doctorum est.

68. Hæc est prima ac magis obvia probabilitatis notitia, ad quam expresè respexit Aristoteles in locis initio quæstionis citatis, tanquam ad primum & præcipuum analogatum inter omnia probabilia. Recole locum illum *ex 2. Prior. cap. 27.* ubi hæc habet. *Quod enim ut in pluribus sciunt sic factum, vel non factum, aut esse vel non esse, hoc est εἰκὸς, seu propositio probabilis, ut odire invidentes, vel diligere amantes.* Ecce Philosophus contrariatur Celladeo, quia non loquitur præcisè de objecto, quod plerumque contingit; sed potissimè agit de perfecta illius cognitione, ac de notitia modi, quo similia continentur in suis causis. Unde non vult probabilitatem in hoc ipso casu sumi ab objecto secundùm se considerato, ut vult Celladeus; sed insuper expresè requirit, ut certâ experientiâ constet, talia plerumque ita se habere, & tunc habetur εἰκὸς seu *propositio probabilis.* Cæterùm si illud objectum obscurè tantùm, & sub exigua veri apparentia apprehenderetur tanquam plerumque contingens, non esset probabile ex mente Philosophi, sicut non esset ex rei veritate. Constat ergò Aristotelem ad probabilitatem requirere apparentiam illam, in qua nos probabilitatem sitam esse docuimus.

Assensus peritorum probat magnitudinem & probabilitatem motivi.

69. Secundum caput, ex quo cognosci potest, quæ apparentia ex vi suæ magnitudinis plerumque connectatur cum vero, desumitur ab effectu, quem ab illa ipsa apparentia provenire videmus, aut experimur posse provenire. Hic effectus est assensus, quem probi & periti viri, non ex animi levitate, aut passione uni parti indebitè inclinatâ, sed post maturam rei discussionem præstant apparentiæ, dum sententiam ita proferunt, sicut decet peritos & probos. Hic effectus certò arguit apparentiam, seu stimulum intellectualem, cui intellectus ita judicans innititur, tantæ magnitudinis esse, ut ex omnibus æqualibus plures connectantur cum veritate quàm cum falsitate. Ratio est, quia talis apparentia est digna assensu, fundat judicium rationabile ac prudens, apta est ad impetrandum assensum à perito & probo, non leviter sed ut peritum & probum decet judicante. At apparentia ex vi suæ magnitudinis non postulans plerumque connecti cum vero, non est digna assensu, neque fundat judicium rationabile ac prudens; nemo enim nisi temerè sequitur apparentiam, quæ propter debilitatem suam plerumque fallit. Rursus natura malè instituisset hominem, si ille in obscuris, judicando sicut decet probum & peritum, plerumque erraret. Ergò impossibile est, quin tales apparentiæ plerumque non fallant. Itaque ex judicio taliter elicito rectè infertur, apparentiam, cui innititur, ex vi suæ magnitudinis fundare necessitatem plerumque non errandi, si talia

lumina sequamur. Ex proprio enim alicujus causæ effectu legitimè infertur existentia talis causæ, cum omnibus prædicatis ad talem effectum necessariò requisitis. Hic modus arguendi est à posteriori & ab effectu, alter autem erat à priori, per quem à naturis rerum magnitudo apparentiæ deducebatur, & ex illius magnitudine jam nota qualitas judicii in ea fundati cognoscebatur. In præsenti autem à qualitate judicii qualitas motivi declaratur.

Magnitudo stimuli, ex ipsius consideratione à peritis dignoscitur.

70. Cæterùm magnitudo hujus apparentiæ non solùm cognoscitur à judicio taliter elicito, sed etiam ex ipsa stimuli existentis magnitudine, quam periti & probi in seipsis experiuntur; illi enim sæpè evidenter vident, apparentiam, quam in se sentiunt, esse dignam assensu, quia ex una parte certò sciunt, se nullâ passione animum excæcante, aut ad unam partem indebitè pellente moveri; ex altera experiuntur, stimulum vehementem, claréque perspiciunt, se non posse meritò reprehendi, si tali apparentiæ assensum præbeant. Hæc secunda via dignoscendi magnitudinem apparentiæ, seu determinandi apparentiam probabilem, maximè in rebus difficilibus, solis peritis convenit; prima autem etiam imperitis communis est; omnes enim ex communi gravissimorum Auctorum consensu certificantur talem opinionem niti motivo verè magno, verè probabili; quia certum est, aliquos eorum prout decet petitos & probos sententiam tulisse.

71. Ex his habemus, quid sit motivum esse magnum, grave, solidum, rationabile, prudens, seu probabile; omnia enim ista idem prorsus significant. Itaque illud est motivum verè magnum &c. quod vi suæ magnitudinis plerumque non fallit, etsi hîc & nunc à vero aberret; seu quod aptum est ad impetrandum assensum à viro perito & probo, juxta dicta tum hîc, tum *in tract. de Consc. prob. quæst. 2. num. 13.* & alibi sæpè. Unde iterum apparet, Celladeum frustra conqueri de nobis, quòd terminos obscuros non satis declaratos adhibeamus; nullum enim terminum inexplicatum relinquimus, sed determinatum ac distinctum sensum singulis tribuimus, ipsam rerum originem, naturam, proprietates, causas & modos res ipsas cognoscendi exponimus. Sed ad alia pergamus.

Motivum grave, magnum, prudens &c. quid?

QUÆSTIO TRIGESIMA-OCTAVA.

In quo consistat essentia probabilitatis extrinseca?

Auctoritas loquentis consistit in duplici veracitate.

1. PROBABILITAS extrinseca fundatur in auctoritate dicentis aliquid. Porrò omnis auctoritas consistit in duplici loquentis veracitate, quarum altera est veracitas in cognoscendo, altera est & dicitur veracitas in dicendo. Prima consistit in capacitate debitè cognoscendi res, per quam aliquis præsumitur non falli circa illas. Secunda consistit in dispositione, quâ persona loquens conformat dicta conceptui, & mentiendo non fallit. Prima dispositio est perfectio intellectûs. Secunda est perfectio voluntatis. Porrò, quò dispositiones istæ fuerint perfectiores, eò auctoritas est major. Ideo summa est Dei auctoritas, quia in cognoscendo nequit falli, nec fallere in loquendo. Creaturarum auctoritas eò major est, quò magis ad divinam accesserit.

Cur fides negetur aliquando peritissimis, aliquando probissimis?

2. Cæterùm si alterutra ex istis dispositionibus desit, deest pariter auctoritas ad fidem rationabilem sufficiens. Sic nemo prudenter credit dæmoni, licèt perspicacissimo, & valdè veraci in cognoscendo; quia verax non est, sed mendax in loquendo. Similiter veracissimis in loquendo non credimus, si ignorantes sint aut imperiti; quia etsi non fallant, facillimè tamen falluntur. Itaque utraque veracitas ad completam auctoritatem requiritur, & ideo non nisi hominibus scientiæ & conscientiæ, seu viris peritis & probis, fidem prudenter damus. His positis, quæstio est, quæ & qualis auctoritas sufficiat ad reddendum aliquid extrinsecè probabile. De hac re agit Celladeus *lib. 2. quæst. 18. & 19.* Nos veritate stabilita, erroribusque Celladei detectis, solvemus quod contra benignam sententiam objicit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

Probabilitas extrinseca non benè definitur per auctoritatem ferè nunquam aut saltem plerumque non errantem in iis, de quibus alios instruit.

Probabilitas extrinseca non est auctoritas, quæ ferè nunquam fallitur, aut fallit.

3. PROBATUR Assertio contra Celladeum, qui eâdem prorsus ratione definit probabilitatem extrinsecam, quâ intrinsecam definierat: nempe per hoc, quòd sicut illa sola ratio est gravis, fide digna, magna, seu probabilis, quæ ferè nunquam fallitur aut fallit; ita illa sola auctoritas est gravis, magna, probabilis, quæ ferè semper verum dicit. Probatur, inquam, eisdem fermè argumentis, quibus similem definitionem probabilitatis intrinsecæ rejicimus, quia eodem prorsus modo demonstrant insufficientiam, ac nullitatem definitionis præsentis. Nominatim autem definitionem hanc ex eodem capite rejicio, ex quo Aristoteles supra *quæst. superiore* rejicit definitionem probabilium, quæ simpliciter dicebat illud esse probabile, quod plerumque contingit; quia hoc, ut jacet, evidentibus ac necessariis convenit; talia enim plerumque contingunt, cùm semper eveniant. Ita pariter in casu nostro, auctoritas infallibilis, certò cognita ut talis, includeretur in hac definitione probabilitatis extrinsecæ, si termini accipiantur ut jacent, quia talis auctoritas non solùm plerumque, sed semper non fallit eos, quos docet. Nec sufficit, quod Celladeus postea limitet verba definitionis, quia limitatio illa

illa exprimi debebat in ipsa definitione. Deinde definitio rejicitur ob particulam illam *ferè semper*, quæ certò certius omni probabilitati extrinsecæ non convenit sicut *quæst. superiori* ostensum est, quod omni probabilitati intrinsecæ non conveniat.

Si explicatio Celladei corrigatur, est vera.

4. Quod si, omissâ particulâ, *ferè nunquam*, terminisque ita declaratis, ut infallibilis auctoritas non includatur, solùm insistas alteri particulæ *plerumque*, descriptio allata admittitur ut vera, non tamen est legitima definitio. Admittitur ut vera, quia convertitur cum definito; nulla enim auctoritas est digna fide, de qua constat quòd in difficilibus ac scientificis plerumque fallatur, aut quòd in obviis plerumque fallat. E contrà in incertis omnis auctoritas est digna fide, de qua constat, quòd plerumque nec fallatur nec fallat. Ergò descriptio sic explicata convertitur cum definito. Quod si aliqua auctoritas, erroneè quidem, sed prudenter præsumatur plerumque nec falli nec fallere, illa auctoritas solùm apparenter & quoad nos est probabilis, non autem quoad se; quia si cognosceretur qualis est in se, non esset fide digna. Ergò verè à parte rei non est fide digna, nec sufficit, ut constituat motivum extrinsecè probabile.

Unde innotescat, quod auctoritas plerumque nec fallatur, nec fallat?

5. Si verò quæras, unde innotescere debeat, quod auctoritas aliqua plerumque nec fallatur nec fallat; Respondeo hoc non posse nec debere sumi à certa experientia ac diuturna observatione de frequentissima veracitate loquentis. In hoc videor mihi contradicere Celladeo, quia exempla & auctoritates, quas affert ad suam sententiam probandam, ad hunc sensum unicè collimant. Ratio est, quia in incertis scientiarum assertis per nullam experientiam scire possum, utrùm loquens fallatur nécne? Imò per experientiam non possum scire quod non fallat in illis, quamvis per experientiam, ex rebus obviis desumptam, scire possim illum in talibus esse veracem, atque inde inferre, quòd in rebus scientificis proponendis non mentiatur.

Innotescit indepēdenter ab experientia de veracitate loquentis.

6. Itaque quamvis per experientiam propriam scire possim, quod fœmina aliqua in rebus obviis sit valdè verax, cui proinde prudentiùs credam, quàm viro gravissimo, de quo talem experientiam non habeo, aut in quo falsitatem aliquando detexi; tamen universaliter loquendo, notio & præsumptio veracitatis, etiam circa res obvias ab omnibus evidenter discernibiles, nec potest nec debet ab istiusmodi experientia sumi. Ratio est, quia fides innixa auctoritati probabili, præcedit experientiam, quâ advertimus aliquem plerumque verum dicere. Alioquin nemini prudenter credere possemus, nisi post diuturnam cohabitationem &c. quo nil absurdius dici potest. Ergò auctoritas probabilis explicari debet independenter à tali experientia. Itaque vel recurrendum est ad experientiam de aliis hominibus, quos plerumque veraces reperimus, & sic per inductionem idem de quibusvis præsumimus, modò nil obstet in contrarium, vel potiùs ad experientiam propriæ inclinationis, quâ naturaliter stimulamur ad conformanda dicta menti, quæque tanta est, ut clarè percipiamus necessarium esse, ut & nos, & alii ejusdem naturæ, plerumque illam sequamur. Hâc ratione primitùs sollicitari videmur ad existimandum, quod homines plerumque non mentiantur. Cæterùm quia experimur nos ipsos, modò mali incurrendi metu, modò boni acquirendi desiderio stimulari ad mentiendum, idem quoque de aliis judicamus, ideoque illis minùs fidimus in rebus ad eorum interesse spectantibus. Quod si per experientiam diceremus, aliquem in rebus ejusmodi esse etiam veracem, id multùm conducit, ut illius auctoritas in nostra opinione augeatur.

Explicatio Celladei, etsi vera, non est bona definitio.

7. Cæterùm, quamvis hæc Celladei explicatio accipiatur in sensu vero superiùs explicato, non est bona definitio, quia non explicat definitum in ordine ad terminum, ex cujus inspexione scire possumus, quòd adsit talis auctoritas, quam tamen certò scire, ac hîc & nunc discernere unicè avemus. Certè nunc potissimè agimus de auctoritate probabili in rebus scientificis & incertis, & talem de illa definitionem quærimus, ut illâ mediante scire possimus, an hæc sit vel non sit talis auctoritas? at hoc est impossibile, si gravis auctoritas solùm definiatur esse illa, quæ plerumque non errat, quia in nullo casu particulari scire possum, an erret nécne, eò quòd semper versemur in incertis. Itaque hæc explicatio, etsi vera, non tamen est bona definitio. Præterea, hoc quod est, hominem in rebus ejusmodi plerumque nec fallere nec falli, non est per se notum, aut experientiâ cognoscibile, sed est quid fundatum in prædicato anteriori ac notiori. Ergò gravis auctoritas definienda non est per consequens minùs notum, sed per primum ac radicale magisque notum prædicatum, quod quale sit, inferiùs explicabitur.

Auctoritas infallibilis fundare potest assensum probabilem.

8. Interim multa alia falsa adjungit Celladeus, dum assertionem suam probat, quæ corrigenda sunt, quia ad pleniorem præsentis materiæ notionem conducunt. Inprimis dicit, auctoritatem probabilem, seu fundantem assensum probabilem, debere esse fallibilem. Hoc falsum est, quia auctoritas infallibilis non fundat assensum certum, nisi infallibiliter applicetur intellectui. Certè, si Angelus de Cælo descendens mecum loqueretur, ille esset infallibilis, non tamen fundaret assensum nisi probabilem, si nil singulare præ se ferret, quo ab hominibus discerni posset. Ergò auctoritas infallibilis fundare potest judicium probabile, modò fallibiliter applicetur intellectui. Nec dicas, auctoritatem illam esse solùm materialiter infallibilem quoad se, Celladeum autem loqui de auctoritate formaliter & quoad nos fallibili, qualis esset illa Angeli in casu proposito, quia solùm proponeretur ut magna, non ut infallibilis; nam contra est, quia inprimis hoc explicari debebat, quod non est factum. Deinde, etsi sciam auctoritatem, cui credo, esse invincibilem, illa tamen non semper fundat assensum certum, nisi certum etiam sit quod loquatur.

Primus error Celladei.

Secundus Celladei error.

9. Secundò dicit, illud *plerumque non fallere* sumi debere negativè, ut auctoritas, cui credimus, aliquando fallatur, aut fallat in rebus, quas probabiles reddit, alioquin rem certam redderet. Sed contrà primò, quia tametsi hoc verum esset, si certò constaret loquentem nec fallere nec falli, tunc enim certa esset veritas, quam proponit; si tamen hoc non certò innotescat, ut evenire potest, assensus tali auctoritati quantumvis infallibili datus, est solùm probabilis. Contra secundò, aliquando agimus cum hominibus, qui nunquam mentiuntur. Nihilominus quia certum nobis est, quòd mentiri possint, aut non est certum, quòd non possint aut non velint mentiri, fidem solùm probabilem illis damus, ut patet. Hæc duo efficacissimè rejiciunt definitionem probabilitatis extrinsecæ à Celladeo allatam, maximè si sumatur in sensu ab illo explicato, quia auctoritas extrinseca complectitur auctoritatem infallibilem, si infallibilitas non certò innotescat. Similiter complectitur auctoritatem fallibilem nunquam fallentem, modò fallibilitas appareat, & non fallentia certò non manifestetur. At definitio Celladei, si sumatur negativè, ut ipse vult eam accipi, naturam

Definitio Celladei nō æquat definitum.

comple-

complectitur. Ergò non est bona, quia non æquat definitum.

Celladeus multa dicit de subjecto non supponente.

10. Tertiò, multa repetit, & congerit, quæ sunt de subjecto non supponente; qualia sunt, auctoritatem illam non esse magnam, gravem &c. non fundare assensum probabilem &c. quæ æquè se habet ad verum & falsum. In hoc alludit ad eos, qui docent utramque contradictionis partem simul esse posse probabilem, quasi ipsi docerent, probabilitatem intrinsecam vel extrinsecam æqualiter se habere ad verum & falsum. Verùm illi nil simile docent, nec quidquam ejusmodi sequitur ex eorum assertis, ut fusè ostensum est. *quæst. 29. & 30.*

ASSERTIO II.

Celladeus incõsequentiæ arguitur.

Celladeus inconsequenter procedit, dum definit probabilitatem extrinsecam per auctoritatem ferè nunquam fallentem.

11. PROBATUR Assertio. Celladeus *lib. 2. quæst. 16.* jactat se, rejectis aliorum prætensis probabilibus, veram & realem probabilitatem sincerè definivisse, suamque doctrinam ab antiquis, & nominatim à Philosopho, mutuasse. Hoc si rectè ac verè fecisset, laude dignus fuisset. Et sanè non possum non probare conatum, cùm rectam viam elegerit. In rebus enim tanti momenti diligenter insistendum est communi terminorum acceptioni, à qua non licet recedere. Cùm ergò probabilia pro conscientiæ regula proponantur, prorsus cavendum est, ne in terminorum intelligentia à communi antiquorum & recentiorum acceptione deflectamus. Itaque conatus iste Celladei laudandus est; sed dolendum, quod post multum laborem per plures errores à vero Philosophi & antiquorum sensu deflexerit, ut vidimus quæstione præcedenti; hîc autem eundem arguo, quòd in definitione probabilitatis extrinsecæ inconsequenter processerit, quia relictâ Aristotelis & aliorum omnium definitione, novam ac falsam ex proprio capite subrogavit. Aristoteles *1. Topic. cap. 1.* exactissimè definit probabile ab extrinseco, dicens: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus: atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis.* Et omnes Philosophi ac Theologi hac in re Philosopho subscribunt. Hanc definitionem latè exposui *quæst. 2. de consc. prob. num. 21. & seqq.* sicut & illam probabilitatis intrinsecæ ibidem *à num. 11.* exposueram, quia sciebam his in rebus absurdum esse proprii capitis inventiones contra communem Recentiorum & Antiquorum sensum proponere. In rebus enim ejusmodi cum sinceritate potiùs, quàm cum inani jactatione progrediendum esse omnes nôrunt. At Celladeus, post longam protestationem de necessitate inhærendi antiquis, post assumptum in se onus ita progrediendi, ac demùm post seriam protestationem, quod exactissima probabilitatis extrinsecæ notio sit maximè necessaria, quia maxima hominum pars solâ auctoritate regitur, contrario modo procedit, &, nullâ factâ mentione definitionis Aristotelicæ, novam ex proprio capite profert. Quod est operari contra protestationem, & in re maximi momenti valdè inconsequenter procedere.

Facit contra protestationem, quam præmiserat.

ASSERTIO III.

Exacta definitio motivi extrinsecè probabilis.

Motivum extrinsecè probabile rectè definitur, auctoritas seu veracitas personæ rationalis ita intellectui applicata, ut mereatur fidem, sed non certam.

12. HÆc explicatio manifestè convertitur cum definito, explicat etiam radicem ipsam, in qua motivum extrinsecè probabile consistit, & per quam facilè discerni potest, ut ex dicendis meliùs patebit. Si enim quæras quænam sit auctoritas digna ejusmodi fide? Respondeo, auctoritatem merentem talem fidem esse duplicem. Alia est infallibilis in se, quæ si fallibiliter quidem, sed rationabiliter applicetur, meretur fidem, sed incertam. Alia est fallibilis, quæ pariter meretur fidem incertam, modò non certò sciatur nec fallere nec falli, meritò tamen ob peritiam præsumatur non falli, & ob probitatem non fallere. Hæc explicatio complectitur omnem formam, à qua objecta reddi possunt extrinsecè probabilia. Rursus nil complectitur præter formas, à quibus talis denominatio provenit. Ergò explicatio hæc manifestè convertitur cum definito. Secundò, reducit omnem probabilitatem extrinsecam ad peritiam & probitatem loquentis, ad quas omnis auctoritas tanquam ad propria & essentialia prædicata reducitur. Tertiò, peritia & probitas loquentis sunt res, de quibus sufficientem notitiam satis facilè habere possumus *ut quæst. 16. & 17.* ostensum est. Quartò demùm manifestè coincidit cum mente Philosophi. Itaque dubitari non potest, quin allata explicatio motivi extrinsecè probabilis sit legitima definitio.

Probabilitas extrinseca consistit in propositione auctoritatis idoneæ, seu in impetu intellectuali.

13 Cæterùm, quia auctoritates istæ, seu objecta ista moventia ex se indifferentia sunt, ut hâc vel illâ ratione applicentur, & quia prout diversimodè applicantur, diversas sortiuntur appellationes certi, probabilis, temerarii &c. ideo ipsa probabilitas motivi extrinseci non consistit in auctoritate, quæ movet, sed in vitali illius applicatione, per quam stimulat ad assensum. Itaque probabilitas extrinseca, nôn minùs quàm intrinseca, consistit in impetu intellectuali, quo scilicet intellectus ad assensum impellitur. Porrò hic impetus, seu hæc applicatio aliud non est, quàm perspicua quædam notitia de auctoritate loquentis, per quam intellectus videt aut præsumit, personam hîc & nunc loquentem esse dignam fide, sed incerta. Porrò hæc etiam applicatio in definitione nostra continetur, ut patet. Demùm eadem auctoritas applicata explicatur in ordine ad unicum & proprium effectum motivi probabilis extrinseci, nempe in ordine ad fidem incertam, quæ continet perfectionem & imperfectionem correspondentem perfectioni & imperfectioni contentis in motivo ut applicato. Ex his autem bonitas definitionis iterum stabilitur.

Differentiæ probabilitatis nil perfectionis addunt, quod non continetur in prædicato generico.

14. Quod si quæras, unde hæc notitia, seu applicatio auctoritatis hujusmodi habeatur & innotescat? Respondeo, illam simili prorsus ratione innotescere, seu elici, quâ in *superiori quæst.* stimulum intellectualem, in quo probabilitas intrinseca consistit, elici & innotescere diximus. Hinc habetur, tam probabilitatem ut sic, quàm utramvis illius speciem in impetu intellectuali consistere, differentiasque probabilitatis extrinsecæ & intrinsecæ solùm materialiter se habere, cùm neutra vim majorem contineat, quàm quæ in conceptu generico continetur. Per hoc ergò discriminantur, quòd extrinseca moveat proponendo auctoritatem

ctoritatem loquentis; intrinseca verò, proponendo motivum ab auctoritate loquentis distinctum.

ASSERTIO IV.

Propositum sit declarare partes, ex quibus probabile ab extrinseco componitur, & proprium partium singularium munus explicare.

Partes, ex quibus probabile extrinsecè cõponitur, earumq; munus.

15. PROBABILE extrinsecè dicit rem ab aliqua auctoritate assertam pro materiali, & pro formali auctoritatem assertivè loquentem, qualem proximè exposui. Res, seu subjectum denominationis, propriissimè vocatur probabile, & est tale quodammodò passivè, quia ab alio denominationem recipit. Auctoritas verò applicata etiam ipsa est & dicitur probabilis, sed quodammodò activè potiùs quàm passivè; quia alteri dat denominationem probabilis, & eam ab alio non recipit, alioquin daretur processus in infinitum, ut benè observat Celladeus *lib. 2. quæst 18. §. 1.* Cæterùm auctoritas applicata, propriè loquendo non est probabilis activè, sed solùm constitutivè, quia non efficit formam, à qua res denominatur probabilis, sed per sui applicationem formaliter constituit illam in ratione probabilis. Nihilominùs quia auctoritas ipsa concurrit ad productionem locutionis, per quam aliquo modo applicatur rei assertæ tamquam subjecto, ideo auctoritas aliquo modo activè concurrit ad totum concretum probabile, sicut effectivè concurrit ad producendum hominem, qui solam unionem producit. Ergò auctoritas applicata est forma propriè constitutiva, & aliquo modo effectiva concreti *probabile*; & hoc est, quòd explicare intendimus, quando dicimus auctoritatem esse probabilem. Sed & auctoritas applicata duo dicit, nempe ipsam auctoritatem loquentem pro materiali, & ejus notitiam seu applicationem vitalem pro forma. Hæc vitalis applicatio est id, quod formalissimè se habet in hoc concreto *probabile ab extrinseco.* Illa enim est ipsa probabilitas, seu motio & impetus intellectualis, quæ ita denominat alia probabilia, ut ab aliis talem denominationem non accipiat.

16. Hinc habetur, probabilitatem extrinsecam esse, saltem communiter, formam realiter distinctam ab objecto probabili, quia auctoritas loquens & applicata, plerumque realiter distinguitur à re, quam loquitur. Rursus res, quæ dicitur probabilis, non est talis ex sua natura, neque requiritur, ut sit res verè contingens, aut de plerumque contingentibus, cùm denominatio probabilis extrinsecè, ejusque definitio ab Aristotele tradita, applicari possit rebus necessariis juxta ac contingentibus. Unde confirmantur omnia, quæ supra tradidimus de probabilitate intrinseca, quia non est cur hæc uni potiùs, quàm alteri probabilium generi conveniant. Præterea sequitur, eadem esse menti Aristotelis conformia, quia non est credibile, quod contraria de materia probabilium tradiderit, aut ea involverit in definitione probabilium ab extrinseco, quæ sub definitione probabilitatis intrinsecæ includi non possunt. Rursus, probabilitas extrinseca supponit & arguit intrinsecam: nemo enim peritus & probus, nisi à suo munere deflectat, assensum præbet ulli rei sine motivo rationabili ac probabili. Ergò nil, potissimè in rebus obscuris & incertis, esse potest probabile ab extrinseco, quod non etiam sit probabile ab intrinseco. Ergò definitio probabilitatis intrinsecæ extendi debet ad omnia, ad quæ probabilitas extrinseca extenditur. At probabilitas extrinseca extenditur ad omnem omninò materiam incertam, sive contingentem sive necessariam, ut patet; quia auctoritas loquentis ad hæc omnia extenditur.

Probabilitas extrinseca æquè extenditur ad necessaria, ac ad contingentia.

Rursus, Aristoteles definit probabile ab extrinseco Topicorum, in quibus tradit regulas ad probabiliter discurrendum in omni materia. Ergò judicavit illud extendi ad omnem materiam, circa quam homines probabiliter discurrunt. At illi probabiliter discurrunt tam de necessariis quàm de contingentibus. Ergò Aristoteles omnia hæc ex æquo inclusit in sua definitione. Unde iterum apparet, Celladeum non solùm errasse, dum supra *quæst. superiore* dixit, nil esse propriè probabile, nisi quod est contingens, sed etiam in hoc errore suo & ab Aristotelis mente recessisse, & ad propriam doctrinam inconsequenter locutum esse. Contra Aristotelis quidem mentem locutus est, quia vult ea per Aristotelem non esse probabilia intrinsecè, quæ Aristoteles manifestè involvit in definitione probabilis extrinseci, quæque proinde, ipso Celladeo fatente, debent esse probabilia intrinsecè. Quod est contradictionem Aristoteli affingere. Inconsequenter verò ad suam doctrinam locutus est, quia definitio, quam ipse probabilitati extrinsecæ assignat, æquè convenit necessariis ac contingentibus. At quæ sunt extrinsecè probabilia, sunt tam propriè talia, quàm quæ sunt talia intrinsecè. Ergò necessaria sunt propriè probabilia. Præterea ipse fatetur extrinsecam probabilitatem essentialiter fundari in intrinseca. Ergò tam necessaria quàm contingentia esse possunt propriè probabilia intrinsecè, quia sæpè sunt propriè talia extrinsecè. Ergò in duabus istis definitionibus, & inconsequenter locutus est, & sibi contradixit.

Celladeus errat, & Aristoteli contrariatur.

Celladei contradictio.

ASSERTIO V.

Definitio probabilis extrinseci à Celladeo tradita evidenter ostendit, benignam sententiam esse tam extrinsecè quàm intrinsecè probabilem, probabilitate vera, reali, ac positiva, etiam juxta mentem Celladei; & per consequens manifestè ostendit, Celladeum in toto suo opere frustra laborâsse.

Doctrina Celladei demõstrat veritatem sententiæ, quam impugnat.

17. PROBATUR. Illa opinio est extrinsecè probabilis probabilitate vera, reali, ac positiva, juxta mentem Celladei, quæ nititur auctoritate plerumque & ferè semper non fallente: sed benigna sententia nititur hujusmodi auctoritate. Ergò benigna sententia est extrinsecè probabilis probabilitate vera, reali, ac positiva, sumendo terminos istos in strictissimo Celladei sensu. Consequentia legitimè deducitur: major est certa, quia continet definitionem à Celladeo traditam, quæ quamvis nimis stricta sit, & propterea non sit bona, cùm omnem opinionem probabilem non complectatur, ut ostendimus; nihilominus evidentissimum est, omnem opinionem esse ad minimum probabilem, quæ in tanta auctoritate fundatur. Itaque sola difficultas est in minore, quæ tamen clarissima est; quia unanimis consensus omnium peritorum, qui post diuturnam ac seriam totius quæstionis per integrum sæculum discussionem, in unam eandemque sententiam conspirant, est auctoritas, quæ ferè nunquam fallit, aut fallitur. Certè nisi hæc auctoritas ad hoc pertingat, nulla ejusmodi datur auctoritas fallibilis, & consequenter quæstio erit de subjecto non supponente. Verùm

nimis

nimis clarum est, talem auctoritatem aut nunquam aut rarissimè errare. Imò si loquamur de rebus moralibus, in ordine ad quas per fidem ac doctrinam revelatam, peculiaremque Dei gratiam, justi & Sancti juvantur, nec alia cuiquam suppetere possint principia, per quæ quæstio determinetur, quàm quæ omnibus sunt communia, haud dubiè dicta auctoritas est tanta, ut nunquam erret, cùm moraliter saltem certum sit, omnes omninò peritissimos in tali quæstione errare non posse. Sed benigna sententia est opinio omnium omninò Doctorum Ecclesiæ per plusquam integrum sæculum, qui rem in propriis terminis examinârunt. Et quidem si sermo sit de majori probabilitate directa, nemo unquam Theologorum Catholicorum negavit licitum esse illam sequi, si unum excipias Celladeum, qui solus hâc in parte contra omnes insurrexit, & sine sufficienti fundamento omnes damnavit. Quod si sermo sit de pari aut minori probabilitate directa, omnes omninò, præter unum Comitolum non summi nominis virum, per integrum sæculum, post quæstionem rigidè ac diligentissimè examinatam, expresè docuerunt, usum illius esse licitum. Et quidem Comitolus, sicut & alii pauculi, qui posterioribus hisce annis eum secuti sunt, manifestè æquivocârunt in sensu quæstionis, quia putaverunt nos docere aliud ad formandam conscientiam non requiri, quàm probabilitatem minorem, cùm tamen expresè doceamus minorem illam probabilitatem directam, agnitam ut talem, non sufficere, nisi ex vi novæ consultationis per rationes reflexas, honestas operationis evadat probabilior ejusdem inhonestate. Et sanè veritas eorum, quæ hîc dicta sunt de auctoritate nobis favente, adeo certa est, ut adversarii ipsi non ausint id negare. Celladeus quidem in superioribus conatus est rem in dubium revocare, sed merum fucum fecit, & in omnibus ad hoc spectantibus patenter erravit, ut ostensum est. Ergò auctoritas, cui benigna sententia nititur, tanta ad minimum est, ut ferè nunquam fallat, aut fallatur; imò si presè loquamur, tanta est, quæ nunquam aut fallatur aut fallat; cùm reddat veritatem, quam tradit, prorsus inexpugnabilem.

Benigna sententia nititur auctoritate ferè nunquam, imò nunquam fallente.

18. Dices. Plures moderni impugnârunt antiquam opinionem, quæ proinde non est amplius communis omnium: ergò non amplius fulcitur auctoritate prætensâ.

Qui benignam sententiam impugnârunt, decepti fuerunt in intelligendo sensu quæstionis.

Respondeo inprimis, nonnullos impugnâsse benignam sententiam quoad usum opinionum directè non probabiliorum: verùm omnes, quos vidi, hallucinati sunt in statu quæstionis intelligendo, & ex illa hallucinatione decepti attulerunt argumenta nullius roboris; quippe quæ benignam sententiam non premunt, cùm omnes pro conscientiæ regula reipsa requiramus majorem probabilitatem, si omnia inspiciantur. Itaque ex pauculorum istorum deceptione nil auctoritatis demptum est à benigna sententia. Quod autem ad majorem probabilitatem directam attinet, omnes, præter unum Celladeum, docent eam sufficere. Nec Celladeus argumenta ullius momenti, contra illam attulit, ut vidimus. Præterea periti, qui Celladum legunt, non ideo à pristina sententia recedunt, sed potiùs in ea confirmantur, quia miras in eo æquivocationes ac sophismata detegunt, nec quidquam solidi contra benignam sententiam inveniunt. Proinde compatiuntur viro, quod bonas horas in opere tam inutili collocavit, quas in opus longè præstantius impendere potuisset. Itaque nil detractum est à summa auctoritate benignæ sententiæ per hoc, quòd Celladeus ab illa desciverit.

19. Respondeo secundò. Auctoritatem, cui benigna sententia nititur, esse ex seipsa intrinsecè & essentialiter, qualem proposuimus, quia omnes omninò, inter quos fuêre innumeri sapientiâ ac probitate clarissimi, per integrum sæculum post diligentissimam quæstionis discussionem, illi in terminis subscripserunt. Fuit ergò toto illo tempore unanimis omnium Doctorum opinio. At auctoritas, cui talis opinio in re tali tamdiu nititur, talis est, qualem descripsimus, quia evidens est, quòd talis auctoritas aut nunquam aut rarissimè fallatur aut fallat. Imò fundamentum hujus concordiæ est evidens necessitas, ut talis opinio semper prævaleat, licèt aliqui postea decipiantur, & ab ea desciscant; alioquin si post tantam auctoritatem semel habitam illa deficere posset, nil ex auctoritate firmum ac stabile esset. Omnes olim censuerunt motum dari; sed Zeno, cum aliis nonnullis, ob argumenta, quæ non poterant solvere, hoc negârunt. Omnes ante Jansenium docuerunt ignorantiam invincibilem excusare à toto, sed Jansenius aliique eum secuti contrarium tradiderunt. Nec tamen ideo unanimis priorum consensus quidquam detrimenti in magnitudine suæ auctoritatis passus est, quia ille ex sua intrinseca natura est invariabiliter talis, & idem est illam semel existere, ac invariabiliter talem esse. At hoc idem locum habet in præsenti quæstione, cùm eadem de illa ac de aliis sit ratio. Ergò auctoritas benignæ sententiæ est immutabiliter tantæ magnitudinis, quantam proposuimus. Nec decem Celladei in contrarium de novo surgentes quidquam de illa possunt detrahere. Vide dicta *quæst. 15.* quia omnia mirificè confirmant, quæ hoc loco dicta sunt, & pariter à dictis hoc loco confirmantur.

Auctoritas benignæ sententiæ est invariabiliter & essentialiter prævalens contrariæ.

20. Respondeo tertiò. Pauculos quosdam nuper à communi sententia de licito opinionis directè minus probabilis usu recessisse: sed ex quo hoc factum est, longè plures, doctrinâ ac probitate illis non inferiores, post eorum argumenta perpensa, antiquæ ac communissimæ sententiæ ut incomparabiliter prævalenti subscripserunt. Et quidem si de opinione probabiliori sit sermo, omnes præter Celladeum dicunt illam esse sufficientem conscientiæ regulam. Præterea argumenta Celladei, sedulò examinata, reperiuntur esse levia, & non nisi æquivocationibus gravida. Unde si tota auctoritas benignæ sententiæ, quoad usum opinionis directè minùs probabilis, & vel maximè quoad usum opinionis probabilioris, favens, debitè inspiciatur, & comparetur cum auctoritate contraria, evidens est illam tantam esse, ut plerumque immò ferè semper verum dicant; rarissimum enim est, quòd unus & alter verum dicant, quando omnes alii, probissimi juxta ac peritissimi, unanimi consensu illis contradicunt. Hic est casus noster. Ergò non obstante solius Celladei auctoritate de illicito opinionis probabilioris usu, & paucorum ex æquivocatione deceptorum de insufficientia opinionis directè minùs probabilis, auctoritas benignæ sententiæ favens est tanta, ut plerumque ac ferè semper verum dicat, maximè in rebus moralibus, de quibus est sermo. Et hoc ad intentum præsens abundè sufficit.

Post controversiam ortam plures pro nobis, quàm contra nos scripserunt.

21. Quod si non rigorosissimæ Celladei, sed moderatæ ac verissimæ Aristotelis definitioni stemus, evidens est benignam sententiam, in sensu strictissimo acceptam, esse verè probabilem extrinsecè, quia procedit de eo, quod plerisque, immò fermè omnibus sapientibus, illisque maximè notis ac famosissimis, verum apparet. E contrà, sententia rigida, accipiendo terminos Philosophi ut jacent, non est extrinsecè probabilis, quia evidens est, quod

Juxta Aristotelem nostra sententia est probabilis extrinsecè.

quod nec omnibus, aut plerisque hominibus, nec omnibus, aut plerisque, aut maximè notis sapientibus videatur vera.

Benigna sententia tam intrinsecè quàm extrinsecè est probabilis probabilitate vera, positiva, ac reali.

22. Hæc evidenter evincunt, sententiam benignam habere omnia, quæ Celladeus ad veram, realem, ac positivam probabilitatem extrinsecam requirit; ex quo tam ex principiis ipsius, quàm ex rei veritate sequitur, illam habere etiam quæ ad probabilitatem intrinsecam postulat. Inprimis hoc sequitur ex ipsius principiis; quia ille expresse fatetur probabilitatem extrinsecam semper fundari in intrinseca, & in illam resolvi. At benigna sententia ad evidentiam est probabilis extrinsecè juxta definitionem Celladei. Ergò est etiam probabilis intrinsecè juxta mentem ipsius. Deinde ex rei veritate idipsum sequitur, quia impossibile est, quin ex tot tamque præclaris Auctoribus, qui quæstionem hanc sedulò & à fundamentis examinârant, plures eorum non aliter quàm pios ac peritos decet sententiam protulerint. Sed hoc modo non protulissent suam sententiam, nisi ad eam moti fuissent ratione, quæ vi magnitudinis suæ plerumque connectitur cum veritate. Ergò habuerunt talem rationem. Ergò benigna sententia nititur ratione seu motivo probabili, seu plerumque non fallente. Ergò est intrinsecè probabilis. Rursus impossibile est omnes omninò Auctores, qui successivè per plura sæcula quæstionem diligentissimè examinârunt, in unam convenire sententiam, quin moti fuerint ratione validissimâ ac probabilissimâ, atque ita prævalente, ut omnes convicerit, atque ad eidem veritati subscribendum quodammodò compulerit. Ratio autem, quæ usque adeo prævalet in intellectu generis humani, ad minimum vi suæ magnitudinis postulat, ut ferè semper verum dicat, nisi enim hujusmodi ratio id postulet, utique nulla erit, præter absolutè infallibilem, quæ hoc prædicato gaudeat. Ergò benigna sententia, utpote cui omnes omnis ætatis Doctores subscripserunt, fundatur in ratione aut semper aut ferè semper non fallente. Ergò est probabilis probabilitate intrinsecâ, verâ, reali, ac positivâ.

Argumentum concludit in favorem benignæ sententiæ quomodocumque sumatur.

23. Argumentum certissimè concludit, si benigna sententia sumatur, prout asserit usum opinionis directè probabilioris esse licitum, quia nemo ex omnibus, præter unum Celladeum, refragatur. Ipse autem exigui momenti rationes pro suo recessu honestando attulit, ut patet ex dictis, & ex dicendis magis patebit. Itaque certum est, benignam sententiam sic acceptam, dicta probabilitate stabiliri. Quod si restringatur ad usum opinionis directè minùs probabilis, argumentum pariter concludit intentum, quamvis pauculi aliqui nuper reclamârint, quia ipse excessus multitudinis ac gravitatis Auctorum nobis faventium evidenter arguit, illos habere rationes non solùm plerumque prævalentes (quod ex mente Aristotelis & omnium, præter Celladeum, ad veram probabilitatem sufficit) sed etiam rarissimè fallentes. Cæterùm hoc maximè verum apparet in casu præsenti, cùm pauci illi in sensu quæstionis intelligendo æquivocârint, & in fictum tantùm adversarium impugnârint; cùm nos, si omnia inspiciantur, dicamus majorem probabilitatem ad conscientiam debitè formandam esse necessariam, in quo illis consentimus; & si illi rectè intellexissent, quomodò hoc eveniat, à nobis in nullo discrepassent.

Celladeus frustra laborasse probatur.

24. Ex dictis sequitur, Celladeum in toto suo opere frustra laborâsse, quia totus in eo est ut probet benignam sententiam non esse probabilem probabilitate conscientiæ, seu probabilitate, quam appellat veram realem, ac positivam, quam definit esse rationem vel auctoritatem rarò errantem. At admissâ hac definitione (quæ procul dubio nil includit, quod non sit verè, realiter, & positivè probabile, quamvis non omnia verè & realiter probabilia involvat) evidenter sequitur, benignam sententiam habere probabilitatem ejusmodi. Ergò frustra laboravit, quia media adhibuit, ex quibus oppositum finis ab ipso intenti necessariò consequitur. At hoc est summum genus frustrationis in quovis opere, si ad finem ab operante sibi præfixum respiciamus. Quòd si finem adversæ partis intueamur, Celladeus non frustra, sed utiliter illis laboravit, quia effecit, ut veritas benignæ sententiæ clariùs innotesceret, non solùm quia dedit ansam detegendi fallacias argumentorum contra ipsam allatorum, sed vel maximè, quia ex ipsis adversariorum illam impugnantium principiis ejusdem veritas efficacissimè comprobatur.

25. Dices. Celladeus hoc saltem evicit, scilicet opiniones communiter habitas probabiles non esse verè tales, ideoque ad conscientiam regulandam non sufficere; quia impossibile est, ut utraque pars contradictionis nitatur ratione & auctoritate rarò aut nunquam fallente. Ergò non frustra laboravit, quia hoc ipsum est magnum operæ pretium. Replica.

Respondeo inprimis, consequentiam, admisso antecedente, non sequi; quia solùm infertur, tales opiniones ex vi rationum directè probantium non sufficere pro regulanda conscientia, quod verum est, sive sint verè, sive solùm apparenter probabiles, modò intellectus neutram partem præferat, sed finali judicio censeat, eas esse æquè probabiles. Tunc enim ad rationes reflexas recurrendum est, quibus adhibitis, utriusque partis honestas evadit probabilissima probabilitate verâ, reali, ac positivâ. Ergò jam ex vi istarum licitum cuique erit quam maluerat opinionem sequi. At aliud nec contendimus, nec intendimus. Hoc autem est, quod Celladeus conatur evertere. Ergò frustra laboravit, quia licèt evicisset antecedens, illa victoria non esset operæ pretium, cùm ad finem præfixum non conducat, nec in ullo obstet fini ac intento benignæ sententiæ. Solutio 1.

26. Deinde respondeo, duas opiniones contradictorias æquè probabiles niti posse ratione ac auctoritate plerumque non fallente, non quidem ex parte hujus determinati objecti materialis, quia hoc ad probabilitatem non requiritur, ut ostensum est; sed ex vi magnitudinis apparentiæ, quam talium sententiarum Auctores sequuntur. Ratio est clara, quia singulæ opiniones nituntur motivo apto ad impetrandum assensum à viro perito & probo, sicut talem virum decet judicante; cùm constet, quod talem assensum de facto impetret. At tale motivum frequentiùs verum dicit, quàm errat. Rursus plerumque verum est, quòd tres vel quatuor viri præstantes post omnia in utramque partem ritè perpensa absolutè judicant esse verum, dummodò non temerè, sed maturè, & ut decet viros prudentes sententiam dicant. Si enim omnia à talibus dicta ratione decisa in unum cumulentur, multò plura erunt vera quàm falsa, nec quisquam de hoc rationabiliter dubitare potest, quia alioquin natura malè instituisset intellectum humanum, ut patet, & supra sæpè dictum est. At utraque pars contradictionis sæpè nititur rationibus & auctoritatibus ejusmodi. Ergò utraque pars contradictionis sæpè est probabilis probabilitate verâ, reali, ac positivâ; idque verum est non solùm juxta utramque definitionem probabilis à Philosopho allatam, sed etiam juxta definitionem Celladei. Solutio 2.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO, & benigna sententia stabilitur ex doctrina de testibus.

27. OBJICIT primò, ex data probabilitatis definitione sequitur, nemini licitum esse sequi opinionem æquè aut minùs probabilem de honestate opera- Objectio 1.

operationis, quia nemo in tali casu habet motivum sufficiens ad probabiliter seu prudenter judicandum, quod res sit licita; ad hoc enim motiva suadentia honestatem deberent prævalere motivis suadentibus inhonestatem talis rei, quia id solum est probabile, vel prudens, quod nititur ratione vel auctoritate plerumque non fallente. At hoc non intervenit, ubi pars minùs tuta est solùm æquè aut minùs probabilis parte tutiore. Ergò in tali casu nemo potest prudenter formare conscientiam de honestate partis minùs tutæ. Ergò nec licitè eam sequi.

In casu testium æqualium neutra pars judicari debet in foro externo.

28. Confirmatur hæc doctrina ex titulis *de Testibus*, *de Præsumptionibus*, *& Exceptionibus*, in quibus sacri Canones multipliciter declarant, judicem pro neutra parte debere judicare, quando testes opposita deponentes sunt ejusdem honestatis & æstimationis, ac etiam numero pares; & multò minùs judicare posse pro parte, cui, cæteris paribus, pauciores testes suffragantur. Ratio autem est, quia in tali casu non est præsumptio sufficiens ad prudenter seu probabiliter judicandum, quòd veritas determinatè reperiatur in tali parte. At eadem est ratio de Auctoribus sibi contradicentibus, ac de testibus contraria deponentibus, quia sicut testes deponunt de facto, ita Auctores decernunt de jure, seu de bono & malo. Ergò non magis credendum est Auctoribus, quàm testibus. At certum est ex juribus, & omnibus lumine naturæ notum, quòd testes pares contra pares nil probent, quia tunc ex vi testium nulla habetur præsumptio de veritate. Similiter ex eisdem constat, quòd pauci contra multos, cæteris paribus, multò minùs valeant, quia jam est præsumptio de falso, eò quòd dictum unius, nisi sit valdè præminens, sit dictum nullius contra plures, quia non solùm non facit rem prudenter credibilem, sed nequidem reddit illam dubiam. Ergò idem dicendum de Auctoribus. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 19.* per totam, ex quo infert primò, eos perperam & contra lumen rationis discurrere, qui dicunt licitum esse sequi Doctores pares contra pares, aut pauciores contra plures, &, quod plus est, unum contra multos, quia ratio dictat, nil plus posse hujusmodi Doctores in ordine ad judicium fori interioris, quàm testes in ordine ad judicium fori exterioris. Deinde infert secundò, nec testes, nec Doctores quidquam probare, si de illis non constet, quod ferè semper vera dicant.

Solvitur argumentum

29. Respondeo inprimis, nemini licere sequi partem minùs tutam, quam finali judicio reputat esse æquè aut minùs probabilem, si ad formandam conscientiam aliis argumentis non utatur quàm directè probantibus. Ratio autem istius rei non inde petitur, ut contendit objectio, quòd desit motivum sufficiens ad prudenter judicandum, rem esse licitam; hoc enim falsum est; neque enim ad hoc requiritur, ut fundamentum unius partis absolutè prævaleat fundamento partis alterius, ut fusè probatum est in superioribus; quia etsi in actu primo neutrum prævaleat, fieri poterit ex imperio voluntatis, ut intellectus alteri assentiatur tanquam vero, & tunc motivum illud in actu secundo prævalebit. Cæterùm in hoc etiam casu, judicium tale niteretur ratione vel auctoritate plerumque non fallente, quia utraque pars contradictionis simul niti potest tali ratione ac auctoritate, ut ostensum est. Ratio ergò est, quia in tali casu mens hæret dubia, & bona fides non formatur, ut sæpiùs explicatum est. Ergò tunc homo peccat, si partem minùs tutam sectetur; quia *quod non est ex fide, peccatum est.* Quod si homo ex imperio voluntatis credat, partem minùs tutam esse absolutè veram, & sic in actu secundo approbet motivum minus aut æquale, illudque exercitè præferat motivo verè majori; vel certè, stante finali judicio de motivorum directè probantium paritate, ex vi rationum reflexarum rationabiliter formet conscientiam de honestate operis in circumstantiis, ille non peccat sic opinando, quia sequitur rationabile dictamen conscientiæ ut sæpè ostensum est in superioribus.

Paritas Testium & Auctorum non improbat benignam sententiam.

30. Ad confirmationem à paritate Testium ac Doctorum desumptam, duo repono. Primum est, paritatem in nullo obstare benignæ sententiæ, sed illam validissimè confirmare. Alterum est latam esse disparitatem inter Auctores & Testes, ideoque argumentum ab his ad alios non valere.

Inprimis à paritate Testium ad Doctores translata, ad summum sequitur, neminem licitè sequi sententiam Doctorum, quamdiu pars, quam sequitur, alteri parti apud ipsum non prævalet; quia in hoc casu non habetur determinata præsumptio veritatis pro parte, quam sequitur; sed necessariò operatur vel contra conscientiam, vel certè in dubio, quorum utrumque est illicitum. At hoc ipsum est, quod ego cum multis benignæ sententiæ Auctoribus expresè trado. Asserimus enim eum peccare, qui sequitur partem minùs tutam, quam absolutè credit esse æquè aut minùs probabilem, si in aliud non respiciat, quàm in æqualitatem aut minoritatem motivorum aut auctoritatum directè probantium. Stante enim tali dispositione, operans juxta nostram opinionem, necessariò agit vel contra conscientiam, vel in dubio, ut multis in locis ostensum est, tum in hoc, tum in *tract. de Consc. prob.* Et sanè, qui aliter hac in re discurreret, & diceret licere quidem sequi pares Doctores contra pares, aut pauciores contra plures, vel unum contra multos, etiam quando cætera sunt paria, & intellectus aliâ viâ, quàm per ista judicia non procederet, id verò nequaquam licere in simili casu Testium, hic inconsequenter discurreret, quia clarum est, quod, stante tali dispositione, non plus possint Doctores in ordine ad forum interius, quàm Testes in ordine ad judicium fori exterioris. Ergò ex hac paritate nil sequitur contra nostram sententiam, quia aliud non sequitur, quàm quod ipsi independenter ab hac paritate expresè tradimus esse verum.

Sed eam validissimè confirmat.

31. Deinde dico, paritatem hanc validissimè probare veritatem benignæ sententiæ. Ratio est, quia *4. quæst. 2. cap. Si testes, item cap. in nostra de testibus & attestationibus*, aliisque in locis expresè traditur, quod testes contraria deponentes, fidem sibi non derogent, sed prævaleant digniores, & verisimiliora deponentes; si in cæteris sit paritas, plures præferuntur paucioribus. Cæterùm unius vel duorum dignissimorum ac omni prorsus exceptione majorum testimonium prævalet testimonio multorum ex plebe collectorum. Hæc & alia hisce similia traduntur de Testibus, & sufficiunt, ut veritas rei illorum testimonio confirmatæ sufficienter probetur, atque ut judex in rebus momenti juxta illorum testimonium sententiam ferat; quia in istiusmodi casibus veritas ex prævalentia testium prudenter præsumitur, eò quòd testes prævalentes plerumque non fallant. Ergò idem dicendum est de Auctoribus, qui sunt testes juris, sicut alii sunt Testes facti. Ergò quoties numerus aut qualitas Auctorum libertati faventium excedit auctoritatem aliorum contradicentium, toties conscientia licitè deponitur in illorum attestatione; imò si sententia feratur, debet juxta illam pronunciari in favorem libertatis contra legem prætensam. Ergò etiam quoties, omnibus inspectis, ratio & auctoritas prævalet pro una parte, toties conscientia rectè formatur, & homo per principia synderesis reflexa tam certus est se non peccare faciendo talem rem, quamvis fortasse contra suam opinionem decipiatur, quàm judex ferens sententiam juxta depositionem prævalentium testium. At judex per principia reflexa est certissimus se non peccare ferendo

Testes contraria deponentes, non semper sibi derogant.

ferendo sententiam juxta depositum Testium prævalentium, quamvis fortasse decipiatur per illos. Ergò par honestas, & par certitudo est in opinione, quæ auctoritatibus & rationibus inspectis invenitur prævalere. At hoc est totum quod nos aut intendimus, aut docemus. Ergò totum intentum benignæ sententiæ efficaciter probatur ex Doctrina de Testibus, de Præsumptionibus, de Exceptionibus, aliisque ejusmodi.

Usus opinionis directè probabilioris probatur licitus ex doctrina de testibus.

32. Hinc enim infertur, primò, usum opinionis directè probabilioris esse licitum, quia juxta illam conscientia rationabiliter formatur. Itaque quoties pro aliqua opinione plures ac præstantiores Auctores & rationes potiores inveniuntur, quàm pro contraria, licitum erit in illa acquiescere, atque juxta illam conscientiam formare, atque ita ad operandum progredi, idque præcisè propter auctoritates & rationes directè prævalentes; quia hæc omnia in materia facti evidenter licent in simili casu testium. Et sanè hoc verum est, etsi rationes validæ, & Auctores plurimi stent pro contraria sententia, quia id etiam valet in testibus. Quod si usus opinionis probabilioris sumatur prout substat rationibus & auctoritatibus reflexis, jam omnes omninò Auctores, præter unum Celladeum, conveniunt usum illius esse licitum. Ergò sicut in testibus, ita in Auctoribus dictum unius Celladei contra omnes est dictum nullius, maximè cùm Celladeus non præmineat aliis omnibus, & cùm multis particularibus æquari non possit; nec rationes afferat tam rationabiles quàm alii. Et hoc est illud ipsum in terminis, quod Celladeus fatetur esse verum in testibus; unde ex propriis principiis doctrina ipsius evertitur, cùm juxta illam singularis illius auctoritas opinionem rigidam non reddat prudenter credibilem; nec sufficit ut opposita in minimum dubium revocetur.

Exceptio Celladei cōtra nos ex propria ipsius doctrina ostenditur esse nulla.

Infertur secundò, idem prorsus dicendum esse de unius aut duorum valdè præstantium contra plures minùs præstantes; directè enim licebit sequi opinionem paucorum illorum contra sententiam plurium, quia Auctoritas illorum paucorum prævalet multitudini. Quod si reflexè progrediamur, nullum de licito talis opinionis usu esse potest dubium, cùm in eo omnes conveniant.

Doctrina de testibus convincit usum minùs probabiliū esse licitum.

33. Demùm si loquamur de opinione directè minùs vel æquè probabili, atque quæramus, quid in istis novis circumstantiis liceat, habemus plus quàm quadraginta Auctores pro nobis contra unum pro parte contraria. Et quidem qualitas Auctorum nobis faventium, in nullo cedit, sed in omnibus longè præminet qualitati adversariorum. Nemo nobis adversantium hactenus tam celebris doctrinæ famâ claret, sicut Suarez, Medina, Vasquez, Aversa, Joannes à S. Thoma, aliique complures, qui universam Theologiam, omniaque principia moralia egregiè calluerunt, atque rem à fundamentis examinârunt. Præterea ex adversariis omnes fermè decepti sunt in intelligendo sensu opinionis, quam impugnârunt, ideoque reipsâ nobis non contrariantur, quia nos uno ore docemus nemini licitum esse sequi ullam opinionem, nisi antea probabilius ipsi fuerit, quod usus illius sit licitus. Itaque auctoritas benignæ sententiæ favens, est tanta, ut juxta jura de testibus, de præsumptionibus &c. immò juxta evidens lumen rationis, auctoritas contraria sit prorsus exigua, & nullius fundamenti. Ergò licitum est acquiescere benignæ sententiæ, & juxta illam in tota sua latitudine acceptam operari, quique sic operatur, non minùs certus est se non peccare, quàm sit ille, qui in simili casu testium contraria deponentium sequitur depositum testium manifestè prævalentium, quia quoad hoc eadem de utrisque est ratio.

34. Jam quando benigna sententia docet, licitum esse sequi pares contra pares, aut pauciores contra plures Doctores æquales, hoc non docet propter parem illam aut minorem auctoritatem; quia si illa sola inspiciatur, & inveniatur omninò par, aut minor, tradit neminem licitè posse sequi talem auctoritatem. Itaque solùm hoc docet ob alias auctoritates reflexas multùm prævalentes. At hoc non est contra, sed juxta rationem, sicut apparet in simili casu de testibus. Ecce doctrina de testibus evidenter confirmat veritatem benignæ sententiæ, ac proinde Celladeus causam suam malè egit, dum ad doctrinam de testibus provocavit.

Qui sequitur pares contra pares, id facit ob auctoritatem prævalentem.

35. Rursus ex doctrina de testibus apertè sequitur, Celladeum in eo etiam errasse, quòd dixerit, nec testes, nec Auctores quidquam probare, nisi ferè semper vera dicant. Inprimis nimis certum est testes sæpè corrumpi, & falsa instrumenta non rarò supponi in judicio. Nec ad hoc opus est longâ probatione, quia quotidiana experientia id docet. Sed & Alexander III. *cap. quia verisimile, de præsumptionibus*, expressè tradit hoc ipsum: dicit enim, *Sæpè contingit, quòd testes facilè corrupti inducantur ad falsum testimonium proferendum.* Et tamen testes corrupti, quando non constat de corruptione, probant in judicio. Ergò ut testes vel Auctores probent, non requiritur ut ferè semper verum dicant, sed sufficit, si plerumque non fallant. Et sanè cùm minùs sit plerumque verum dicere, quàm ferè nunquam errare; utique aliquod genus probationis ab iis habetur, qui plerumque non fallunt, etsi de illis dici nequeat, quod ferè nunquam errent. Verùm Celladeus hisce expressionibus insistere voluit, ut falsam, & Aristoteli falsò impositam definitionem probabilitatis, superiùs à nobis rejectam, redderet credibilem. Sed ipse sibi perniciem affert, quia eligit argumenta ut sibi faventia, ex quibus falsitatis redarguitur, ut patet in casu testium. Nullum enim testimonium sufficit, nisi reddat assertum probabile. At testimonium duorum vel trium testium, si nemo contradicat, aut sex contra quatuor æquales contradicentes, sufficit ad judicium ferendum. Ergò reddit assertum probabile, non tamen est tale ut ferè nunquam decipiat. Ergò ad motivum probabile non requiritur, ut ferè nunquam decipiat, sed sufficit, si plerumque verum dicat.

Testes probant, quamvis de illis dici nequeat, quod ferè nunquam falsum deponant.

Argumenta Celladei ipsum erroris arguunt.

36. Hactenus supposui, paritatem Doctorum ac testium esse prorsus similem, quia id sumebatur pro antecedenti; & ostendi, hoc admisso, nil inferri contra benignam sententiam, sed illam ex hoc ipso validissimè confirmari: nunc autem dico, latam esse disparitatem inter Doctores ac testes. Ratio est perspicua. Testes deponentes de facto, vel certi sunt se verum dicere, vel certi sunt se mentiri, quia sunt testes de visu. Hinc evidenter sequitur, quod quando duo testes contraria deponunt, alter sit nequam, & nullam habeat rationem dicendi illud quod deponit, cùm habeat apertam scientiam de opposito. Hinc quamdiu nescitur, quæ pars sit verax, quæ fallax, nec præsumptio ulla uni potiùs quàm alteri parti faveat, nemo potest prudenter credere ulli parti determinatæ, quia versatur in æquali periculo judicandi, sine ratione, ac in spe judicandi cum ratione. Cùm enim non nitatur nisi auctoritate & scientiâ testium, & certò constet alterum non habere indicium de eo quod dicit, utique sine omni ratione judicaret, si assentiretur parti mendaci. At diversa est ratio de Auctoribus diversa opinantibus. Illi enim versantur in rebus incertis, & singuli validas & valdè suasibiles rationes afferunt pro sua sententia. Unde semper datur evidens præsumptio, quod utraque pars sincerè procedat, & non aliter loquatur, quàm sentiat. Atque hinc est, quod utraque pars reddat suum dictum probabile, quia quod ab uno affertur, non elidit motivum alterius, sed cogit utramque partem fateri, partem quoque adver-

Disparitas inter Auctores & testes.

adversam rationabili fundamento esse subnixam. Ergò quisque potest prudenter eligere quamcumque partem voluerit, illique assensum præbere; nec ideo reprehendi potest ut temerarius, quia certus est, quod non sine rationabili fundamento assensum præbeat. At in casu testium, neutra pars est probabilis quoad nos; quia alterutra caret omni ratione, & consequenter utraque non potest esse probabilis. Ergò cùm non constet pro qua ratio stet, neutra quoad nos evadere potest probabilis. Ergò dispar est ratio Auctorum & testium, cùm major detur præsumptio veritatis pro quavis determinata parte à Doctoribus, quàm à testibus asserta.

Celladeus immeritò carpit Theologũ quendam.

37. Atque hinc sequitur, Celladeum immeritò carpere Theologum quendam, qui paritatem testium & Auctorum à Celladeo objectam ut malè fundatam ex eo rejecerat, quòd si S. Thomas & Scotus sibi contradicerent, & supponerentur æquales, tanta esset apparentia veritatis pro utraque parte, quanta haud dubiè & ad prudenter opinandum, & ad tutò operandum sufficeret. Nil autem proportionale invenitur, quando duo viles testes sibi contradicunt. In hoc dictum vehementer insurgit Celladeus, putatque se hoc uno verbo gloriosum ab illo Theologo triumphum reportasse. *Quid enim diceres*, inquit, *non si duo viles, sed si duo præclarissimi sanctæ Ecclesiæ Cardinales tanquam testes de visu contraria atque repugnantia deponerent?* Mox respondendo quæ ipsi, non quæ illi Theologo, nî fallor, occurrebant; lamentatur, se nil apud illum, utpote nolentem quidquam contra tot suas probabilitates audire, profecisse. Verùm, ô quàm longè à victoria, quàm longè à valido ictu, immò quàm longè à verisimili argumento est hæc objectio! puduisset me, Celladee, de rebus adeò compertis quæstionem movere, nisi gloriosa hæc tua, & exprobranti similis oratio, ad innocentem ac justum defendendum excitasset. Si ad instantiam illam tuam responsum expectasses, non defuisset Theologo illi, quo te in ipso loco convicisset, nisi tu nimio impetu abreptus, veritatis percipiendæ minùs idoneus tunc fuisses. Dixisset enim, te in ipsa tua suppositione contraria involvere, tibique ipsi, non illi litem movere. Supponis amplissimos, præclarissimosque, ac omni prorsus exceptione majores S. R. Ecclesiæ Cardinales (debuisses autem vel honoris, vel reverentiæ, vel etiam debiti titulo à tali in tantis viris comparatione abstinere) tanquam juratos testes de visu contraria apud judicem deponere. Nónne vides hæc inter se non cohærere? Fierine potest ut tales viri contraria deponant? Ubi legisti tale quid aliquando contigisse? Profectò si viri tales possent tam facilè, quàm homines vulgares, contraria deponere, major illorum, quàm horum in judicio ratio non haberetur. Habetur autem longè major illorum ratio, ut patet. Ergò longè difficiliùs est, illos quàm istos sibi in judicio contradicere.

Moraliter impossibile est, ut gravissimi Testes contraria deponant.

38. Quid dico difficiliùs? Est penitùs impossibile, nisi suppositio destruatur. Si duo tales jurati testes contraria deponerent, eo ipso præclarissimi esse cessarent. Alter enim solemnis nebulo evaderet. Ergò eo ipso non haberes præclarissimum par testium, sed testium par haberes, cujus alter esset sceleratus nebulo. Unde nullus illorum postea, nisi constaret ex qua parte veritas stetisset, absque exceptione in judicio admitti posset. Semper enim esset timor rationabilis, ne sicut fortè antea fecit, nunc etiam mentiretur. At auctores sibi contradicentes nil dignitatis amittunt, sed ambo possunt esse eximii, ac fide digni. Immò ab ipsis adversariis tanquam docti ac rationabiliter procedentes laudantur. Contraria omnia in testibus invenies. Ergò dispar est conditio Doctorum ac testium in ordine ad fidem promerendam. Præterea fundamenta Doctorum sibi contradicentium talia sunt, ut videamus peritos illa examinantes in opinando dividi, & hos unam illos aliam partem probare. At in casu testium æqualium & contradicentium hactenus visum non est, prudentes judices contraria judicâsse. Ergò dispar est ratio Auctorum & testium.

Veritas benignæ sententiæ iterum stabilitur.

39. Et sanè à te peto, Celladee, an licitum cuique non sit sequi opinionem S. Thomæ, quando illius opinio ac ratio ipsi magis probatur, quàm opinio tutior S. Bonaventuræ, qui post visa fundamenta Sancti Thomæ in contrariam abivit sententiam? Si hoc neges, teneris dicere consultationes ac resolutiones Theologorum gravissimorum ad nil inservire, cùm nemini liceat illis stare, tametsi absolutè judicet illas esse veras, ac aliis præferendas. Præterea S. Thomam ipsum, omnesque ejus asseclas, qui præter Thomistas sunt innumeri, contrarios habebis. Si concedas, idem procul dubio in simili casu dicendum erit de S. Bonaventura contra S. Thomam. Ergò idem de quibusvis aliis gravissimis auctoribus sibi contradicentibus dicendum erit. Ergò cuique licebit sequi quamcumque opinionem certò probabilem, quam ipse veram reputat. Ergò qui veram reputat benignam sententiam, tutò illam sequitur. Sed quid dico? ponamus S. Thomam & S. Bonaventuram sibi directè contradicentes, in hoc tamen reflexè convenire, quod cuique integrum sit utriuslibet sententiam sequi pro libito. In hoc casu directa unius opinio obstare non potest quò minùs objectum contrariæ opinionis in praxi sit licitum. At hic est casus noster, quia non unus vel duo, sed innumeri viri gravissimi, qui in opinionibus directis sibi contradicunt, non solùm fatentur, sed disertè probant, licitum cuique esse quamcumque ex contrariis illis sententiis in praxim reducere. Hæc autem est benigna sententia, quæ proinde procul dubio gaudet verâ, reali, ac positivâ probabilitate, & est sufficiens regula ritè formandi conscientiam.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

Quæ opinio sit eligenda?

40. OBJICIT secundò. Opiniones communissimæ omnium ætatum, omniumque scholarum, præferendæ sunt opinionibus unius vel paucorum, modò cætera sint paria, quia difficilius est plures falli quàm pauciores. At, si cætera non sint paria, fieri poterit, ut opinio unius vel paucorum sit præferenda. Ratio est, quia aliquando contingit, opiniones communes in probationibus deficere, & tunc opinio singularis meliùs fundata est eligenda. Cæterùm ut opinio singularis communi præferatur, necesse est, ut singularis illa opinio positivè ostendat fallentiam opinionis communis, quod fiet clarè probando excessum in fundamentis & eorum qualitate; quia opponens contra ea, quæ plerumque contingunt, tenetur positivè probare, quòd exceptio locum habeat, alioquin contrarium præsumitur. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 20. §. 2.* Unde sic argui potest contra benignam sententiam. Esto, illa communissima fuerit; jam plures contra illam exceperunt, atque exceptionem suam probaverunt. Ergò non amplius standum est illi sententiæ, sed singularis Celladei & paucorum opinio præferenda est.

Alia opinio eligenda ad opinãdum, alia ad operandum.

41. Respondeo, doctrinam hanc de opinionum electione ultrò admitti, saltem tanquam consilium. Cæterùm aliud est loqui de opinionum electione in ordine ad opinandum, aliud in ordine ad operandum. Si sermo sit de electione opinionis in ordine ad opinandum & conscientiam formandam, illa præferenda est, quæ post debitum examen invenitur esse rationabilior, aut probabilior. Ratio est, quia suum cuique opinatum probabilius est, ideoque docemus, neminem opinari aut conscientiam formare nisi de re, quæ ipsi finaliter probabilior apparet. Hoc ab Auctoribus

ribus benignæ sententiæ exactissimè servatur; illi enim inter opiniones directas de rerum honestate non opinantur nisi de probabilioribus. Idem faciunt quando reflexè arguunt, semper enim probabiliori inhærent. Id in quo multi æquivocant est, quòd dicamus, opinionem directam æquè aut minùs probabilem eligi posse ad operandum juxta illam. Unde inferunt, nos non sequi regulam propositam de electione opinionum. Verùm errant certissimè. Error autem in eo fundatur, quòd non distinguant inter electionem opinionum ad operandum, & electionem opinionum ad opinandum. Tunc opinio eligitur ad opinandum, quando intellectus ex imperio voluntatis flectitur ad assentiendum illi opinioni, eamque suam facit. In hoc sensu semper eligimus probabiliorem. Tunc verò opinio præcisè eligitur ad operandum, quando intellectus non præbet illi assensum, sed considerat objectum ut substans motivis talis qualitatis, & ex rationibus reflexis prævalentibus judicat, objectum illud in tali circumstantia esse licitum. Hoc modo fatemur opinionem directè æquè probabilem eligi posse in ordine ad operandum, si signatè consideretur ut objectum. Verùm in hoc ipso casu opinio reflexa versans circa hoc objectum, quæ sola propriè eligitur ut opinio seu ad opinandum, est meliùs fundata quàm opposita persuasio, & sic semper eligitur opinio probabilior, quia semper solùm probabilius eligitur in ordine ad opinandum. Quod si quisquam miretur dum hæc legit, desinet mirari, si adverterit omnes omninò, & ipsum Celladeum, eodem modo loqui de dubio sine ratione concepto, quando sine ratione deponitur; tunc enim dubium in ratione objecti eligitur tanquam sufficiens ad fundandum actum reflexum, quo rationabiliter credimus, licitum esse operari contra tale dubium. Idem prorsus valet in casu nostro.

Quid sit opinionem eligi ad opinandum? quid ad operandum?

Singularis opinio, an & quando præferenda sit communi?

42. Porrò fateor, singularem sententiam aliquando prævalere contra communem, & tunc singularem meritò præferri in ordine ad opinandum. Verùm in aliquibus casibus impossibile est, ut singularis opinio unquam prævaleat, ut probatum est *quæst. 15.* & talis est præsens quæstio, ut ibidem ostensum est. Interim singularis sententia non est præferenda communi, nisi argumenta pro illa allata, omnibus inspectis, rationabiliter cognoscantur rationibus ac auctoritatibus contrariis prævalere. His positis, fateor, Celladeum contra unanimem omnium ætatum omniumque scholarum opinionem de licito opinionis probabilioris usu excepisse. Exceperunt nonnulli pauci contra usum opinionis directè non probabilioris. Ergò ex mente ipsius Celladei, nec ipse, nec alii audiendi sunt, nisi clarè probent excessum in fundamentis, & eorum qualitate. At certè, nec ille nec ipsi hoc fecerunt. Non illi, tum quia hallucinati sunt in statu quæstionis, tum quia argumentis longè inferioribus & exigui prorsus valoris usi sunt, ut demonstravi in *in toto tract. de Consc. prob.* Non ipse, quia pro miris argumentis miras æquivocationes ac rerum confusiones attulit, ut vidimus, & videbimus. Non ergò clarè, immò nec probabiliter exceptionem suam probavit. Ergò ex propriis regulis audiendus non est. Immò nos, qui, post omnia considerata, claritatem aut prævalentiam hanc non reperimus, sed è contrario omnia benignæ sententiæ favere conspicimus, ex ipsa mente Celladei tuti sumus, quia sequimur auctoritatem ferè semper veracem, contra quam post diligens examen nullam congruam exceptionem reperire potuimus.

Celladeus ex propria doctrina audiendus non est.

Quis dicendus sit Auctor?

43. Objicit tertiò. Nos aliud ubique non obtrudimus, quàm benignam sententiam esse omnium omninò præter paucos; & solum Celladeum tenere, quòd non liceat sequi opinionem, ne quidem probabiliorem. At si omnia considerentur, pauci sunt Auctores benignæ sententiæ subscribentes. Quamvis enim plurimi libri circumferantur, in quibus illa extat; plurimi tamen ex iis, qui tales libros ediderunt, non sunt Auctores, sed citatores historici, aut puri collectores, seu compilatores, vel certè puri commentatores qui omnes non sunt Auctores, nec tales vocantur. Auctor enim, ex S. Bonaventura *in proleg. sent. quæst. 4.* est ille solus, qui aut sola sua, aut aliena & sua, sed sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa scribit. Ergò alios illos inter Auctores nominare, ut sententiam communem esse judices, est ultrò velle errare; Itaque non tot Auctores, quot jactamus, stant pro benigna sententia. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 20. §. 2.* ubi dicit, se sæpè in superioribus ostendisse, opinionem, dicentem usum cujusque opinionis probabilis esse licitum, esse *sententiam repugnantem Auctoribus quibusque gravibus, singulis, & omnibus.*

Respondeo, hæc omnia ad aliud non servire, quàm ut virorum de republica litteraria benè meritorum auctoritatem elevent, & contra apertam veritatem imperito Lectori fucum faciant. Peto enim à Celladeo, an pauci admodùm fuerint Auctores in Ecclesia, qui ab anno 1540. usque ad annum 1640. Theologica & moralia scripserint? Si dicat eos esse paucos, apertè fallitur. Fuerunt enim numero plurimi, ac doctrinâ præstantissimi. Omnes autem quotquot fuerunt, præter unum Comitolum, expressè ac in terminis docuerunt, usum opinionis etiam minùs probabilis esse licitum. Comitolus autem in sensu quæstionis intelligendo æquivocavit, quia ideo solùm contendit usum opinionis tantùm probabilioris esse licitum, quia non advertit quomodò objectum directè minùs probabile, reflexè evaderet probabilius. Rursus pauci alii Comitolum à 30. circiter annis imitati sunt; sed, eodem prorsus modo, ex mala quæstionis intelligentia æquivocationem passi sunt. Cæteri omnes in omnibus benignæ sententiæ subscripserunt. Rursus antiqui omnes idem reipsâ censuerunt, & quoad opinionem probabiliorem id ipsum in terminis expressis aut æquivalentibus tradiderunt, ut fusè demonstravi *quæst. 22. de Consc. prob.* Itaque quod dicimus de maxima benignæ sententiæ auctoritate, non obtruditur, sed verissimè demonstratur. Quòd autem ad Celladeum attinet, provoco eum, ut vel unum Auctorem Catholicum afferat, qui in terminis doceat, quod sine exceptione non liceat sequi opinionem, ne quidem probabiliorem, in sensu quo ipse loquitur. Si talem ostenderit, fatebor me falsò illum singularitatis accusâsse. Si nullum talem invenerit, sed omnes contrarium sentientes repererit, non gravatè feret si singularis audiat.

Auctoritas benignæ sententiæ certò est, qualem nos illam esse dicimus.

44. Cæterùm mirandum sanè est, Celladeum adeo confidenter asserere, quòd sæpiùs ostenderit, usum partis minùs aut æquè probabilis improbari *ab omnibus ac singulis Auctoribus gravibus.* Mirum, inquam, quia certum est, omnes fermè Auctores, quos citat, docere in terminis, quòd liceat sequi opinionem minùs probabilem, & alienam contra propriam. Citat quidem verba Vasquez, sed evidenter ea detorquet à sensu Auctoris, ut ex professo ostensum est *quæst. 16.*

Celladeus confidenter jactat ut verum, quod est evidenter falsum.

45. Quod attinet ad definitionem Auctoris strictè sumpti, admitto illam à S. Bonaventura excerptam esse legitimam: nihilominus in sensu communiori, alii etiam dicuntur Auctores. *Commentator est*, inquit S. Bonaventura ibidem, *qui scribit aliena tanquam principalia, & propria ut annexa.* At quot præstantes viri sunt, qui commentarios in Aristotelem, Magistrum, Scotum, D. Thomam scripserunt. Certè in nullo inferiores fuerunt iis, qui propria principaliter scripserunt. Quod attinet ad compilatores, qui aliena in unum colligunt, pauci sunt, saltem in re morali, qui multa de suo non addiderunt. Cæterùm sive addiderint, sive non addiderint de suo, omnes aut ferè omnes fuerunt viri magni ingenii, ac veritatum moralium capaci-

Auctor, alius talis strictè loquendo, alius communiter.

capacissimi, qui proinde multùm ad veritatis confirmationem suo calculo addiderunt; nam illa ratio haud dubiè solida est, quæ à tot viris capacibus ita probata fuit, ut nemo illorum viderit, unde reprehendi possit. Multi etiam ex illis fuerunt summi Theologi, qui sua æquo jure vulgare potuissent, ac qui habentur præstantissimi; nec alia compilârunt, quàm quæ ipsi suo studio ac industriâ noverant esse vera, vel saltem oppositis probabiliora; quamvis ea omnia apud alios priùs dicta invenerint. His autem par fides habenda est ac præstantissimis. Itaque licèt concedam, plures compilatores prioris Classis non tantæ auctoritatis esse, quantæ sunt Auctores primarii; nihilominus non fuerunt minùs docti multis, qui Auctores habentur, eò quòd sua principaliter vulgaverint. Ergò eorum Auctoritas non est minor quàm multorum Auctorum. Itaque qui tales pro Auctoribus numerant, non ultrò errant, ut prætendit Celladeus, sed auctoritatem magni faciendam afferunt, quam Celladeus absque sufficienti causa nimis elevat, ut sic ostendat, suam opinionem non repugnare tot Auctoribus, quot contra illam citamus. Verùm nos nomine Auctorum non utimur in stricta illa significatione, sed in communi ac latiori, omnesque illos vocamus Auctores, qui libros de re morali ediderunt, & sciuntur fuisse magno ingenio, ac pari sedulitate præditi, ac proinde non minùs fide digni, quàm si, ut potuissent, propria vulgâssent. Itaque opinio à multis illorum tradita verè est communis, quamvis non negem pauciores ex præstantioribus Auctoribus requiri, ut suam sententiam reddant simpliciter communem. Interim quotquot scripserunt, si pauculos à paucis annis excipias, benignam sententiam tradiderunt.

Commentatores & Collectores non fuerunt minùs docti quàm Auctores.

Objectio 4.

46. Objicit quartò. In opinionibus, sicut & in omnibus æquè probabilibus, nullus invenitur gradus auctoritatis probantis, aut credibilitatis; quia quævis ex illis opinionibus tantùm habet exceptionis quantùm ponderis, & conclusio manet neutra & incerta, ut accidit in casu testium. Ergò illæ opiniones non sunt regula conscientiæ, quia non sunt probabiles probabilitate vera ac reali, sed solùm probabilitate secundùm quid, seu probabilitate secundùm dici, quatenus permittuntur, & absque censura defenduntur &c. Ita Celladeus loco citato. Unde videtur sequi, quòd probabilitas opinionibus tribui solita non sit vera probabilitas, sed solùm probabilitas impropriè dicta, & ex consuetudine ita vocari solita. Ergò Celladeus benè distinxit inter istas probabilitates.

Omnes opiniones communes sunt certò probabiles.

Respondeo, omnes opiniones communes esse certò probabiles probabilitate reali ac verâ, eâ scilicet, quam ex Aristotele aliisque omnibus duplici definitione explicavimus, neque enim aliam probabilitatem novimus. Inprimis definitio probabilitatis extrinsecè evidenter illis convenit; & ex illa legitimè infertur, quòd sint etiam probabiles intrinsecè. Rursus definitio etiam probabilitatis intrinsecæ illas complectitur, quia singulæ tantâ veri apparentiâ probantur, ut illa vi suæ magnitudinis frequentiùs connectatur cum veritate quàm cum falsitate, ut *hâc & superiori quæst.* ostensum est. Deinde falsissimum est, quòd non sit major gradus probationis in istis, quàm in casu paritatis testium sibi contradicentium; quia in his est tantùm pondus, ut intellectus ex imperio voluntatis rationabiliter flecti possit in assensum alterutrius, quod certè locum non habet in testibus. Quod si conclusio maneat neutra, id est per accidens; quia intellectus in nullius partis assensum flectitur, sed absolutè judicat utramque partem esse æqualem. Nec obstat, quòd utraque pars tantùm habeat exceptionis ab altera parte, quantùm habet ponderis in se; hoc enim non obstante, una pars non elidit alteram, sed utraque vi suâ actu stimulat intellectum ad assensum; probabilitas autem in tali tantùm stimulo consistit, ut dictum est. Porrò hinc solùm sequitur, talem opinionem, quamdiu intellectus reputat utramque partem esse æquè probabilem, non esse regulam conscientiæ in ordine ad opinandum juxta illam: hoc ultrò fatemur; sed hoc non obstante, est sufficiens regula ad operandum, modò sumatur per modum objecti, atque intellectus vi rationum reflexarum judicet, objectum illud ut substans talibus circumstantiis & tali apparentiæ esse licitum. Hoc est, quod à benigna sententia traditur. Ergò Celladeus non impugnat benignam sententiam in sensu proprio ab Auctoribus ejus intento, sed solùm in sensu à se conficto. Interim certum est, probabilitatem opinionibus tribui solitam esse veram ac realem probabilitatem, qualem Aristoteles definivit, & omnes post eum habent pro vera probabilitate. Ac proinde certum etiam est, Celladeum sine fundamento & contra apertam veritatem induxisse inauditas quasdam probabilitatis distinctiones, quas in superioribus refutavimus, ac nullas esse ostendimus.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO, & agitur de probabilitatis variatione.

47. OBJICIT quintò. Probabilitas vera & realis est invariabilis, atque eadem respectu omnium Doctorum in omni loco & tempore; quia si sumatur aliquod objectum cum omnibus circumstantiis loci temporis &c. & illud ita acceptum sit verè probabile, impossibile est, ut evadat improbabile, nisi objectum mutetur. Ergo, manente objecto, probabilitas manet semper & ubique. At omnia contrario modo se habent respectu probabilitatis quoad nos, seu probabilitatis opinionibus tribui solitæ; illa enim variabilis est: quæ enim in una universitate ac familia est probabilior, in alia vix audita est; & si ibi inducatur, vix toleratur, aut videtur probabilis, quæ alibi probabilior habebatur. Quin eadem in diversis ejusdem urbis domibus contrarietas invenitur; immò quæ opinio probabilior est in uno, in alio ejusdem domûs cubiculo minùs probabilis habetur. Ergò probabilitas opinionibus dari solita non est probabilitas conscientiæ regulandæ idonea, ut ex versatili ejus natura satis apparet. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 20. §. 2.* qui similia indicaverat antea *lib. 1. quæst. 1. §. 4.* ut ostenderet, ne majorem quidem probabilitatem, aut etiam certum existimatum, sufficere pro conscientiæ regula, quia omnia hæc miræ variabilitati subjacent, cui regulæ à Deo stabilitæ non subjacent. De ratione enim regulæ est, ut sit nota, stabilis, & constans.

Objectio ultima.

Probabilitas opinionum est variabilis.

Respondeo primò. Doctrinam hujus objectionis, in sensu Celladei intellectam, evertere totum intentum, quod ipse in editione hujus sui libri habuit. Quid enim? nónne liber *de Recta Doctrina morum* inscriptus est? Quid aliud intendit Auctor, quàm detortam morum regulam ad rectitudinem reducere? Ergò intendit doctrinam tam objectivam quàm formalem tradere, quam homines pro regula accipere possint ac debeant. At hoc fine, ex ipsa tua doctrina, frustraris, Celladee. Doctrina hæc tua non est semper & ubique eadem, in omni tempore & loco non eandem approbationem aut probabilitatem obtinet. Quæ enim in tuo cubiculo probabilissima, immò certa & evidens tibi visa est, eadem ab aliis ejusdem domûs ut falsa & meritò rejicienda est habita. Doctrina tua hæc ad loca remota advecta, post seriam examinationem, non solùm displicet, sed in omni apice ad intentum principale pressiùs pertinente invenitur falsa, distorta, miris æquivocationibus & frequentibus contradictio-

Doctrina Celladei convincit illius opinionem non sufficere ad conscientias regulandas.

traditionibus referta. Ergò excidisti fine tuo, atque ipse tibi contrariaris, dum unâ manu destruis quod alterâ ædificas.

Replica solvitur. 48. Nec dicas, te veram, ac proinde invariabilem doctrinam tradidisse, ideoque regulam legitimam proposuisse. Nam contra est, quia omnes, qui in suis cubiculis sententias cudunt, aut stabiliunt, idem dicunt de sua, quod tu de tua opinione dicis. Ergò non est cur potiùs tua quàm illorum doctrina sit regula. Nec major est variatio inter opiniones illorum inter se & te, quàm inter tuam & aliorum. Cur ergò rejicis illorum opiniones ut insufficientes, tuam autem ut sufficientem Conscientiæ regulam proponis, cùm tua eisdem saltem, imò multò pluribus exceptionibus subjaceat?

Alia replica solvitur. 49. At, inquies, Si doctrina mea diligenter ponderetur, invenietur vera, ac proinde habebit probabilitatem invariabilem. Ergò tunc erit regula, & quidem invariabilis. Sed contra. Nónne omnes idem de suis opinionibus dicunt? cur igitur plus tibi quàm illis credemus? sed experiendum est, inquis, quis verum, quis falsum dicat, & tunc, quod rationabilius invenietur, præferendum. Itáne verò? Ergò jam iterum doctrinam tuam destruis, nam propria cujusque opinio erit Conscientiæ regula. At illa mirè varia est, & dissimilis in omni loco & tempore. Ergò ponis regulam maximè variabilem, quam propter variabilitatem rejicis. Ergò tibi non constas, sed in fundamentali doctrina de regula tibi contradicis. Demùm quid fiet, si doctrina tua inveniatur, sicut verè invenitur esse falsa? Eritne adhuc regula? Replicabis, ni fallor, non est falsa, sed vera. At nos illam legimus, & post diligens examen eam falsam esse comperimus. Ergò non est apta regula, utpote quæ, te etiam *lib. 1. quæst. 1. §. 4.* expressè fatente, debet esse certa & omnibus nota, ac communis.

Celladei contradictio. 50. Respondeo secundò, Celladeum ex alio capite sibi contradicere: nam duas ponit probabilitates, aliam intrinsecam, aliam extrinsecam. Utraque est vera, realis, ac positiva, ideoque est regula. Præterea extrinseca infert ac supponit intrinsecã, ut ipsemet expressè fatetur. At extrinseca est variabilis, etsi objectum, & circumstantiæ loci & temporis &c. non varientur; nam communis opinio, quamdiu nemo contra illam excipit, est probabilis extrinsecè, quia tales opiniones nituntur auctoritate rarò fallente. Idem valet de testibus; quatuor enim consentientes plerumque verum dicunt, & reddunt assertum suum probabile. Nihilominus si totidem contra illos excipiant, priorum auctoritas non est amplius fide digna, nec manet probabilis. Idem dicendum ex mente Celladei: si unus aut alter novis prævalentibusque rationibus excipiat contra communem sententiam, eo ipso enim communis sententia perdit suam probabilitatem realem extrinsecam, saltem perdit probabilitatem extrinsecam quoad nos, per quam antea regulabamur. Ecce probabilitas extrinseca tam vera ac realis, quàm quoad nos, quæ est apta conscientiæ regula, subjacet alterationi. Ergò etiam intrinseca probabilitas vera ac realis alterationi subest, quia extrinseca fundatur in intrinseca, ac proinde alterari non potest, nisi etiam intrinseca varietur. Ergò Celladeus cohærenter non discurrit, sed revera sibi contradicit. Præterea quidquid responderit, id ipsum applicari poterit in favorem probabilitatis, quam impugnat, ut ex dicendis mox constabit.

Probabilitas est magis variabilis, quàm objectum probabile. 51. Respondeo tertiò directè, & dico probabilitatem veram ac realem realiter distingui ab objecto probabili, quia probabilitas consistit in actibus intellectûs, qui realiter distinguuntur ab objectis probabilibus, ut patet. Hinc sequitur, probabilitatem non esse tam invariabilem, quàm est objectum, quia actus nostri multis de causis variari possunt, licèt objecta maneant invariata. Cæterùm, ut omnes videant veritatem eorum, quæ dico, consideretur hoc objectum. *Omnes matres hujus Pagi diligunt suos filios.* Hoc objectum est probabile, ejus tamen probabilitas variabilis est, etsi nil in objectis ipsis varietur. Probatur hoc, quia probabilitas consistit in apprehensione vehementer stimulante ad assensum: at ista apprehensio non fundatur in sola frequentiore connexione matrum cum amore filiorum; quia stante generali illâ necessitate connexionis frequentioris, potest esse improbabile, & evidenter falsum, quod *omnes matres istius pagi diligant suos filios.* Porrò, quòd matres frequentiùs ament, quàm non ament suos filios, non est propositio probabilis, sed certa & evidens. Quid ergò est quod probabile reddit hoc objectum, *Omnes matres hujus pagi diligunt suos filios*; aut hoc, *Hæc mater diligit suum filium*? Dicam. Ad probabilitatem duo requiruntur: Primum, est ratio positiva, & hæc in casu præsenti est evidens cognitio, quòd matres plerumque ament suos filios. Alterum est negativum, scilicet quod nil certi, aut nulla prævalens exceptio feratur in contrarium. Stante hac negatione exceptionis in contrarium, ratio dictans matres plerumque diligere suos filios vehementiùs movet intellectum ad existimandum, quòd hæc mater diligat filium suum, quàm si detur exceptio, ut patet. Porrò hæc duo necessariò ingrediuntur constitutionem apparentiæ probabilis, ut fusè ostendi *quæst 3. de Consc. prob. n 7. & seqq.* ad quod si Celladeus advertisset, nunquam deflexisset ad paradoxa & falsa, quæ de probabilitate ejusque natura attulit. Porrò quod utrumque hoc sit prorsus essentiale apparentiæ probabili, ex eo evidens est, quòd, quolibet illorum præcisè ablato, apparentia probabilis tollatur.

52. Hoc posito, peto, utrùm Celladeus admittere velit, negationem exceptionis validæ in contrarium se tenere ex parte objecti moventis, vel solùm ex parte actûs, quatenus actus repræsentans hanc matrem, præcisè ut substantem universali necessitati quod matres plerumque diligant filios, fortiùs stimulet ad assentiendum quod illa suos diligat, quando nil quàm quando aliquid repræsentatur in contrarium? Ego juxta utramque suppositionem explicui essentiam apparentiæ probabilis loco citato. Si negatio illa se teneat ex parte objecti, ita ut apparentia probabilis objectiva partialiter in illa fundetur, tunc verum est, quod probabilitas vera & realis sit una eademque respectu omnium in omni loco & tempore, quia impossibile est, ut objectum probabile evadat improbabile, nisi aliqua circumstantia objectiva varietur. Impossibile enim est, tale objectum unà cum carentia exceptionis in contrarium tali claritate repræsentari intellectui, quin illa apparentia sit fide digna ac probabilis. Verùm quia pars hujus objecti variari potest, & carentia exceptionis per exceptionem ipsam formaliter tolli, ideo probabilitas variabilis est, & quod uni est probabile, alteri est improbabile. Quod si negatio exceptionis non se teneat ex parte objecti, sed potiùs quodammodo ex parte actûs, quatenus actus, illâ præsente, fortiùs movet, falsum est quod vera ac realis probabilitas objecti ejusdem sit invariabilis respectu omnium, quodque nisi objectum ipsum mutetur, semper maneat probabile; quia nulla variatione facta in objecto, si negatio exceptionis in contrarium accedat, objectum erit probabile; si recedat, evadet improbabile. Itaque haud dubiè probabile non eam invariabilitatem habet, quàm ipsum verum, quia stante veritate objecti, illud modò repræsentari potest sine exceptione, & modò cum exceptione, & consequenter modò potest esse probabile, modò certum, modò uni erit probabile, alteri improbabile, aut etiam evidenter falsum.

Negatio exceptionis in contrarium spectat ad essentiam probabilitatis.

53. Totum

Causa ob quam probabilitas mutatur.

53. Totum hoc clarissimè cernitur in probabilitate extrinseca, ut in casu testium &c. Quoties enim vir gravis aliquid affirmat, id illico evadit probabile extrinsecè, modò nemo contra ejus auctoritatem excipiat. At si paulò post alius excipiat in contrarium, & tanquam testis de visu affirmet oppositum, prior probabilitas tollitur; quæ iterum redit, si plures viri graves deinde juramento confirment dictum prioris, & secundum mendacii condemnent. Ecce probabilitas extrinseca consistit partim in auctoritate loquentis, partim in carentia exceptionis contra illa, quæ dicit; & consequenter probabilitas illa pro hujus exceptionis varietate mutatur. Idem prorsus valet de probabilitate intrinseca. Ratio enim eadem erit probabilis, quamdiu post diligens examen nil momenti apparet in contrarium. Constabit autem probabilitas illa, ubi valida exceptio apparuerit. Hæc omnia fusè explicata sunt *quæst. 2. & 3. de Consc. prob.* Sed Celladeus hæc omnia confudit, quia sicut ab initio non advertit, remotionem exceptionis in contrarium spectare ad essentiam probabilitatis, ita cùm semper in eadem suppositione processerit, mirum non est, quod in probabilitate, ejusque natura intelligenda ac explicanda multa falsa, incompossibilia, ac contradictoria miscuerit.

Probabilitas in rebus facti sæpè, in rebus juris rarò mutatur.

54. Neque tamen in probabilitate opinionum de jure, ea invenitur variabilitas, quam Celladeus fingit. Rarò enim periti discrepant de opinionum probabilitate, licèt de veritate illarum mirum in modum discrepent. Rursus rarò fit, ut opinio communis aut certò probabilis evadat improbabilis, ut certissimâ experientiâ constat; quod verum est de probabilitate opinionibus tribui solita, (sic enim loqui libet cum Celladeo) quæ tamen absque dubio est vera, realis, ac sincera probabilitas. Ratio est, quia opiniones illæ sunt de rebus universalibus ac necessariis, sed obscuris; in talibus autem postquam periti ea diligenter examinârunt, difficilè ac rarum est invenire exceptionem tam validam, quæ probabilitatem partis contrariæ elidat. At in rebus facti probabilitas est valdè variabilis, quia in illis facilis exceptioni locus invenitur, vel ex propria inspectione, aut personæ priùs asserentis retractatione, vel alterius assertione &c. Unde etiam in istis regula conscientiæ sæpè & facilè variatur, quia prior regula sufficiens tollitur, & loco illius alia contraria succedit. Nec hoc est contra rationem regulæ variabili hominis conditioni deservientis, ut patet. Nam ratio regulæ formaliter sumptæ non alteratur; quoties enim tale quid existit, habetur regula; sed quia res, ex quibus regula constat, facile deficiunt, ideo regula illa, materialiter sumpta, facilè variatur.

Probabilitas consequens affectum & judicium est valdè variabilis, antecedens non item.

55. Demùm quæ Celladeus dicit de probabilitate opinionum, ejusque variabilitate pro locorum ac educationum varietate, fundatur in æquivocatione, quia procedunt de probabilitate ac probabilioritate consequente judicium uni parti alligatum. Illa enim tam variabilis est, quàm hominum judicia, quia suum unicuique opinatum probabilius est. At si loquamur de apparentia probabiliori prorsus antecedente omnem assensum, & affectum uni parti indebitè affixum, illa non adeo discernibilis est, sicut ipsa probabilitas. Unde mirum non est, quod Auctores de illa rarò loquantur. Cæterùm quando facilè discernitur, non est adeo variabilis, sed omnibus fermè apparet eadem. Interim tamen quæcumque variabilitas invenitur, sive in apparentia antecedente, sive consequente judicium & affectum uni parti impensum, illa, quanta quanta est, ex eisdem capitibus procedit, nempe ex accessu & recessu exceptionis in contrarium. Unde cùm non sit absurdum, sed prorsus necessarium, quod exceptiones istæ varientur; pariter non est absurdum, quod probabilitas in illis essentialiter consistens varietur. Jam haud dubiè talis probabilitas, quamdiu manet, tam apta est conscientiæ regulandæ, quàm alia quævis perpetua: nec talis variabilitas ex defectu materiæ repugnat rationi regulæ, sed prorsus necessaria est pro homine variabili, qui semper innumeris rerum & circumstantiarum diversarum affectionibus vivit obnoxius. Sufficit enim pro tali agente libero regulando, si ratio regulæ formaliter sumpta sit una eademque & prorsus invariabilis, licèt hæc numero regula sit variabilis, ut patet etiam in regulis materialibus. At hæc formalis invariabilitas reperitur in probabilitate, quæ proponitur ut regula; quia quoties adest probabilitas, habetur regula sufficiens ad conscientiam ritè formandam, quamvis probabilitas sæpè facillimè cesset, & consequenter regula illa materialiter sumpta desinat ac corrumpatur, sicut ulna desinit esse regula, quando minuitur, aut destruitur.

Variabilitas hæc materialis, nec absurda est, nec naturæ regulæ contradicit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

R. P. AN-

R. P.

ANTONII TERILLI

SOCIETATIS JESU


REGVLA MORVM

SIVE

TRACTATVS

De sufficienti ad conscientiam ritè formandam regula.

PARS SECUNDA.



ANC *Partem incipio ab illis quæstionibus, quas Celladeus libro tertio primæ Partis complexus est. In eadem involvam non solum quæstiones, quas quartus ejusdem Partis liber continet; sed eas etiam, de quibus Adversarius mirum in modum gloriatur, nempè quæstiones de peccatis ignorantiæ, quas in primo libro secundæ Partis congessit. His autem confutatis, quidquid contra benignam sententiam opposuit, penitus deletum invenietur, & veritas sententiæ benignæ ab omnibus clarissimè conspicietur.* Sit ergo.

QUÆSTIO TRIGESIMA-NONA.

Vtrùm probabile explicatum, aut opinio probabilis sufficiat pro regulanda conscientia?

Regula morum à Celladeo tradita, quæ?

1. CELLADEUS tertium suum librum ab hac quæstione orditur. Cùm enim antea definivisset probabilitatem realem ac positivam (in qua tamen definienda in multis erravit ut visum est) mox quærit an illa sit apta conscientiæ dirigendæ regula? Respondet autem, *quod sit regula cum onere*: est regula, quia eligi potest pro conscientia dirigenda, eo quòd in rebus humanis, quæ in pluribus sunt incertæ, non sit convenientior regula, cùm plerumque non fallat. Cæterùm cum aliquando fallat, hoc onus annexum habet, ut in peculiaribus casibus attentè consideret homo, an regula illa exceptionem habeat. Tanti enim est non operari contra legem Dei, ut qui hanc regulam sequitur, dictum onus subire debeat, ne periculo se exponat, & peccet. Demùm asserit, quòd probabile hoc modo explicatum sit recta conscientiæ regula in omni & in qualibet materia.

Regula Celladei re ipsa nil aut parum discrepat à communi sententia.

2. Hæc est substantia doctrinæ à Celladeo traditæ, quam cùm lego, miror quid sibi voluerit in impugnanda sententia benigna. Certum enim est, quòd illa juxta hanc illius doctrinam sit regula sufficiens conscientiæ, ut mox videbimus. Rursùs, revera parum aut nihil discrepat à communi omnium sensu, quamvis immensùm ab illa recedere sibi videatur. Cæterùm adjunxit novum terminum *cum onere*, ne nil singulare docere videretur, cùm tamen omnes illam exceptionem reipsâ ponant. Immò, quod plus est, omnes fermè expressè declarant, quando, quos, & cur urgeat? Item exponunt, quomodo non sit propriè annexum opinioni probabili; nisi enim talia declarentur, doctrina de regula ad nil fermè deservit. Hæc tamen omnia, etsi maximè præstanda sint, ut regula proposita operi regulando deserviat, à Celladeo omissa sunt, ut mox perspicietur. Quare ut doctrinam illius examinem, simulque veritatem controversiæ principalis proponam, sit

ASSERTIO PRIMA.

Opinio certò practicè probabilis, quam proximè definivimus, est regula congrua actionum humanarum, & pro conscientiâ licitè formandâ sufficit.

PROBATUR primò omnibus argumentis, quæ supra attulimus *quæst. 2.* similiter omnibus illis, quæ *in toto tract. de consc. prob. coacervavimus, quæ non sunt hic repetenda, videantur suis in locis.*

Rationes Celladei.

3. Probatur secundò afferendo ea, quæ Celladeus ad hoc probandum allegat. Inprimis lex humana est regula, & tamen lex humana in multis exceptionem patitur, & per Epiikiam seu per æquitatem corrigenda est: sic lex præscribit deposita esse reddenda Domino illa reposcenti: nihilominus gladius depositus non est reddendus Domino, si sit furiosus, quando eum reposcit. Ratio est, quia lex humana fundatur in probabilitate, non enim habet materiam necessariam sed probabilem; solùm enim jubet quæ plerumque fieri expedit, & solùm prohibet, quæ plerumque sunt noxia; ideoque aliquando sed rarò deficit, hinc aliquando per æquitatem seu Epiikiam corrigenda est. Ecce lex humana non est minùs defectibilis, quàm probabilitas; est tamen regula conscientiæ & humanorum actuum. Ergò probabilitas apta est, ut sit regula conscientiæ & actuum humanorum. Cæterum sicut defectibilitas legis secum trahit necessitatem emendationis seu correctionis per Epiikiam, quod est onus talium legum; ita defectibilitas opinionis probabilis infert necessitatem circumspiciendi, an in hoc vel illo casu peculiari fallat; & hoc est onus opinionis. Et sanè nemo prudenter plus concesserit opinioni probabili quoad securitatem conscientiæ, quàm dictis legibus. Ergò sicut iniquè & temerè ageret, qui semper vellet juxta verba legis procedere, ita pariter temerè ageret, qui sine ulla exceptione stare vellet opinionibus probabilibus.

Prima à paritate legis, quæ est regula, sed aliquando deficit.

2. Ratio.

4. Secundò sic arguit, scientia moralis est regula actuum humanorum: At scientia moralis non habetur totaliter per demonstrationes, quia maximâ ex parte objectum illius non est demonstrabile, ut omnes cum Aristotele expressè fatentur. Ergò scientia moralis maxima ex parte solùm consistit in opinione probabili, quæ illa probat ut bona, quæ plerumque sunt talia, & illa reprobat ut mala, quæ plerumque sunt inhonesta. Ergò opinio probabilis est regula conscientiæ & actuum humanorum. Unde sequitur etiam, quod conflatum ex multis opinionibus probabilibus sit regula apta ad regulandam conscientiam, quia qui illam sequitur in plerisque non errat, ideoque inspectâ conditione humanâ & rerum incertitudine, prudenter operatur qui talem regulam sequitur. Citat etiam S. Thomam *2. 2. quæst. 70. art. 2.* ubi S. Doctor expressè dicit, certitudinem in omni materia quærendam non esse, quia actus humani sunt circa contingentia & variabilia, de quibus haberi non potest certitudo demonstrativa, & *ideò sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.*

Scientia moralis est regula morum, non est autem nisi probabilis.

3. Ratio.

5. Tertiò sic procedit. Probabilitas sufficit in rebus humanis etiam magni momenti ad prudenter operandum: nam quilibet prudenter fidit se Medico & Chirurgo, qui plerumque & ut plurimùm rectè curant, nisi aliqua adsit exceptio in contrarium. Idem evenit in venditionibus, emptionibus, aliisque negotiis humanis. Ergò idem etiam locum habet in negotio conscientiæ & materiâ morum, quia est supra humanam capacitatem, velle plus in doctrina morum.

Probabilitas sufficit in rebus humanis magni momenti.

6. Quartò urget hoc modo: unusquisque absque ullo vitio intellectûs rectè opinatur circa probabile ab extrinseco; absque dubio enim omne probabile ab extrinseco est absque ullo defectu ac vitio credibile. Ergo nullus est defectus, nullum vitium in intellectu, eo quòd talia credat ac opinetur. Ergò nec erit defectus in voluntate, utpote quæ non regulatur immediatè per legem Dei in se, sed per illam applicatam per rationem humanam, quæ proindè habet rationem regulæ formalis applicantis primam regulam objectivam. At non solùm ratio evidens aut certa, sed etiàm ratio opinativa est ratio humana. Ergò ratio opinativa est regula formalis applicans primam regulam objectivam, seu legem & voluntatem Dei. Ergò voluntas rectè prudenterque se accommodat huic rationi, id est opinioni. Unde Vasquez *1. 2. disp. 58. cap. 2.* sapienter dicit, *sed quia humana diligentia non potest omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est, ut in exemplo superius posito de accedente ad non suam, & in aliis accidere potest: ideò illud in re debet dici naturæ humanæ convenire, aut disconvenienis esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non sit. Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanarum actionum.* Hæc rectè Vasquez, si error sit invincibilis. Hæc Celladeus §. 3.

4. Ratio.

Opinio absque vitio elicitur ab intellectu, & ideò rectè applicat legem æternam.

7. Quintò, confirmat argumentum à probabili extrinseco desumptum hoc modo. Rectè creditur alicui, vel aliquibus Doctoribus, & eorum resolutioni statur in doctrina morum, alioquin frustra esset consilium ab illis petere. Ergò rectè statur ac creditur illis, quos difficilè est falli, licet in aliquibus falli possint, & decepti sint. Itaque cùm nemo sit, de quo præsumi aut sciri possit quòd nunquam fallatur, illa auctoritas sufficit ad conscientiam regulandam, quæ plerumque non fallitur, & non nisi rarò deficit; quia in rebus incertis regulam meliorem, conditionique humanæ magis idoneam habere non possumus.

5. Ratio.

Rectè creditur resolutioni Doctorum quamvis illa aliquando fallatur.

8. Ego quatuor ultimis rationibus libenter subscribo, quia rationabiles sunt & veræ, & ab omnibus quoad substantiam communiter afferuntur: sed prima, quæ Celladei propria speculatio est, ipsique efficacissima videtur, non arridet; longè enim dispar ratio est inter legem & opinionem probabilem, quia lex non præcipit nisi certò honesta. Probabile autem, de quo hîc loquimur, semper versatur circa res, quarum honestas est incerta, ac proinde de quibus est suspicio, an sint inhonestæ. Itaque ex eo quòd lex sit regula, quamvis non adeò universaliter dirigat, quin exceptioni subjaceat, non sequitur opinionem minùs tutam esse posse regulam; quia ideò lex est regula, quia dirigit ad certò honesta, & tunc solùm habet exceptionem, quando legislator ex ignorantia erravit, ferendo legem sub terminis universalibus, non prævidens casum aliquem particularem, quem si prævidisset, eum excepisset, & non ita universaliter locutus fuisset. Audi Aristotelem *5. Ethic. cap. 10. Cùm igitur lex universaliter quidem loquitur; in hisce autem præter universale quidpiam accidit, tunc rectè se habet, ut ea parte, qua Legislator omisit, atque peccavit absolutè locutus*

Argumentum Celladei ab exemplo legis non probat intentum.

locutus, emendetur defectus. Quod si ipse Legislator adesset, hoc modo dixisset, & si scivisset, jubentem legem tulisset &c. S. Thomas 2 2. *quæst.* 120. & cum eo Theologi Aristoteli subscribunt. Itaque lex exceptionem habet; quando certò constat, voluntatem Legislatoris ad omnia sub universalibus legis terminis comprehensa non extendi. At quid hoc conducat ad probandum, quòd umquam liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam, non apparet; quia in usu opinionis, semper imminet aliquod periculum contraveniendi voluntati Dei, cùm in Epiikia nullum sit ejusmodi periculum, sed contrarium certò constet. Similiter extra casum Epikiæ certum est, sequentem verba legis non peccare, ergò paritas hæc non probat intentum.

Exempla Celladei incongrua sunt ad doctrinã ipsius confirmandam.

9. Rursùs Celladeus loquitur de lege humanâ, contra quam datur exceptio, & profert exempla de lege divina, ut de redditione depositi, de restitutione commodati, &c. At absurdum videtur ita comparare legem divinam cum opinione probabili, ut utraque ex æquo censeri debeat regula humanorum actuum, quia lex divina est certa ac indubitata regula clarè manifestans, quæ voluntati Dei certò consonant. Opinio autem probabilis nunquam certificat de honestate operis propositi, ut patet. Porrò unica exceptio contra opinionem est hæc ipsa incertitudo & fallibilitas, quæ nunquam deest. Ergò semper adest exceptio contra probabilem opinionem, & videtur quòd nunquam liceat illâ uti. Saltem licitus ejus usus non probatur à paritate legis, contra quam tunc solùm datur exceptio, quando lex non amplius proponit voluntatem Legislatoris, sed circumstantiæ indicant Legislatorem oppositum voluisse. Demùm eadem est ratio de lege humana, quæ in multis non magis obnoxia est exceptioni, quàm lex divina, ut patet. Ergò paritas hæc à defectibilitate legis translata ad defectibilitatem opinionis, non probat opinionem esse idoneam actionum humanarum regulam.

Argumentum Celladei incongruum.

10. Demùm peto à Celladeo utrum Epiikia tunc solùm habeat locum, quando certò constat voluntatem Legislatoris ad hunc casum non extendi? an etiam quando solum probabile est, quod ad hunc casum non extendatur? si solùm admittat primum, evidens est argumentum à paritate nil valere, cùm in omnibus sit evidens disparitas: si admittat secundum, eo ipso subscribit benignæ sententiæ, quam impugnat; quia admittit interpretationem probabilem de intentione Legislatoris contra expressa ejus verba sufficere ad conscientiam debitè formandam, quod quidem à multis benignæ sententiæ Auctoribus traditur, sed à Celladeo toto opere negari videtur. Præterea affert exemplum dubium, quia adversarii æquè dubitant, an in hoc ac in ullo alio casu liceat sequi opinionem probabilẽ? Ergò hoc probandum erat, non supponendum tanquam principium, ad illud idem in aliis similibus Casibus inferendum. Itaque prima illa ratio nil probat.

Celladeus tenetur propriis argumentis respondere, & inconsequenter procedit.

11. Est & aliud, in quo Celladeus arguitur inconsequenter processisse, scilicet quòd ipsemet solvat objectiones præcipuas, quas contra benignam sententiam intorserat, & quidem ita illas solvit, ut eadem solutio nullo verbo dempto æquè quadret benignæ sententiæ ac opinioni Celladei. Juvat unum vel alterum exemplum afferre. Inprimis objicit Augustinum contra Academicos, improbantem usum probabilium, ac dejerantem, nescire prorsùs se, quomodo omnia peccata non sint cohonestanda, si quisquis id agit, quod probabile videtur, non peccat. Respondet primò, probabile Academicorum fuisse laxius quàm probabile ab ipso assertum. Deindè respondet Augustinum invehi contra probabile solùm apparens: sed quid? nonne hoc æquè quadrat in nostram sententiam, quam Celladeus ex hac ipsa Augustini auctoritate, tanquam argumento penitus insolubili impugnat? evidens profectò est, nostrum probabile esse incomparabiliter strictius probabili Academicorum. Rursùs nos dicimus, solùm probabile verum ac certum esse regulam conscientiæ. Nec minus vera est probabilitas, quam nos ponimus, quam quæ à Celladeo proponitur, ut constat ex dictis, atque ex dicendis melius constabit.

Objectio contra Celladeum.

12. Objicit secundò. De natura probabilium est ut in aliquibus deficiant. Ergò regula probabilitatis in aliquibus deficit. Ergò qui juxta illam multoties, v. g. centies operatur, aliquoties deficit v. g. decies aut quinties, & reipsa toties operatur contra legem. Ergò qui illam eligit pro regula vitæ, & vult secundum eam vivere ac centies operari, eo ipso sponte vult decies aut quinties deficere ab honesto, & operari contra legem Dei. At hoc velle est peccatum non materiale tantùm, sed etiam formale. Ergò probabile non potest eligi pro regula conscientiæ. Ergò non est conscientiæ regula. hoc ipsum argumentum contra nos objecit in superioribus, jam autem ipsemet tenetur illud solvere.

Celladeus non satisfacit argumento.

Respondet argumentum non urgere ipsum, qui expressè docet, quod probabile non sit regula, nisi sumatur cum onere benè videndi in singularibus casibus, an aliquid reperiatur legi Dei contrarium. Ita ille: nec aliud respondet. Verùm non satisfacit, nam argumentum æquè urget contra hominem operantem cum tota hac diligentia; nam positâ diligentiâ adhuc objectum non est certum, sed solùm probabile. Ergò adhuc subjacet inevitabilitati errandi aliquoties. Ergò non solvit argumentum. Et sanè quomodo solvitur argumentum per replicam, quæ & in terminis & ex ipsa suppositione eidem inconvenienti subjacet, ad quod arcendum affertur? Itaque concludendum est, Celladeum non solvisse argumentum, quod prius contra nos, nunc contra seipsum proposuit: Et sanè difficilè, nî dicam impossibile est, ut in suis principiis argumentum solvat, nisi, illis relictis, ad benignam sententiam recurrat, & juxta illius doctrinam respondeat proportionaliter ad ea, quæ nos huic argumento supra respondimus.

Alia replica sed insufficiens.

13. Quòd si dicat, ut alibi insinuat, sed hic non proponit, solam probabilitatem veracem & veram esse regulam, fallacem verò & fallentem à ratione regulæ deficere, & se hoc intelligere per onus, quod opinioni adjungit, jam sibi apertius contradicit, quia ponit regulam indiscernibilem, cùm nemo determinatè scire possit, quod probabile hic & nunc propositum sit verum. At regula debet esse discernibilis. Ergò ponit regulam non regulam. Præterea sic arguo. Vel onus adjectum postulat, ut non operemur, donec certificemur, quòd opus non sit contra legem. Vel solùm exigit, ut probabiliter hoc concludamus. si primum, Ergò probabile nunquam est regula, sed sola certitudo, & tunc Celladeus docet contradictoria: si secundum, probabile quidem erit regula, sed argumentum non solvitur, quia necesse est, ut in magna multitudine talium opinionum ac resolutionum aliquoties erretur. Nec oppositum prudenter sperari potest.

Alia objectio, cui non satisfacit.

14. Objicit tertiò: Conspiciat venator animal à longè, quod existimet esse lupum. Adsint cum eo viginti homines quoad perspicaciam visus ac veracitatem &c. prorsùs æquales, quorum octodecim dicant, animal illud esse feram, duo verò dicant esse hominem. In hoc casu venator peccaret, si sagittam in animal illud emitteret. Et tamen probabile est illud animal non esse hominem, quia longè difficiliùs est octodecim falli quàm duos, cùm plerumque contingat illos non falli. Ergo non licet sequi probabile. Ergò probabile non est regula.

An & quomodo venator emittere possit sagittam ad interficiendam feram, quando non est certus, quod animal illud non sit homo?

Respondet primò, retorquendo argumentum, quia si venator unum tantùm habeat socium, qui vel sit vicinior animali, vel perspicacioris visus, & testetur animal esse lupum, non peccat venator sagittam emittendo, tamen non habet certitudinem, sed solùm probabilitatem. Ergò sufficit probabilitas Huic responsioni tam curiosè propositæ non est fidendum, quia non est sola probabilitas, quæ illum excusat, quia probabilitas rectè cohæret cum aliqua exceptione in contrarium. sic quando litigatur de facto aliquo, illud probabile est, quod quatuor testes deponunt contra duos penitùs æquales, & sufficit ut judex juxta illud sententiam ferat, ut constat ex doctrina supradicta de testibus, nec quisquam de eo dubitat. Idem valet quando testes sunt numero æquales, sed dignitate & qualitate inæquales, standum enim est judicio illorum, qui magis qualificati sunt. Et tamen venator peccaret, si sagittam emitteret, casu quo quatuor tanquam testes de visu jurarent animal illud esse lupum, si duo ejusdem qualitatis tanquam testes de visu deponerent, illud esse hominem. Ergo probabilitas non sufficit. Ergò replica Celladei non solvit argumentum, quia non est sola probabilitas in casu illo, quæ excusat, sed summus probabilitatis gradus, talis nempe contra quem nulla potest esse prudens suspicio aut timor deceptionis. Talis est casus ab illo propositus in replica. Ergò si illi stetur, nunquam licebit in rebus controversis sequi probabile, quando sunt argumenta in contrarium.

2. responsio.

15. Respondet secundò, negando quod in casu illo ulla detur vera probabilitas, quia rarissimum est, quod homines æquali visus perspicacitate præditi, ex eadem distantia idem objectum contemplantes ita discrepent, ut duo negent, quod octodecim affirmant. Unde licet in genere octodecim faciant probabile contra duos; id tamen locum non habet nisi in illis circumstantiis, & circa tale objectum, de quo contradictiones contingere possunt, non verò in illis circumstantiis, & circa illud objectum, de quo rara & vix possibilis est contradictio. Itaque casus iste procedit de probabilitate tantum apparente. Ergò non contrariatur usui probabilium.

Illius insufficientia.

Hæc responsio aliquid habet apparentiæ, non tamen plus soliditatis quàm prima. Inprimis falsum est, quod in istiusmodi rebus frequentes contradictiones non eveniant. Quid enim frequentiùs, quàm homines è longinquo videntes animal discrepare inter se de specie, etsi conveniant de genere? Nec dicas, eos tunc non esse paris perspicacitatis, nam unusquisque prætendit, se alteri in perspicacitate non cedere, ergò quoad nos sunt talis perspicaciæ. Quòd si detur aliqua diversitas, credibile est majorem perspicacitatem latere inter octodecim, quàm inter duos, & tamen non licet sequi judicium octodecim contra duos, quamvis certum sit, veritatem plerumque esse ex parte illius, quod in tali casu ab octodecim æqualis aut etiam majoris perspicaciæ quoad nos affirmatur contra duos. Ergò absque dubio vera probabilitas non deest in casu.

Replica ex alio capite insufficiens.

16. Rursùs esto, in casu isto, in quo nemo perfectè rem discernit, affirmatio octodecim contra duos non fundet probabilitatem, evidens tamen est, quod octodecim faciunt probabile contra duos, quando omnes deponunt tanquam testes de visu. Sit ergò casus, quòd viginti illi sint testes de visu, qui adierunt locum, in quo animal illud latet inter vepres & postea ita deponant contraria, ut octodecim jurent quòd sit lupus, duo jurent quòd sit homo. In hoc casu non licebit sagittam emittere, & tamen illud probabilissimum est, quod octodecim affirmant, immò probabile esset, quamvis tantùm quatuor contra duos illud affirmarent. Et quidem hoc est probabile nimis frequenter contingens, nimis enim frequens est, quod testes in judicio contraria deponant. Ergò Celladeus non solvit argumentum.

Solvitur argumentum.

17. Ego ergò aliter respondeo, & dico inprimis, objectionem incongruè propositam fuisse à Celladeo, quia parùm refert, quòd duo discrepent, vel omnes conveniant; si enim omnes ita distent, ut nec sagittarius ipse, nec alii tam perfectè rem discernant, ut moraliter certi sint, animal illud non esse hominem, non licebit sagittam emittere. Ratio est, quia in tali casu solùm dicunt se putare, quòd animal illud non sit homo, cùm nemo certus sit quòd sit fera. Rursùs fatentur assertionem suam non esse talem, quin adsit rationabilis timor ne fortè errent. At propter tam debilem probabilitatem, contra quam viget dicta suspicio, non licet emittere sagittam cum tali periculo occidendi hominem. Et hoc verum est, sive duo discrepent, sive omnes conveniant in sua assertione, ac proinde reddant probabile quod dicunt.

E contra si omnes essent testes de visu, aut aliqui haberent tubum opticum, quo evidenter discernerent animal illud esse lupum, & hoc unanimiter deponerent tanquam testes de visu, utique tunc liceret sagittam emittere; peccaret tamen illam emittendo, si duo tanquam testes de visu contradicerent, etsi eorum contradictio non tolleret maximam probabilitatem ab assertione aliorum. Ergò falsum est, quod probabilitas sit recta conscientiæ regula in omni & in qualibet materia.

Argumentum non tangit benignam sententiam.

18. Itaque respondeo, argumentum non solùm non impugnare benignam sententiam, sed ne quidem illam attingere. Ratio est, quia argumentum procedit de probabilitate speculativa; benigna autem sententia solùm loquitur de probabilitate practica, id est, argumentum probat probabile esse, quòd animal illud non sit homo, non autem probat, quod stante periculo illo, liceat sagittam emittere ad illud occidendum. At benigna sententia solùm docet practicè probabilia, seu ea, quorum honestas est probabilis, esse licita. Nos itaque distinguimus inter probabilia, & dicimus sola practicè probabilia esse rectam conscientiæ regulam in omni materia. At Celladeus insurgit in nos tanquam in homines periculosissimæ laxitatis, cùm loquamur cautissimè; ipse verò in laxissimam, ac pro laxitate prorsùs intolerandam sententiam prorumpit, dum absque ulla distinctione asserit probabile in omni & qualibet materia esse rectam conscientiæ regulam. Quid hoc asserto absurdius? Quid

reipublicæ

Celladei regula, ut jacet, & ut verba sonant, est evidenter falsa, & laxitatis non ferendæ.

reipublicæ noxium magis? Profectò hinc sequuntur absurda ab Augustino contra Academicos proposita. Probabile est ejaculationem sagittæ in casu à me proposito non inferre homicidium. Ergò licebit illud ejaculare; & sic aliquando licebit homicidium in tali casu. Rursùs probabilè est, quòd siligo sit materia validæ consecrationis. Quis ideò dixerit, licitum esse uti tali pane pro arbitratu ad consecrandum? Innumera talia sunt, Celladee, quæ probabilia sunt in multis materiis, neque tamen opiniones illæ sunt recta conscientiæ regula. Næ tu malus es doctrinæ morum censor & corrector, qui rejectâ rationabili regulâ, quam cum exacta ac præcisa exceptione proponimus, aliam sine ulla exceptione substituis, quæ ut jacet in terminis est evidenter falsa, atque adeò absurda ac rationi dissona, ut nemini placeat, cùm omnes contra illam ut prorsùs intolerabilem clament. Ex hisce autem absurdis nunquam te eripies, nisi ad distinctionem à nobis semper inculcatam recurras, & ad probabilitatem practicam sententiam tuam limitaveris.

Ratio cur venatori non liceat sagittam emittere in tali casu.

19. Quod si quæras, quare in casu allato non sit probabile, quòd liceat sagittam emittere, cùm probabile sit homicidium tunc non esse committendum? Respondeo inprimis, id ad meum intentum non spectare, quia semper loquor ex suppositione, quòd objectum sit certò probabiliter licitum, seu certò practicè probabile, undecumque demùm illa practica probabilitas derivetur; esset autem nimis longum & arduum quæstionem hanc in singulis materiis determinare. Non ergò teneor causam hujus rei assignare. Nihilominùs respondeo secundò, causam hujus rei in casu præsenti esse facilem & obviam. Inprimis sunt duo objecta realiter distincta, animal illud non esse hominem; & ejaculationem sagittæ esse licitam, & quidem realiter separabilia; nam si judicem animal esse hominem, haud dubiè non licitè jaculum emitto, etsi errem in meo judicio. Itaque sicut à veritate primi non infertur veritas secundi, ita nec à probabilitate primi infertur probabilitas secundi. Sed juvat rem strictiùs proponere. Hìc & nunc ejaculare sagittam est inseparabile ab occisione illius animalis, ut suppono. Cur ergò si sit probabile, quod ejaculare non sit hominem interficere, non est etiam probabile, quod licitum sit ejaculare? Respondeo istas etiam denominationes esse separabiles, quia denominatio probabilitatis, quòd actio illa non sit homicidium, sumitur à testimonio hominum fide dignorum: at quod sit licita, est denominatio, quæ sumitur à lege permittente, aut certè à negatione legis prohibentis actionem illam. At in casu nostro adest lex, in omnium cordibus scripta, expressè prohibens talem actionem in istis circumstantiis. Lex hæc illo axiomate continetur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quis autem in tali loco constitutus non esset rationabiliter invitus, ne alius in talibus circumstantiis contra se sagittam emitteret? Nemo certè. Ergò cùm tu rationabiliter exigeres ne id tibi fieret, lege naturæ notum est, quod & tu à tali actione adversus alterum tenearis abstinere.

Alia ejusdem rei ratio.

20. Rursùs certum est, quod Deus homicidium prohibuerit. Ergò ubi periculum est, ne homicidium fiat, & lex Dei violetur, vel omittenda est actio, vel certè ponenda non est, donec veritas rei tanta diligentia investigata fuerit, quantam & qualitas negotii, & humana conditio postulant, ut sic veritas ipsa, si fieri possit, certò innotescat. Certùm enim est, quod detur obligatio aut tutiora sectandi, aut ad ipsam veritatem, quantum humano modo possumus, enitendi. At in casu præsenti tanta diligentia præmissa non est, nec veritas quantum fieri potest quæsita est: facillimum enim est tam dubiis attestationibus non credere, sed locum adire, atque ipsam veritatem certò investigare, quia facilè sciri potest. Atque hinc est, quòd in tali casu nunquam liceat sagittam emittere. Certè si in omni re tam facilè certò sciri posset voluntas Dei, sicut in isto casu, nunquam liceret minùs tuta sectari, sed in omnibus ipsa veritas quærenda foret. Jam hoc est onus, ad quod tenemur in similibus, quo non impleto, nunquam est probabile, quod objectum ejusmodi sit licitum. Quod cùm adeo perspicuum sit; mirum est, quod Celladeus, ut responderet huic argumento, non reflexerit ad peculiarem propriæ suæ sententiæ notam, & dixerit ideo hoc non licere, quamvis sit probabile, quia probabile non sufficit, nisi onus impleatur, quod certè in casu impletum non fuit. Sed Celladeus de hoc tacuit, ac si propriæ sententiæ oblitus fuisset, & ad nescio quam speculationem malè fundatam se convertit, negando tale testimonium fundare probabilitatem, quod certè in hoc omnique alio casu prorsus simili est evidenter falsum.

Celladeus non respondet consequenter ad propria principia.

21. Cæterùm ex eo evidenter infertur hanc esse legitimam hujus rei rationem, quòd judex procedere possit contra reum, quem ex viginti testibus octodecim absolutè condemnant, etsi duo illum innocentem pronuntient; & tamen non licet venatori sagittam emittere, nisi major ei certitudo affulgeat. Ratio est, quia judex fecit, quod potuit, omnemque humanam diligentiam adhibuit, ut ad veritatem certò sciendam perveniret. Ideoque post illam præmissam potest & debet se regulare secundùm allegata & probata. At venator facilè potest majorem certitudinem adhibere; quam si omittat, non minùs peccat, quàm peccaret Judex hominem condemnando, si ipsius veritatis indagationem omitteret, quando tanta facilitate posset veritatem ipsam certò invenire, sicut potest venator in casu præsenti.

Plus requiritur in venatore ad jaculandum, quàm in judice ad condemnandum.

22. Quod si supponas venatorem esse cis fluvium profundum, mediisque illum transfretandi carere, ideoque omnem diligentiam humanam hìc & nunc sibi possibilem adhibuisse ut veritatem sciret, atque ab octodecim testibus de visu audiret, animal illud esse lupum, contra duos testes de visu contendentes quod sit homo, neque dum illi licebit sagittam emittere, quia magnitudo mali, quod timetur, adeò præponderat bono, quod ex illa actione speratur, ac malo, quod ex illius actionis omissione imminet, ut ratio statim dictet actionem illam esse omittendam, quia bonum speratum est valdè exiguum, malum autem imminens est summum & alterius prorsus rationis, consistens in jure personali, pro cujus violatione permittenda, nulla unquam dari potest præsumptio. Contra verò in casu judicis eadem prorsus probabilitas sufficit, ut ipsi liceat reum punire, quia malum quod immineret, si juxta allegata & probata non liceret procedere, esset incomparabiliter majus, quàm malum quod timeri posset ex fortuita & rara innocentis occisione. Certè si tanta convictio non sufficeret, tota respublica nefariis hominibus abundaret, nec ullum superesset remedium ad innumera homicidia, furta, aliaque flagitia ex hoc ipso im-

Malum imminens reddit emissionem sagittæ illicitam, & sententiam judicis justam.

pendentia evitanda, quia impiis non adeò difficile foret, invenire duos vel tres complices, qui in favorem illorum falsum deponerent, & sic illos à pœna liberarent, à qua liberati audaciores fierent, totamque rempublicam innumeris gravissimisque malis turbarent. E contrà, si in tali casu liceat hominem punire, hæc mala maximâ ex parte evitantur, & ex alia parte aliud malum non imminet, quàm quod in casu rarissimo innocens occidatur, quia rarissimum est quod octodecim contra duos mentiantur in judicio. Præterea in hoc ipso casu raro omnis diligentia præmissa fuisset, & innocens tanta verisimilitudine probaretur malus, ut nemo prudens posset aliud præsumere, quàm quod verè esset reus.

Argumentum Celladei ex æquivocatione formatum.

23. Atque hinc alia Celladei æquivocatio detegitur. Insurgit ille in eos, qui ad probandum aliquid licere vel non licere in rebus incertis, aut in casu probabilitatis, recurrunt ad malum, quod imminet ex actione, vel ejus omissione: *quasi verò*, inquit, *exactissimè nosse oporteat cætera omnia bona & mala, legem Dei verè nosse, aut circa illam errare intersit vel parùm vel minùs.* Præterea, ut alio loco dicit, *materialis violatio legis divinæ satis magnum malum est tum per se, tum quia aliquod bonum per illam intendebatur, quod materiali illius violatione impeditur.* Unde demùm sic concludit. *Certè mihi indubitatum est, id, quod sufficit, ut occisio hominis sit tibi imputabilis & voluntaria, sufficere, quando nulla occisio, sed sola lex adest, ut hujus violatio tibi sit imputabilis & voluntaria. Ergò & formale peccatum.* æquivocatio in eo est, quod loquatur de lege Dei, ac si certò constaret illam existere, cùm tamen res supponatur esse prorsus dubia ac incerta. In his autem, ut videamus an aliqua actio sit prohibita, reflexè procedendum est, cùm quæstio sæpè directè solvi non possit.

In incertis lex Dei reflexè sæpè non innotescit nisi ex malis ac bonis ab actione & prohibitione provenientibus.

Sicut ergò omnia lege naturæ vetita, ideo prohibentur quia sunt mala, non ideò sunt mala quia prohibentur: ita in tali casu incerto recurrendum est ad mala hinc imminentia, & bona sperata ex eo, quòd actio in talibus circumstantiis liceat nec ne, & ex illis apparebit an talis actio hîc & nunc sit licita vel illicita, quia alia via illud cognoscendi non suppetit. Certè quando agimus de iis, quæ sunt jure naturæ prohibita, illa prohibitio aliundè non innotescit, quàm ex inspectione mali, quod per actionem aliquam inducitur; ex illo enim statim lumine naturæ inferimus, Deum actionem illam prohibuisse. Unde ergò sciemus an in casu dubii actio aliqua sit prohibita vel permissa, nisi consideremus incommoda & commoda, in quibus talis prohibitio vel permissio fundari debet? Certè gratum mihi faciet Celladeus, si independenter ab hac consideratione ostenderit, cur liceat judici scienti & volenti hominem morti addicere ob aliquorum testimonium, & ob eandem planè auctoritatem non liceat venatori, non dico hominem interficere, sed ne quidem remotissimo periculo illum interficiendi se exponere? hæc cùm cogitaverit, & aliam ad difficultatem solvendam rationem non invenerit, quàm magnitudinem mali & boni, ex qua sola scire possumus, an pro istis circumstantiis res sit vetita vel permissa, desinet, credo, insurgere in Auctores, qui ad sciendum an actio aliqua probabiliter bona liceat nec ne, quando certitudo haberi non potest, recurrunt ad damnum tertii, & alia mala ex tali actione imminentia.

Itaque non dicimus tanti esse nosse mala & bona, quanti est scire legem Dei, aut illa tanti, quanti illam, esse facienda; omnia enim contraria docemus. Quod dicimus est, ista duo inter se esse connexa, voluntatem autem ac legem Dei, quæ incomparabiliter pluris est, non nisi per illa mala ac bona nobis innotescere. Hinc autem scimus illa prius consideranda esse, quàm quidquam de ista definiri possit. Quid autem in hoc mali est, quod quisquam meritò reprehendat?

Periculum merè materialis violationis legis minoris fieri debet, quàm alia incommoda gravia.

24. Rursus quod ad materialem violationem legis divinæ pertinet, fateor aliquod inconveniens semper cum illa connecti: cæterùm dico, puram violationem materialem talis legis, utpote involuntariam ac inimputabilem, non tantum mali continere, ut propter aliqualem timorem illud incurrendi, homo teneatur magnis ac inevitabilibus incommodis se gravare; quia illa ipsa incommoda apertè arguunt, directam Dei legem, si quæ sit, hîc & nunc non obligare, sed adesse altam legem reflexam, qua Deus in talibus circumstantiis talem actionem permittit, ne absque ratione sufficienti homo se nimis gravatum agnoscat. Et sanè Celladeus ipse nunquam explicabit, quomodo liceat venatori sagittam emittere ob unius testimonium, qui testis de visu dicit animal illud non esse hominem sed lupum, nisi dicat periculum exiguum violationis purè materialis contra legem Dei, non tanti esse, quanti est hominem in omnibus astringi ad partem tutiorem. Si enim illud pluris est, & multò pluris. Ergò præferendum est. Ergò non est postponendum. Ergò qui tale periculum parvi pendit & minoris facit, quàm jacturam suæ libertatis, eo ipso peccat. Ergò nunquam licet sequi probabile. Ergò Celladeus falsum & periculo plenum docet, quando dicit, probabile esse regulam conscientiæ. Ecce homo iste in omnibus propriis argumentis implicatur, à quibus se extricare nullo modo poterit, nisi damnet ut falsa, quæ contra communem sententiam objicit tanquam argumenta prorsus convincentia.

Celladeus propriis argumentis implicatur.

Plura requiruntur ut periculum homicidii, quàm ut minoris mali periculum honestetur.

25. Demùm quod per modum conclusionis infert, tanquam rem sibi indubitatam, quod scilicet quidquid facit homicidium imputabile, faciat violationem materialem cujusvis legis divinæ imputabilem, est apertè falsum, doctrinæque ipsius prorsus repugnat. Inprimis est apertè falsum, quia judex indubitanter peccaret, si hominem ut reum damnaret, cujus crimen non est prorsus convictum. similiter venator peccaret, qui sequeretur sententiam octodecim contra duos reclamantes, si sagittam emitteret, & hominem casu, ac præter intentionem interficeret. At in aliis negotiis minoris momenti, judex non peccat si ex indiciis levioribus sententiam ferat, quamvis in utroque casu æquè erret, & legem Dei materialiter violet. Ergò indubitatum est, quòd quæ sufficiunt ut homicidium sit voluntarium & imputabile, eadem & minora sufficiunt, ut alia mala non sint voluntaria, nec imputabilia; quia scilicet pauciora in uno casu, plura in alio requiruntur, ut conscientia debitè formetur. Deinde id ipsum sententiæ Celladei expressè repugnat, quia ille docet, quod probabile in omni materia sufficiat, fatetur autem alia esse aliis probabiliora. Rursus ut suam sententiam stabiliat, recurrit ad doctrinam de testibus, ex qua certum est, quod in multis minor probabilitas sufficiat judici, ut licitè sententiam ferat, & excusetur si erret, quàm ut hominem morti adjudicet, & immunis à culpa evadat, si erret. Ergò pro diversis rebus diversa probabilitas

Celladei cōtradictio.

litas

litas requiritur, etiam sistendo in probabilitate speculativa; & minor probabilitas speculativa sufficit in aliquibus quàm in aliis ad fundandam probabilitatem practicam. Itaque Celladeus in his etiam sibi contradicit.

Dictum Celladei in quo sensu sit verum?

26. Unus solus est sensus, in quo dicta Celladei illatio est vera, & est sensus merè formalis ac præcisivus, quo dicimus debitam diligentiam requiri in omnibus incertis, ut excusemur. Hoc verum est, sed ratio exprimens *debitam diligentiam*, est ratio quædam præscindens à multis inferioribus prorsus inæqualibus, quia major diligentia in aliquibus, minor in aliis requiritur, ut notum est: similiter verum est, quod certa probabilitas practica in omnibus sufficiat, sed longè plus ad probabilitatem practicam in uno, quàm in alio casu requiritur.

ASSERTIO SECUNDA.

Admissâ hac Celladei doctrinâ, benigna sententia est recta conscientiæ regula.

27. PROBATUR. Inprimis non solùm quævis opinio directè probabilis contra improbabilem, sed etiam quævis directè probabilior contra minus probabilem habet omnia à Celladeo, & secundùm veritatem ipsam requisita ad regulam conscientiæ: Ergò quævis ejusmodi opinio est recta conscientiæ regula. Probatur antecedens. Primò certum est, quod omnes ejusmodi opiniones nitantur motivo seu apparentia intellectuali plerumque non fallente, tum quia alioquin prudentes insipienter fecissent illi assentiendo, quod de viris summis ac diligentissimis, qui rem illam à fundamentis examinârunt, præsumi non potest; tum quia hoc necessariò requiritur ad essentiam opinionis saltem probabilioris, ut constat ex dictis. Deinde scientia moralis ex ejusmodi conclusionibus integratur, nec alia scientia moralis ab homine haberi potest. At scientia moralis est recta conscientiæ regula. Ergò & opinio saltem probabilior. Tertiò in majori hac probabilitate consistit *probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingit, & ideò sufficit*, ut dicit S. Thomas *2. 2 quæst. 70. art. 2.* Quartò unusquisque prudenter stat majori probabilitati extrinsecæ, seu majori Doctorum auctoritati. Quintò, conclusio probabilior est ratio humana, & optimum quod haberi potest in rebus difficilibus & incertis. Ergò est regula proximè applicans voluntatem Dei, seu primam regulam objectivam, & quidem optima, quam habere possumus. Sextò, *omne illud in re dici debet conveniens naturæ humanæ quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit sive non*, ut ait Vasquez supra citatus. At hoc maximè convenit opinioni probabiliori; & sanè certum est, Vasquez in strictiori sensu non posse intelligi, cùm in terminis admittat, usum opinionis minus probabilis esse licitum. Septimò, rectè creditur alicui vel aliquibus, alioquin instructio ac consilium frustra peteretur ab illis. Ergò rectè creditur illis, quos difficilè est falli, quique plerumque non falluntur. Tales sunt opiniones & auctoritates probabiliores. Ergò rectè illis statur, nec in rebus incertis melior regula aut homini magis idonea haberi potest. Demùm quidquid Celladeus attulit ad probandum, suum probabile esse rectam conscientiæ regulam, id omne æquè probat, opinionem probabiliorem in sensu à nobis assignato acceptam esse rectam conscientiæ regulam.

Primo quoad usum opinionis directè probabilioris.

Alia argumenta id ipsum probantia.

28. Probatur secundò. Si vir peritus dubitet de aliquo, an liceat, tenetur utique tutiorem partem sectari, donec dubium rectè deponat. Ponamus talem hominem diligenter rem examinare, & omnibus inspectis, invenire rationes multò potiores pro libertate quàm pro lege. Hic homo prudenter concludit tale objectum esse licitum. Ergò licitè sequi potest hoc judicium, quia sine vitio opinatur. Ergò sine vitio operatur, quia lex Dei proponitur voluntati sine vitio, ideoque ita afficit illam, ut homo eam sequendo malè non operetur. Ergò omnibus peritis licet suam sententiam sequi. At sua cuique opinio probabilior est, & omnis opinio probabilior alicui est ipsa, quam tenet. Ergò cuique licet sequi opinionem, quæ post diligentem rei discussionem sibi probabilior apparet, & ab ipso habetur absolutè vera. Rursùs idem valet de iis, qui extrinsecâ auctoritate regulantur, quia unusquisque in verbo majoris ac probabilioris auctoritatis prudenter deponit conscientiam. Demùm probatur idipsum universaliter de omni opinione tam intrinsecè quàm extrinsecè probabiliori. Sic enim arguo. Ex *cap. in nostra de testibus & attestat.* aliisque juribus supra *quæst. 38.* ponderatis habetur, quod ex testibus contradicentibus illi præferendi sint, qui cæteris paribus sunt plures; aut etiam numero pares vel pauciores, si omnibus inspectis, qualitate veracitatis, ac meritò fidei prævaleant. Ergò idem planè dicendum est de Auctoribus ac rationibus: qui enim, omnibus inspectis, inveniuntur prævalere, præferendi sunt; quia rationes & Doctores tam sunt fide digni circa jus, quàm testes circa factum. Ergò si judex licitè & prudenter judicat & operatur juxta prævalentiam testium; utique & nos prudenter ac licitè judicamus & operamur juxta rationes ac auctoritates prævalentes, seu probabiliores; eadem enim de utrisque est ratio.

Idem probatur quoad usum æquè & minus probabilis.

29. Hæc argumenta & juxta veritatem rei, & potissimè juxta principia Celladei (quòd solùm nunc quærimus) apertè convincunt, majorem probabilitatem directam, directè sumptam, esse rectam conscientiæ regulam. Immò quod plus est, ex principiis Celladei sequitur, parem vel minorem probabilitatem esse rectam conscientiæ regulam, quia per ipsum in rebus incertis prudenter creditur auctoritati ac rationi plerumque non fallenti. At talis est auctoritas & ratio cujusvis periti & probi qui diligenter quæstionem examinat, & non obstante argumento ac auctoritate in contrarium, ea ratione absolutè reputat aliquid esse verum, quæ adhiberi debet ad hoc ut juxta præscriptum benignæ sententiæ opinionem suam reddat probabilem. Ergò prudenter statur omni ejusmodi auctoritati ac rationi, id est omni opinioni certò probabili. Minor probatur, quia omnis peritus post diligentem rei discussionem sententiam proferens, sæpiùs verum dicit, quàm errat; alioquin stultum esset laborare ac studere ad veritatem inveniendam. Quid enim stultiùs foret, quàm judicium ferre pro veritate invenienda, si debita diligentiâ præmissâ, talique ratione inventa, quam peritus multum prævalere videt, adhuc pronius esset errare quàm verum dicere, aut non sæpiùs verum diceretur, quàm erraretur. Profectò natura malè constituisset homines, si periti, post diligentiam debitam, & rationes validas multum urgentes ac prævalentes repertas,

Periti plerumque non errant.

non sæpiùs verum dicerent quàm errarent, nec quisquam posset illis prudenter credere. Idem argumentum æquè procedit de ratione, qua periti moventur ad assensum. Stultè enim illi assentirent, nisi illa frequentius verum diceret, quàm erraret. Itaque talis solutio argumentorum contrariantium, & talis ratio solutioni illi addita, quæ simul sumptæ aptæ sunt ad peritum & probum post debitam diligentiam alliciendum ad assensum, sunt motivum, quod plerumque non fallit. At omnis opinio certò probabilis nititur tali auctoritate, talique motivo, ut constat, quia periti & probi de facto illi subscribunt. Ergò omnis opinio probabilis ex vi sui motivi plerumque non fallit. Ergò omnis opinio certò practicè probabilis, etiam æquè ac minùs probabilis, est recta conscientiæ regula.

Ratiò, quâ periti sequuntur, plerumque non fallit.

30. Porrò quamvis hoc verum sit, si loquamur de regula remota & objectiva, ut fusè ostendi *in tract. de consc. prob. quæst. 21. 22. 23.* atque etiam *hîc quæst. 2.* Non tamen verum est de regula proxima & formali, quia nemo excusatur, qui sequitur partem, quam, omnibus inspectis, finaliter existimat esse æquè aut minùs probabilem parte contraria, nisi per principia reflexa judicet licitum esse sequi opinionem directè æquè aut minùs probabilem. Ratio est, non quòd careat motivo sufficienti ad conscientiam debitè formandam, sed quia habet formam incompossibilem cum necessario conscientiæ dictamine. Ergò Celladei doctrina reipsa laxior videtur benignâ sententiâ; quia ille aliud non requirit, quàm motivum frequentiùs connexum cum vero quàm cum falso. Hoc non sufficit, nisi insuper bona fides formetur, & omnibus inspectis objectum absolutè habeatur verum, & probabilius opposito.

Opinio æquè ac minùs probabilis qua talis est regula solùm objectiva remota.

31. Quòd si loquamur de sententia benigna, prout illa reflexè procedit, & considerat res ut substantes incertitudini insuperabili, ac certè probabilitati de honestate operis &c. illa juxta præsentem Celladei doctrinam est recta conscientiæ regula, quia nititur auctoritate, ac ratione ferè nunquam fallente. Nec obstat, quòd opinio probabilis secundùm ipsum non sit regula, nisi cum onere, ut homo, quoties acre bellum contra communem sententiam suscitatur, diligentiam adhibeat, & bene videat, an res ita se habeat, sicut dicit communis sententia; nam etsi in communi omnium omninò per integrum sæculum opinione rarò aut nunquam detur onus seu obligatio, quia semper adest prudens præsumptio, quòd homines tam constantem ac unanimem omnium consensum impugnantes hallucinentur, tamen nos hoc onus ultro subivimus. Post clamores enim nuper exortos rem à fundamentis examinavi, omnia adversariorum fundamenta *in tract. de consc. prob.* examinavi, eaque invalida, ac rationibus benignæ sententiæ longissimo intervallo inferiora reperi. Rursus Celladeus reclamavit. Hunc etiam, omniaque ipsius dicta discussi, nilque reperire potui præter æquivocationes, ac falsitates plurimas, quæ nullam contra benignam sententiam exceptionem rationabilem faciunt; sed è contra fundamenta illius benè discussa, ac ritè intellecta, sententiam benignam confirmant. Itaque opinio benigna, jam cessante hoc onere, est, sicut olim erat, recta conscientiæ regula, saltem quoad nos, quibus illa tum ratione, tum auctoritate incomparabiliter prævalet sententiæ rigidæ. Ergò ex admissa Celladei doctrina apertè sequitur, benignam sententiam esse rectam conscientiæ regulam. Mirum proinde est, quid sibi voluerit, dum benignam sententiam impugnandam suscepit, quia cùm ad propriam sententiam explicandam accedit, ea jacit fundamenta, easque assertiones ponit, quibus non impugnatur, sed stabilitur benigna sententia.

Benigna sententia reflexa est recta conscientiæ regula juxta Doctrinam Celladei.

32. Et sanè quoties in propria illius dicta, in probationes ab eo allatas, ac in potiora, quibus utitur, principia oculos conjicio, non reperio in quo à benigna sententia, quam tantopere aversatur, recedat. Omnes enim veram non fictam probabilitatem pro regulanda conscientia requirimus. Omnes absolutum judicium de honestate operis, motivo certo probabili nixum, exigimus. Ille autem aliud non postulat. Putat ille quidem probabilitatem à nobis assertam non esse veram ac realem, sed apparentem, & sic ex mera consuetudine appellatam: sed in hoc apertè errat, & quando ad rigorosam probabilitatis definitionem ab ipso traditam ventum est, ex illa apertè sequitur, probabilitatem à nobis assertam esse veram ac realem probabilitatem. Rursus argumenta quibus suam sententiam corroborat, æquè nostram comprobant, &, quod plus est, ipsemet difficultates, quas contra nos tanquam insolubiles proposuerat, sibi objicit, nullamque solutionem ponit quæ nobis ex æquo non faveat. Præterea non semel insufficienter respondet, & nisi responsionem à communi nostra opinione, responsisque nostris mutuet, difficultatibus illis nunquam satisfaciet. Itaque revera parùm aut nihil discrepat à communi sententia, quamvis toto cœlo se ab illa recedere imaginatur; veritas enim benignæ sententiæ tam perspicua est, ut non potuerit non illam videre, atque in illam incidere, quando, quid sibi sentiendum esset, aperuit.

Celladeus reipsa non discrepat à benigna sententia.

33. Quòd ad onus in peculiaribus casibus diligentiam adhibendi, opinioni probabili annexum attinet, omnes illud agnoscimus, quoties aut peculiares circumstantiæ alterant casum, aut Auctores insurgunt in contrarium, acriterque contendunt, opinionem illam non esse probabilem; aut tutum non esse illam sequi, quamvis sit probabilis. In hisce casibus homines tenentur rem examinare, si exceptio rationabilem metum secum afferat, alioquin contemni potest, ut si Theologaster aliquis, exiguæ prorsus doctrinæ, ac nullius notæ, in communem gravissimorum Auctorum sententiam insurgeret, illamque falsam esse ac periculosam proclamaret. In tali enim casu exceptio talis viri meritò contemneretur, tum quia rationabiliter præsumitur esse nullius momenti, tum quia alioquin quivis sciolus suis clamoribus totam litteratorum rempublicam adeò turbare posset, ut nemo sine nova diligentia ac labore in communi sapientissimorum consensu figere se posset. Extra tales casus onus hoc urget omnes. Ratio autem est, quia in ejusmodi casibus opinio non manet practicè probabilis quoad nos, nisi res iterum examinetur. Itaque in tali casu habetur quidem onus, non quia onus propriè annectatur opinioni probabili, sed quia ratio illa efficit, ne opinio possit amplius prudenter reputari vera, & esse certò probabilis, nisi res de novo diligenter examinetur. Cæterùm quamdiu in rebus incertis opinio manet certò probabilis, nullum onus superest, sed quisque licitè sequitur illam in praxi, modò opinio illa talem praxim cum omnibus illis circumstantiis includat. Sic homo benè valens, & more

Onus opinionis quomodo intelligatur, & quomodo urget?

more consueto cibo indigens, pro refectiuncula vespertina die jejunii sumere post quartam vel quintam partem cœnæ ordinariæ, nec de hoc ulla datur exceptio. Eadem est ratio de omni alia opinione, quamdiu est certò probabilis, & homo in operatione illius præscriptum non egreditur. Itaque Celladeus nova tantùm phrasi usus est, nec quidquam dixit, quòd benignæ sententiæ Auctores aut patenter non supponunt, aut expresè non requirunt, quamvis in hoc ipso minus rectè locutus sit, quia onus illud non est onus opinioni certò practicè probabili annexum, ut ille videtur insinuare, sed est onus sectandi tutiora, donec certò constiterit de opinionis probabilitate, quæ ob difficultates de novo emergentes in dubium quandoque vocatur.

ASSERTIO TERTIA.

Doctrina Celladei de sufficienti conscientiæ regula insufficienter ab illo traditur, doctrinisque fermè omnibus antea ab eo traditis, apertè contradicit.

Doctrina Celladei insufficienter tradita.

34. PROBATUR prima pars. Illa doctrina non sufficienter traditur, quæ non proponitur simpliciter, sed cum limitatione, nisi ipsa limitatio disertè & præcisè explicetur cum omnibus ad eam pertinentibus. Alioquin nil determinatum dicitur, nec habet audiens, in quo pedem figat. Sed Doctrina Celladei de regula conscientiæ non proponitur simpliciter, sed cum limitatione, dicit enim licitum esse sequi opinionem probabilem, non simpliciter, sed cum onere. Ergò limitationem ponit: sed hanc limitationem non explicat, nec dicit quale sit hoc onus, quando vigeat, vel non vigeat, quomodo impleri debeat, quid ad onus deponendum requiratur, ac sufficiat, unde scire possimus ac certificari nos onus illud implevisse, ut sic libero corde ad opus bona fide perficiendum nos extendamus? hæc autem omnia maximè explicanda erant. At nil horum Celladeus. Ergo nil determinatum dicit, sed doctrinam suam insufficienter tradidit. Et sanè vir timoratus, qui doctrinam illius pro regula acciperet, per illam regulari non posset, quia scire non posset, an onus actu incumberet opinioni, quam sequendam eligit. Deinde si onus in se assumeret, non posset scire, an oneri satisfecisset, quia per Celladeum major probabilitas, & auctoritas duorum, aut plurium Doctorum non sufficit, ut quis, eam sequatur. Quid ergò faciet iste miser? dicam: cogetur in omnibus ad tutiora, quia adhibet regulam, per quam nunquam dirigi poterit, ut sit tutus, si minus tuta sectetur. At regula à Celladeo proponitur eo fine, ut ostendat, nos non semper obligari ad tutiora. Hæc planè convincunt doctrinam hanc insufficienter traditam esse, eamque, ut tradita est, esse prorsùs ineptam ad finem, cujus causa illam tradidit.

35. Probatur secunda pars. Quando dicitur, quòd opinio verè probabilis sit regula conscientiæ, peto, an sermo sit de probabilitate vera, ac reali & quoad se? an de probabilitate vera & reali quoad nos? si primùm, Celladeus ponit non regulam pro regula, sibique contradicit, quia probabilitas vera & realis quoad se certò sciri non potest, cùm per ipsum probabilitas illa haberi nequeat sine veritate, & consequenter non minùs lateat, quàm ipsa veritas. At ipsa veritas latet, ideoque stultum esset, ipsam veritatem in rebus incertis ponere pro regula. Ergò non minùs absurdum est probabilitatem talem pro regula ponere, cùm utraque ex æquo lateat, & discerni non possit. At de ratione regulæ est, ipso, ut vidimus, Celladeo fatente, ut sit quid constans, stabile, ac notum. Ergò & veritati, & sibi contradicit, si talem probabilitatem proponat pro regula. *Celladei contra plurimas priores doctrinas contradictio.*

36. Si secundum, sensus est iste: quando constat opinionem aliquam niti auctoritate aut ratione plerumque non fallente, & vel nulla exceptio apparet in contrarium, vel si aliqua apparet, illa examinata & remota est, tunc illa opinio sumi potest pro regula. Et sanè existimo hanc esse veram mentem Celladei; si enim aliter loquatur, pro conscientia dirigenda inintelligibiliter loquitur. Sed si hoc dicat, omnibus fermè prius à se dictis contradicit. Jam enim opinio probabilis quoad nos, non quoad se, erit regula. At multæ ex ejusmodi opinionibus sunt falsæ, ut patet. Ergò jam opinio falsa sæpè est regula. At omnis opinio falsa per Celladeum continet probabilitatem & veritatem merè sophisticam, inanem & phantasticam. Nulla opinio falsa est peritia, sapientia, & prudentia; sed error, stultitia & imprudentia. Rursus nulla opinio falsa nititur motivo gravi, sed solùm aëreo, phantastico, & sophistico. Hæc omnia fusè tradidit in superioribus, & ex his ipsis capitibus conatus est probare, benignam sententiam non proponere regulam sufficientem, quia probabilitas sophistica, inanis, & phantastica, apparentia imperita, insipiens ac imprudens, motivum leve & aëreum, non sunt regula sufficiens pro conscientia regenda, sed ad hoc requiritur motivum grave, judicium peritum, doctum, prudens, probabilitas vera, non ficta, inanis & sophistica. Ergò ex doctrinis Celladei certum est, nullum judicium falsum esse idoneam conscientiæ regulam. Ergò hoc loco omnibus illis doctrinis, magnificè vehementerque à se propositis, apertè contradicit, quia proponit hîc pro regula opinionem probabilem quoad nos, cui omnia illa per ipsum toties conveniunt, quoties contingit opinionem illam esse falsam, quod certè sat frequens est. Ergò talis opinio est, & non est regula. hisce aliisque ejusmodi nunquam se extricabit Celladeus, nisi omnes priores illas doctrinas, ut inanes, & sophisticas rejiciat, & nobiscum tandem manus jungat, atque iterum communi verissimæque sententiæ subscribat, quam olim amplexus est; sed à quatuordecim circiter annis mirum in modum est aversatus. *Si loquatur de probabilitate quoad nos, multò magis tibi contradicit.*

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA.

Utrùm qui sequitur opinionem certò probabilem, formare possit conscientiam certam & evidentem, quòd in tali opere non peccet?

Cur quæstio hæc instituta?

1. I ad vitandum peccatum, aut ad honestè operandum sufficeret dictamen probabile de non peccato, seu de actionis honestate; id nullo modo officeret, sed potiùs prodesset benignæ sententiæ, ut per se patet. Itaque non esset opus examinare quæ Celladeus *lib. 3. quæst. 2.* proponit, ubi fusè conatur ostendere, nullam certitudinem aut evidentiam requiri ad vitandum peccatum aut honestè operandum; sed meram probabilitatem ad utrunque sufficere; non, inquam, opus esset hoc examinare, si finem præsentis tractatus solùm respiceremus; quia si verum diceret, per hoc ipsum faveret, non obstaret benignæ sententiæ. Nihilominus quia *in tract. de consc. prob.* multis in locis, præsertim verò *quæst. 13.* docui ultimum dictamen conscientiæ regulans opus honestum, aut arcens peccatum, esse debere certum & evidens, nolui hanc Celladei quæstionem præterire, ne omitterem solvere illa quæ contra hanc communissimam ac verissimam sententiam singulariter objicit.

Celladei opinio in hac re est prorsus singularis.

2. Quod spectat ad opinionem, quam hac in quæstione sequor, illa est omnium, quod sciam, præter Vasquium & Thomam Sanchez, qui tamen haud dubiè intelligendi sunt de dictamine simpliciter non ultimo, alioquin sibi contradicerent, ut constat ex dictis *quæst. 13 de consc. prob.* Porrò Celladeus ipse apertè fatetur, nostram sententiam esse *communissimam*, eam tamen deserit, & singulari Vasquii & Sanchii opinioni ita adhæret, ut nobis prorsus contraria dicat, cùm quæ Sanchez & Vasquez afferunt cum opinione nostra rectè cohæreant. Negat enim certitudinem haberi posse etiam per principia Synderesis reflexa; cùm tamen Vasquez expresè fateatur posse nos ad talem certitudinem pervenire, quamvis existimet necessarium non esse, ut illa semper habeatur. Cæterùm, ut candidè fatear, Celladeus adeò confusè hanc quæstionem tractat, ut vix sciri possit, quid præcisè intendat. Inprimis loquitur, ac si expresè teneret, neminem in rebus incertis ac probabilibus posse ulla ratione conscientiam certam formare, quamvis id hoc loco nullibi sub terminis expressis absolutè tradat. Deinde inter arguendum non distinguit inter ultimum & non ultimum conscientiæ dictamen, qua distinctione habita totus illius discursus funditus ruit. Tertiò citat S. Thomam, & ex illo prætendit ostendere, quæstionem hanc procedere de subjecto non supponente, cùm tamen S. Thomas expresè nobiscum sentiat, & locus, quem affert, nulla verisimilitudine intentum probet. Alia plura habet, partim falsa, partim confusa, quæ prout occasio tulerit, in progressu quæstionis exponam, & confutabo. Sit ergò.

ASSERTIO PRIMA.

Sæpè formamus dictamen certum & evidens, quòd non peccemus in operatione nostra. Immò sæpè hoc facimus, quando nec certum est, nec evidens, quòd objectum, in quod ferimur, sit moraliter honestum.

3. PROBATUR prima pars. Quòd sæpè habeamus conscientiam certam & evidentem, non solùm de non peccato, sed etiam de honestate operationis, negari non potest, nisi pariter negetur, nil prorsus esse evidenter honestum. Certè evidens est Deum esse colendum. Parentes esse honorandos. Non furandum. Non occidendum &c. Ergò de istis formamus judicium conscientiæ certum & evidens, quod liceant. Aliquando sumus certi nos non peccare.

4. Probatur secunda pars, primò exemplis indubitatis. Fideles Christum in Eucharistia adorantes, certò sciunt se per hoc non peccare, quamvis certò non sciant Christum in hostia, quàm adorant, verè latêre. Pueri certò & evidenter sciunt, se non peccare non obediendo viro, qui non est illorum pater existimatus, nec ullam superioritatem super illos habere existimatur, quamvis ille verè sit pater, cui puer ille determinatus obedire tenetur. Pueri tamen non habent certitudinem aut evidentiam, quòd talis homo non sit eorum pater, ut patet. Judex juxta allegata & probata, ferens sententiam, certò scit, se hominem damnando ad mortem non peccare, nec tamen certus est, quòd homo, quem condemnat, sit nocens. Plura alia ejusmodi exempla sunt obvia, sed ista sufficiunt. Etiam quando non sumus certi nos non errare circa objectum, in quod ferimur.

5. Probatur secundò. Tales homines, etsi reflectant super possibilitatem erroris in suo judicio directo, & sic aliquo modo de illius veritate formident, nullatenus tamen solliciti sunt, an hactenus peccaverint, aut in posterum similia præstando peccaturi sint. Ergò minùs formidinis & plus certitudinis habent de vitando peccato in voluntate, quàm de non errore in intellectu. Principium tribuens hanc majorem firmitatem dat omnimodam certitudinem. Talia sunt omnia principia illa, quibus reflexè probavimus usum opinionis certò probabilis esse licitum. Hic unum solum pono Exempli gratia. Tales homines sciunt se vel non errare, vel invincibiliter errare in talibus judiciis. Ex hoc autem certò & evidenter inferunt, se in talibus non peccare. Vitium peccati formalis certiùs innotescit, quàm vitium peccati materialis.

6. Probatur tertiò. S. Augustinus *in lib. de utilitate credendi* totus in eo est, ut ostendat fidem, etiam fallibilem, & aliquando falsam, esse utilissimam, & excusare homines à peccato, etsi aliquando errent. Nominatim autem disserit de pueris, qui patri putativo non vero obedientiam filialem exhibent. Ergò Augustinus reflexè disputans

sputans de hac re, cognovit pueros illos non peccare, etiam quando errant. Ergò datur principium ex quo hoc cognosci possit. Similitèr & nos ipsi hac de re loquentes certi sumus quod non peccent, nec de hoc dubitamus, etsi sciamus plures illorum in suis judiciis de rebus ipsis, earumque merito errare. Ergò sicut verum est, quod non peccent, etsi errent, ita hoc ipsum cognoscibile est. Jam hæc veritas cognoscitur ex lumine non fallaci, sed certo & evidenti, utpote quo omnes naturæ instinctu in unum judicium conspirant, quod nunquam evenit in rebus ac principiis inevidentibus. Et sanè non credo, Celladeum negaturum, aut in dubium revocaturum hæc in particulari, quæ nunc proposui, etsi ita loquatur, ac si prætenderet, conscientiam nunquam esse evidentem. Quòd si hæc & hisce similia negaverit, facilè negabit omnia, & ab omni scientia morali evidentiam tollet; quia nil in tota scientia morali certius aut evidentius est, quàm istiusmodi homines taliter operando non peccare.

ASSERTIO SECUNDA.

Propositum sit explicare, ac indicare ex quibus principiis, & quomodo dictamen reflexum certum ac evidens formetur.

Filius unde certò scit, se non peccare obediendo patri putato & non aliis.

7. PRINCIPIUM Synderesis reflexum, ex quo dictamen certum & evidens formatur, diversum est pro diversitate materiæ, circa quam versamur. Filius sic discurrit. Nemo tenetur illi obedire ut patri, de quo nullam habet, aut habere potest rationabilem suspicionem, quod sit suus pater, seu de quo nulla unquam incidit mentio quod fuerit ipsius pater, sed per publicam famam ab ipsa infantia semper continuatam alius habitus est pater. Sed nullam habeo, nec habere potui suspicionem quòd iste sit meus pater, immò nulla unquam incidit mentio, quod fuerit meus pater, sed semper ab infantia alius per famam publicam habitus est, & habetur pater meus. Nec ulla apparet, aut unquam apparuit ratio, cur hoc in dubium revocaretur. Ergò non teneor obedire huic homini ut patri. Ergò non pecco si illi non obedio ut patri. Hic est discursus, quem omnes etiam pueri exercitè & virtualiter formant, quoties negant obedientiam illis, ut patribus, qui publica fama habentur, & semper habiti sunt non esse patres ipsorum. Similes discursus formari possunt in aliis materiis, in quibus nunquam desunt principia Synderesis reflexa omnibus obvia, quæ alteri minori particulari adjungi non possunt, quàm certæ & indubitatæ experientiæ de qualitate informationis, quam habemus & habere possumus de tali objecto, ut probatum est *quæst. 12. de consc. prob.* Atque hinc est, quòd, quoties illa minor adest, intellectus, qui naturaliter consultat de eis, quæ ad honestatem & inhonestatem nostrarum operationum pertinent, non possit non respicere in ista principia Synderesis omnibus obvia, quia illa facillimè excitantur, quoties adest illa minor, quæ ipsis solis applicari potest ad formandam conscientiam.

ASSERTIO TERTIA.

Quoties aliquis habet opinionem certò probabilem de honestate operationis seu operis; intellectus ex vi talis opinionis formare potest judicium certum & evidens, quòd non peccet ponendo opus illud.

Sequens opinionem probabilem format conscientiam certam de non peccato.

8. PROBATUR. Quod usus cujusvis opinionis certò probabilis directè sit licitus, est probabilissimum, quia si objectum directè propositum reflexè consideretur in ordine ad circumstantiam probabilitatis directæ, & moralem impossibilitatem veritatem certò inveniendi, aliasque ejusmodi circumstantias, probabilissimum est, quòd objectum illud sit licitum; quia benigna sententia hoc asserens nititur auctoritate rarò aut nunquam fallente, fundaturque rationibus, vi suæ magnitudinis non solùm plerumque, sed rarò, aut nunquam fallentibus, ut evidens est non solùm ex *quæst. 2. 22. & 23. de consc. prob.* sed etiam ex toto hoc opere, maximè duabus quæstionibus superioribus, & antea *ex quæst. 2.* Ergò benigna sententia, in hoc proprio ejus sensu accepta, est etiam juxta strictissimam Celladei definitionem probabilissima. Ergò unusquisque, cui auctoritas, & rationes quibus nititur, perspectæ sunt, prudenter, rationabiliter, ac sine ullo vitio intellectus illi assensum præbere potest. Eo ipso autem, quòd illi assensum talem præbeat, sciatque qualitatem sui judicii, intellectus utens principiis Synderesis reflexis formare potest hunc syllogismum. *Qui post diligentiam adhibitam, omniaque considerata, prudenter, rationabiliter, atque certò probabilissimè judicat aliquid esse licitum, non peccat si illud ponat. Sed ego hic & nunc post diligentiam adhibitam, omniaq; considerata, prudenter, rationabiliter, atque certò probabilissimè judico hoc objectum esse licitum. Ergò non pecco, si illud ponam.* In hoc discursu major est principium Synderesis reflexum, estque haud dubiè certum & evidens. Minor est etiam cognitio experimentalis reflexa de judicio, ac ejus qualitate evidenter nota. Conclusio legitimè deducitur, est autem dictamen conscientiæ, quo ad operandum homo dirigitur. Jam certum est, quòd quoties habemus opinionem certò probabilem practicè, toties hujusmodi syllogismus formari possit, & consequenter toties intellectus possit consurgere ad eliciendum dictamen certum & evidens, quod non peccet illud ponendo, quod erat probandum.

Omitto alia plurima, quibus assertionem stabilire possem, quia illa sæpè ac fusè tradita sunt, tum *in tract. de consc. prob. à quæst. 19. usque ad 24.* tum etiam in toto hoc opere ubi videri possunt. Hîc autem ideo hunc Syllogismum attuli, quia fundatur in definitione opinionis probabilis à Celladeo traditæ, ut sic non solùm simpliciter, sed etiam ad hominem demonstrarem intentum contra ipsum, atque ut ansam arriperem solvendi, quæ objicit in contrarium.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Conscientia aliquando errat.

9. OBJECTIO prima. Quæstio hæc est de subjecto non supponente, quia S. Thomas *quæst. 17. de veritate articulo 2* post octo argumenta proposita, ad probandum quòd conscientia non possit errare, opponit illud *Joan. 16.* Venit.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Unde infert conscientiam errare, quia conscientia eorum, qui occidebant Apostolos, dictabat eos placere Deo. Deinde ostendit conscientiam dupliciter errare posse. Primò quia id, quod applicatur, & assumitur, est falsum. Secundò quia non benè applicatur, sed intellectus illo malè utitur non rectè syllogizando. Ergò dictamen conscientiæ potest esse falsum & errare, quia si dictamen conscientiæ non erraret, nec ipsa conscientia erraret, ut patet. Ergò conscientia potest esse erronea, quando dictat se non peccare, aut honestè agere. Ita Celladeus *lib. 3. quæst. 2. §. 1.*

Respondeo. Concedo totum. Quid hoc ad rem? Omnes fatemur, conscientiam sæpè errare. Nec hoc in præsenti quæritur, sed an conscientia certa & evidens elici possit, quando sequimur opinionem certò probabilem, aut etiam probabiliorem? hoc autem non improbatur ex eo, quod conscientia aliquando erret, ut patet.

S. Thomas tenet conscientiam excusantem esse certam.

10. Cæterùm quod attinet ad S. Thomam, ille *quodlibeto 8. art. 13.* apertè indicat operantem debere esse certum, ad hoc ut à peccato excusetur. Unde factum est, ut omnes communiter citent S. Thomam pro opinione, quæ docet neminem à peccato excusari, qui moraliter saltem certus non est, se non peccare in illa actione. Itaque dicere quòd oppositum juxta doctrinam S. Thomæ sit de subjecto non supponente, est assertio, quæ non solùm omni fundamento destituta est, sed etiam, quæ apertæ veritati repugnat. Contendere autem id legitimè probari ex loco, quem Celladeus citat, est arguere absque ulla verisimilitudine, quia S. Thomas aliud eo loco nec intendit, nec probat, quàm quòd conscientia aliquando erret, quod est verissimum, & à nemine negatur. At hinc non magis sequitur, quòd nunquam habeat dictamen certum & evidens, aut quod non habeat illud quando non peccat, aut quando operatur juxta opinionem certò probabilem, quam sequatur, quòd intellectus nunquam habeat judicium certum & evidens, quia aliquando errat.

Celladeus incongruè applicat doctrinam S. Thomæ, & inconsequenter arguit.

Quod autem attinet ad ultimam illam consequentiam, quòd conscientia errare possit, quando dictat se non peccare, fateor id esse verum de conscientia vincibiliter erronea. At si loquamur de conscientia invincibiliter errante, agnosco idem esse verissimum de dictamine non ultimo. Sed inde non sequitur, quod non detur aliud judicium posterius, quod cum veritate proponat, opus illud fieri absque peccato. Idem valet à potiori, quando reflexè sequor opinionem probabilem, quia tunc sicut reflexè scio, me vel non errare, vel errare invincibiliter, ita reflexè scio, me non peccare peccato formali, seu imputabili. Sed de hoc plurima alia dicta reperies *tum in hoc, tum in tract. de consc. prob.*

Objectio principalis Celladei.

11. Objectio secunda. Si certum conscientiæ dictamen elici posset ex opinione tantum probabili, illud esset ex vi alicujus principii reflexi, per syllogismum reflexum. At hoc modo tale dictamen formari non potest, ut patebit ex impugnatione syllogismorum reflexorum, qui afferri possunt. Ergò tale dictamen non potest ex probabilibus formari. Probatur minor. Inprimis sumatur iste syllogismus reflexus. *Licet usus probabilitatis: sed datur probabilitas de non usura hujus contractus. Ergò licet usus hujus probabilitatis. Ergò juxta eam contrahendo non pecco.* Hic syllogismus non est demonstrativus; quia minor; quæ est particularis assumpta, non est evidens, nec demonstrari potest, sive sermo sit de probabilitate extrinseca, sive intrinseca. Extrinseca probabilitas hujus determinatæ opinionis demonstrari nequit, quia opiniones etiam communissimæ aliquando habent exceptionem, opiniones etiam summorum Doctorum exceptionem patiuntur, quia *quandoque bonus dormitat Homerus.* Quòd si loquamur de probabilitate intrinseca, longè absurdius est existimare nos posse illam certò discernere, quia semper versamur in materia probabili, quæ certè per cognitionem certam ac evidentem probari nequit. Præterea probabilitas variè accipitur, ideoque si omnia inspiciantur, tam facilè erratur circa probabilitatem, quàm circa veritatem. Rursus etsi minor particularis esset vera & evidens, adhuc conclusio non posset certò & evidenter inferri, quia potest esse error in applicatione particularis doctrinæ ad meum casum. Ponamus certum esse, quòd labor gravissimus deobliget à jejunio, adhuc est dubium an labor meus sit talis, quia res istæ quoad cognitionem tanti & quanti, sunt ex natura sua incertæ. Ergò in talibus est impossibile assequi certitudinem & evidentiam. Ita Celladeus §. 2. ubi admittit majorem hujus syllogismi esse certam & evidentem, si sermo sit de probabilitate, quam ille definivit, atque illa sumatur cum *onere*, sicut explicavit *lib. 3. quæst. 1. §. 2.* Itaque iste syllogismus reflexus non certificat conscientiam. Idem valet de aliis. Ratio universalis est, quia tota certitudo & infallibilitas nostrorum actuum sumitur primitùs ab objectis. Ergò nunquam fieri poterit per ullam reflexionem, ut sit aliquid certitudinis in cognitionibus reflexis, quod non fuerit in directis. Ergò si cognitiones directæ claudicent, reflexæ etiam necessariò claudicabunt. Ita Celladeus.

Responsio, & crassa Celladei æquivocatio.

12. Respondeo incipiendo ab ultima parte objectionis, & libens fateor, totam actuum certitudinem & evidentiam ab objectis, eorumque propositione primitùs derivari; unde agnosco pariter, nullam in mente nostra evidentiam reflexam oriri posse, quamdiu nil aliud proponitur, quàm quod per actus directos propositum fuit. Verùm hæc doctrina ad rem præsentem nil facit, quia principium synderesis reflexum considerat objectum cognitionis directæ in ordine ad novam aliquam circumstantiam, quam actus directus non repræsentabat; considerat enim illud prout, post diligentiam adhibitam, substat judicio probabili ac prudenti de honestate operis. Itaque certitudo principii reflexi derivatur ab objecto actus directi, non præcisè secundùm se, sed ut proponitur sub talibus circumstantiis. Jam hæc circumstantiarum mutatio est radicale fundamentum objectivum benignæ sententiæ, in quo cùm Celladeus tam crassam æquivocationem patiatur, ut dicat judicium reflexum non posse quidquam certitudinis habere, quod in cognitionibus directis non præcontineatur, quia objectis invariatis nulla in actuum certitudine variatio potest contingere, mirum non est, quod in omnibus ad rem hanc spectantibus à veritate aberret, ut mox ostendam, quia supponit nullam in objectis alterationem fieri, cùm ingens alteratio in ordine ad formandum conscientiæ dictamen evidenter eluceat.

Evidens Celladei contradictio.

13. Et sanè ipsemet in hoc ipso loco doctrinæ hic à me traditæ tanquam evidenti subscribit, & sic intra paucas lineas sibi apertè contradicit.

Fatetur,

Fatetur enim majorem dicti syllogismi esse evidenter veram, cùm tamen illa non sit nisi cognitio reflexa, considerans objectum directum, ut substans judicio probabili. Hæc ergò cognitio reflexa certa est & evidens, ac evidenter enunciat objectum substans judicio probabili esse licitum; certum tamen est judicium probabile directum non enunciare hoc evidenter, sed solùm probabiliter. Ergò evidens est ex mente Celladei, quòd judicium reflexum aliquando evidenter enunciet honestatem objecti, ut substantis judicio directo, licet nulla ejusmodi evidentia reperiatur, aut in judicio illo directo, aut in objecto illius. Ergò evidenter sibi contradicit.

Judex certior est se non peccare ferendo sententiam, quàm se non errare in sententia ferenda.

14. Cæterùm ut omnes videant, aliquid certitudinis reperiri in reflexis, quòd in directis cognitionibus non continetur, consideranda sunt nonnulla exempla, ex quorum inspectione veritas hæc sponte patebit. Judex absque ulla formidine peccandi fert sententiam in favorem partis probabilioris, immò ob testimonium duorum vel trium testium de visu, contra quos nemo excipit, hominem capitis condemnat. Peto jam an Judex non sit securior & certior in sua conscientia de suo non peccato, quàm sit de jure tertii, aut de crimine accusati? Peccátne Judex in ferenda sententia, si in judicio directo erret; eò quòd testes falsi, & instrumenta vitiata proferantur? Nihil minùs, ipse non peccat, etsi decipiatur, & optime scit se non peccare, quamvis probè norit judices in similibus casibus nimis frequenter decipi, ac in judiciis directis errare. Ergò plus certitudinis est in judiciis reflexis, quàm in directis. Rursus possessor bonæ fidei, si, orto dubio an res possessa ad alium pertineat, post diligentiam ad veritatem indagandam adhibitam res maneat dubia; aut utrinque æquè probabilis, ille tutâ conscientiâ rem illam detinet, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ergò cognitio reflexa de licita continuatione possidendi rem aliquam, prout substat dubio insuperabili an ad alium pertineat, est certior, quàm sint ullæ cognitiones directæ de licita ejusdem retentione. Quid plura? errans invincibiliter, non peccat. Et hoc objectum reflexè cognitum est certum & evidens. Error tamen directus nec certus est, nec evidens. Omitto exempla alia obedientis in dubio, & conjugis in dubio valoris matrimonii reddentis debitum, & alia ejusmodi, quia notoria sunt, & omnes sciunt illos esse reflexè securissimos, etsi ex vi cognitionum directarum nullam non peccandi certitudinem habeant. Ergò evidens est plus certitudinis reperiri in reflexis cognitionibus, quàm in directis, quas reflexæ necessariò præsupponunt. Ratio est, quia objectum verè alteratur, & per reflexas cognitiones consideratur in ordine ad novas circumstantias, quæ relatæ ad operantem & conscientiam ipsius alterant objectum, & consequenter diversum ac certius de illius honestate vel inhonestate judicium fundant, quàm objecta ipsa directè considerata fundare possint.

Regula Celladei absurda, periculosa, improportionata.

15. Respondeo secundò. Quòd ex his clarè apparere incipiat, quàm inanis sit totus hic Celladei tractatus *de recta doctrina morum*. Ille *lib. 3. quæst. 1.* totus est ut probet, probabilitatem esse rectam conscientiæ regulam. Mox *in hac quæst. 2.* omnia invertit: asserit enim, omnique conatu probare intendit, quòd impossibile sit ut in particulari unquam certò sciamus hanc peculiarem opinionem, quando praxi deservit, esse probabilem. Cùm primam quæstionem legerem, expectabam me doctrinam pro conscientia debitè formanda utilem reperturum, scilicet regulam cui fidere, ac per quam dirigi possem; sed non prius accessi ad *quæstionem 2.* quin me omni spe fraudatum statim intellexerim; nam *in hac quæst.* contestatur, probabilitatem non minus latere, quàm veritatem, fierique non posse, ut de probabilitate certi simus. Proh! qualem nobis regulam proponis, Celladee? Regulæ est, ut sit quid notum, ut certò discerni possit, ut ad illam, tanquam ad mensuram certam confugere debeamus, atque per illam, certò apprehensam; opera nostra certò dirigere possimus. Cur ergò proponis probabilitatem pro regula, si per te ita lateat, ut à nemine certò discerni possit? Nónne hoc est non regulam pro regula exhibere, atque incauto lectori, magna spondendo, nil præstando, illudere? Nec illudis tantùm, sed plurimùm noces. Probabilitas, quam proponis, in regulam assumpta, te fatente, certò discerni non potest, sed in illa dignoscenda non minori periculo; quàm in ipsa veritate cognoscenda subjacemus, quia non minùs latet, quàm veritas. Ponamus ergò, quod ex centum vicibus, in ea dignoscenda quinies erretur. Ergò jam ex centum vicibus circiter decies errabit, & contra legem Dei impinget, qui regulam à te propositam sequitur. Neque hîc sistit miseria. Novam adhuc defectibilitatem in applicatione regulæ ad nos ipsos agnoscis. Ergò jam ex centum vicibus, si duo hæc capita in unum coalescant, ad minimum decies errabitur, idque ex propria rei difficultate, quæ talis est, ut humana imbecillitas ad eam melius penetrandam, & certius cognoscendam extendi nequeat.

Absurditas ejusdem regulæ amplius declaratur.

16. Hisce tribus, ipse tu tertium errandi periculum superaddis, nempe amorem proprium, passionem excæcantem, odium erga alios &c. *quibus*, ut ais, *facilè decipimur*. Si facilè decipimur, frequenter decipimur. Junge hæc omnia in unum, & invenies te regulam conscientiæ proponere, quâ qui centum vicibus utitur, ex ipsa tua doctrina facilè trigesies, vel ad minimum vigesies errat, & contra Dei legem agit. Et quidem hoc periculum adeò inevitabiliter ex tuis principiis imminet, ut homo hanc regulam eligens, ex una parte apertè videat hoc periculum, & ex altera parte noc habeat, nec ex tuis principiis habere possit dictamen, quo certificetur se in usu regulæ non graviter peccaturum, si contigerit illum ex ullo ex dictis capitibus in suo judicio errasse. Hæc est substantia, hæc medulla tuæ doctrinæ, Celladee, & hanc opinionem tuam, hanc regulam à te præscriptam audes specioso illo titulo *rectam doctrinam morum* appellare? si regula tam fallax, tam periculosa, tam rationi dissona, tam frequenter cum Dei offensa, quantum scimus, conjuncta, dici meretur *recta doctrina morum*, quæ demum regula, à Catholico scriptore proposita, dicenda erit curva, aut distorta? Tu unus contra omnes insurgis; omnes ut nimis laxos, eorum doctrinam ut periculosam, nimisque frequenter cum violatione legis conjunctam rejicis, quamvis illi unanimiter contendant, nullum formalis offensionis periculum, aut legis obligantis violationem timeri; immò si omnia spectentur, nullam ne quidem, propriè loquendo, violationem materialem intervenire, quia reflexè considerant objectum in ordine ad novas circumstantias, in quibus nunquam prohibetur; ideoque

ideoque per novam consultationem homo format dictamen certum & evidens, quòd operando non peccet. Itaque illi regulam proponunt, quam omni peccandi periculo immunem prædicant, suisque sequacibus non peccandi securitatem spondent, hujusque sponsionis ac securitatis veritatem efficacissimis, ac, velis nolis, argumentis convincentibus probant. Tu verò unanimi hac Theologorum doctrina, eaque consolationis plena, penitùs explosa, tanquam periculo plenissima, novam assignas regulam, cujus sequacibus nullam non peccandi securitatem, sed inevitabilem frequenter errandi, Deumque, quantum sciunt & scire possunt, offendendi necessitatem tribuis. Et adhuc per hoc ipsum audire vis egregius doctrinæ sanæ zelator, corruptæque doctrinæ haberi zelantissimus Reformator. Patere, Celladee, patere cum hoc dicere, qui non suam solùm, sed omnium Ecclesiæ Doctorum contra te causam defendit. Reflecte paulisper ad hæc, eaque absque passionis impetu considera, & mox videbis, quàm periculosum sit, in rebus præsertim moralibus, tritam & communem omnium Auctorum opinionem deserere, novamque contra omnes doctrinam, ac morum regulam invehere.

Objectio Celladei solvitur.

17. Respondeo tertiò directè ad singula in argumento proposita: atque inprimis major syllogismi propositi, etsi non sit nota ex terminis, est tamen non solùm moraliter, sed absolutè certa & evidens, ut fusè ostensum est *in tract. de consc. prob.* multis in locis maximè *quæst. 19. & quatuor sequentibus.* Minor frequentissimè est evidenter vera, ut supra *quæst. 16. & 17.* ostensum est. Porrò quando ob aliquam novam circumstantiam dubium oritur, an opinio aliqua sit probabilis, tunc non licet illam sequi, nisi priùs per rationem vel auctoritatem probabilitas rei certò innotescat. Unde Celladeus, & omnes facilè vident, nos non esse laxos, ut quidam autumant, sed valdè severos in exigenda regula certò prudente, seu certò probabili & rationabili. Porrò quod ad probabilitatem nostram, quam Celladeus, ut elevet, *consuetam* appellat, attinet, illa ex ipsa Celladei definitione est tam propriè probabilitas, quàm ulla ab ipso assignata, ut ostensum est in superioribus.

Judex certus est de probabilitate suæ sententiæ, sed non de ejusdem veritate.

18. Cæterùm satis mirari non possum, quid Celladeo venerit in mentem, cùm negaret ullam probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, certò posse innotescere. Quid? Nónne Judex certus est de probabilitate extrinseca juris alieni, aut criminis objecti, quando per instrumenta & testes idoneos jus aut crimen sufficienter probatur? Nónne homines communiter certi sunt de probabilitate, quòd tales sint, alii non sint ipsorum Patres? profectò nil certiùs. Unde illi omnes, per conclusionem in dicto syllogismo contentam, certissimam conscientiam formant, se non peccare taliter operando. Et sanè nemo, præter unum Celladeum, hactenus dubitavit, quin probabilitas certò innotesceret, etsi certitudo de veritate objecti lateret; omnes enim contrarium aut expresè tradiderunt, aut apertè supposuerunt. Sed illi libet in hoc etiam singularem esse, & omnes contra apertam veritatem impugnare. Contra apertam veritatem, inquam, quia evidens est ex allatis exemplis, quòd homines certissimi sint de probabilitate, etsi non sint certi de objecti veritate. Evidenter ergò errat Celladeus, dum dicit, homines tam facilè errare circa probabilitatē, quàm circa veritatē.

Opiniones & testes sæpè nullam sufficientem exceptionem patiuntur.

19. At instat. Opiniones communissimæ nonnunquam patiuntur exceptionem. Quid inde? Certè aliquando exceptionem non habent. Ergò tunc saltem sunt certò probabiles; sicut testes dictum suum certò probabile reddunt, quamdiu nemo excipit contra illos. Ergò idem prorsùs valet de testimonio Doctorum. Ergò sæpè evidens est, aliquam opinionem esse extrinsecè probabilem. Rursùs non omnis exceptio impedit probabilitatem: si enim pauci & minoris notæ Auctores excipiant contra assertum plurium & fide dignorum, talis exceptio non impedit certam probabilitatem extrinsecam nec in testibus nec in Auctoribus, ut ostensum est *quæst. 38.* Demùm Auctores sæpè excipiunt contra veritatem, non tamen excipiunt contra probabilitatem, sed fatentur opinionem, quam falsam reputant, esse probabilem. Tales ergò exceptiones non tollunt probabilitatem. Demùm rationes quas illi afferunt, qui excipiunt, sæpè inveniuntur prorsus invalidæ ac insufficientes, & talis est casus præsens de exceptionibus contra benignam sententiam. Ergo illa est evidentissimè probabilis, tam extrinsecè quàm intrinsecè; quia evidenter nititur auctoritate rarò aut nunquam fallente. Unde si illa supponatur pro minori in dicto syllogismo, ut nos fecimus in probatione tertiæ assertionis, minor erit evidenter vera, & conclusio sequetur in forma. Ergò per discursum reflexum certificamur de non peccato, etsi per discursum directum de hoc non certificemur.

Maximi Doctoris opinio est probabilis; donec exceptio sufficiens feratur contra illam.

20. Idem responsum valet de opinione maximi cujusdam Doctoris, v. g. S. Thomæ, quia quamdiu non patitur exceptionem, est certò probabilis extrinsecè, cùm nitatur auctoritate plerumque non fallente. Quòd si exceptionem patiatur, qua non veritas, sed qua probabilitas illius impetitur, non erit amplius certò probabilis, donec exceptio examinetur & nulla inveniatur. Jam verò quando duo Doctores summi, ut S. Thomas & S Bonaventura docent contraria, & singuli post visa alterius fundamenta in sua sententia persistunt, nulla fit exceptio contra probabilitatem, sed utraque manet certò probabilis, ut ostendi dicta *quæst. 38.* ubi attuli disparitatem inter Auctores & testes, & ostendi contrarias Auctorum opiniones esse simul probabiles, etsi asserta testium æqualium contradicentium probabilia non sint.

Probabilitas intrinseca sæpè certò discernitur.

21. Idem prorsus valet de probabilitate intrinseca, quia in casibus innumeris illam evidenter discernimus, ut mirum sit, Celladeum potuisse proferre contrariam propositionem. Nónne evidens est, quòd matres plerumque ament suos filios, & consequenter quòd hæc mater, contra quam nulla exceptio apparet, probabiliter suum filium diligat. Quis non videt, quod sit evidenter probabile, eadem puncta ex fortuito alearum jactu decies consequenter non esse reditura? Ecce frequenter datur evidentia de probabilitate intrinseca, etsi de veritate rei nulla detur evidentia. Idem prorsus valet de rationibus, quibus auctores moventur, dum veritatem rimantur; illæ enim ex qualitate ac numero non minùs patefaciunt intrinsecam probabilitatem, quàm qualitas ac numerus testium probabilitatem extrinsecam manifestant, ut patet.

Sæpissimè nullus est error in applicatione opinionis probabilis.

22. Demùm sæpissimè nullus est, aut esse potest error in applicatione doctrinæ particularis, ut exempla à Celladeo proposita evincunt; si enim labor gravissimus à lege jejunii deobligat, utique omnes pedibus iter conficientes, omnes in vinea fodientes, omnes in area tritu-

triturantes, omnesque pari cum istis labore per totum diem fatigati certissimè excusantur, quia evidens est, omnes istos gravissimo labore distineri. Idem dicas de quantitate vespertinæ refectiunculæ jejunantibus permissæ: si enim illa ullâ determinatâ quantitate, sive per uncias, sive per partem aliquotam cœnæ ordinariæ, probabiliter statuatur, evidentissimum cuique esse potest, se quantitatem illam non excedere, & consequenter se in refectiuncula illa jejunium non violare, sed opinioni verè probabili se accommodare. Idem valet in omnibus fermè opinionibus probabilibus: sæpissimè enim evidens est, nullum esse defectum in applicatione doctrinæ ad casum personæ doctrinâ illâ utentis. Quæ cùm adeò evidentia sint, mirum est, tantam lucem à Celladeo pro tenebris fuisse habitam.

His tamen non obstantibus, omnes fatemur, difficultatem in opinionis probabilis applicatione sæpiùs intervenire. Verùm simul docemus, neminem tunc ex vi illius opinionis tutò conscientiam formare, sed peculiarem diligentiam adhibendam esse, ut vel ex proprio studio, vel certè ex auctoritate aliena certi simus, nos pro rei qualitate debitam diligentiam adhibuisse, atque probabili saltem persuasione de honestate operis dirigi. Hoc est onus, quod omnibus, qui benignâ sententiâ utuntur, injungimus, quà in re Celladeo præluximus, qui phrasi illâ suâ, *cum onere*, nil novi docuit, ut jam proximè dictum est.

Objectio 3. 23. Objectio tertia. Aliqui fundant se in hoc syllogismo reflexo: *quidquid fit præmissa consultatione cum medico in rebus medicis, cum Theologo in Theologicis, uno verbo cum perito in re, de qua consultatur, id sine peccato fit, sequendo eorum consilium. Sed ego eam consultationem præmisi, & habeo eorum responsum. Ergò sequendo eorum consilium non pecco.* Et sic discurrunt. Major est certa. Minor intuitivè evidens. Conclusio evidenter sequitur in forma; est autem hæc conclusio dictamen conscientiæ, quo ad operandum dirigimur. Ergò ex probabilibus consurgimus ad formandum certum conscientiæ dictamen. Verùm contra est, quia concedere istum syllogismum esse demonstrationem, plus est, quàm omnes omninò librorum opiniones facere tutas; quia quæ libris eduntur, majori consideratione perpensa sunt, quàm quæ ore respondentur. At nemo dixit, omnes omnium librorum opiniones esse tutas. Ergò multò magis repugnat, omnia peritorum responsa esse tuta. Itaque major propositio: *Quidquid prævia peritorum consultatione facimus, sine peccato facimus*: miseranda est potiùs quàm admittenda; est enim propositio, ex qua infinita mala nascuntur, litium, bellorum &c. Si liceret exempla proferre, viderent homines, quantum illa major & suis & reipublicæ rebus præjudicet, & omnia ad potentiam resolvat. Potentiæ enim consilia, & Consiliarii nunquam desunt. Ita Celladeus. loco citato § 2.

Responsio. Respondeo Celladeum intra paucas lineas mirum in modum suam mutare sententiam. Prioris syllogismi majorem admisit ut evidenter veram; majorem verò hujus syllogismi, quæ in majore prioris syllogismi involvitur, vult esse evidenter falsam, ex qua nempe omnia fermè mundi mala ortum trahere existimat. Unde tanta diversitas? Dicam: nullum hîc de minore aut ejus applicatione dubium, nulla tergiversatio esse potest, sicut poterat in priori syllogismo; quare contra majorem insurgit, cùm illa moderatè ac debitè intellecta semper fundetur in indubitata probabilitate extrinseca, & consequenter quoad omnia evidentissimè includatur in majori syllogismi prioris.

Celladeus reipsa negat quod antea concesserat.

24. Itaque dico, majorem paulò aliter propositam esse lumine naturæ evidenter veram. Et sanè nil evidentius, quàm quòd universaliter rejici non possit tanquam inevidens. Cogitemus virum aliquem doctrinæ ac sanctitatis famâ toto orbe celeberrimum (quales erant suo tempore Ambrosius, Augustinus, Thomas, & Bonaventura, nec similes omni ævo defuêre. Tales fuêre nostro hoc sæculo Bellarminus, Suarez, aliique innumeri) quem idiota aliquis tanquam oraculum super ordinario aliquo suæ conscientiæ dubio consulat. Supponamus etiam, quod Doctissimus iste vir respondeat, illud de quo idiota dubitabat esse licitum. Dico certum esse & evidens, quòd idiota ille non peccet, si in verbo tanti viri conscientiam deponat, & bona fide operetur. Quid enim evidentiùs, quàm idiotam prudentissimè tali viro credere? Nónne etiam evidens est, illum omnia fecisse, ad quæ tenetur pro conscientia sua debitè formanda. At evidens est eum non peccare, qui postquam omnia fecit ad quæ tenetur, sequitur dictamen certò prudens de honestate sui operis, quique non nisi imprudenter de honestate illius dubitare potest. Ergò evidens est, talem idiotam non peccare. Præterea evidens est, quòd si errat, invincibiliter errat. Ergò evidens est, quod non peccet.

Qui sequitur consilium, cui prudenter assentitur, non peccat.

25. Idem videre est in subditis, qui ex obedientia aliorum directioni subsunt. Illi enim, non solùm idiotæ, sed etiam docti, licitè obediunt in omnibus, ubi manifestè non apparet peccatum. Saltem juxta omnes evidens est, quòd non peccent obediendo, quando res injuncta est probabiliter licita, & probabilior quàm pars opposita. Ergò per reflexum syllogismum certificantur quòd non peccent, licet ex vi directi syllogismi de rebus secundùm se talem certitudinem non habeant. Itaque Celladeus evidenter falsus est, dum universaliter excepit contra majorem dicti syllogismi.

Subditus certus est se non peccare obediendo in re probabiliter licita.

26. Porrò quando dicimus, majorem illam esse universaliter veram, non illam accipimus in sensu Celladei, nec crudè dicimus: *quidquid prævia consultatione facimus, sine peccato facimus*, quia multi ex industria consulunt minus peritos, alii adhibent adulatores, aut de quibus meritò suspicari possumus, ne vitio adulandi, quæ placitura, non quæ vera sunt, dicant. Alii, maximè si sint periti, sæpè vident consilia & rationes, quibus consultores nituntur, non sufficienter probare intentum, sed esse falsas aut debiles &c. Alii nec tot nec tales consultores adhibent, quot magnitudo rei, & bonum publicum postulat, sed suos tantùm in propria causa consulunt, cùm impartiales & interesse non habentes consulere deberent &c. In hisce & similibus casibus tuti non sunt, qui tali solùm consultatione præmissa, ad opus progrediuntur; sicut nec illi, qui sufficienti consultatione præmissa, adhuc titubant, & bonam fidem non formant. Itaque ego non minùs, quàm Celladeus, excipio contra illam propositionem, *quidquid præviâ consultatione fit, sine peccato fit*, & dico illam esse non solùm miserandam potiùs quàm admittendam, sed absolutè dico, eam esse prorsùs intolerabilem & evidenter falsam; quia multi ob defectus notatos, aliosque ejusmodi, nec coram Deo nec coram hominibus tuti sunt, qui tamen præmissa consultatione

Non omne licitè fit, quod ex prævia consultatione fit.

sultatione faciunt, quod consiliarii licitum esse dicunt.

Syllogismus reflexus demonstrativus de non peccato.

27. Itaque sensus majoris illius est iste. *Quidquid in rebus verè incertis fit præmissa consultatione, juxta qualitatem rei, cum probis & peritis, de quibus nulla esse potest prudens suspicio, quin rectè munere suo fungantur, id sine peccato fit, si bona fide ex eorum consilio fiat.* Huic majori subsumitur ista minor. *Sed ego præmisi consultationem juxta rei qualitatem cum probis & peritis, de quibus nulla esse potest prudens suspicio, quin rectè suo munere fungantur; & illorum auctoritate confisus formo bonam fidem, & credo, quòd verum dicant. Ergò sequendo eorum consilium non pecco.* Hic syllogismus reflexus est demonstrativus, & frequentissimè locum habet in minus peritis. In peritis autem frequenter locum habet, toties scilicet, quoties illi non habent causam suspicandi, consiliarios non ritè functos esse officio suo.

Majoris evidentia declaratur.

28. Jam quòd major sit evidens, ex eo patet, quòd omnia excludat, ob quæ præcipitatio & temeritas in sequendo alieno consilio incurri possit. Præterea si ista propositio non esset certa & evidens, consultationes frustra adhiberentur, quia quibuscumque præmissis, adhuc periculosum esset illis fidere. Unde enim potest esse quies & certitudo animi, si illa ex consultatione, qualem proposui, non procederet? Profectò semper vacillandum esset, quia plus fieri non potest, quàm quod propositio illa præscribit. At nil evidentius, quàm quòd consultationes sint utiles ac necessariæ ad conscientiam ritè formandam, quòdque illis debitè peractis juxta illas liberè procedendum sit. Ergò major illa propositio est evidens. Rursus evidens est, assensum illum de honestate rei esse probabilem & prudentem, qui tali consultatione & resolutione nititur. Ergò evidens etiam est, opus à tali persuasione profectum non esse imputabile & peccaminosum. Minor sæpissimè est evidens. Consequentia legitimè deducitur.

Syllogismus allatus nullum inconveniens involvit.

29. Jam hunc syllogismum pro regula admittere non est plus, quàm omnes omnium librorum opiniones ut licitas proponere; quia hic & nunc nulla est, aut esse potest prudens exceptio contra consilium datum. At contra multas opiniones plures sunt validæ exceptiones; aliquæ enim damnatæ sunt ab Ecclesia, aliæ à gravissimis Auctoribus tanquam improbabiles rejectæ, ut patet. Præterea etsi opiniones majore maturitate scribi, quàm responsa ore dari videantur, id tamen reipsa non est verum, si de proborum ac peritorum resolutionibus loquamur, quia illi de consuetis & facilibus diligentiam scriptoribus ipsis non imparem præmiserunt; de difficilibus verò antequam respondeant, non minorem quàm si scriberent, & sæpè majorem, quàm multi scriptores, diligentiam adhibent. Demùm mala quæ Celladeus enumerat, quæque proferendi licentiam cupit, locum non habent ex usu hujus syllogismi, ut patet.

Objectio 4.

30. Objectio quarta. Ponere in actibus nostris talem conscientiæ securitatem, præmissa humana consultatione, qualem haberemus, si Deum ipsum consultorem haberemus, nimiæ præfidentiæ est. At nos talem ponimus, quia dicimus operantem habere certitudinem ac evidentiam quod non peccet, si humanum consilium sequatur. Ergò nimis præfidenter loquimur. Ita Celladeus §. 3.

Responsio.

Respondeo inprimis, nos paritatem non admittere; nam certitudo quam habemus, dum Deus ipse loquitur, est certitudo fidei, quæ major est, nobilioris que ac altioris ordinis, majusque & nobilius meritum fundat, quàm certitudo naturalis, qualem ponimus in illis, qui sequuntur directionem consilii humani.

Certitudo peccandi sequendo consilium humanum, non fundatur in auctoritate humana.

31. Respondeo secundò, certitudinem, de qua loquimur, non fundari in auctoritate humana, nisi occasionaliter ac remotè, quatenus illa constituit novam circumstantiam, in ordine ad quam objectum, quod illa proponit ut licitum, consideratur. Jam lumen, à quo tota certitudo nostra dependet, provenit à principio synderesis reflexo, & ab evidentia actuum nostrorum, quod lumen à solo Deo est, non ab humana auctoritate, ut patet. Itaque certitudo non in humanam auctoritatem, sed in lumen à Deo immediate participatum resolvitur. In hoc autem non nimis præfidenter de nostra certitudine, sed magnificè, ut oportet, de providentia Dei loquimur; ipse enim reflexam hanc certitudinem nobis misericorditer providit, quando ad illam per cognitiones directas pervenire non possumus.

Multa impediunt certitudinem non peccandi in actibus humanis.

32. Objectio quinta. Multa obstant contra prætensam hanc conscientiæ certitudinem. Ergò non est admittenda. Inprimis sollicitudo aliqua, & aliquod salutis æternæ studium omnibus necessarium est. At impossibile videtur, quod possimus taxare hanc sollicitudinem per mensuram aliquam determinatam. Secundò etsi mensura esset nota & certa, adhuc incertum esset, an mensuram illam expleverimus, an remissiores extiterimus. Tertiò omnes Auctores requirunt diligentiam aliquam pro invenienda veritate morali. At impossibile nobis est ita determinare mensuram hujus diligentiæ, ut certò dicere possimus, *tantum requiritur, & non plus.* Quartò non sumus certi nos segniores non extitisse. Quintò multi afferunt orationem necessariò adhibendam esse. Sextò alii exigunt emundationem conscientiæ, & vitiorum fugam, humilitatem &c. quia anima non munda facilè fallitur, & omnes quotidie experimur, eadem objecta diversimodè affectis diversa apparere. Ex his sequitur impossibile esse, quòd semper & in singulis actibus certo ac infallibili dictamine sciamus, *Ego hoc docendo, vel hoc operando non pecco.* Ad hoc enim requiritur, ut certò sciam, me in studio salutis atque in diligentia veritatem investigandi, in corde mundando, in Deo orando, nil eorum omisisse ad quæ teneor. Ita Celladeus §. 3.

Multæ doctrinæ sunt evidentes independenter à bonis moribus utentium illis.

33. Respondeo inprimis, transeat totum: non enim asserimus quod in omnibus actionibus nostris habeamus hanc evidentiam, sed solùm quòd sæpè eam habeamus: quod certò negari nequit in filiis respectu parentum existimatorum; in rudibus, qui gravissimos & sanctissimos consulunt; in Judicibus, qui testibus juratis contra quos nulla est exceptio, credunt: ad certitudinem enim istorum & similium, nil eorum, quæ Cella- comminiscitur, necessarium est, sed omnia fermè æquè locum habent in infidelibus, qui nullam salutis curam gerunt, ac in fidelibus, qui Deo cum omni diligentia serviunt. Nec mirum, quia etsi passiones ac vitia animum excæcent, non tamen penitùs extinguunt lumen rationis, sed illa adhuc benè percipit quædam notissima, qualia sunt ea, quæ proposuimus, quæque facilè deducuntur à primis principiis synderesis sive directis, sive reflexis. Jam ad hoc genus ea omnia pertinent, quæ in tertia assertione proponuntur, quia doctrina illa non dependet à moribus illâ utentis. Itaque ille certus est se non peccare, dum illam

illam sequitur, modo non utatur ulla opinione, quam non evidenter novit esse probabilem. Præterea quando versamur in incertis, & sequimur opinionem communem, quæ Celladeus commemorat, non nisi in gradu valdè mediocri sunt necessaria. Certùm autem est, ea omnia in mediocri gradu ab omnibus fermè benignæ sententiæ Auctoribus fuisse præstita.

Auctores benignæ sententiæ omnem suam obligationem haud dubiè impleverunt.

34. Respondeo secundò, omnia hæc ad eos tantum aut præcipuè spectare, qui quæstiones morales solvunt, suisque doctrinis alios docent. At hoc nil facit ad casum nostrum, quia loquimur de sequenda opinione, quam omnes plurium sæculorum Theologi doctissimi sanctissimique tradiderunt esse verissimam, qua in re nulla superest difficultas, cùm non sit prudens ratio dubitandi, quòd omnes isti Doctores erraverint, nec locus detur suspicioni prudenti, quòd tota Ecclesia in re tanti momenti, tamdiu & tam periculosè erraverit. Itaque haud dubiè cessat obligatio rem hanc ulterius ventilandi. Ego tamen aliique complures, post novos adversariorum clamores, de novo rem, quàm maxima potuimus diligentia, examinavimus: certum autem est, quod major in rebus humanis sub præcepto non cadat. Neque ad hoc dignoscendum opus est nisi scripta eorum evolvere, qui à viginti aut triginta annis de hac re scripserunt; illicò enim apparebit, quòd tanta in hac re diligentia usi sint, quanta in rebus maximis postulari potest. Porrò iidem Auctores fuerunt viri, qui non exiguum suæ salutis studium habuerunt, & quidem longè majus, quàm sub præcepto cadat. Cæterùm quamvis difficile ac fortasse nobis impossibile sit determinare, quænam sit præcisa mensura studii pro salute adipiscenda, ac diligentiæ pro invenienda veritate sub præcepto necessariæ; nihilominus impossibile non est magnam aliquam taxam assignare, ac certò affirmare, quòd quidquid ad illam pertingit impleat mensuram nobis præceptam. Sic, licet in particulari scire non possimus, quot præcisè obolorum furtum requiratur, ac sufficiat ad peccatum mortale; nihilominus certò scimus, centum scuta esse materiam gravem, nec quisquam de eo dubitat. Jam ergò certum est plurimos ex benignæ sententiæ Auctoribus omnia ista abundantissimè explevisse; atque insuper ita in orando Deo, in conscientia mundanda, & in mortificandis passionibus eminuisse, ut toti mundo tanquam perfectæ sanctitatis exemplaria eluxerint. Hinc licet suspicari possimus, homines diversis affectibus & passionibus non benè regulatis esse obnoxios, quando videmus eadem objecta diversimode illis apparere; nihilominus quando eadem objecta per multa temporum spatia omnibus eodem modo apparent, signum evidens est objectum illud debitè perceptum fuisse. Hic est casus præsentis controversiæ; quia per integrum sæculum omnes omninò tenuerunt benignam sententiam. Quòd sermo sit de usu opinionis directè probabilioris, nemo præter Celladeum dubitavit an esset licitus. Jam ergò si unus contra omnes, aut pauci contra incomparabiliter plures, qui paucis illis non solùm in nullo inferiores, sed in multis imò in omnibus superiores sunt, insurgant; & objectum idem aliter illis quàm aliis omnibus appareat, suspicio est, illos paucos non esse debitè dispositos, & defectum apparentiæ non objecto, sed malæ eorum dispositioni tribuendum esse. Hoc autem maximè locum habet in casu nostro, quia post diligentissimum examen omnium, quæ pro se contra communem opinionem afferunt, invenimus illa aut ex statu quæstionis malè intellecto, aut certè ex miris æquivocationibus ortum habuisse, ac nil prorsus probare; unde dicimus ac scimus, benignam sententiam illorum oppositionibus nil probabilitatis perdidisse, sed magnum exinde certitudinis suæ incrementum acquisivisse.

Adversariis potiùs quàm nobis timendum est.

35. Præterea moraliter certum est, nil eorum, quæ Celladeus requirit, omissum fuisse à plurimis benignæ sententiæ Auctoribus, quamvis id non ita constet de singulis: an autem certitudo hæc locum habeat in paucis illis, qui benignæ sententiæ adversantur, aliorum judicium esto, non enim quemque judico; pro se unusquisque respondere debet. Consulamus ergò conscientias nostras, & si in aliquo defecerimus, emendemus quod minus rectè patratum novimus, vel timemus. Ego certè ex animo cum Jobo & dico & sentio: *si habuero quidquam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor, & cùm invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam*: stultum enim esset homini velle cum Deo contendere, etiam in iis, quæ certò novit se rectè fecisse, quia pro illis Deo grates referre, seque coram Creatore suo tanquam illis indignum humiliare debet, non autem de illis extolli ac gloriari sicut Pharisæus, qui dicebat, *jejuno bis in sabbato &c.* Cæterùm in quæstione præsenti haud dubiè longè magis timendum est adversariis, quàm nobis: illi enim contra unanimem Theologorum omnium sententiam inducunt opinionem novam: illi alios omnes, etiam doctissimos ac sanctissimos, doctrinæ periculosæ damnant: illi omnibus, qui antea multa conscientiæ pace fruebantur, timores incutiunt &c. Hæc autem omnia contra communem proborum doctorumque opinionem faciunt. Timendum ergò illis est, ne res tantas sine summa diligentia, sine magna conscientiæ puritate, atque sine ferventi divinæ opis imploratione contra communem fidelium sensum & consensum tradiderint. Si certi non sint, se hæc omnia præmisisse, timere possunt ne muneri suo non satisfecerint.

Job 9. 15. & 16.

Argumentum retorquetur.

36. Demùm, ut argumenti hujus ponderationem retorqueam, peto à Celladeo, an existimet, se in nullo totius sui libri paragrapho scribendo certitudinem saltem moralem habuisse, quòd in eo tradendo non peccaverit? si dicat, se in nullo prorsus talem certitudinem habuisse, ex animo viro compatior, quòd sine ulla necessitate se in tantum periculum conjecerit, & hortor, ut in posterum à tali periculo se subtrahat; quia meliùs est oculum eruere, aut etiam pedem abscindere, & à fama per librorum editionem etiam licitè captanda se subducere, quàm in omni assertione proponenda peccandi Deumque offendendi periculo se exponere. Si autem dicat, se ita de aliquibus formidare, ut de multis, imò de plurimis moralem certitudinem habeat, se illa proponendo non peccasse; eo ipso sibi contradicit; quia jam in plurimis admittit certitudinem reflexam, etsi directè loquendo de illis evidentiam & certitudinem non habeat; quia nimis patens est, Celladeum ex iis, quæ contra benignam sententiam profert, nil prorsus demonstrasse, aut certis argumentis comprobasse.

37. Objectio sexta. Hic syllogismus reflexus: *Qui facit, quod absolutè putat esse licitum, non peccat, sed ego absolutè puto hoc esse licitum. Ergò hoc faciendo non pecco*: non probat intentum, qui major est certò falsa. Itaque major debet hoc modo formari,

Objectio 6.

formari. *Qui facit quod putat esse licitum non peccat, si nihil eorum prætermisit quæ debuit.* Jam huic majori subsumi debet minor. *Sed ego puto hoc esse licitum, & nihil prætermisi eorum quæ debui.* At hæc minor non est certa & evidens, sed solùm probabilis illis, qui in salute animæ procuranda verè diligentes sunt. Ita Celladeus §. 3.

Qui bona fide sequitur dictamen conscientiæ, non peccat practicè ratione illius actûs.

Respondeo Celladeum ex proprio capite formasse hunc syllogismum; nemo enim affert illum pro sufficienti conscientiæ regula, & multò minùs pro syllogismo evidenter concludente. Immò omnes expressè supponunt, majorem illius simpliciter sumptam esse falsam, quia omnes unanimiter docent, dari peccata ignorantiæ, multisque de causis peccari posse in eo, quod homo putat non esse peccatum, sed bonum. Cæterùm si sermo sit de peccato imputabili ratione sui, & non ratione alterius, prior ille syllogismus verus est, quando nulla prorsus adest supicio mali, quia nullum peccatum ex pura ignorantia est imputabile ratione sui, sed solùm ratione ignorantiæ vel erroris, à quo provenit, si enim error non esset imputabilis, neque actus ab errore regulatus imputari posset. Ergò tota imputabilitas talis operationis ab erroris vel ignorantiæ imputabilitate dependet & desumitur, quod latè probatum est *in tract. de consc. prob. quæst. 13.* fermè per totum. Item *quæst. 17. à num. 31. usque ad finem & quæst. 25. à num. 42.* de qua re iterum plura dicentur inferiùs *quæst. 65.*

Argumentum Celladei totum ejus intentum evertit, & probat certitudinem reflexam sine directa.

38. Cæterùm nos aliter proferimus majorem, & dicimus, illum non peccare, qui facit quod certò prudenter credit esse licitum, & alia ejusmodi addimus, quibus non solùm omnis falsitas ab illa excluditur, sed ipsa ejus veritas certissimè habetur. Et quia Celladeus ipse non potest negare, quod major illa, *qui facit quod putat esse licitum, non peccat, si nil eorum prætermisit, quæ facere debuit*, sit evidens, ex illa totum ipsius intentum evidenter evertitur, & assertio nostra certissimè stabilitur. Inprimis illius intentum in eo potissimùm consistit, quòd putet impossibile esse, ut per principia reflexa certificemur de non peccato, quando certitudo in actibus directis non habetur: at hoc evidenter evertitur ex hoc ipso syllogismo reflexo, quem proponit: quia evidens est rudes, qui in suis dubiis consulunt homines, magnæ peritiæ ac probitatis fama celebres, nil eorum prætermittere ad quæ tenentur, ut informationem accipiant, quam in opere sequantur. Ergò quando rudes talium virorum dictis credunt utique majori illi addunt minorem evidentem, & consequenter eliciunt conclusionem evidentem, quæ est dictamen conscientiæ certum & evidens quod operatio sit licita. Ergò per reflexa principia certificamur de non peccato, etsi de illo per directa nullam certitudinem habere possimus, idque non raro sed frequentissimè, quia casus directionis per homines peritos eorumque responsa est frequentissimus, non in pueris tantùm & rudibus, sed etiam in magis instructis, immò etiam in peritis, illisque omnibus, qui magnam suæ salutis curam gerunt.

Idem argumentum efficaciter probat benignam sententiam.

39. Quòd autem ex eodem principio sententia nostra, & assertio posita certissimè stabiliatur, ex eo constat, quod qui post diligentiam magnam adhibitam, & omnes adversariorum clamores auditos, eorumque argumenta seriò perpensa, invenit illa esse malè fundata; è contra verò percipit argumenta benignæ sententiæ esse potentissima, hic rationabiliter subscribit benignæ sententiæ, & putat universalem opinionum certò practicè probabilium usum esse licitum; quia subscribit auctoritati ac rationibus non solùm plerumque, sed ferè semper non fallentibus. Rursus ille idem nil eorum omisit ad quæ tenetur, quia qui sequitur communem aliorum omnium opinionem, & unà cum peritis & probis examinat ea, quæ in contrarium objiciuntur, illaque invenit esse invalida, absque dubio facit omnia ad quæ tenetur in ordine ad judicium de illa opinione formandum, quia alia onera illi ex obligatione imponere apertæ rationi repugnat. Quòd si Celladeus in eo se figat, quod homo mediocrem saltem salutis curam adhibere teneatur, parique sollicitudine conscientiam mundare, & lumen à Deo petere ne fallatur, aut fallat, ista haud dubiè reperiuntur in multis non solùm ex antiquis, sed etiam ex recentioribus benignæ sententiæ patronis, & unusquisque de seipso hac ex parte facilè discernere potest, an talem diligentiam præmiserit. Ergò qui conscii sunt, se talem diligentiam præmisisse, illi utique per certam conclusionem inferunt usum benignæ sententiæ esse sibi licitum. Atque ita ex hoc ipso syllogismo veritas benignæ sententiæ stabilitur, & certificamur quòd omnes tales hac in re licitè sequantur suam sententiam. Idem valet de iis omnibus, qui ab illis diriguntur, modò rationabiliter præsumant, unanimem tot auctorum consensum esse fide dignum, illique ut absolutè veræ ob extrinsecam auctoritatem consentiant.

40. Ecce Argumenta Celladei probant, non improbant tertiam assertionem, & quidem hoc ultimum argumentum, juxta omnia ejus postulata acceptum, ita illius opinionem evertit, ut nostram stabiliat. Cæterùm post tantam diligentiam impensam, quantam Auctores benignæ sententiæ impenderunt, nulla superest obligatio ad ulteriorem inquisitionem de illius veritate; sed unusquisque prudenter illi assensum præbet, modò argumenta & auctoritates dictæ sententiæ apud ipsum prævalcant. Idem dico non solùm de omnibus opinionibus communibus, sed etiam de quibusvis certò probabilibus practicè. Ratio est, quia cùm in istis humana diligentia præmissa sit, nec ulla spes proxima affulgeat veritatem certiùs cognoscendi, haud dubiè nemo tenetur rem ulteriùs investigare, sed cuique licitum est, talem opinionem amplecti, modò illa sit certò probabilis juxta præscriptum benignæ sententiæ. Et sanè maxima mundi pars talia investigare nequit, pauci possunt, nemo per se loquendo tenetur, nisi fortè quis in se recipiat onus talem quæstionem suâ etiam auctoritate confirmandi: hic enim ex suo officio teneretur eam diligenter examinare. Sed hoc est per accidens ad præsentem quæstionem, ut patet.

ASSERTIO QUARTA.

Doctrina Celladei, si vera esset, aut mundum scrupulis impleret, omnésque nimium timidos ac perplexos in Dei obsequio redderet, aut hominibus imponeret onus intolerabile, quod constat à Deo nobis impositum non fuisse.

41. PROBATUR. Si Celladei sententia esset vera, tutiora vel essent, vel non essent in omnibus sectanda. Primùm esset onus hominibus intolerabile, quod Deus certissimè non injunxit, ut constat ex *quæst. 9.* Quin & Celladeus ipse

Sententia Celladei aut scrupulos non ferendos, aut

onus intolerabile secum duceret, si assumeretur pro regula.

ipse absurdum putat, talem obligationem hominibus injungi. Secundùm, omnes continuis scrupulis ac conscientiæ remorsibus inquietaret, magnoque Deum offendendi timore atque perplexitate agitaret, quoties non haberent directam certitudinem de honestate operis, quod faciunt. Ratio est duplex: prima est, quia nescirent an sequerentur opinionem probabilem, cùm per Celladeum probabilitas non minùs lateat, quàm veritas. Ergò meritò formidarent ne fortè sequerentur opinionem improbabilem. At qui sequitur opinionem improbabilem (etiam veram) peccat, quia non sine temeritate se exponit periculo sectandi dictamen imprudens & stultum, seu non regulam pro regula. Præterea in eodem casu alia adesset formido peccandi, nempè contra legem; nam quamvis opinio appareret probabilis, adhuc timor esset, ne esset falsa, quia ex ipsa natura probabilitatis apparentis necesse est, ut aliquando à vero aberret. Hi duo timores inseparabiles essent ab omni operatione circa partem minus tutam. Ergò esset periculum non exiguum errandi in alterutro. At ex quocumque illorum capitum error contingeret, homo peccaret. Ergò non posset non angi timore ac periculo non exiguo Deum offendendi, ne scilicet vel uteretur non regulâ pro regulâ, vel certè ne regulâ erroneâ uteretur.

Eadem sententia nullum dictis malis remedium relinquit.

42. Secunda ratio est, quia ex sententia Celladei, negantis dari ullam certitudinem reflexam ubi deest certitudo directa, nunquam certi sumus nos non peccare. At nemo potest non quodam conscientiæ remorsu angi, qui facit, de quo metuit ne sit offensa Dei; quamvis absolutè credat oppositum; quia judicium probabile non excludit ejusmodi formidinem. Ergò homo toties aliquo modo contra conscientiam, ejusque remorsum ageret, quoties minus tuta sectaretur. Ergò semper in sua conscientia exponeret se periculo peccandi. Ergò semper perplexus esset an peccaret. Similiter post opus, semper perplexus esset, an peccasset nec ne? an teneatur confiteri nec ne? & sic totus mundus scrupulis necessariò impleretur. Ergò alterum ex positis in assertione inevitabiliter sequitur ex doctrina Celladei.

Eadem scrupulosorum remedium moraliter impossibilitaret.

43. Confirmatur, quia pro homine scrupulosioris conscientiæ, qui ob minimam apparentiam formidat Dei offensam, nullum superesset remedium ad eum timore suo liberandum; nil enim certi, cui niteretur, proponi posset; sed è contra omnia remedia eisdem timendi rationibus obnoxia essent, quibus malum, cui medendo adhiberentur, subjacet. Timerent enim primò, an probabilia sectarentur. Secundò timerent, ne probabilia sectantes à vero aberrarent, & sic Deum offenderent. Tertiò reflexè crederent, quod in nullo casu possent habere certitudinem non peccandi. Ergò semper angerentur formidine peccandi, nec ab illa extricari possent. At timor ille est unicum malum, quo vexantur, & ratione cujus terrore ac quadam perplexitate concutiuntur. Ergò nullum esset pro illis remedium. Immò è contrario necesse foret, ut omnes, salutis suæ studiosi, in hujusmodi scrupulos, timores & perplexitates inciderent, quia corda illorum semper arctarentur timoribus prædictis, nec unquam illis liberari possent, cùm ratio ipsa, & propria eorum conscientia ac opinio semper dictaret causas timendi adesse, ac ut præsentes proponeret.

In sententia Celladei,

44. Probatur secundò. Positâ sententiâ Celladei, omnis operans formaret judicium hujusmodi. Ego puto me non peccare hîc & nunc, sed fortè decipior & pecco; quia hæc formido naturaliter conjuncta est cum opinione probabili. Rursus per reflexum discursum nulla certitudo consurgeret. Ergò omnis operans signatè vel exercitè ex propriæ conscientiæ dictamine ita esset dispositus, ut existimaret se fortè Deum offendere. At opus tale est peccatum, tum quia non fit ex bona fide, tum quia nequit fieri absque contemptu Dei: quomodo enim non contemnitur Deus ab eo, qui juxta ultimum conscientiæ suæ dictamen, ita dispositus est, ut dicat, *puto quidem me Deum non offendere, sed certus non sum, & fortasse eum graviter offendo.* Certè talis homo legem non offendendi Deum, eùmque super omnia totisque viribus diligendi non videtur implere. Quomodo enim Deum totis viribus amat, quomodo ejus offensam toto corde detestatur, illumque rebus omnibus præfert, qui minùs tuta sectando periculo illum offendendi sciens & volens se exponit? Nûnne præfert exiguum bonum temporale periculo Deum offendendi? Ergò talis operatio est incompossibilis cum observatione præcepti Deum supra omnia diligendi. Ergò est peccatum. Rursus hoc ipsum reflexè cognoscitur. Ergò homo non solùm semper perplexus esset an Deum offenderet, sed etiam haberet conscientiam reflexam de suo peccato. Hæc sunt absurda, quæ inevitabiliter sequuntur ex opinione Celladei, quæ proindè falsa esse convincitur. Et sanè Celladeus ipse fatetur ea esse absurda, sed negat ea sequi ex sua sententia: Restat ergò ut videamus an ille ab istis sequelis se defendat, quod fiet ex solutione rationum, quas affert.

qui sequitur minus tuta, Deum offendit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

45. OBIECTIO prima. *Nemo certus est an odio vel amore dignus sit.* Ergò omnes sumus incerti, an simus in statu vel extra statum gratiæ. Hinc sic arguo. Si certi essemus nos in omnibus nostris actibus non peccare, possemus certi esse de statu gratiæ, quia secunda certitudo deducitur ex prima. At sequela est falsa, quia ex Tridentino *sess. 6. cap. 9.* certum est *neminem*, absque peculiari Dei revelatione, *scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ergò falsum est antecedens. Ita Celladeus §. 4.

Non est certus de gratia Dei, qui certus est se non peccare in aliquo actu.

Respondeo inprimis. Transeat totum, si sermo sit de actibus totius vitæ, aut valdè longi temporis: quia si certi essemus, nos nunquam decem annorum spatio peccasse, magnum & fortasse infallibile haberemus argumentum dicendi nos esse in gratia Dei. Verùm hoc non est ad rem: non enim quærimus, an certi simus nos nunquam peccare in ullis actibus: certum enim est nos non habere certitudinem, quod in decursu tanti temporis nunquam peccemus, vel propria dictamina sectando, vel tentationibus non debitè resistendo, vel etiam contra conscientiam, aut in dubio operando &c. Sed solùm quærimus an simus certi nos non peccare, quando expressè & ex plena electione ac deliberatione sequimur opinionem certò probabilem, & per illam directi bona fide progredimur. Hoc affirmamus, sed ex hoc non sequitur nos posse esse certos de statu gratiæ, & non peccati habitualis, licet in multis certi simus hîc & nunc de non peccato actuali in hac operatione: sic certus est judex, se nunquam peccasse damnando homines legitimè convi-

convictos, etsi certus non sit illos fuisse nocentes, cùm testes & argumenta, quibus motus est, sint solùm probabilia, & nimis frequenter à veritate aberrent. Nec tamen judex ideo certus est se esse dignum amore Dei. Idem prorsus valet de illis, qui bona fide sequuntur opinionem certò practicè probabilem.

Cõsequens non infertur ex antecedente. Respondeo secundò, deductionem argumenti non esse legitimam: quia etsi certi essemus nos toto anno non peccasse mortaliter, non inde sequeretur nos esse certos de statu gratiæ, quia status gratiæ non obtinetur nisi per sacramenta, vel per contritionem perfectam. Jam ad contritionem perfectam ac justificativam, multa certò, multa alia probabiliter requiruntur, de quibus certi non sumus quòd unquam præcesserint. Ergò nunquam possumus esse certi quod per contritionem ac votum sacramenti justificemur. Sed neque certi esse possumus, quod gratiam per sacramenta recipiamus, non solùm quia operatio Sacramenti dependet à materia, forma, ac debita intentione ministri, de quibus omnibus certi esse non possumus, nam intentio ministri semper latet. Latet etiam nos sufficientia contritionis ac confessionis debitæ pro recipiendo sacramento pœnitentiæ. Jam omnes istæ incertitudines manent, etsi non peccemus de novo, dum ad sacramenta recipienda nos disponimus, eædemque manerent, etsi certi essemus, nos in iis omnibus non peccasse de novo. Ergò nulla est consequentia argumenti allati, quamvis antecedens admittatur esse verum.

Objectio 2. 46. Objectio secunda. Parum refert certitudo hæc de non peccato in peculiaribus actibus, si omnibus inspectis non habeamus certitudinem de statu gratiæ, quia semper adest periculum damnationis, & status peccati habitualis. Ergò negatio certitudinis à Celladeo asserta nil specialis, aut indebiti, & nimii timoris affert, quia sive detur sive non detur, semper sumus incerti an Deo placeamus.

Responsio. Incertitudo status est utilis, sed incertitudo non peccandi nocet. Respondeo, incertitudinem status esse nobis valdè utilem, quia illa nos humiliores in oculis nostris, in virtutum exercitio Sacramentorumque frequentia exactiores reddit, quàm essemus, si de statu nostro certitudinem haberemus. Itaque ista incertitudo non nocet, sed virtutem acuit. Præterea certi sumus, illam incertitudinem non esse nobis imputabilem ad peccatum novum, nosque per illam Deum non offendere. At incertitudo, de qua nunc loquimur, est longè alia, & novo ictu affligit animam, quia illam in omnibus anxiam reddit, an Deum de novo offendat, multiplicatisque peccatis ampliorem damnationem & horrendam Dei desertionem mereatur. Itaque non parum, sed longè plurimum refert certitudo non peccati actualis in hisce determinatis actibus, & negatio certitudinis à Celladeo asserta, specialissimum timorem, nimiamque & inevitabilem sollicitudinem ac perplexitatem in re summi momenti secum affert.

Objectio 3. Dantur peccata occulta. 47. Objectio tertia. Plurima sacræ Scripturæ, Conciliorum ac Patrum testimonia probant, esse posse in nobis peccata occulta & ignota. At hoc non esset verùm, si omnis peccans actualem remorsum experiretur; quia diligentissimi recordari possent omnium remorsuum. Rursus si omnis non peccans haberet certum & evidens dictamen de non peccato, omni peccanti notorium esset sibi deesse hanc evidentiam, ac proinde nulla essent nobis peccata occulta. Ita Celladeus §. 4.

Responsio. Unde oritur, ut peccatum esse possit occultum? Respondeo: multa peccata esse nobis occulta, vel quia eorum obliti sumus, vel quia ex vincibili ignorantia processerunt. Certè ex hac ignorantia sæpè putamus ea esse bona & Deo placentia, quæ verè sunt mala, & nobis imputantur. Jam verò multa peccata ex hisce capitibus essent occulta, tametsi homines actuali cum remorsu negligentes fuissent in veritatis indagatione, quando illa poterat, & debebat inquiri. Neque inde sequitur, quòd diligentissimi possint omnium recordari, quia oblivio in multis est prorsus insuperabilis, ut patet. Est præterea aliud caput, ex quo peccata sunt occulta, etiam quando adest aliquis remorsus. Sæpè enim tentatione pressi, nescimus, an strenuè restiterimus, an plenum, an semiplenum assensum præstiterimus &c. In tali ergò casu peccatum aliquando est occultum, etsi aliquem remorsum habeamus; quia multi remorsum habent, etsi diligenter restiterint, fecerintque omnia ad quæ tenebantur. Demùm, si universim loquamur, ad omne peccatum non requirimus remorsum, quia peccata ignorantiæ vincibilis esse possunt sine ullo remorsu, quamvis existimemus aliquem remorsum necessariò præcessisse, quando diligentia debita sponte negligebatur.

48. Quod ad secundum attinet; jam responsum est; quia ostendimus unde peccata sint occulta. Cæterum, etsi omnis non peccans in instanti suæ operationis certò sciret se non peccare, & sic peccatum actuale, ratione sui imputabile, nunquam esset occultum in illo instanti, nihilominus multa peccata postmodum evaderent occulta, propter oblivionem, aliasque rationes allatas, tum hic, tum in *quæst. 13. de consc. prob. num. 37.* Præterea quando dicimus, omnem non peccantem debere esse certum de suo non peccato, solùm loquimur de eo, qui sciens & volens ex deliberatione ac determinatâ electione post consultationem præmissam ex præconcepto & stabilito judicio operatur, non autem de eo qui tentatione præventus, debitè non resistit, sed aut hæret dubius, aut etiam consentit, siquidem in tali casu homo aliquando ita prævenitur, ut vix ipsemet sciat quomodo se gerat in ullo determinato instanti. Certè frequentissimum est, ut statim post nesciat, qualiter dispositus fuerit, quamque diligentiam ac resistentiam adhibuerit. At omnia contrario modo se habent in priori casu, ideoque licet in illo semper certificemur pro instanti operationis, an peccemus nec ne, non tamen ideo in aliis casibus tam clarè de hoc certificamur, quamvis in illo etiam casu talis species actuum elicitorum relinquatur in anima, ut ex illis statim post mortem anima clarè discernere possit, an peccarit nec ne. Demùm si sermo sit de peccatis ignorantiæ; operans non semper habet certitudinem ac evidentiam de suo non peccato, ut dictum est. Ecce ex quot capitibus necesse est plura peccata esse hominibus occulta, etsi quoties ex electione sequuntur opinionem aliquam, certò cognoscant in instanti operationis, an Deum offendant nec ne.

Argumenta non tangunt quæstionem in sensu proprio intellectam. 49. Et hæc quidem vera sunt, juxta dicta *in quæstionibus hic num. 37. citatis ex tract. de consc. prob.* Sed quidquid sit de illa universali assertione, quæstio præsens solùm restringitur ad eos, qui ex præconsiliato sequuntur opinionem certò probabilem, idque faciunt ex vi benignæ sententiæ quam sequuntur, cùm habeant certam ac evidentem notitiam de probabilitate, prudentia, ac rationabilitate benignæ sententiæ. Nos dicimus certi-

certificari de non peccato, quia cùm certi sint de qualitate ac prudentia judicii directi, nunquam desunt principia Synderesis reflexa, per quæ facillimè ascendant ad certitudinem de suo non peccato, ut tum in *hoc tractatu*, tum *in quæst. de consc. prob.* sæpissimè ostensum est. Porrò quæstionem in hoc sensu acceptam, hæc Celladei argumenta, ne quidem tangunt, cùm tamen hoc solùm sit id, de quo hoc loco ex professo agitur.

Objectio 4. 50. Objectio quarta. Unusquisque formidare potest, an in susceptione Pœnitentiæ & Eucharistiæ sit satis dispositus, & se sufficienter probaverit. At qui certus non est de sufficienti dispositione, non est certus se non peccare in actuali Sacramentorum susceptione, quia tota ratio non peccati sumitur ex digna vel indigna susceptione; ideò enim peccatur, vel non peccatur, quia non dignè, vel dignè suscipitur; nec est una lex de digna susceptione, & alia de non peccato. At de digna dispositione nulla datur certitudo. Ergò neque de non peccato.

Accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ certi esse possunt se non peccare accedendo. Respondeo inprimis, unumquemque meritò formidare, an dispositionem sufficientem habeat ad Sacramentum fructuosè suscipiendum, quia nemo scire potest, an ea omnia habuerit, quæ ad talem susceptionem sunt prorsus necessaria, ut dictum est. Cæterùm plures, qui notabilem in conscientia examinanda, ac contritione elicienda diligentiam adhibent, non habent unde formident sese de novo peccare in sumenda pœnitentia, modò sincerè accusent se de omnibus, quorum reminisci potuerunt. Ratio est, quia talis pœnitens nil eorum omisit, quæ probabiliter ac prudenter judicari potuerunt necessaria ad confessionem instituendam. Ergò sine dubio non amplius urgetur vi præcepti ad ulteriorem conatum. Nec Celladeus ipse diffiteri potest, nisi & sibi contradicer, & certe omnium doctrinæ repugnare velit. Ratio est, quia invincibilis ignorantia ulterioris obligationis à peccato excusat. At talis homo, vel benè dispositus est, vel certè invincibilem habet ignorantiam de sua non dispositione, ac de obligatione ulterioris conatus; nisi enim talis ignorantia esset invincibilis, nulla daretur ejusmodi ignorantia, cùm in tali materia ad meliorem ac certiorem cognitionem pervenire non possimus. Itaque haud dubiè viri diligentes, qui Sacramenta ista frequentant, sæpè certi sunt se in illorum sumptione non peccare, alioquin haud consultum foret ea frequentare; nec tamen inde sequitur, quòd certi sint de sua justificatione, ut constat ex proximè dictis.

Infructuosa dispositio ad effectum Sacramenti non infert peccatum in suscipiente. 51. Hinc habetur responsio ad reliqua. Inprimis quamvis homo non sit certus de debita dispositione ad fructuosè sumendum Sacramentum, potest esse certus de non peccaminosa ejusdem susceptione; non enim tota ratio peccati à digna, vel non digna sumptione dependet, si per dignam & non dignam sumptionem intelligamus fructuosam & infructuosam, ut patet ex dictis, quia sacramentum per invincibilem ignorantiam sumi potest infructuosè sine peccato. Immò pœnitentia per defectum baptismi ob malitiam baptizantis potest esse infructuosus, etsi certitudine fidei scirem, me habere perfectam contritionem, & integram confessionem facere. Itaque ratio peccati non sumitur præcisè ab infructuosa susceptione Sacramenti, sed multò maximè à negligentia in morali ac seriò conatu ad debitam dispositionem exhibendam. Quamvis ergò non sint duæ leges per se, quarum altera vetet non peccatum, altera non dignam susceptionem, tamen unica lex de debita sumptione non ita homines urget, ut nulla de causa excusari possint à peccato, etsi debitam dispositionem non afferant. Itaque quamvis certi non simus de debita dispositione ad fructuosè suscipiendum Sacramentum, tamen & esse possumus, & sæpè sumus certi de non peccato, seu de sufficienti dispositione ad non peccandum in ejus susceptione.

52. Demùm fateor, nos sæpè in istis rebus non esse planè certos, quod absque culpa ad Sacramenta accedamus, quia non benè scimus qualitatem judiciorum, quibus regulamur, & præparationis, quam præmittimus, ejusque mensuram hîc & nunc ex proprio judicio, cujus qualitatem benè perspectam non habemus, determinamus, eo quòd non inveniamus, unde certius nos regulemus. At quando in istis rebus sequimur opinionem certò probabilem, certificamur; nos in eo non peccare; tunc enim certum est; nos in eo prudenter ac rationabiliter operari; quia ex persuasione certò probabili nostram operationem dirigimus, de quo sæpissimè in aliis casibus non ita certificamur. At hoc ad nostrum intentum sufficit. Celladeus autem nil contra hoc tulit. Argumentum non tangit difficultatem præsentem.

53. Objectio quinta. Hæc duo sibi repugnant; *Ego certus non sum, an hic actus meus sit reipsa à Deo prohibitus, & tamen certus sum, me in eo eliciendo non peccare*; quia idem est, objectum esse prohibitum & esse peccatum. At hoc est, quod dicitur ab iis, qui tradunt certum & evidens dictamen conscientiæ consurgere per principia reflexa ex directa probabilitate de honestate operis. Ergò docent contradictoria. Ita Celladeus §. 5. Objectio 5.

Prætensa contradictio contra nos clarissimè amolitur. Respondeo, hæc duo sibi repugnarent, si non haberemus, nisi unum judicium, aut plura, quibus objectum in ordine ad easdem penitus circumstantias consideraretur. At si hi duo actus comparentur ad idem objectum in ordine ad diversas circumstantias; evidens est illos non esse contradictorios, quia contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem. Sic Judex non est certus, se non damnare innocentem, & consequenter se non facere materialiter contra voluntatem Dei, qui prohibet ne innocens damnetur. Est tamen certus se non peccare, etsi per accidens contingat ipsum decipi & innocentem condemnare. Idem valet de obediente, de possidente rem alienam in dubio, de puero honorante patrem putativum & non obediente patri vero, aliisque innumeris ejusmodi casibus. Cæterùm Celladeus ista explicare nequit, quia negat ullam esse certitudinem reflexam, ubi directa certitudo deest. At nos, qui distinguimus duo conscientiæ dictamina, aliud directum & non ultimum, aliud reflexum & ultimum, non solùm salvamus hæc omnia, sed evidenter ostendimus, quomodo illa judicia sibi contradictoria non sint, quia scilicet considerant idem objectum in ordine ad diversas circumstantias, ut supra sæpè dictum est. Eadem distinctione ruit confirmatio argumenti à ratione petita, qua ipsum argumentum evertitur; quia non aliter idem est, objectum esse prohibitum & esse peccatum, quàm si objectum semper sumatur respectu earundem circumstantiarum, quæ certè in casu nostro evidentissimè alterantur.

54. Objectio sexta. Non est cur simus magis solliciti de operationibus nostris, earumque laudabilitate ac vituperabilitate, quàm de nobis ipsis, & de Objectio 6.

& de sanctitate ac vituperabilitate nostrarum personarum. At defectus certitudinis de statu gratiæ non arguit me esse vituperabilem. Ergò neque defectus certitudinis de honestate operationis reddit illam vituperabilem. Ergò talis certitudo non requiritur ad honestè operandum. Ratio autem à priori est, quam attulit S. Thomas *1. 2. quæst. 96 art. 1. ad 3.* dicens. *Non est eadem certitudo quærenda in omnibus ut in 1. Eth. dicitur. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.* Et sanè modus operandi commensuratur modo essendi. Ergò sicut totalis certitudo excedit modum nostrum in essendo, ita pariter excedit modum nostrum in operando; ac proinde sicut non sumus vituperabiles in essendo & vivendo, eò quòd non habeamus certitudinem de justificatione nostræ personæ, ita pariter non sumus vituperabiles in operando, tametsi non habeamus certitudinem de honestate, & quasi justificatione nostræ operationis, sed in utrisque probabilitas sufficit. Ita Celladeus §. 5.

Tenemur ad majorem certitudinem de honestate operationis, quàm de sanctitate personæ.

Respondeo, quod nemo obligaretur ad majorem certitudinem circa honestatem suæ operationis, quàm circa sanctificationem suæ personæ, si in utraque habenda par esset difficultas. Verùm aliter se res habet, quia alterum est penitus impossibile, alterum multis in casibus non solùm possibile, sed etiam obvium: si enim homo sequeretur partem tutiorem, certus esset se non peccare: Ergò nequaquam illi liceret sequi partem minus tutam, nisi surgere posset ad certitudinem non peccandi; quia qui relinquit certum, & peccandi periculo sponte se exponit, hoc ipso est vituperabilis. Et sanè ipsa paritas à statu personæ desumpta hoc ipsum confirmat: si enim haberemus præ manibus duo media, quorum alterum certò & infallibiliter, alterum verò non nisi probabiliter gratiam inferret, stultus esset, ac vituperio dignus, qui primo medio omisso, alterum arriperet; quod verum esset, quamvis primum sine majori incommodo temporali obtineri non posset quàm secundum. Ergò idem pariter dicendum est de justificatione actionis. Ergò tantum abest, ut hæc paritas faveat Celladeo, ut ipsum redarguat; quia probat nemini licitum esse sequi partem minus tutam, nisi mens consurgat ad certitudinem non peccandi. At ille negat talem certitudinem haberi posse, quando homo sequitur partem minus tutam. Ergo paritas hæc probat universaliter illicitum esse sequi partem minus tutam, saltem quando operamur ex electione medii per consultationem propositi, ut in casu præsenti. At argumentum non urget nos, quia dicimus intellectum consurgere ad formandum certum conscientiæ dictamen, etiam quando sequitur opinionem minus tutam,

Celladeus proprio argumento opprimitur.

55. Hinc sequitur, defectum certitudinis de justificatione personæ non reddere illam vituperabilem, quia nemo habet potestatem perveniendi ad talem certitudinem; è contra verò defectum certitudinis de justificatione operationis, quam quis, præmissa consultatione, sponte eligit ut medium ad finem, reddere illam vituperabilem, quia unusquisque potest illam habere. Unde iterum apparet argumentum hoc graviter premere Celladeum, cùm nos ne quidem tangat; adeò verum est, eum propriis argumentis opprimi.

S. Thomas explicatur.

56. Quod attinet ad S. Thomam, dico eum loqui de cognitionibus directis, quia sæpè impossibile est, ut per illas ultra probabilitatem ad certitudinem pertingamus. At si sermo sit de dictaminibus reflexis, certum est, quod illa sæpissimè sint certa, quando cognitiones directæ, aut dubiæ sunt, aut solùm probabiles. Neque hoc ignotum fuit divo Thomæ, ut patet ex allatis exemplis. Præterea ex dictis constat S Thomam favere illis, qui dicunt ultimum conscientiæ dictamen esse debere certum, ut operatio sit honesta.

Modus arguendi in Celladeo non nos urget, sed ipsum.

57. Jam quod modus operandi commensuretur modo essendi, intento Celladei non favet, sed nobis; quia sicut ipsum esse supernaturale latet, ita & operatio supernaturalis latet nos, neque enim unquam scimus, an actum supernaturalem eliciamus. Ergò si modus operandi commensuretur modo essendi, sicut esse nostrum naturale certò innotescit, ita & omnis modus operandi naturalis certò innotescere debet, ac proinde modus operandi per principia reflexa, in aliquibus saltem, debet esse nobis certus. Itaque principia reflexa non sunt, nec debuerunt esse minùs evidentia, quàm directa. At nos recurrimus ad principia reflexa lumine naturæ nota. Itaque licet certitudo de operatione supernaturali excederet modum essendi supernaturalem, ac ideo talis certitudo non datur; non tamen certitudo de prædicatis naturalibus actuum nostrorum excedit modum essendi naturalem, sed illi per omnia commensuratur.

An & quando carentia certitudinis reddat operationem vituperabilem.

58. Demùm fateor, quòd sicut non sumus vituperabiles, eò quòd non habeamus certitudinem de statu nostro; ita pariter non sumus vituperabiles, eò quòd careamus certitudine honestatis in iis operationibus, de quibus certitudinem talem habere non possumus, quia de illis tantùm paritas procedit. Jam multæ sunt ejusmodi operationes, de quibus talem certitudinem habere non possumus, ut dictum est. At si sermo sit de iis, in quibus certi esse possumus, argumentum nobis favet. Certè favet quàm maximè in illis, quæ non nisi ex electione post præviam ac maturam consultationem eliguntur ut media ad finem. At talia sunt opinionum electiones. Ergò in illarum electione vituperabilis est, qui viam certam relinquit & incertæ se committit, nisi aliunde per principia reflexa certificetur se non peccare talem viam ineundo.

Ingens disparitas inter incertitudinem status, & incertitudinem operationis.

59. Demùm ea est disparitas inter incertitudinem de justificatione personæ, ac incertitudinem de justificatione operationis, quòd prima multum nos stimulet ad sollicitudinem in via virtutis, ut sic maximam tandem probabilitatem de illius adeptione habeamus. Interim certi sumus, nos non ideo Deum de novo offendere, quòd in hac incertitudine remaneamus, quæ omnia, simul sumpta, materiam magnæ consolationis nobis præbent. At quando post consultationem præviam, opinionem aliquam eligeremus, animus semper torqueretur remorsu, ne fortè Deum offenderemus, nec ullum superesset remedium conscientiam quietandi, nisi per principia reflexa certificaremur de non peccato. At timor de novo peccato est malum ingens & maximè inquietativum, ut patet. Itaque ingens disparitas est inter incertitudinem de statu gratiæ, & incertitudinem de honestate operationis: illa non nocet, sed multa secum fert commoda; hæc nocet quàm maximè, quia aliquando saltem fert secum novum peccatum, semper autem affert sollicitudinem, ne Deum toties quoties de novo graviter offendamus. Unde argumentum ab illa ad istam nullius

nullius est momenti, cùm in ordine ad præsens intentum ingens inter utramque sit diversitas.

Objectio 7.

60. Objectio septima. Opinio probabilis rarò fallit. Ergò periculum Deum offendendi, quod talis opinio secum fert, non est proximum, sed remotum. Porrò non tenemur cavere pericula remota; nec sumus vituperabiles, quia non cavemus pericula remota malorum rarò contingentium. Sic generale periculum, ne tegula cadat, non obligat ad specialem curam. Et sanè qui propter pericula ejusmodi abstineret ab operatione, indisciplinati esset ingenii, & stultissimis scrupulis se frustra vexaret. Ita Celladeus §. 5.

Non tenemur vitare pericula remota.

Respondeo, Celladeum hîc optimè loqui, quia per omnia cum communi sententia loquitur; eodem enim argumento nos utimur ad probandum, imo ad demonstrandum, quod usus opinionis probabilis sit licitus. Verùm jam Celladeus affert argumentum reflexum, quod est prorsus efficax pro stabilienda nostra assertione, & ex altera parte non est minus potens ad ipsius doctrinam evertendam. Siquidem vel non probat intentum, vel principali illius asserto expresse repugnat. Peto enim, an sit evidens, vel solùm probabile, *quod non teneamur vitare pericula remota?* si dicat principium illud esse evidens (sicut revera est) eo ipso admittit syllogismum reflexum, quo certificamur, quod non peccemus, dum sequimur probabilia. At hoc præcipuo ejus intento expresse repugnat, quia aliud *in hac quæst.* non contendit, quàm conscientiam non posse certificari per principia reflexa, quando per directa ad certitudinem non pertingit. Si verò dicat, principium illud esse incertum, & solùm probabile, non satisfacit argumento, nec ostendit, quod homo cum tali incertitudine operans non malè operetur, quia argumentum æquè urget responsionem reflexam, ac urgebat assertionem directam. Quamvis enim homo sciat hoc periculum esse remotum, adhuc meritò timet, ne fortè hîc & nunc peccet, quia non constat eos non peccare, qui periculo etiam remotissimo se exponunt. Ergò vi hujus responsionis reflexæ non tollitur metus in directa rerum incertitudine fundatus, sed idem prorsus perseverat. Ergò vel non solvit argumentum; vel si solvat, apertè sibi contradicit.

Argumentum Celladei probat nostram, improbat illius opinionem.

Objectio 8.

61. Objectio octava. Operans ex opinione probabili non dicit: *volo hoc facere, licet fortè sit contra legem Dei*, quia opinans aliquid ita esse, in sensu composito suæ opinionis, non potest dicere *fortè non est ita*: Itaque solùm dicit: *Credo hoc esse honestum, non tamen repugnat, possibile est me falli.* At non est peccatum operari non obstante hac possibilitate. Certè qui nollet per urbem incedere, quia possibile est tegulam cadere, non solùm non esset laudabilis, sed vituperabilis, & insociabilis. Idem dicendum est de usu opinionum. Ita Celladeus §. 5. qui putat se hac ratione satisfacere argumento illi, quòd operans ex opinione habeat formidinem & remorsum ne fortè actus sit contra legem Dei, ideoque peccet, nisi surgat ad habendam certitudinem reflexam, quia habet hunc affectum, *Volo hoc facere, licet sit fortè contra legem Dei*, qui malus est, & vituperabilis.

Respondeo, argumentum non solvi, quia quoad præsens intentum idem est dicere, *hoc est ita, scio tamen possibile esse, ut aliter se res habeat, quam mihi videtur, quodque nonnunquam in eisdem circumstantiis aliter contingat*, ac dicere, *credo rem ita se habere, quamvis fortasse fallar, & res aliter se habeat, quàm ego judicem*: quia quamvis una ex locutionibus exprimat potentiam, & alia actum, tamen actus expressus nullam arguit potentiam præter eam quæ exprimitur, & expressio potentiæ apertè infert necessitatem actûs expressi, eo modo, quo exprimitur. Certè non minus malè affectus esset, qui diceret. *Volo hoc facere, quia credo illud placere Deo, quamvis sciam, quod, hoc meo judicio non obstante, contingere possit ut Deum offendam*, quàm qui diceret. *Volo hoc facere, quia credo illud placere Deo, quamvis fortasse præter meam opinionem illi displiceat.* Ratio est, quia una expressio necessariò infert aliam. Ergò expressiones illæ quoad præsens intentum non discrepant. Itaque Celladeus & insufficienter probat sententiam suam, & contrariis argumentis non satisfacit.

Solutio.

Dicere fortassis est aliter, & dicere, potest esse aliter, sunt locutiones moraliter æquivalentes.

Objectio 9.

62. Objectio nona. Sæpè non sumus certi, utrum in resistendo gravibus tentationibus, debitè ac sine peccato restiterimus. Ergò non habetur conscientia certa, quoties homo non peccat. Eadem est ratio de aliis. Ita Celladeus § 5.

Respondeo concedendo totum, quoad resistentiam tentationum. Inprimis enim probi sæpè dubitant, an venialem saltem negligentiam habuerint. Deindè nonnunquam ipsi probi, transactâ tentatione, dubitant, an mortaliter peccaverint, nec ne; unde evidenter sequitur eos, post tentationem transactam certos non esse de suo non peccato, & in hoc sensu certum est, quòd non permaneat certitudo conscientiæ de non peccato, quoties homo non peccat. Hinc autem non infertur, quod in ipso instanti operationis homo non fuerit certus se tunc non peccare, si verè non peccavit, qua de re videri possunt dicta *quæst. 13. de consc. prob.* Cæterùm admisso, quòd in istiusmodi rebus nemo certitudinem habeat, ne quidem in ipso operationis instanti, id tamen non admittitur in casu operationis ex electione, quando post præviam consultationem conscientiam formamus; in talibus enim circumstantiis, sicut homo certus est de probabilitate & prudentia judicii directi circa honestatem operationis, ita mox per principia reflexa cuique obvia necessariò consurgit ad formandum judicium certum & evidens, quòd taliter operando non peccet. Hoc autem pro præsenti intento, ac pro veritate assertionum positarum abundè sufficit, quidquid sit, an certi simus de non peccato, quando certò non scimus qualitatem actûs directi, quo objectum creditur esse honestum, aut quando animo turbato ex violentia tentationis seriam deliberationem & electionem doctrinæ certò probabilis non præmittimus.


An & quomodo sit certus de non peccato, qui tentationem superat.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-PRIMA.

An prudentia reperiatur in probabilibus ?

Opinio Celladei declaratur.

1. ELLADEUS *lib. 3. quæst. 3.* fusè agit de prudentia, ut ostendat illam in probabilibus reperiri. Porrò ita rem definit, ut omnem assensum probabilem verum ad prudentiam pertinere contendat, sed omnem falsum à prudentia repellat. Hac enim ratione magnum se vulnus benignæ sententiæ intulisse autumat, quia putat se sufficienter probare, quòd nostræ sententiæ Auctores non possint amplius ad consuetum Asylum prudentiæ recurrere, & dicere, omnem opinionem probabilem esse judicium prudens, & consequenter ad conscientiam regulandam sufficere. Præterea ex hoc ipso, quod nullus assensus falsus ad prudentiam pertineat, infert, nullum actum ab errore, et am invincibili, ortum esse bonum, quia repugnat actum esse bonum, qui à prudentia non regulatur. Verùm hunc Celladei errorem *quæst. 3.* fusè rejecimus. Quare in hac quæstione de illa materia amplius non agam, sed ad prudentiam, prudentiæque proprietates me restringam, ut sic errores Celladei hac de re redarguam, atque ipsa fundamenta, quibus grande illud paradoxum fulcitur, convellam. Sit ergò.

ASSERTIO PRIMA.

Si pressè ac in stricta vocum significatione ab Aristotele usurpata loquamur, nullus assensus probabilis, etsi verus, est proprius actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus.

Nullus assensus probabilis est actus à prudentia propriè dicta elicitus.

2. PROBATUR. Aristoteles *6. Ethic.* ex professo agit de virtutibus intellectûs, omnesque ad quinque classes reducit, nempe ad *artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, & intellectum.* Virtutem porrò intellectûs tam speculativi quàm practici definit esse habitum, quo intellectus verum enunciat. Qua locutione absque dubio intelligit habitum, qui nunquam fallit; sed necessariò, & semper verum dicit, quia *cap. 3.* expressè excludit opinionem à ratione virtutis intellectualis; *quia*, inquit, *existimatione & opinione fieri potest, ut mentiamur*, id est, fallamur. Unde sic arguo. Omnis prudentia strictè dicta est virtus intellectûs. Sed nulla opinio est virtus intellectûs. Ergò nulla opinio est prudentia. Ergò nullus assensus probabilis, etsi verus, est actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus, quia fieri potest, ut per quemvis actum opinativum decipiamur, quantum est ex vi illius, quod repugnat prudentiæ, prout illa sumitur ab Aristotele in propria ac stricta significatione.

Celladeus Aristoteli contradicit.

3. Fallitur ergò Celladeus, & Aristoteli, quem tamen sequi prætendit, apertè adversatur, dum §. 5. contendit, prudentiam propriè dictam reperiri in propositionibus merè probabilibus, quando sunt veræ, non autem quando sunt falsæ. Quid enim? nónne idem dici potest eodem jure de opinione? At Aristoteles expressè asserit, opinionem non esse virtutem intellectûs, & consequenter non esse prudentiam, quia per opinionem falli possumus, etsi hîc & nunc per illam dicamus verum. Ergò idem sentit de omni opinione probabili, quia omnis opinio probabilis nititur motivo fallibili.

Omnis habitus opinativus falle re potest.

4. Præterea sermo potissimè procedit de prudentia habituali. Ergò ex mente Aristotelis, nullus habitus prudentiæ fallere nos potest. At omnis habitus ab actibus probabilibus, etiam veris, acquisitus fallere potest, quia sæpè reperit suum motivum in falsis, non minùs quàm in veris. Sic judex, qui sine deceptione viginti vicibus reos judicavit, acquirit habitum, quo juxta legum præscripta judicat. Hic habitus non minus concurrit ad sequens judicium, quando testes falsa deponunt, quàm si vera deposuissent, quia æquè in utroque casu invenit totum suum objectum, seu motivum formale, ut patet. Ergò nullus habitus actibus probabilibus acquisitus est prudentia.

Inconsequentia Celladei.

5. Rursus prudentia de rebus contingentibus, ex mente Celladei, non distinguitur à probabilitate circa easdem. Sed probabilitas deficere potest, & aliquando deficit, alioquin non esset probabilitas, sed infallibilis certitudo. Ergò in sententia ipsius prudentia à veritate deficit, quia eadem prædicata rebus indistinctis necessariò conveniunt. At consequens est absurdum, & contra omnes, illudque Celladeus ipse absurdum esse agnoscit. Ergò nulla probabilitas est prudentia strictè dicta.

Replica.

6. Dices. Non repugnat quod probabilitas fallat aliquando, prudentia nunquam, quia prudentia perficit partem defectibilem intellectûs, ut minus deficiat. Ergò quando intellectus deficit, non deficit per virtutem, sed per seipsum deficit. Sic contingit, habentem habitum intensum temperantiæ aliquando graviter deficere contra temperantiam. Verùm defectus ille non à temperantia, sed aliunde procedit. Idem valet de intellectu, qui quoties rectè & verè dictat, per prudentiam dictat, quoties falsum dicit, non per prudentiam, sed aliunde. Similiter fides divina est virtus intellectûs, & infallibilis, quia nititur motivo infallibili. Nihilominus, quia revelatio Dei, & sensus ac declaratio Ecclesiæ potest indebitè applicari, contingere potest, ut rusticus credat personas divinas esse quatuor. In hoc casu non exercet actum fidei, nec credit per fidem, quæ est virtus intellectûs, sed per errorem. Ille quidem putat, se elicere actum fidei, sed errat. Quod ergò contingit in fide propter applicationem, hoc contingit in prudentia propter objectum. Fallitur prudens, sed non per prudentiam. Putat se prudenter operari, sed fallitur,

fallitur, quia non habet veram, ſed apparentem prudentiam. Ita Celladeus §. 5.

Reſpondeo. Repugnat probabilitatem aliquando fallere, & prudentiam nunquam, ſi prudentia à probabilitate non diſtinguatur, ut ex mente Celladei in multis non diſtinguitur. Nec obſtat, quòd prudentia perficiat intellectum, ut minùs deficiat; hoc enim etiam convenit probabilitati, quæ efficit, ut intellectus minùs erret, quàm ſi abſque probabilitate temerè judicaret. Ergò ſi, hoc non obſtante, probabilitas fallat aliquando, neque id obſtabit, quo minus prudentia aliquando fallat, ſi concedatur eſſe habitus, qualem Celladeus fingit. Jam quòd defectus non tribuatur virtuti, ſed intellectui, ſimpliciter loquendo verum eſt; ſed quòd defectus non tribuatur prudentiæ ac virtuti, ſi virtus prudentiæ non diſtinguatur à probabilitate ut vult Celladeus, eſt falliſſimum, quia defectus tribuitur probabilitati, ejuſque defectibilitati, ut patet. In his ergò Celladeus contradictoria docuit, ſibique contradixit.

Celladei contradictio.

7. Porrò exempla non ſunt ad rem. Quando habitualiter temperans excedit per actum intemperantiæ, exceſſus ille tribui non poteſt virtuti, quæ directè ſtimulat ad oppoſitum, ſed alteri cauſæ non ſolùm diſtinctæ, ſed etiam quodammodo contrariæ. At omnia contrario modo ſe habent in caſu noſtro, quia intellectus ex propria inclinatione habitûs fallitur. Ergò error tribuitur ipſi habitui, & conſequenter prudentiæ Celladeanæ, quæ à tali habitu non diſtinguitur. Falſum etiam eſt, quòd dicit, intellectum toties per prudentiam enunciare, quoties verum dicit, quia multa judicia temerè concepta, & prorſus improbabilia, ſunt vera, quæ tamen ad prudentiam non pertinent; alioquin imprudentia ad prudentiam, ut proprius actus pertineret. Præterea hoc admiſſo, omnis opinio vera eſſet prudentia, quod apertè repugnat Ariſtoteli, qui omnem opinionem à virtute intellectuali removet, ut oſtenſum eſt.

Exempla Celladei non faciunt ad rem.

Aliud error Celladei.

8. Similiter exemplum fidei exiſtimatæ non eſt ad rem, quia nec habitus fidei, nec lumen gratiæ ad actum falſum concurrunt. At aliter ſe res habet in caſu noſtro, ut patet. Præterea in caſu noſtro nullus eſt defectus ex parte applicationis, ſed ſolùm ex parte principii, in quo prudentia, à Celladeo conficta, reſidere dicitur. Exemplo ſit Judex reum damnans, qui ſic diſcurrit. *Quod à tribus teſtibus, contra quos nulla apparet exceptio hic & nunc juratur tanquam à ſe viſum, eſt verum & pro vero admitti debet. Sed hic & nunc crimen Petri juratur viſum à tribus teſtibus, contra quos nulla apparet exceptio. Ergò crimen Petri eſt verum, & pro vero haberi debet.* Hic nullus eſt defectus ex parte minoris applicantis, utpote, quæ eſt evidenter vera, ſed tota defectibilitas oritur à majori, quæ credibilis eſt, ſed contingenter vera. Ponamus jam Judicem per viginti vices non fuiſſe deceptum, ſed ex frequentatis actibus veris habitum acquiſiviſſe. Hic habitus per Celladeum eſt prudentia. Atqui hic habitus directè facilitat, & concurrit ad aſſentiendum pro alia opportunitate, quando iidem teſtes in ſimili cauſa ſimile teſtimonium ferunt. In hoc enim caſu major & concluſio deficiunt ob ſolum defectum majoris, quæ tamen hìc & nunc directè procedit ab habitu acquiſito, qui ſupponitur indentificari cum prudentia. Et ſanè habitus ille eodem prorſus modo reperit ſuum motivum formale applicatum in hoc caſu, ſicut in prioribus; quando judex non erravit.

Habitus opinativus à veris actibus a quibus proprié concurrere poteſt ad actus falſos.

9. Atque hinc iterum ſic arguo. Celladeus ex ſuis principiis & aſſertis tenetur admittere, habitum aliquem eſſe propriè & ſtrictè prudentiam, quæ aliquando fallit, & directè ex vi ſua diſponit, & inclinat ad actum falſum, illumque tanquam actum ſub propria ſua vi contentum producit. Quod falſum eſt, & ab ipſomet habetur abſurdiſſimum. Rurſus tenetur dicere, duos actus intellectûs prorſus ſimiles, in ſimillimis circumſtantiis ab eiſdem principiis eodem modo elicitos, atque in eodem motivo formali fundatos, ſoloque numero diſtinctos, ita comparari ad invicem, ut unus ad prudentiam, alius ad imprudentiam ſpectet. At hoc & per ſe abſonum eſt, & ex eo cognoſcitur eſſe abſurdum, quòd per hunc dicendi modum actus prudentiæ confunditur cum actu imprudentiæ, virtuſque & vitium ejuſdem potentiæ ſub una eademque ſpecie comprehendantur, nec magis differant inter ſe, quàm ovum ab ovo ſimillimo.

Celladeus admittit virtutem & vitium ejuſdem potentiæ non magis differre quàm ovum ab ovo.

ASSERTIO SECUNDA.

Omne judicium certò probabile, quod enunciat de honeſto & inhoneſto, ſemper annexum habere poteſt judicium prudens, quod eſt tale, & à prudentia ſtrictè dicta elicitur, juxta mentem Ariſtotelis in ſtrictiſſimo verborum ſenſu.

10. PROBATUR. Inprimis ex *quæſt. 3.* conſtat, operationem, ab errore invincibili directam, eſſe bonam. Hinc ſequitur, in actionibus humanis honeſtatem formalem ſæpè ſeparari ab honeſtate materiali, quia actus, quo objectum eligitur, bonus eſt & honeſtus, licet objectum in quod actus ille fertur, ſecundùm ſe ſit materialiter malum, legique repugnet. Hinc ſic arguo. Impoſſibile eſt quod detur ullus actus honeſtus in voluntate, qui non reguletur, aut ſaltem qui regulari non poſſit à prudentia ſtrictè dicta, quippe quæ ſtrictè ſumpta eſt recta ratio agibilium, ſicut ars eſt recta ratio factibilium. Idem expreſsè traditur à S. Auguſtino *lib. de utilit. credendi cap. 12.* ubi hæc habet. *Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt. Nec rectè factum eſſe ullo modo poteſt, quòd non à recta ratione proficiſcitur. Porrò recta ratio eſt ipſa virtus. Cui autem hominum virtus, niſi ſapientis animo præſto eſt? ſolus igitur ſapiens non peccat, &c.* Hunc textum ſupra ponderavi *quæſt. 3. num. 22.* ex quo conſtat, nullum actum bonum elici, qui à recta ratione, à virtute intellectûs, & à ſapientia, vel prudentia ſtrictè dicta juxta S. Auguſtinum non dirigitur, quod omninò coincidit cum eo, quod dixi *quæſt. 13. de conſc. prob.* ſcilicet ultimum conſcientiæ dictamen ſemper eſſe certum & evidens, quoties homo benè operatur. Ad præſentem autem aſſertionem ſufficit, ſi tale judicium haberi poſſit. Atqui certo certius haberi poteſt, quia cùm actus, qui elicitur in his circuſtantiis, ſit bonus, independenter ab eo, quod objectum materiale ſit honeſtum; utique hoc certò & evidenter per prudentiam ſtrictè dictam cognoſci poteſt. Talis autem cognitio, utpote certa & evidens, atque operationis honeſtæ regulativa, ad prudentiam ſtrictè dictam haud dubiè pertinet.

Omne judicium practicè probabile annexum habere poteſt judicium à prudentia ſtrictè dicta elicitum.

S. Auguſt.

11. Nec obſtat, prudentiam ſtrictè dictam infallibiliter ac neceſſariò verum enunciare, quia hoc locum habet etiam quando intellectus invincibiliter

Prudentia in quo discriminetur ab arte.

vincibiliter errat circa rerum honestatem. Nam prudentia in hoc ab arte differt, quòd ars opus ipsum externum, ejusque rectitudinem principaliter ac directè respiciat, ideoque repugnet, artem locum habere, ubi intellectus proponendo opus externum à vero discedit. At prudentia directè & per se enunciat de honestate operationis internæ, quæ fertur in opus externum, ideoque verum dicit, etiam quando intellectus invincibiliter errat circa opus externum, quia error ille non impedit honestatem electionis, à falsa illa cognitione directæ. Audiatur S. Thomas *1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 1. Bonum artis, inquit, consideratur non in ipso artifice, sed magis in ipso artificiato: cùm ars sit ratio recta factibilium: factio enim in exteriorem materiam transiens non est perfectio facientis, sed facti, sicut motus est actus mobilis. Ars autem circa factibilia est, sed prudentiæ bonum attenditur in ipso agente, cujus perfectio est ipsum agere, est enim prudentia recta ratio agibilium.* Ecce bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, cujus perfectio est ipsum agere, seu operari, ac velle hominis. Ergò prudentia est ratio enuncians de ipsa hominis operatione, seu electione ac volitione. Unde prudens est, qui enuntiando de illa non errat, sed certò verum dicit, quamvis contingat illum errare, prout enuntiat de objecto materiali, ad quod actio terminatur. Similia prorsus tradit Aristoteles *6. Ethic. cap. 5.* ubi sic definit prudentiam strictè dictam. *Est habitus cum ratione vera conjunctus ad agendum idoneus, & in iis occupatus, quæ homini bona sunt & mala, seu,* ut ut alii legunt, *est habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ bona & mala homini sunt*, intelligitur autem *homini*, in quantum est homo, adeo ut prudentia sit habitus cum vera ratione versans circa ea, quæ sunt bona aut mala relatè ad ultimum finem hominis, quia ea sola sunt bona & mala homini, prout est homo, quippe quæ sola reddunt hominem simpliciter bonum vel malum, benè vel malè operantem, ut patet.

Prudentia principaliter enunciat de operatione hominis.

12. Hinc ergò habemus, quod prudentia principaliter ac directè enunciet de honestate & inhonestate nostrarum operationum, quia illæ solæ formaliter & directè constituunt nos benè vel malè operantes. Ergò quoties operatio est honesta, toties datur locus prudentiæ, quamvis intellectus erret circa objectum materiale, quia talis error impertinenter se habet ad hoc, ut operatio sit vel non sit honesta, ut patet. Ergò non impedit, quominus intellectus eliciat dictamen prudentiæ simpliciter dictæ, utpote quæ prorsus necessaria est homini ad benè vivendum & operandum, ut ex professo probat S. Thomas *1. 2. quæst. 57. art. 5.*

In probabilibus certitudo prudentiæ sumitur à principiis reflexis.

13. Quod si quæras, unde oriatur hæc infallibilis certitudo prudentiæ, quando intellectus solùm probabiliter discurrit de objectis, in quæ ferimur? Respondeo, certitudinem hanc & evidentiam derivari à principiis synderesis reflexis certis ac evidentibus, ut constat ex dictis *quæst. superiore*, atque ex *quæst. 13. aliisque locis de consc. prob.* ubi explicavimus quæ & qualia sint. Quare sufficit, si hoc loco duobus exemplis, uno de mala, altero de bona operatione nos certificante, rem declaremus. Judicet aliquis peccatum esse levare festucam. Hoc judicium falsum est, ut patet; tamen stante hoc judicio, intellectus format judicium reflexum certum & evidens, quo dicit, *levare festucam stante hoc judicio est peccatum.* Unde evidenter infert. *Ergò non debes levare festucam stante hoc judicio, alioquin peccabis.* Ecce malum falsò affirmatum per judicium directum, evidenter & verè affirmatur per judicium reflexum. Similiter Judex deceptus, & falsò credens Petrum esse reum, certus est se honestè facere eum condemnando; format enim hunc discursum. *Judex licitè condemnat eum, quem ex legali & plenâ probatione criminis absolutè existimat reum: sed ego sum judex, & ex legali & plena probatione credo Petrum esse reum. Ergò licitè eum condemno.* Hi discursus reflexi sunt certi & evidentes, sunt autem propriissimi actus prudentiæ, quæ, ut dictum est, est recta ac vera ratio agibilium. Similis discursus reflexus certus & evidens formari potest, quoties intellectus elicit judicium certò probabile de honestate vel inhonestate operis, ut *constat ex quæst. superiore*, & ex locis citatis *ex tract. de consc. prob.* Ergò omne judicium certò probabile de honesto & inhonesto semper habere potest annexum judicium certum & evidens, à prudentia strictè dicta elicitum, quod erat probandum.

In probabilibus prudentia non enunciat de objecto secundùm se, sed de operatione tendente in objectum.

14. Hinc sequitur, prudentiam strictè dictam, quando versatur circa res incertas, in eo potissimè sitam esse, quòd enunciet de honestate & inhonestate formali operationis humanæ, circa quam ex certo ac evidenti lumine reflexo infallibiliter verum dicit. E contrà non est prudentiæ strictè dictæ in rebus incertis judicare de materiali honestate & inhonestate operis secundùm se spectati, quia circa hoc errare possumus, & aliquando erramus, etiam quando honestè operamur, & certi sumus de formali operationis honestate, ut constat ex dictis. Cæterùm in hoc ipso casu, quando formalis honestas operationis separatur ab honestate objecti materialis secundùm se accepti (idem valet de inhonestate formali ac materiali honestate operationis) non deest omnis honestas ex parte objecti, tunc enim objectum illud, quod secundùm se materialiter sumptum est malum & contra legem, si consideretur in ordine ad peculiares circumstantias, quibus subest hîc & nunc, verè est licitum, quia prout illis afficitur, verè permittitur, aut etiam à Deo præcipitur per accidens, suamque à dicta Dei voluntate atque à circumstantiis illis peculiaribus honestatem accipit. Vide *quæst. 28. de consc. prob. num. 58.*

Prudentia tamen semper certò enunciat de aliquo objecto assignabili.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Prudentia propria nunquam errat materialiter, aut invincibiliter.

15 OBJICIES. Nulla ex quinque virtutibus intellectualibus errare potest, ne quidem materialiter, aut invincibiliter; quia de ratione virtutis intellectualis est, ut non possit errare, ut vidimus ex Philosopho *6. Ethic.* Ergò repugnat, prudentiam materialiter aut invincibiliter errare.

Confirmatur. Nullum opus est ex arte, in quo artifex materialiter & invincibiliter errat. Ergò nullum opus procedit à prudentia, in quo proponendo intellectus errat. Ergò quæ materialiter mala sunt, nec prudenter, nec ex prudentia fiunt. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo concedendo totum, si loquamur de prudentia strictè dicta; actus enim à tali prudentia elicitus nunquam errat in nostra, Philosophi, ac S. Thomæ sententia, sed semper verum enunciat de objecto, in quod fertur. At in sententia Celladei oppositum sequitur, ut vidimus.

Omnis error mate-

16. Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia utraque. Disparitas est,

rialis impedit bonum artis, cujus malum non minuitur vel augetur per errorem, aut per bonam vel malam fidem artificis.

est, quia bonum artis non consideratur in artifice, sed solùm in artefacto. Hinc repugnat bonum artis haberi, si in ipso opere materiali erretur. Et sanè error in artefacto non variatur, nec augetur, nec minuitur, quomodocumque artifex erret, sive vincibiliter, sive invincibiliter, sive ex industria à regulis artis declinet, ut patet. At bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, quia prudentia primariò enunciat de ipsa operatione hominis, quæ maximam varietatem subit, pro diversa dispositione intellectûs rem proponentis. Si enim res proponatur ut mala, voluntas gravius peccat ponendo rem illam, quàm si intellectus, errore deceptus, rem illam ut bonam proposuisset. Rursus voluntas peccat ponendo rem illam, si ex errore vincibili proponatur ut bona. At si invincibiliter credatur bona, voluntas à toto excusatur, & honestè operatur. Ratio est, quia objecta non immediatè afficiunt voluntatem, sed solùm ut proponuntur voluntati. Ergò si invincibiliter proponantur ut bona, voluntas non fertur nisi in bonum, ideoque actus ille non solùm non imputatur ad culpam, sed è contra laudem meretur, quia homo fecit quod potuit & scivit; quod laudabile est, quamvis propter insuperabilem difficultatem inveniendi veritatem à vero aberret. Itaque multa materialiter mala sæpè per accidens prudenter & à prudentia fiunt, quia prudentia secum patitur errorem circa objectum materiale, quamvis ars cum tali errore conjungi non possit. Cæterùm actus erroneus nunquam elicitur à prudentia, sed solùm dat occasionem, ut prudentia, novis principiis reflexis adjuta, consideret objectum, circa quod intellectus errabat, in ordine ad novas circumstantias, atque ita tandem certò enunciet, objectum illud in talibus circumstantiis esse permissum, præceptum, aut vetitum.

Error operantis variat aut etiam impedit malum quod prudentia vitat.

Incongrua Celladei argumentatio.

17. Quæ cùm certa sint omnibusque notissima, mirum est, Celladeum à paritate erroris in materia artis argumentum fecisse ad errorem in materia prudentiæ, cùm certum sit errores istos diversissimè se habere in ordine ad finem artis ac prudentiæ. Error enim in artifice nulla ratione tollit aut imminuit malum, quod ars intendit amoliri. At error invincibilis absolutè tollit omne malum, quod prudentia cavere intendit. Eadem autem ratio probat, errorem invincibilem non impedire bonum à prudentia intentum, quia talis error fundat actum bonum, & patitur secum principia reflexa, per quæ de honestate operationis certificamur.

ASSERTIO TERTIA.

Multa judicia falsa, imò omnia judicia certò practicè probabilia de rebus ad mores spectantibus, sunt propria materia prudentiæ, strictè acceptæ juxta mentem Philosophi & S. Thomæ.

Judicia practicè probabilia sunt propria materia prudentiæ reflexæ.

18. PROBATUR primò. Illa judicia incerta sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ, in quæ reflectens intellectus, si principiis synderesis reflexis adjuvetur, ex illorum qualitate certò cognita evidenter inferre potest, operationem talem esse licitam &c. Hujusmodi enim illatio certa & evidens est recta & vera ratio agibilium, ideoque propriissimè ad prudentiam pertinet. Sed multa judicia falsa, & omnia judicia certò practicè probabilia talia sunt, ut constat non solùm *ex assert. 2. & quæstione superiore*, sed etiam *ex toto tract. de consc. prob.* Ergò omnia ejusmodi judicia sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ.

S. Thomas Celladeo contrarius.

19. Probatur secundò. S. Thomas *1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 3.* hæc habet. *Verum intellectûs practici aliter accipitur, quàm verum intellectûs speculativi; ut dicitur 6. Ethicorum; nam verum intellectûs speculativi accipitur per conformitatem intellectûs ad rem. Et quia intellectus non potest infallibiliter conformari in rebus contingentibus, sed solùm in necessariis: ideo nullus habitus speculativus contingentium est intellectualis virtus, sed solùm est circa necessaria. Verum autem intellectûs practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum, quæ quidem conformitas in necessariis locum non habet, quæ voluntate humana non fiunt, sed solùm in contingentibus, quæ possunt à nobis fieri, sive sint agibilia interiora, sive factibilia exteriora: & ideo circa sola contingentia ponitur virtus intellectus practici, circa factibilia quidem ars, circa agibilia verò prudentia.* Hìc S. Thomas primo aspectu sibi contradicentia tradere videtur, scilicet, nullam de rebus contingentibus dari virtutem intellectualem speculativam, eò quòd intellectus se illis certò & infallibiliter conformare nequeat. Et tamen expressè ait, prudentiam (quæ est virtus intellectualis, & quidem, ut in eodem articulo latè probat, homini maximè necessaria) circa contingentia versari, & consequenter certò & infallibiliter in illa ferri. Verùm ipsemet S. Doctor hæc facilè conciliat, quia verum prudentiæ non sumitur à conformitate intellectûs cum re contingenti, de qua enunciat; sed solùm à conformitate rei & operationis cum appetitu recto. Unde quoties objectum aliquod, aut judicium intellectûs, vel operatio est conformis appetitui recto, toties locus datur prudentiæ, quæ verum suum habet, & de illo infallibiliter enunciare potest, quòd objectum sit licitum, quòd operatio sit honesta, quódque judicium illud sit prudens, quamvis sit fallibile, & à propria prudentiæ virtute non eliciatur. Hæc S. Thomæ Doctrina verissima est, sed in omnibus Celladeo contrariatur, ut patet.

Verum quod prudentia affirmat, est conformitas objecti cum appetitu recto.

Aristoteles prius id ipsum docuit.

20. Doctrinam hanc sumpsit S. Thomas ex Aristotele *6. Ethicorum cap. 2.* ubi ratio prudentiæ dicitur consentanea appetitui recto, seu ratio confessè se habens ad appetitum rectum, ut Celladeus ipse fatetur hìc §. 2. Ergò ex mente Aristotelis & S. Thomæ prudentia non enunciat de rebus contingentibus, quod ita vel non ita se habeant secundùm se, sed solùm quòd sint vel non sint conformia appetitui recto. Ubi hæc rectitudo reperitur, ibi reperitur objectum prudentiæ, sive res ipsa, de qua agitur, sit vel non sit secundùm se, qualis ab intellectu proponitur. Hoc posito, sic arguo.

Judicium falsum, & operatio, quam ponit, sæpè sunt conformia appetitui recto.

21. Multa judicia logicè falsa sunt conformia appetitui recto. Ergò sunt materia prudentiæ, seu continent veritatem, quam prudentia strictè dicta affirmat. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Judicium, quo quis putat, *hunc hominem esse suum patrem, eoque titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam*, est conforme appetitui parentibus obtemperandi, quippe qui inclinat nos ad honorem & obedientiam illis præstandum, qui communi fama ita creduntur parentes, ut nulla de opposito ratio probabilis appareat. De hoc nemo dubitaverit, nisi qui certissima in dubium revocet. Quid enim certiùs, quàm nos ab appetitu obediendi parentibus stimulari ad obe-

obediendum parentibus sic existimatis? At appetitus obediendi parentibus rectus est, cùm sit conformis legi naturali à Deo latæ. Ergò judicium, quo quis putat *hunc hominem esse suum patrem, eique titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam*, est conforme appetitui recto. Ergò est materia, seu veritas objectiva, quam prudentia strictè sumpta respicit & affirmat. At hoc judicium sæpè est falsum. Idem valet in plurimis aliis casibus, ut patet. Ergò multa judicia falsa sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ. Idem valet de omni judicio certò practicè probabili, cùm eadem de omnibus ejusmodi judiciis sit ratio.

Judicium probabile, ejusq; objectum conforme est recto appetitui finis.

22. Probatur tertiò. Appetitus, quo finem intendimus, Deoque in omnibus, juxta ipsius voluntatem à nobis diligenter investigatam ac intellectam, obtemperare intendimus, est appetitus rectus antecedens, cum quo ex mente Aristotelis & S. Thomæ alia comparanda sunt, ut prudentia in illis suum objectum inveniat. Hoc posito sic. Appetitus iste postulat, hominem in rebus incertis facere, quod in se est, ut veritatem inveniat, & non operetur, nisi juxta eam rationabiliter ac diligenter inventam. Ergò omne judicium certò probabile, utpote optimum, ad quod in rebus incertis pertingere possumus, item omne judicium invincibiliter erroneum, atque objecta per talia judicia proposita verè sunt, & reflexè agnoscuntur esse conformia recto appetitui finis, quia non aliter satisfacere possumus isti appetitui, quàm ponendo objecta per judicia istiusmodi repræsentata, cùm ad meliora & certiora nequeamus pervenire. Et sanè omnia ista ex vi talis intentionis, seu appetitus imperari possunt, & frequenter debent, quamvis præter expectationem contingat judicium imperatum esse falsum. Sic judex, falsis testibus deceptus, non potest huic appetitui satisfacere, nisi ferat sententiam materialiter & invincibiliter erroneam, ut patet. Ergò omnia ista non solùm non discordant, sed expressè concordant cum appetitu recto finis, à quo tota series actionum moralium suam directam originem & causalitatem desumit.

Judicium probabile conforme est appetitui recto, à quo imperatur.

23. Probatur quartò. Nullum judicium obscurum elici potest, nisi dependenter ab imperio voluntatis, ut omnes fatentur. Jam ex judiciis obscuris, alia sunt temeraria, & absque debita diligentia eliciuntur, alia sunt certò probabilia, ac rationabilia, quæ non nisi post debitam diligentiam ex motivo absolutè & comparativè magno seu verè probabili imperantur. Hinc sic arguo. Imperium, à quo judicium probabile dependet, rectum est & honestum, quia non temerè, sed rationabiliter imperat illud judicium, utpote quod supponitur esse probabile ac rationabile, & non elici, nisi post diligentiam debitam. Econtrà imperium, à quo judicium temerarium dependet, non est rectum, sed pravum, ac reprehensione dignum, alioquin actus imperatus vitio verti non posset. Ecce omne judicium certò probabile conforme est appetitui recto antecedenti, nempe imperio voluntatis, à quo dependet. Ergò omne ejusmodi judicium est prudens, non quia elicitur à prudentia, sed quatenus regulatur & imperatur ab appetitu recto, sub hac enim consideratione est propria materia prudentiæ strictè dictæ.

Omne judicium certò probabile est actus imperatus prudentiæ.

24. Probatur quintò. Omne judicium certò probabile, de quo proximè locutus sum, propriè regulatur & imperatur à prudentia strictè dicta. Ergo est propria materia prudentiæ, & rectè vocatur judicium prudens, non quia elicitur, sed quia à prudentia imperatur. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Imperium, à quo ejusmodi judicium probabile dependet, est rectum & honestum, ut vidimus. Ergò regulatur à judicio recto & prudenti, quia repugnat volitio recta, quæ à judicio recto non reguletur. Jam hoc judicium non potest esse obscurum & inevidens, alioquin opus esset alio imperio ad illud eliciendum. Ergò opus etiam esset alio judicio prævio regulante, & sic in infinitum. Ergò sistendum est in imperio voluntatis, quod à judicio evidenti regulatur. Hoc judicium evidens est ratio recta per conformitatem cum objecto, & est actus à prudentia elicitus, quia proximè dirigit honestum voluntatis imperium. Porrò evidens hoc judicium, à quo dictum imperium regulatur, necessariò proponit honestatem, seu honestam eligibilitatem judicii à voluntate imperandi, & dictat, quod illud judicium rectè seu conformiter ad rectum appetitum finis præconcepti imperetur, alioquin impertinenter se haberet ad tribuendam certam & indubitatam rectitudinem ac honestatem in imperium, quod regulat. Ecce omne judicium certò probabile est, & meritò vocatur judicium prudens, quia est proprium objectum, de quo prudentia certa & evidens enunciat, quòd rationabiliter eliciatur, quódque ejus elicitio sit conformis recto appetitui finis. Hac ratione omne istiusmodi judicium à prudentia strictè dicta imperatur, ac proinde verè & propriè est judicium prudens, ortumque habet à prudentia strictè dicta, non ut actus elicitus, sed solùm ut actus imperatus, qui per directam & ordinatam causalitatem ab actu prudentiæ certo & evidenti derivatur. De hoc argumento latè egi *quæst. 12. de consc. prob. num. 14.* ubi plura huc spectantia invenies.

ASSERTIO QUARTA.

Si loquamur in latiori, sed communi & usitata vocum significatione, omne judicium certò probabile, maximè si versetur circa materiam morum, verè est & meritò vocatur judicium prudens, & propriissimè dicitur prudenter elici.

Omne judicium probabile in lata & communi significatione terminorum est prudens, & strictè loquendo prudenter elicitur.

25. PROBATUR primò. Omne judicium, quod post diligentem veritatis indagationem, & post omnia hinc inde allata ab homine materiæ illius capace & perito debitè perpensa, citra omnem indebitam animi propensionem, ob motiva tam absolutè quàm comparativè magna elicitur, est & meritò vocatur rationabile, & prudens, maximè si versetur circa mores, qui sunt propria materia prudentiæ strictè dictæ. Sed omne judicium certò probabile est ejusmodi, quia nititur motivo verè magno, quod meretur assensum, & non elicitur nisi à perito materiæ post debitam diligentiam adhibitam, ut ex definitione opinionis probabilis, & necessariò ad eam requisitis certò constat. Ergò omne judicium certò probabile verè est, & meritò vocatur prudens, maximè si circa mores versetur. Argumentum videtur constare ex per se notis, si loquamur in latiori, sed communi vocum significatione. Cæterùm si quæ sit difficultas, ea est in majore, quæ ex eo probatur, quòd omnes periti, qui materias, in quibus sunt versati, dicto modo examinant, ac determinant, verè sunt & haben-

habentur sapientes ac prudentes in arte sua, quibus proinde omnes imperiti meritò fidem præstant. Ergò judicium, quod hoc modo eliciunt, verè est, & meritò præsumitur rationabile, sapiens ac peritum. Ergò est & meritò dicitur prudens, quia sapientia & peritia confunduntur cum prudentia latè dicta, prout nimirum prudentia stultitiæ ac temeritati opponitur, in quo sensu communissimè accipitur, maximè si restringatur ad materiam morum, nec de hoc videtur esse posse dubium.

Nullum judicium probabile est temerarium.

26. Probatur secundò. Nullum ejusmodi judicium temerè elicitur, quia circumstantiæ illi adjunctæ manifestè excludunt omne id, à quo temeritas procedere potest. Ergò omne ejusmodi judicium absque temeritate, & consequenter rationabiliter, sapienter ac prudenter elicitur. Rursus, peritus de aliqua re consultus manifestè implet munus suum, si modo in assertione expresso quæstionem resolvat. Nemo enim nisi stultè aliud ab eo exigere potest. Ergò manifestum est, tale judicium esse rationabile, peritum, sapiens, ac prudens; nisi enim tale judicium eliceret, non impleret munus suum. Confirmatur. Omnes, qui veritatem & rectitudinem cupiunt, pro resolvendis suis dubiis tales quærunt, quia præsumunt, ac sciunt, eos nil nisi rationabile, peritum, ac prudens dicturos, si dicto modo quæstionem resolvant. Ergò tale judicium est rationabile ac prudens. Præterea sic arguo. Si tale judicium per accidens à vero aberret, perspicuum est, errorem illum esse inimputabilem, ac per debitam diligentiam prorsus insuperabilem ac inevitabilem. At omne judicium ejusmodi, quod post dictam diligentiam evadit invincibiliter erroneum, moraliter loquendo habetur pro vero, censeturque prudens ac sapiens, respectu habito ad statum ignorantiæ humanæ, atque ad conatum, qui pro veritate invenienda ab hominibus potest & debet adhiberi.

Aliæ rationes pro assertione.

Expedit hominibus elicere judicia probabilia, & secundùm illa operari.

27. Probatur tertiò. Omne judicium in assertione expressum est tale, ut expediat illud elici, eò quòd nitatur motivo, quod assensum meretur, qui enim talibus ob timorem erroris non assentiretur, vitæ civili ac humanæ societati ineptus esset, turpiusque erraret, quàm si talibus fidem daret. Ergò omne ejusmodi judicium est rationabile, peritum, ac sapiens, alioquin non expediret illud elici, ut patet. At omne judicium rationabile, quod expedit elici, si de agibilibus & moribus enunciet, est & vocatur prudens in latiori significatione, quia rationi consonum est, hominique expediens, atque circa propriam prudentiæ materiam versatur. Datis enim his, nil deest, quominus tale judicium prudens dicatur, & ad prudentiam in latiori significatione reducatur. Et sanè ex nullo alio capite sapientes ac prudentes cognoscimus, aut homines esse prudentes ac sapientes reputamus, quàm quia scimus aut præsumimus eos de rebus istiusmodi rationabiliter juxta dicta discurrere. Dicere enim cum Celladeo eos tantùm esse sapientes, si non errent, absurdum est, & contra communem omnium existimationem, quia est ponere definitionem prudentium ac sapientium, ad quos consilii causa debemus accedere, per quam scire non possumus, quinam sint, qui non sint prudentes. Ex his concluditur, necessarium esse, ut illi sint & dicantur prudentes, saltem quoad nos, & in latiori sed usitata significatione, qui de rebus agibilibus rationabiliter ac probabiliter judicant, juxta dicta in assertione.

Judex prudenter judicat, etiam quando à testibus deceptus errat in suo judicio.

28. Probatur quartò exemplis manifestis. Judex prudenter judicat & pronuntiat, illum esse reum, cujus crimen legitimè convictum est. Et quidem absque dubio implet munus suum taliter judicando, etiam quando per falsos testes decipitur. Ergò judex ita judicans prudenter judicat, etiam quando in suo judicio errat. Idem valet de Judice judicante juxta præscripta legum, in rebus minoris momenti, pro quibus tam efficax probatio non requiritur, quàm ubi agitur de vita hominis. Inde autem eâdem de causa fit progressus ad omne judicium in assertione expressum, quia eadem de omnibus est ratio: judex enim in civilibus non habet majus fundamentum, quàm quod exprimitur in assertione. Similiter qui ex errore, ob famam communissimam, credunt tales esse suos parentes, prudenter id credunt, quia non nisi stultè ac imprudenter circa hoc hæsitarent; sed & omnes communiter supponunt ac dicunt, tales homines prudenter judicare; idque verum habent, quamvis fortassis illi decipiantur, & errent. Demùm S. Augustinus *lib. de utilit. credendi*, totus est in ostendendo, homines laudabiliter ac utiliter aliis credere, quamvis fidem illis dandò nonnunquam decipiantur. Ergò ex mente Augustini & communi omnium consensu multa judicia falsa verè sunt & dicuntur prudentia, quamvis sint falsa. Idem autem valet de omni judicio probabili, quod in assertione expressum est; quia eadem ratio æquè procedit de omnibus.

Judicium probabile prudenter elicitur.

29. Jam si talia judicia juxta latiorem, sed communem vocum acceptionem dicantur & sint prudentia, absque dubio propriissimè ac strictissimè dicuntur prudenter elici, ac imperari; quia per directam causalitatem descendunt à prudentia strictè dicta, ut ostensum est. Præterea perspicuum est talia judicia imperari ab appetitu honesto & laudabili, quod fertur in illa tanquam utilia, imò & necessaria pro vita humana debitè instituenda. At omnia, quæ à tali imperio ortum habent, in omni rigore, ac propriissimè loquendo prudenter eliciuntur, ut patet.

Ratio probabilis proponit id, quod reverà convenit naturæ rationabili.

30. Probatur quintò. Ratio proponens illud, quod revera convenit naturæ humanæ, est ratio recta & prudens, tum quia proponit bonum, ad quod tendere congruum est, tum quia est recta ratio agibilium, ut patet. Sed omnis ratio probabilis de rebus moralibus, qualem exposuimus in assertione, etsi falsa, proponit illud, quod reipsa naturæ humanæ conveniens est. Ergò omnis ejusmodi ratio, etsi falsa, est ratio recta ac prudens. Minor, in qua sola est difficultas, admittitur à Celladeo hîc *lib. 3. quæst. 1. 3.* ubi hæc habet. *Sapienter quippe Vasquez 1. 2. disp. 58. cap. 2. dicit: sed quia humana sapientia non potest omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est: ideo illud in re debet dici natura humana convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non. Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanorum actuum. Hac rectè Vasquez, si quando erratur, error est invincibilis.* Hactenus Celladeus, qui ex mente Vasquii admittit minorem esse verissimam, in quo tamen sibi contradicit, quia jam prudentia, & ratio recta, aliquando inveniuntur in judicio falso, & honestas invenitur in opere, quod ratio falsa regulat, quia quod verè est naturæ humanæ consentaneum, haud dubiè est honestum, & operationem honestam fundat. At hæc duo sunt potissima, in quæ Celladeus toto opere invehitur. Hoc argumentum

Vasquez nobiscum est.

Celladei contradictio.

tum ad hominem urget Celladeum, sed etiam absolutè concludit intentum, quia ratio Vasquii, & fundamenta benignæ sententiæ evincunt veritatem minoris, quidquid sit de contradictione Celladei. Ergò minor est vera. Conclusio autem legitimè deducitur.

Prudens est, qui probabiliter judicat.

31. Ex dictis duo inferuntur. Primùm est, eos in sensu latiori ac communiter usitato esse prudentes, qui in rebus obscuris, maximè si ad mores pertineant, probabiliter judicant. Illi enim absque dubio sunt prudentes, qui judicia prudentia eliciunt, prudentemque de rebus propositis sententiam ferunt. At omnia judicia certò probabilia de rebus moralibus sunt prudentia, juxta dicta. Ergò qui talia judicia eliciunt, sunt prudentes.

Motivum probabile rectè dicitur id, quod fundat judicium prudens,

32. Secundò infertur, eos, qui definiunt motivum probabile per hoc, quod fundet judicium prudens, aut quod à prudentibus meritò probatur, aut quod illi assensus prudenter præbeatur, verum dicunt, & perspicuè ac determinatè loquuntur, nec per umbram in circulum vitiosum incidunt. Hoc expresè probatum est *quæst. 24.* sed id ipsum ex hîc dictis clariùs percipitur, quia omnia & singula ad prudentiam tam strictè quàm latè sumptam spectantia explicata ac determinata sunt, absque eo quod idem per idem explicetur, ut patet. Ergò motivum probabile rectè ac perspicuè per dictas expressiones exponitur.

Magnum datur discrimen inter actus, quos prudentes nominamus.

33. Demùm quamvis hæc omnia vera sint, multùm tamen interest inter judicia elicita à prudentia, & hæc, quæ non à prudentia, sed ab opinione eliciuntur. Illa enim essentialiter sunt actus prudentes, quia sunt proprii effectus illius virtutis intellectualis, quam prudentiam nominamus, ac proindè certò & infallibiter verum dicunt, quatenus enunciant opus aliquod, quod per opinionem proponitur, esse conforme appetitui recto, & à Deo permissum, &c. At judicia opinativa, de quibus hîc loquimur, non sunt actus eliciti prudentiæ, quæ est virtus intellectualis, sed solùm actus imperati ab illa. Sunt etiam proxima materia illius, quatenus fundant discursum reflexum certum & evidentem, quo de licita operatione certificamur &c. Atque hinc actus isti probabiles verè sunt prudentes, & ad prudentiam pertinere dicuntur, quia scilicet sunt actus à prudentia imperati, & postquam imperati sunt, sunt materia & objectum proprium alterius discursûs à prudentia eliciti, ac proindè meritò vocantur prudentes, quia objectum frequenter eandem denominationem habet cum actu & habitu, à quibus consideratur, sunt enim correlativa, & ratione correlationis eandem denominationem subeunt. Sic non solùm habitus & actus fidei, sed etiam objectum creditum vocatur fides, juxta illud ex symbolo S. Athanasii. *Hæc est fides Catholica &c.* Idem locum habet in scientiis, & nominatim in prudentia.

Replica in contrarium.

34. Dices. Omnes sapientes tam Philosophi quàm Theologi aliter loquuntur de prudentia, aliter de conscientia. Conscientiam dividunt in rectam & erroneam; nec tamen similem divisionem prudentiæ hactenus proposuerunt, ut alia dicatur prudentia recta, alia erronea; nam error non est membrum prudentiæ, sed est ipsa imprudentia. Ergò perperam dictum est, multa judicia falsa esse, & meritò vocari prudentia. Ita Celladeus §. 2.

Actus prudens in latiori significatione dividitur in verum & falsum.

Respondeo sapientes aliter loqui de prudentia strictè dicta actibusque ab illa elicitis, aliter de conscientia aut opinione; quia illa semper est certa & evidens, non autem istæ. At si loquamur de prudentia minùs strictè sumpta, aut de actibus à prudentia strictè sumpta imperatis, vel de propria prudentiæ reflexæ materia, certum est, sapientes, tam Theologos quàm Philosophos, eodem modo loqui de judicio certo practicè probabili, quo loquuntur de dictamine conscientiæ incerto, sed vincibiliter non errante; quia omnes palam fatentur, multa judicia summè probabilia, quæ sunt dictamina conscientiæ, esse invincibiliter erronea. Omnes autem ejusmodi judicia prudentia & prudenter elicita vocare consueverunt, ut videre est in exemplis allatis. Quem loquendi modum retinent de judiciis elicitis, quamvis postea constiterit, errorem intervenisse. Præterea Auctores benignæ sententiæ (ipso Celladeo fatente, & de eo conquerente) in eo se fundant, quòd qui sequitur judicium probabile, sequatur dictamen prudens ac prudenter elicitum, ideoque non peccet, quamvis illum errare contingat. Et sanè omnes Patroni benignæ sententiæ aut expresè per terminos explicitos, aut implicitè per terminos æquivalentes ita loquuntur & sentiunt. Ergò omnes sentiunt ejusmodi judicia esse prudentia. Ergò tantùm abest ut distinctio judicii prudentis in verum & falsum sit nova & inaudita, ut certum sit, illam esse communem, & si sermo sit de opinione probabiliori, à nemine præter Celladeum in dubium vocatam. Itaque distinctio hæc, in sensu à nobis explicato intellecta, legitima est, communique Auctorum omnium consensui, ac veritati ipsi consentanea.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

An sola charitas sit appetitus, cui opus conformari debet, ut sit honestum,

35. OBJECTIO prima. Appetitus rectus antecedens, cui opus, seu judicium conformari debet, ut sit prudens, est intentio finis nostri, seu voluntas nos rectè ordinans ad finem nostrum verum. Ergò appetitus iste alius non est, quàm charitas, seu dilectio Dei saltem inchoata, quia sola charitas, perfecta aut inchoata, est virtus ordinans nos circa ultimum finem nostrum. At charitas est appetitus amplectendi bona, & vitandi mala, non quæ quomodocumque apparent, sed quæ reipsa sunt talia; quia eò collimat, ut exequatur quæ Deus verè jussit, & vitet quæ Deus reipsa prohibuit. Ratio est perspicua, quia si appetitus ille solùm obligaret ad ea facienda & vitanda, quæ apparent præcepta & vetita, non obligaret ad diligentiam pro veritate invenienda, quia sine ulla diligentia, alia ut præcepta, alia ut vetita sponte apparent. At haud dubiè obligat ad diligentiam, ut sciamus quæ sit voluntas Dei bona & bene-placens, & in hoc studet & vigilat omnis, qui tali appetitu urgetur. Ergò appetitus ille vult reipsa bona, & odit quæ reipsa sunt mala. Ergò dictamen proponens ut bonum, quod reipsa malum est, necessariò discordat materialiter ab appetitu recto. Ergò non est prudens, nec ad prudentiam spectat. Ita Celladeus hîc §. 2.

Non solâ Charitas sed quivis appetitus rectus antecedens sufficit ad regulandum honestum.

Respondeo quodvis opus esse rectum ac prudens, modò conforme sit ulli appetitui recto à ratione vera immediatè regulato, sive appetitus ille respiciat finem prorsus ultimum, aut finem non ultimum, vel etiam medium quodvis honestum, quia non est potior ratio de uno quàm de alio, ut per se patet. Præterea eo ipso, quòd opus sit conforme appetitui recto, per hoc præcisè est rectum ac prudens; unde Aristoteles & S. Tho-

S. Thomas non sunt usi nisi generica expressione conformitatis cum appetitu recto. Ergò hæc generica expressio continet essentiam operis prudentis. At hæc generica expressio æquè convenit omni appetitui recto, ut patet. Ergò omnis appetitus rectus hoc habet, ut quidquid illi conformatur, sit prudens.

Charitas per accidens postulat opus malum invincibiliter creditum bonum, à nobis poni.

36. Sed ut insufficientia argumentorum à Celladeo allatorum magis pateat, do ipsi, quod petit; nempe appetitum rectum antecedentem, de quo loquimur, esse intentionem finis ultimi veri ac debiti, imò esse charitatem aut inchoatam, aut etiam, si velit, omninò perfectam, quia sola charitas, saltem inchoata, est virtus ordinans nos circa verum finem nostrum. Hoc posito, fateor, charitatem esse appetitum amplectendi bona omnia verè præcepta, & vitandi mala omnia verè prohibita, quæ aut certò sunt talia, aut per humanam diligentiam indagari possunt, & sufficienter cognosci; quia haud dubiè charitas obligat omnes ad diligentiam ejusmodi, & ad ea exequenda, quæ per talem diligentiam sufficienter deteguntur, ideoque per se loquendo disponit ad ea, quæ prætendit objectio. Sed difficultas est, an per accidens aliquando disponat, & dirigat ad alia? Ego haud dubiè affirmo: quia ob imbecillitatem & ignorantiam nostram sæpè contingit, ut post debitam diligentiam invincibiliter erremus circa ista, & aliqua proponantur ut præcepta, quæ revera sunt vetita. Jam in hoc casu evidens est, charitatem, utpote, sicut Celladeus ex S. Thoma rectè observat, virtutem architectonicam, postulare, ut talia fiant, quia juxta conditionem humanam, illa post diligentiam debitam invincibiliter proponuntur ut præcepta. Et sanè cùm intentio finis & charitas debeat architectonicè disponere de omnibus actionibus nostris, atque imperare omnes actus, non solùm quibus ad diligentiam adhibendam tenemur, sed etiam ad ea, quæ post diligentiam adhibitam invincibiliter proponuntur; evidens est talem appetitum, positâ diligentiâ, stimulare homines probos, eosque dirigere ad faciendum opus, quod invincibiliter creditur præceptum & bonum, etsi reipsa sit malum & vetitum secundùm se. Si talis esset humana conditio, ut per diligentiam certò scire possemus omnia, tam jussa quàm à Deo prohibita, tunc quidem omnis error circa jussa & prohibita, & consequenter omne opus ab errore ejusmodi profectum repugnaret appetitui recto, seu charitati; quia charitas impelleret nos ad veritatem ipsam indagandam, nec unquam quiesceret donec ipsa veritas inveniretur. At contrario modo jam se res habet; ea enim est jam conditio nostra, ut nequaquam possimus omnia ista certò cognoscere, sed in multis necessariò erremus, ac proinde virtutis architectonicæ est, pro isto etiam casu deliberare, & ad deliberata perficienda stimulare. At clarum est, quod virtus illa aliud determinare ac ad aliud pro tali casu stimulare non possit, quàm ut ea amplectamur & fugiamus, quæ post debitam deliberationem præcepta esse aut prohibita concluserimus; si enim ad aliud stimularet, utique aut ad impossibile, aut ad peccatum stimularet. Ad impossibile quidem, si ad veram aut certam talium cognitionem urgeret, aut obligaret; ad peccatum verò, si stante errore, quem vitare non possumus, ad opus errori contrarium obligaret, quia haud dubiè peccatum est contra conscientiam invincibiliter constitutam operari. Ergò certum est, opera à tali errore proposita, & executioni mandata, esse conformia charitati, seu appetitui recto. Hinc etiam sequitur quod opus tale hîc & nunc, ne materialiter quidem repugnet appetitui recto, quia materia hujus operis non sumitur secundùm se præcisè, sed prout substat errori invincibili, in quo sensu nullo modo contrariatur, sed absolutè & simpliciter congruit appetitui recto. Cæterùm etsi concederetur, quod opus illud secundùm se acceptum, in aliquo sensu materialiter repugnaret charitati, evidens tamen est, quod hîc & nunc formaliter ac directè illius inclinationi, exigentiæ, ac præscripto conveniat. Hoc autem & reipsa & ex mente Aristotelis ac S. Thomæ ad honestatem sufficit, & est ipsum verum, de quo prudentia strictè dicta enunciat.

Opus sic positum non solùm formaliter, sed etiam materialiter conformatur charitati.

Objectio 2.

37. Ob. 2. Quando pater in venatione occidit filium, quem putat esse feram, voluntas occidendi filium, solùm per accidens & ex ignorantia conjungi potest cùm amore filii. Ergò voluntas occidendi filium simpliciter discordat ab amore filii; quia amor filii non est amor solùm filii existimati, sed amor filii reipsa talis. At eadem est ratio de appetitu recto, qui non nisi per accidens, scilicet ex errore & ignorantia invincibili, conjungi potest cum opere materialiter pravo. Unde appetitus ille rectus est voluntas saltem virtualis, &, si reflectatur, formalis & expressa exequendi omnia, quæ Deus reipsa jussit. Ita Celladeus loco citato.

Nititur paritate incongrua.

Respondeo paritatem hanc & incongruam esse, &, si quid valeas, nobis favere. Est incongrua, quia loquitur de filio existimato fera. At voluntas occidendi feram existimatam indifferenter se habet ad amorem & odium filii, quia æquè cum utroque cohæret. Ergò illa voluntas impertinens est ad amorem filii, quia amor filii talem occisionem non dirigit. At nos loquimur de lege Dei invincibiliter, sed erroneè existimata; & quæritur, an illam observare intuitu voluntatis divinæ sit conforme appetitui recto? Ad hoc autem determinandum paritas instituenda erat inter amorem paternum, & hominem erroneè sed invincibiliter creditum filium. At si hoc modo instituatur comparatio, argumentum benè procedit, sed evidenter favet nobis; quia evidens est, voluntatem benè faciendi homini, invincibiliter existimato filio, esse conformem amori paterno, cùm amor paternus ad hoc obliget, & quicumque talem voluntatem omittit, dignus est vituperio, tanquam homo, qui à debito filiorum amore deflectit. Unde idem à pari valet in casu nostro, quia qui invincibiliter existimat, Deum aliquid præcepisse, tenetur utique illud exequi, idque ex impulsu charitatis, cujus propensioni se conformat, quando illud exequitur, sicut ejusdem propensioni contrariaretur, si illud facere detrectaret.

Amor filii stimulat ad benè faciendum filio tantùm existimato.

Exemplum à Celladeo adductum, maximè contra illum facit.

38. Et sanè exemplum patris & filii ex omnibus maximè contrariatur Celladeo, quia vix est pater, qui certò novit filium, & pauciores filii certò norunt suos patres. Ergò lex pietatis non aliter potest dirigere patrem ad amandum verum filium, quàm exigendo ut amet eum, quem tantâ apparentiâ & verisimilitudine credit esse suum. Jam licet amor extranei cogniti pro extraneo non sit conformis amori parentis, tamen amor extranei sumpti non merè materialiter, sed prout subest tantæ probabilitati quod non sit extraneus, quantam parentes communiter habent; talis, inquam, amor est conformis appetitui amandi filios, aut nullus amor filiorum est talis, quia vix ullus de suo amore aliud scit, quàm quod

sit de filio, quem cum tanto fundamento reputat esse suum. Porrò quia talis amor essentialiter supponit talem persuasionem, ideo talis amor essentialiter conformis est appetitui amandi filios. At objectum ipsum, seu persona amata ex se indifferens est, ut appareat vel non appareat filius. Ergò ex se non est conforme aut dissonum amori patris, cui tamen est prorsus conforme, si sumatur prout substat dicto errori invincibili.

Propositiones Celladei æquivocæ.

39. Hinc habemus, quod propositiones Celladei nullam vim habeant, nisi æquivocè accipiantur. Sic illa propositio: *voluntas occidendi filium simpliciter dissonat ab amore filii:* vera est in sensu formali, si accipiatur pro voluntate occidendi eum, de quo quis dubitat, aut novit, quod sit filius; quia talis voluntas essentialiter repugnat cum amore paterno erga filium. At falsa est, si accipiatur pro voluntate occidendi eum, qui invincibiliter putatur fera, cùm realiter sit filius, nam illa voluntas non contrariatur amori paterno; certum enim est, amorem paternum conjungibilem esse cum tali volitione, quippe quæ essentialiter fundatur in judicio dictante rem visam esse feram, cum exclusione omnis dubii omnisque suspicionis de nocumento filii; ideoque nil habet ratione cujus repugnet cum amore patris erga filium. Hinc sequitur, idem à potiori dicendum esse de appetitu recto, qui repugnat quidem cum volitione, aut explicitè eligente malum, aut illud volente errore vincibili; nullatenus tamen repugnat cum volitione faciendi id, quod invincibiliter creditur esse bonum aut præceptum, etsi revera sit malum & vetitum.

40. Rursus hæc alia propositio: *Appetitus rectus est voluntas saltem virtualis, & si reflectatur, expressa & formalis exequendi omnia quæ Deus reipsa jussit:* non est absolutè vera, ut jacet, quia sensus est, quod sit voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa præcepit. At voluntas absolutè & efficaciter hoc intendens est imprudens in statu præsenti, qui fertur in impossibile; cùm absolutè necesse sit, nos in multis errare, modò accipiendo vetitum pro præcepto, modò præceptum pro vetito, &c. Ergò stultus esset, qui absolutè vellet illa omnia & sola exequi, quæ & qualiter Deus directè præcepit; quia vellet absolutè quod absolutè non potest exequi. Ergò appetitus rectus non est talis volitio. Itaque propositio illa non debet accipi absolutè ut jacet, & ut à Celladeo accipitur, sed exponi debet tanquam conditionata, ut sensus sit, appetitus rectus est voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa jussit, ubi certò constat quæ Deus requirit, in aliis autem, quantum fieri potest debitam diligentiam adhibendo. At volitioni sic conditionatæ non opponitur error invincibilis, aut opus à tali errore regulatum, ut patet; immò in multis illi conformis est. Ergò error invincibilis, & opus ex tali errore profectum non contrariantur appetitui recto, sed in multis illi conformantur. Exemplum sume à filio appetente patri obedire. Appetitus filii stultus esset, si absolutè nollet obedire nisi patri vero, quia vellet quod non potest exequi. Faciat enim quod vult, necessariò errabit in judicio de patre, & consequenter tenebitur ad obediendum non patri. Ergò prudens filius non habet appetitum absolutum, qualem ponit Celladeus, sed solùm conditionatum, qualem posuimus

Adde, Deum, ex suppositione erroris invincibilis, per accidens velle hic & nunc oppositum ejus, quod per se intendisset, si talis error non intervenisset. Ergò non potest non esse conforme charitati & appetitui recto velle illi conformari, & ponere opus illud, quamvis materialiter malum.

41. Ob. 3. Actus affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, sunt solùm compossibiles per accidens & ex ignorantia, quia, ablatâ ignorantiâ, intellectus necessariò desistit ab alterutra enunciatione. Interim hæc ignorantia non tollit contradictionem & oppositionem istorum judiciorum. Ergò similiter discurrendum erit de actibus voluntatis. Ponamus aliquem expressè velle exequi quæ Deus reipsa jussit, & in ejus auxilio fixum sperare, se agniturum semper quæ reipsa jusserit. Hoc posito, si invincibiliter erret in aliquo, electio rei, circa quam errat, erit quidem conjungibilis cum universali illa voluntate ipsius; at solùm per accidens & ex ignorantia, ut dictum est de actibus intellectûs. Cæterùm judicium, dictans rem reipsa contrariam legi Dei esse præceptam, apertè discordaret à voluntate illa. Ergò compossibilitas solùm per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se, & secundùm se. Ergò nullum dictamen erroneum est consentaneum appetitui recto; sed sicut errat materialiter circa res, ita errat materialiter circa appetitum rectum. Ergò dictamen erroneum nunquam dictat conforma appetitui recto. Ita Celladeus loco citato. Objectio 3.

Respondeo inprimis argumentum procedere de subjecto non supponente, quia Celladeus supponit volitionem, quam exprimit, esse appetitum rectum, etsi tendat absolutè ad ea omnia reipsa perficienda, quæ Deus reipsa jussit. At talis appetitus non est rectus, sed temerarius, præsumptuosus, ac stultus, ut constat ex dictis. Ergò licet nullum dictamen erroneum esset conforme tali appetitui, (quod tamen verum non est, quia adhuc benè cohærerent, cum formaliter non discreparent, licet ex parte objecti esset materialis repugnantia; in hac autem quæstione magis attendendum est ad formalem convenientiam, quam ad materialem discrepantiam, quia formalis concordia potissimè locum habet in actibus humanis, qui ex sua natura sunt voluntarii. Ergò actus ille esset simpliciter conformis appetitui dicto, quia formaliter cum illo concordaret) non sequitur nullum errorem esse conformem appetitui recto, imò ex dictis sequitur oppositum, quia omnis appetitus rectus universalis est virtualiter, & si reflectatur, est formaliter conditionatus, ut ostensum est; & consequenter conformis est errori invincibili, ac operi à tali errore regulato. Præterea Deus de facto ex suppositione erroris invincibilis actu præcipit hoc, & vetat illud, quod præscindendo ab errore è contrario fuisset præceptum aut vetitum. Ergò si actus ille, de quo Celladeus loquitur, vult omnia, quæ Deus de facto exigit à nobis, vult etiam opus ex errore invincibili profectum. Procedit de subjecto non supponente.

42. Respondeo secundò. Actus intellectûs, affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, esse per se & ex sua essentia conjungibiles. Ratio est, quia unus nullum prædicatum habet, ratione cujus possit alterum excludere ab intellectu, ut patet. Itaque falsum est, quod solùm per accidens, & ex suppositione quodammodo casuali se patiantur. In eo est æquivocatio Celladei, quòd non possint cohærere nisi ex ignorantia, cùm ignorantiâ ablatâ alter eorum actuum tollatur; hoc autem aliud non probat, quàm igno-

Actus intellectûs, affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, non per accidens, sed per se sunt conjungibiles.

ignorantiam esse prædicatum inseparabile ab altero illorum actuum, quod est verissimum. Itaque sicut ignorantia non est accidentalis, sed essentialis actui falso, ita si ignorantia sit causa, quod actus falsus superaddi possit actui vero, illa conjungibilitas non accidentaliter, sed per se connectitur cum actu illo. Uno verbo, ignorantia essentialiter requiritur, ut talis actus existat, ideoque ablatâ ignorantiâ necessariò tollitur illius existentia. At si semel existat, ex sua essentia conjungi potest cum altero. Ergò conjungibilitas istorum actuum est per se, non per accidens; ea enim per accidens se habent, quæ rebus ipsis positis adhuc indifferenter se habent ad prædicatum, quod dicitur accidentale. At nil tale evenit in casu nostro, ut patet. Ergò conjungibilitas ista non est accidentalis, sed per se & essentialis istis actibus. Jam quòd ignorantia non tollat contradictionem materialem & objectivam, non est ad rem, quia loquimur de contrarietate aut contradictione formali, ratione cujus unus actus excludit alium. At ignorantia ista impedit istam contrarietatem, & reddit actus illos simul producibiles, aut conjungibiles, quod solùm intendimus.

43. Hinc sic argumentor contra Celladeum. Eâdem ratione discurrendum est de actibus voluntatis, ac de actibus intellectûs, cùm ita se habeant actus voluntatis terminati ad objecta contraria sub diversa ratione, sicut actus intellectûs. At actus intellectûs ad talia terminati non solùm sunt compossibiles, sed etiam ita sunt connexi, ut ex sua natura unus cum altero cohæreat. Ergò idem valet de actibus voluntatis, aut de generali intentione voluntatis respectu errorum & operum per errores repræsentatorum, de quibus nunc loquimur.

Actus spei à Celladeo propositus non est spes, sed præsumptio.

44. Hæc quidem ita se habent, & ad intentum sufficiunt; verùm singula inspiciamus. Inprimis, qui absolutè intenderet ea, quæ Celladeus exprimit, imprudenter faceret, ut dictum est; similiter & qui talem spem eliceret, qualem proponit in argumento. Unusquisque quidem prudenter sperare potest, se in rebus necessariis necessitate medii non erraturum; at si quis absolutè speraret, atque expectaret à Deo, se nunquam nec in jure, nec in facto erraturum, vanissimè speraret; quia expectaret, quæ Deus non promisit, ideoque speraret ea, pro quibus inducendis nulla esset bona dispositio in causis; quod est in vanum sperare. Ergò neuter ex istis appetitibus esset rectus. Pone collectionem omnium fidelium eo modo firmiter sperare, omnes ita agnituros suos veros parentes, veros fratres, & consanguineos, ut nemo circa hoc aut aliud ejusmodi, ut circa impedimenta matrimonii contrahendi sit erraturus. Nónne inanis foret spes ejusmodi, per quam moraliter impossibilia sperarentur? Quid stultius tali spe firmâ, cujus objectum à nemine nisi temerè expectari potest ut aliquando ponendum? Et tamen Celladeus aliud exemplum non habet, in quo specimen ponat appetitûs, cum quo nec error nec opus ab errore directum conjungi possit.

Charitas nullam habet repugnantiam cum errore invincibili, aut cum opere à tali errore proposito.

45. Falsa est etiam illa propositio: *Compossibilitas solùm per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se.* Falsa est, inquam, quia evidens est, compossibilitatem accidentalem duorum nullam ex suo conceptu repugnantiam aut contrarietatem inter illa involvere. Sic per accidens est, quod homo iter faciat sine fatigatione, quia id non contingit nisi ex suppositione; quod utatur navi vel curru &c. Nihilominus iter facere sine fatigatione per se non repugnat homini, nec naturali illius inclinationi contrariatur. Ratio est, quia quoties accidens ipsum, ex cujus præsentia aliud alicui adjungitur, non est violentum subjecto, aut contrarium illi, cui superadditur, toties quod tali accidenti naturale est, nullam subjecto violentiam aut cum priori forma, contrarietatem habere potest: hac de causa cùm ipsa suppositio, scilicet vehi navicula, non sit contrarium aut violentum homini, neque iter agere sine fatigatione, est ipsi contrarium, aut violentum, quia hoc ipsum naturaliter consequitur ad ipsam suppositionem. Idem prorsus locum habet in casu nostro. Ignorantia invincibilis est suppositio, dependenter à qua error & opus ab errore profectum conjungi potest cum appetitu recto, seu cum charitate. At ignorantia ista nullam habet contrarietatem cum charitate, seu cum appetitu recto, alioquin justi talem ignorantiam non paterentur, Deus enim non facit miracula ut affligat justos; quod certè faceret, si gratia ex sua natura repugnaret cum tali ignorantia, quia contra exigentiam gratiæ & charitatis privaret eos scientiâ ipsis debitâ. Ergò neque error necessariò sequens talem ignorantiam, neque opus ab errore directum ullam habet contrarietatem aut repugnantiam cum appetitu recto, seu cum charitate.

Fundamentum Celladei doctrinam ipsius evertit.

46. Neque falsa tantùm est dicta propositio, sed etiam intento ac doctrinæ Celladei prorsus contraria; sic enim arguo. Quòd per se & intrinsecè contrariatur appetitui recto, haud dubiè peccaminosum est; sed error invincibilis, & opus ab eo regulatum intrinsecè & per se contrariatur appetitui recto. Ergò per se & intrinsecè sunt peccaminosa. Major & ex se patet, & ex eo confirmatur, quia plus est repugnare & contrariari appetitui recto, quàm illi non conformari, sed quodammodo ad illum indifferenter se habere. At hoc secundum infert, actum indifferenter se habentem ad appetitum rectum non esse bonum: ergò primum, nempe intrinseca contrarietas & repugnantia cum appetitu recto, apertè arguit malitiam & peccatum. Præterea appetitus rectus, de quo loquimur, est intentio finis debiti. At quod contrariatur & repugnat intentioni efficaci finis debiti, & ab illo nos avertit, est malum & peccaminosum. Ergò quod contrariatur appetitui recto malum est & peccaminosum. Itaque major est vera, minor est ipsa Celladei doctrina, quam omni conatu insinuare contendit. Consequentia autem & evidenter falsa est, & prorsus contraria toti intento Celladei, qui asserit voluntatem à conscientia invincibiliter erronea regulatam, non esse malam & peccaminosam, & in hoc tanquam in primario quodam fundamento totam discursûs sui machinam erexit. Adeò sibi in omnibus contrariatur hic Auctor, ut ubi maximè vult aliquid ad intentum pertinens probare, illud aliter haud faciat, quàm recurrendo ad principia non solùm falsa, sed primario ipsius asserto ac intento prorsus repugnantia.

Quòd contrariatur appetitui recto, est peccaminosum.

Conformitas cum appetitu recto, etsi per accidens existat, sufficit ad prudentiam.

47. Præterea toto eo admisso, quod Celladeus dicit, adhuc contrarium ejus, quod probare intendit, legitimè deducitur. Esto enim, tale opus per se loquendo contrarietur appetitui recto, attamen saltem hic & nunc, per accidens, & ex suppositione ignorantiæ invincibilis illi conformatur. At hoc tam ad intentum nostrum, quàm

quàm ad Celladeum revincendum sufficit; quia omne, quod conforme est appetitui recto, prudens est & honestum, undecumque tandem proveniat illa conformitas, sive per se, sive per accidens; quia quoties adest constitutivum, tòties adest constitutum, etsi forma constituens merè per accidens, immò & contra exigentiam adjungatur subjecto. Sic aqua est calida, quamvis per accidens, imò & violenter calorem recipiat. At error invincibilis, & actio ab eo regulata hìc & nunc, saltem per accidens, & ex suppositione ignorantiæ, est conformis appetitui recto. Ergò utrumque hìc & nunc est prudens, & reflexè per prudentiam certò & infallibiliter affirmari potest.

Æquivocatio Celladei detegitur.

48. Demùm fundamentalis æquivocatio Celladei in eo vertitur, quòd non distinxerit inter opus secundùm se consideratum, & illud idem ut substans errori invincibili & persuasioni probabili, quòd sit licitum, aut etiam præceptum. In primo sensu opus malum nunquam est conforme appetitui recto, quia malum est, nec habet unde honestatem accipiat, aut fundet actum à prudentia elicitum, quo conscientia certò dirigatur ad licitè operandum. Immò, quod plus est, admitti potest, quod tale opus materialiter contrarietur appetitui recto, quia in hoc sensu est materialiter malum. At in secundo sensu res aliter se habet, quia jam objectum illud non sumitur secundùm se, sed prout apparet, & probabiliter ac invincibiliter creditur bonum. At in tali acceptione opus illud hìc & nunc verè à Deo permissum est, aut etiam præceptum, ideoque dici potest & est simpliciter honestum, & fundat actum reflexum à prudentia elicitum, quo certificatur conscientia, quod illud exequendo non peccet, sed benè operetur, quidquid sit an per accidens erret vel non erret in judicio probabili directo, quo invincibiliter existimat opus illud esse honestum, aut etiam præceptum.

Objectio 4.

49. Ob. 4. Electio mali, quod creditur bonum, est involuntaria secundùm quid eligenti, quia ignorantia antecedens semper causat involuntarium. Præterea qui diligit Deum, tristatur quoties scit se materialiter fecisse contra legem, & nollet id fecisse. Ergò talis electio est contra aliquam voluntatem antecedentem, sicut projectio mercium in tempestate, quia inde nascitur tristitia. Hæc autem voluntas antecedens est ipse rectus appetitus finis. Ergò dictamen dicens malum bonum non est conforme appetitui recto, sicut non est conforme rebus, sed materialiter ab eo discordat. Ita Celladeus §. 2.

Non probat intentum.

Respondeo argumentum solùm probare, omnem malitiam, omnemque peccati rationem esse involuntariam eligenti malum, invincibiliter existimatum bonum. In hoc autem sensu malitia illa est simpliciter & absolutè involuntaria, nullo autem modo, ne quidem secundùm quid, est voluntaria, quia ignorantia antecedens tollit omne voluntarium, ut notum est ex ipsa voluntarii definitione, & ab omnibus traditur *t. 2.* ubi de voluntario tractatur. Cæterùm in casu præsenti, factum ipsum & ratio boni, sub qua invincibiliter proponitur, sunt simpliciter voluntaria. Et quidem ratio boni, quæ proponitur, nullam admittit rationem involuntarii secundùm quid, quia ipsa & sine errore cognoscitur, & propter se amatur, licet error in eo contingat, quòd bonitas amata tali objecto convenire credatur, atque ut illi juncta ametur. Jam quod ipsum factum, ob ignorantiam qualitatis ipsius, sit aut non sit involuntarium secundùm quid, nil refert ad præsens institutum, quia etsi dicatur involuntarium secundùm quid, haud dubiè tamen est simpliciter voluntarium. Ergò simpliciter est conforme appetitui recto, à quo nimirum non solùm error ipse hìc & nunc provenit, sed etiam, stante errore, opus ipsum imperatur. Ergò simpliciter est prudens, & propria prudentiæ materia, sicut dictum est. At illud in unoquoque, quod simpliciter est tale, prævalet illi, quod solùm est tale secundùm quid. Ergò licet tam error, quàm opus ipsum sit involuntarium secundùm quid, & secundùm quid materialiter repugnet recto appetitui finis, non inde sequitur, quòd non sit prudens, sed oppositum legitimè deducitur, quia simpliciter conformatur tali appetitui. Hoc autem haud dubiè sufficit, ut quid sit & dicatur prudens, seu propria prudentiæ materia.

Voluntas boni crediti mali est simpliciter mala.

50. Id ipsum clarè conspicitur in exemplo prorsus opposito. Qui bonum, quod invincibiliter creditur malum, eligit, turpiter operatur, quia malitia est illi simpliciter voluntaria, licet non operetur rem malam sed bonam, cujus bonitas materialiter & secundùm quid est illi involuntaria, quamvis non formaliter & in ratione bonitatis. Ergò similiter qui facit malum, invincibiliter creditum bonum, benè ac laudabiliter operatur, quia hic æquè afficitur ad bonum ac ille ad malum, & bonum tam voluntarium est huic, quàm malum illi. Similiter voluntas boni crediti mali non magis contrariatur appetitui recto finis, quàm voluntas mali crediti boni eidem conformetur. Ergò ista voluntas bona est & prudens, sicut illa est mala & stulta.

Paritas Celladei non probat intentum.

51. Adde paritatem de projiciente merces nec esse ad rem, nec intentum probare. Non est ad rem, quia projiciens merces novit malum, quod imminet; sed quia videt illud esse incompossibile cum bono majori, contemnit bonum illud minus, ne majus amittat, unde malum illud est voluntarium simpliciter, & solùm involuntarium secundùm quid; idque non ex ignorantia, sed ex amore majoris boni incompossibilis, quia illa incompossibilitas ipsi aliquo modo displicet; nollet enim eam adesse, si posset. At casus noster procedit de involuntario ex perfecta mali ignorantia, quæ causat involuntarium simpliciter. Ergò paritas non est ad rem, quia arguit ab involuntario simpliciter ad involuntarium secundùm quid, quòd à ratione prorsus alienum est. Præterea arguit ab involuntario cum scientia mali ad involuntarium fundatum in perfecta mali ignorantia; quæ argumentatio haud dubiè nil valet, ob diversum motum animi, diversumque modum tendendi in uno ac in altero casu. Atque hinc etiam sequitur, paritatem illam non probare intentum; affertur enim ad probandum quòd electio mali crediti boni tristitiam causet, & sic involuntaria secundùm quid, quia projectio mercium, quæ secundùm quid est involuntaria, non absque aliqua tristitia atque animi acerbitate exercetur. At hoc non sequitur ex paritate; ideo enim projectio mercium tristitiam parit, quia cognoscitur ut malum præsens & inevitabile. At in casu nostro nulla est apprehensio mali, sed firma persuasio boni, ideoque nil est quod tristitiam pariat. Ergò paritas illa inepta est ad intentum probandum.

Nemo tristatur de operatione ab errore in-

52. Præterea falsum est, quod probare intendit. Nemo enim rationabiliter tristatur ob actionem suam, eò quòd fecerit malum, si constiterit, illud

vincibili regulata ob contrarietatem cum recto appetitu finis.

illud invincibiliter creditum fuisse bonum; nulla enim ob talem actionem dolendi, sed magna potiùs datur causa gaudendi. Nulla dolendi, quia nil culpæ inest tali actioni, nec ulla ob eam pœna infligi potest. Ergò non est cur doleat de actione illa. Est autem cur gaudeat. Inprimis sic operando implevit obligationem, qua urgebatur, quam certè violasset, nisi ita operatus fuisset; quando error rem proponebat ut præceptam. Secundò ostendit bonam suam voluntatem ergà Deum, cui obedivit in iis, quæ ab ipso præcepta esse scire potuit. Tertiò ex hoc affectu atque operatione bonum habitum ad Deo obsequendum aut induxit, aut auxit. Est ergò cur lætetur, se ita operatum fuisse in illis circumstantiis, si solùm ad affectum charitatis, & appetitum finis respiciamus, nec umbra apparentiæ est, cur relatè ad istos affectus ob operationem nostram tristemur. At nos loquimur in præsenti de eo solùm, quod ex comparatione ad habitum charitatis & debitum finis appetitum provenit.

Cur tristamur de opere malo invincibiliter credito bono?

53. Quod facit æquivocationem est; quia, detecta veritate, sæpè tristamur ob alias causas. Frequenter timemus, ignorantiam non fuisse prorsus invincibilem; inde autem ampla tristitiæ causa provenit. Aliquando invenimus nos nobis, aut amicis, vel saltem proximis grave damnum temporale intulisse, unde tristamur de opere relatè ad istos fines, quia opus positum contrariatur particularibus istis affectibus; sed affectui charitatis, aut recto appetitui finis actio illa nullatenus contrariatur, sed ab illis ortum habuit, ut ostensum est. Præterea omnis error est malum intellectûs, ex illo autem errore contracto videmus, spem nostram de non errando fuisse delusam; similiter experimur, & quasi tangimus debilitatem intellectûs nostri, meritoque timemus, ne iterum decipiamur. Hæc autem omnia, aut præsentia aut imminentia, sunt materia tristitiæ. De his ergò similibusque dolemus, sed in ordine ad appetitum finis & finem charitatis de ipsa operatione nostra non dolemus. Quis non videt absurdissimum esse, quod anima filii obedientissimi statim post mortem corporis sui tristanda sit ob perfectam obedientiam patri invincibiliter existimato præstitam? Nimis manifestum est, malum materiale, ex parte operis præcisè consideratum, nullam causam tristitiæ præbere relatè ad finem ultimum, & rectum ejus appetitum, quidquid sit de aliis considerationibus in ordine ad particulares affectus, nobis inexistentes. Demùm postquam error detectus est, & homines sciunt illud, quod antea fecerunt, esse malum, & secundùm se Deo displicere, semper in posterum illud aversantur, quia circumstantiis mutatis non amplius repræsentatur ut antea repræsentabatur. Sunt enim ita affecti, ut rem illam amplius facturi non sint, ideoque rem illam secundùm se consideratam aversantur, sed actionem suam prius positam nec culpant, nec de ejus positione ulla ratione tristantur relatè ad rectum finis ultimi appetitum.

Objectio 5.

Officium prudentis quodnam sit?

54. Ob. 5. Proprium est prudentis, *posse rectè consultare de iis, quæ ipsi bona sunt atque utilia, non ex parte, sed quæ ad benè vivendum in universum*, ut expressè tradit Aristoteles *6. Ethic. cap. 5.* Qui ergò universaliter de his omnibus rectè consultat, est homo simpliciter prudens; qui autem de iis universim non rectè consultat, non est simpliciter prudens, sed ad summum secundùm quid, in quantum scilicet, de aliquibus saltem rectè consultare potest. Hoc ipsum Aristoteles probat exemplo prudentiarum particularium hoc modo. *Cui rei argumentum illud est, quod eos, qui circa aliquid consultant, prudentes appellamus, cùm ad finem aliquem bonum de iis, quorum non est ars, rectè ratiocinantur. Quare in universum quoque is erit prudens, qui est consultatorius.* Hisce de natura prudentiæ, tam generalis & simpliciter dictæ, quàm particularis & secundùm quid, stabilitis, sic arguitur.

55. Prudentia particularis non versatur circa bona & mala existimata solùm talia, sed circa bona & mala reipsa talia. Certè non esset prudens dux, qui malè aciem ad pugnam instrueret, quamvis ob errorem inculpabilem, illa ipsi videretur optimè instructa. Idem videre est in aliis omnibus prudentiis particularibus. Ergò idem valet in prudentia simpliciter dicta, & in universum. Ergò prudentia locum non habet quando intellectus errat circa bonum & malum; ideoque proprium illius objectum non est bonum & malum solùm existimatum, sed bonum & malum reipsâ tale.

Prudentia particularis non versatur nisi circa bonum & malum reale.

56. Confirmatur. Quæ sunt bona & mala in ordine ad finem prudentiæ militaris, aut alterius prudentiæ particularis, talia sunt per se, nec talia fiunt, aut ullatenus alterantur per nostram existimationem. Et hæc quidem præsupponuntur ut bona & mala per se, ac invariabilia in ordine ad fines illos particulares. Ergò similiter in ordine ad finem simpliciter, aliqua sunt objecta per se mala, alia bona per se. Primi generis sunt mendacium, furtum, homicidium, usura &c. Secundi generis sunt, charitas, pax, longanimitas, justitia, misericordia &c. Hæc objecta non magis transmutari possunt ab existimatione nostra, quàm objecta prudentiæ particularis. Nec mirum, quia actus specificantur ab objectis, non è contra; ideò enim voluntas mentiendi est mala, quia mendacium est malum, & non è contra. Ergò prudentiæ est rectè dictare de bonis & malis simpliciter, non de bonis & malis tantùm existimatis. Et hoc ipsum Philosophus apertè indicat, dum dicit, prudentem dici, *qui rectè consultat de iis, quæ sibi ipsi bona sunt*, non de iis quæ existimantur; de his enim quivis potest rectè consultare.

Bonum prudentiæ particularis non fit tale per nostram existimationem.

57. Confirmatur secundò. Si quis enutriretur in sylvis, & universim ita erraret, ut omnia mala diceret bona, & omnia bona crederet mala, hic non esset prudens, licet omnia exequeretur prout judicat, sed esset stolidus & pejor ferâ. Ergò omnes errores, etiam invincibiles, non reddunt omnia bona mala, & omnia mala bona. Ergò nec unus error bonum unum reddit malum, aut malum bonum, alioquin duo errores duo mala redderent bona, & omnes omnia. Ergò prudentia non est nisi de bono & malo reverà tali. Ita Celladeus §. 5.

Qualis esset homo, qui in omnibus erraret?

58. Respondeo, omnia ex Aristotele allata esse verissima, sed ex iis ad intentum nil prorsus inferri. Et sanè inprimis Celladeus ipse disparitatem apertam admittere tenetur, & disertè admittit tam inter prudentiam particularem & prudentiam strictè dictam, quàm inter utriusque opus; quia adeptio finis, aut remotio impedimenti contrariantis fini prudentiæ particularis totaliter dependet ab ipso opere materialiter sumpto, sicut supra dictum est de opere & fine artis. Unde existimatio erronea, qua Dux putat se aciem benè instruere, cùm eam malè instruit, non magis conducit ad impediendam victoriam inimici, quàm si Dux conscius erroris sciens & volens

Prudentia particularis imitatur artem magis, quàm prudentiam simpliciter.

Objectio Celladei repugnat ipsius doctrinæ.

volens militem malè ordinaret. Atque hinc est, quòd artes omnes, & prudentiæ particulares, quæ in hoc imitantur artes, non versentur nisi circa bona & mala realiter talia, quia nulla alia consideratio juvat ad finem artis obtinendum, aut ad malum fini artis oppositum impediendum. At omnia contrario modo se habent in materia prudentiæ simpliciter dictæ, quæ solùm enunciat de honestate & inhonestate nostrorum actuum: certum enim est, quod ignorantia & error invincibilis excuset à peccato, & sic tollat omnem contrarietatem operis mali cum adeptione finis. Ergò certum est, errorem & ignorantiam aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ simpliciter dictæ, quàm in ordine ad finem artis, aut prudentiæ particularis. Ergò licet artes & prudentiæ particulares non versentur nisi circa bona & mala reipsa talia, non sequitur prudentiam simpliciter dictam non versari circa bonum & malum non reipsa, sed solùm in existimatione tale.

Prudentia quando versatur circa bonum existimatum, nunquam errat.

59. Cæterùm si presšè loquamur, prudentia presšè dicta locum non habet, quando intellectus errat circa bonum & malum, quia prudentia presšè dicta est virtus intellectûs; impossibile autem est, ut intellectus per virtutem suam falsum dicat, ut ex dictis constat. Ergò prudentia strictè dicta nec aberrat, nec à vero aberrare potest. Itaque in hoc Celladeus æquivocare videtur, quòd confundat objectum, in quod prudentia tendit, cum actu ab illa elicito. Objectum prudentiæ in casu erroris invincibilis non est res ipsa secundùm se & circumstantias illi naturaliter connexas, sed est res illa ut substans judicio, quo post diligentiam debitam res illa creditur honesta, aut etiam præcepta. Jam quando res illa directè considerata per judicium erroneum creditur honesta, nemo dicit, judicium illud esse actum à prudentia strictè dicta elicitum, quia actus ille est falsus, & dicit illud bonum esse, quod ex natura sua est malum, & postulat prohiberi pro omni circumstantia, pro qua propria illius natura & essentia innotescit. Itaque actus prudentiæ in hoc casu subsequitur dictum judicium, atque iterum considerat illud idem objectum secundùm alias circumstantias, nempe prout post debitam diligentiam adhibitam substat judicio rationabili directè dictanti, illud esse permissum vel præceptum. Jam res illa, ut substans huic judicio, reflexè affirmatur à prudentia, quæ dicit illud malum non esse, nec ad culpam imputari posse. Imo quando res proponitur ut obligatoria, dicit illam absque peccato omitti non posse. Quæ omnia verissima sunt etiam ex mente Celladei. Præterea verum etiam est, quod res illa in illis circumstantiis sit bona, & Deo absolutè placeat hic & nunc, ut *quæst. 3.* probatum est. Itaque quando intellectus directè errat circa bonum & malum, datur locus prudentiæ reflexæ, quæ nunquam errat circa suum objectum. Ergò proprium objectum prudentiæ, adæquatè sumptum, semper est bonum & malum reipsa tale, & non merè existimatum, licet intellectus in prævio discursu, in quem prudentia tanquam in objectum suum partiale reflectit, à vero aberret.

Disparitas inter prudentiam simpliciter & prudentiam particularem.

60. Ad primam confirmationem, esto: bona & mala in ordine ad finem prudentiæ particularis, omniumque artium sint talia per se materialiter sumpta, nec ulli variationi obnoxia ob nostram existimationem; sed evidens est rem aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ propriè dictæ, quia certum est, bona evadere mala, si existimentur mala; qui enim, sive vincibiliter, sive invincibiliter, crederet misericordiam esse peccatum, peccaret utique, si eleemosynam largiretur, illamque largiendo fini adipiscendo verum & reale impedimentum apponeret; at nil simile evenit in prudentiis particularibus & artibus, quia qui benè aciem instrueret, utique poneret medium verè illativum victoriæ, etsi ipse putaret, atque etiam intenderet, illam aciei instructionem esse sui exercitûs destructivam. Stat ergò bona & mala esse variabilia in ordine ad finem prudentiæ strictè dictæ, illamque varietatem à diversa illorum repræsentatione desumi; etsi concedamus quod bona & mala relatè ad finem artis & prudentiæ particularis sint invariabilia, & nullam à nostra persuasione mutationem accipiant. Cæterùm universaliter loquendo falsum est, quod malum creditum bonum nullo modo conducat ad finem prudentiæ particularis, oppositum enim est certissimum; si enim tam duæ exercitûs, quàm milites omnia ad victoriam reportandam optimè instructa existiment, ex hac ipsa persuasione plurimùm animantur ad generosè pugnandum, & validè resistendum inimicis, à quibus facilè fugerent, si scirent se ad resistendum esse malè dispositos. Ex hac porro acri pugna & generosa militum resistentia non rarò reportatur victoria, licet acies ipsa inscitè ordinata fuerit. Tantum ergò abest ut bona & mala in materia prudentiæ propriæ dictæ sint inalterabilia, ut etiam in materiis prudentiarum particularium magnam alterationem ex varietate persuasionis nostræ subeant.

Error in materia prudentiæ particularis aliquando juvat ad finem talis prudentiæ.

Sunt aliqua bona & mala quæ sunt invariabiliter talia.

61. Hactenus dicta intelligenda sunt de rebus bonis & malis materialiter sumptis, de illis enim hac solùm ratione acceptis verum est, quòd in ordine ad finem prudentiæ variationem subeant, quando erroneè creduntur bona vel mala. Cæterùm multa sunt bona & mala, quæ invariabiliter sunt talia in ordine ad ultimum finem hominis. Sic invariabiliter malum est operari contra conscientiam, Deo certò jubenti non obtemperare. Similiter invariabiliter bonum est, Dei offensam vitare, in dubiis Dei voluntatem investigare &c. Hæc enim, & alia ejusmodi clarè exprimunt rationem formalem objectivam, nempè voluntatem Dei vetantem aut præcipientem, à qua moralitas in actus humanos derivatur. Tam clarè enim proponuntur ut bona vel mala, ut nemo, cui proponuntur, de earum veritate, nisi per summam temeritatem & animi perversitatem dubitare possit, aut illa ignorare. Jam quod ad objecta à Celladeo proposita attinet, illa etiam aut omnia, aut pleraque sunt ejusmodi, saltem respectu plerorumque, quia rarissimè proponi possunt, quin statim voluntas Dei vetans illa mala & præcipiens ac approbans illa bona, simul sufficienter proponatur. Et hæc est unica ratio, ob quam illa objecta rarò transmutari possint per actus nostros. Cæterùm mirum est, Celladeum dicere potuisse, hæc objecta non magis transmutabilia esse à dispositione nostra, quàm objecta artis & prudentiæ particularis, cùm loquatur in sensu composito erroris & ignorantiæ invincibilis, qua stante, certum est etiam apud ipsum, mala non esse moraliter mala, nec ullum operanti detrimentum afferre, quia ignorantia talis excusat à toto. Ergò dum hoc dicit, sibi suæque sententiæ, immò & apertæ veritati contradicit.

Celladei contradictio.

Actus non specificantur ab objecto materiali.

62. Nec felicior est Celladeus in probando, quòd talia objecta sint invariabiliter talia, ex eò quòd voluntas mentiendi ideo sit mala, quia menda-

tiali secundùm se considerato.

mendacium est malum, & non è contra, & quia actus specificantur ab objectis & non è contra. Reflectat parum ad hominem ex errore invincibili credentem se ad salvandam vitam proximi mentiri debere, & argumenti nullitatem videbit. Certè volitio mentiendi in tali casu non est mala, & tamen mendacium ipsum non potest non secum ferre seipsum, totamque physicam malitiam, quam habet. Ergò si hic actus specificaretur à malitia intrinseca ac prorsus inseparabili hujus objecti, utique necesse foret, actum illum esse malum, alioquin actus ille separaretur à suo specificativo ac differentia essentiali, quod est prorsus impossibile. Certum ergò est, quod voluntas mentiendi non ideo sit mala, quia mendacium est reipsa malum, & secundùm se naturæ rationali dissonum.

Specificantur ab objecto ut repræsentato, maximè ab objecto formali.

63. Itaque actus intellectûs & voluntatis specificantur quidem ab objectis, non secundùm se acceptis, sed ut repræsentatis. Sic actus evadit affirmativus, si termini repræsententur ut connexi, quamvis reipsa sibi sint contrarii. Prætereà unicum, vel certè potissimum specificativum desumitur ab objecto formali, in quod actus tendit ratione ipsius, & propter quod quodammodo extenditur ad aliud. Hæc certa sunt ex Philosophia ac Theologia omnium. Et sanè doctrina hæc potissimè locum habet in voluntate, quæ, utpote potentia cæca, non fertur in objectum nisi prout illi proponitur. Unde si mendacium illi proponatur ut bonum, non potest idem actus specie prodire, qui prodit quando repræsentatur ut malum. Quod maximè verum est, quando diversa illa repræsentatio est invincibilis. Ratio est, quia actus voluntatis specificantur ab objecto formali, prout proponitur voluntati. At quando mendacium invincibiliter proponitur ut bonum & præceptum, objectum formale voluntatis est aliud, & aliter proponitur, quàm quando repræsentatur ut malum. In priori enim casu objectum formale est voluntas Dei obligans ad mentiendum, cui voluntas adhæret, & vi illius ad mendacium amandum extenditur. In secundo verò casu objectum formale est commodum aliquod, imperio Dei mendacium vetantis oppositum, cui commodo voluntas, ut inhæreat, sponte à Dei imperio se avertit. Ergò necesse est, ut in istis casibus prodeant actus voluntatis specie diversi. Hæc clara sunt, & tamen doctrinæ huic tam certæ, tam claræ, tam indubitanter ab omnibus admissæ, totus Celladei contextus, universumque ejus intentum penitùs adversatur.

Discursus Celladei doctrinis certis & obviis contrariatur.

Æquivocatio Celladei.

64. Latet etiam æquivocatio in illa Celladei propositione. Prudentiæ *est rectè judicare de bonis & malis simpliciter, & non solùm de bonis & malis existimatis, atque idipsum Philosophus indicat, dum ait, prudentem dici, qui rectè consultat de iis, quæ ipsi bona sunt, non de iis quæ existimantur, quia de his quivis potest rectè consultare.* Si enim sermo sit de actibus à prudentia elicitis, propositio est vera, quia illud objectum, adæquatè sumptum, de quo prudentia enunciat, non apparenter tantùm, sed verissimè bonum est aut malum; si autem loquamur de actibus præviis, quos prudentia reflexa præsupponit, ut propriam suam materiam, falsum est, quod ad prudentiam pertineat efficere, ut intellectus in illis non erret; cùm enim objectum sit incertum, prudentiæ est cautè procedere, sed errorem omnem impedire in hominis potestate non est, ut patet. Prudentia ergò directa dictat de bonis & malis simpliciter, ubi bonum & malum certò cognosci potest. At ubi veritas invincibiliter latet, & certò cognosci nequit, non est prudentiæ de talibus objectis judicare ut sunt in se, sed opus est prudentiâ reflexâ, quæ novam consultationem instituit, atque de illis ut existimatis enunciat; de illis enim sic acceptis verissimè dictat, quòd sint conformia appetitui recto, & consequenter honesta.

Rectè consultare de bonis existimatis est difficile.

65. Falsum etiam est, quod dicit, quemvis posse *rectè consultare de bonis & malis existimatis*, cùm oppositum sit manifestum. Plurimi enim discursus reflexi, in se valdè difficiles, præmitti debent, ut sciamus quid in tali casu ob conscientiam formatam liceat. Nominatim qualitas judicii directi, ejusque certa probabilitas sciri debet, ut postea per principia reflexa, tandem veniamus ad certum dictamen de honestate operationis. At quis non videt, hæc esse non minùs difficilia, quàm dictamina prudentiæ directæ, quando illa certò & evidenter enunciat de objectis secundùm se. Ecce quoad hoc non est disparitas inter consultationem de rebus in se & de rebus existimatis, immò potior difficultas reperitur in consultatione de rebus existimatis, quia antequam veniamus ad consultationem reflexam, præmitti debet consultatio de rebus ipsis. Post eam autem consultationem conclusam, adhuc opus est nova consultatione de qualitate prioris discursus, & sic demùm, eâ etiam peractâ, intellectus, recurrendo ad principia synderesis reflexa, per prudentiam reflexam format dictamen certum de honestate operationis.

Absurda Celladei suppositio.

66. Ad secundam confirmationem dico, suppositionem, ex qua procedit, esse naturaliter impossibilem, quia multa sunt adeo patenter bona, alia tam evidenter mala, ut nemo sui compos possit de illis dubitare, & multò minùs eadem invincibiliter ignorare. Ergò argumentum procedit de subjecto non supponente: sed esto, admittatur suppositio, ex illa admissa, nil eorum quæ Celladeus infert, sed opposita omnia deducuntur. Inprimis talis homo esset prudens, & prudentissimus, si in omnibus suæ conscientiæ se conformaret, quamvis enim in judiciis directis erraret, & consequenter prudentia illos non eliceret, adhuc tamen prudens esset, quia in judiciis reflexis verum certò diceret, quia per ea ferretur in suam operationem, atque in objecta existimata, tanquam in res appetitui recto conformes. In hoc autem certò proponendo ratio prudentiæ consistit.

Qui in omnibus invincibiliter erraret, benè faceret, si suam conscientiam sequeretur.

67. Præterea homo in illa suppositione tam benè se gereret in omnibus, ut melius se gerere non posset. Idem in omnibus omne peccatum & peccati umbram vitaret. Ergò haud dubiè benè faceret, & laudem singularem mereretur, qualem certè meretur, qui cùm possit peccare & ad peccatum stimuletur, à peccato tamen abstinet, ne Deum offendat, facitque quantum scit & potest, ut illi placeat. Nónne ratio dictat, Deum, qui cor intuetur, in tali homine multum sibi complaciturum? Ergò talis homo non esset stolidus & pejor ferâ, quia qui peccatum liberè vitat, facitque quantum potest, ut Deo fideliter serviat, non est stolidus & pejor ferâ, sed est simpliciter prudens & valdè laudabilis. Talis esset iste. Unde è contrariò sic arguo. Error invincibilis de omnibus bonis & malis secundùm se acceptis, si daretur, omnia mala

mala redderet bona, & omnia bona similiter mala. Ergò error invincibilis de uno vel pluribus, qui de facto datur, mutat illa, & bona reddit mala, & mala bona. Ergò prudentia, quæ ad omne bonum opus præsupponitur, sæpè versatur circa bonum & malum merè existimatum, seu repræsentatum per cognitiones directas erroneas.

Idem probatur ex sacra scriptura.

68. Confirmatur ex verbis Christi *Matthæi 7. 19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*, id est, omnis homo, libero utens arbitrio, damnabitur, nisi bonum operatus fuerit. At certum est hominem, de quo objectio procedit, non esse damnandum, quia in nullo peccaret. Ergò homo ille bonum faceret. Ergò voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est bona. Idem autem docetur ab August. *lib. de utilit. credendi cap 12.* ut non semel vidimus in superioribus. Ergò Celladeus in omni apice suæ illationis fallitur, veritatique ipsi, ac S. Augustino repugnat.

Voluntas conformis errori invincibili recta est, nec rectificatione indiget.

69. Ratio à priori est, quia tunc homo bonus est, quando habet intellectum & voluntatem benè dispositam in ordine ad finem ultimum. Hoc posito, quod negari nequit, sic arguo. Intellectus hominis in casu allato esset quidem malè dispositus in ordine ad verum ipsum directè repræsentatum, nec aliam rectitudinem logicam haberet circa objecta, quàm reflexam; per eam enim verissimè enunciaret de objectis existimatis. Sed voluntas illius optimè disposita esset in ordine ad omnem honestatem, cùm omne bonum repræsentatum amaret, & omne malum repræsentatum odio haberet. Et sanè ita esset disposita voluntas, ut aliis habitibus ac dispositionibus non indigeret, quia si intellectus rectificaretur, nullâ aliâ rectificatione opus esset pro voluntate; illa enim statim magnâ facilitate amplecteretur ea, quæ antea repudiabat, quia jam proponerentur ut bona, quæ antea credebantur esse mala. E contrariò expeditissimè respueret, quæ antea amabat, quia jam sciret illa esse mala, quæ prius bona esse credebat. Ergò voluntas illa optimis habitibus esset instructa, nec ex parte sui rectificatione indigeret. Sic voluntas amantis suam vitam ex parte sui est sufficienter benè disposita ad respuendum cibum verè venenatum, quem ex errore avidè cupiebat tanquam sanitati proficuum. Detecto enim errore, absque difficultate, immò magna cum libertate & facilitate cibus ille respuitur, quia motivum, quod per se diligitur, illi amplius non applicatur. Ergò nulla rectitudo deest in tali voluntate, ut sanitati congrua eligat, sed totus defectus se tenet ex parte intellectûs, qui si rectificetur, omnia benè se habent.

70 Jam cùm bonum & malum morale in solis actibus voluntatis consistat, eò quòd illi soli sint liberi & voluntarii, utique necesse est actum illum esse bonum qui à voluntate benè disposita procedit. At, in casu objectionis, omnes actus liberi talis hominis procederent à voluntate benè disposita, essentque proprii effectus talis dispositionis habitualis. Ergò essent actus boni; quia effectus imitatur causam proximam, à qua procedit, & in qua directè ac proximè continetur. Præterea tales actus procederent à prudentia recta. Ergò non possent non esse recti ac laudabiles. Certè nos non possemus non amare hominem taliter affectum erga nos, quamvis invincibiliter erraret circa res nobis gratas, faceretque ea, quæ aliquid nocumenti afferrent, modò omnem industriam ad nobis placendum adhibuisset. Cor enim sincerè amicum semper placet. Hoc multò magis locum habet in Deo, qui nil commodi aut incommodi à nostris operibus recipit, quique proinde non opus ipsum sed affectum & cor, quo opus fit, respicit.

Opus procedens à voluntate rectè disposita est bonum.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SECUNDA.

Vtrùm possimus esse certiores quòd non peccemus, quàm quòd non ponamus opus reipsâ vetitum per legem?

1. NUNQUAM credidissem, Theologum universaliter asserere potuisse, homines in nullo unquam casu esse posse certiores, quòd formaliter ac imputabiliter non peccent, quàm quòd non ponant opus materialiter malum, seu aliqua Dei lege prohibitum, nisi vidissem Celladeum *lib. 3. quæst. 6* omninisu conari ad hoc Lectori persuadendum. Non, inquam, id unquam credidissem, quia oppositum adeo perspicuum est, ut omnibus naturæ lumine videatur esse notorium, nec quemquam latêre possit, qui vel mediocrem attentionem adhibuerit, ut mox ostendam, sit ergò.

ASSERTIO UNICA.

Sæpè contingit, homines majori firmitate credere, quòd imputabiliter non peccent, quàm credant, quod non peccent materialiter.

2. PROBATUR manifestissimis exemplis. Inprimis conjux dubia de valore sui matrimonii, licitè reddere potest debitum conjugale, sed illud licitè exigere non potest, quia hoc expressè traditur in sacris canonibus *cap. inquisitioni de sentent. excom. & cap. Dominus de secundis nuptiis,* in quibus Pontifices id apertè declarant. Rursus omnes etiam Theologi id ipsum expressè tradunt; nec sum, qui putem Celladeum negaturum veritatem tam certam & contestatam. Hoc posito sic.

Homines sæpè certiores sunt; se non peccare formaliter, quàm se non peccare materialiter.

sic. Uxor dubia de valore matrimonii, instructa doctrinâ in citatis capitibus contentâ, atque communi Theologorum auctoritate confisa, certa est se non peccare reddendo debitum. At certa non est, quòd copula in se non sit materialiter mala & fornicaria, ac aliqua saltem lege universali prohibita; imò de hoc est dubia, nec potest dubium deponere, ut suppono, quia post omnem diligentiam adhibitam, res manet dubia. Ergò talis uxor certior est, se non peccare formaliter ac imputabiliter, quàm sit se non peccare materialiter, aut non ponere opus ulla lege, saltem universali, prohibitum. Rursus argumentum valet, etsi dicas persuasionem in citatis capitibus Auctorumque consensu fundatam non esse certam, sed solùm probabilem; quia saltem uxor probabilitatem habebit, quòd non peccet formaliter, reddendo debitum. At probabilitatem non habet quòd non peccet materialiter, imò ad talem probabilitatem nullâ industriâ pervenire potest. Ergò magis scit se non peccare formaliter, quàm sciat se non peccare & errare materialiter.

Aliud exemplum probans id ipsum.

3. Rursus Judex, qui post omnem diligentiam præmissam invenit reum legitimè convictum, certus est se non peccare illum condemnando; maximè si nulla reperiri potuit ratio probabiliter reum excusans. Atqui non est certus, se tunc non condemnare innocentem, quia benè novit, testes aliquando esse corruptos & falsum dicere, etiam quando homo legitimè convincitur esse reus. Ergò certior est, se non peccare formaliter, quàm non condemnare innocentem, seu non peccare materialiter. Major est evidens lumine naturæ; nec evidens tantùm est judici, sed etiam evidens illi est, quòd hic & nunc non possit aliter vitare peccatum formale, quàm condemnando hominem taliter convictum, etsi sic operando exponat se alicui saltem periculo occidendi innocentem, & committendi peccatum materiale. Minor est evidens non solùm ex natura rei, inspectâ fallibilitate ac malitiâ hominum, sed etiam per ipsam experientiam tam certò innotescit, ut impossibile sit hominem rerum peritum habere dubium de opposito. Consequentia legitimè deducitur, totamque Celladei machinam evertit.

Alia exempla pro confirmatione ejusdem rei.

4. Similia exempla quamplurima sunt obvia. Filii certiores sunt se non peccare formaliter exhibendo obedientiam parentibus existimatis, eamque aliis omnibus negando, quàm quòd non errent in illo suo judicio & materialiter peccent; quia benè sciunt se non peccare coram Deo, quamvis præter spem & opinionem decipiantur; evidens enim est illorum ignorantiam & errorem, si errent, esse invincibilem. Idem omnes tradunt de Religioso subdito, qui in incertis obedire debet: certiùs enim cognoscit se non peccare obediendo, quàm sciat superiorem suum materialiter justum præcipere. Idem dico de possessore bonæ fidei, cujus conditio in dubio ac pari causâ est melior quàm conditio non possidentis. Hic enim in omnium ferè sententiâ licitè retinet rem possessam, adeo ut sit quodammodò moraliter certus, se per hoc non peccare. At tantam probabilitatem non habet, quòd alienum non possideat, cùm de hoc dubitetur, & causa utriusque partis quoad jus prætensum ponatur esse par. Alia innumera exempla sunt obvia, de quibus in antecedentibus tacta est, & in sequentibus mentio fiet.

Ratio à priori idi-

5. Probatur secundò à priori ex principiis

certis ab ipso etiam Celladeo admissis. Quoties certificamur ea omnia adesse, quæ, si sint, certò excusant à peccato, toties certificamur, actionem excusari, & ad peccatum imputari non posse. Ergò quoties certificamur, nos esse in ignorantia invincibili legis vetantis actionem, quam ponimus, quamque certò invincibiliter credimus esse honestam, toties certificamur, nos non peccare formaliter illam ponendo, quia certificamur, quòd adsit causa certò excusans illam à peccato per se imputabili. Atqui sæpè certificamur, quòd veritas invincibiliter lateat, quódque si erremus, invincibiliter erremus circa rem, quam post omnem diligentiam adhibitam non possumus absque temeritate non reputare veram & honestam, ut videre est in judice condemnante innocentem legitimè convictum, & aliis ejusmodi casibus; certus enim est, veritatem, si erret, invincibiliter ipsum latêre, seque citra temeritatem non posse reputare hominem illum non esse reum & honestè condemnabilem. Ergò in tali casu Judex certificatur quòd non peccet formaliter; non tamen certificatur quòd non peccet materialiter, cùm de hoc haberi non possit certitudo, ut patet; immò quod dolendum est, nimis frequenter contingit homines innoxios hac ratione condemnari.

ipsum probans.

Aliud exemplum efficacissimum.

6. Argumentum hoc evidentissimum locum habet in eo, qui post diligentiam adhibitam restituit inventum illi, qui omnia signa requisita affert, ut res credatur esse ipsius; maximè si diu expectavit, & publicè multis in locis tam in concionibus quàm in foris declaraverit, se tale inventum habere, & cupere illud Domino reddere. Jam si nemo præter illum unum accedat, aut signa dare possit, certus est se non peccare dando illi rem; & tamen certus non est, quòd rem vero Domino restituat, aut de illa juxta veri Domini voluntatem disponat. Ergò certior est se non peccare formaliter, quàm certus sit, se non peccare materialiter; quæ adeo manifesta sunt, ut mirum sit, quemquam de illis dubitare potuisse.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

7. Objicies primò. Conscientia est quidem proxima humanorum actuum regula, sed solùm secundaria & subordinata, in quantum scilicet proponit legem seu voluntatem Dei, quæ est prima regula moralitatis. Itaque in tantum conscientia obligat vel deobligat, in quantum dictat, Deum jubere vel non jubere. Si dictet Deum jubere, erit regula obligans; si verò dictet Deum permittere, erit regula deobligans, nisi vincibiliter erret, & teneamur eam deponere. Ergò in tantum quis scire potest, se in aliquo suo actu non peccare, in quantum scit, & sicut scit actum illum non esse reipsâ contra legem Dei. Ergò in tantum scire potest, se non incurrere malitiam formalem, in quantum scit se non incurrere malitiam materialem, seu verè non operari contra legem Dei. Ita Celladeus *quæst. 6. § 1.*

Principia Celladei repugnant ejus doctrinæ.

Respondeo inprimis, contrarium apertè sequi ex iis, quæ Celladeus admittit in argumento; admittit enim, quòd conscientia dictans contractum non esse à Deo præceptum sit regula verè deobligans, nisi sit vincibiliter erronea, & eam deponere teneamur. At sæpè scimus nos invincibiliter errare, si erremus, simulque scimus nos non obligari ad judicium illud deponendum.

Ergò

Ergò tunc reflexè certò scimus conscientiam verè deobligare. Ergò certò scimus, nos non peccare formaliter, quando non certificamur quod non peccemus materialiter. Ergò principia à Celladeo admissa repugnant intento objectionis.

Major certitudo reflexa unde oriatur?

8. Porro ut vim responsionis meliùs intelligas, sic arguo. Possum reflexè esse certior, quòd non peccaverim formaliter in operatione præterita, quàm eram directè, quod non peccarem materialiter, dum conscientia dictabat me non peccare. Ratio est evidens, quia postea certificari possum ex divina revelatione, aut etiam aliundè, quòd aut non erraverim in judicio directo, aut certè quòd invincibiliter erraverim, & consequenter quòd non peccaverim formaliter, sed excusatus fuerim; tametsi conscientia directè formata non solùm non certificabat me, quòd non peccarem materialiter, sed etiam falsò dictabat, me non peccare. Ergò similiter possum reflexè certificari me non peccare, dum sequor conscientiam directam non certam, quia fieri potest, ut vel non errem, vel saltem invincibiliter errem. Deus autem revelare potest veritatem hanc, aut ego etiam eam aliunde scire possum, quia nil est, quod magis excludit hanc reflexam certitudinem pro instanti operationis, quàm pro tempore præterito, ut patet. Ergò ex consideratione reflexa fieri potest, ut certior sim, me non peccare formaliter sequendo conscientiam directè constitutam, quàm quòd conscientia directa non erret, & quòd non peccem ne quidem materialiter.

Argumentum solvitur directè.

9. Respondeo secundò, legem Dei dupliciter considerari posse, primò prout est à parte rei independenter ab eo, quòd mihi applicetur vel non applicetur; secundò prout mihi applicatur & respectu mei vim obligandi exerit. De hac duplici consideratione legis nemo dubitare potest; certum enim est unam separari posse ab altera, cùm lex existere possit, etsi mihi sufficienter non applicetur, eò quòd invincibiliter me lateat: hoc posito, distinguo primum consequens argumenti: In tantum quis scire potest se non peccare in aliquo suo actu, in quantum scit illum non esse reipsâ contra legem Dei sufficienter applicatam & arctantem, concedo: in quantum scit, illam non esse contra ullam omnino legem Dei, saltem latentem & non applicatam, nego primam consequentiam & omnia inde deducta; quia si sciam legem non esse sufficienter applicatam, sed invincibiliter latêre, etsi fortè præter meam opinionem existat, utique scio etiam me in illo actu non peccare; nec tamen ideo certificor, actum meum non esse contra legem Dei invincibiliter latentem. At totum hoc sæpè fit, ut dictum est. Ergò homo sæpè certior est de non peccato formali, quàm de non peccato materiali.

Respondeo tertiò, hactenus dicta locum habere respectu conscientiæ directè constitutæ; sed si loquamur de ultimo conscientiæ dictamine, quod homo format, quando sequitur opinionem certò probabilem, illud semper verissimè dictat, legem Dei permittentem, obligantem, aut prohibentem adesse, ideoque est regula verissima, quæ nunquam fallit.

Celladei contradictio.

10. Demùm observo Celladeum hîc apertè contradicere iis, quæ tradit in prologo *quæst. 9. Appendicu.* Ibi enim expressè negat, conscientiam etiam invincibiliter errantem, esse regulam operandi; hic verò expressè fatetur, *eam esse regulam nos ad nihil obligantem, si intimet contractum neque præceptum esse neque prohibitum. Hac ita, nisi erret conscientia, & teneamur ad eam deponendam.* At non tenemur deponere conscientiam invincibiliter erroneam. Ergò illa est regula verè deobligans. Ergò Celladeus apertè sibi contradicit.

11. Ob. 2. Nemo sanæ mentis formare potest hujusmodi judicia in sua conscientia, *sive hic contractus sit, sive non sit malus, & à Deo prohibitus, ego illum faciendo non pecco. Etsi hic contractus sit contra legem Dei, ego tamen eum celebrando non pecco. Licet nesciam an reipsâ operer contra legem Dei, scio tamen me non peccare.* At si possemus esse certi de non peccato, etsi nesciremus an ageremus contra legem Dei, conscientia formari posset modis dictis. Ergò talis certitudo haberi non potest. Objectio 2.

Confirmatur: Quis non videt, nos teneri ad inspiciendum, & ad formandum dictamen conscientiæ, quòd opus à nobis ponendum non sit contra legem Dei? sanè qui hoc negaret, reipsâ diceret, *Regula mea non est lex Dei*; si enim est regula, teneris juxta illam operari, & inprimis de illa formare dictamen. Ergò non potes esse certior quod non pecces, quàm quod non agas contra legem. Ita Celladeus §. *1.*

Retorquetur objectio.

Respondeo inprimis, & peto à Celladeo, an ego in multis casibus non possim cum veritate de aliquo contractu dicere, *sive hic contractus reipsa sit, sive non sit contra legem Dei, Petrus illum celebrando non peccat.* Si neget, nullus est; quia evidens est, illud toties cum veritate affirmari, quoties Petrus invincibiliter ignorat legem, quâ contractus ille vetatur. Et Deus hoc dicit, quoties in ejusmodi casibus sequimur conscientiam invincibiliter ignorantem, aut errantem, ut patet. Si concedat, ut concedere debet, ipse tenetur suum argumentum solvere; quia non est cur illæ propositiones ab ipso operante cum veritate affirmari non possint, si easdem de tertio aliquo formare possimus; fieri enim poterit, ut operans ipse sit in eisdem circumstantiis, quando hoc de se affirmat, ac est ille tertius, quando talis propositio de illo affirmatur ab aliis.

Respondetur directè.

12. Respondeo secundò directè, & dico, propositiones illas in sensu obvio, quem præ se ferunt, esse absurdas, nec ab ullo homine sanæ mentis formari posse; significant enim contemptum Dei, legisque divinæ, quia exprimunt, hominem in id solùm ferri, quod sibi placet, nec curare, an illud sit vel non sit vetitum à Deo, sed se paratum esse suam voluntatem explere, etsi Deus actionem illam prohibeat. Hic autem est manifestus neglectus & contemptus Dei. Præterea sensus obvius istarum propositionum aut procedit de lege Dei patente seu applicatâ, aut certè æqualiter se habet ad legem patentem seu applicatam, & ad latentem seu non applicatam; in utroque autem sensu absurdæ sunt, quia manifestum Dei contemptum exprimunt, atque ideo ne quidem de tertia persona affirmari possunt cum veritate. At si sermo sit de lege Dei latente seu non applicatâ, propositiones illæ veræ sunt, ideoque cum veritate dicere possumus, *Non pecco celebrando hunc contractum, quia post omnem diligentiam adhibitam invenio illum esse licitum, quamvis fortasse in hoc errem, & detur lex me latens, mihique non applicata, contra quam præter intentionem facio; sed quia certum est, quòd lex ista, si detur, invincibiliter lateat, certum quoque est, quod ejus transf-*

In quo sensu verum sit, scio me non peccare, quamvis fortè materialiter peccem.

transgressio ad peccatum mihi imputari non possit. Hoc modo Judex format conscientiam, quando condemnat innocentem, reum convictum, & possessor bonæ fidei, quando retinet res possessas, maximè quando nullum habet fundamentum dubitandi, an illæ ad alium pertineant, quamvis certus non sit se in hoc non decipi, cùm sæpè hæredes adeant bona, quæ ad testatorem verè non pertinebant. Et tamen certus est, se non peccare formaliter. Idem valet in innumeris casibus ejusmodi, ut patet.

Solvitur confirmatio.

13 Eadem responsio evidenter solvit confirmationem. Tenemur enim semper ad inspiciendum, quantum humano modo possumus, an opus sit contra legem Dei, ideoque tenemur etiam formare dictamen, aut quòd opus non sit contra ullam Dei legem, eò quòd post debitam diligentiam credamus Deum illud non vetuisse, aut certè quòd opus illud in his saltem circumstantiis non sit vetitum, etsi fortassis in aliis prohibeatur. Priori modo formamus conscientiam, quando directè consideramus rem secundùm seipsam, quia tunc non est alia via debitè formandi conscientiam, ut patet. Secundo modo formamus conscientiam, quando adsunt circumstantiæ multum alterantes directam rei considerationem; tunc enim per principia reflexa formamus conscientiam, & dicimus rem in illis circumstantiis non esse prohibitam, etsi in aliis etiam certò prohibeatur. Hoc modo uxor, dubia de valore matrimonii, licitè reddit debitum conjugale, quod tamen ex vi dubii licitè exigere non potest; quia perseverantia talis dubii, maximè post debitam diligentiam adhibitam, & petitio debiti à conforte, sunt circumstantiæ honestantes redditionem debiti, ne fortè petens fraudetur jure suo; quamvis solum dubium non honestet spontaneam debiti petitionem. Cæterùm in hoc & in omni alio casu, prima conscientiæ formandæ regula est voluntas Dei, sed patens & applicata, non latens & non applicata. Quod si loquamur de lege patente & applicata, ultrò fatemur nos non esse certiores quòd non peccemus, quàm quòd non operemur contra talem legem; quod tamen apertè falsum est, si sermo sit de lege latente & non urgente, quia non sufficienter applicatur.

Qui certus est de non peccato, certus est se non transgredi legem patentem, sed nescit an faciat contra legem latentem.

Objectio 3.

14. Ob. 3 Materialis malitia transit in formalem, quando est voluntaria. Atqui malitia materialis est voluntaria in casu allato secundæ objectionis, quia prævidetur fortè secutura, & hoc non obstante amatur. Ergò in tali casu materialis malitia est inseparabilis à formali, & consequenter non possumus esse certiores de carentia malitiæ formalis, quàm de remotione malitiæ materialis. Ita Celladeus ibidem.

Responsio.

Quid requiratur ut malitia materialis sit voluntaria?

Respondeo majorem non habere locum, nisi sermo sit de materiali malitia, quæ aut actu cognoscitur esse talis, aut potuit ac debuit cognosci; in tali enim casu malitia illa materialis est voluntaria, & consequenter transit in formalem. At quando malitia materialis adeo insuperabiliter latet, ut nec possit nec debeat à nobis cognosci, tunc malitia illa materialis, quà talis, non est voluntaria, quia nec scitur, nec sciri potuit aut debuit; & consequenter non amatur sub ullo conceptu mali, sed solùm sub ratione boni. Itaque licet entitas illa secundùm alia prædicata nota sit & amata, & consequenter voluntaria, non tamen est voluntaria in ratione mali, adeoque illius prosecutio ad peccatum imputari non potest. Majori sic declaratâ, dico minorem esse falsissimam, si propositiones illæ explicentur secundùm distinctionem allatam in responsione ad secundum; sicut enim lex sæpè latet & non est applicata, etsi reipsa aliquando existat, ita pariter malitia materialis, quà malitia est, latet & non est applicata, quia malitia materialis, quà talis, est correlativum proprium legis prohibentis, nec habet aut habere potest veram rationem malitiæ, nisi prout refertur ad legem, quæ aut scitur, aut sciri potuit & debuit; hoc enim dempto, nullus est locus pro vera malitia morali, ut patet. Ergò malitia sub conceptu malitiæ, & lex pari passu latent & patent. Atqui nos loquimur pro casu, in quo tam lex quàm malitia invincibiliter latent. Ergò tunc nec malitia nec legis violatio est voluntaria, quia neutra scitur. Itaque consequentia est patenter nulla.

15. At inquies, jam dictum est, quòd sæpè prævideamus malum, ac violationem alicujus legis fortè secuturam, quia vir sapiens non potest non illud prævidere. Et tamen illud volumus. Ergò malum & violatio sunt voluntaria, & consequenter malum formale non separatur à materiali. Replica.

Respondeo, nos quidem sæpè prævidere fieri posse, ut detur lex latens & non applicata, quando putamus rem, quam facimus, nulla lege esse prohibitam; verùm in eo casu etsi lex aliquo modo apprehendatur sub nomine legis, non tamen sufficienter applicatur, sed ita latet, ut vim nullam obligandi exerere possit, ideoque non est lex quoad nos, sed perinde se habet, ac si non existeret, quidquid sit an respectu aliquorum pateat, & vim suam exerat. Et quia hoc certò nobis innotescit, ideo certi sumus, nos non transgredi ullam legem nos obligantem, seu non peccare formaliter, etsi ignoremus, an subjectum illud aliquâ lege latente & non applicatâ prohibeatur. Porro lex non obligans propriè loquendo non violatur, quia omnis propria violatio supponit legem obligantem, ut patet. Itaque in tali casu nulla datur vera transgressio aut violatio legis. Cæterùm, malum non est ponere actionem, de qua non constat illam non esse prohibitam lege latente, modò operans invincibiliter existimet, nullam dari ejusmodi legem, quia in tali casu ne quidē materialis legis violatio aut mali materialis positio est imputabilis ac voluntaria; lex enim in tali casu per judicium conscientiæ nec proponitur, nec proponi debet voluntati tanquam res existens, sed tanquam non existens; ideoque voluntas non amat eam transgressionem, sed ex suppositione quòd non sit, amat bonitatem, quam intellectus proponit, & fertur in objectum quatenus proponitur non esse prohibitum, seu lege ullâ interdictum.

Solutio.

Prævisio periculum violationis materialis, an reddat violationē voluntariam?

16. Præterea in his omnibus, lex, quæ dicitur materialiter violari, relatè ad operantem est solùm lex grāmaticaliter sumpta, cùm eum instar legis non arctet. Ideo nec malum, nec prohibitum est velle eligere objectum, quod fortè repugnat tali legi, maximè quando post omnem diligentiam adhibitam, nulla prorsus invenitur ratio ad existimandum, quòd ejusmodi lex existat; quia tunc notum est, quod nemo ob periculum faciendi contra legem taliter latentem obligetur ad abstinendum ab opere, quod ita invicibiliter credit esse bonum, ut non possit rationabiliter existimare illud esse malum. Quæ omnia à fortiori vera sunt, quando error invincibilis proponit objectum malum, non solùm ut bonum, sed etiam ut præceptum, ut quando maritus postulat

Lex materialiter tantùm violata, non est lex nisi grāmaticaliter dicta.

postulat debitum à conjuge, quæ ob impedimentum prorsus latens verè non est sua conjux; tunc enim redditio debiti invincibiliter proponitur ut præcepta, etsi fortè sit materialiter mala, & in tali casu certum est, conjugem reddentem debitum non peccare, quia nullâ ratione potest se subtrahere ab onere reddendi debitum, nec tamen certa est, se materialem fornicationem non ponere. Neque illa reddendo debitum ullam legem violat aut contemnit, ut patet, sed solùm obedit legi præcipienti ut debitum reddat.

Operans ex errore invincibili nullam omnino legem transgreditur.

17. Demùm in casibus ejusmodi certum est, nullam dari legem prohibentem opus in talibus circumstantiis, etsi judicium directum, quo res creditur esse simpliciter bona, per accidens & præter intentionem operantis sit falsum. Unde qui se accingit ad operandum in talibus circumstantiis, certus est se non peccare, quia certus est se nullam legem violare, etsi non sit certus objectum à se positum, in aliis circumstantiis non esse prohibitum. Non enim peccat violando illam legem, quia non versatur in illis circumstantiis, ad quas solas lex illa extenditur; ideoque illam non contemnit, quippe quæ non aliter contemnitur, quàm quia in circumstantiis, pro quibus obligat, despicitur & violatur. Hæc omnia fusè prosecutus sum *in tract. de consc. prob.* multis in locis, ideoque non est amplius illis inhærendum. Ex quibus iterum manifestè infertur, nos per principia reflexa sæpè certificari de non peccato in istis circumstantiis, tametsi non certi cemur, objectum materiale, in quod ferimur, non esse vetitum in aliis saltem circumstantiis, id est, sæpè certi sumus de absentia peccati formalis, etsi certi non simus, nos materialiter malum non facere; quod ideo signanter dico, ut habeam occasionem respondendi argumento, quod Celladeus *in fine hujus quæst.* proponit contra certitudinem reflexam hoc modo.

Objectio 4.

18. Ob. 4. Veritas cognitionum reflexarum pendet à veritate directarum; veritas autem directarum pendet ab objecto, quippe quod est mensura actuum. Ergò veritas reflexarum dependet ab objecto directarum; quia directæ non resolvuntur per reflexas, sed è contra reflexæ per directas. Ergò si directæ non sint veræ, neque reflexæ veræ erunt. Rem exemplo declaro. Si quis dictat, ego benè syllogizo, ut verum dicat, necesse est, syllogismum non per hanc reflexam cognitionem, sed aliunde ex suo objecto directo & regulis directis esse rectum; nisi enim directæ illæ regulæ essent rectæ, reflexæ illæ nil significarent. Idem valet in conscientia. Ergò nemo per reflexam considerationem potest esse certior quòd non peccet, quàm est per conscientiam directè constitutam. At per directam nemo est certior de remotione malitiæ formalis, quàm materialis. Ergò neque per reflexam. Ita Celladeus in fine §. 2.

Aliquæ cognitiones reflexæ sunt veræ, quāvis cognitiones directæ non sint veræ.

Respondeo. Veritas cognitionum reflexarum dependet quidem à veritate directarum, quando vel formaliter vel æquivalenter affirmant directas esse veras; quia tunc veritas directarum, aut aliquid essentialiter connexum cum veritate illarum, est objectum actuum reflexorum. At si cognitiones reflexæ non affirment veritatem directarum, sed alia prædicata cum illarum veritate non necessariò connexa, possunt esse veræ, licèt cognitiones directæ sint falsæ; quia objectum, quod enunciant, separari potest à veritate cognitionum directarum. Sic per actum reflexum verè affirmo, me habere judicium directum, quod post omnem diligentiam non nisi temerè suspendi potest; quodque proinde aut est absolutè verum, aut si sit erroneum, est invincibiliter tale. Ratio est, quia ista prædicata separari possunt à veritate judicii directi, ut evidens est in exemplo judicis condemnantis innocentem legitimè convictum, & aliis plurimis, quæ supra attulimus. At reflexæ cognitiones, quas nos adhibemus ad conscientiam ope principiorum synderesis reflexorum formandam, affirmant aut dicta prædicta, aut alia, quæ à veritate directarum non dependent, ut patet, tum ex allatis exemplis, tum ex iis, quæ sparsim *hic*, & fusius *in tract. de consc. prob.* prosecuti sumus. Ergò veritas illarum æquè subsistit, quando cognitiones directæ sunt falsæ, ac quando sunt veræ. Hoc posito, exempla Celladei sunt prorsus incongrua, quia procedunt de cognitionibus reflexis, quæ affirmant directas esse veras, cùm nos citra controversiam loquamur de illis tantùm, quæ affirmant prædicata separabilia à veritate cognitionum directarum.

Doctrina allata confirmatur.

19. Porrò simile argumentum *quæst. superiore* allatum & solutum fuit, ubi ostendimus diversitatem inter has reflexas in ordine ad formandam conscientiam, & alias quæ spectant ad artes & artium objecta. Si enim error sit in objecto materiali artis, illud semper eodem modo se habet, quomodocumque tandem ego judicem illud se aliter habere; quia nulla mea cognitio, sive vincibiliter sive invincibiliter erronea, impedire potest ullam partem defectûs in objecto, ac proinde nulla mea cognitio est circumstantia, per cujus accessionem malum illud physicum aut auferatur, aut minuatur. At aliter se res habent in conscientia; illa enim, quando est erronea, aut minuit, aut aufert malitiam ab objecto, circa quod versatur. Error enim, etiam vincibilis, nisi sit affectatus, minuit malitiam. Si autem error sit invincibilis, omnem prorsus malitiam moralem abstergit. Ergò errores conscientiæ sunt circumstantiæ adjacentes objecto, quæ modò minuunt, modò ab illis auferunt omnem malitiam moralem. Ergò si circumstantiæ istiusmodi reflexè cognoscantur, seu si objectum reflexè consideretur prout illis substat, cognitio reflexè dicens, objectum in talibus circumstantiis positum non esse malum, erit vera, quamvis cognitio directa sit falsa. Imò si circumstantiæ illæ certò & infallibiliter cognoscantur (ut cognoscuntur sæpissimè) poterimus certò & infallibiliter scire, nos in tali casu non peccare formaliter, etsi cognitio directa sit falsa, & reipsâ contingat nos peccare materialiter. Ecce quàm invalidæ & nullæ sunt rationes, quibus Celladeus singularem hanc suam opinationem stabilire conatur.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-TERTIA.

Vtrùm rationabiliter & cum veritate dicantur leges non esse sufficienter promulgatæ, quando probabile est, rem controversam non esse prohibitam?

1. De hac re fusè egi tum hîc *quæst. 2. à num. 45.* tum *in tract. de consc. prob. quæst. 23. à num. 14. usque ad 27.* ubi ostendi, nullam legem esse sufficienter promulgatam seu applicatam, ut obliget ad illud, quod probabiliter non comprehenditur sub lege. Porrò quia lex non satis promulgata non obligat, absque dubio ex hac reflexa legum consideratione validissimum desumitur argumentum, quòd usus probabilium sit licitus, quódque ex hoc ipso capite scire possimus, nos non peccare formaliter, quando haud scimus, an materialiter peccemus. Nec hoc Celladeum fugit, quia propterea *lib. 3. quæst. 8.* conatur ostendere, nullum ex hoc titulo aut benignæ sententiæ comprobandæ, aut suæ opinioni de inseparabilitate certitudinis peccati materialis à formali impugnandæ argumentum desumi posse. Hâc occasione argumentum quoddam Cardinalis Pallavicini examinat, & ut putat validè refellit; sed in omnibus à veritate aberrat, & alicubi eòusque deflectit, ut mirum sanè videatur, Theologum doctum & acutum in cogitationes adeò à veritate remotas incidere potuisse. Hæc ut constent, sit.

ASSERTIO UNICA.

Quoties post diligens veritatis examen gravissimi probique Auctores abeunt in contrarias sententias de existentia vel obligatione legis, toties lex illa non habet vim obligandi, nec obligat quemquam ex defectu sufficientis promulgationis.

Lex quævis ex defectu promulgationis non obligat, de qua probabile est, quod non existat.

2. PROBATUR. Certum est legem non sufficienter promulgatam non obligare. At constat pariter, talem legem non esse sufficienter promulgatam, quia post omnem diligentiam adhibitam, existentia aut obligatio legis manet ita incerta, ut apud omnes subditos probabile sit, legem aut non dari, aut ad tale objectum non extendi. At promulgatio est ceremonia subditis tam manifesta, ut plures saltem illorum prorsus certificet, & legem latam fuisse, & tali ceremoniâ indubiè fuisse manifestatam. Imò promulgatio ex suâ natura est ceremonia adeò solemnis & manifesta, tamque liquidò divulgata & certa ejus notitia, ut magnam subditorum partem latêre non possit, nisi ipsi culpabiliter ad ea, quæ fiunt, nolint attendere. At in casu nostro, nemo subditorum novit, quòd detur ejusmodi lex, aut quod unquam extiterit illa solemnis ceremonia; quia doctissimi quique ac maximè probi sciunt probabile esse, quod legislator nunquam talem legem ediderit. Ergò talis lex non est sufficienter promulgata & applicata. Ergò neminem obligat. Qui de hac re plura cupit, legat *quæst. 23. de consc. prob. à num. 14* atque repetat dictâ hî. *quæst. 2. à num. 45. usque ad num 59.* in illis enim locis argumentum hoc fusè tractatum inveniet.

3. Probatur secundò ratione, qua Cardinalis Pallavicinus usus est, quamque Celladeus refert §. 1. Ratio sic se habet. Licitum cuique est non solùm sequi partem, quam quis post diligentem veritatis indaginem absolutè reputat veram, ut Cardinalis eo loco supponit, sed etiam licitum est mihi sequi partem minùs tutam, quam minùs probabilem ac speculativè falsam reputo; quia cùm videam plures peritos ac probos, non obstantibus meis rationibus, existimare, nullam dari ejusmodi obligationem, adeoque licitè operari contra meam opinionem, dum sectantur suam, quæ ipsis probabilior est & habetur absolutè vera, non est rationi consonum, nec expedit reipublicæ, ut ego ex mea peculiari opinione sim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur. Lex enim debet esse communis, & ex æquo obligare omnes, quibus proponuntur eadem motiva obligationis, ut in republica sit uniformitas operandi. Ideo quando lex aliqua non est acceptata, quamvis culpabiliter, à majore parte reipublicæ, non obligat alios, quia ordinatur ad constituendam in moribus regulam communem.

Propria opinio non inducit obligationem, quando communiter tenen oppositam eamq; in praxim reducunt.

4. Rationem hanc à Cardinali retractatam fuisse testatur Celladeus, à quo etiam dicit sibi præscriptum fuisse, ut id aliis ediceret. An Cardinalis rationem hanc retractaverit nec ne, sollicitus non sum; quamvis enim in hac re Celladeo plenam fidem tribuam, existimo tamen nil eorum, quæ ego in argumento ponderavi, ab illo fuisse retractatum. Multa enim alia continentur in ratione Cardinalis, quæ apud ipsum videri possunt, quæque ego omisi, quia ad quæstionem præsentem necessaria non sunt, fortassis ergò aliqua ex illis retractavit, sed non est cur rationem ipsam, ut à nobis ex ipso breviter proposita est, retractaret, nil enim continet, quod Celladeus, aut quivis meritò carpat, maximè si intelligatur de lege humana, de qua potissimè loquitur Cardinalis, ut patet.

Ratio allata nil continet retractatione dignum.

5. Probatur tertiò à priori. Quoties est certò probabile legem non dari, toties datur certa probabilitas, quod Deus habeat voluntatem seu legem æternam, quâ permittit liberum usum talis rei. Ponamus exempli causâ utramque partem contradictionis esse æquè probabilem, & utramque ex æquo communiter defendi ac tradi à Theologis. In hoc casu, si loquamur respectu communitatis, certum videtur, legem prohibentem talem rem aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse: ratio est; quia tantùm affertur pro

Si probabilitas sufficeret ad promulgationem legis, leges contra ie ff nt sim il promulgatæ.

pro lege æterna permittente, quantum pro lege æterna obligante. Ergò vel neutra, vel utraque est sufficienter promulgata huic communitati. At utraque non potest esse sufficienter illi promulgata, quia tunc utraque apud illam vigeret, quod est impossibile, cùm sibi contradicant, & effectus prorsus contradictorios inducant. Ergò neutra est sufficienter promulgata. Et sanè absurdum prorsus est existimare, quòd ex duobus indiciis æqualibus unum sufficiat ad promulgationem sui objecti contra aliud, & aliud non sufficiat ad promulgandum suum objectum contra prius. Cùm enim inter illa indicia detur perfecta æqualitas, impossibile est, quod unum sit potentius alio. Ergò neutrum prævalet. Ergò neutrum sufficienter promulgat legem, quam indicat; quia promulgatio est indicium legis longè prævalens omni, quod affertur contra legem, ut patet. Ergò talia argumenta non sunt sufficiens promulgatio talis legis. Ergò rectissimè dicimus, legem in casu objectionis non esse sufficienter promulgatam.

Par probabilitas non sufficit ad promulgationem.

6. Argumentum hoc validius urget in sententia Celladei, quia per illum in casu motivorum æqualium pro lege & contra legem, motiva illa penitus se elidunt, & perinde se habent, ac si nullum esset motivum pro parte alterutra. At quando nullum est motivum indicans legem dari, nulla datur promulgatio talis legis. Ergò in casu paris utrimque probabilitatis non datur sufficiens legis promulgatio. Atque hæc est alia contradictio Celladei, qui ex una parte vult legem prohibentem in casu probabilitatis paris esse sufficienter promulgatam, & ex altera parte expressè asserit, motiva paria se penitus elidere, atque ita se habere, ac si nulla prorsus darentur pro ulla parte. Sed ubi nulla dantur motiva in communitate pro lege, certum est legem illam non esse sufficienter promulgatam communitati. Ergò tunc per Celladeum nulla datur promulgatio, quam tamen pro eodem casu omni nisu dari contendit. Ergò sibi contradicit.

Celladei contradictio.

In his casibus dirigimur per legem æternam reflexam.

Hinc infertur, quod in istiusmodi casibus nulla detur lex æterna directè & per se à Deo intenta, per quam dirigi possimus, cùm nulla ejusmodi lex sit sufficienter promulgata & intimata nobis. Itaque recurrendum est ad legem reflexam, & ad voluntatem Dei, quæ per accidens tantùm & ex suppositione nostræ ignorantiæ nos dirigit juxta dicta *quæst. 11 de consc. prob.* illa enim sola est lex æterna hîc & nunc sufficienter nobis promulgata & intimata, ut patet.

In casu hoc lex verè existens non est sufficienter promulgata.

Nec dicas pro Celladeo, alterutram ex legibus directis in Deo existere, illam autem, quæ verè existit, esse promulgatam, non alteram, quæ non existit. Nam contrà; quia promulgatio, ut benè advertit Celladeus, est denominatio quoad nos. At in casu paris probabilitatis nihil est quoad nos pro una, quod non sit pro altera, quamvis plus sit pro una quoad se. Ergò in tali casu procul dubio omnis sufficiens legis promulgatio deest, saltem relatè ad exigendam obedientiam circa tale objectum, quidquid sit, an eadem Dei voluntas quoad obedientiam circa alia exigendam sit sufficienter promulgata, & intimata. Qui plura de hac re cupit, videat hîc *quæst. 2. à num. 45. & quæst. 23. de consc. prob. à num. 14.* ibi enim valida pro rei istius confirmatione argumenta reperiet, quæ hîc non repetenda sed solùm inculcanda sunt. Plura etiam huc spectantia in objectionibus ponderanda erunt.

Doctrina hæc prorsus conformis est S. Thomæ pluribus in locis. Inprimis *quæst. 17. de Veritate art. 3. in corpore* expressè docet, præceptum superioris non obligare subditum, nisi sciatur. Ergò probabilitas non sufficit, saltem quando oppositum est probabile, quia in tali casu superioris præceptum non scitur. Sed juvat verba S. Doctoris proferre. *Ex imperio alicujus Regis vel Domini non ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti. Et ideo ille qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur. Nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non tenetur scire, nec sciat, nullo modo præcepto ligatur.* Hinc sic arguo. In casu præsentis controversiæ nemo scire potest præceptum Dei, ergò nemo illud scire tenetur, cùm ad impossibile nemo teneatur. Probatur antecedens, quia post omnem diligentiam res ita manet incerta, ut probabile sit, Deum illam non præcepisse. Ergò nulla datur, nec ulla dari potest scientia præcepti. Ergò ex mente S. Thomæ nemo in tali casu ex præcepto ligatur, sed per hoc ipsum quòd scientia præcepti cognoscatur impossibilis, unusquisque legitimè inferre potest, se illo præcepto non ligari.

Similia habet S. Doctor *2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2.* ubi disertè tradit, homines mysteriis fidei non assensuros, *nisi viderent ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Nec dubium, quin per visionem & evidentiam intelligat claram & evidentem rei perceptionem, cùm in corpore articuli visionem & scientiam opinioni ac fidei opponat. Hinc sic arguo. Ex mente S. Thomæ nemo tenetur credere ob probabilitatem, nisi habeat evidentiam credibilitatis de mysterio credendo. Ergò à fortiori excusandi sunt in re morali, qui solam probabilitatem inveniunt in parte opposita, dummodo scientia desit; quia si in iis, quæ sunt de fide, & sunt necessaria necessitate medii, non teneamur ea admittere, nisi demonstrentur esse evidenter credibilia, multò minus tenemur admittere legem ut veram ac obligatoriam & sufficienter promulgatam ac applicatam, quando est solùm probabile, quod existat, modò oppositum sit etiam probabile; quia talis lex verè non est sufficienter applicata ut vim legis exerat, sicut in simili constat de lege credendi revelata.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIES primò. Si ista reflexa vel defensio vel excusatio, à non promulgatione vel acceptatione legis desumpta, sufficeret ad excusandum à peccato, tam infideles quàm hæretici possent æquo jure se excusare, appellando ab omni disputatione directa ad reflexas, quas ipsi probabiles esse tuebuntur; cùm ipsi probabilitatem quoad nos habere possint de veritate suorum dogmatum. At sequela falsa est, ut patet. Ergò defensio per reflexam considerationem à non promulgatione legis desumpta nulla est. Probat sequelam sic. Si alicui Calvinistæ per argumenta credibilitatis fidei nostræ ostendas, solam Ecclesiam Catholicam esse veram, extra quam nulla salus, ille facilè se expedit, dicendo, veritatem ipsam non esse necessariam, sed probabilitatem sufficere etiam in materia religionis, sicut sufficit in materia morum. Dicet, nolle

Objectio 1. Inconnexa Celladei illatio.

nolle ſe de veritate ipſa diſputare, ſed indirectè ac reflexè rem determinare. Contendet, Doctores ſuos audiviſſe fundamenta noſtra, nihil tamen fuiſſe motos, ac proinde legem, ſi qua eſt, acceptandæ religionis Catholicæ non fuiſſe ſatis promulgatam. Simili ratione Ethnici evadere poſſent obligationem credendi, quia cùm Dionyſius, Paulo in Areopago prædicante, credidit, potuiſſet non credere, prætendendo legem non eſſe ſufficienter promulgatam, aut acceptatam; quia videbat, majorem partem Areopagitarum, qui omnes erant viri doctrinâ præſtantes, Pauli dictis fidem non dediſſe. Jam lex, quæ pleroſque non obligat, reliquos paucos reſiduos comprehendere nequit, quia lex eſt uniformis regula, ideo inſtituta, ut in republica operationes ſint uniformes, maximè in materia religionis, cujus diverſitas magnam turbationem cauſare ſolet. Præterea dicere poterat, lex propoſita nova eſt ac diffi. lis, & quamvis quæ Paulus adducit fortia videantur, nihilominus poſſum practicè conſcientiam meam deponere in opinione ſenatûs celeberrimi, qui majori ex parte dicta illius non approbat, ſed rejicienda judicat. Si credidero, ſingularis habebor, judiciique paradoxi notam incurram.

Alia ſimilis ejuſdem illatio.

Tertia illatio prioribus ſimillima.

Rurſus converſio gentium hâc ratione redderetur impoſſibilis, quia omnis earum converſio ab uno aliquo vel à paucis plerumque incipit. At ille, vel illi pauci prætendere poterunt, legem non eſſe ſufficienter promulgatam, quia à minima mundi parte audita eſt, & à paucis, quibus declarata fuit, admiſſa. Porrò lex à majori parte reipublicæ non acceptata, etiam culpabiliter, reliquos non obligat. Prætendent ergò, ſe quoque ad credendum non obligari, maximè ſi damnum illis ex admiſſione ac profeſſione talis fidei immineat, ut tempore perſecutionum imminere ſolet, quia durum eſt bonis omnibus ſpoliari, mortiſque etiam periculum incurrere; expedire ſibi, ut longè majori Patriæ parti ſe accommodent, ne proprio judicio ad tam dura ſe condemnent. Ita Celladeus §. 2.

Abſurditas argumenti & paritas aperitur.

8. Reſpondeo primò indirectè, & in conſpectu omnium Eccleſiæ Doctorum à te peto, Celladeè, an exiſtimes, non plus probabilitatis, & invincibilitatis tribuendum eſſe certò probabilibus Catholicorum opinionibus, ſi fortaſſis falſæ fuerint, quàm infidelitati ac hæreſi tribuendum ſit? ſi dicas plùs probabilitatis ac invincibilitatis competere Catholicorum opinionibus, etiam quando præter opinionem errant, eo ipſo concedis argumentum tuum procedere de ſubjecto non ſupponente, quia ſcis & fateris paritatem, quam urges, non ſubſiſtere. Si parem utriſque probabilitatem & invincibilitatem aut vincibilitatem tribuas, uti debes, ut argumentum valeat, evidentem falſitatem enuncias, eamque viris doctiſſimis ſanctiſſimiſque maximè injurioſam. Profectò ſi verum dicis, negare haud poteris, quin S. Thomas, aut S. Bonaventura non magis probabiliter & invicibiliter locutus ſit, ſed tam vincibiliter errârit, quàm errent infideles & hæretici, qui poſt fidem Catholicam illis ſufficienter propoſitam, in ſua perfidia perſeverant. Hoc, inquam, negare non potes, quia certum eſt, alterutrum eorum in pluribus erraſſe, cùm in pluribus ſibi apertè contradicant. Quis autem abſque horrore poteſt hæc, non dico reipsâ aſſerere, ut tu teneris niſi tibi apertè contradicas, ſed vel imaginari, ea à Lectore accipi poſſe, tanquam à ſe dicta.

Paritas inter falſas Catholicorum opiniones & hæreſes eſt abſurdiſſima.

9. Sed age. Quid tibi venit in mentem, ut inter hos omnes ex æquo comparationem inſtitueres? Nónne argumenta fidei Catholicæ, debitè propoſita ac perpenſa, ſummam myſteriorum credibilitatem evidenter oſtendunt? Nónne evidenter etiam evincunt, nil illis comparandum aut allatum fuiſſe, aut afferri poſſe in contrarium, omnemque aſſenſum de contrario, aut etiam voluntariam dubitationem de illorum veritate eſſe temerariam. Abſque dubio argumenta pro fide Catholica ſunt ejuſmodi; alioquin nemo obligaretur ad eam amplectendam, illique tanquam à Deo revelatæ ſuper omnia credendum. At è contrario, inter opiniones certò probabiles, de quibus Doctores Catholici communiter variant, nemo ſanæ mentis dixerit, argumenta uni parti faventia ita excedere alia, ut ſi utraque debitè propoſita & conſiderata fuerint, hæc illis ita præponderent, ut illa in horum comparatione nullius momenti ſint, ſed prorſus evaneſcant, nec ſufficiant ad avertendam temeritatis notam, ſi quis aut illis inhæreat, aut etiam propter illa oppoſitum in dubium revocet. Præterea certum eſt, veritatem in iſtis caſibus ita latêre, ut à conante & volente etiam per ſummam diligentiam cerni ac diſcerni non poſſit. Latet ergò invincibiliter, alioquin vel S. Thomas, vel S. Bonaventura in ſuis ſententiis dicendis vincibiliter erraſſet, & conſequenter graviter peccaſſet. Idem eſſet de omnibus graviſſimis Doctoribus, qui in rebus ad fidem & mores ſpectantibus ſibi contradicunt. Stat ergò, longè majorem probabilitatem & invincibilitatem convenire falſis ſed controverſis Catholicorum opinionibus, quàm hæreſi aut infidelitati conveniat. Erras ergò, & evidenter erras, Celladee, dum hæc omnia proponis ut æqualia quoad hoc, quæ in hoc ipſo quàm longiſſimè diſtant. Illegitima ergò & evidenter falſa eſt comparatio, in qua te fundas, ut rationem hîc propoſitam falſitatis arguas. Præterea eadem eſt etiam viris ſanctiſſimis pariterque doctiſſimis ſummè injurioſa; quæ enim atrocior injuria contra tales viros excogitari poteſt, quàm dicere illos, ſi fortè erraverint, aut errent, non minùs vincibiliter erraſſe, quàm errent hæretici, & infideles, qui myſteriis fidei ſufficienter propoſitis aſſentire renuunt. At hoc evidenter ſequitur ex comparatione iſta, quia contendis omnimodam paritatem ſubſiſtere. Ergò per te errores Doctorum Catholicorum ſunt æquè vincibiles ac errores hæreticorum & infidelium. Ergò tu illis injurioſus es, qui tam atrocem illis notam inuris.

Eſt etiam viris ſanctiſſimis doctiſſimiſque injurioſa.

Celladeus duo falſa proponit.

10. Reſp. 2. directè, & inprimis dico, Celladeum apertè errare in duobus ſuppoſitis; ſupponit enim primò, hæreſes eſſe probabiles quoad nos, etiam quando omnia motiva credibilitatis fidei Catholicæ afferuntur in contrarium, quo nil falſiùs, aut abſurdiùs dici poteſt; motiva enim fidei Catholicæ ſunt certa, & certam fidem faciunt; nil autem poteſt eſſe vel quoad nos probabile, cujus contrarium certum eſt, aut pro cujus contrario argumenta ad certam fidem fundandam ſufficiunt, ut fusè oſtenſum eſt *in tract. de opin. prob. quæſt. 2. & quatuor ſequentibus*, & ſæpiùs in iſtis etiam quæſtionibus ex ipſa natura ac definitione probabilitatis probatum.

Catholici in utrimque probabilibus licitè recurrunt ad conſidera-

11. Rurſus ſupponit nos docere, quòd cuique pro arbitratu liceat appellare ab omni diſputatione directa ad reflexam, & ſic de ipſa veritate rei nil curare; verùm nos è contrario & dicimus, & apertè profitemur, omnes teneri ad veritatem

ipſam

tionem reflexam. ipsam diligenter investigandam, nec locum esse considerationi reflexæ ad licitè formandam conscientiam, nisi quando veritas directa aut certò haberi non possit, aut certè non possit haberi cum tanto excessu verisimilitudinis, ut oppositum non sit probabile. Nec hoc tantùm verbis profitemur, sed idipsum ex modo arguendi evidenter demonstramus; ipsa enim principia reflexa, quibus utimur, adeo indispensabiliter supponunt veritatem directam per diligentiam debitam haberi non posse, ut nisi hoc præsupponatur, illa ad conscientiam formandam nulli usui esse possint. Hæc omnia tam apertè constant ex exemplis hactenus allatis, ut de illis nullum dubium esse possit. Quæ cùm certissimè ita sint, palmariter errat Celladeus, dum dicit, Calvinistam facilè posse se expedire ab argumentis fidei Catholicæ veritatem directè comprobantibus, dicendo probabilitatem sufficere in materia religionis, sicut sufficit in materia morum; proinde nolle se de ipsa veritate differere, sed reflexè tantùm rem determinare. Palmariter, inquam, errat, quia nemo hac ratione excusare se valet, cùm apud omnes certum sit, nullam probabilitatem sufficere in materia morum ac religionis, quando veritas ipsa sciri potest, cùm omnes ad eam diligenter investigandam teneantur, nec citra culpam ab illius indagatione eximere se possint, quando aut mysteria fidei & motiva credibilitatis, aut morum doctrinæ sufficienter proponuntur. Itaque Calvinista sic procedens culpabilis esset, quia sciens & volens oculos veritati clauderet, illamque contra suam obligationem audire ac considerare contemneret. Præterea appellaret ad probabilitatem, quæ haberi non posset; cùm probabilitas, de qua disserimus, fundetur in carentia certitudinis etiam moralis de opposito, & præsupponat veritatem ipsam per diligentiam debitam certò sciri non potuisse. Non ergò nisi merè prætendere potest, legem acceptandæ fidei Catholicæ non esse sufficienter promulgatam, cùm certum sit, eam etiam ipsi sufficienter promulgatam esse; nisi enim sponte oculos claudat, veritatem legis latæ sibique applicatæ non potest non cernere. Quòd si æquo jure prætendere posset, talem legem non esse magis promulgatam, quàm sit lex de confessione circumstantiarum solùm notabiliter aggravantium malitiam in eadem specie, ut contendit Celladeus, tunc lex acceptandæ fidei ex defectu debitæ promulgationis non magis obligaret, quàm lex confitendi dictas circumstantias nunc nos obligat. At lex ista ex defectu promulgationis & sufficientis applicationis nos non obligat. Ergò si verum dicat Celladeus, neque lex acceptandæ fidei hæreticos obligat. Ecce iterum quàm miserè in propria argumenta impingit; nam quæ ob subjectum non supponens frustra contra nos objectat, eadem in propriis ipsius principiis efficaciter convincunt, absurda in argumentis contenta ex ipsius sententia legitimè deduci, quæ nullatenus sequuntur ex illa, quam impugnat, sed opposita omnia ex illa clarè deducuntur.

Prima Celladei illatio exploditur.

Admissa à Celladeo probant ea vera esse in ipsius sententia quæ contra nos objicit ut absurda.

Effugium Celladeo occluditur.

12. Quòd si Celladeus, veritate convictus dicat, directa quidem Catholicorum dogmata incomparabiliter magis excedere directas hæreticorum doctrinas, quàm una opinio probabilis excedat aliam probabilem; parem tamen esse omnium conditionem quoad considerationem reflexam: si, inquam, ita dicat, contra est primò, quia jam fatetur, directos Catholicorum errores circa res ejusmodi esse invincibiles, quod nobis satis est, & ipsum contradictionis arguit. Nobis quidem satis est, quia lex illa non est sufficienter promulgata, seu applicata, cujus existentia insuperabiliter ignoratur: ergò qui tali errore directo decepti operantur, non peccant, sed excusantur. Præterea ex hac ipsa insuperabili veritatis ignorantia, apertè sequitur, locum dari reflexis discursibus à nobis propositis, quia illi in hac ipsa ignorantia fundantur, sicut etiam non promulgatio legis, de qua nunc agimus, in eâdem fundatur, ut patet. Ipsum verò contradictionis arguit, quia admissâ diversitate inter principia directa, necesse est, ut eadem admittatur inter reflexa, quia principia reflexa fundantur in directis, nec locus est illis, nisi ubi veritas per principia directa nequit haberi. Præterea nónne aperta contradictio est, principia directa inæqualiter uni ac alteri parti favere, & tamen principia reflexa, quæ in directis fundantur, & ab earum qualitate suam vim & efficaciam desumunt, utrique parti favêre æqualiter? hoc in casu particulari perspicuum est, quia in materia confitendi circumstantias solùm notabiliter aggravantes; lex obligans ad ullam determinatam partem tenendam non est sufficienter promulgata, & applicata, quia rei illius certitudo adhuc insuperabiliter latet. Unde hæc insuperabilis ignorantia veritatis dat locum discursui reflexo, quòd non obligemur ad eas confitendas. At in casu hæretici negantis Christum in Eucharistia v. g. aliter se res habet, lex enim obligans ad credendum non latet, sed est sufficienter applicata ac promulgata. Ergò non datur locus argumento ac principio illi reflexo, quo Catholicus in materia confitendi tales circumstantias utitur. Ergò evidens est, principia reflexa non posse æqualiter se habere, quando directa inæqualiter se habent. Ergò Celladeus nec per directas nec per reflexas considerationes suum argumentum defendere potest.

Principia reflexa non possunt esse æqualia, ubi principia directa sunt inæqualia.

13. Eadem ratio ostendit, infideles non posse seipsos per principia reflexa defendere, quia cùm lex Dei directè sufficienter illis intimetur, non est locus pro principiis reflexis, ut patet. Jam etsi hæc responsio abundè sufficiat, lubet tamen exactiùs discutere quæ Celladeus congerit, notabilesque ejus defectus notare.

Exploditur secunda illatio.

14. Inprimis certum est, Dionysium rationabiliter non potuisse prætendere, legem à Paulo propositam non fuisse ipsi sufficienter promulgatam, quia auribus suis audivit præconem, qui eam nomine Dei intimabat: Deus autem, qui supremus creaturarum legislator est, omnes immediatè obligat ad credendum dictis ipsius, quoties sufficienter constat præconem à Deo missum esse, atque ea, quæ ipsi commissa sunt, enarrare. Jam vel sufficienter innotuit, vel non sufficienter innotuit Dionysio, quòd Paulus esset talis, & taliter se gereret. Si secundum, nondum tenebatur credere, quia *qui citò credit levis est corde*; si primum, indubiè tenebatur, nec ab hac obligatione eximi potest, eò quòd alii assentire nolint, aut etiam contradicendo reclament, quia Deo sufficienter ostendenti se velle aliquid, obtemperandum est, omniique creaturæ contrarium volenti aut jubenti resistendum. Jam haud dubiè dictæ qualitates Pauli sufficienter intimatæ erant Dionysio, vel quia jam tum ipsi notorium erat, Paulum Jesu Christi Apostolum ea prædicare, quæ Christus ipse docuerat, plurimisque ac patentibus miraculis confirmaverat, aut etiam Paulum ipsum suam legationem miraculis confir-

Dionysius non poterat prætendere legem obligantem ad fidem non fuisse illi sufficienter intimatam.

confirmasse: vel quia quamvis externa Pauli propositio nondum esset sufficiens ad fidem promerendam, Deus ipse externæ propositionis defectum internâ ac extraordinariâ illuminatione supplebat. Jam quodcumque horum dicatur, certum est, Dionysium obligatum fuisse ad credendum, legemque, quâ ad dandam fidem obligabatur, fuisse sufficienter ipsi intimatam seu promulgatam, cui proinde absque peccato obedientiam negare non poterat.

Aliorum non acceptatio fidei, Dionysium non excusabat.

15. Nec obstat, quod videret plurimos ex Areopagitis Pauli dictis fidem non dare, non enim ideo prætendere poterat, se illâ lege non obligari, eò quòd non esset acceptata à majore parte, & lex, quæ plerosque non obligat, reliquos paucos non arctat, quia est uniformis regula æquè afficiens omnes: non, inquam, poterat hoc prætendere, quia vel videbat omnes ad eam acceptandam fuisse obligatos, vel certè animadvertebat, Deum sibi singulariter suâ voluntatem manifestâsse. At in neutro casu ipse liberabatur ab obligatione credendi. Non in primo, quia alii non credendo seu non acceptando legem peccabant, & ipse peccati etiam reus fuisset, si non credidisset, idque verum & indubitatum est, quando superior absolutè jubet, suamque voluntatem intimat; tunc enim peccant subditi, qui legem non acceptant, quamvis postquam, ipso tacente, diu continuârunt in sua obstinatione, peculiaris homo, qui ab initio obtemperavit, & ex se paratus est obedire, non teneatur postea singularis esse, & solus legem humanam servare, reliquis eam non servantibus. Non in secundo casu, quia cùm diversa esset ratio de ipso & aliis, satis sciebat, Deum à se fidem exigere, quidquid esset, an eam ab aliis adhuc immediatè exigeret.

Lex non acceptata plus valet ad obligandum, quàm lex non promulgata.

16. Atque hinc apparet, Celladeum in argumenti propositione dupliciter errare: errat primò, quia æquiparat legem non acceptatam cum lege non promulgata, quasi neutra ex æquo ullam obligationem induceret, quod tamen falsum est; quia lex promulgata ab initio saltem obligat, ut acceptetur; & qui illam non acceptat, sed facit contra eam, peccat. At lex non promulgata omninò non obligat, quia non est sufficienter applicata. Quod si dicat, se non tradere eam æquiparationem ex propria sententia, sed eam ex doctrina Cardinalis Pallavicini aliorumque referre, atque ex illa probare sententiam illorum esse rejiciendam, adhuc errat, quia aut mentem illorum non intelligit, aut certè eam ita exponit, ut illam communi doctrinæ, illorumque opinioni contrariam repræsentet; nemo enim absolutè docet, non plus virium esse in lege non acceptata, quàm in lege non promulgata, sed multas limitationes adhibent, quando dicunt legem non acceptatam non obligare. Inprimis enim loquuntur de lege humana, non de divina; divina enim lex indispensabiliter obligat omnes, quibus est sufficienter promulgata; unde licet plerique, imò omnes nollent acceptare legem non furandi, adhuc furando peccarent, quia supremus legislator absolutè vult obligare suos subditos, nec suam obligationem ab eorum acceptatione dependere. Prorsus enim absurdum esset, si supremus legislator à subditorum voluntate aut acceptatione dependeret. Itaque sive subditi acceptent, sive non acceptent legem divinam, peccant, si faciunt quod illa prohibet, quia transgrediuntur legem supremi legislatoris illis sufficienter promulgatam.

Lex divina obligat ut acceptetur, & obligat quamvis non acceptetur.

17. Quod si loquamur de lege humana; de qua sola loquuntur Auctores, qui dicunt, legem non acceptatam non obligare, adhuc multas limitationes apponunt, ut propositio illa sit vera. Inprimis dicunt, illos peccare, qui legem non acceptant, modò non adsit sufficiens causa illam non acceptandi, quæ si adsit, ex epikia excusantur. Ratio est, quia legislator humanus, non videt omnia, quæ intervenire possunt, ideoque sæpè ignorat circumstantias intercurrentes, quæ suadent legem non esse acceptandam, quas si scivisset, noluisset subditos ad legem acceptandam obligare. Rursus legislator humanus, saltem civilis, sæpè potestatem habet à republica, unde facilè præsumitur quod non habeat potestatem obligandi subditos quando omnes reclamant, & dicunt se legem nolle acceptare, eò quòd illam existiment non esse opportunam. Ratio est, quia respublica non censetur talem potestatem Principibus temporalibus tribuisse. De legislatoribus autem Ecclesiasticis, saltem supremis, qui non ab hominibus, sed à Deo immediatè jurisdictionem recipiunt, alia est ratio; verùm illi plerumque ex quadam æquitate censentur tam benignè uti sua potestate, ut nolint absolutè obligare subditos in illis circumstantiis, in quibus deest potestas Principibus temporalibus. Itaque si ab initio omnes subditi reclamarent legi Ecclesiasticæ, eò quòd sincerè & sine passione existimarent, illam non expedire &c. in eo casu legislator Ecclesiasticus censetur nolle obligare subditos ita reluctantes. Cæterùm si supremus legislator Ecclesiasticus legem ferat, quæ habet conditiones veræ legis; & absolutè velit suos subditos obligare, atque hanc suam mentem apertè declaret, haud dubiè lex tenet saltem ab initio, & qui illam non acceptant, sed transgrediuntur, peccant. Cæterùm in hoc etiam casu, etsi ab initio peccent, qui eam non acceptant, tamen si diu manserint in illa inobedientia, & Princeps dissimulet, eò quòd nec pœnas exæquatur, nec legem referet &c. censetur non amplius velle obligare subditos, atque ita lex illa desinit esse lex, quia tacitè revocatur à Principe. Similiter si lex ab initio promulgetur, & pauci aliqui illi obtemperent, eò quòd sincerè cupiant legibus obedire, reliqui tamen omnes legem illam contemnant, nec in usum deducant, in eo casu post tempus aliquod (quod quantum esse debet à Theologis & Jurisperitis assignari solet) pauci illi non amplius tenentur illis legibus, quia eo ipso legislator censetur vel legem abrogare, vel certè cum illis dispensare, ne duorum vel trium proborum hominum obedientia ludibrio vertatur ac vituperio, à quo omnes maximè abhorrent. Atque adeo legislator humanus cum tanto onere subditos obligare non intendit. Nihilominus si lex justa esset, & legislator insisteret, legisque executionem exigeret, peccarent, qui sine causa illam non acceptarent, illique non obedirent, quia legitimo legislatori resisterent, & legibus ab eo latis non obtemperarent.

An & quomodo lex humana obligationem inducat, ut acceptetur.

Potestas civilis minor est, quàm Ecclesiastica in ordine ad obligandum, ut lex acceptetur.

Quomodo lex ab initio obligans desinat per non acceptationem.

18. Et hæc quidem locum habent, non solùm quando non acceptatio legis coincidit cum non promulgatione illius per provincias, quod sæpè contingit; quoties scilicet illi in Provinciis, ad quos spectat leges promulgare, illas non promulgant; sed etiam quando post promulgationem & aliqualem observationem omnes fermè per desuetudinem ab illa observanda cessant; quia sicut leges humanæ hac ratione paulatim cessant, ita eâdem ratione peculiaris homo, legum obser-

Doctrina allata locum habet in omni lege humana.

observandarum cupidus, ab illarum obligatione liberatur, quoties omnes longa consuetudine ita cessârunt ab illius observatione, ut eam non amplius ut legem obligantem respiciant.

Non acceptatio in lege divina, si subordinetur non promulgationi aliquo modo excusat ab obligatione.

19. Quod si sermo sit de materia ad legem divinam spectante, non acceptatio talis legis nullam habet vim, nisi quando illa non acceptatio fundatur præcisè in non promulgatione ejusdem, quod toties evenit, quoties probi doctique homines post diligentem veritatis indagationem inveniunt rationabile fundamentum ad existimandum, tale objectum à divina lege non esse præceptum; tunc enim rationabiliter renuunt legi insufficienter apparenti tanquam legi verè obligatoriæ se subdere. Hoc autem est legem talem non acceptari. Verùm hæc non acceptatio præsupponit non promulgationem, ideoque in tali materia non acceptatio & non promulgatio non sunt duo tituli disparati, sed penitus subordinati. Errat proinde Celladeus, dum titulos istos proponit, ac si essent duo tituli prorsus diversi, cùm in materia legis divinæ necessariò connectantur, & unus alteri subordinetur.

Tota Celladei objectio ex terminorum æquivocatione & falsâ suppositione procedit.

20. Qui doctrinam hucusque traditam, quæ apud Theologos est prorsus indubitata, benè intellexerit, & inter non acceptationem legis divinæ & humanæ ritè distinxerit, atque animadverterit, quando non acceptatio legis subordinatur, quando non subordinatur ejusdem promulgationi, atque tunc demùm Celladei objectionem relegerit, videbit, quòd nil difficultatis contineat, sed quod ex terminorum, qui in diversis circumstantiis diversa significant, æquivocatione procedat; confundit enim doctrinam de non acceptatione legis divinæ sufficienter declaratæ, cum non acceptatione legis humanæ, & ex sensu Auctorum ita loquitur, ac si illi de utraque lege idem prorsus docerent, cùm Doctores omnes diversimodè de talium legum non acceptatione loquantur. Itaque tantum abest, ut sequatur ex doctrina nostra, aut illa Cardinalis Pallavicini, quòd infideles suam infidelitatem excusare possint, aut quòd conversio gentium reddatur impossibilis, ut oppositum manifestè sequatur, quia & absolutè asserimus, & ex nostris principiis manifestè sequitur, nullam esse posse probabilitatem pro errore, qui repugnat veritati fidei sufficienter propositæ; quod verum est, etsi non solùm omnes Areopagitæ, sed omnes totius Græciæ sapientes Paulo prædicanti, & suam doctrinam tanquam à Deo revelatam sufficienter probanti restitissent.

SOLVITUR II. OBJECTIO, *& quæritur, an proborum exemplum ad conscientiam formandam sufficiat?*

Objectio 2. 21. OBJICIES secundò. Recursus ad reflexam istam considerationem in non promulgatione legis fundatam committit circulum. Ergò est argumentum fallax, & illegitimum. Probatur antecedens. Nemo potest ab aliqua lege legitimè se excusare per alios aliorumque deobligationem, nisi supponendo eos legitimè se gerere, & esse legitimè excusatos in eâdem causa. Turpissima siquidem esset excusatio hujusmodi: *longè major pars reipublicæ, sive benè sive malè, non operatur juxta hanc legem, nec juxta illam operandum putat. Ergò ego juxta illam operari non teneor*: talis enim conclusio ex illo antecedente

An & quomodo liceat operari propter aliorũ exemplum?

non sequitur, sed solùm infertur, *quod ego possim vel benè vel malè juxta illam operari, aut quod possim benè vel malè putare juxta illam non operandum.* Ergò ut me defendam, debeo prius alios defendere, & ostendere, eos benè facere hanc legem non servando, & benè putare dicendo eam non obligare, ut sic inferam, me benè facere taliter opinando ac operando. At non possum alios per alios reflexè defendere, ut eadem ratio ostendit. Ergò tandem veniendum est ad disputationem directam, ut per eam & me & alios justificem. Ergò non est nisi unica via nos justificandi, nempe deductio veritatis per principia directa. Inanis ergò est omnis justificatio per principia reflexa. Præterea multitudo, per cujus exemplum me justifico, vel audivit & intellexit, vel non audivit aut non intellexit motiva legi faventia. Si secundum, nemo potest se defendere per talium virorum ignorantiam, ut patet. Si primum, loquimur de intelligentibus. At illi supponuntur existimare se obligatos. Ergò vel debent operari juxta suam sententiam, vel ad alios provocare. Si primum, habetur intentum, quia homines tales per sola principia directa regulantur. Si secundum, datur circulus vitiosus; quia si omnes speculativè existimantes obligationem dari, sint quatuor, ego me justifico per tres alios, illi se justificant per me, & sic ego inadæquatè saltem me justifico per meipsum. Committitur ergò circulus in recursu ad istam considerationem reflexam. Hoc vitium in multis resolutionibus moralibus intervenit. Quæritur an usus chocolatis sit contra paupertatem religiosam, quia non est res pauperum, sed divitum, cùm sit valdè pretiosa. Respondent aliqui, usum illius non esse contra paupertatem religiosam, quia datur ejus usus in Religionibus valdè observantibus. Ecce singulæ se justificant per reliquas, & committitur circulus, quia nil est quod primò rem justificet, in quo sistere possimus. Idem videre est in nimio fœminarum ornatu; singulæ se excusant per alias, & nil est, in quo tandem excusatio sistat. Et tamen lumine naturæ notum est, quod nemo se possit excusare per alium, nisi supponat eum non ex ignorantia rectè agere, & esse aliquem primum, in quo sistat appellatio. Ita Celladeus §. 5.

Difficultas hujus rei proponitur.

Respondeo inprimis, objectionem, saltem quoad primam partem non esse ad rem; quia procedit de lege certa, certoque promulgata, cùm tota præsens difficultas sit de lege, cujus existentia aut promulgatio est incerta. Illatio autem à lege certa ad incertam non valet.

22. Respondeo secundò Celladeum ita loqui in hac objectione, ut quid sibi velit non appareat. Videtur enim velle, nunquam fieri posse per continuatam & universalem non observationem legis, ut illa aliquando desinat obligare, eò quòd non sit amplius in usu. Nisi enim velit hoc, argumentum procedit de subjecto non supponente, quia si per continuatam & universalem non observationem obligare desinat, tunc certè, qui talem non observationem allegat, seipsum justificat, & à legis obligatione eximitur. Itaque peto, an intelligat, an in hoc sensu non intelligat suam objectionem? si primum: singularis est in sua opinione, omnibusque prorsus Theologis ac Jurisperitis repugnat; illi enim omnes unanimiter fatentur, leges humanas per diuturnam ac universalem desuetudinem cessare. Itaque si dicat primum, indubiè fallitur. Si dicat secundum, non solùm loquitur de subjecto in propriis principiis

Non apparet quid sibi velit Celladeus in hac objectione.

non

non supponente, sed præterea, hoc omisso, ipsemet tenetur proprium argumentum solvere, quia debet ostendere, qua ratione homo se justificare & à legis obligatione seipsum eximere possit, allegando quòd nemo legem observet. At si hoc semel explicetur, argumentum ruit, quia fundatur in suppositione, quòd hoc fieri nequeat. Adeo infelix est in arguendo Celladeus, ut propriis ubique argumentis succumbat.

Causæ, ob quas obligatio legis humanæ cessat.

23. Respondeo tertiò directè, & dico, neminem ita argumentari, ut ille proponit; nemo enim contendit, quòd quisquam à lege obligante ideo eximatur, quia alii sive benè sive malè illam non observant; absque dubio enim peccat, quicumque legem vigentem & obligantem non observat; sed quod dicunt est, leges humanas per longam & universalem non observationem cessare, quamvis qui illas ab initio fregerunt, peccârint. Cessat autem vel quia legislator civilis non habet potestatem ferendi leges, quando tota respublica legum latarum oneri se submittere renuit; vel quia legislator censetur legem revocare, illamque tacitè revocat, quoties videns universalem non obedientiam tacet, neminemque ob illius transgressionem punit, nec ipsius observationem urget; vel quia cum peculiari homine dispensat, ne digito notetur, & aliorum ludibrio exponatur, ut dictum est.

Aliquando excusamur, posito aliorum exemplo, sive illi benè, sive malè fecerint legem non servando.

24. Hæ & aliæ ejusmodi causæ (non enim omnes recensui) sæpè excusant singularem subditum, ne legibus obtemperet. Et sanè hoc verum est, sive multitudo non obediens benè vel malè fecerit non obediendo, saltem post longum tempus; modò Princeps videns transgressionem universalem, eam toleret, nec legem reiteret, nec ejus executionem urgeat. Neque tamen ideo eo modo argumentamur, quo Celladeus nos arguere contendit; non enim aliorum inobedientia, sed sed solùm cessatio legis, aut prudens & rationalis epiikia nos excusat. Verum quidem est, unanimem aliorum perversitatem præbere occasionem cessationi legis, aut benignæ illius interpretationi, quæ per epiikiam & præsumptam dispensationem hic & nunc excusat. Atque hinc patet æquivocatio Celladei, ille enim loquitur de lege habente vim legis, id est, de lege existente & applicata; tum hoc supposito, pergit & urget, neminem per aliorum actiones excusari, nisi supponantur esse legitimæ & licitæ. Verùm hoc non quæritur, sed solùm utrùm lex lata per diuturnam ac universalem non observationem, legislatore vidente & tacente, & legis executionem non urgente, cesset, aut saltem, utrùm in eo casu legislator cum homine singulari obediendi cupido dispenset? De hoc nil habet Celladeus, qui proinde veram & legitimam excusationis causam cum falsa ac futili confundit.

Qui factum aliorum prætendit, non semper tenetur eos excusare, ut ipse excusetur.

25 Porrò eadem æquivocatio cernitur in sequentibus; non enim semper teneor alios excusare, ut me à lege liberum esse concludam; sed solùm tunc teneor eos excusare, quando nulla est diversitas inter illos & me. Inprimis etsi illi culpabiles sint, & cervicis flecti nesciæ, tamen per hanc inobedientiam diu toleratam &c. scire possum legem cessare, & sic nec me nec ullum illâ ligari. Similiter ob rationes mihi peculiares, scire possum me hîc & nunc non teneri lege, eò quòd sit præsumptio valida, quòd legislator mecum dispenset, aut quòd noluerit me in istis circumstantiis obligare. In hisce casibus non teneor alios excusare, à quorum praxi sumo argumentum partiale ad inferendum me non obligari, quia ego sum in aliis circumstantiis quàm illi, ut patet. At si ego essem in eisdem circumstantiis cum reliquis, tunc necesse foret, me eodem modo operari cum ipsis, ac proinde me non posse aliter excusari, quàm excusentur & ipsi. Verùm hic secundus casus locum non habet in præsenti.

26. Rursus, modus arguendi in argumento positus, non est tam absonus, ut Celladeus putat; si enim parum alteretur, legitimè concludit. Sic autem formatur argumentum. ***Nemo observat legem hanc à decennio latam, imò nemo illam hactenus observavit, etsi omnes ab initio benè scirent illam latam & promulgatam fuisse. Et hoc factum est legislatore vidente & non contradicente. Ergò ego nunc amplius non teneor illam observare, quidquid sit, an alii ab initio saltem peccarint, vel non peccarint eam non observando.*** Ratio est perspicua, quia quidquid sit, an subditi ab initio peccarint necne legem transgrediendo, jam lex cessat, & neminem ampliùs obligat. Porro hic discursus excusans non est directus, quia non fundatur in defectu potestatis, aut in nullitate legis latæ, sed reflexus, quia ex diuturna non observatione, & Principis tolerantiâ infert legem ampliùs non obligare. Ergò in hoc etiam casu datur locus discursui in principiis reflexis fundato, qui à nemine negari potest. Idem argumentum à fortiori valet, quando lex non est sufficienter promulgata. De hoc autem agere debuisset Celladeus, si intra terminos materiæ propositæ manere voluisset, sed libuit illi excurrere, & argumenta ad intentum non facientia proponere.

Argumentum paulò alteratum est validum.

27. Atque hinc patet responsio ad secundam partem objectionis, quia quamvis multitudo non observans legem audiverit & intellexerit motiva legi faventia, imò certò noverit legem & latam & promulgatam fuisse, adhuc tamen lex post diuturnam universalemque non observationem cessat, ut dictum est. Hoc multò magis locum habet, si multitudo legem ignoraverit, aut nullam ejusmodi legem extare existimaverit. Ruit ergò argumentum.

Secunda pars objectionis solvitur.

28. Cæterùm, dissimulandum non est, quòd Celladeus in progressu argumenti (supponendo semper, etsi contra veritatem, quòd priores partes subsistant) eò venit, ut restringat quæstionem ad hominem operantem contra propriam opinionem, qui non aliter quàm per aliorum exemplum se excusat. Deinde supponit, omnes doctos unanimiter convenire in una eademque sententia, quos, hoc non obstante, vult contra illam operari, non alio argumento ductos, quàm quia alii ita faciunt. At neutrum horum facit ad rem præsentem, quia præsens quæstio non solùm est longè diversa ab ea, an cuiquam liceat contra propriam sententiam operari; sed neque ab ea dependet, cùm locum habeat, sive liceat sive non liceat contra propriam sententiam operari. Præterea utrumque hoc dictum Celladei falsum est, ut mox ostendam, nec omitti debet eorum examen, quia impetunt unum ex principiis, quod à S. Antonino aliisque omnibus pro conscientia ritè formanda tanquam certissimum proponitur, nempe exemplum proborum & doctorum hominum; si enim verum dicat Celladeus, nemo per aliorum exemplum licitè se regulat; si verò nobis liceat regulare nos per proborum & doctorum hominum exemplum, uti certissimè licet, haud dubiè Celladeus fallitur.

Plura falsa, & ad rem non facientia, à Celladeo allata.

29. Inprimis ergò sumamus hominem opinantem aliquid esse illicitum, ita tamen ut censeat oppositum esse etiam probabile (nisi enim hoc suppo-

An & quomodo exemplum pro-

borum sit sufficiens conscientiæ regula ?

supponatur versamur extra controversiam præsentem) tum ponamus hunc hominem , non obstante opinione suâ , formare conscientiam , quòd oppositum , omnibus inspectis , liceat , juxta tradita à nobis *quæst. 30. de consc. prob.* In hoc casu homo ille vel est doctus , vel indoctus. Neuter format conscientiam præcisè propter exemplum aliorum; non doctus , quia ille rationibus reflexis quæstionem determinavit , & ex vi illarum conscientiam format; non indoctus, quia ille nititur alienâ auctoritate , & quia à probo & perito audivit in tali casu licitum esse sequi exemplum proborum , per auctoritatem extrinsecam format suam conscientiam , quoties videt probos & pios viros aliter operantes , quàm ipse putat operandum esse. Hæc quidem est ordinaria via, quâ indocti in tali casu conscientiam formant. Verùm independenter ab hoc , adeo notum est lumine naturæ , quòd liceat sequi exemplum proborum & doctorum hominum , ut licèt nemo expresſè dixerit illud esse licitum , unicuique id ipsum sit notissimum. Ratio est, quia exempla plus movent quàm verba , maximè quando non potest esse suspicio , quòd qui dant exemplum contra conscientiam suam operentur. Imò exemplum plurimorum talium hominum æquivalet expressæ unius vel alterius assertioni , quia quoties probi communiter taliter operantur , datur prudens præsumptio , quòd sufficienter sciant tale objectum hic & nunc esse licitum. Unde qui regulat se bonorum exemplo, non format conscientiam præcisè per exemplum aliorum, etsi probi sint & docti; sed considerando exemplum unà cum doctrina & probitate operantium , infert objectum esse licitum ; quia nisi esset licitum, periti & probi illud non eligerent. Itaque exemplum proborum est regula remota , ex qua honestas rei legitimè deducitur, & conscientia ritè formatur. Neque in hoc ulla est umbra circuli vitiosi , quem Celladeus inevitabilem autumat.

Casus exempli sufficientis ad conscientiam debitè formandam.

30. Exemplo in hisce regionibus satis frequenti rem demonstro. Moris in Belgio est, diebus sabbatinis inter Nativitatem Christi & Deiparæ Purificationem carnes edere. Nil ejusmodi fit in Anglia , ibi enim institutio Ecclesiæ de abstinentia à carne diebus sabbatinis à Catholicis integerrimè servatur. Jam sæpè contingit , Virgines teneras, religiosæ vitæ studiosas, currente hoc tempore in Belgium trajicere , quas Sacerdotes magnæ doctrinæ ac pietatis comitantur, ut eas in monasteria suæ nationis recludant. Mirantur Virgines illæ dum sabbatinis diebus carnes apponi vident in mensa, nec audent illas attingere , ne solvant abstinentiam ab Ecclesia præscriptam. Sæpè protestantur, nolle se carnes gustare, aliis interim simul ignorantiam illarum ridentibus , simul pietatem laudantibus ; nec alia potentior via est ad tranquillandas illarum conscientias, quàm si Sacerdos dicat , comedésne , si me priùs comedentem videris ? cui respondere solent , si te comedentem videro , comedam & ego , quia novi te esse virum probum & peritum , qui proinde non comederes carnes , nisi sufficienter scires illarum esum hoc tempore & loco esse licitum.

31. Quæro hic à Celladeo , utrùm allatum Sacerdotis exemplum , cujus sanctitas & doctrina ejusmodi fœminæ notoria est, eò quòd diu experta sit , illum non solùm præcepta Dei & Ecclesiæ omni diligentiâ custodire, sed insuper continuis jejuniis , orationibus , ac corporis castigationibus addictum esse, ac celeberrimum etiam pro doctrina ab omnibus haberi ; quæro , inquam , an ejusmodi exemplum ad conscientiam teneræ Virginis ritè formandam sufficiat , nec ne ? si dicat non sufficere, patenter errat , quia certum est , quod exemplum ejusmodi fundet præsumptionem adeo rationabilem , quòd lex hîc & nunc non obliget , ut id absque temeritate in dubium revocari nequeat.

Præterea sic arguo. Exemplum ejusmodi fundat veram ac evidentem probabilitatem, etiam juxta mentem Celladei , realem ac positivam de non obligatione legis hîc & nunc, quia tale fundamentum plerumque non errat , immò ferè nunquam fallit. Ergò per Celladeum sufficit ad conscientiam ritè formandam.

32. Quòd si concedat tale exemplum sufficere. Ergò jam exemplum proborum ac peritorum sufficit ad debitè formandam conscientiam ; quod absque dubio verum est tam in hoc, quàm in omni alio casu , quando exemplum talium hominum præbet fundamentum rationabiliter existimandi , quòd lex non obliget. Hoc autem semper locum habet , quando consuetudo proborum & peritorum est universalis in aliqua regione ac natione , quia evidens est , quod talis consuetudo aut semper, aut saltem plerumque connectatur cum non obligatione legis. Ergò qui ex tali exemplo arguit , legem hîc & nunc non obligare , certò probabiliter ac rationabiliter arguit , & consequenter rationabiliter format conscientiam.

Conscientia rationabiliter formatur ab exemplo proborum.

33. Rursus certum est hominem hâc ratione conscientiam formantem non incurrere circulum, quia non pergit ab exemplo ad exemplum , sed vel figitur in uno tantùm exemplo , & ex illo infert legem non obligare , ut in casu à me allato ; vel certè indivisibiliter respicit consuetudinem communem proborum , & tunc à fortiori idem infert, quia est de nunquam , aut certè de rarissimè contingentibus , quòd talis consuetudo apud peritos & probos vigeat , quando lex viget & obligat. Præterea manifestè præsumitur , quòd aliquis , imò quod plures illorum post rem sufficienter examinatam invenerint legem non obligare. Unde persuasio quod lex non obliget , est evidenter rationabilis , probabilis , ac prudens. At talis persuasio non resolvitur in circulum. Ergò ab exemplo proborum conscientia ritè formatur absque circulo vitioso.

Idque sine recursu ad circulum vitiosum.

34. Jam non soli imperiti , sed etiam periti eodem discursu uti possunt , quia periti meliùs noørunt connexionem inter consuetudinem proborum & carentiam legis obligantis , quàm imperiti. Nec obstat , quòd alii aliorum exempla sequantur; non enim ideo reditur in idipsum , quia tandem pervenitur ad primos , qui absque aliorum exemplo idem fecerunt ; illi autem quicumque fuerint, rationabiliter præsumuntur rem examinasse, atque invenisse legem non obligare. Hæc autem præsumptio eò validior est , quò plures periti ac pii absque scrupulo aliquid faciunt , quia præsumitur, quod aliquis saltem illorum rem examinaverit , & invenerit , nullam adesse legem , per quam tale opus prohibetur. Itaque qui ab exemplo proborum & peritorum arguunt sumptionem chocolatis esse licitum , non committunt circulum , sed semper resolvunt conscientiam in rationabilem persuasionem , quâ asserunt nullam esse legem , quâ hujusmodi objecta prohibeantur. Et quidem de sumentibus chocolatam res est perspicua , si illius usus (ut dicit Celladeus) vigeat apud omnes Regulares etiam maximè observantes ; quia manifestè præsumendum est, talem consuetudinem introduci non

Periti etiam per aliorum exempla conscientiam ritè formare possunt.

non potuisse, quin res sufficienter examinata & tandem inventa fuerit esse licita, ac nulla lege prohibita. De mulierum ornatu paulò diversa est ratio, quia cùm illæ peritiam non habeant, nil ex illarum peritia inferri potest; verùm cùm plurimæ illarum timoratissimæ conscientiæ sint, fieri nequit, quin quando res est dubia, plures illarum peritos consuluerint, & ab iis didicerint tale ornamentum esse licitum. Itaque tota tandem resolutio conscientiæ in eo terminatur, quòd sufficienter constet, nullam esse legem, quæ talem operationem prohibeat.

Falsa Celladei suppositio.

35. Præterea non minùs falsa, quàm stupenda est illa Celladei suppositio, scilicet quòd periti unanimiter judicent aliquid esse illicitum, & tamen omnes absque scrupulo illud faciant. Sed ubi, quæso, casum hunc inveniet Celladeus? Nullibi haud dubiè. Periti enim & probi non facilè unanimiter conspirant in praxim, quam omnes & credunt & tradunt esse illicitam. Itaque discursus totus procedit de subjecto non supponente. Sed neque concludit, etsi tota suppositio admittatur. Inprimis non sequitur quòd periti, si sequantur suam sententiam, quæstionem resolvant per principia directa, quia sæpè principia directa non suppetunt, ut in dubio, & tunc resolvunt quæstionem per principia reflexa, & nominatim per hoc, quòd in dubio lex non obliget, quia non est sufficienter applicata seu promulgata. Errat ergò Celladeus, qui contrarium pro necessaria consequentia proponit. Præterea neque ex suppositione, quod quatuor periti & probi per principia directa resolvant aliquid esse illicitum, & eâ resolutione non obstante, adhuc faciant oppositum, eò quòd per principia indirecta conscientiam suam forment, & credant opus illud hic & nunc esse licitum, neque, inquam, ex hac suppositione sequitur, eos circulum vitiosum committere, quamvis aliqui illorum per aliorum exemplum conscientiam forment. Ratio est, quia adhuc omnes & singuli existimare possunt, quòd honestas directa talis objecti sit probabilis, & consequenter omnes & singuli per principia indirecta inferre possunt, legem illam, si existat, non esse sufficienter promulgatam, ac proinde neminem obligare. Rursus cùm illi sint solùm quatuor, impossibile est, quòd omnes per aliorum exemplum suam conscientiam dirigant, quia impossibile est, quòd omnes aliorum exemplum sequantur. Necesse enim est, unum aliquem incipere absque eo, quòd alium præeuntem videat. Ergò qui primus fundatur in illius exemplo, nullo modo fundatur in exemplo proprio. Ergò nullus committitur circulus. Similiter tertius, qui duos, & quartus qui tres præeuntes habet, illosque imitatur, non fundatur in proprio exemplo. Ergò ab initio nemo in proprio exemplo se fundat. Ergò Celladeus per omnia à veritate aberrat. Utitur enim suppositionibus falsis, & ex illis illationes facit patenter nullas.

Celladei inconsequentia.

Qui sequitur alienum exemplum, non fundatur in proprio, nec circulum committit.

Quamvis homo sequens exemplum, redeat ad factum proprium, non committit circulum vitiosum.

36. Quòd si primus ex illis quatuor, qui re discussâ per rationes conscientiam suam formavit, videat alios peritos ipsum imitantes, atque ideo in posterum eorum etiam exemplo se dirigat, in tali casu fieri poterit, ut ex parte objecti ad proprium exemplum recurrat, quia si alii non aliâ viâ quàm per exemplum præcedens conscientiam formârint; & ille iterum per illorum exemplum se regat, certum est, quod ex parte objecti ad proprium exemplum redeat, cùm illud fuerit motivum radicale, per quod alii directionem habuerunt; & consequenter cùm ipse supponat alios rationem habuisse, & ex præsumptione talis rationis conscientiam formet, ex parte objecti ad proprium exemplum revertitur, ut patet. Verùm hoc nunquam videtur contingere; & si contingeret, nullus daretur circulus vitiosus. Inprimis nunquam videtur contingere, quia nunquam fit, ut peritus & probus quidquam dubiæ honestatis aggrediatur, ideo præcisè quia videt unum probum & peritum illud facere (nisi in casu aliquo, in quo præsumimus illum certò scire veritatem, ut in casu superiùs allato de esu carnium, in quo casu ille primus nunquam regulatur exemplo eorum, qui illum imitantur, sed certâ scientiâ, quòd ob consuetudinem lex illa hic & nunc non obliget) sed antequam operetur, allectus primum alieno exemplo rem examinat, donec rationem satisfacientem inveniat. Itaque si de peritis & probis loquamur, nunquam contingit, ut aliquid ejusmodi in communem praxim reducatur, quin plures veritatem diligenter examinârint, & invenerint rem esse licitam, eò quòd nullâ lege sufficienter applicatâ prohibeatur. Unde qui primus aliis in opere præluxit, non resolvitur in proprium exemplum, quando communem vivendi rationem imitatur, sed resolvitur in carentiam legis obligantis, quam meritò præsupponit non adesse, ob rationes à peritis & probis repertas, quæ in ipsius exemplum non resolvuntur.

37. Cæterùm etsi omnes alii ipsius tantùm exemplum secuti fuissent, non tamen ideo ille praxim jam communem sequens, committit circulum vitiosum; tum quia lex humana amplius non obligat, quando est in desuetudine universali apud omnes, maximè apud peritos & probos, undecumque tandem illa desuetudo ortum traxerit; tum quia, etsi non consideret certam hanc cessationem legis ob desuetudinem illius, sed solùm dirigatur communi aliorum exemplo, atque ex illo inferat dari rationem sufficientem ad formandam conscientiam, quod lex non obliget, & sic per circulum verè ex parte objecti ad proprium exemplum recurrat, tamen circulus ille vitiosus non est, quia non sistit in solo proprio exemplo; sed ex unanimi omnium consuetudine infert rationem aliquam dari, ob quam satis constet legem non obligare. At hoc est verum, quia primum ipsius exemplum tali ratione nixum erat. Itaque in istiusmodi casibus nunquam datur circulus, aut certè vitiosus non est, sed fundatur in aliquo extra circulum, à quo totus motus ille circularis ortum sumit.

Idipsum ulterius declaratur.

SOLVITUR TERTIA OBJECTIO; *& simul agitur de peccato materiali.*

38. OBJICIES tertiò, si tales leges non essent sufficienter promulgatæ, inprimis nulla daretur contra illas violatio ne quidem materialis; nam lex sufficienter non promulgata non est simpliciter promulgata. Lex autem non promulgata non obligat, nec magis violatur, quàm si non esset. At nos ponimus violationes materiales. *Objectio 3.*

Deinde Auctores benignæ sententiæ expressè dicunt, partem tutiorem sub consilio esse sequendam. At si leges non essent sufficienter promulgatæ, pars tutior non esset ne quidem sub consilio sequenda, ut patet in legibus humanis non promulgatis, quippe quæ perinde sunt, ac non factæ. Ita Celladeus §. 4.

Argumentum Celladei etsi admittatur, non probat intentum.

Respondeo, si ex nostra doctrina sequatur, tam nullam dari violationem ne quidem materialem legis non sufficienter promulgatæ, quàm non esse consilium sequi partem tutiorem, nil inde contra veritatem sententiæ nostræ deducitur; quia in tantum sequelas istas concessimus, in quantum adversarii contendunt, illas saltem negari non posse; quòd si jam velint illas ex nostra sententia deduci non posse, contenti sumus, nec dignum ducimus peculiarem de hac re litem instituere.

Argumentum retorquetur.

39. Respondeo secundò, Celladeum ipsum debere argumentum suum solvere in casu ignorantiæ invincibilis; quia lex invincibiliter ignorata non magis obligat, quàm si non esset. At si non esset, nulla esset ne quidem materialis violatio, ut patet. Similiter non est magis de consilio ponere objectum legis invincibiliter ignoratæ, quàm esset, si illa non existeret. Ergò si tunc pars tutior non esset ne quidem de consilio, neque nunc est. Peto jam, Celladee, utrùm admittas vel non admittas istas tuas illationes locum habere in casu ignorantiæ invincibilis? si illas admittas, nec absurdas putas, cur objicis tanquam absurdum, quòd nos illas admittamus? si non admittas; ergò ostendendum tibi est, quomodo materialis transgressio habeatur sine formali. Similiter ostendere debes, quâ ratione sit opus consilii sequi partem tutiorem in illo casu. Ergò jam proprium argumentum solvere debes, nobisque responsum offerre; quia idem prorsus dicemus quod tu, cùm toties habeatur ignorantia invincibilis præcepti, & defectus promulgationis sufficientis, quoties, omnibus inspectis, probabile est, illud nunquam fuisse latum.

Datur materialis violatio legis, ex eo quòd non sit sufficiẽter promulgata & applicata.

40. Respondeo tertiò. Hasce Celladei sequelas esse nullas, quia toties datur materialis transgressio, quoties ponitur objectum vetitum à Legislatore per legem determinatæ parti communitatis sufficienter promulgatam, quamvis illa lex nec mihi nec longè maximæ parti sit promulgata, seu legitimè notificata. Itaque homines haud dubiè sæpè materialiter transgrediuntur leges, quamvis illæ ipsis sufficienter applicatæ ac promulgatæ non fuerint. Id clariùs apparet in jure naturæ, in quo nulla datur peculiaris promulgatio distincta à lumine naturæ, per quod sufficienter innotescit, aliquid esse malum. Jam lex naturalis uni innotescit, quæ tamen alium invincibiliter latet, & consequenter una eademque lex naturalis sufficienter promulgatur uni, quæ alteri non sufficienter promulgatur. Jam ergò evidens est, hominem, invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.

Hoc verum est, tam in lege materiali, quàm in positiva.

41. Idem prorsus locum habet in lege positiva, quæ pro parvis communitatibus fertur; tales enim leges non aliter promulgari solent, quàm per hoc, quod superior, illos in unum cogat, suamque voluntatem intimet; jam si aliquis fortè sit absens, nec alii postea rem gestam narrent, lex illa non est illi sufficienter promulgata, qui tamen materialiter peccabit contra legem verè latam, & aliis etiam sufficienter promulgatam.

42. Nec dissimilis est ratio de iis etiam legibus, quæ pro magnis communitatibus feruntur, etsi enim jam usu receptum, atque etiam lege cautum sit, ut leges non censeantur obligare donec tali peculiari ceremoniâ promulgentur in curia, tantumque temporis elabatur, quantum sufficit, ut certa earum ac promulgationis factæ notitia ad subditos distantes perveniat; quamvis, inquam, hoc usu receptum sit, atque illa sola ceremonia facta in curia vocetur legis promulgatio, illa tamen ceremonia est solùm promulgatio prima, seu potissimè dicta, quæ aliquibus paucis præsentibus fieri solet, ratione cujus jam dici potest, quod lex illa communitati sit promulgata; nihilominus illa promulgatio non est completa respectu singulorum, sed adhuc extendi debet ad alios plures, ad quos si non extendatur, sed illius notitia illos invincibiliter lateat, utique talis lex respectu illorum non est sufficienter promulgata; vera enim legis promulgatio alia est activa, alia passiva; activa est signum externum, per quod voluntas superioris subditis innotescit, passiva verò est ipsa notitia, quam signum illud causat in subditis. Jam nisi signum positum sit adeo efficax, ut immediatè vel mediatè ingerat notitiam legis, vel certè obligationem investigandi, an superior talem legem tulerit, tale signum non est sufficiens promulgatio ne quidem activa, quia est inefficax, qualis esset illa superioris, qui voluntatem suam græcis tantùm vocibus exprimeret, cùm nulli subditorum linguam græcam intelligerent. Itaque haud dubiè lex lata toties non est sufficienter promulgata respectu alicujus, quoties ille invincibiliter ignorat legem, quia toties medium positum ad intimandam superioris voluntatem inefficax fuit respectu illius, quamvis efficax & sufficiens fuerit respectu aliorum. Ergò in tali casu homo contrarium faciens, materialiter peccat, quia materialiter violat legem latam, & aliis sufficienter promulgatam, non tamen peccat formaliter, quia nullam legem sibi sufficienter promulgatam violavit.

Promulgatio legis, alia activa alia passiva; alia prima & incompleta, alia secunda & completa.

Promulgatio inefficax non est vera promulgatio.

43. Doctrina hæc exemplo locutionis & auditionis clarior evadet. Nemo sufficienter alloquitur alium, nisi ponat signum adeo efficax, ut auditionem excitare possit in eo, cui sermonem dirigit; & sanè si non adhibeat talia signa, perinde est in ordine ad personam, quam alloqui intendit, sive loquatur, sive non loquatur. Jam activa legis promulgatio, quæ sola strictè loquendo est promulgatio, aliud non est quàm signum, quo legislator subditos alloquitur, eisque intimat voluntatem suam, quâ illos ad aliquid obligat. Ergò si signum illud sit tam inefficax, ut ad alios pervenire non possit, legislator per illud haud sufficienter alloquitur subditos, sed perinde facit, ac si prorsus taceret; imò formaliter loquendo tacet, cùm nemini mentem suam exprimat. Similiter si signum illud sit efficax ad excitandum auditum aliquorum non autem aliorum, tunc sufficienter aliquos, alios autem insufficienter alloquitur. Ergò similiter signum locutorium, ac manifestativum legis, in quo promulgatio consistit, erit aut non erit sufficiens, prout fuerit, aut non fuerit efficax ad excitandam in subditis legis notitiam, quam voco promulgationem passivam; quia nisi hæc ex vi signi excitetur, aut certè excitari possit & debeat, non est promulgatio sufficiens ne quidem activa, quia activum & passivum sunt correlativa ut patet; sicut enim locutio non est sufficienter locutio activa respectu audientis, nisi possit illius auditum movere, ita pariter nulla promulgatio est sufficienter activa, nisi & suæ & legis notitiam ingerere possit. Et quia signum positum pro promulgatione legis sæpè solùm afficit aliquos, alios autem nullo modo afficit, ideo tale signum est sufficiens promulgatio legis respectu aliquorum, & respectu aliorum non est sufficiens.

sufficiens. Jam Celladeus non distinguit inter promulgationem legis factam communitati & inter promulgationem factam singulis in communitate contentis, quæ tamen duo sunt valdè diversa, atque ex eorum diversitate intellectâ statim apparet, sectantes partem minùs tutam aliquando peccare materialiter, quia ponunt opus prohibitum à lege, aliquibus quidem sed non omnibus sufficienter promulgatâ. Prima ergò illatio objectionis nulla est.

Pars tutior est materia consilii, sive pars minùs tuta prohibeatur, sive non.

44. Sed nec secunda illatio subsistit, quia perspicuum est, quod pars tutior plerumque sit materia consilii, etsi revera nulla sit lex, aut cusa aut promulgata, quæ partem tutiorem præcipiat. Ratio est, quia pars tutior plerumque est indubitata materia virtutis, cùm pars minus tuta non sit ejusmodi. Sic est certa materia virtutis confiteri circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie, at non constat, quòd illas omittere sit materia virtutis; quod verum est quoad nos; etsi revera nulla sit lex obligans ad illarum confessionem, quia adhuc oppositum est probabile. At est materia consilii eligere certam materiam virtutis præ materia incerta, quia plus boni solet esse in certa, quàm in incerta materia virtutis, & semper quoad nos datur ille excessus. Secundò etsi pars minùs tuta quoad se sit etiam materia virtutis, semper tamen, aut certè plerumque est materia virtutis inferioris, quàm pars tutior. Sic etsi liceat non confiteri peccata venialia, aut circumstantias notabiliter aggravantes, tamen majoris virtutis & magis proficuum est illa confiteri. Idem valet in materia obedientiæ, abstinentiæ, & aliis omnibus; quia in omnibus similis ratio locum habet. Ideo enim pars aliqua dicitur tutior, quia magis accedit ad perfectionem virtutis. Ergò pars tutior est materia consilii; & sanè si aliud non interveniret, bonum obedientiæ perfectæ nunquam deest, ratione cujus pars tutior sit materia consilii.

Pars tutior est materia perfectæ obedientiæ.

Omnes enim Theologiæ mysticæ Magistri asserunt, eum esse perfectè obedientem, qui præceptum præoccupat, & ea omnia facit, quæ novit esse juxta voluntatem sui superioris, etsi superior subditum non obligaverit. Itaque cùm perfectio obedientiæ sit materia consilii, & exercitium nobilissimæ virtutis, haud dubiè sæpè invenitur materia consilii, ubi deest præcepti promulgatio. Imò ubi ipsum præceptum deest; quia melius est exequi quàm non exequi voluntatem Dei & superiorum, non solùm quando constat nobis, quod habeant voluntatem obligandi nos, quamvis eam nondum promulgârint, sed etiam quando constat, quod voluntas illorum sit merè directiva, non autem præceptiva. Ergò pars, quam tutiorem vocamus, est materia consilii, quia est conformis voluntati Dei vel præcipienti, vel dirigenti, & consulenti; eò quòd pars illa semper magis accedat ad perfectionem, idque vel ex natura sua, vel certè ex ordinatione Dei, de quo lumine naturæ constat, quòd suadeat saltem tutiora, & quòd solùm permittat minùs tuta. Itaque nulla ex illationibus istis locum habet.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES

Objectio 4.

45. OBJICIES quartò. Si in probabilibus liceret agere & consulere contra partem tutiorem, atque etiam contra propriam opinionem, eò quòd, stante probabilitate utriusque partis, lex non esset sufficienter promulgata, sequeretur, quòd liceret sequi partem minùs tutam, etiam contra demonstrationem, aut divinam revelationem, quod tamen omnes negant. Etenim si Deus revelet, legem quidem factam esse, non tamen fuisse sufficienter promulgatam, eo ipso ego non essem obligatus, nisi speciali voluntate vellet me obligare. Sic secretarius Pontificis aut Regis scribens legem, non obligatur tali lege, donec illa sufficienter promulgata fuerit. Ergò privata demonstratio vel revelatio non reddit leges satis promulgatas, ut me obligent, nisi demonstratio & revelatio habeatur à plerisque; ita ut solemni promulgationi æquivaleat.

Promulgatio essentialiter dicit ordinem ad nos.

Nec dicas, leges Dei esse promulgatas in se non autem mihi, quoties probabile mihi est, quòd non dentur; nam hoc est ludere in terminis, quia promulgatio est quoad nos, ideoque repugnat promulgatio, quæ sit talis in se, quasi seorsim à nobis. Quòd autem mihi non sint sufficienter promulgatæ est evasio sophistica; non enim de me tractamus, sed de omnibus. Ergò vel leges, de quibus sunt contrariæ probabilitates, sunt sufficienter promulgatæ & intimatæ, vel non: si primum, habetur intentum. Si secundum, contra est, quia mihi promulgari non est promulgari, cùm promulgari & mihi sit implicatio in terminis. Ita Celladeus §. 4.

Lex non sufficienter promulgatur ei, qui eam invincibiliter ignorat.

Respondeo primò ad secundam partem objectionis, quia ordo doctrinæ hoc postulat, & dico, Celladeum benè & sagaciter notasse, quòd luderet in terminis, qui diceret, leges esse sufficienter promulgatas quoad se, non autem quoad nos; quia essentia promulgationis consistit in notificatione legis factâ subditis, & consequenter promulgatio legis est terminus dicens expressam relationem quoad nos, ut proximè ostensum est. Verùm hæc doctrina totum illius discursum evertit; ex illa enim apertè sequitur, nullam legem esse sufficienter promulgatam illi, qui eam invincibiliter ignorat, quia non est sufficienter manifestata ipsi, ut patet; sicut enim legislator non manifestavit illi mentem suam, nec illum allocutus est, ita nec legem suam illi promulgavit. Itaque ex hoc ipso capite certum est, taliter operantem à peccato excusari, quia nullam legem sufficienter sibi applicatam seu promulgatam violat. Itaque in tali casu Celladeus ipse proprium argumentum solvere tenetur; quia certum est hominem ex eo titulo excusari, quem ille putat nullam excusationem afferre. Non ergò est sophisma dicere, legem non esse mihi sufficienter promulgatam, quando ego illam invincibiliter ignoro, quidquid sit an aliis sufficienter promulgata sit nec ne, quia aliud est legem esse promulgatam communitati, aliud illam huic determinato subdito esse promulgatam; hæc enim sunt separabilia, ut patet. Præterea falsum est, quòd non agatur de me, sed de omnibus, quia quæritur an ego, qui sequor opinionem probabilem, & qui ex ignorantia invincibili legis operor, excuser nec ne? dicimus autem me excusari, quia lex mihi non est sufficienter promulgata; hoc enim est quod me excusat, ad quod impertinens est, quòd aliis sit, vel non sit sufficienter promulgata, ut patet. Est quidem verum, carentiam promulgationis aliis omnibus factæ multis in casibus efficere, ut lex me non obliget, de quo paulò post ex professo tractandum erit, sed hoc non impedit, quò minùs ego ex hoc capite excuser, quod lex mihi non innotuerit sed invincibiliter me lateat, etsi maxima reipublicæ pars illam sciat.

Leges propo-

46. Itaque ad dilemma in fine objectionis

propositum respondeo, & dico, leges, de quibus probabile est quòd non dentur, non esse sufficienter promulgatas illis, apud quos post omnem diligentiam adhibitam probabile est, quòd non sint. Quòd si hæc probabilitas sit universalis apud omnes, ut in plurimis quæstionibus controversis evenit, tunc leges, si quæ cusæ fuerint circa talia objecta, nulli sunt sufficienter promulgatæ. Ratio est perspicua, quia superior aut legislator non sufficienter exprimit mentem suam subditis, nec eos sufficienter alloquitur, quando aut nulla signa locutoria ponit, aut certè talia tantùm exhibet, quæ post omnem industriam adhibitam plurimis peritissimis ac probis persuadent, eum nunquam voluisse suos subditos obligare, quæque apud omnes ita prævalent, ut uno ore fateantur rem esse valdè incertam, & negari non posse, quin probabile sit, quod noluerit eos obligare, etsi apud aliquos sit æquè probabile, aut etiam paulò probabilius oppositum. Porrò ratio quæ probat legem non esse sufficienter promulgatam respectu ullius, quando datur universalis probabilitas de illius non existentia, æquè probat eandem non esse sufficienter promulgatam respectu eorum, quibus, post omnem diligentiam in veritate investigandâ adhibitam, probabile est, quòd non detur. Neque hinc sequitur, quod Celladeus infert; quamvis enim mihi promulgari non sit promulgari adæquatè, est tamen inadæquatè promulgari, quia adæquatissima promulgatio non est illa, quæ fit pro omnibus, sed quæ verè fit omnibus. Cæterum promulgatio simpliciter dicta est quæ fit pro omnibus, & ita actu fit aliquibus, ut per illos legis notitia ad alios omnes pervenire possit. Ergò tam necesse est, promulgationem mihi factam esse promulgationem inadæquatè sumptam, quàm est, me esse membrum totius reipublicæ pro qua lex fertur. Nulla ergò implicatio sed necessaria connexio reperitur inter istos terminos, *promulgari & mihi*.

Probabiliter nō existentes non sunt sufficienter promulgatæ.

Adæquata promulgatio est quæ fit non solum pro omnibus, sed omnibus.

47. Interim Celladeus ipse suo dilemmate premitur, quia quæro, an leges sint vel non sint sufficienter promulgatæ quoad nos, quando est positivè probabile quoad nos, quòd non dentur, seu quando habemus motivum par aut majus eo motivo, quod ipse appellat probabile verum, reale, & quoad se, quando est verum. Si primum: ergò nemo excusatur sectando opinionem falsam, etsi probabilissimam quoad nos, quia qui violat legem sibi sufficienter promulgatam, haud dubiè peccat. At excusatur per Celladeum. Ergò lex non est illi sufficienter promulgata. Ergò si consequenter loqui velit, debet dicere secundum, ac fateri leges ejusmodi non esse sufficienter promulgatas quoad nos. At hoc concesso, habemus intentum, quia tales leges non sunt sufficienter promulgatæ simpliciter, quia ipso etiam fatente, idem est promulgari & non promulgari simpliciter, ac promulgari ac non promulgari quoad nos, his positis.

Argumentum retorquetur.

48. Respondeo ad primam partem objectionis, & dico, eam ab ipso Celladeo solvendam esse in casu, quo unus aliquis solus haberet demonstrationem aut revelationem de lege, quando apud omnes alios probabilissimum esset quoad nos, quòd talis lex non daretur. Peto enim, an in eo casu liceret vel non liceret operari & consulere contra propriam scientiam, & revelationem propriam, sicut licitum erat ante, quando ante demonstrationem inventam, errore communi quoad nos probabilissimo deceptus erat. Certè si lex non erat (sicut haud dubiè non erat) sufficienter promulgata, quando omnes errore quoad nos probabilissimo decepti credebant illam non dari, fieri nequit, si Celladeo credimus, ut illa per meam privatam scientiam sufficienter promulgetur. Ergò adhuc non est promulgata sufficienter. Ergò adhuc licet contra eam agere, non obstante privatâ meâ certitudine, nisi legislator speciali voluntate velit me obligare. Argumentum exemplo secretarii scribentis legem nondum promulgatam corroboratur. Itaque Celladeus ipse æquè urgetur hoc argumento, ac nos.

Prima pars objectionis etiam retorquetur.

49. *Cæterùm nulla est difficultas in argumento, si legem naturalem à positiva, & positivam* divinam ab humana pariter positiva distinguamus; quia diversæ promulgationes in illis requiruntur & sufficiunt, ut obligent. Inprimis quod ad legem naturæ attinet, illa per se loquendo non aliter promulgatur, quàm per lumen naturæ singulis inditum, ut per se constat, & jam dictum est. Talis autem promulgatio potissimè respicit personam, cui lex innotescit; fit enim illi directè, & non nisi indirectè ac mediatè aliis per ipsum. Unde quotiescumque aliquis habet demonstrationem aut revelationem, quod aliquid sit malum, & jure naturæ prohibitum, lex naturalis sufficienter illi promulgatur, illique expresse applicatur, ac proinde expressam ab eo obedientiam postulat; quidquid sit de aliis, quia statim constat Dei voluntatem esse, ut ipse obediat. Itaque haud dubiè peccaret, qui contra talem demonstrationem aut certitudinem operaretur, quia violaret legem certò cognitam & pro se factam, sibique sufficienter intimatam ac promulgatam. Et sanè quod hæc sola sit connaturalis promulgatio legis naturalis non solùm constat ex naturali hominis constitutione, qui per vim intellectûs sui assurgere debet ad sciendum, quid Deus ab ipso exigat, sed colligitur etiam ex modo, quo Deus ipse allocutus est populum Israëliticum, quando Decalogum, in quo lex naturalis continetur, illis observandum præscripsit; non enim dixit in communi omnibus. *Nemo vestrum occidat &c.* sed singulos singulariter allocutus est, dicens: *non occides &c.* in qua communi legis naturalis promulgatione eandem singulis de illa notitiam, eodemque proportionaliter modo indidit, quam omnes & singuli vi luminis naturalis acquirunt, in qua primum est, quòd mihi hoc malum prohibeatur, ac deinde ex collectione talium notitiarum, completa & adæquata legis naturalis promulgatio componitur. Et sanè quando loquimur de primis principiis juris naturalis, ipso naturæ ductu non aliter illa exprimimus, quàm per phrasim, quâ unicuique singulariter prohibetur, ne tale quid faciat. Sic dicimus hanc esse universalissimam naturæ legem, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Itaque si sermo sit de jure naturali, certum est, sequelam objectionis esse nullam.

Quævis certitudo circa materiam legis naturalis est promulgatio illius.

Adæquata legis naturalis promulgatio in quo consistat.

50. Quod si sermo sit de lege divina positiva, quam Deus per seipsum immediatè, aut certè per Angelos & Prophetas nomine Dei loquentes tulit, idem prorsus dicendum est, quod dictum est de lege naturali; quia etsi Deus per tales leges intendat obligare omnes, ita tamen fertur in omnes, ut æquè directè feratur in singulos, velitque non solùm omnes in communi, sed singulos in particulari obligare, idque indepēdenter ab eo, quòd alii obligētur, aut per accidens non obligentur. Ratio est, quia quæ Deus per seipsum immediatè præscribit, ita proponit, ut nemo possit prudenter dubitare, quin velit ea à me, modò sciam eum talis præscripsisse, etsi mihi constet illum per accidens ea hîc & nunc

Lex divina obligat omnes statim ac illis in particulari manifestatur.

& nunc ab aliis non exigere, eò quòd illi invincibiliter ignorent ipsius voluntatem. Ratio est quia Deus, utpote supremus ac undique infinitus legislator, non frustra manifestat suam voluntatem obligatoriam alicui particulari; sed ideo, ut ille peculiariter ac immediatè obedientiam præstet, atque alios pro sua facultate legem doceat, ut sic illi etiam divinis legibus obediant. Nec mirum id videri debet, quia Deus, utpote supremus ac sapientissimus legislator, nil præcipit nisi quod omnibus & singulis expediens est, quodque proinde à singulis non minùs exigit, quàm ab omnibus; quia sic coli vult à singulis, ut obligationem hujus cultûs à nullius, etiam aliorum omnium, malitiâ impediri velit. Atque hinc est, quod Deus per leges à se latas strictè obliget omnes ad obtemperandum, quamprimùm illis voluntatem suam manifestavit.

Lex humana non obligat quemquam, nisi postquam solemniter promulgatur.

51. At de lege humana alia longè est ratio, quia cùm potestas legislativa humana sit limitata, & legislatores ipsi in rebus præscribendis errare possint, locus datur variis præsumptionibus, & exceptionibus, quæ respectu Dei locum non habent. Præterea leges humanæ formari ac ferri debent juxta præscripta & consuetudines illas ferendi. At & præscripta & consuetudines postulant, ut illæ solemniter promulgentur, antequam obligent. Unde aut certò constat, aut certè rationabiliter præsumi potest, legislatores humanos neminem obligare velle nisi consequenter ad solemnem promulgationem; & consequenter constat, neminem ex privata scientia de lege condita ad illam observandam obligari, si constiterit, eam solemniter promulgatam non fuisse.

Unusquisque ab initio post promulgationē legis tenetur sequi propriam demonstrationem de sensu illius.

52. At si semel constiterit, legem humanam promulgatam fuisse, & postea oriatur difficultas de sensu legis ac mente legislatoris, atque utraque contradictionis pars sit hinc inde probabilis, quæri potest, an in eo casu liceat operari contra propriam scientiam ac demonstrationem de mente legislatoris? & sanè argumentum Celladei nullam habere videtur difficultatem extra hunc casum, ad quem dico, si ab initio legis promulgatæ ego habeam demonstrationem aut certitudinem de mente legislatoris, aut de sensu legis, haud dubiè tenebor ad legem, etsi prævideam alios fortasse nullam talem certitudinem habituros, sed hinc inde contraria probabiliter judicaturos. Ratio est, quia in eo casu præsumi non potest, quòd legislator nolit me obligare, cùm mens ipsius mihi certò innotescat, nec ulla apparet sufficiens ratio, ob quam meritò præsumere possim, quod hîc & nunc mecum dispensare velit; quin potiùs exigit, ut ego obediam, & aliis meam demonstrationem communicem, ut & ipsi debitam legi ac legislatori obedientiam præstent. Præterea cùm lex sit lata ac promulgata, dubium non est, quin mens legislatoris sit, ut in subditorum dubiis exortis veritas quantum potest investigetur, & si certò inveniatur, ut juxta illam subditi operentur. Tenebuntur ergò in hoc casu ad propriam opinionem, nec contra illam agere licebit. At è contrario, si incertitudo hæc diu perseveraverit, & ex contraria illa probabilitate factum sit, ut cives putaverint se ad talem sensum non esse obligatos, atque ideo per consuetudinem diuturnam legem in eo sensu non observaverint, atque totum hoc factum sit, legislatore vidente ac tacente, atque legis suæ executionem quoad hæc non urgente, tunc lex per consuetudinem toleratam cessat quoad talem sensum illius, sicut cessat simpliciter, quando diu non observatur, etsi ab initio malâ fide & peccaminosè observata non fuit. Unde sicut per meam peculiarem demonstrationem lex non reviviscit, ita per eam non obligor, quia deest vis legis obligantis, quæ per talem scientiam applicetur; atque ideo tunc licebit contra privatam illam scientiam agere, sicut licebat antea, quia independenter ab ea, & antecedenter ad eam lex obligans ad talem sensum ex desuetudine abolita erat, quæ proinde non reviviscit per meam privatam scientiam; sed neque reviviscеret per publicam declarationem, qua Princeps declararet, se antea talem voluntatem habuisse, nisi iterum legem suam reiteraret, atque executionem prioris legis in hoc etiam sensu urgeret.

Legislator humanus potest obligare singulos per privatam notitiam legis.

53. Cæterùm licet res de facto hâc ratione se habeant, tamen fieri potest aliter etiam in legibus humanis, quia legislator humanus, condens legem pro tota communitate, potest ita exigere obedientiam singulorum, ut velit eam à singulis dari, statim ac ipsis ejus voluntas sufficienter intimata fuerit. Tunc enim ita se gereret, sicut diximus Deum in suis legibus se gerere. Et sanè in tali casu secretarius ipse statim obligaretur, sicut & Prætor, cui legem illam mitteret, ut illam publicè promulgaret; quia tunc privata notitia esset promulgatio, quam legislator vellet sufficere, ut lex privatum hominem afficeret. Itaque in tali casu promulgatio & privata notitia non essent termini sibi contradicentes, sed maximè pertinentes, ut patet. Ex his ergò patet, quâ ratione, & in quibus legibus liceat & non liceat agere & consulere contra propriam scientiam & certitudinem. Similiter ex dictis constat, quando, & in qua lege, privata scientia sit vel non sit promulgatio seu applicatio legis ipsi scienti ad hoc, ut illa mediante teneatur, vel non teneatur ad obedientiam. Uno verbo constat, sequelam Celladei nullum locum habere in lege divina, in lege autem humana non semper locum habere, sed solùm aliquando. Proinde falsum est, quod universaliter dicit, sequelam esse contra omnes; non enim est contra quemquam, quod sciam, nisi in casibus à me exceptis, in aliis verò admittitur, quia non habet majorem absurditatem, quàm in casu secretarii scribentis legem, quia eadem est ratio in utroque casu, cùm in utroque casu privata illa scientia non sit promulgatio legis, sicut est in aliis casibus.

Objectio 5.

54. Ob. 5. Si legem probabiliter non existere, & eam non esse sufficienter promulgatam, essent necessariò connexa, omnis tractatus de rebus ejusmodi esset vitiosus; quia nemo quærit, an leges non sufficienter promulgatæ obligent? scitur enim illas non obligare. Secundò non liceret dicere quidquam ejusmodi esse peccatum, quia scitur nil esse peccatum, quod est contra leges non sufficienter promulgatas. At omnes contrarium dicunt, & faciunt. Non ergò credunt leges prædictas non esse sufficienter promulgatas. Tertiò ex hac doctrina omnis ferè speculatio moralis redditur inutilis, quia tota fermè est de similibus quæstionibus. Ergò essemus sicut in legibus non satis promulgatis, de quibus nemo curat. Quartò materia moralis plerumque non est certa, sed solùm probabilis, ut omnes fatentur cum Aristotele *in principio Ethic.* & experientia testatur. Ergò si in talibus sumus in non promulgatione, possemus unâ vice hoc unum statuere, & omnem moralem scientiam tollere, quia nemo tenetur servare leges non satis promulgatas. Itaque

que dicendum quòd Deus satis superque promulgârit legem suam, *multifariam, multisque modis olim loquens patribus in Prophetis, novissimè autem nobis etiam locutus in Filio*, quam legem per universum mundum primùm Apostoli, mox alii prædicârunt, quamque Concilia, Romani Pontifices, SS. Patres, & Theologi declarârunt. Porrò hæ leges jam satis promulgatæ & consequenter obligatoriæ, singulorum cognitionibus applicantur singulis non promulgantur, quia sua cuique ratio est regula subordinata & applicans. At hæc propria cujusque ratio in plurimis est solùm probabilis. Ergò ratio probabilis est regula applicans. Ergò ligat. Porrò dicere, rationem probabilem, quâ aliquid videtur esse malum, non obligare, simulque asserere, certitudines raras esse, est totam Dei legem in rebus controversis, totamque moralem Theologiam interimere, maximè si non promulgationis & non acceptationis exempla teneant. Ita Celladeus §. 4.

Doctrina reflexa non reddit tractatum de moralibus inutilem, sed præsupponit eum præcessisse.

55. Respondeo argumentum hoc fundari in æquivocatione ac confusione considerationis directæ ac reflexæ, cùm tamen nos in præsenti potissimè disputemus de consideratione reflexa. Inprimis ergò dico, sicut scimus, legem non promulgatam non obligare, ita etiam reflexè scimus, legem probabiliter non existentem non obligare, quia per hoc ipsum constat, quod non sit satis promulgata; neque de hoc secundo est major quæstio, quàm an lex non sufficienter promulgata obliget; sicut enim hoc semel scitum de lege aufert omnem quæstionem in posterum: sic etiam cùm semel post omnem diligentiam adhibitam constat probabile esse, quòd lex non existat, eo ipso scitur, quòd non obliget, quia reflexè scimus, talem legem non habere vim obligandi, idque ex variis titulis, nominatim autem quia non est sufficienter promulgata. Et sanè nemo ignorat, assertionem hanc esse adeo contestatam & certam apud omnes, ut nemo Catholicorum, præter unum Celladeum, de illo dubitaverit, maximè si sermo sit de majori probabilitate directâ. Eadem porro est ratio de pari & minori probabilitate directâ, ut sæpè ostensum est. Nec inde sequitur, tractatus de rebus moralibus esse inutiles, immò contrarium sequitur, quia etsi quæstio reflexa jam sit finita ac determinata, tamen illa locum non habet, nisi directa veritatis investigatio præcesserit, ut sæpè & fusè ostensum est *in hoc tractatu*.

Objectio confundit considerationem directam cum reflexâ.

56. Ad secundum, eadem responsio locum habet; quia si reflexè procedamus, nemo meritò dicit illud esse peccatum, cujus honestas est certò probabilis, tantumque abest, ut omnes contrarium dicant, prout Celladeus asserit, ut notorium sit, nec Celladeum ipsum lateat, quòd omnes uno ore contrarium & supponant, & dicant, & probent. Certum enim est, quòd omnes Auctores benignæ sententiæ non solùm negent, illud esse peccatum, si conscientia formetur juxta præscriptum illius, sed insuper unanimiter doceant certum esse, quod non sit peccatum, nisi fortè solùm materiale, quod nemini imputari potest. At Auctores benignæ sententiæ non sunt unus aut alter, sed omnes omnino, dempto Celladeo qui neminem ex Catholicis allegare potest, qui cum ipso & in sensu ipsius doceat, nullam probabilitatem, ne quidem majorem sufficere, ut sequens talem opinionem excusetur à peccato. Itaque Celladeus hic etiam confundit considerationem reflexam cum directâ; nam Auctores, qui in directa consideratione dicunt aliquid esse peccatum, iidem in consideratione reflexa absolutissimè per sententiam finalem enunciant oppositum, atque multi expressè idipsum per hoc demonstrant, quòd ex consideratione supra probabilitatem directam de honestate operis sciant, legem aut non existere, aut certè sufficienter promulgatam non esse.

Eadem in hoc argumento æquivocatio latet.

57. Ad tertium, eodem modo hîc etiam æquivocat Celladeus, cùm ea transferat ad considerationem reflexam, quæ solùm directæ conveniunt. Præterea, etsi magna Moralis scientiæ pars sit solùm de probabilibus, magna tamen pars istorum ita est probabilis, ut oppositum non sit probabile, & in tali casu scientia moralis necessaria est, atque etiam obligat, cùm nil sit, quod excuset. At si sermo sit de utrimque probabilibus, quæ post omnem diligentiam (ad quam impendendam tenentur Auctores) manent probabilia, tunc recurrendum est ad principia reflexa, & per illa semel pro semper statuimus, talia objecta esse licita, quia in illis versamur sicut in materia legum non satis promulgatarum.

Deus sufficienter per se & suos ministros promulgat leges suas pro omnibus, sed non semper omnibus.

58. Deus ergò & olim & nunc etiam suas leges ita promulgavit, partim per se, partim per Prophetas, & demùm partim per Filium, ut illæ sufficienter promulgatæ fuerint communitati pro omnibus, non tamen omnibus & singulis, quibus tamen promulgari debent, ut iis obligentur. Ratio hoc evincens est, quia alioquin nemo invincibiliter ignoraret legem, quia invincibilis ignorantia manifestè supponit carentiam debitæ promulgationis. Jam quod dicitur de Apostolis, Conciliis, Pontificibus, Patribus, & Theologis has leges declarantibus non satisfacit, quia id verum est, solùm de pluribus, non de omnibus, quia post omnem prædicationem Apostolorum, post omnem Ecclesiæ, Pontificum, Patrum, & Theologorum declarationem, innumera manent incerta, & aut utrimque probabilia, aut certè solùm probabilia ex parte excusante à peccato, & in illis tantùm dicimus, leges ea vetantes aut non existere, aut sufficienter promulgatas non esse, quod est verissimum.

Non applicatio legis infert non-promulgationem ejusdem.

59. Nec magis urget quod dicitur, leges promulgatas singulorum cognitionibus applicari singulis, non autem promulgari; nemo enim id in dubium vocat, cognitio enim subditorum de lege obligante non est activa, sed passiva promulgatio legis, seu mera legis obligantis applicatio. Verùm nil inde contra nos infertur, quia cognitionem illam nec dicimus esse activam legis promulgationem, nec eo nomine eam appellamus, etsi vocemus illam promulgationem passivam, quia est proprius effectus promulgationis, sicut auditio est proprius effectus locutionis. Cæterùm eadem prorsus est ratio de non-applicatione ac de non-promulgatione legis, quia lex non sufficienter applicata non magis obligat, quàm lex non sufficienter promulgata. Imò hæc applicatio legis est proprium correlativum promulgationis; promulgatio enim, ut benè notat Celladeus, non est res absoluta, sed relativa & quoad nos, ideoque nil potest esse promulgatio, quod non sit signum efficaciter manifestativum voluntatis superioris. Itaque quoties invincibiliter deest cognitio applicans legem, toties deest promulgatio legis, quia deest signum efficaciter manifestativum ipsius, ut patet. Quod verissimum est tam respectu singulorum, quàm communitatis, quia sicut communitas non obligatur nisi lex sit ipsi sufficienter promulgata, ita nec homo particularis obligatur per legem, quæ non est ipsi sufficienter promul-

promulgata, seu applicata, quia applicatio illa est effectus necessarius legis sufficienter promulgatæ.

Motivum probabile de lege non obligare, non destruit Theologiam moralem.

6. Denique verum non est, quòd totam Theologiam interimat, qui simul dicit, certitudines in rebus moralibus esse paucas, & motivum probabile, quo aliquid videtur malum, non obligare contra motivum probabile dictans oppositum; nec enim speculationem directam nec reflexam interimit. Non reflexam, quia super hunc ipsum casum reflexè disputat, & veritatem quæstionis propositæ determinat in partem libertati faventem. Non directam, quia illa præsupponitur ad hanc reflexam, ut sæpè dictum est. Porrò quamvis materiæ morales secundùm considerationem directam, sint plerumque incertæ ac controversæ; eædem tamen sumptæ secundùm considerationem reflexam, facilè reducuntur ad certitudinem, quod idem dictum volo de lege tam divina quàm humana; quamdiu enim directè loquendo, post omnem industriam probabile est legem non dari, toties reflexè certum est, quòd non obliget. Neque hoc est interimere leges controversas, sed solùm scire tales leges aut non existere, aut certè hîc & nunc non obligare, quia non sunt sufficienter promulgatæ. Irritus ergò est totus Celladei conatus in hac quæstione.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-QUARTA.

Vtrùm reflexè verum sit; quòd omne probabile sit licitum?

1. SYLLOGISMUM hunc reflexum: *omne probabile est licitum: hoc est probabile. Ergò hoc est licitum:* fusè examinat Celladeus *lib. 3. quæst. 9.* cùmque dicit esse verissimum, ac legitimum, si intelligatur de probabilitate probante, positiva, ac reali; quam ipse antea definivit; sed si intelligatur de probabilitate merè apparente, & nominatim de probabilitate opinionibus contradictoriis tribui solitâ, aut de probabilitate, quam communis opinio dicit sufficere, contendit syllogismum hunc quàm plurimis vitiis laborare. Itaque meum erit sensum syllogismi illius exponere; veritatem ac bonitatem ejusdem declarare, Celladei objecta diluere, atque ejusdem errores, quos in hac quæstione reperi, datâ opportunitate, detegere.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit, legitimum sensum syllogismi allati exponere, ut sic omnis in disputando æquivocatio tollatur.

Sensus syllogismi allati exprimitur.

2. AUCTORES benignæ sententiæ, qui unanimiter asserunt syllogismum istum esse bonum, expresè restringunt sensum illius ad probabilitatem practicam, eamque non apparentem aut dubiam, sed veram & certam, ut sæpè dictum est. Hoc posito sensus syllogismi est iste. *Omne objectum, cujus honestas directè considerata est nobis certò probabilis, illud, omnibus circumstantiis etiam reflexis consideratis, est absolutè nobis licitum. Hic contractus est objectum, cujus honestas directè considerata est certò nobis probabilis. Ergò hic contractus, omnibus circumstantiis etiam reflexis consideratis, est absolutè nobis licitus.* Hic est genuinus sensus hujus syllogismi reflexi. Quòd si Celladeus id neget, ex hoc falsitatis convincetur, quod nos contenti erimus, si illum in hoc sensu concedat esse legitimum. Cæterùm Celladeus hoc loco non eâ, qua par est, claritate loquitur, nec satis exprimit syllogismum hunc esse vel non esse reflexum, cùm tamen manifestè procedat in sensu reflexo, in quo objectum, quod directè consideratum est probabiliter licitum, sumitur relatè ad novas circumstantias (ut tum *in hoc opere*, tum *in tract. de consc. prob.* sæpè ostensum est) & enunciatur esse nobis licitum prout subtsat illis, de quo mox plura.

ASSERTIO SECUNDA.

Præmissæ dicti syllogismi sunt probabilissimæ; imò moraliter certæ. Illatio est legitima.

Veritas majoris stabilitur.

3. PROBATUR. Major syllogismi probatur ex iis omnibus, quæ allata sunt tum in præsenti opere, tum *in tract. de consc. prob. à quæst. 19. usque ad 24.* Ratio à priori est, quia objectum, quod directè consideratum est probabiliter tantùm honestum, sumitur jam in reflexa consideratione, prout subsat novis circumstantiis, nempe prout post omnem diligentiam adhibitam, nulla lex prohibens reperiri potuit, objectum autem haud temerè sed rationabiliter creditur esse honestum. Hinc autem certò constat, talem legem aut non existere, aut certè non esse sufficienter nobis promulgatam & applicatam. Rursus sequitur legem illam, si fortè existat, invincibiliter ignorari. Similiter constat eosdem penitus actus esse in voluntate & intellectu, sive erremus, sive non erremus, & alia multa constant, de quibus locis citatis fusè egimus, ex quibus morali saltem quâdam certitudine infertur, objectum illud in istis circumstantiis esse licitum, ac sine peccato formali poni posse. Haud dubiè enim non peccat, qui aut nullam legem violat, aut non transgreditur nisi legem non sufficienter promulgatam & appli-

& applicatam. Non peccat, qui facit opus prohibitum, quando invincibiliter credit illud esse licitum. Non peccat, qui quando errat, elicit eosdem planè actus in intellectu & voluntate, quos elicit, quando non errat sed honestè operatur; impossibile enim est ex duobus in intellectu ac voluntate eodem prorsus modo dispositis, unum peccare, alterum non peccare, sed benè operari. Hæc & alia hisce similia moraliter saltem certa sunt. Ergò major dicti syllogismi, quæ hæc affirmat, est saltem moraliter certa.

Summa probabilitas ejusdē majoris aliunde probatur, illa autem sufficit.

4. Cæterùm quamvis major non esset moraliter certa & evidens, sufficeret, si esset adeo probabilis, ut post omnem diligentiam adhibitam moveret intellectum non temerè judicantem ad assensum sui, licèt fortè contingeret objectum illud directè consideratum non esse verum. Ratio est, quia qui taliter judicaret, aut verum diceret, aut certè invincibiliter erraret. Ergò qui regularetur à tali judicio non peccaret, sed benè operaretur, etsi primum judicium esset erroneum. Atqui major illa reflexa talis est, ut post omnem diligentiam adhibitam, omniaque in utramque partem examinata, nobis videatur probabilissima & verissima, quamvis hæreamus circa honestatem ejusdem rei directè consideratæ, & dubitemus, an sit probabilior ejusdem inhonestate. Nec mirum hoc videri debet, quia rationes reflexæ efficaciores sunt ad probandam honestatem objecti in circumstantiis, circa quas reflexa consideratio versatur, quàm rationes directæ ad ejusdem honestatem comprobandam in illis circumstantiis, quæ directæ considerationi obversantur. Certè rationes reflexæ tanti ponderis fuerunt, ut attraxerint omnes ad asserendum illud omnibus consideratis esse licitum, quod juxta considerationem directam ab illis aut habebatur illicitum, aut certè non magis apparebat licitum, quàm illicitum; atque ideo unanimiter docuerunt, licitum esse sequi opinionem non solùm probabiliorem, sed etiam æquè aut minùs probabilem. Hoc autem apertè demonstrat, honestatem ejusdem objecti esse probabiliorem in consideratione reflexa, quàm sit in directa. At major syllogismi supponit objectum directè consideratum esse probabile. Ergò idem objectum reflexè consideratum est longè probabilius honestum, quàm est in consideratione directa. Ergò major allati syllogismi, affirmans honestatem ejusdem in consideratione reflexa, est longè probabilissima, & multò probabilior, quàm propositio directa ejusdem honestatem affirmans, quod notandum est ad sequentia.

Minor syllogismi est evidens.

5. Similiter minor dicti syllogismi est certa & evidens, quia supponimus certò constare, contractum illum habere omnia, quæ includuntur in definitione rei probabilis, alioquin minor illa de tali objecto non procederet; quia benigna sententia, quæ agit de regula prudenter eligibili, solùm loquitur de certò probabilibus. Itaque præmissæ sunt, quales affirmantur in assertione. Ergò sunt non solùm probabilissimæ, sed etiam moraliter certò veræ. Conclusio autem ipsa ritè infertur. Ergò totus syllogismus & bonus est, & certò verus.

ASSERTIO TERTIA.

Celladeus non rectè proponit quæstionem præsentem. Præterea in eâdem impugnanda inconsequenter discurrit.

Celladeus non rectè proponit quæstionem.

6. PROBATUR prima pars. Celladeus generalissimè proponit, *an omne probabiliter honestum sit licitum?* & quærit, utrùm hoc solùm sufficiat, ut ejusmodi objectum citra peccatum ponatur, supponendo propositionem illam esse universalem, & ad omne genus probabilitatis extendi, scilicet tam certæ quàm probabilis, tam secundùm esse, quàm secundùm dici, tam realis quàm apparentis. Certè argumenta ipsius expressè impugnant syllogismum in hoc sensu acceptum. Ergò illo syllogismum, quem impugnat, in dicto sensu accipit. Verùm hoc est aërem verberare, apparenter pugnare, sed reipsâ neminem impetere; quia nemo dictum syllogismum in tam amplo sensu approbat. Itaque sensus quæstionis est longè alius, nempe, *utrùm omne probabile homini probabiliter & sine negligentia culpabili opinanti illud esse licitum, omnibus consideratis, sit ipsi licitum?* Hoc est, quod nos asserimus esse licitum, quodque in majori allati syllogismi affirmatur. Verùm argumenta Celladei non impugnant syllogismum in hoc sensu, ut mox patebit. Ergò non rectè proponit quæstionem, quam impugnandam suscepit.

Discurrit inconsequenter in ea impugnanda.

7. Probatur secunda pars, quæ sequitur ex prima. Celladeus *in hac ipsa quæst.* expressè admittit totum syllogismum esse verissimum, si sermo sit de probabilitate probante, reali, & positiva. At negat illum esse verum, si sermo sit de probabilitate, quam auctores benignæ sententiæ dicunt sufficere, ut quis per eam consurgat ad conscientiam excusantem debitè formandam. At hoc dicitur inconsequenter, quia omnis ejusmodi probabilitas est vera, realis, positiva, probans & urgens; immò nulla ejusmodi probabilitas distinguitur à probabilitate, quam ipsemet Celladeus definit, ac proponit tanquam regulam sufficientem ad excusandum operantem à peccato, uti non solùm constat ex dictis *quæst. 37. 38. 39.* sed etiam ex eo convincitur, quòd omnes fermè Auctores benignæ sententiæ unanimiter dicant, solam probabilitatem veram & realem ac certò talem certò excusare. Ita autem definiunt hanc probabilitatem, totque exceptiones & conditiones ponunt, ut aliquid sit verè probabile, ut impossibile sit, talem apparentiam non esse positivè ac vehementer probativam, ac impulsivam ad assensum, ut evidenter constat ex iis, quæ latè tradidi *in tract. de consc. prob. à quæst. 2. usque ad 6. inclusivè.* Itaque Celladeus reipsâ inconsequenter loquitur, qui de una eademque probabilitate idem negat, quod de eadem antea affirmaverat. Verum quidem est, ipsum prætendere probabilitatem ab Auctoribus benignæ sententiæ propositam toto cœlo discrepare à probabilitate, quam ille definit; sed toto cœlo aberrat, cùm nulla prorsus inter utramque sit differentia, ut constat ex dictis. Itaque illud ex suis principiis infert, cujus oppositum inferri poterat ac debebat, quod reipsâ est inconsequenter loqui, quamvis si termini accipiantur in sensu, quem ipse illis indebitè affingit, inconsequentiæ hoc loco argui non possit.

SOLVUN-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 8. OBJICIES primò. Syllogismus iste formatur sive ullâ distinctione probabilitatis, ita ut major propositio omnem prorsus probabilitatem includat. At major in tali universalitate non est vera. Certè S. Augustinus dicit, eam in tali universalitate sumptam esse optimo cuique metuendam; imò expressè jurat, se prorsus nescire, quomodò, eâ admissâ, adulterium sit peccatum. Secundò, esto, major sit vera de probabilitate vera ac reali, certè non est vera de probabilitate solùm apparenti & sophisticâ; talem enim probabilitatem pro suis dogmatibus habent etiam hæretici. Tertiò, non est vera de probabilitate opinionibus dari solitâ, id est de propositionibus non notatis ac censuratis, quia omnes contrarium unanimiter tenent. Quartò, non est vera de probabilitate negativa, quæ consistit, aut in mera argumentorum solutione, aut in argumento ad hominem, quia Auctores classici negant hanc probabilitatem sufficere, cùm afferant ad probabilitatem requiri fundamentum grave. At non est fundamentum grave pro una parte probare, quod non sit argumentum concludens aut sufficiens pro parte opposita. Quintò itaque major restringi debet ad probabile fundatum in auctoritate ac ratione gravi, in quo sensu est verissima. Ergò probabile fundatum in ratione ac auctoritate levi non sufficit. Ergò imperiti syllogismo isto uti non poterunt, qui nequeunt discernere an ratio vel auctoritas sit gravis vel levis; & consequenter non possunt formare minorem, ut inferant consequentiam. Et hæc omnia sunt probata. Ita Celladeus §. 1.

Variæ exceptiones Celladei cōtra dictum syllogismū.

Responsio ad primum. Respondeo inprimis, argumenta hęc ne quidem apparenter impetere majorem, si sumatur in sensu legitimo ab Auctoribus intento, quemque nos *num. 2.* exposuimus. Itaque omitti possent ut ad rem non facientia, sed juvat ad singula respondere. Respondeo ergò secundò, Celladeum de his omnibus fusè egisse in superioribus, verùm illa non probavit, sed in omnibus, quæ ad rem faciebant, erravit, ut ostensum est. Inprimis locus Augustini non est ad rem, ut ostendi *quæst. 25.* neque enim probabilitas, de qua ille loquitur, similis est probabilitati, de qua loquuntur Auctores benignæ sententiæ, ut ex dictis ibidem evidenter demonstratum est.

Responsio ad secundū & tertium. 9. Secundò, probabilitas, de qua nos loquimur, non est sophistica & ficta, sed vera & realis, nec hæretici talem habent, aut habere possunt pro suis falsis dogmatibus; quæ omnia probata sunt in superioribus, ubi etiam ostendimus errores & defectus, quos Celladeus commisit in æquanda probabilitate hæresum cum probabilitate opinionum, quas Catholici Auctores gravissimi unanimiter admittunt esse probabiles.

10. Tertiò, quod dicitur de probabilitate negativa, est de subjecto non supponente; nec enim Auctores communiter docent, talem probabilitatem (quæ non est probabilitas nec tali nomine meritò insignitur) universaliter sufficere ad licitè operandum, immò nunquam volunt, ut illa directè sufficiat, quia illa per se ad judicium rationabiliter formandum non sufficit. Quod si aliquando juvet, est solùm indirectè, quatenus sæpè reddit legem dubiam, & aliunde scitur, quòd in dubio insuperabili legis lex non obliget.

Responsio ad quartum. 11. Quartò, laudandus est Celladeus, quòd rationem vel auctoritatem gravem ad conscientiam debitè formandam sufficere dicat; sed illicò sequitur ex hoc ipso, totum illius conatum esse irritum, quia nos alterutrum semper exigimus; nec dubium, quin verè gravem requiramus, quia tot requirimus ad rationem & auctoritatem gravem, ut si quæ ratio vel auctoritas illa habeat, non possit non esse gravis. Sed de hoc plura in sequenti objectione. Interim falsum est, quod imperiti seu scientiæ moralis parum periti distinguere nequeant, quæ sit ratio & auctoritas gravis; contrarium enim ostensum est *quæst. 17.* & alibi sæpè, ubi fusè de hac re contra Celladeum egi, simulque ostendi, quomodò non solùm mediocriter periti, sed etiam maximè idiotæ uti possint syllogismo allato, atque minorem certò subsumere, & conclusionem legitimè inferre. Videantur dicta locis citatis, si memoriæ legentium non occurrant.

12. Ob. 2. Admissâ majori, si illa intelligitur de probabilitate fundata in ratione vel auctoritate gravi, quia in eo sensu negari non potest, difficultas adhuc superest in minori, quia illa juxta mentem adversariorum in quæstionibus hinc inde probabilibus æquè formari potest pro utraque parte contradictionis. At impossibile est, ut minor illa subsumatur pro utraque parte contradictionis, quia impossibile est, ut utraque pars contradictionis sit probabilis probabilitate conscientiæ, aut habeat pro se rationes & auctoritates graves, sive in se, sive quoad nos, uti demonstratum est in superioribus. Præterea altera contradictionis pars est falsa. Ergò rationes illi parti faventes aut falsæ sunt, aut certò conclusio ex illis non deducitur. At rationes falsæ, quæ videntur & non sunt veræ, item rationes veræ, ex quibus conclusio videtur sequi, & non sequitur, sunt fundamenta purè sophistica & delusoria tam quoad se, quàm quoad nos. At sophistica non est regula morum. Ergò nec probabile in sensu tradentium benignam sententiam. Itaque difficultas est in minori, quæ si habuerit fundamentum non apparenter sed reverâ grave, conceditur minor, secus negatur. Quòd si quis decipiatur in illa minori, resultabit conscientia erronea, quæ excusat, si error sit involuntarius, sed non excusat si error sit voluntarius, quæ omnia probata sunt in superioribus. Ergò nisi omnes istæ doctrinæ destruantur syllogismus iste valere nequit in sensu arguentium. Ita Celladeus §. 1.

Objectio 2.

Exceptiones Celladei contra minorem dicti syllogismi.

Respondeo, Celladeum hîc etiam recapitulationem facere plurium, quæ in superioribus proposuit; sed ea omnia in antecedentibus non solùm soluta sunt, sed etiam falsitatis convicta. Nominatim autem *quæst. 29.* ostendi, utramque contradictionis partem esse posse simul probabilem probabilitate conscientiæ, si sermo sit de probabilitate remota, & ad conscientiam per principia reflexa debitè formandam sufficiente, quamvis utraque pars contradictionis formalis, id est, utraque propositio contradictoria non possit simul esse directè probabilis eidem intellectui, probabilitate se sola sufficiente ad operandum, & se tenente ex parte actûs affirmantis objectum suum esse verum; quia ad hoc utraque propositio contradictoria deberet simul existere in intellectu, quod repugnat. Itaque datur quidem simultas probabilitatis respectu contradictoriorum tam objectivorum quàm formalium, non tamen datur probabilitas simultatis illorum, ut ostensum est loco citato.

Responsio ad primam exceptionem.

13. Similiter ad omnia & singula ex reliquis, quæ opponit, jam responsum est in propriis locis.

Responsio ad alias exceptiones.

in quibus ostendi, illum in singulis errasse, nec quidquam tulisse, quo singulares suas sententias sufficienter probaret. Nominatim autem quod dicit de sophisticis rationibus rejectum est, erroresque ipsius & æquivocationes detectæ sunt. Porrò dictum illud Celladei: *Nisi totus meus tractatus evertatur, dictus syllogismus valere nequit*: me non terret, sed animat, quia jam totum, quantus quantus est, excussi & everti, ideoque haud dubiè syllogismus allatus subsistit. Nominatim autem minor est indubitata, quia nulla opinio, de qua non certò constat, quòd habeat omnia ad probabilitatem requisita, ex præscripto benignæ sententiæ assumi potest tanquam sufficiens ad conscientiam debitè formandam. Frustra ergò excipit Celladeus contra minorem, cùm illa sæpissimè evidenter sit vera, & nos tum *in hoc* tum *in tract. de consc. prob.* sæpiùs ostendimus, unde homo possit scire quæ opinio sit probabilis.

Objectio 3. Aliæ Celladei exceptiones contra dictum syllogismum.

14. Ob. 3. Dicere, majorem hujus syllogismi esse posse veram de utraque parte contradictionis, repugnat propriis Probabilistarum principiis. Ergò malè contendunt illam de utraque contradictionis parte posse esse veram. Probatur antecedens. Inprimis, proprium illorum axioma est. Peritorum, non imperitorum judicio standum esse. At certum est, utrumque ex contradicentibus non esse peritum in re, circa quam sibi contradicunt, quia alteruter errat. Qui autem errat non est peritus sed imperitus rei, circa quam errat. Ergò alteruter est imperitus. Ergò utrique stari posse, est perito & imperito stari posse.

Secundò dicunt, solam auctoritatem hominis scientiæ & conscientiæ, seu probi & docti esse gravem, & reddere probabile. At ex contradicentibus, uterque non est vir scientiæ & peritiæ de illa re, quia alter errat, & ignorat. Error autem & ignorantia non est scientia & peritia. Ergò in utroque non est gravis auctoritas aut probabilitas.

Tertiò requirunt prudentes & prudentiam. At in omni contradictione alter fallitur. Ergò alteruter caret prudentia, quæ est virtus intellectualis, & nequit falsum dicere.

Quartò. Omnes dicunt, illis tantùm auctoritatibus ac rationibus standum esse, quæ rem faciunt dignam assensu. Unde dicunt, licitum non esse fundare conscientias nostras in dictis mentientium, ignorantium, levium, sophistarum &c. At, ex communi sententia plurium ac præstantium Auctorum, utraque pars contradictionis nunquam proponitur intellectui, ne quidem in sensu diviso, ut digna assensu. Ergò utraque pars nunquam ita proponitur ut liceat utrumlibet facere. Ex his quatuor capitibus constat majorem illius syllogismi esse manifestè falsam, ad quam tamen tanquam ad primum principium Auctores resolvunt totam vitam Christianam. Ita Celladeus §. *1*.

Duplex Celladei error.

15. Respondeo inprimis duplicem falsitatem in hac ultima Celladei dictione latêre. Inprimis veritas harum præmissarum non proponitur à nobis ut primum principium, quia proponitur ut thesis, quæ argumentis hinc inde propositis laboriosè stabilitur. Proponitur ergò ut principium secundum per notoria probatum, atque ita assumitur in regulam tanquam thesis illata, non tanquam primum principium. Et hic est primus error. Secundus error est longè major & patentior. Quis quæso dixit, totam vitam Christianam ad majorem hujus syllogismi, tanquam ad primum principium esse revocandam? unum nomina, Celladee, si potes, quia omnes Probabilistas, nemine excepto, accusas, unum nomina, qui ita loquatur, & fatebor me immeritò te accusare; sed si nullum nominare potes (certum autem est, quòd non possis) fatere te incautè scribere, nec ad sensum eorum, quæ profers, sufficienter attendere. Si enim ad verba tam palmarem falsitatem continentia attendisses, nunquam ea protulisses. Quid enim? nihilne certum in vita Christiana? nihilne nobis per scientiam, nihil per certissimam ac infallibilem fidem proponitur, quo actiones vitæ Christianæ instituamus? Apage: maxima vitæ Christianæ pars certissimis principiis dirigitur, nec quisquam Catholicorum hoc negat. Nemo ergò asseruit, aut asserere potuit, doctrinam in majori illa contentam esse primum principium, ad quod tota vita Christiana resolvitur. Sed ista condono, & in lapsum calami, ac fortuitam amplificationem potiùs quàm in negligentiam transcribo: ad argumentum ipsum veniamus.

16. Respondeo secundò. Objectionem hanc esse meram recapitulationem eorum, quæ Celladeus in variis locis stabilire conatus est, sed irrito conatu, ut apertè monstratum est in propriis locis, ubi has illius doctrinas expendimus, & confutavimus. Itaque frustra ad illas iterum recurrit. Nominatim autem ostendimus, quod peritia, scientia, & prudentia juxta sensum Auctorum benignæ sententiæ rectè conjugantur cum errore, quando error est longè probabilissimus, & veritas insuperabiliter latet. Similiter ostendimus, quòd utraque contradictionis pars sit verè probabilis ac digna assensu non solùm respectu duorum intellectuum, sed etiam respectu unius ejusdemque hominis. Cæterùm ultima Celladei illatio, quâ dicit, *constare, majorem illius syllogismi esse manifestè falsam in sensu Auctorum benignæ sententiæ*, evidenter à veritate aberrat, quia certum est, Auctores benignæ sententiæ, dum agunt de rebus obscuris, ad quarum cognitionem certam pervenire non possumus, nomine periti, scientis, docti, ac prudentis, cujus auctoritatem dicunt esse dignam assensu, non intelligere eum, qui non errat, sed eum, qui juxta humani intellectûs capacitatem instructus est principiis ad materiam illam penetrandam sufficientibus, quique debitam in veritate investiganda diligentiam adhibuit. Talem hominem peritum, scientem, ac prudentem vocant, ejusque resolutionem respiciunt, tanquam peritam, scientem, & prudentem, juxta consuetum vocum illarum usum. Nec dubium quin hic sit sensus Auctorum benignæ sententiæ, cùm omnes apertè dicant, omnem assensum ejusmodi esse probabilem & prudentem.

Solvitur objectio.

Error Celladei manifestus.

17. Peto jam à Lectore candido, an *constet hoc, quod dixi, manifestè falsum esse, in sensu auctorum benignæ sententiæ?* Immò verò certò constat id esse verissimum. Non fidimus nudæ assertioni tuæ, Celladee, proba illam, si possis. Non conjecturis hic agendum est, non alieno & æquivoco verborum sensu utendum, sed indubitata Auctorum verba, quibus mentem suam exprimunt, sunt afferenda. Sed ea afferri non possunt. Contraria enim omnia docent, quia, disertè tradunt, assensum probabilem, quamvis invincibiliter erroneum, esse peritum, prudentem, atque assensu dignum, seu talem cui homo laudabiliter absque temeritate, ac prudenter assensum præbere potest. Itaque major syllogismi dicti est indubitanter vera in sensu Auctorum benignæ sententiæ; sed sensus est

Objectio non tangit rem in sensu legitimo intellectam.

est reflexus; quem in initio quæstionis exposuimus. In hoc autem sensu acceptam argumenta Celladei ne quidem tangunt, ut patet.

Objectio 4. 18. Ob. 4. Syllogismus iste debet hoc modo intelligi. *Omne probabiliter non malum est licitum: hic contractus est probabiliter non malus: ergo est licitus.* At syllogismus hoc modo sumptus, secum affert suam distinctionem sic: omne probabiliter non malum est licitum, distinguo majorem: est licitum sicut est non malum, scilicet probabiliter, concedo; est magis aut aliter licitum quàm sit non malum, nego majorem. Deinde transmissa minori, eodem modo distinguo consequens: est licitus probabiliter, concedo: plus aut aliter, nego consequentiam. At stante hac distinctione, nemo meliùs se habet ad formandam conscientiam per reflexas, quàm per directas. Ergò frustra itur ad reflexas, cùm syllogismus reflexus nullo modo magis certificet de honestate operationis, quàm syllogismus directus. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus æquivocè proponit argumentum. Respondeo, Celladeum non satis expressisse vim hujus syllogismi reflexi, sed ita de eo locutum esse, ac si non esset reflexus, sed directus. Expressio enim ista æquè illi applicari potest, sive sumatur in sensu directo, sive in sensu reflexo. Præterea distinctio, ab ipso allata, locum non habet, nisi syllogismus intelligatur in sensu directo, & in ordine ad easdem circumstantias, in illis enim & in illis tantum verum est, unumquodque non aliter esse licitum, quàm sit non malum, cùm nil sit unde diversitas sumi possit. At si res eadem sumatur reflexè in ordine ad circumstantias diversas ab iis, in quas directa consideratio se extendebat, evidens est rem illam in hac consideratione magis ac taliter esse posse licitam, quàm erat & apparebat non mala in consideratione directa. Ratio est, quia hæc consideratio reflexa contemplatur rem non secundùm se præcisè, sed ut certò substantem judicio aut vero, aut certè invincibiliter erroneo; considerat rem, prout certò constat, quòd nullâ lege sufficienter promulgatâ & applicatâ prohibeatur &c. At probabilius est, quòd res hoc modo considerata sit licita, quàm quòd sumpta secundùm se sit non mala; cùm primum sit certum ac indubitatum apud omnes; secundùm verò sit incertum, ac ad summum probabile, & à pluribus negatum.

Distinctio illius non tangit punctum difficultatis, si in sensu proprio intelligatur.

Probabilitas reflexa sæpè major est directâ. 19. Rursus sic arguo. Quod pollet majori vi alliciendi intellectum est probabilius eo, quod non tantâ vi pollet. At honestas rei reflexè considerataæ in circumstantiis allatis, aliisque ab Auctoribus benignæ sententiæ ponderatis, habet majorem vim alliciendi intellectum, quàm non malitia ejusdem directè considerata. Ergò honestas ejusdem rei reflexè consideratæ est major, quàm non malitia ejusdem considerata directè. Major nota est ex terminis, minor evidenter patet ex eo, quòd rationes reflexæ omnes omninò (præter unum Celladeum) moverint ad asserendum, quod quidquid est directè probabilius opposito est absolutè loquendo licitum in sensu reflexo; immò traxit omnes ad asserendum, multa esse indirectè ac reflexè licita, quæ ipsi ex rationibus directis credunt esse mala, quia expressè asserunt, ea, omnibus etiam reflexè probantibus diligenter inspectis, esse licita. Ergò argumenta reflexa in casu præsenti majori vi pollent, quàm directa. Ergò sunt probabiliora, quod erat probandum.

Id etiam verum est de probabilitate extrinseca. 20. Quod hactenus dixi, de probabilitate intrinseca intelligendum est, sed idem æquè clarè & fortasse clariùs locum habet in probabilitate extrinseca: exemplo sit hæc propositio. Licet non confiteri circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie. Hoc si directè consideretur, ab aliquibus affirmatur, ab aliis plurimis negatur. At idem reflexè consideratum ab omnibus illis unanimiter conspirantibus docetur esse licitum; quia qui directè negant illud esse verum, simul asserunt oppositum esse probabile, & consequenter expressè dicunt, illud, omnibus inspectis, esse licitum. Ergò honestas ejusdem rei reflexè sumptæ potest esse, & est tam intrinsecè quàm extrinsecè probabilior, quàm sit in consideratione directa.

Celladeus in suis principiis tenetur idem admittere. 21. Hæc abundè sufficiunt ad nullitatem objectionis hujus elucidandam, non tamen acquiescam, nisi cogam adversarium ad idem concedendum: sic in ipsius principiis arguo. Fieri potest, ut judex post omnem diligentiam adhibitam decipiatur à falsis testibus, & innocentem condemnet. Rursus, ipse per propriam industriam reflexè scire potest, se aut non decipi, aut invincibiliter decipi, quia omnis veritas, & consequenter etiam ista, est cognoscibilis. Saltem Deus hoc ipsum illi revelare potest. Quid jam dicis, Celladee? Nónne iste tam certò novit se licitè operari, quàm novit se aut non falli, aut invincibiliter decipi? Nónne hæc est non solùm certa & communis omnium, sed etiam tuamet doctrina? subsumo: atqui non est certus, se non falli materialiter, & non condemnare innocentem. Ergò est reflexè certior, se non peccare peccato formali ac imputabili, sed licitè operari, quàm sit directè quòd non decipiatur, & non vocet malum bonum. Ergò dispar ratio est de certitudine & probabilitate reflexa, ac de directa probabilitate quòd res sint honestæ. Ergò tu tibi in hoc aliisque tuis doctrinis contradicis.

Celladei contradictio.

Objectio 5. 22. Ob. 5. Syllogismus allatus non magis concludit, quàm iste, *Homo est species. Petrus est homo. Ergò Petrus est species*, quia in utroque fit transitus à suppositione simplici ad personalem, seu, quod idem est, in utroque saltatur à secundis intentionibus ad primas. Certè quando dicitur, *homo est species*, terminus *homo* supponit pro natura humana prout substat cognitioni confusæ & abstrahenti naturam à singularibus, quia in hoc tantùm sensu homo est species. At in minori idem terminus sumitur primò intentionaliter, prout res se habent à parte rei independenter ab intellectu & à denominationibus, quæ à cognitione dependent. At idem vitium est in præsenti syllogismo, quia præmissæ sunt reflexæ, & consequenter pertinent ad secundas intentiones; conclusio autem non est de secundis intentionibus, ut patet, quia & est & esse debet de operatione nostra singulari, & primò intentionaliter sumpta. Ergò suppositio non minùs variatur in hoc, quàm in illo syllogismo. Ergò non magis valet iste, quàm ille. Ita Celladeus §. 2.

Inconsequentia Celladei, ejusque contradictio. Respondeo Celladeum hic etiam inconsequenter discurrere, sibique contradicere; ab initio enim non semel admisit syllogismum hunc, etsi reflexum, legitimum esse, & benè concludere, si sermo sit de probabilitate positiva ac reali. At hoc non cohæret cum eo, quod hic objicit; certum enim est syllogismum, cujus bonitas patenter agnoscitur, à nemine nisi valdè inconsequenter & cum aperta contradictione, ut clarè vitiosum repelli. Imò si hæc duo asserta admittantur ut vera, eo ipso contradictoria de eodem prorsus admittuntur. Ergò Celladeus, qui utrumque assertum admit-

admittit ut verum, inconsequenter discurrit, & sibi contradicit.

Celladei error in Logica.

23. Resp. 2. Celladeum ne quidem attigisse causam radicalem, ob quam syllogismus ille, quem pro exemplo attulit, sit vitiosus; refundit enim causam in transitum à secundis ad primas intentiones. At hoc incertum est; & quamvis illud verum non esset, adhuc syllogismus non valeret. Incertum est quod dicit, quia probabilis opinio docet, universale, nempe speciem, genus &c. dari à parte rei. Ergò refundit certissimum syllogismi errorem in causam incertam, quod non est Logici accurati, qui ex professo tradit causam, cur syllogismus aliquis sit malus. Præterea etsi homo, seu humana natura tota primò intentionaliter sumpta, esset species, non ideo syllogismus valeret, quia medius terminus non distribueretur in ulla ex præmissis. Non in minori, ut patet, quia ad hoc dici deberet, *Omnis homo est species*, & propositio resolvi deberet per hunc descensum, *& hic, & ille, & quivis alius homo est species.* Subjectum enim in termino communi expressum non aliter distribuitur in propositione affirmativa, quàm si Syncategorema *omne* vel explicitè vel saltem implicitè & virtualiter in sensu dicto subjectum afficiat. At major in hoc sensu est falsa. Ergò major non potest esse vera, nisi subjectum absque distributione sumatur. Sed neque terminus ille distribuitur in minore, quia in minori transmutatur in prædicatum; terminus autem communis ex parte prædicati nunquam distribuitur in propositione affirmativa; Ergò medius terminus in illo syllogismo non distribuitur, ac proinde syllogismus non valet. Et hæc est radicalis, ac essentialis causa cur conclusio non subsistat, demptâ enim hâc causâ procul dubio valeret, quia medius terminus distribueretur. Præterea Celladeus in principiis Logicæ errat, dum loquens de illo syllogismo dicit. *Totus defectus (illius) est, quia terminus* homo *variat suppositionem, & de secundis intentionibus saltatur ad primas.* Errat, inquam, quia plurimi syllogismi in eadem figura & modo sunt optimi, & evidenter concludunt, etsi medius terminus sumatur secundò intentionaliter in minori, ut videre est in hoc syllogismo. *Omnis homo est subjectum in aliqua propositione. Petrus est homo. Ergò Petrus est subjectum in aliqua propositione* Certè in hoc syllogismo terminus *homo* non minùs saltat à denominatione, quæ à cognitione dependet, ad denominationem quam res habet à parte rei independeneter à cognitione, quàm in illo priori; & tamen hic valet, ille non valet. Præterea extra materiam secundarum intentionum syllogismus cæteroquin prorsus similis non valet. Exempli causâ iste. *Homo est albus. Petrus æthiops est homo, Ergò Petrus æthiops est albus.* Ergò tantùm abest, *ut totus defectus prioris syllogismi consistat in hoc saltu*, sicut affirmat Celladeus, ut nullus ex hoc præcisè capite defectus sit, aut esse possit, sed totus error aliunde, scilicet ex defectu debitæ distributionis terminorum proveniat.

24. Mirandum præterea est, Celladeum fecisse paritatem inter duos illos syllogismos, cùm primum protulerit universaliter hoc modo: *Omne probabiliter non malum est licitum. Hic contractus est probabiliter non malus. Ergò hic contractus est licitus:* ubi vides medium terminum in majori distribui; secundum verò protulerit indefinitè hoc modo: *homo est species. Petrus est homo. Ergò Petrus est species:* in quo syllogismo evidens est medium terminum non distribui. Quis, quæso, accuratus Logicus unquam istos syllogismos æquiparasset? nemo certè. Ergò Celladeus inaccuratum Logicum egit in hac parte. — Alius ejusdem error in Logica.

25. Immò hinc contra illum evinco, primum syllogismum esse legitimum. Inprimis sic arguo ad hominem. Syllogismus ille secundus esset legitimus, si major facta universalis esset vera. Si enim verum esset omnem omnino hominem esse speciem, sicut verum est omnem hominem esse actu cognitum &c. tunc utique verum esset, quòd Petrus, utpote unus ex illis multis, esset species, sicut verum est, quòd sit cognitus &c. quia est unus ex illis, qui taliter cognoscuntur. Nec Celladeus, nec quisquam mortalium in hoc syllogismo ullum unquam nævum offendet. Ergò etiam syllogismus, de quo præcipuè agimus, est bonus, quia eandem prorsus formam habet, quàm haberet ille secundus, si major in sensu distributivo sumeretur universaliter. Deinde consideretur syllogismus ille per partes. Major est hujusmodi. *Omne probabiliter non malum, omnibus etiam reflexis rationibus inspectis, est absolutè licitum.* Hæc major supponitur vera, est autem universalis, adeoque ejus subjectum sumitur distributivè pro omnibus & singulis sub illa contentis. Ergò sumitur etiam pro hoc contractu, utpote qui est unum ex contentis sub illa, cùm *sit probabiliter non malus.* Ergò necesse est, ut hic contractus sit absolutè licitus, quia revera nil illi tribuitur in conclusione, quod in majori ipsi non attribuatur, sed solùm sub nomine *contractus* tribuitur in conclusione, quod sub nomine *probabiliter non mali* ipsi tributum erat in majori. Nec refert quod in majori sermo sit de directè probabili reflexè considerato, quia etiam in conclusione sermo est de eadem re sub eadem penitus reflexione considerata, nam conclusio ita dicit. Ergò *hic contractus* (utpote, qui in Minori conceditur esse directè probabilis, *omnibus, etiam rationibus reflexis inspectis*, *est absolutè licitus.* Nulla est ergò alteratio aut diversa suppositio terminorum in præmissis & in conclusione. Et hoc est evidens. Ergò evidens est syllogismum allatum in sensu Auctorum illum proponentium, esse legitimum. — Syllogismus allatus ostenditur esse bonus. — Bonitas illius deductivè ostenditur.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-QUINTA.

Vtrùm transgreßio legis imputetur illis, qui casus in Summam colligunt, & eos pro conscientia formanda proponunt?

Celladeus in casuum collectores insurgit. 1. QUÆSTIONE *10. lib 3.* mirum in modum insurgit Celladeus contra eos, qui per modum historicorum casus conscientiæ colligunt, illosque tanquam sufficientem conscientiæ regulam proponunt; nervis enim omnibus contendit probare eos hoc nomine in periculoso admodum statu versari, atque transgressiones materiales divinæ legis illis esse tribuendas. Hoc ut probet, supponit primò, eos nil de rebus ipsis scire, sed tantùm nosse Auctorem aliquem ita dicere, sed ignorare penitus an benè dicat, vel malè. Rursus supponit, usurpantes historiam illam pro regula operandi vel consulendi nullum penitus formare judicium de reali conformitate operationis cum lege, & voluntate Dei. Demùm, hisce suppositis, plurima coacervat, ut probet eos reprehensione dignos esse, atque inexcusabiles, quoties materialiter errant. Præterea in præludio quæstionis dicit, se talium historicorum insufficientiam antea rejecisse, atque manifestè ostendisse, eos peccati reos esse, quoties operando aut consulendo talem regulam sequuntur; simulque asserit, se omnium responsionum, atque ad prudentes & prudentiam, legesque non sufficienter promulgatas appellandi aditus præclusisse.

Si in omnes, immeritò. 2. Ego sanè non perspicio, in quos collimat, atque argumenta intorquet Celladeus, quia indistinctè loquitur. Si casuum summistas universaliter impetat, immeritò viros probos, ac doctos, deque republica Christiana optimè meritos redarguit, atque peccati insimulat; si verò non omnes, sed temerarios tantùm, atque insipientes casuum collectores condemnet, non ego inficias eo, sed junctâ dexterâ eos periculosæ temeritatis pariter arguo & condemno; quia qui promiscuè opiniones ex Auctoribus quibusvis colligeret, neque curaret aut quis esset, qui aliquid assereret, aut quo fundamento illud astrueret, is procul dubio periculosè ageret, atque à temeritatis nota excusari non posset. **Rectè, si in temerarios.** Verùm si in tales tantùm hoc loco insurgat, in nullo benignæ sententiæ adversatur, sed homines impugnat, quos, ni fallor, qui sint assignare non potest. Quocirca potiùs censendus est terrere homines, ne tali temeritate utantur, quàm ullos redarguere, qui temeritatis hujus sint rei.

Consilium Auctoris in hac q. æst. 3. Itaque omittere poteram quæstionem hanc, utpote ad præsentem hunc tractatum minimè necessariam; verùm quia pronum est, Lectorem imperitum existimare, quòd quæ hoc loco congesta sunt, quæque contra Collectores opinionum objiciuntur, Auctoribus benignæ sententiæ attribuenda sint, eò quòd Celladeus sæpè generaliter & indiscriminatim loquatur, ideo opportunum duxi ea circa quæstionem hanc proferre ac stabilire, quæ & veritatem benignæ sententiæ stabiliant, & ejusdem Auctores ab omni temeritatis nota defendant.

ASSERTIO PRIMA.

Auctores benignæ sententiæ, sive insignes Theologiæ Magistri, sive nominati casuum collectores fuerint, non proponunt suas opiniones pro regula conscientiæ absque cura & sollicitudine, quòd operatio, quam dirigunt, sit conformis legi ac voluntati divinæ.

4. PROBATUR. Theologi insignes, qui, rationibus hinc inde debitè expensis, suam tandem proferunt sententiam, ea tantùm proponunt ut licita, quæ magnis ducti fundamentis Dei voluntati conformia esse existimant. Hoc semper verum est, quando quæstionem directè dirimentes, propriam sententiam proferunt. Quod si reflexè disputantes dicant, sententiam suæ opinioni directæ oppositam esse licitam, eodem modo progrediuntur; quia rem, directè incertam atque hinc inde probabilem, jam in ordine ad novas circumstantias considerant, atque reflexis rationibus moti illam in talibus circumstantiis licitam, Deique voluntati conformem esse definiunt, totaque illorum sollicitudo in hoc incumbit, ne quidquam pro ulla circumstantia ut licitum proponant, quod rationibus validis convicti divinæ voluntati conforme esse non determinant.

5. Eadem prorsus ratio est de celebrioribus casuum collectoribus; illi enim, non meri casuum historici ac collectores, sed summi Theologi, magnæque doctrinæ, capacitatis ac sedulitatis viri fuêre, qui ea tantùm proposuerunt ut licita, quæ ipsimet, post longissimum studium atque Auctorum fermè omnium examen, vel directis vel saltem reflexis rationibus definierunt esse licita. **Præcipui casuum Collectores idè præstant.** Hi deinde collectiones suas evulgârunt, ut imperitiores iis uterentur, atque eorum auctoritate confisi conscientiam suam deponerent. **Celladeus refellitur.** Certum itaque est, Celladeum loqui de subjecto non supponente, quando insinuat collectores casuum, quos opinionum historicos appellat, ita proponere opiniones collectas pro regula conscientiæ, ut judicium de conformitate operis cum lege Dei non forment, modò loquatur de

de præcipuis casuum collectionibus; illis enim nil antiquius fuit, quàm ut licita pro licitis, & illicita pro illicitis proponerent.

Omnes casuistæ bonæ notæ idem præstant.

6. Idem prorsus dicendum est de omnibus bonæ notæ scriptoribus, qui casuum collectiones typis evulgârunt; illi enim viri fuerunt valdè capaces, qui rationes & auctoritates graves à levibus discernere potuerunt, quique proinde eisdem aut etiam pluribus & validioribus motivis incitati idem consuerunt cum Auctoribus, quos citant & sequuntur. Et hoc quidem verum est, sive sermo sit de peculiaribus objectis directè consideratis, quæ proponunt ut licita, sive de generalibus opinionibus, quas ex reflexa consideratione tractant, & asserunt esse veras, qualis est illa, quod liceat sequi quamcumque opinionem directè probabilem; in omnibus enim istis verissimum est, quòd aliud non proponant ut licitum, nisi quod, omnibus inspectis, non leviter sed magnis rationibus gravissimisque auctoritatibus moti voluntati divinæ conformari absolutè existimant, quia sequuntur rationes & auctoritates benignæ sententiæ faventes, quæ haud dubiè gravissimæ sunt, & assensum merentur.

ASSERTIO SECUNDA.

Collectio casuum conscientiæ, quos Auctores, qui rationes & auctoritates leves à gravibus discernere possunt, pro formanda conscientia proponunt, non est opus periculosius, quàm sit responsio Theologorum, qui quæstiones incertas sibi propositas propriâ auctoritate probabiliter resolvunt.

Periculum Theologi casum resolvētis declaratur.

7. PROBATUR. Theologi, qui casus incertos sibi propositos propriâ auctoritate resolvunt, altiùs non ascendunt, quàm ad probabilem quæstionis resolutionem. Interim indoctorum conscientia in sola illorum auctoritate recumbit, ideoque ipsi pro aliorum opere Deo respondere tenentur; quod sanè est onus periculosum, ad quod citra conscientiæ læsionem subeundum magnâ doctrinâ ac diligentiâ opus est, ut patet. Præterea, qui sic casus resolvunt, ita mediare debent inter Deum & homines, ut ex æquo teneantur favere libertati ac legi; non enim minùs peccant, si conscientias hominum indebitè stringant, quàm si legem Dei indebitè evacuent. Ergò conjecti sunt in viam arctam, horrendis hinc inde præcipitiis conclusam, extra quam nullâ ex parte absque peccato deflectere licet. Difficilè autem & periculosum est tali viâ incedere. At melior, & minùs periculosa est conditio collectoris casuum; illo enim alio onere non tenetur, quàm ut sincerè proponat sententias Auctorum, quos citat; quia non vult, ut homines in sua, sed in eorum, quos affert, auctoritate conscientiam deponant. Itaque si in eorum sententiis proponendis non erret, munus suum implet, nec ipse ulteriùs respondere tenetur, an qui sectantur illorum opiniones errent, nec ne, sed hoc onus in ipsos Auctores rejicitur, quorum auctoritate freti homines conscientiam suam formant. At longè minus periculum errandi est in auctoritatibus sincerè colligendis ac fideliter exponendis, quàm in directa casuum difficilium resolutione, ut patet. Ergò explicata casuum collectio pro formanda conscientia non est opus periculosius, sed multò minùs periculosum, quàm sit directa casuum resolutio, quam Theologus ex propria doctrina ac industria aliis sequendam proponit.

Periculum collectoris casuum minùs est, quàm periculū Theologi.

Idem collectorum periculum ostēditur minus Theologorum periculo.

8. Præterea collector casuum facillimè ac certò pervenit ad probabilitatem parem, aut majorem illâ, ad quam Theologus in sua resolutione pervenire potest; quia casuum collector ante oculos habet omnes rationes atque auctoritates utrique parti faventes, illasque facilè comparare potest, ac videre, quæ superant alias. Rursus si vel minimùm hæsitet, omittere potest dubias, atque certissimas tantùm gravissimasque auctoritates ac rationes proponere; neque enim tenetur omnes omnium opiniones coacervare, sed quas non novit esse certò probabiles omittere potest, ac debet. Rursus non tenetur ita mediare inter Deum & hominem, ut ipse nec nimium laxet, nec nimium arctet conscientias, quia eas nec arctare nec laxare intendit, sed solùm proponere doctrinam aliorum, quæ laxat, aut arctat. Si hoc agat, munus suum implet, nec aliud ab illo requiritur. Ergò illorum conditio non est periculosior, sed minùs periculosa, quàm conditio Theologorum, qui casus incertos suâ auctoritate probabiliter resolvunt ad praxim. Immeritò ergò reprehenduntur à Celladeo (si tamen ab eo reprehendantur, quia non sufficienter explicat in quos invehitur) tanquam ingenti periculo obnoxii, cùm ipsemet in longè majori periculo versetur, eò quòd propria auctoritate contra unanimem Theologorum omnium sententiam solus insurgat, eamque non solùm ut falsam, sed etiam ut periculosam rejiciat, atque ita mirum in modum conscientias arctet.

Celladei periculū majus est periculo Casistarum.

ASSERTIO TERTIA.

Qui meram opinionum historiam colligeret, etiamsi prorsus impotens esset ad discernendum rationes & auctoritates graves à levibus, faceret opus minimè omnium periculosum.

Onus meri historici opinionum, est minimè periculosū.

9. PROBATUR assertio, quæ sententiæ Celladei *in hac quæst.* diametraliter opponitur, si illa accipiatur (prout termini, quibus eam non semel proponit, accipiuntur & sonant) de meris historicis. Probatur, inquam, quia merus historicus non tenetur scire, an doctrina, quam refert, sit vera vel falsa, probabilis vel improbabilis, quia hoc ad ejus intentum non conducit. Puri enim historici opinionum nil interest qualitas doctrinæ, quam recenset; qui proinde ab omni culpa immunis est, suumque munus implet, si sinceram historiam texat, nec ulli attribuat, nisi quod revera docet. At hoc facilè præstari potest ab eo, qui ipsissima Auctorum verba & assertiones colligit, etsi nesciat quo fundamento id dixerint, aut quantæ auctoritatis fuerint Auctores, quos citat. Ut veritas hæc clarior appareat, finge aliquem agere merum opinionum historicum, atque ita præfari, se colligere tantùm opiniones, nec sollicitum esse, an veræ sint, an falsæ, an probabiles, an temerariæ, immò nec scire quidem, utrùm Auctores, quos citat, fuerint hæretici, nec ne, an scientiæ, quas recenset, fuerint condemnatæ nec ne, sed se solum in illud collimare, ut quid quisque senserit proferat, caveant proinde omnes, quas ex opinionibus recensitis in conscientiæ regulam assumant, se nullas qualificare, sed illud singulis pondus relinquere, quod ex rationibus & auctoritate suorum Auctorum & fauto-

fautorum habent; sibi nil vitio verti posse præter errorem in opinionibus recensendis, quem scit se vitasse, quia propriis singulorum verbis usus est. Hic homo esset merus opinionum historicus, qui nullum illis pondus adderet, ratione cujus lector illas veras potiùs habere posset, quàm falsas. Atqui talis homo opus periculosum non aggrederetur. Ergò meri opinionum historici, si ulli tales invenirentur, non essent in statu periculoso, sed opus minimè periculosum tractarent. Mirandum proinde est, Celladeum adeo vehementer insurrexisse adversus meros opinionum historicos, atque ex hoc ipso, quod *meri historici sint*, eos culpasse, atque periculi gravissimi coärguisse, cùm ex hoc titulo sint prorsus inculpabiles, & immunes ab omni periculo, ne opera legentium libros illorum ipsis culpæ vertantur.

Celladei error.

10. Verùm Celladeus hac vice non videtur satis advertisse ad sensum verborum suorum; si enim rectè perpendisset significationem horum terminorum: *Meri opinionum historici:* nunquam contendisset, eorum operam esse periculosam, atque, ob falsas ac improbabiles quas congerunt opiniones, sectantium illas peccata ipsis ad culpam imputari, quia oppositum est nimis perspicuum. Verùm aliud dixit, aliud dicere voluit Celladeus. Voluit dicere, eos casuum collectores periculosè agere, qui quasvis opiniones pro fundanda conscientia temerè congerunt, modò explicitè vel implicitè profiteantur, se eas tantùm opiniones collegisse, quas quivis tutò sequi potest. Hi enim, si aut ex impotentia nequeant, aut ex negligentia nolint discernere opiniones probabiles ab improbabilibus, haud dubiè temerè agunt, merenturque ut transgressiones sectantium opiniones ab illis collectas ipsis culpæ vertantur. Hoc, & hoc tantùm probant, quæ Celladeus *hac in quæst.* contra eos exaggerat. Verùm hi non sunt meri opinionum collectores, seu historici, quia non solùm interponunt suam auctoritatem ad fideliter narrandum quid alii senserint, quod est proprium meri historici, sed etiam eam interponunt ad obtinendam fidem, quòd selectas tantùm, tutas, ac certò probabiles opiniones selegerunt, quod meri historici munus non est, sed gravis ac periti Theologi. Itaque quamvis Celladeus meritò tales reprehendat, immeritò tamen eos vocat meros historicos, atque ideò minùs accuratè locutus fuisse deprehenditur, cùm res, quas in sermone comprehendit & supponit esse conjungibiles, sint prorsus contrariæ ac repugnantes; supponit enim eos esse meros historicos opinionum, qui præterquam quòd opiniones colligant, suam interponunt auctoritatem de qualitate opinionum, asseruntque se tutas tantùm ac probabiles opiniones diligenter selegisse, quod tamen est prorsus impossibile, ut patet. Rursus asserit opus meri historici esse periculosum, ac peccato obnoxium, quod certo certiùs verum non est, quando agit merum historicum, quia totum periculum versatur in eo solo, in quo deserit partes historici, atque illas Theologi assumit. Complexio ergo terminorum, qua Celladeus utitur, contradictoria atque inconsistentia continet, ac proinde necessariò procedit de subjecto non supponente. Hæc vera sunt, nec tamen adeò rigidus censor haberi volo, ut ea instar notabilis erroris proponenda putem, cùm si de collectoribus non autem de meris collectoribus loquatur, verum dicat, si illi temerè opiniones colligant, easque nihilominùs tanquam tutas proponant.

Celladeus ex inadvertentia ad sensum suorum verborum deceptus est.

Excusatur Celladeus quamvis utatur terminis contradictoria cōplectentibus.

ASSERTIO QUARTA.

Sæpè laudabile est & minimè periculosum; quòd viri imperiti, qui de rationibus Auctorum judicare nequeunt, diversos prò conscientia sua dirigenda à probatis Auctoribus casus colligant.

11. PROBATUR assertio. Sit homo atheologus, sed probus ac timens Deum, sufficienti quidem doctrinâ instructus, ut intelligat, quid Auctores dicant, sed insufficienti, ut rationum ac motivorum, quibus sententiam suam stabiliunt, vim discernat. Talis homo ex communi omnium prorsus consensu scire potest, auctoritatem S. Thomæ, Caietani, Suarii, Toleti, & Sanchez in rebus moralibus esse gravissimam, adeoque concludere potest, sibi licitum esse sequi opinionem, in qua omnes isti conveniunt, quia absque temeritate præsumere potest, omnes illos non errasse, & consequenter absque temeritate, probabiliter, prudenter, & invincibiliter credere potest, objectum verè esse bonum, & licitum, quod illi licitum esse affirmant. Securus proinde erit se non peccare illorum opinioni se accommodando. Hæc securitas eò auctior evadet, quò idem homo post probos ac peritos plurimos singulariter consultos, omnes uno ore indubitanter affirmantes audierit, quemcumque atheologum securâ conscientiâ & absque peccato facere posse, quod certò novit ab omnibus istis proponi ut licitum. Legat ergò hos Auctores, atque opiniones morales, in quibus omnes conveniunt, in historiam, seu in indicem colligat, dico talem historiam esse illi valdè proficuam atque utilem, tum ut consultet, tum ut etiam operetur juxta illius præscriptum. Ratio est, quia talis homo vi collectionis, seu, ut cum Celladeo loquar, vi historiæ suæ rectè & invincibiliter formare potest conscientiam suam; nam ob extrinsecam auctoritatem, prudenter, probabiliter, atque invincibiliter credere potest, objectum illud esse licitum, ac divinæ legi conforme. Tantùm ergò abest, ut hujusmodi vir, etsi purus historicus, non possit formare conscientiam, quod opus sit conforme legi divinæ, prout Celladeus supponere aut etiam implicitè saltem affirmare videtur, ut oppositum sit certissimum; quamvis enim ob incapacitatem aut imperitiam nequeat talem conscientiam formare ex rationibus, quarum vim non discernit, eam tamen vi auctoritatis gravissimæ formare potest, atque ita tutò ad operandum, aut consulendum procedere.

Imperiti sine periculo colligere possunt opiniones morales pro operando & consulendo.

12. Hinc autem pergo ad alia exempla hujusmodi, & sic discurro. Omnis idiota, qui certò scire potest, quæ auctoritas sufficiat ad conscientiam suam invincibiliter formandam, & ad credendum, quòd opus sit licitum, absque ullo periculo colligere potest casus, & quandam eorum historiam texere, quâ postea utatur ad conscientiam suam formandam, quia absque dubio invincibiliter credit tali auctoritati, atque ob eam absque temeritate reputat opus, quod aggreditur, esse licitum. Atqui plures etiam idiotæ possunt certò scire ac discernere talem auctoritatem. Puta si quis adiisset S. Carolum Borromeum, S. Franciscum Salesium, aut Cardinalem Bellarminium, postquam evaserant viri notissimæ prudentiæ, scientiæ, ac probitatis, atque ab illis hoc responsum tulisset, *tale & tale opus est licitum &c.* Is

Idem locū habet etiam in idiotis.

 optimè

optimè sciret auctoritatem, cui credit, esse gravem, atque se illi credendo aut verum dicere, aut certè non nisi invincibiliter errare. Ergò talis homo ex ejusmodi responsis laudabiliter atque utiliter sententias colligeret, atque ad praxim suam regulandam retineret.

Casuum collectores defenduntur.

13. Atque hinc justificantur, & à Celladei accusatione defenduntur omnes casuum collectores, qui meritò judicant, sententias à se collectas legi divinæ conformes esse. At omnes, qui casus scribunt, non difficulter hoc præstare possunt. Immò omnes fermè in omnibus id de facto præstiterunt. Omnia enim, quæ proposuerunt ut licita, si pauca excipias, magno ducti fundamento judicârunt esse legi divinæ conformia. Plurima quidem ex vi rationum directarum, reliqua verò ex vi discursûs reflexi. Cùm enim tam ex auctoritatibus quàm ex rationibus reflexis meritò judicarent, usum omnis opinionis directè probabilis esse absolutè licitum; cùmque ex alia parte essent viri docti, & absque magna difficultate certò scirent quænam opiniones juxta mentem Auctorum benignæ sententiæ essent directè probabiles, absque magna difficultate implere poterant munus suum, quia facilè illis erat ea solùm proponere, quæ non temerè, sed meritò judicabant esse conformia voluntati divinæ. Ergò munus illorum non est adeo periculosum, ut Celladeus videtur insinuare; imò, omnibus inspectis, est longè minùs periculosum, quàm officium Theologi, qui omnia ex propria ratione resolvit, ut antea ostensum est.

Munus Casuistarū minus periculosum est, quàm munus Theologorum.

Scio aliquos Casuistas in proponendis ac colligendis casibus debitâ cautelâ alicubi usos non esse, sed hoc non muneri, sed negligentiæ illorum tribuendum est, sicut tribui debet negligentiæ non muneri Theologi, quando ille absque debita cautelâ casum resolvit. Et sanè error iste non infrequentiùs contingit in resolutione Theologi, quàm in collectione Casuistæ, immò si omnia spectentur, haud dubium, quin errores & defectus istiusmodi in resolutionem Theologicam frequentiùs irrepant, quàm in collectionem casuisticam, idque cum majori periculo; quia resolutiones Theologicæ plerumque privatæ sunt, nec omnium censuris exponuntur, sicut collectio casuum in lucem edita; illa enim innumeris censoribus exponitur, qui minùs rectè digesta carpunt, & malo, quod irrepsit, remedium apponunt. Itaque non est cur Theologus hujusmodi collectores carpat, aut eis periculum objiciat, cùm ipsius officium istorum munere sit longè periculosius.

ASSERTIO QUINTA.

Qui casus colligeret, nec quidquam de eorum conformitate cum lege divina curaret, neque judicare posset, an essent divinæ legi conformes nec ne, malè ageret, si illas expressè vel tacitè proponeret pro regula ritè formandi conscientiam.

Qui casuū Collectores culpandi?

14. PROBATUR. Talis homo ingentis temeritatis reus esset, quia doceret, quæ nesciret; atque ea ut licita proponeret, quæ ex nullo fundamento judicare posset esse talia. Ergò haud dubiè Dei legem plurimis transgressionibus temerè exponeret, eoque capite reus esset omnium transgressionum, quas alii ipsius auctoritate nixi patrarent. Ergò talis casuum collector periculosè, imò absolutè malè ageret, si eos pro conscientia regulanda expressè vel tacitè proponeret; id est, sive expressè declararet, se ad praxim casus collegisse, sive nil prorsus præfaretur, quia eo ipso tacitè declararet, se proponere casus illos tanquam sufficientes pro conscientia debitè formanda, quia tales libri ad alium effectum edi non solent.

Collectores casuum quandonam peccant, si casus collectos pro formanda conscientia proponant?

15. Probatur 2. rationibus à Celladeo allatis, quæ assertionem hanc validissimè confirmant. Primò, tales videntur esse illi, quos proponit & damnat Apostolus *1. ad Timoth. 1. Volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Secundò S. Aug. *serm. 112. de tempore* hæc habet, *Sæpiùs cæcus offendit, quàm videns: sic ignorans legem Dei sæpiùs ignoranter peccat, quàm ille, qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine Doctore rectam viam vix graditur:* ideoque hortatur eos, qui sacras literas legere & intelligere possunt, ut frequenti earum meditatione utantur, impotentes autem hæc præstare hortatur, ut interpretantem diligentiùs audiant. Jam ista cadunt in eum, qui aut non curat, aut discernere nequit, quæ colligit, quia ipse legem ignorat, cùm aut non curet, aut nequeat scire, an opinio, quam proponit, sit contra legem Dei. Ergò temerè eam proponit tanquam legi divinæ conformem, cùm casualiter & fortuitò procedat in eligendis opinionibus, quas proponit pro licitis. Tertiò, nemo nisi temerè sequi posset ductum talis viri, si sciret quâ ratione opiniones illas collegisset; quia si hoc sciret, & eo non obstante sequi vellet tales opiniones ut licitas, in illis sequendis ita se haberet, sicut cæcus, qui dirigi vellet ab eo, quem nosset aut non curare, aut non posse discernere viam à præcipitio. Itaque omnis error illi imputaretur sequendo ductum talis ducis, sicut præcipitium imputaretur cæco, qui ductorem eligeret, de quo existimare non posset, quòd viam à præcipitio discerneret. Quartò, qui citò & leviter credit, temerarius est & imprudens, & si malum operetur, id ipsi imputatur. Atqui collector casuum, de quo procedit conclusio, aut nullo modo, aut non nisi leviter credit illud bonū esse, quod proponit ut licitum. Ergò imprudens est, & si ex illa fide malum operetur ipse, aut alius, cui normam operandi præscribit, id ipsi imputabitur. Quintò, leges amicitiæ & servitutis postulant, ne amicus aut famulus in exequenda voluntate amici ac domini ita se gerat, sicut proponitur in assertione; nam qui non curaret, aut non posset discernere, an res esset contra voluntatem Domini aut amici, excusari non posset, si contra voluntatem Domini aut amici ageret, nec quisquam vellet habere talem famulum, aut amicum. Eadem autem ratio multò magis urget obligationem nostram respectu Dei, qui supremus omnium Dominus est, summusque bonorum amicus. Sextò, non minùs tenemur ad faciendam voluntatem Dei præceptivam, seu ad non violandam Dei legem, quàm teneamur ad non occidendum. Sed peccat & reus est homicidii, qui ponit actionem, de qua nequit formare judicium, quod illa potiùs non sit quàm sit occisio. Ergò peccat, qui ponit actionem, de qua nequit judicare an sit vel non sit violatura legem Dei. Imò hinc sequitur, quòd nil in ullo casu legis violatæ excusare possit, nisi quod excusat in homicidio, scilicet unica & sola ignorantia invincibilis. Hanc autem ignorantiam non habet, qui operari vel consulere vult, quando non magis videt legem non violandam, quàm violandam per talem actionem, ut videre est in homicidio. Septimò, *Deuteronomii 17.* hæc habentur. *Si difficile & ambi-*

Rationes ad assertionem probādam validæ.

& ambiguum apud te judicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Hic locus probat licitum non esse operari, quando res ob difficultatem est ambigua, sed veritatem judicii esse investigandam. Jam Collectores casuum, de quibus loquimur, non possunt formare judicium de veritate. Ergò peccant, dum talia proponunt ut licita. Sanè cùm videant Auctorum verba variari, nec possint discernere quis eorum verum dicat, non habent sufficiens fundamentum formandi conscientiam; quia si sola Judicum, seu Auctorum variantium sententia sufficeret, opus non esset ipsam judicii veritatem ulteriùs investigare, quia sine ulteriori inquisitione opus omni formali malitiâ careret, & esset bonum.

Inutilis Celladei labor. 16. Hæ rationes, quas Celladeus *in hac quæst.* accumulavit, validæ quidem sunt ad præsentem assertionem comprobandam, quia in terminis illam evincunt, sed priores conclusiones ne quidem tangunt, ut patet. Unde mirum est, Celladeum in quæstione ista tam operosè laborasse, cùm labor iste ad intentum operis nil penitus conducat; quia nemo est, qui ultimam hanc assertionem defendat; certum enim est, quòd Auctores benignæ sententiæ ad solas priores se restringant.

Argumenta Celladei nō impetunt benignam sententiam. 17. Et sanè quicumque genuinum benignæ sententiæ sensum inspexerit, clarè perspiciet, argumenta ista nec illam impetere, nec serios casuum collectores ullatenus redarguere, quia sensus benignæ sententiæ est, quòd ut licitè operemur, debeamus ex ratione vel auctoritate gravi, & ad minimum probabili formare conscientiam, quod opus liceat; nisi enim quis hoc modo bonæ fidei conscientiam formet, non excusatur. Præterea loquimur tantùm pro casu, in quo veritas directa ita lateat, ut per humanam ac debitam diligentiam certò sciri non possit; si enim veritas per diligentiam debitam certò sciri posset, nemo excusaretur; quia nemo nisi per negligentiam culpabilem veritatem ignoraret. Jam hisce ante mentis oculum habitis, rationes Celladei relegantur, & earum nullitas adversus benignam sententiam apertè constabit.

Solvitur objectio prima. 18. Inprimis locus Apostoli tales non tangit, quia Apostolus loquitur de quibusdam Judeis ad fidem conversis, qui aliter docebant, quàm ipse docuerat, quique fabulis, & genealogiis interminatis intendebant, & nominatim contendebant, legem servandam esse cum Evangelio, de quibus verissimè dicit, quod vellent Magistri fieri, cùm non intelligerent neque principia, quibus uterentur, nec conclusiones, quas deducebant. Præterea agebant de rebus, pro quibus intelligendis certa regula haberi poterat, & per oppositam Pauli doctrinam jam tum habebatur. At nil simile est in casu nostro. Rursus Auctores, de quibus nos loquimur, probè, & sicut fert humana conditio, intelligunt, quæ loquuntur, & de quibus affirmant, nec aliud in præceptore requiritur in rebus incertis, pro quarum veritate certò habendâ certa regula hominibus non suppetit. Itaque locus iste nec ad nostram sententiam, nec ad serios & industrios casuum collectores collimat.

19. Quod secundo loco affertur ex Aug. minus urget, quia manifestè loquitur de ignorantia vincibili, quam homo vel legendo vel audiendo superare potest. At nos loquimur in casu ignorantiæ insuperabilis, quando scilicet veritas certò sciri non potest, & tunc etiam exigimus, ut veritas ipsa & Dei voluntas juxta capacitatem humanam reperiatur, ac probabiliter credatur. Nil contra hoc ex isto Augustini loco inferri potest. Objectio 2. solvitur.

20. Exemplum legis divinæ ignoratæ, & cæci tertio loco adductum, demonstrat quidem ultimam assertionem, sed alias non impetit. Cæterùm *quòd via salutis per quam ambulandum nobis est, sit Dei lex, quòdque beati sint, qui ambulant in lege Domini, & è contra, qui eam nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulent*, quæ Celladeus hic ponderat, verissima sunt de lege, quam scire possumus & debemus; illa enim est via, per quam incedere, & regula, ad quam actiones nostras conformare debemus. At lex insuperabiliter latens non potest esse regula, cùm vim legis ac regulæ dirigentis non habeat. Porrò quando Lex aliqua insuperabiliter nos latet, ambulamus quidem aliquo modo in tenebris, quia veritatem ignoramus, ambulamus tamen per viam, in qua nec offendiculum, nec præcipitium ullum invenitur; ideoque tenebræ illæ à certa salutis via tenenda nos non impediunt. Imò in hoc ipso casu lex & voluntas Dei, quam sequi possumus, non penitus ignoratur, quia directè loquendo scitur probabiliter, ideoque non penitus ambulamus in tenebris, sed sequimur legem Dei meliore modo, quo possumus, & reflexè quidem scimus, nos in iis circumstantiis versari, in quibus voluntas Dei est, ut talia facere possimus. Objectio 3. solvitur.

21. Ad quartum, certum est tam ex ipsa hypothesi omnium assertionum *hujus quæst.* demptâ ultimâ, quàm ex indubitato sensu benignæ sententiæ, quod seduli & serii casuum collectores, & qui eos sequuntur, non temerè credant ea esse licita, quæ ab ipsis pro talibus proponuntur. Nulla ergò est hæc objectio. Objectio 4. solvitur.

22. Leges amicitiæ & servitutis, quinto loco propositæ, postulant quidem, ne quis temerè faciat contra voluntatem Domini aut Amici, quodque, qui aliter faciant, digni sunt reprehensione, quando operantur contra voluntatem eorum, quam scire poterant & debebant. At si loquamur de actione contra voluntatem Domini vel amici, quæ invincibiliter ignoratur, non est contra, sed juxta leges amicitiæ & servitutis, ut ea fiant, quæ post diligentiam adhibitam ultimato judicio ipsorum voluntati creduntur esse conformia, quamvis oppositum per accidens contingat. Hoc multò magis valet respectu Dei, qui nullius commodi aut incommodi capax est, quique proinde cor operantis intuetur; unde quoties videt illum ea tantùm facientem, quæ invincibiliter credit Deo grata esse, non solùm non aversatur opus illius, sed etiam in eo delectatur. Quod maximè verum est, quando res incertæ, certò tamen probabiles, directè consideratæ, creduntur licitæ; tunc enim præter considerationem reflexam & generalem persuasionem quòd probabilia liceant, ipsamet directa persuasio de honestate operis est invincibilis, & consequenter in genere suo sufficit ad fundandam actionem honestam, etsi solùm respiciamus ad objectum secundùm se, & non reflectamus ad principia reflexa, & circumstantias, in quas reflexa consideratio fertur, ad quas recurrendum est, quoties conscientia & bona Objectio 5. solvitur.

bona fides ex rationibus directis non formatur.

Deus non est sicut cæteri amici.

23. Cæterùm Deus non est, sicut cæteri amici, qui ignorant circumstantias, in quibus amici sui versantur; nec spectat ad eos determinare, quomodò amici se gerere debeant. Sed Deus tanquam supremus legislator omnia intuetur, & pro omnibus casibus statuit quid sit agendum. Inter reliqua autem statuit, quòd stante insuperabili ignorantiâ legis, bonâque fide rationabiliter formatâ, liceat secundùm illam operari. Unde qui sequuntur benignam sententiam, non transgrediuntur leges amicitiæ cum Deo, sed faciunt quod ei verè placet, & quod ipsi etiam illi placere existimant.

Obi ctio 6. solvitur.

24. Ad sextam. Admitto paritatem inter homicidium & alia prohibita, & fateor nullum illorum licitè poni, nisi formetur conscientia quòd sit licitum, & à Deo permissum. Rursus verum etiam est, quòd nil excuset in aliis, nisi quod excusat in homicidio; sed falsum est, quòd hoc sit sola & unica ignorantia invincibilis; illa enim sola non excusat, cùm præter illam bona conscientiæ fides requiratur; & quidem utraque semper requiritur, ut actio quævis sit honesta, quia quâvis illarum ablatâ, actio evadit turpis & imputabilis, ut constat ex *1. 2.* ubi agitur de conscientia.

27. Ultimum argumentum, ut jacet, probat quidem ultimam assertionem, sed priores non impugnat. Itaque sicut ex una parte Celladeus ultra debitum casuum collectores *in hac quæst.* periculi accusavit, ita ex altera parte nil attulit, quod benignæ sententiæ repugnat, aut de illa difficultatem ingerat. Illa enim docet, nunquam in ambiguo operandum esse, sed peccatum inevitabiliter imminere, nisi conscientia & bona fides, quâ opus creditur esse conforme voluntati divinæ, ex rationabili motivo formetur. Quæ cùm certa sint, ad alia progrediendum est.

Solvitur ultima objectio.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm obedire liceat contra propriam opinionem?

Celladeus quid in hac quæst. egerit?

1. ATERIAM hanc Celladeus tractat *lib. 3. quæst. 14.* illique tres alias quæstiones quasi præambulas præmittit, nempe *11. 12. & 13.* in quibus & fusè & benè probat, nemini licitum esse operari, aut consulere contra propriam opinionem, speculativè & practicè talem, eam retinendo, & in sensu composito. Huic ejus doctrinæ, quoad substantiam, & ego assentior, quia vera est, eamque ex professo tradidi ac probavi *quæst. 30. de Consc. prob.* Verùm hoc in Celladeo displicet, quòd in suo discursu absque debita rerum ac terminorum distinctione procedat. Quocirca, ne ipse ejusdem accusationis reus evadam, congruum, imò necessarium putavi terminos explicare; quod ita breviter præstabo, ut lector non solùm habeat, unde absque æquivocatione præsentem quæstionem intelligat, sed abundè instructus sit, ut absque deceptionis periculo percurrere possit, quæ Celladeus tradit tribus illis quæstionibus præliminaribus, de quibus proximè mentionem feci.

TERMINORUM EXPLICATIO.

Homo multipliciter operari & consulere potest contra propriam opinionem.

2. MULTIPLICITER operari & consulere potest homo contra propriam opinionem. Primò, contra opinionem habitualem, quàm habitualiter tenet. Secundò, contra opinionem propriam actualem, seu actu existentem, dum operatur.

Rursus opinio actualis potest esse vel prorsus absoluta ac finalis sententia, vel solùm absoluta & finalis secundùm quid, nempe, quantum est ex vi rationum ac auctoritatum directè probantium.

Tertiò, operans contra propriam opinionem quando venitur ad opus, potest eam deponere, vel non deponere. Si eam deponat, videndum est, quomodò eam deponat, an per solam suspensionem omnis judicii, ut maneat actu dubitans? an per judicium contrarium, attendendum est, an hoc cum sufficienti, an sine sufficienti fundamento fiat?

Celladeus unâ tantum ex dictis sensibus impugnat.

3. Jam de his omnibus dispar est ratio, ut latè ostendi *quæst. 30. de consc. prob.* Porrò argumenta Celladei solùm probant, licitum non esse operari contra actualem opinionem ultimatam non depositam, quod verissimum esse judico; reliqui autem sensus ac distinctiones, quibus meam hac de re sententiam loco citato proposui, non impugnant. Itaque cùm allata terminorum distinctio omnem inter nos quoad ea, quæ tribus quæstionibus prioribus à Celladeo agitantur, controversiam dirimat, illis examinandis non immorabor: qui enim cum harum distinctionum præcautione eas legerit, facilè veritatem deteget, idque absque periculo errandi circa quæstionem ipsam in sensu, quo illam admitto; immò multa & valida argumenta ad eam efficaciter confirmandam reperiet, pro quibus sua Celladeo laus debetur.

Qui opinatur, omnia contraria ut falsa ac fallacia repellit.

4. Unum tamen diligenter observandum est ex *quæst. 12.* ubi ob indistinctionem terminorum periculum est, ne grandis error Lectori obrepat. Contendit Celladeus, & benè, neminem opinari posse aliquid contra alios contrarium tenentes, quin simul rejiciat oppositas rationes ut falsas, auctoritatemque tenentium contrarium ut fallacem, ac deceptam repellat. Unde infert, intellectum semper ita judicare de objecto, quod verum esse affirmat, ut rationes & auctoritates contrarias sibi repræsentatas repellat ut fallaces & insufficientes, nisi ponat enunciationem non absolutam, sed secundùm quid & restrictam, qualem poneret, qui expressè diceret, se non agere de objecto aliquo, prout substat revelationi & auctoritati

ctoritati divinæ V. G. sed solùm prout ratione naturali confirmatur.

Celladeus cautè legendus. 5. Hæc vera sunt, sed quod Celladeus ex illis inferre videtur est falsissimum; scilicet, quòd qui directè considerat rem aliquam, illamque, aliorum auctoritate & rationibus non obstantibus, enunciat esse malam, non possit uti syllogismo illo reflexo. *Omne probabiliter bonum est licitum. Hic contractus est probabiliter bonus. Ergò est licitus.* Quia ut illo utatur, existimare debet, contractum illum esse licitum, quem tamen supponitur credere esse illicitum. At hoc fieri nequit, quia homo ea ratione simul rejiceret & approbaret eandem auctoritatem in ordine ad propositiones sibi contradicentes, quod est impossibile.

Qui directè tenet contra aliquem, potest in reflexa consideratione ex illius auctoritate credere illud esse licitum. 6. Et sanè ita in hac re Celladeus loquitur, ut videatur velle inferre, quòd qui contra rationes & auctoritatem Suarii & aliorum, tenet aliquid esse illicitum, nullatenus possit ex illorum auctoritate & ratione formare sibi conscientiam, quòd res illa sit simpliciter licita. Si Celladeus hoc sibi velit, haud dubiè fallitur, quia non est, cur rationes & auctoritas Suarii & aliorum non possint eâ ratione me movere ad utrumque illud afferendum, sicut rationes similes moverunt ipsum Suarium & alios ad simul enunciandum utrumque de multis aliis objectis. Quis non novit, Suarium & alios sæpè tenere aliquid esse illicitum, de quo tamen statim enunciant, illud esse in praxi tutum? Cur ergò non poterunt rationes & auctoritates illæ eâdem ratione me movere ad idem dicendum, ad quod affirmandum illos moverunt? Nulla in his est oppositio aut contradictio; quia quando Auctores ita enunciant, non considerant rem illam in ordine ad easdem, sed in ordine ad diversas circumstantias. In prima propositione considerant objectum directè per rationes & titulos ex natura rei cum illo connexos, & dum aliud non considerant, absolutè dicunt illud esse illicitum. At postea reflectentes ad rei incertitudinem, & ad probabilitatem oppositi, iterum considerant objectum illud reflexè, & ex novis ac reflexis rationibus dicunt, illud omnibus inspectis esse licitum, tum quia lex illud prohibens non est sufficienter promulgata; tum quia in incertis melior est conditio libertatis possidentis; tum quia veritas ipsa insuperabiliter & invincibiliter ignoratur; tum demùm ob alias causas, quas ponderant, & ad reflexam suam de licito probabilium usu sententiam stabiliendam afferunt. Itaque judicia ista non sunt contradictoria, quia quod unum negat de hoc objecto, ut hisce præcisè circumstantiis substante, alterum affirmat de eodem sub circumstantiis longè diversis considerato. Quòd si primum judicium ex ultimato quodam modo enunciandi, aut aliunde conjungi nequeat cum secundo, in eo casu non licebit contra illam sententiam actualem agere, quia eâ stante bona fides formari non poterit, ut *quæst. 30. de Consc. prob.* dictum est.

Nec tamen approbat & reprobat idem in ordine ad idē. 7. Cæterùm in istiusmodi casu intellectus non rejicit & approbat eandem auctoritatem in ordine ad idem objectum, quia in primo casu repellit quidem rationem & auctoritatem Suarii & aliorum, in quantum illorum auctoritas versatur circa rationes directè tantùm probantes rem illam esse licitam, quia hoc tantùm modo auctoritas & rationes illorum ipsi contradicunt: at non contemnit nec repellit eorum auctoritatem in ordine ad rationes reflexas, immò verò ipsis expresè subscribit. Itaque absurdum à Celladeo objectum non sequitur, sed è contrario legitimè infertur, quòd homo operari possit contra propriam opinionem actualem directam, modò illa non sit prorsus absolutè ac ultimatè definitiva, sed formaliter vel virtualiter solùm feratur in rem illam prout consideratur ex vi rationum directè probantium, atque ita relinquit locum ulteriori deliberationi reflexæ ac ultimatæ.

8. Hâc observatione præmissâ, ne Lector ex minùs distincta Celladei locutione per æquivocationem decipiatur, accedo ad discutiendam *quæst 14* ubi quærit, an subditus teneatur obedire superiori contra propriam opinionem de peccato? hac de re fusè egi *quæst. 22. de Consc. prob. num. 79. & seq.* Non erit autem abs re, si Lector ibi dicta diligenter inspiciat. Cæterùm si aut noluerit, aut non potuerit ea inspicere, spero hîc dicenda abundè suffectura ad ea evertenda, in quibus Celladeus discrepat à communi utrâque sententiâ, quam hic breviter declarandum assumo. Intentum hujus quæstionis.

ASSERTIO PRIMA.

Subditus tenetur obedire contra propriam opinionem actualem, quando judicium ipsius nil enunciat de peccato, sed solùm de magis vel minùs bono.

9 PROBATUR assertio (cui Celladeus §. 1. consentit) quia opus præceptum in tali casu est licitum. Ergò subditus peccat, si nolit obedire; manifestè enim facit contra votum, quo voluntati suæ renunciavit, illamque in Superioris sui manum & dispositionem transtulit. Præterea, judicium subditi, contrarium judicio superioris, non est impedimento, quò minùs conformitas voluntatum servetur; neque ullum apparet malum, sed magnum bonum in eo, quòd subditus obediat contra suum judicium. Ergò haud dubiè tenetur obedire contra illud, etiamsi illud non deponat, cùm nil sit, quod inobedientiam ejus honestare, aut obedientiam inhonestare possit. Et ita omnes tenent. Aliquando subditus tenetur obedire contra propriam opinionem, etiam ultimatam & actualem.

ASSERTIO SECUNDA.

In rebus incertis subditus obedire tenetur.

10. HANC assertionem sic probat Celladeus, qui dicit eam esse certam. Subditus, inquit, non tenetur scire, & examinare, an superior recta præcipiat, nec ne; sed ubi nescit, præsumere debet, quòd recta præcipiat. Mox citat *caput, quid culpatur 23 quæst. 1.* ubi Aug. *lib. 22. contra Faustum manichæum cap. 74.* & ex eo Theologi docent, quod subditi, ut militent in excercitu sui Principis, non teneantur examinare, & nosse justitiam belli. Ita ille. Verùm hæc ratio, sic proposita, non est universalis; quamvis enim locum habeat, quoties probitas & doctrina superioris talis est, ut respectu subditi fundet præsumptionem, quòd superior recta præcipiat (quod plerumque locum habet respectu subditorum imperitorum, maximè Religiosorum, & eorum, qui à probis & peritis Ecclesiasticis gubernantur) tamen respectu peritorum & sagacium scientia & probitas superioris sæpè tanta non est, ut illa fundet dictam præsumptionem; maximè quando illimet casum examinârunt, & ab ipso superiore in consilium ac deliberationem adhibiti fuerunt. In tali In rebus incertis subditus obedire tenetur.

tali enim casu non apparet, unde subditus præsumere possit, superiorem rectè præcipere, cùm ille omnibus benè ponderatis, rem dubiam esse censuerit, aut absolutè malam judicaverit, nec habeat rationem novam nunc aliter sentiendi. Ergò non debet, & fortassè non potest ita præsumere. Tenetur tamen obedire. Præterea Aug. *in cap. quid culpatur*, non dicit, subditum militantem debere præsumere bellum esse justum, ut ex ipsis Canonis verbis mox constabit, sed solùm requirit ne sciat bellum esse injustum. Ergò ratio Celladei non est sufficiens ad probandum intentum; & auctoritas, quam affert, nec dicit, nec infert illud, ad quod comprobandum ab illo allegari videtur, nempe, quòd subditus in dubio præsumere possit ac debeat rectà præcipi, atque ideo teneatur obedire.

Ratio Cellatei insufficiens.

11. Probatur ergò primò auctoritate irrefragabili omnium Sanctorum ac Theologorum, omniumque Magistrorum vitæ spiritualis, qui de obedientia subditorum scripserunt. Inprimis in *dicto cap. quid culpatur.* Augustinus hæc habet. *Ergò vir justus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ecce, ex mente Augustini, subditi Regis etiam sacrilegi, qui fortè reus est imperando iniqua, illo jubente, licitè bellant, dummodò non sit certum, quòd contra Dei præceptum imperet. At non est certum, quod contra Dei præceptum imperet, etiam quando, omnibus inspectis, honestas belli est dubia, nec adest sufficiens præsumptio de honestate belli. Ergò tunc etiam obediendum est. Ratio Aug. ingeniosa est & benè perpendenda; honestatem enim bellandi refundit in ordinis observantiam, quia ordo reipublicæ consurgit ex mutuo respectu inter Principem & subditos. Princeps tenetur subditos tutari, subditi tenentur Principi obedire, non solùm quando certum est quòd bona præcipiat, sed etiam quando non est certum quòd jubeat mala; si enim in casu hujus dubii subditus resilire posset, ordo reipublicæ & interna pax læderetur; quæ certa læsio plus mali in se continet, quàm periculum solum violandi legem Dei, quod ex dubio ac incertitudine oritur. Et quidem Deus ipse hujus ordinis auctor est, illumque servari jubet. Unde quando certum est ordinem turbari, incertum autem, an malum etiam materialiter fiat, certæ legi obtemperandum est potiùs quàm incertæ. Itaque ratio hæc fundatur in ipso statu reipublicæ, seu in statu fundante superioritatem, & subjectionem, qui status plura secum fert commoda quàm incommoda, ideoque necessariò honestat aliqua, quæ honesta non essent, dempto statu illo, qui indivisibiliter respicit plura modo humano gerenda, quorum aliqua secundùm se sunt inconvenientia, sed prout subsunt illi statui, idest, prout subsunt legi Dei instituenti ac approbanti illum statum, sunt inhonesta. Itaque ratio Augustini eadem prorsus est cum illa, quæ fundatur in ipso statu constituente superiorem & subditum, quam prosecutus sum *quæst. 23. de Consc. prob. num. 83.*

Textus & mens Aug. expenditur.

Quid requiratur & sufficiat, ut subditi licitè bellent?

12. S. Bernardus *tract. de præcepto & dispensatione cap. 12.* hæc habet. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Mox objicit sibi. *Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ, & in præcipiendis fallere possunt.* Sed statim respondet. *Sed enim quid hoc refert tuâ, qui conscius non es &c.* Et tandem sic concludit. *Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus.*

S. Bernardus.

S. Bonaventura *in speculo disciplinæ cap. 4.* primam illam Bernardi sententiam de verbo ad verbum usurpavit, ideoque haud dubiè per omnia Bernardo consentit.

S. Bonaventura.

Humbertus, Ordinis Prædicatorum Generalis V, *lib. 5. de eruditione Religiosorum cap. 1.* hæc habet. *Obedientia hominem de Dei placito certificat: nisi enim apertè sit malum, quod à superiore præcipitur, sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur.*

Humbertus.

S. Bernardinus Senensis *in dialogo de obedientia. Ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet.* Hoc est, ut ibi explicat, quando dubium est fundatum, & tale, ut inhonestas probari non possit, tunc obediendum est. *At si dubium sit voluntarium & affectatum, ac irrationabile, ut si dubitetur de eo, quod apud omnes constat esse mortale, vel veniale peccatum, hujusmodi dubietas, cùm ex ignorantia juris proveniat, non excusat ad minùs à toto.* Ita Bernardinus.

S. Bernardinus Senensis.

S. Ignatius Loyola Societatis nostræ Fundator sæpissimè istam doctrinam tradit, *3. Par. const cap. 1. §. 23.* dicit obediendum esse *in omnibus rebus, ubi peccatum non cerneretur*, quod explicans *p. 6. cap. 1.* dicit, *in omnibus rebus, ad quas potest obedientia cum charitate se extendere.* Ubi in *Declarat. litt. B. dicitur. Hujusmodi sunt illæ omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum.* Rursus in *Epist. de obedientia* hæc habet. *Est igitur hæc ratio subjiciendi proprii judicii, ac sine ulla quæstione sanciendi, & collaudandi apud se, quodcumque superior jusserit, non solùm sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjunctæ non sunt.*

S. Ignatius Loyola.

13. Eadem est doctrina antiquissimorum ac sapientissimorum Theologorum. Halensis *parte 2. quæst. 121. membro 3. art. 2.* docet, subditum in obscuris debere obedire Prælato, quodque præceptum superioris plus obliget, quàm conscientia subditi præcipiens oppositum. Idem docet S. Bonaventura *in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3.* Astesanus. *lib. 2. tit. 3. art. 2.* Gerson. *de pollut. nocturna, consideratio. 3.* Nider in Consolatorio. *part. 3. cap. 17.* ibique pro se citat Raymundum, & Henricum Gandensem. Dionysius Carthusianus *in 2. dist. 39. & 44. quæst. ultimâ*, nec quemquam inveni, qui contrarium teneat.

Theologi sanctis Patribus consentiunt.

14. Confirmatur. *In cap. Dominus, de secundis nuptiis.* Lucius III. declarat ac definit, quòd qui absque certitudine de prioris conjugis morte ad secundas nuptias transierint, quamdiu existimant dubium esse, an prior conjux superstit, socio postulanti debitum negare non debeant, quamvis illi id exigere non possint. Rursus Innocentius III. *in cap. inquisitioni, de sent excom.* expressè tradit, quòd conjux, quando conscientia pulsat animum illius ex credulitate probabili & discreta, non tamen evidenti & manifesta, de impedimento matrimonii, licitè possit reddere debitum, sed postulare non debeat, & rationem dat, *ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Hinc sic arguo. Ita se habet subditus ad superiorem exigentem obedientiam, sicut conjux ad consortem exigentem debitum; quia sicut ordo & lex matrimonii postulat,

Probatur argumento ducto ex sacris Canonibus.

stulat, ut debitum reddatur petenti, ita ordo & lex obedientiæ postulat ut inferior superiori jubenti & ordinanti obediat. Præterea sicut matrimonium est sacramentum, & status, quo vir & mulier sibi mutuò legitimè sua corpora tradunt ad perpetuam vitæ societatem, ad finem prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ, ita professio religiosa, aut etiam subjectio Principi, est status quidam, quo Religiosus quidem sua se libertate privat, atque illam in superioris sui arbitrium transfert, subditus verò Principi, cujus est bono publico invigilare, subditur, illique obedire tenetur. Itaque haud dubiè ita se habet subditus ad superiorem in ordine ad obediendum & debitum obedientiæ, sicut conjux ad consortem in ordine ad reddendum debitum. Atqui certum est ex definitione Pontificum, quòd conjux, sive bona sive mala fide contraxit (nam Lucius loquitur de contrahente mala fide, Innocentius verò non supponit malam fidem præcessisse, sed aut loquitur de contrahente bona fide, aut ab utroque præscindit) licitè possit ac debeat reddere debitum conjugale, etsi dubitet, imò etsi probabiliter credat matrimonium non subsistere. Ergò eodem modo subditus & potest & debet obedire tametsi dubitet, imò & probabiliter credat rem præceptam esse illicitam; quia nil est, quod honestare possit redditionem debiti in illis circumstantiis, quod æquo jure in similibus circumstantiis obedientiam non honestet.

Subditus ita se habet ad superiorem in dubio, sicut conjux ad consortem, qui in dubio exigit debitum.

15. Probatur 2. ratione. Quotiescumque homo constituitur inter duo mala collectivè inevitabilia, minùs est præeligendum. Atqui omnis subditus necessariò constituitur inter duo mala collectivè inevitabilia, quando superior præcipit rem non certò licitam; ex una enim parte, si obediat, imminet periculum erroris & peccati saltem materialis; si verò non obediat, ordo subjectionis turbatur, ac plurima alia mala inobedientiam naturaliter consequentia proveniunt, ut discordia inter superiorem & subditum, sociorum scandalum, & alia hujusmodi. Ergò in tali casu minus horum malorum est eligendum. Atqui minus malum est obedire, quàm non obedire; quia malum, quod imminet ex obedientia non est certum, sed dubium, ut supponitur; malum verò, quod imminet ex inobedientia, est certum, quia præter ipsam inobedientiam & violationem voti (de quibus imminentibus idem est dubium, quod de inhonestate rei præceptæ) ordo subjectionis certò turbatur, & superior à certa possessione suæ jurisdictionis ob incertam subditi exceptionem dejicitur; unde rixa ac dissensio, aliorumque scandalum necessariò consequuntur. Mala autem certa incertis postponenda sunt, & hæc præ illis eligenda, maximè quando cætera sunt paria, ut in casu nostro. Ergò in omni casu ejusmodi obedientia præeligenda est. Et sanè dubium non est, quin hæc sit ipsissima causa, quam Aug. *in cap. quid culpatur. 23. quæst. 1.* & Pontifices in citatis Decretalibus attulerunt ad probandum, quod miles subditus in dubio licitè bellet, quodque conjux in simili casu licitè debitum reddat. Ratio enim Augustini est, quòd miles ordinem subjectionis servet, atque ideo licitè obediat; per hoc enim præfert illud, quod certo titulo debetur, posthabito eo, quod non nisi dubio titulo exigitur. Similiter Pontifices in eo obligationem reddendi debitum fundant, quòd lex conjugii violaretur, si debitum petenti negaretur, scilicet lex favens illi, qui ex animo verè contrahendi nuptias celebravit, quique est in possessione debitum petendi, nullaque ratione dubitat de valore sui contractûs. Tali enim consorti debitum negari non potest, quin certum jus violetur, quin ordo seu lex matrimonii turbetur, atque mutua conjugum charitas violetur &c. quod majus malum est, quàm in dubio, stante dubio, mali materialis periculo se exponere, quando utrumque simul vitari non potest.

Obedientia in dubio de honestate rei præceptæ debetur propter statum subjectionis.

Confirmatur. Tam lex matrimonii, quàm ordo subjectionis, est status à Deo institutus, & quidem eo fine, ut per homines more humano, & juxta possibilitatem directionis & limitatione humani intellectûs obtinendæ administretur. Omnis autem ejusmodi status inseparabilis est ab aliquo inconvenienti; quia quæ administrari non possunt nisi per homines plurima ignorantes, ab hoc saltem separari non possunt, quòd homines statum illum ministrantes aliquando ea exigant, quæ, si veritas sciretur, nemo licitè velle posset. Hoc autem est magnum inconveniens, ut patet. Nihilominus omnis ejusmodi status simpliciter bonus est. Quamvis enim indivisibiliter extendatur ad plura, quorum nonnulla sunt aliquando materialiter mala, tamen bona à tali statu provenientia sunt incomparabiliter majora, quàm mala ab eodem imminentia. Ergò necesse fuit, ut mala, prout necessariò substantia tali statui, à Deo permittantur, eò quòd extra statum illum non subsint circumstantiis inferentibus ea incommoda, quæ vitari non possunt, nisi talia objecta in statu illo essent permissa. Ratio hæc in illud resolvitur, quòd status, indivisibiliter extensus ad plura, omnia honestat, modò pauca comprehendat, de quorum materiali honestate nil certi innotescit, & ex alia parte innumera secum commoda ferat, quorum honestas est indubia, maximè quando status ille per hominem administrari non potest absque dictis incommodis, quæ si non essent permissa, bona ipsa ex statu illo sperata haberi non possent, sed mala contraria eaque gravissima necessariò irruerent. Hoc videre est in officio Judicis, Chirurgi, Medici, aliisque ejusmodi, quæ humano modo administrari non possunt, quin per illorum usum, modò innocens interficiatur, modò æger pro medicina proficua mortiferam potionem sumat &c. Nihilominus officia hujusmodi non solùm utilia, sed etiam necessaria sunt reipublicæ, quia, omnibus computatis, longè plura commoda secum ferunt, quàm incommoda; ideoque à Deo instituta sunt, & sunt absolutè bona ac convenientia, naturæque rationalis præscriptionibus consentanea. Idem prorsus dicendum est de statu conjugii ac religiosæ obedientiæ, qui per homines administrari debent, quique indivisibiliter extenduntur ad plura, quorum nonnulla secundùm se considerata sunt honestatis incertæ. Ideoque status ejusmodi humano modo administrari non possunt, quin homo administrans statum illum nonnunquam aliquid exigat à subdito, de quo, secundùm se spectato, subditus dubitat an sit honestum. Quocirca cùm status ejusmodi necessariò extendatur ad aliqua, quæ extra statum illum sunt dubiæ honestatis, cùmque citra ingentia inconvenientia humano modo administrari non possit, nisi subditus in dubiis illis obediat, necesse fuit ut objecta secundùm se honestatis dubiæ, prout substant tali statui atque à superiore exiguntur, permitterentur subdito, atque illi licita evaderent. Quamvis eadem extra statum illum, atque in illo etiam, quando à superiore non exiguntur, honestè eligi non possint, quia non est unde honestentur.

Deus talem obedientiam exigit, quia est Auctor talis status.

Ratio à priori assertionis positæ.

16. Con-

Item confirmatur.

16. Confirmatur. Deus tales status instituere non posset, n si honestaret ea, sine quibus status illi humano modo ministrari non possunt. Atqui certum est, Deum esse auctorem talium statuum, atque illos de facto instituisse. Ergò certum pariter est, quòd honestet ea omnia, ad quæ status illi indivisibiliter extenduntur, & sine quibus per hominem humano modo administrari non possunt. Hoc autem est totum, quod intendimus; quia status ejusmodi humano modo administrari non possunt, quin nunnunquam exigantur quæ sunt honestatis dubiæ. Atque hinc est, quòd subditus in incertis teneatur obedire, &, quod plus est, benè & laudabiliter obediat, quamvis res, quam ponit, secundùm se sit materialiter mala.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

17. OBJICIES. Nullum datur præceptum, obligans ad præferendam auctoritatem superioris omnibus rationibus & auctoritatibus, quæ dubium movere possunt in contrarium. Ratio est, quia superior non divinam sed humanam dumtaxat auctoritatem habet. Ergò non solùm falli potest in suo judicio, sed etiam ejus auctoritas ita exceptioni subjacet, ut majori auctoritati Doctiorum & fortasse Sanctiorum, aut certè rationi efficaciori, aut legi superioris Prælati cedere debeat. Ergò irrationabile est dicere, quòd universaliter in dubio obligemur ad obediendum superiori. Ergò regula allata non potest prudenter acceptari saltem in illa universalitate, quam assertio exprimit.

In dubio negativo semper & sine exceptione obediendū est.

Respondeo Suarium *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* Hæc objicere contra doctrinam in assertione positam, & à Patribus traditam, atque ex illis inferre, doctrinam à Patribus expressam, non omninò universaliter sed cum aliqua limitatione esse accipiendam, ut vera censeatur. Inprimis ergò respondet, subditum sine ulla exceptione debere obedire, quoties versatur in dubio negativo de honestate rei præceptæ. Tunc autem versatur in dubio negativo, quando nulla illi suppetit ratio positiva ad existimandum, quòd res præcepta sit mala, aut etiam quòd sit bona secluso præcepto. In hoc ergò dubio, inquit, sine ulla exceptione verum est, præceptum superioris sufficere, ut subditus illi innixus certò judicet, sibi licere quod præcipitur; quia in illo casu præceptum obligat, cùm superior exigat jus suum, & in dubio melior sit conditio possidentis. Item quia aliàs esset moraliter impossibilis obedientia, si unicuique subdito in particulari priùs persuadendum esset, justum esse quod præcipitur.

In dubio positivo an & quando obediendū sit?

18. At quando dubium est positivum, id est, quando ratio positiva vel auctoritas arguit rem esse malam, paulò aliter dicendum est. Ratio enim, vel auctoritas, quæ ita suadet rem esse malam, ut ejus honestatem dubiam reddat, dupliciter considerari potest; primò, ita ut utraque pars contradictionis, secluso præcepto, sit probabilis; secundò, ut solùm sit probabile, rem esse malam, & oppositum non sit probabile. In priori casu generaliter verum est, inquit Suarez loco citato, adjuncto præcepto obediendum esse, idque verum esse asserit, etsi honestas rei sit minùs probabilis, quàm ejusdem inhonestas. At in posteriori casu dicit obediendum non esse, contenditque id præsenti Patrum & nostræ assertioni non repugnare, quia in tali casu inhonestas rei non potest vocari dubia; est

Sententia Suarii.

enim humano modo certa, etsi non sit omninò evidens; quia homines in rebus moralibus vix possunt certiorem cognitionem consequi. Itaque Patres non includunt hunc casum, quando dicunt obediendum esse in omnibus, de quibus non constat, aut certum non est res præceptas displicere Deo, quia in casibus hujusmodi satis constat, satisque certum est, quòd ejusmodi objecta Deo displiceant. Itaque licet in tali casu obediendum non sit, adhuc regula Patrum in assertione posita, rectè intellecta, generaliter & sine exceptione vera est.

19. Ex his infert Suarez ibidem, quòd in casu dubii positivi necesse sit, subditum expedire rationes & auctoritates, quæ occurrunt & de honestate rei præceptæ dubitare cogunt, antequam liceat obedire; si enim inhonestas sit probabilis, videndum est, an oppositum sit etiam probabile. Si sit, obedire debebit. Si non sit, non erit obediendum homini sed Deo, quem satis constat oppositum præcipere. Hanc doctrinam asserit locum habere in omnibus, potissimè verò in materia, quæ intrinsecè mala est, & non ex jure aliquo positivo. Sed cum hac differentia, quòd in priori casu nunquam sit obediendum, quamvis in secundo aliquando licitè obediatur, tunc scilicet, quando superior dispensare potest in tali materia; tunc enim, si præceptum imponat cum scientia juris Ecclesiastici vetantis talem materiam, præsumendus est dispensare. Neque facilè judicandum est, quòd invalidè dispenset nisi id evidenter constet; quod moraliter loquendo vix potest accidere. Cæterùm quando objectum aliquod antecedenter ad præceptum ita est inhonestum, ut absoluta inhonestas ipsius constituatur per negationem præcepti, tunc certum est, omnem illam inhonestatem tolli per præceptum, adeoque absque dubio obediendum esse. Sic si Religiosus voveat, se talem horam Lectioni spirituali daturum, obligabitur ex voto ad hoc, quamdiu superior non præcipit contrarium; at si superior contrarium præcipiat, talis obligatio cessat; quia votum illud non erat absolutum, nisi dependenter à negatione præcepti in contrarium. Ergò, accedente præcepto, materia voti tollitur, omnisque obligatio cessat, ideoque obediendum est.

Utrum subditus in dubio positivo teneatur rationes expedire, ut obedire possit.

20. Atque hæc locum habent, quando superior merè consideratur ut superior; quòd si, præter superioritatem, sit vir pius ac prudens, fieri poterit, ut ejus auctoritas probabilem reddat honestatem rei quam præcipit; & in eo casu subditus attendendo ad ejus auctoritatem obedire poterit, non obstante priori judicio. Verùm in hoc casu auctoritas superioris tollit moralem certitudinem prioris judicii, & consequenter locum habet obedientiæ efficacitas, quia in dubio obediendum est. Hæc Suarez loco citato more suo doctè dilucidéque proponit, quæ quoad amplificationem obedientiæ verissima reputo, quamvis quatenus obedientiam restringunt, non parvam habeant difficultatem. Ratio est, quia quoad hoc eadem videtur esse ratio obediendi regi vocanti ad bellum, ac reddendi debitum conjugi id postulanti, cùm Augustinus eodem modo loquatur de obedientia regi præstanda, ac Pontifices & Canones de redditione debiti conjugalis. At Pontifices & Canones ita loquuntur de redditione debiti, ut æquè involvant casum dubii positivi ac negativi, ut clarè exprimitur *in cap. inquisitioni, de sent. excom.* ideoque debitum illud non minùs reddendum est in dubio positivo, quàm negativo. Ergò eodem prorsus modo dicendum de obedien-

Limitatio, quam Suarez apponit sententiæ suæ.

obedientiæ præstanda Regi ad bellum vocanti. Eadem autem ratio proportionaliter procedere videtur de aliorum superiorum præcepto.

Duplex auctoritas reperitur in superiore.

21. Quod ut meliùs intelligatur; paulò aliter respondendum est argumento allato. Itaque dico, auctoritatem superioris sumi dupliciter: primò, sumitur pro doctrina & probitate, ratione cujus dicta illius redduntur digna fide propter ipsius veracitatem in cognoscendo & loquendo. Hæc auctoritas seu veracitas non competit illi, prout est superior, sed solùm ut est vir peritus & probus. Secundò, sumitur pro potestate seu superioritate, vel jurisdictione ipsi competente, ratione cujus superior est, & præcipere potest inferioribus, illosque suo imperio ac voluntate dirigere ac obligare. De auctoritate superioris primo modo sumptâ vera sunt, quæ afferuntur in objectione; evidens enim est, nullam hujusmodi auctoritatem competere hominibus titulo superioritatis, quæ exceptioni non subjaceat, quæque Doctorum ac Sanctorum opinioni meritò cedere non debeat. Immò concedo irrationabiliter dici, quòd universaliter in dubio obediendum sit, si motivum obediendi præcipuè fundetur in auctoritate superioris hoc modo sumptâ. Verùm longè aliter se res habet in casu subditi obedientiam præstantis, quia titulus obediendi fundatur in auctoritate alia, nempe in ea, quæ non distinguitur ab ipsa potestate, seu superioritate ut imperante, cui prior auctoritas solùm per accidens conjungitur. Jam hic titulus, utpote certus & constituens statum, præfertur omni incertæ exceptioni in contrarium, quia est status indivisibiliter extensus ad plura; ideoque honestat plurima, quæ extra illum statum non sunt honesta. Sicut ergò ob statum matrimonii & titulum in eo fundatum, conjux tenetur reddere debitum consorti petenti, quamvis habeat opinionem ac credulitatem discretam, quòd copula sit fornicaria, dummodò hoc illi evidens non sit; ita pariter dicendum est in casu obedientiæ, quando legitimus superior præcipit aliquid, quod subditus probabili ac discretâ non tamen evidenti credulitate putat esse malum. Itaque objectio non videtur tangere proprium fundamentum nostræ sententiæ, quæ proinde in tota sua latitudine locum habet, etiam quando dubium est positivum. Et sanè totum reipublicæ regimen everteretur, si subditus licitè non obediret, quando positivè dubitat de honestate rei præceptæ; facillimum enim esset subditis tale dubium prætendere, ac asserere inhonestatem rei præceptæ esse illis probabilem, & oppositum illis probabile non esse. Ne ergò detur locus exceptioni tam noxiæ, necesse fuit, ut ipsum præceptum omni prorsus dubio prævaleret, sicut exigentia debiti prævalet omni dubio conjugis illud reddentis.

Una exceptionem patitur in inferioris, alia non item.

In omni dubio etiam positivo, legitimo superiori obediendū est.

Eadem est ratio obediēdi in dubio positivo, quæ est in dubio negativo.

22. Præterea, doctrina objectionis, si valeret, probaret licitum non esse obedire in dubio negativo. Si enim subditus sit longè peritior superiore, doctrina & probitas superioris non est motivum sufficiens tali subdito ad probabiliter credendum rem præceptam esse licitam. Ergò tunc conscientia subditi de honestate obedientiæ non potest formari dependenter ab auctoritate superioris, si illa auctoritas sumatur pro veracitate ipsius. At Suarez ipse, & cum eo omnes communiter agnoscunt, obedientiam præstandam esse in tali casu. Ergò tunc conscientia subditi ex alio capite formanda est, nempe ex ipsa superioritate & imperio Prælati, & statu per talem superioritatem constituto, qui titulus prævalet dubio & exceptioni omni, in dubio negativo fundatæ. Atqui idem status, eademque superioritas, & jussio sunt titulus prævalens dubio positivo ac probabili. Ergò obediendum est etiam in dubio probabili, quia Patres expressè aiunt obediendum esse, quamdiu non est certum superiorem Deo contraria præcipere; quod sine dubio certum non est, non solùm quando utraque pars contradictionis est probabilis, sed etiam quando una tantùm ratione probabili stabilitur. Falsum enim est, quod supra dixit Suarez, probabilitatem, quando uni tantùm parti favet, esse humanam quandam certitudinem, eò quòd homines vix possint consequi certiorem cognitionem in rebus præsertim practicis & moralibus. Falsum est, inquam, quia sæpè probabilitas illa est valdè exigua, ideoque non excludit notabilem formidinem, quæ indubiè humanæ certitudini opponitur. Præterea auctoritas unius testis non facit plenam probationem, ideoque non pertingit ad humanam certitudinem. At auctoritas unius testis ita reddit assertum suum probabile, ut oppositum sit improbabile, quamdiu nil affertur in contrarium. Ergò aliquod dubium positivum, consistens in probabilitate unius partis sine probabilitate oppositi, non est moralis certitudo humana. Eadem autem ratio est de omni probabilitate, nisi illa sit maxima, seu talis, cui rarissimè contingit falsum subesse, illa enim moralem quandam & humanam certitudinem habet. Ergò semper obediendum est etiam in dubio positivo, nec ulla est exceptio, nisi quando probabilitas inhonestatis rei præceptæ est summa, quod in praxi rarò evenit; quia rarissimum est, quòd superiores præcipiant res ejusmodi, atque eas ut licitas à suis subditis exigant. Sed & tunc etiam obediendum esse, sequens ratio probabit.

Probabilitas uni tantùm parti favens, non semper est certitudo humana.

Ratio Suarii videtur insufficiens.

23. Præterea ratio Suarii videtur insufficiens; inde enim infert, quòd talis cognitio probabilis sit humano modo certa, quia homines vix possunt consequi certiorem cognitionem in rebus practicis. Inprimis hoc falsum est, nam nonnunquam in rebus practicis habemus plenissimam probationem, quæ moralem quandam certitudinem habet. At longè frequentiùs talis probatio deest. Ergò tunc non adest moralis certitudo, cùm homo, ut moraliter & humano modo certus sit, longè efficaciorem probationem exigat. Præterea aliqua objecta adeo remota sunt à nostra cognitione, ut de illis non nisi tenuem suspicionem habere possimus. Et tamen suspicio ejusmodi non est humano modo materialiter certa. Ergò quod non possimus certiorem cognitionem habere de aliquo objecto, non infert illam esse humano modo moraliter certam. Ergò illa certitudo aliunde mensuranda est, quàm ex impotentia nostra ad meliorem. Inprimis ergò requiritur summa quædam probabilitas, quæ tamen ad moralem & humanam certitudinem practicè non pertingit, nisi quando alia certior humano modo haberi non potest. Quòd si hæc duo concurrant, humana quædam & imperfecta moralis certitudo habetur, quæ tamen simpliciter loquendo certitudo non est. Ergò hæc ratio Suarii videtur insufficiens. Unde sic arguo. Quoties moralis & humana certitudo deest, ex mente Patrum obediendum est. At illa aut semper aut ferè semper abest, etiam quando dubium est positivum & probabile. Ergò ferè semper obediendum est, etiam in dubio positivo. Immò verò simpliciter obediendum est in tali dubio, quia genuinus & obvius sensus textuum allatorum procedit de certitudine simpliciter tali;

Certitudo humana quid importet?

neque quisquam illos legens aliter eos intelligere potest ex vi verborum. Itaque restrictio apposita, si sumatur universaliter, sine sufficiente necessitate adjungitur, quæ proinde admittenda non est; sed verba accipienda sunt in sensu genuino. Ergò in omni omnino dubio obediendum est, quamdiu scilicet non certò constat, rem præceptam esse malam.

Universalis obligatio obediendi in dubio positivo ostenditur.

24. Demùm assertio universaliter intellecta sic probatur. Tres tituli assignati, aut certè tres alii prorsus similes, prævalent omni dubio positivo in materia justitiæ, quando conjux bonæ fidei postulat debitum à consorte; quia in omni tali dubio reddendum est, ut expressè traditur *in cap. inquisitioni tuæ, de sent. excommunicat.* ubi Pontifex declarat debitum reddi non posse ab eo, qui certò scit adesse impedimentum conjugii; posse autem, non obstante probabili & discretâ credulitate de tali impedimento, modò absit evidens & manifesta notitia de matrimonii invaliditate. Ergò similiter tres illi tituli prævalent in omni dubio positivo etiam probabilissimo in materia obedientiæ, cùm eadem prorsus ratio in utroque casu valeat, ut satis constat ex rationibus, quibus assertionem probavimus. Ergò in omni prorsus dubio, etiam probabilissimo obediendum est.

S. Thomas tenet debitũ conjugale reddendum esse in omni dubio, etiã positivo.

24. Et sanè doctrinam hanc, de obligatione reddendi debitum conjugale in omni dubio positivo, apertè traditam invenies à S. Thoma *in 4. dist. 41. quæst. unicâ art. 5. quæstiunculâ 1. ad 3.* Hæc sunt ipsius verba. *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutram. Si primo modo, nec exigere nec reddere debitum debet. Si secundo, debet reddere, sed non exigere. Si tertio, potest reddere & exigere.* Idem tradit *dist. 38. in exposit. textus sub finem*, ubi agit quidem de dubitatione, sed ut expressè addit probabili, adeoque opinativâ, non suspensivâ. Eodem modo loquitur S. Bonaventura ibidem. Vide plura de hac re apud Bresserum *lib. 4. de Consc. cap. 14.*

Suarez ostenditur nobiscum sentire.

25. Et hæc quidem vera sunt, si universim sermo sit de obligatione obediendi, ut nunc loquimur; sed si loquamur de obedientia, quam Religiosi debent suis Prælatis, inhæreo doctrinæ, quam ex S. Bernardino Senensi, & Cardinali de Lugo tradidi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 70. & seqq.* quæ videntur potiùs cöincidere cum sententia Suarii. Dixi enim, Religiosum non licitè obedire, quando inhonestas rei præceptæ ità est probabiliter inhonesta, ut oppositum non sit probabile; quod ita intelligendum est, ut obedientia sit illicita, quando tam superiori quàm subdito constat, inhonestatem rei esse probabilem, ejusdem autem honestatem non esse probabilem. Ratio est, quia tunc constat, superiorem abuti suâ auctoritate, ea præcipiendo, ad quæ mandanda facultatem non habet. Non ergò est illi obediendum. Et sanè eadem ratio locum habet in lege matrimonii; consors enim tamdiu solùm tenetur debitum reddere in dubio positivo, quamdiu qui petit, bona fide procedit. Si enim constaret, quòd matrimonii invaliditas utrique conjugi esset probabilis, & oppositum non esset probabile; neuter in eo casu licitè posset petere, ideoque neuter licitè posset reddere debitum conjugale; quia petens petendo suam facultatem excederet. Quod si maritus bona fide petat, tunc illi debitum non est negandum ob alterius partis dubium, quantumvis valdè fundatum.

Subditus quomodò debeat se gerere in dubio positivo, antequam obediat.

26. Jam si Superior & subditus in suo judicio discrepent, æquum est, ut subditus superiori cedat, non superior subdito. Cæterùm si subditus sit vir peritus, superior autem in rerum moralium notitia parum versatus, adeo ut subditus ob auctoritatem superioris non possit existimare, rem præceptam esse probabiliter licitam, cùm tamen certò constet, ejus inhonestatem esse probabilem; in eo casu subditus ille non debet statim cæco modo obedire, sed debet humiliter repræsentare superiori, rem præceptam esse probabiliter malam, ejusque honestatem non esse probabilem, ac proinde eam non esse aptam, quæ imperetur. Dignetur proinde rem meliùs considerare, ac peritos, si opus sit, consulere; se paratum obedire in omni eo, quod post diligentiam debitam superior judicaverit bonum, illudque imperaverit. Nec dubium, quin Prælatus Religiosus in tali casu teneatur subditum audire (maximè si subditus sit vir doctus) nisi ipse etiam peritus esset, remque ipsam & rationem dubitandi à subdito propositam examinasset. Jam si superior hæc audiens, dicat cum impetu, se hæc non curare, nolle se à subditis doceri, sed omnino velle obedientiam sibi præstari, dico subditum in eo casu non debere illi obedire, quia ex una parte non habet unde judicet honestatem rei esse probabilem, & ex altera satis apparet superiorem potestatem suam excedere, quippe quæ per omnia subordinari debet legi ac voluntati divinæ, quæque data est in ædificationem, non in destructionem. Cùm ergò constet, Deum in tali casu præcipere superiori, ne talem rem exigat à subdito, utique subditus Deo obedire debet, non superiori apertè contra voluntatem Dei præcipienti. At si superior præsumi possit rem satis examinasse, aut si minùs peritus sit, dicat se cum peritis egisse, & ex eorum judicio invenisse rem licitam esse, ac proinde obedientiam exigere, utique subditus obedire tenetur, quia jam superior non ex impetu, sed maturè ac bonâ fide præsumitur procedere. Universaliter enim verum est, quòd subditus in omnibus incertis obedire teneatur, quæ superior bonâ fide credit licita, & pro sua potestate absolutè imperat. Verùm in hoc casu fieri nequit, quin pars præcepta evadat aliquo modo probabilis probabilitate extrinsecâ; ideoque non sumus ampliùs in casu de probabilitate se tenente tantùm ex parte inhonestatis rei præceptæ, ut patet.

In incertis semper obediendũ est, si superior bonâ fide procedat.

27. Cæterùm quamvis improbitas superioris adeo notoria esset subdito, ut honestas rei præceptæ, ne quidem per dictam superioris attestationem evaderet ipsi extrinsecè probabilis, adhuc illi obediendum esset, quamdiu non constaret superiorem fictè agere. Si enim verè putet rem esse licitam, dicatque se rem sufficienter examinasse, ac propterea uti jure suo, & obedientiam exigere, non debet privari jure suo ob incertam exceptionem subditi; & hoc rationes assertionis evincunt, quia sicut in simili casu debitum reddendum est consorti illud petenti, & subditus ad bellum vocatus obedire debet, ita & subditus religiosus suo Prælato. Nec ullam hic invenio exceptionem, nisi probabilitas esset summa, & res spectaret ad jus, atque ab omnibus prorsus haberetur illicita; quia in illo casu, satis constaret, superiorem suos limites excedere, & malâ etiam fide procedere. At secus dicendum est, quando probabilitas subditi de inhonestate rei præceptæ non est summa, nec ad moralem & humanam certitudinem pertingit, neque est de re, quam omnes illicitam dicunt; tunc enim subditus non habet sufficientem exceptionem contra suum superiorem, quia ex illa particulari probabilitate subditi non sequitur, superiorem bonâ fide non procedere,

cedere, aut debitam diligentiam non adhibuisse. Ergò tunc obediendum est, ut rationes convincunt. Nec existimo Suarium in hoc casu contrarium tenere, quia non videtur aliud intendere, quàm quod à me hactenus explicatum est.

Discrimen inter obedientiã religiosi & subditi à Rege ad bellum vocati.

28. Porrò in hoc est diversitas inter subditum religiosum, & subditum regis, quòd superioritas religiosa directè instituta sit ad gubernandum subditum in ordine ad finem vitæ æternæ; unde sicut subditi est in suis dubiis de conscientia ad superiorem recurrere, ita est superioris eum audire, ac sincerè dirigere. Mirum proinde non est, quòd religiosus in dicto dubio non possit obedire, donec suam difficultatem superiori exposuerit, & juxta dicta directus fuerit. At rex non est constitutus, ut singulorum subditorum dubia de honestate belli resolvat. Unde illi ad regem pro illorum solutione non recurrunt, nec tenentur recurrere. Quando ergò constat, regem eos ad bellum vocare, & non constat eum aliud exigere, quàm quod justum judicat, neque moraliter certum est, illud esse à Deo prohibitum, obedientia illi præstanda est. Quòd si alicui constaret, regem non curare rationem justi, sed solùm quærere amplificationem regni &c. eò quòd consiliis adhibitus clarè videret omnes in eo convenire, quòd non sit sufficiens causa belli justè indicendi, aut rex ipse declararet, se nil de justitia belli curare, utique talis subditus, non posset illi licitè obedientiam præstare, sed Deo contrarium exigenti obediendum esset.

Conciliantur dicta hoc loco cum traditis in tract. de Consc. prob.

29. Demùm adverto, doctrinam, quam loco citato *ex quæst. 23. de Consc. prob.* ex Cardinale de Lugo attuli, in alio titulo non fundatam fuisse, nisi in potestate dominii, quam superior habet præcisè ex voluntaria libertatis abdicatione à subdito factâ, quia Cardinalis de hac tantùm, non de alia mentionem facit. At illa sola potestas non est tam efficax ad obligandum, ac integra potestas superioris; (de qua mox plura dicentur ex professo) quia illa potestas non est major, quàm vovens ipse sibi imponere intendebat. At alia potestas est longè major, & non dependet à voluntate subditi. Unde quamvis Cardinalis apposuerit limitationem, quam ibi perpendimus, illa tamen intelligenda est juxta proximè explicata; & quidem ita, ut sermo non sit nisi de illa præcisè potestate, quæ ex voto subditi transfertur in superiorem, quod notandum fuit, ne quis ex illo loco malè intellecto existimet, me hic multùm recedere ab illis, quæ ibi tradidi, cùm revera in nullo recedam, sed clariùs, atque disertiùs explicem ea, quæ ibi tradidi.

ASSERTIO TERTIA.

Quod universaliter dictum est de subditis respectu superiorum, æquè aut à priori locum habet in subditis religiosis.

Subjectio religiosorũ non minùs obligationis affert, quàm subjectio aliorum.

HÆC Assertio ponitur contra quosdam Recentiores, apud Bresserum *lib. 4. de Consc. cap. 15.* qui docent ut probabile, quod religiosi in dubio non debeant obedire, quamvis de aliis subditis communi nostræque sententiæ subscribant.

Ratio 1.

30. Probatur primò, ex rationibus & auctoritatibus pro secunda assertione allatis, illæ enim æquè procedunt de religiosis, cùm religiosi fuerint sancti Patres, ex quorum dictis conclusionem illam stabilivimus. Illi autem potissimè loquuntur in ordine ad suos subditos religiosos, ut patet.

Ratio 2.

31. Probatur secundò. Prælati regulares & exempti duplicem in suos subditos potestatem habent: aliam *dominii*, ut vocant, qualem habet Pater-familias erga liberos, & familiam suam. Hanc accipiunt à voto, quo subditus illorum directioni sponte se subdit. Aliam *jurisdictionis*, qualem habent Episcopi in suos subditos, ratione cujus possunt excommunicare, præcipere &c. Hanc habent sibi à summo Pontifice communicatam. Unde sic arguo. Religiosi obligantur eodem titulo, quo alii, ad obediendum suis superioribus. Immò illi duplici, hi simplici tantùm titulo obstringuntur. Unde illi graviùs peccant non obediendo, quàm isti. Ergò subditi religiosi non solùm ex æquo sed magis tenentur obedire suis superioribus, quàm alii suis.

Prælati regulares duplicem potestatẽ habent in suos subditos.

Confirmatur. Si Clericus obedientiam Episcopo voveret, non ideo minùs obligaretur illi obedire, quàm antea, sed magis; quia jurisdictio Episcopi per votum illud non debilitaretur, sed roboraretur relatè ad illum Clericum. At idem prorsus valet in subdito religioso, cujus superior habet jurisdictionem quasi Episcopalem.

Ratio 3.

32. Probatur tertiò, ex communi fidelium ac religiosorum sensu; omnes enim putant, religiosos magis obligari ad obediendum suis superioribus, quàm seculares suis; idque non solùm intensivè, sed etiam extensivè, quia regulares ex sua parte se pleniùs gubernandos tradunt, quàm seculares suis; præsertim in dubiis. Atque hinc orta est communis omnium opinio, quòd subditi omnes, potissimùm religiosi, suis superioribus obedire teneantur in dubio.

Potestas dominii fundat obligationem obediendi in dubio.

33. Probatur quartò. Communis omnium opinio est, quòd in dubio obediendum sit superiori, solam dominii potestatem habenti, absque ulla jurisdictione. Solus Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 3.* videtur paulò strictiùs locutus reliquis; dicit enim non videri improbabile, Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare monialem ad aliquid faciendum in dubio de honestate rei præceptæ, eò quòd illa juxta communem Theologorum sententiam potestatem jurisdictionis non habeat. Nihilominùs Suarez ipse docet oppositum esse probabilius, & verum. Unde sic arguo. Communis Theologorum opinio, & unanimis fidelium persuasio est, quòd in dubio obediendum sit superiori non habenti jurisdictionem, sed solam dominii potestatem. Rursus certum est, quod in dubio obediendum sit superiori solam jurisdictionis potestatem habenti, nam in hoc omnes conveniunt. Ergò multò magis obediendum est superioribus religiosis, qui utramque potestatem certò habent.

An & in quo sensu verum sit, religiosos non debere obedire in dubio.

34. Et sanè Bresserus loco citato rem hanc adeo constantem ac probatam putat, ut dicat prorsus improbabile esse, quod hujusmodi superioribus non sit obediendum in dubio, si concedatur quod in dubio simili aliis sit obtemperandum. Ego non libenter censuro opiniones Catholicorum; quare juxta supra dicta, admitto regulares in aliquo sensu non debere obedire in dubio, scilicet quando auctoritas superioris & exhibitio præcepti non tollit dubium de honestate rei præceptæ; tunc enim religiosi rectiùs faciunt, & sæpè tenentur suam difficultatem superiori proponere, nec antea obedire convenit. Sed si superior bonâ fide procedat, & post rem examinatam existimet eam esse licitam, subditus illi obedire tenetur. Itaque existimo, Auctores illos recentiores, quos Bresserus tacito nomine citat,

aliud quàm hoc non intellexisset. In hoc autem sensu verum dicunt, nec ullam censuram merentur, ut patet.

Obedientia maximum religiosorū solatium.

35. Nec solùm licitè obediunt religiosi, sed hoc solaminis illis singulariter competit, quòd firmam in integra obedientia conscientiæ securitatem habeant. Hoc, quia summi ad præsens ac principale institutum momenti argumentum est, paulò ulteriùs explicandum duxi, sit ergò.

ASSERTIO QUARTA.

Integra, prompta, & cæca Religiosorum obedientia in omnibus, quæ mala non apparent, est securissima conscientiæ regula.

Plena obedientia in omnibus, quæ mala non apparent, est tutissima conscientiæ regula.

36. PROBATUR ex communi SS. PP. auctoritate, qui religiosæ obedientiæ securitatem mirum in modum efferunt, asserentes nullam esse regulam tutiorem, quàm plenissimam obedientiam in omnibus, in quibus peccatum non apparet.

Inprimis recolenda sunt, quæ *num. 12.* attuli ex SS. Bernardo, Bonaventura, Bernardino Senensi, Ignatio de Loyola, & B. Humberto, quia illi dicunt in omnibus obediendum esse tanquam Deo, quamvis aliqua ratio mali appareat, modò non constet rem præceptam à Deo esse prohibitam. Ergò a fortiori favent præsenti assertioni. Videri etiam possunt, quos citavi *hic quæst. 3. num. 38 propè finem.* His addo sequentes.

S. Basilius.

S. Basilius *in reg. fusiùs disputatis, cap. 28.* hæc habet. *De judicii periculo prorsus illum esse sollicitum finito, qui imperat.*

B. Columbanus.

B Columbanus *in reg. cap. 9.* loquens de eo, qui alterius prudentis consilium sequitur, hæc habet. *Si alterius erraverit responsum, fides credentis & labor obedientis non errabunt.*

S. Joannes Climachus.

S. Joannnes Climachus *grad. 4.* (editionis græco-latinæ *pag. 68.*) hæc habet de religioso obediente. *Mortem intrepidiùs expectat, certus in excessu vitæ, non à se, sed à præside suo rationem exactum iri.*

Humbertus.

Humbertus V. Prædicatorum Generalis *lib. de tribus votis substant. cap. 5. Nam etsi ille* (id est superior) *erraverit, nequaquam vos deviabitis, seniorum mandatum,* (*nisi contra Deum quid præceperit*) *exequentes.*

Regula magistri.

Regula, quæ inscribitur, *Magistri*, apud Lucam Holstemium *cap. 2.* docet Abbatem, si quid malè præceperit, rationem Deo redditurum, & subditos excusandos. *Quia*, inquit, *cùm discussi fuerint de omnibus actibus suis, dicturi sunt in judicio Domino, omnia facta sua per obedientiam ex jussione impleta esse Magistri. Et cap. 7. Illum tanget in discussionis judicio rationem reddere, qui imperat, non qui imperata perficit, sive bona, sive mala.*

S. Vincentius.

S. Vincentius *lib. de vita spirit. cap. 4.* dicit, *Obedientem inoffenso pede procedere.* Et S. Catharina Senensis *in dialogis tract. 4. cap. 155.* sic exclamat. *O obedientia, quæ navigas sine labore, & sine periculo ad portum salutis appellis!*

S. Catharina Senensis.

Superiori obediendū est, ac si Deus ipse immediatè præciperet.

37. His addi possunt innumeri Patres & Magistri spirituales, qui expressè tradunt, superiorem non ut hominem, sed ut Dei vicarium à subditis considerandum, quos propterea hortantur ad promptè & sine discussione obediendum homini tanquam Deo, ubi peccatum non apparet. Præclara sunt & plurima, quæ hac de re scribit Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* quæ videri possunt; non enim libet ea exscribere, quamvis opportunum sit nonnulla ex illo apponere. Inprimis ergò post plura loca ex constitutionibus Societatis allata, in quibus S. P N. hortatur suos, ut *ad omnem superioris vocem, ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi sint, quodque superiorem, quicumque ille sit, loco Christi agnoscant, ejusque vocem ac jussa non secus ac Christi vocem excipiant*, post hæc, inquam, refert eadem expressè approbari in Bullis Pauli III. & Julii III. in quibus hæc habentur: *Subditi tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, Præposito in omnibus ad institutum pertinentibus parere semper teneantur, & in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantum decet venerentur.* Mox subjungit, S. Patriarcham nostrum Ignatium velle suos sequaces obedire, *omnia justa esse sibi persuadendo, omnem sententiam, ac judicium suum contrarium cæcâ quâdam obedientiâ abnegando*: atque ad omnia illis adjuncta complenda, *cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ sine ulla prorsus disquisitione ferri.* Sũmi Pontifices hanc obediendi formam expressè approbarũt.

38 His propositis, ostendit universam doctrinam hanc, omnemque illius expressionem in sacra Scriptura fundatam, atque à SS. PP. traditam fuisse. Inprimis *Lucæ 10.* Christus ipse dixit. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Alloquebatur autem Apostolos, qui loco ipsius pastoralem curam habituri erant, atque ita in illis omnes animarum Pastores alloquebatur. Hæc autem specialiter ad Superiores religiosorum applicant Patres, quos ibi citat Suarez. Unus Basilius sit loco omnium, qui *Constitut. Monasticarum cap. 22.* observat, Christum intelligendum per id, quod Apostolis dixit, *in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores.* Quod æquè convenit religiosis Prælatis, ac Episcopis & Parochis. Mox *cap. 23.* eadem religiosis Prælatis expressè applicat. Sed & S. Paulus *ad Ephesios 6.* servos sic alloquitur, *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino & non hominibus.* Similia etiam dicit ad servos *ad Coloss. 3. Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* Unde Basilius loco citato *cap. 23. Antistes*, inquit, *personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & hominem.* Et *in reg. brevioribus, reg. 38. Quidquid contumaciæ aut obedientiæ subditus adhibet, non adversus hominem, sed adversus Dominum adhibet, qui dixit, Qui vos audit me audit &c.* Bernardus *lib. de præcepto & dispensat. cap. 12. Ipsum quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.* & iterum: *Sive Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi tamen contraria Deo non præcipit homo.* Cassianus etiam de antiquis Monachis refert solitos fuisse, *universa complere, quæcumque fuerint à Præposito præcepta, tanquam à Deo sint cælitus edita.* Si plura cupias, lege Suarium, loco citato.

Hæc obediendi forma à sacra Scriptura traditur.

Et à S. Patribus laudatur.

39. Rursus, quòd prompto animo, atque sine discussione, cæco quodam voluntatis impetu obediendum sit, tradit Aug. apud S. Bonaventuram *in opusculo octo collationum, Collat. 3.* ubi ex Aug. hæc scribit Bonaventura. *Ut obedientia Religiosi sit Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione,* simplex

Sine discussione cæco modo obediendum est.

Aug. Bonavent. Hieronymus.

simplex sine discussione, perseverans sine cessatione &c. & S. Hieronymus *Epist. 4. ad Rusticum* dicit, *Credas salutare quidquid ille* (id est Præpositus) *Præceperit; nec de majorum sententia judices, cujus officium est obedire, & implere, quæ jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël & tace.* Cassianus de antiquis Monachis *cap. 10. Sine ulla*, inquit, *discussione festinant, ut nonnunquam etiam impossibilia, sibimet imperata, eâ fide ac devotione suscipiant, ut totâ virtute ac sine ullâ cordis hæsitatione ea perficere & consummare nitantur; & nec impossibilitatem quidem præcepti pro seniorū reverentia metiantur.* Et postea affert plura exempla taliter obedientium, quorum nonnulla etiam miraculo fuêre confirmata. S. Benedictus *in reg. cap. 68.* obedientiam exigit non solùm in rebus gravibus, sed etiam impossibilibus, vultque præceptum cum humilitate & mansuetudine suscipi: permittit autem causas aperire superiori, ob quas impossibile appareat, quibus tamen auditis, si superior in sua sententia perstiterit, *Subditus*, inquit, *pro certo habeat, illud sibi conveniens, & cum charitate & spe divini auxilii obediat.* Cæsarius Arelatensis *in hom. 8. ad Monachos: Quidquid tibi à superioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum, nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas, totum justum, totum sanctum & utile judica, quidquid tibi à Prælato videris imperari.* Præter hos Suarez adducit SS. Bernardum, Climacum, Nilum, Dorotheum, Laurentium Justinianum, Antoninum, & alios, quos videre est loco citato.

Cassianus

Obediendū etiam in impossibilibus.

S. Benedictus.

Cæsarius Arelat.

Subditus promptè obediens certus est se nō peccare.

40. Ex hisce sic arguo. Ex communi SS. PP. atque DD. ipsiusque adeo Ecclesiæ consensu, eoque in citatis sacræ Scripturæ locis fundato, constat eam esse religiosæ obedientiæ securitatem, ut quamvis Prælatus temerè quidpiam, quod reipsâ sit illicitum, præcipiat, si tamen in eo nullum appareat peccatum, subditus bonâ fide obedire potest & debet, atque sic obediens potest & debet esse securus se non peccare taliter obediendo, quódque proinde securus esse possit, nullam à se in die judicii, sed solùm à superiore, de talibus rebus rationem à Deo esse exigendam.

Obediendū cum securitate cōscientiæ, ac si Deus immediatè præciperet.

41. Rursus sensus Patrum, Doctorum, ac Ecclesiæ est, subditos religiosos, quoties nullum apparet peccatum in præcepto, debere obedire superiori promptè, & sine ulla discussione, aut hæsitatione, tanquam Deo; id est, debere obedire non aliter, quàm si præceptum immediatè ab ipso Christo latum fuisset. Quodque securi esse possint ac debeant, se taliter obediendo nullam peccati aut reprehensionis suspicionem vel periculum incursuros, quamvis contigerit Prælatum ex ignorantia, aut etiam ex malitia malum præcepisse.

Sensus Ecclesiæ est, quod obediendum sit cum securitate, etiam in dubio, quando non est certum rem malam præcipi.

42. Immò, quod plus est, sensus communis tam PP. quàm DD. ac proinde communis etiam Ecclesiæ sensus est, subditos obedire debere, non solùm quando præceptum superioris nullam peccati speciem præ se fert, sed etiam quando dubium est, an sit malum, necne: idque verum est non solùm de dubio negativo, sed etiam positivo; & quidem de dubio negativo, & utrimque positivo omnes conveniunt; quòd si dubium positivum solùm sit de inhonestate præcepti, & nulla ratio faveat honestati, adhuc ex mente expressa plurium SS. PP. qui nominatissimi Religiosorum instructores, aut Patriarchæ fuerunt, & omnium fermè vitæ spiritualis magistrorum, obediendum est, quia expresè dicunt, obedientiam præstandam esse in omnibus, de quibus certum non est quod sint mala. At nullum dubium positivum aufert certitudinem ejus de quo est dubium. Ergò in omni dubio obediendum est juxta dicta. Et sanè Patres antiqui mirum in modum extulere obedientiam hanc bonâ fide homini factam, etiam in iis, quæ ex se mala videri poterant & erant. Cassianus *lib. 4. cap. 27. & 28.* refert, Abbatem Mutium ex mandato sui superioris proprium filium octennem in profluentem abjicere voluisse. *Cujus fides & devotio*, inquit ille, *in tantum Deo accepta fuit, ut divino statim testimonio comprobata sit. Revelatum namque est continuò seniori, hâc eum obedientiâ Abrahæ Patriarchæ opus implêsse.* Sed & Tyro quidam apud Severum Sulpitium narratur ex obedientia ingressus fuisse in clibanum succensum, & illæsus exiisse, & ideo laudatur à Sulpitio. Sed & Maurus ad S. Benedicti præceptum aquas ingressus est, mersus autem non est, ut refert S. Gregorius *lib. 2. dial. cap. 7.* Similiter legitur in vitis Patrum, quòd quidam jussus leænam adducere, eam cœpit, & ad superiorem adduxit. Nec alia complura desunt in vitis Sanctorum, & antiquorum Monachorum gestis, quæ tamen omnia referuntur tanquam eximiâ laude digna, & plura eorum absque dubio fuêre talia, cùm Deus ejusmodi obedientiam miraculo comprobaverit. Hæc omnia secundùm se & materialiter sumpta erant mala; & tamen per superioris præceptum subdito obedienti facta sunt honesta, & laudabilia; ideoque rectè infertur, subditum laudabiliter obedire, etiam quando turpitudo rei ex se est certa, modò in hisce circumstantiis, & prout substat præcepto superioris, certum non sit quod res illa sit mala, sed spes effulgeat, quod sit bona, & Deo grata. Immo in omni ejusmodi casu expedit cæco quodam mentis impetu obedire, non examinando rem præceptam, sed superiorum probitati fidēdo, qui aut semper aut saltem plerumque in similibus à Deo diriguntur; quia proprium est superiorum ac Prælatorum altioribus ac universalioribus, peculiarisque providentiæ rationibus duci, quarum subditi capaces non sunt, vel certè quas eos scire non expedit.

Talis obedientia laudatur à Patribus.

Mala ex se per superioris præceptum sæpè fiunt licita.

43. Ratio à priori deducitur ex ipso fine ac statu religiosæ obedientiæ. Ideo enim Religiosi se subdunt homini vices Dei tenenti, ut ab illo plenè regantur, idque faciunt ex fiducia, quam habent de Dei misericordia, quòd hac ratione longè certiùs ac securiùs dirigendi sint per ejus vicarium in via salutis, ac in omnibus dubiis, quàm si proprio se judicio gubernarent. Atque hinc est, quòd superiores religiosi censeantur à Deo recipere peculiare lumen ad rectè gubernandum; quia regimen illud est magis divinum ac supernaturale, quàm regimen politicum. Secundò status isti, de quibus loquuti sumus, sine hujusmodi obedientiâ cum pace & tranquillitate subsistere ac administrari non possunt; sive sermo sit de politica, œconomica, vel militari, sive etiam de religiosa obedientia. Si enim tunc solùm obediendum esset, quando imperium subdito videretur honestum, aut postquam subdito clarè constaret, honesta imperari non solùm in sensu composito sed etiam in sensu diviso præcepti, eo ipso regimen evaderet moraliter impossibile; quia subditus facilè prætenderet, honestatem rei præceptæ nondum sibi constare, adeoque se licitè obedire non posse; atque hinc concordia, atque subordinatio servari non posset, sed continuum schisma, ac bellum superiores inter & subditos induceretur; quod ut avertatur, dicendum est, subditum in omnibus obedire debere, quæ certum non est esse

Ratio à priori, ex fine & statu religiosæ obedientiæ.

esse mala; quia ratio præcepti est circumstantia, per quam omnia ejusmodi ex vi status initi honestantur. Nam præclarè in hanc rem scribit Cicero *lib. 3 de leg. Nil tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec universum hominum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Ita est, nil tam aptum est naturæ humanæ, quàm imperium, quo solo inferiores ac subditi, utpote ob imbecillitatem ac ignorantiam infinitis erroribus obnoxii, tutò diriguntur, ac quodammodo defenduntur; adeo ut natura ipsa jure suo subordinationem hanc indispensabiliter flagitet, quâ semotâ, nil nisi contentiones & rixæ in familiis, seditiones & discordiæ in civitatibus, in gentibus bella, & in universo hominum genere ingentes ruinæ sperari possunt. Hisce malis avertendis necesse fuit, ut in omnibus obediendum sit, de quibus certò non constat ea esse mala & prohibita. Aliter talibus malis avertendis nullum remedium afferri posset; si enim in rebus incertis superior credat aliquid licitum esse, suoque jure id exigat, subditus ob suam ignorantiam & incertitudinem obedientiam negare non potest, quin maxima illa mala, ad quæ avertenda imperium & potestas constituta est, irremediabiliter consequantur.

Præclarum Ciceronis Dictum.

Tres Celladei errores, contra communem Ecclesiæ sensum.

44. Ex hac unanimi SS. PP. Magistrorum vitæ spiritualis, ac totius Ecclesiæ consensu, infertur primò, subditos religiosos, sine ulla discussione obedientes, esse certiores de non peccato formali, quàm sint de non peccato materiali; quia ex omnium doctrina securissimi sunt se non peccare, quamvis superior ex ignorantia decipiatur, aut etiam ex culpa malum præcipiat. Infertur secundò ex eadem auctoritate prorsus irrefragabili, operationem esse posse bonam & honestam, quamvis opus ipsum materialiter sumptum sit malum. Nec enim dubium, quin Sancti Patres citati censeant, obedientiam, quam adeo extollunt, esse honestam ac laudabilem, quamvis Prælatus erret, ut dictum est. Infertur tertiò, certitudinem hanc Religiosorum in obediendo non esse directam, cùm nec sint, nec esse possint certi, malum materiale non latêre in opere, imò id sæpè dubium illis apparere supponitur. Ergò fundatur in certitudine reflexa, quæ in ipso statu obedientiæ fundamentum habet; quia illi licitè faciunt in eo statu, quæ licitè facere non possent extra statum illum, ut videre est in subdito bellante sub proprio rege, stante dubio de honestate belli. Non enim licet non subdito sic bellare, donec satis ipsi constiterit, bellum esse honestum. Ergò conscientia certa in hujusmodi casibus non per directa, sed per principia synderesis reflexa formatur. Erravit ergò Celladeus, & contra sensum totius Ecclesiæ in toto fermè opere ubique erravit, quia magna pars operis eò collimat, ut tria asserta, tribus illis corollariis opposita stabiliat. Sed quàm irrito conatu, suis in locis ostensum est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

45. OBJICIES. Obedires ne tu superiori præcipienti ingressum super aquas, aut alia ejusmodi, quæ commemorata sunt? Non existimo, quia cùm ita appareant mala, ut vix ulla ratio honesti appareat, non est undè conscientia ritè formetur. Cur ergò proponis aliis ut licita, quæ ipse practicè pro licitis pro teipso habere aut non potes, aut non audes? Præterea nónne imprudentiæ argueretur, qui sic obediret? Ergò in similibus obediendum non est, sicut nec in impossibilibus, quia conniti ad rem impossibilem, vel temerarium est, vel certè vanum & inutile; ac proindè stultum, & illicitum.

Respondetur indirectè.

Respondeo inprimis, argumentum nimis probare, quia peccati condemnat potissima obedientiæ exempla, quæ non solùm à SS. PP. & spiritualibus Magistris, sed ab universo fidelium cætu celebrantur tanquam Deo summè placentia, quæque Deus manifestis miraculis sibi gratissima fuisse comprobavit. Quod si illis licuit obedire in ejusmodi, quidni & nobis liceat? Cur nos ex obedientia cæca circa eandem rem exhibita peccatum incurremus, si ex eadem illi laudem meruerint, & præmium tulerint? Nil ergò probat.

Obedientia in impossibilibus est certò licita.

46. Respondeo secundò disparem prorsus esse rationem de iis quæ impossibilia, & de iis quæ mala apparent; nisus enim ad impossibilia, quamvis stultus sit & inanis, si proprius & directus finis talis actionis inspiciatur (qualis erat diuturna illa ligni aridi irrigatio, & nisus ad ingens saxum loco movendum) & sub hac ratione honestari non possit; eadem tamen actio, idemque nisus, cùm in se malus non sit, multis de causis honestari potest, si ad bonum finem ordinetur, ut ad exercitium obedientiæ, humilitatis, mortificationis &c. ideoque in ordine ad tales fines non solùm sine culpa, sed cum magno merito obedire possumus in rebus naturaliter impossibilibus, quando superior conatum talem præcipit. Et hoc videtur esse, quod S. Benedictus à suis exigit, nempe ut in impossibilibus etiam obediamus, quod ita intelligendum videtur, ut studiosè & celeriter obediendum sit in arduis ac impossibilibus, quantum ad inchoandam actionem, quando est possibilis conanti, nec antea desistendum, donec reipsâ constiterit, rem præceptam esse impossibilem; tunc enim admonendus est superior, qui tamen si jam impossibilitatis conscius adhuc in suo imperio persistat, ei obediendum est ponendo actionem, quæ ad ordinarium quidem ipsius finem inutilis est, sed valdè utilis ad alios altiores fines, quos superior intendit, & ad quos perfectus obediens respicit. At aliter dicendum est de rebus malis, quia illæ honestari non possunt, quamvis ad bonum finem ordinentur. Itaque dispar longè ratio est de obedientia in impossibilibus, ac in malis. Relictâ ergò disputatione de obedientia in impossibilibus, quam certò constat esse sanctissimam, sermo restringendus est ad obedientiam in iis, quæ mala apparent. Itaque in hoc sensu.

In omnibus obediendū, quando non constat rem, ut præcepto substantem, esse malam.

47. Respondeo tertiò cum Sancto Patre nostro Ignatio, in omnibus prorsus obediendum esse, de quibus mihi certò non constat, quod sint peccatum in sensu composito præcepti, quamvis sciam, quòd sint in sensu diviso, si absque præcepto ex proprio arbitrio eligantur. Omnes enim vitæ ipsius scriptores narrant, eum, senem jam & multis infirmitatibus obnoxium, sæpè dicere solitum, se infirmum, ut erat, ad minimum summi Pontificis nutum iter pedibus suis Româ usque in Hispaniam confecturum; &, quod plus est, mox iturum ad Ostia Tiberina, atque in eo portu absq; ullo ad mare transeundum viatico navim remis velisque ac gubernaculo carentem statim conscensurum, idque se absque ulla difficultate, sed summa cum consolatione facturum. Hoc S. Viri dictum nonnemini displicuit, qui propterea quodammodò Sanctum arguens, Ecquæ, inquit, prudentia esset ista, Pater Ignati? cui mox ille: Prudentia rerum eligendarum virtus est superioris impe-

imperantis, non subditi obedientiæ. Itaque respondeo, S. Ignatium in eo casu prudenter obtemperaturum fuisse, quia prudentia rerum eligendarum & convenientium discretio non est virtus obedientis, cui ea tantùm prudentia ac discretio convenit, quòd nolit suæ discretioni ac prudentiæ in rebus incertis inniti, maximè quando propria prudentia ac discretio obedientiam & obedientiæ meritum impediret. Jam urgeo argumentum in contrarium, & peto, quisnam audeat talem S. viri obedientiam improbare, quam omnes ut exemplum perfectissimæ subjectionis suspiciunt & admirantur? Constat tamen talia ex proprio capite citra peccatum fieri non posse, quia vita per illa evidenti mortis periculo sine necessitate exponitur; idque notorium erat non solùm Ignatio, sed etiam censori illi, qui prudentiam jubentis cum obedientis prudentia confundebat; & tamen quia illa objecta, ut substantia summi Pontificis præcepto, non erant certò mala. Ignatius absque ulla difficultate, immò cum summa alacritate ea præstitisset, quia confidebat, se per suum superiorem ad ea, quæ Deo placerent, & sibi congrua essent, dirigendum, ideoque paratus erat ad omnia, in quibus nullum erat manifestum peccatum; quia per hoc ipsum moraliter certus erat, talia objecta, ut superioris præcepto substantia, subdito licita evadere. Sed ut ista doctrina, atque S. Patris Ignatii obedientia planè mirabilis meliùs intelligatur:

Miranda S. Ignatii obedientia.

48. Respondeo quartò, me non omni superiori, sed aliquibus tantùm, si talia præciperent, obediturum. Ratio est, quia cùm illa objecta independenter à præcepto sint certò mala, utique obediendum non est, posito præcepto, nisi ipsa circumstantia præcepti aut ea reddat honesta, aut certè quoad subditum ea reddat non certò inhonesta. At quodvis præceptum, à quovis superiore profectum, non est ejusmodi circumstantia; quia fieri potest, ut quis habeat, & ex longa experientia sciat se habere superiorem imprudentem, quia talia sine ratione aliis sæpiùs præceperit, quique sit vir imperiosus, & parum cupidus boni subditorum, suamque tantùm dignitatem & imperium curet &c. hujusmodi superiori obtemperandũ non esset; quia cùm ex una parte res præcepta, sine imperio accepta, sit certò mala, & ex alia parte imprudentia & improbitas superioris obstet, quò minùs subditus rationabiliter præsumere possit aliquid adesse, quod ipsum lateat, ratione cujus res illa & actio immediatè præcepta non sit mala, ideò in tali casu non magis licet illi talia facere ex obedientia, quàm ex proprio capite sine obedientia. At si dignitas, probitas, & prudentia Prælati talis sit, ut subditus meritò præsumere possit, eum talia non imperaturum, nisi ex providentia quadam superiori, aut ex peculiari Dei instinctu ductus sciret, actiones à subdito immediatè exercendas hîc & nunc malas non esse, sed Deo placere; absolutè pronuncio quòd subditus in tali casu absque scrupulo obedire possit, quódque rem Deo gratissimam facturus sit, si ex prompto obediendi studio homini talia imperanti tanquam Deo obediat; idque verum est, etsi superior ille hîc & nunc præter rationabilem subditi expectationẽ à recta prudentiæ regula deviaret. Jam quia S. Ignatius moraliter certus erat, summum Pontificem, quem solùm superiorem habebat, talia non imperaturum, nisi altioribus rationibus atque singulari providentiâ duceretur, ideo accessio talis præcepti fuisset circumstantia ipsum certificans, quòd actiones ab ipso immediatè ex obedientia

Non obediendum est omni superiori jubenti ea, quæ citra obedientiam sunt certò mala.

Illi obtemperandum est, cujus præceptum efficit, ut res ex præcepto ponenda non sit certò mala.

ponendæ vel essent certò bonæ, vel certè quòd non essent certò malæ, & consequenter quòd hîc & nunc licitè ab ipso poni possent. Certè in tali casu quisquam prudenter præsumeret, summum Pontificem vel ex peculiari Dei instinctu talia præcipere, vel si ex providentia ac prudentia tantùm humana ea præciperet, alia media adhibiturum, quorum accessione nil mali ex obedientia esset secuturum. Si ex divino instinctu præciperet, & hoc prudenter præsumi posset, nulla in obediendo difficultas esset; si verò ex prudentia tantùm humana juberet, supponendum planè esset, eum solùm velle, ut subditus iter pedibus ingrederetur, aut navem illam conscenderet, ut sic obedientiam ac humilitatem subditi probaret in actione, quæ ex se præcisè mala non est, sed solùm ut conjuncta cum evidenti vitæ periculo; quod periculum ipsemet superior aliâ providentiâ, latente subditum, constituerat amoliri, mittendo exempli gratiâ paulò post triremem debitè instructam, quæ navem illam comitaretur, aut rhedam, quâ subinde, ubi opus esset, infirmus iter pedibus ingressus sublevaretur &c. Atque ideo in tali casu haud dubiè licitum esset obedire; quia subditus præsumere posset & deberet, superiorem alterutro ex istis providentiis gubernari; ideoque licitum sibi esse ponere actiones, quæ ex se indifferentes sunt, ut substent vel non substent extraordinariæ hujusmodi providentiæ; quæque proinde non sunt essentialiter malæ, sed posito tali præcepto sine peccato poni possunt, quia per illud aut per providentiam qua regulatur, evadunt bonæ.

49. Quòd si actiones, immediatè exercendæ à subdito, essent intrinsecè malæ, ut mentiri, blasphemare, votum castitatis violare &c. utique obediendum non esset, quia actiones illæ non sunt indifferentes, ut subsint extraordinariis circumstantiis, à quibus honestari possint. Jam qui ad exempla allata animum adjecerit, videbit illa in iis tantùm actionibus posita esse, quæ ex peculiari providentia honestari poterant, & de facto honestatæ fuerunt. Noverat Maurus mirandam prorsus sanctitatem atque cælestem prudentiam S. Benedicti, ideoque absque ulla hæsitatione ad illius vocem aquas ingressus est, quæ obedienti solidum iter præbuerunt. Idem credibile est, evenisse in Tyrone illo, qui accensum clibanum est ingressus. Similia haud dubiè præsumi poterant, & virtualiter saltem præsumpta sunt ab eo, qui filium proprium ad superioris jussum arripuit, ut eum in profluentem injiceret; & sanè quod præsupponi poterat ac debebat, reverà inventum fuit, quia ex providentia superioris factum est, ut nullum filio nocumentum ex Patris obedientia proveniret. Jam ergò qui tales superiores haberet, haud dubiè in omnibus ejusmodi, quæ stante præcepto, non sunt certò mala, laudabiliter obediret. In eisdem ipse etiam paratus sum obedire, quantum spectat ad superandam difficultatem obediendi ex timore peccati, si obedirem; quamvis fortassis ex vitæ amore difficultatem à me non superandam invenirem, aut ad gradiendum super aquas, aut ad me clibano ardenti immittendum &c. Sed hæc difficultas non est ad rem, quippe quæ defectum meum in obediendo, non defectum virtutis in obedientia præstanda argueret.

Nunquam obediendũ est circa actiones intrinsecè malas.

50. Dico ergò, quòd devota, cæca & fiducialis obedientia ab omnibus præstanda sit in simili casu, quando nimirum prudentia & probitas Prælati fundant præsumptionem, qualem obedientia in allatis exemplis contenta supponebat; quòd si illa

illa desit, in rebus certò malis in sensu diviso præcepti, obediendum non est, quia omnibus resistendum est, qui certò mala præcipiunt, nisi ipsi sua auctoritate efficiant, ut subditus meritò præsumere possit ea hìc & nunc non esse peccaminosa, aut certè non esse certò mala. Itaque quando hujusmodi exempla afferuntur, non proponuntur eo fine, ut per illa existimemus, quòd omnibus subditis liceat similia agere ad quemvis nutum cujusvis superioris, sed ut sciamus, quantum Deo placeat simplex odedientia, & ut incitemur ad hujus virtutis perfectionem procurandam, obediendo simpliciter & sine discussione in rebus ordinariè præceptis, quando aut nullo modo apparet rem præceptam esse malam, aut certè quando non est certum quòd sit mala. Cæterùm hujusmodi exempla solùm probant eodem modo obtemperandum esse in similibus casibus, quando scilicet circumstantiæ superioris præcipientis eodem etiam modo se habent. Et hoc probant quod nos concedimus.

Qui dubitat, an res ut subsistit præcepto sit licita, peccat, si obediat.

51. Cæterùm, ut omnis æquivocatio tollatur, notandum est, duobus modis dubium esse posse de honestate rei præceptæ. Primò, prout consideratur secundùm se, antecedenter & independenter à præcepto. Secundò, prout consideratur ut substans præcepto, seu prout se habet consequenter ad præceptum, dubitando an liceat rem facere, etiam stante præcepto, quod idem est ac absolutè dubitare, an liceat obedire in tali materia. Hoc posito, doctrina allata solùm procedit in casu prioris dubii, quia dubitare secundo modo, est practicè dubitare de honestate operationis hìc & nunc ponendæ: in tali autem dubio nunquam licet operari ob periculum, cui homo se exponit juxta dictamen suæ conscientiæ, ut omnes unanimiter fatentur, & ego fusè exposui *quæst. 18. de Consc. prob.* per totam. Itaque non licet obedire, nisi tale dubium deponatur per judicium, quo homo judicet, licitum esse obedire, seu, rem præceptam ut substantem præcepto hìc & nunc esse licitam, non obstante priori dubio de honestate rei illius secundùm se, & independenter à præcepto; per tale enim dictamen rationabiliter conceptum formatur conscientia, quæ immediatè regulat volitionem terminatam ad rem ut præceptam, seu ad rem in istis determinatis circumstantiis. Porrò, stante isto dictamine, priùs dubium evadit purè speculativum; quia non est amplius directivum operationis, utpote quæ amplius non versatur in illis circumstantiis, relatè ad quas dubitatur, sed in aliis in ordine ad quas non dubitatur; ac proinde prius dubium practicè deponitur per principia reflexa, per quæ conscientia formatur.

ASSERTIO QUINTA.

Propositum sit explicare, an & quomodo liceat obedire contra propriam opinionem, dictantem rem præceptam esse peccatum.

Obediendū est contra proprium judicium actuale, quando res præcepta, nec est, nec apparet mala.

52. DIXI, *contra propriam opinionem, dictantem rem præceptam esse malam*, quia indubitatum est, quòd in rebus bonis aut indifferentibus liceat contra propriam opinionem obedire. Cùm enim res præcepta nec sit nec appareat mala, haud dubiè subditus, saltem quoad executionem, regulandus est per judicium & voluntatem superioris, cui obedientiam debet, non per proprium judicium & voluntatem, quibus renunciavit. Itaque in tali casu obediendum est, quamvis subditus non concordet in suo judicio cum superiore, eò quòd superior judicet rem esse fini proposito valdè utilem, atque ideo illam præcipit; cùm subditus è contrario existimet, rem ejusmodi nullatenus ad talem finem, sed ad oppositum prorsus conducere. Nec solùm obediendum est in tali casu, sed sanctissimè fecerit subditus, si proprium judicium neget, atque illud deponat, seque per omnia superioris judicio conformet, quousque intellectus ex vi piæ voluntatis flecti potest ad assentiendum superiori, ut solidè ac efficaciter probat S. P. N. Ignatius in *Epistola de obedientia*, allatis rationibus & auctoritatibus, quibus nemo meritò refragari potest. Et sanè, quod in tali casu cæco modo obediendum sit, subjiciendo se homini loco Dei, credendo omnia esse justa & recta, omnes consentiunt. Immò SS. PP. & Magistri vitæ spiritualis perfectionem obedientiæ in hoc ipso magna ex parte constituunt, cùm apertè dicant, neminem absque tali dispositione posse ad perfectionem obedientiæ pervenire. Videatur Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* ubi innumeros fermè in hujus rei confirmationem adducit. Mihi sufficiat hæc insinuasse, quia in re indubitata non est opus diutiùs insistere.

Tota ergò difficultas est, an liceat obedire contra propriam sententiam, quando scilicet subditus existimat, rem esse illicitam, quam superior præcipit & arbitratur esse bonam. Porrò, ut res clariùs examinetur, supponendum est, subditum sic opinantem opinari propriè, & non habere certitudinem de inhonestate rei præceptæ, quia tunc haud dubiè obediendum non esset. Similiter si habeat probabilitatem de inhonestate, & nullam de honestate rei, tenetur suas rationes proponere, atque superior juxta dicta eas audire tenetur; quod si, illis auditis & consideratis, superior (de cujus probitate & prudentia subditus meritò confidit, eò quòd sciat illum non ex passione & præcipitanter solere præcipere) adhuc in sua sententia persistat, credatque rem esse licitam, illamque præcipiat, tunc quæstio locum habet, sicut habet à fortiori, quando de rebus utrimque probabilibus subditus & superior dissentiunt in suis judiciis. Jam in ejusmodi casibus dico universaliter, subditum & posse & debere obedire, modò opinio illius solùm dictet rem secundùm se consideratam esse malam, & nil enunciet de ejusdem malitia etiam posito præcepto; quia si crederet rem illam, non solùm secundùm se, sed etiam ut præcepto substantem, esse malam, utique peccaret obediendo, quia operaretur contra ultimum & practicum conscientiæ dictamen. Jam dubium nullum est quin subditus obedire possit, si propriam opinionem deponat; cùm enim simpliciter teneatur obedire, tenetur etiam media ad obediendum necessaria adhibere. Ergò si conscientia dictans rem esse malam conjungi non possit cum bona fide de honestate obedientiæ, utique tenetur eam deponere, & sic conscientiam de suæ operationis honestate formare. Et sanè optimum consilium est, ut in rebus incertis omne ejusmodi judicium suspendat. Sed jam quærimus, an obedire possit, quamvis actualem suam opinionem retineat. His positis,

53. Probatur assertio. Inprimis *ex cap. inquisitioni, de sent. excom.* constat, debitum conjugale reddendum esse consorti illud exigenti, non solùm quando quis dubitat, sed etiam quando probabiliter & discretè opinatur, matrimonium esse nullum,

Conjux tenetur debitum reddere, etsi probabiliter credat ma-

trimonium eſſe malum. nullum; exigit quidem Pontifex, ut levis credulitas nullitatis matrimonii explodatur, antequam liceat debitum petere; quia ſtante tali credulitate, nulla ſunt principia, quæ applicari poſſunt ad formandam conſcientiam permittentem. At ubi loquitur de obligatione reddendi debitum, non poſtulat talem explosionem, quia rationem dat, vi cujus conſcientia poteſt & debet formari per principia reflexa, quæ æqualem vim habent practicè formandi conſcientiam, ſive actu exiſtimet, ſive actu non exiſtimet impedimentum adeſſe. Ratio, quam Pontifex affert, his verbis exprimitur. *Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta; debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugis, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Ex qua ratione ſic formatur conſcientia. Reddendum eſt debitum quoties exigitur, quando non eſt evidens & manifeſtum, impedimentum intervenire, quamvis ille, à quo debitum petitur, probabiliter & diſcretè ſed formidoloſè exiſtimet tale impedimentum adeſſe, ne lex matrimonii, quæ petenti & poſſeſſori bonæ fidei favet, violetur. Sed debitum hîc & nunc exigitur à me, & non eſt evidens, impedimentum intervenire, quamvis probabiliter ſed formidoloſè exiſtimem illud adeſſe. Ergò hîc & nunc reddendum eſt debitum, ne lex matrimonii, quæ petenti & poſſeſſori bonæ fidei favet, violetur. E contrario, ſtante tali credulitate, petere non poteſt, quia nullum adeſt principium reflexum, ex quo aliter formare poſſit conſcientiam, quàm ſicut ex directis eam formavit; ideoque illa ipſa credulitas in tali caſu eſt practicum conſcientiæ dictamen, cui abſque peccato nemo poteſt contravenire. At eadem prorſus ratio locum habet in obedientia, quando ſuperior bonâ fide præcipit; quia ſubditus, non obſtante ſuo probabili judicio de inhoneſtate rei præceptæ, poteſt & debet per principia reflexa formare practicum conſcientiæ dictamen de honeſtate obedientiæ ſuæ hic & nunc, etſi ſpeculativè loquendo & in ordine ad alias circumſtantias probabiliter exiſtimet actum illum eſſe malum.

Idem dicendum de obedientia.

54. Probatur ſecundò auctoritate unanimi PP. & Theologorum dicentium, obediendum eſſe, quamdiu non eſt certum, rem præceptam eſſe malam. Sed non eſt certum quòd ſit mala, etſi probabiliter credatur eſſe talis ſecundùm ſe, & independenter à circumſtantia præcepti. Ergò obediendum eſt, non obſtante tali judicio in ſubdito.

Idipſum ex PP. conſenſu probatur.

Et ſanè quoad hoc eadem prorſus eſt ratio de dubio, ac de judicio actuali. Nam æquè non licet facere, de quo dubitatur an ſit honeſtum, ac de quo quis probabiliter exiſtimat, quod ſit malum; in utroque enim caſu haud dubiè peccatur. At, non obſtante dubio de honeſtate rei præceptæ ſecundùm ſe & independenter à præcepto, juxta omnes obediendum eſt, quia illo non obſtante, dantur principia reflexa, ex quibus conſequenter ad præceptum conſcientia debitè formatur. Unde fit, ut dubium illud antecedens non ſit practicum ſed ſolùm ſpeculativum, contra quod agere licet. At eadem eſt ratio de judicio incerto; illud enim non eſt proxima regula operationis, ſtante præcepto, quia conſcientia ex aliis principiis formatur, ex quo fit, ut prius illud judicium in ordine ad iſtam operationem in iſtis circumſtantiis, ſit merè ſpeculativum non practicum, contra quod proinde agere licet.

Non minùs licet obedire contra propriam opinionem, quàm in dubio.

55. Probatur tertiò, ſtandum eſt legi certæ potiùs quam incertæ, quia certum prævalet incerto, quando lex certa præcipit idem objectum, quod lex incerta prohibet. At certum eſt, quòd exiſtat lex ſeu mandatum ſuperioris, qui loco Dei præcipit illud, quod lex incerta & ſolùm opinata vetat. Ergò ſtandum eſt præcepto certo ſuperioris contra legem incertam & opinatam ſubditi.

Lex certa præferenda eſt legi incertæ, quando utraque verſatur circa idem objectum.

Huc accedit illud aliud argumentum, quod ſuperior, utpote certus ac indubitatus poſſeſſor bonæ fidei, non ſit privandus jure ac poſſeſſione ſua certâ, ob incertas ſubditi exceptiones. Sed opinio ſubditi in contrarium ſupponitur eſſe ſolùm probabilis & incerta. Ergò propter illam ſuperior ſuo jure ac poſſeſſione privandus non eſt. Ergò ſubditus, non obſtante ſuo illo judicio, obedire debet.

56. Probatur quartò à priori. In caſu præſenti, conſcientia dictans obediendum eſſe non fertur ad idem prorſus objectum, ad quod fertur opinio dicens illud eſſe malum; quia ratio dictans obediendum eſſe conſiderat objectum ut ſubſtans ſpeciali circumſtantiæ, nempe prout bona fide imperatur à ſuperiore, & prout ſubditus agnoſcit, ſe multam habere certitudinem quòd objectum præcisè ſecundùm ſe ſit vetitum. At opinio ſubditi non fertur ad hoc objectum, prout afficitur ab iſtis circumſtantiis, ſed præſcindit ab illis. Ergò duo iſta judicia ſibi non contrariantur, ſed ſimul exiſtere poſſunt in intellectu. Ergò obediendum eſt, etiam in ſenſu compoſito dictæ opinionis in ſubdito; quia judicium conſiderans objectum illud ut præceptum eſt judicium ultimum, ſeu practicum conſcientiæ dictamen, contra quod nunquam agere licet. At prius judicium eſt merè ſpeculativum in ordine ad operandum in iſtis circumſtantiis, quia nullo modo illas reſpicit, ideoque nullo modo praxim dirigit. At juxta omnes (& Celladeus *in hac quæſt.* fatetur idipſum) licet operari & conſulere contra propriam opinionem merè ſpeculativam, quando judicium practicum conſiderat rem in ordine ad circumſtantias ſpeciales, variantes rem in ordine ad moralem exiſtimationem; quia illa judicia non opponuntur, & unum ſolum ex illis hîc & nunc dirigit opus. At hic eſt caſus noſter. Ergò ſubditus obedire debet contra propriam opinionem.

Judicium de inhoneſtate rei ſecundùm ſe non repugnat cum judicio de ejuſdem honeſtate quando præcipitur.

57. Probatur quintò. Niſi hoc liceret, tota vis obedientiæ labefactaretur, neque ſubditi pacificè gubernari poſſent. Quia unuſquiſque facilè prætenderet, opus præceptum ſibi videri malum. Et ſic eluderet præceptum ſuperioris. Uno verbo omnia inconvenientia, quæ ſequerentur, ſi non liceret obedire in dubio, æquè ſequerentur, ſi non liceret obedire contra propriam opinionem. Ergò æquè licet contra illam ac in dubio obedire.

Ultima ratio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES primò. Ita diſcurrendum eſt de ratione & opinione ſubditi contra juſſa ſuperiorum, ſicut diſcurrunt Theologi de conſcientia erronea vincibili; quia talis eſt omnis noſtra conſcientia, qualis eſt ratio. Atqui de conſcientia vincibiliter erronea duo tradunt Theologi cum S. Thoma *1. 2. quæſt. 19. art. 6.* Alterum eſt, quòd homo ſimpliciter & abſolutè non teneatur implere conſcientiam taliter erroneam, quia ſimpliciter & abſolutè potiùs tenetur ad eam deponendam. Alterum eſt, quòd in ſenſu compoſito ejuſmodi erroris

Objectio 1.

erroris homo obligetur ad non contraveniendum conscientiæ suæ erroneæ. Unde consequens est, ut talis homo necessariò peccaturus sit, faciat quodcumque voluerit, ut tradit S. Thomas *loco citato ad 3. & de verit. quæst. 17. art. 4. ad 8.* Ita pariter dicendum de subdito, scilicet quod per se loquendo & ut plurimùm teneatur obedire, quia absolutè & ut plurimum tenetur ad deponendam suam opinionem & conscientiam. Ratio est, quia opinio subditi contra jussa superiorum per se loquendo & plerumque est ratio errans, & consequenter per se loquendo & plerumque constituit conscientiam erroneam. Ergò per se loquendo & plerumque tenetur subditus eam deponere, & obedire; quod si eam non deposuerit, peccabit quodcumque fecerit; peccabit enim nisi obediat, cùm conscientia erronea non excuset; peccabit autem si obediat, quia contra conscientiam operabitur. Ita Celladeus *lib. 3. quæst. 14. § 2.*

Doctrina Celladei falsitatis arguitur

Respondeo totam hanc Celladei doctrinam & speculativè falsam esse, & ad subditos circa obedientiam practicè dirigendos prorsus inutilem. Est speculativè falsa, quia supponit conscientiam subditi obedientiam præstituri constitui per opinionem, quam habet de malitia objecti præcepti. Nisi enim hoc supponatur, totus discursus, prout doctrina de conscientia erronea applicatur ad opinionem illam, procedit de subjecto non supponente. At falsum est, quod talis opinio constituat conscientiam in subdito; constat enim, quod illa merè speculativè se habeat, cùm nil enunciet de objecto relatè ad præsentes circumstantias, in quibus versatur operatio; nil enim dicit de objecto illo prout substat præcepto, sed præscindit ab omni ejusmodi circumstantia; & tamen operatio subditi in casu præsenti versari debet circa objectum illud ut præceptum. At conscientia practicè constituta est judicium de objecto, prout subest omnibus circumstantiis, in quibus est operatio. Ergò talis opinio non est conscientia. Ergò doctrina de conscientia ad illam applicari non potest. Uno verbo, ut argumentum urgeat, debet procedere solùm de opinione subditi, quando subditus opinatur, quod objectum illud sit ipsi illicitum, etiam stante præcepto. At in hoc sensu omnes admittimus, quòd necessariò peccaturus sit, si stante tali judicio obediat; quia operatio erit contra conscientiam. At si non obediat, non illicò peccaturus erit, quia quamvis illud judicium sit erroneum, ille tamen error potest esse invincibilis in aliquo; in quo casu non peccaret non obediendo, ut patet.

Doctrina Celladei inutilis ad gubernandos subditos.

59. Eadem doctrina ad subditos circa obedientiam dirigendos est prorsus inutilis, quia cùm non fit universalis resolutio, nil est in quo subditus figere pedem possit. Certè ex eò quòd solùm sciat, opinionem contra jussa superiorum esse plerumque deponendam, quia est plerumque erronea, non potest determinari ad existimandum, quòd hîc & nunc obligetur ad eam deponendam, quia propria cujusque opinio est ipsi probabilior, ut Celladeus in hac ipsa quæst. fatetur; unde ipsi probabilius est, quòd superior hîc & nunc erret, quamvis sub aliis terminis per notionem generalem existimet, judicia subditorum contra jussa superiorum esse plerumque falsa. Porrò hæc exceptio locum habet respectu subditi in omni casu, de quo procedit objectio; quia procedit in sensu composito judicii dictantis rem præceptam esse malam. Ergò nunquam scire poterit subditus, an obediendum sit hîc & nunc, quia per adversarium aliquando non tenetur conscientiam deponere, sed peccat eam deponendo & obediendo. Quod si verum sit, nulla erit possibilis via ad illum liberandum à timore peccati; quia nunquam scire poterit, an superior hîc & nunc erret potiùs quàm non erret; cùm ipsi longè verisimilius sit, quòd erret. Ergò hæc doctrina praxi inutilis est, & ad aliud non deservit, quàm ad dubia & perplexitates creandas.

Non rectè discurrit Celladeus.

60. Præterea peto à Celladeo, quodnam sit principium, ex quo subditus in sententia ipsius possit ac debeat conscientiam, seu potiùs opinionem suam deponere? an illud, quod subditus plerumque erret damnando jussa superiorum? si hoc: contrà; quia jam non aliquando, non plerumque, sed semper tenebitur obedire; semper enim debebit conscientiam deponere, quia illud principium, non obstante apparentiâ maximâ de errore superioris, urget conscientiam per se. Ergò semper urget. Ergò semper obediendum est. Quod si non huic sed alteri principio subditus nitatur, afferat illud, si possit. Interim nullum est, nisi quod probat, obedientiam esse universaliter præstandam, quod verum est, ut constat ex dictis. Nec inde sequitur, quòd subditus obligetur ad deponendam suam opinionem, quia, illa non obstante, obedire potest, ut dictum est. Quod si non posset obedire, illâ stante, quia non posset formare conscientiam de honestate suæ obedientiæ, tunc certè semper obligaretur ad eam deponendam, & eâ depositâ ad obediendum. Sed antecedens falsum est.

Inconsequentia Celladei, ejusque contradictio.

61. Est & aliud notatu dignum, scilicet Celladeum in hac doctrina inconsequenter discurrere ad ea, quæ antea ut inconcussa novæ suæ opinationis fundamenta tradiderat; nempe unum Doctorem contra alium, & multò magis unum contra plures non facere opinionem probabilem, quæ sumi possit pro formanda conscientia. Atqui doctrina præsens prorsus contrariatur doctrinæ illi. Peto enim, quid sibi velit quando dicit, opinionem subditi contra jussa superiorum esse plerumque falsam? seu quod idem est, opinionem superioris contra opinionem subditi esse plerumque veram? Estne sermo de tota collectione opinionum superioris, involvendo tam eas in quibus neminem contradicentem habet, quàm eas in quibus habet contradicentes? An restringitur sermo solùm ad opinionem Prælati, contra quam probi & periti contrarium sentiunt? si primum: iterum peto, an ideo subditus possit conscientiam suam deponere & subscribere superiori, quia superior plerumque non errat in sensu jam explicato, & consequenter quia subditus sic operando sequitur regulam plerumque non errantem? si hoc dicat, idem necesse est dicat de opinione cujusvis Auctoris probi & periti, quia ille plerumque verum dicit. Ergò qui sequitur illius auctoritatem, nititur regulæ verè probabili, seu plerumque non erranti; & consequenter tam liber erit à peccato, quàm subditus obediens suo superiori, modò conscientia utriusque non ex principiis reflexis, sed solùm ex directis, ut vult Celladeus, formetur. Ergò tota illius doctrina, de distinctione probabilis veri & usualis, seu probabilis secundùm esse & dici corruit, quia quod ille contendit esse probabile secundùm dici, jam est verè probabile secundùm esse, & consequenter probabilitas fundata in auctoritate unius doctoris est sufficiens regula conscientiæ debitè formandæ etiam quando opinatur contra alios.

Superior in rebus utrimque proba-

62. Si dicat secundùm, & sermo restringatur ad res incertas & utrimque opinabiles, peto à Cella-

bilibus æque obnoxius est errori ac alius.

Celladeo, ut non assumat, sed probet, quòd opinio superioris plerumque verum dicat, & opinio subditi contra superiorem plerumque erret. Hoc nisi probaverit, nil concludet; incertum enim erit, an subditus sequatur regulam plerumque non errantem, quia incertum erit, an opinio superioris in rebus incertis, quæ utrimque à peritis in dubium revocantur, sit plerumque vera. Et sanè officium superioris in hujusmodi quæstionibus nil conducit ad hoc, ut ipsius resolutio in rebus ejusmodi sit potiùs vera, quàm resolutio non superioris, quia superioritas nullum dat privilegium non errandi; quod & per se patet, & ex eo colligitur, quòd superiores ipsi non minus differant in suis opinionibus circa res ejusmodi, quàm non superiores. Ergò subditus titulo superioritatis præsumere non potest, suum Prælatum non errare, cùm noverit alios tam superiores, quàm subditos tenere oppositum. Unde ergò probabit, superiorem in tali casu plerumque non errare? viderit ipse. ego quidem existimo, id etiam verum esse, sed nullo rei us fundor in ratione Prælaturæ. Ratio ergò est, quia omnes probi Auctores, omnesque etiam viri periti & pii plerumque verum dicunt, etiam in resolutionibus hinc inde controversis, si tota collectio talium resolutionum in unum colligatur. Moveor ad hoc dicendum, quia lumine naturæ notum est, Auctorem gravem, materiæque quam tractat peritum, dignum esse fide circa suam resolutionem, quam tenet contra alios oppositum sentientes, modò eorum rationes discusserit, & præsumi non possit ex passione aut negligentia sententiam tulisse. Ergò lumine naturæ notum est, quòd plerumque non erret in hujusmodi resolutionibus; alioquin ejusmodi resolutio non esset digna fide.

Objectio.

63. Ob. 2. Ponamus, superiorem præcipere subdito malè valenti solutionem jejunii in quadragesima, manente subdito in actuali opinione, quòd sit peccaturus, nisi per quadragesimam jejunet. Talis subditus inevitabiliter peccabit, si stante tali judicio obediat, & jejunium solvat. Ratio est multiplex. Inprimis subditus ille ageret contra propriam opinionem & conscientiam, quia actu existimaret omnem ejusmodi fractionem jejunii esse illicitam in universali; nec quidquam haberet speciale, cur non idem judicet de hac sua solutione jejunii. Secundò, sic judicans existimat Deum nolle ut solvat jejunium. Ergò non potest simul judicare Deum velle, ut illud solvat, seu ut obediat superiori, qui Deo contrarium jubet. Ergò non judicat præceptum superioris esse obligatorium, cùm judicet illud contrariari præcepto ac voluntati divinæ. Quomodò enim obligare potest, cùm tota virtus obligandi in superiore in eo sita sit, quòd voluntati superioris adsit voluntas divina, illamque roboret. Tertiò, hinc sequitur, eos nimis superficialiter sententiam suam tradidisse, qui dicunt obediendum esse præcepto, quia præceptum est certum, quod ideo prævalet exceptioni incertæ. Præceptum enim non verbale, sed verum, reale, ac certum est, quod habet vim obligandi ob suam rectitudinem & conformitatem cum voluntate divina. At hoc non est certum subdito in casu nostro, maximè cùm subditus stante illâ suâ opinione, non possit mentaliter enunciare, quòd voluntas superioris sit conformis voluntati divinæ. Quartò demùm, hic est casus Prætoris & Imperatoris, quem ex Aug. & S. Thoma Theologi usurpant. Ita Celladeus *hic* §. 3.

Celladeus

Respondeo, casum indebitè propositum esse; proponitur enim, ac si subditus vel formaliter vel æquivalenter existimaret, nullo modo sibi licitum esse frangere jejunium, etiam stante præcepto, quo superior jejunii solutionem exigit. At in hoc sensu frustra prætendit Celladeus, se communem sententiam impugnare, quia hoc ipsum omnes communiter docent, & nos illis assentimur. Itaque ut casus sit ad rem, debet ita proponi, ut subditus solùm judicet causam solvendi jejunium, quàm superior sufficientem existimat, non esse sufficientem, superioremque in hoc suo judicio directò errare, adeo ut hæc persuasio subditi prorsus præscindat ab eo, an liceat vel non liceat obedire hîc & nunc, stante præcepto. Jam quæstione sic legitimè constitutâ, tota objectio procedit de subjecto non supponente. Inprimis falsum est, quod subditus obediendo faciat contra suam conscientiam; quia talis ejus opinio merè speculativè se habet in ordine ad praxim, quia perfectè præscindit ab eo, an solutio jejunii hîc & nunc, stante præcepto, sit vel non sit licita. Jam licitum est subdito agere contra suam opinionem speculativam, Celladeo ipso fatente, quando hîc & nunc in ordine ad praxim datur peculiaris circumstantia mutans moralem considerationem objecti, quod ille per se loquendo reputat esse malum.

Incongruè proponit argumentum.

Et quidem falsum est, subditum in hoc casu non habere quidquam speciale ad existimandum, quòd hîc & nunc hæc solutio jejunii sit ipsi licita, quamvis in universali credat, causam hîc & nunc directè prætensam non esse sufficientem; ipse enim status subjectionis & præceptum superioris existimantis rem præceptam esse directè licitam (contra quam opinionem superioris subditus non habet exceptionem nisi fallibilem, & purè opinativam) sunt circumstantiæ adeo mutantes dispositionem subditi in ordine ad obediendum, stante præcepto, ut ob illas, omnes fermè Auctores existimaverunt, subditum obedire debere hîc & nunc stante præcepto, non obstante peculiari ipsius opinione, quod superior erret in sua opinione de sufficientia motivi ad solvendum jejunium. Nullâ ergò specie veritatis dixit Celladeus, nullum in hoc casu adesse peculiare motivum pro formanda conscientia, stante præcepto, quod non habetur in universali illo judicio, quo subditus existimat, causam solvendi jejunium non esse sufficientem, quam superior sufficientem existimat. Dicíne potest, eam causam esse nullam, quæ omnes fermè Auctores traxit ad existimandum, quod liceat subdito obedire contra suam privatam ac universalem opinionem?

Patens Celladei error.

64. Eâdem æquivocatione laborat illud, quod subditus existimet, Deum nolle ut solvat jejunium: Ergò non potest simul judicare Deum velle ut solvat jejunium; subditus enim solùm judicat, Deum nolle ut solvat jejunium, si præscindatur à præcepto superioris, & causa solvendi jejunium directè consideretur. Verùm hoc judicio non obstante, existimare potest solvendum sibi esse jejunium stante præcepto, quia existimare potest, Deum velle ut stante præcepto solvat jejunium, quamvis existimet, Deum nolle jejunium solvi, si præscindatur à præcepto. Dubium enim nullum est, quin in Deo sint duæ voluntates, una quæ improbat aliquod opus ut malum, si spectetur secundùm se; alia qua eandem non improbat, stantibus quibusdam circumstantiis. Sic Deus improbat petitionem & redditionem debiti inter personas verè non conjugatas. Et tamen non improbat, sed probat utrumque, quando conjuges

Eadē æquivocatio in aliis argumentis latet.

conjuges existimati nullam habent rationabilem suspicionem de nullitate contractûs; imò Deus præcipit reddi debitum conjugi bonæ fidei illud exigenti, quamvis reddens debitum dubitet, in ò existimet matrimonium esse nullum, dummodò non sit certus de nullitate. Idem penitus valet in casu nostro, aliisque similibus. Nec mirum, quia non solùm homines, sed etiam Deus ipse, sæpè aliter & aliter volunt & enunciant de eadem re secundùm diversas circumstantias, ut contingit in casu nostro.

Præceptum humanum quomodo sit titulus certus, dum versamur in incertis.

65. Neque superficialiter, sed solidissimè locuti sunt, qui dixerunt, obediendum esse præcepto, quia præceptum est certum, & ideo prævalet exceptioni incertæ. Quid enim clarius, quàm quòd homo, qui certò est superior, & in possessione sui superioratûs, atque actu jubet illud, quod post debitam diligentiam credit & fortassè certò scit esse honestum, non sit privandus possessione ac jure suo ob incertam subditi exceptionem? quis non videt illud à sacris Canonibus expressè tradi ac juberi in ordine ad reddendum debitum? Eadem porrò ratio est de casu nostro, aliisque similibus. Nec dicas, præceptum non verbale, sed solùm verum & reale & certum habere vim obligandi ob rectitudinem & conformitatem cum voluntate divina. At hoc non est certum subdito in casu præsenti, cùm subditus, stante illo suo judicio, non possit ne quidem mentaliter enunciare, quòd voluntas superioris sit conformis voluntati divinæ. Ergò præceptum non est illi certum. Nam contra est, quia certum est subdito, quod existat præceptum humanum, non solùm verbale, sed verum ac reale; quo scilicet superior non verbaliter tantùm, sed etiam realiter & actualiter vult subditum obligare, saltem hoc constare potest subdito, & quoad nos debet id ipsum constare, eò quòd præsumendum sit, superiorem habere voluntatem quam verbis exprimit. Jam hoc solum est, quod nos nomine præcepti certi intelligimus, & dicimus, tale præceptum certò existens, junctum possessioni actuali indubitati superioris, esse titulum præferendum omni incertæ exceptioni subditi. Jam non est necesse, ut hoc præceptum sit reverâ conforme voluntati divinæ directæ, quam superior existimat adesse, aut quòd ab illa robur accipiat, quia per omnes, etiam per ipsum Celladeum, certò obediendum est, quando inferior absque ulla dubitatione credit superiorem verum dicere, maximè si nullam habeat rationem de eo dubitandi; & tamen neque in eo casu certum est, quòd præceptum superioris sit conforme tali voluntati divinæ, quia fieri potest ut & superior & subditus errent in suis judiciis. Ergò certitudo obligationis hic & nunc non oritur à certitudine conformitatis inter præceptum superioris & directam Dei voluntatem, quæ antecedit præceptum superioris, sed aliunde; nempe à conformitate præcepti cum divina voluntate reflectente supra ipsum præceptum humanum, seu à voluntate divina, quæ non enunciat de re secundùm se, sed de re ut substante opinioni & præcepto superioris. Atqui subditus enunciare potest, præceptum superioris esse conforme huic voluntati divinæ reflexæ, & ab illa robur accipere, quamvis illud enunciare nequeat de voluntate Dei directa & antecedente. Hinc consequens est, quòd præceptum superioris non solùm possit esse certum subdito quoad ejus existentiam, sed etiam quoad vim obligandi ortam à divina voluntate reflexa, etsi nulla sit certitudo de obligatione, quam trahit à voluntate Dei directa.

Præceptum humanum in incertis robur accipit à voluntate Dei reflexa.

Paritas facit pro nobis.

66. Demùm certum est, quòd iste non sit casus Prætoris & Imperatoris, quem ex Augustino & D. Thoma Theologi accipiunt; nam casus ille solùm procedit, quando certum est, Imperatorem aliud velle, aliud Prætorem; tunc enim indubiè obediendum est Imperatori. At longè aliud esset, si quis certò audiret jussionem Prætoris, quam ille diceret esse conformem voluntati Imperatoris, dum miles aliquis fallibiliter opinaretur, sed non sciret, voluntatem Imperatoris esse aliam; in hoc casu malè faceret miles non obediendo Prætori, quia præsumendum est Imperatorem nolle milites ob tales suspiciones incertas eximi ab obedientia Prætoris. Neque Augustinus, aut S. Thomas, aut Theologi docent aut insinuant contrarium. Ecce paritas ista non improbat, sed probat nostram sententiam.

Objectio 3.

67. Ob. 3. Distinctio illa divinæ voluntatis directæ, antecedentis, ac primariæ à voluntate divina reflexa, consequente, secundaria, & ex suppositione (de qua locuti sumus tam in probatione conclusionis, quàm in responsione ad præcedentem objectionem) nulla est. Ergò tota nostra doctrina ruit. Probatur antecedens. Inprimis distinctio illa locum non habet in rebus per se malis; in iis enim Deus nullam voluntatem habet, nisi purè permissivam, non tollentem sed supponentem rationem peccati. Ergò Deus ne quidem voluntate consequente vult talia fieri à nobis, si præcipiantur à superiore.

Secundò, si Deus haberet tales voluntates, obediendum esset superioribus, etiam quando præcipiunt quæ manifestè repugnant voluntati divinæ; quia etsi illa contrariarentur voluntati Dei antecedenti, adhuc conformia essent voluntati consequenti, quia retractaret omnes voluntates antecedentes. At consequens & per se absurdum est, & repugnat communi doctrinæ Patrum, docentium non obediendum esse homini præcipienti contrarium Deo. Probatur antecedens, quia Deus in iis, de quibus ipse, nemine consulto, per se legem tulit, non potest aut legem aut voluntatem suam subordinare legi & voluntati superiorum, alioquin se spoliaret primatu suo, & superiores divinitate donaret. Itaque voluntas superiorum resolvi debet in voluntatem divinam tanquam in primam regulam, & non vice versâ. Eadem ratio probat, sapientiam divinam spoliari non posse primatu in gubernando dirigendóque homines in finem suum. Unde omnis ratio humana dirigens & regulans resolvi debet in divinam sapientiam. At nulla falsa est resolubilis in divinam, nec participativè, nec conformativè. Nulla ergò falsa dirigit & regulat, id est rectè. Ita Celladeus §. 4. qui ad assertum hoc suum tam singulare ac novum comprobandum, rationes alias non affert; cùm procul dubio in re tanti momenti unusquisque validissimas expectasset; sed condonandum ei est, quia meliores non habuit.

An S. Pater Ignatius agnoverit voluntatē Dei reflexam?

68. Unum tamen ibidem in confirmationem addúcit, scilicet S. P. nostrum Ignatium *in Epistola de obedientia*, & notam habuisse, & supposuisse, hanc doctrinam. Hoc inde probat, quòd S. Pater, intendens suos formare ad ultimum ac perfectissimum obedientiæ gradum, qui in conformitate judicii subditi cum judicio superioris consistit, nullam talem voluntatem consequentem Deo affinxit; quia, illâ admissâ, nulla erat ratio discordandi, nullâ secus opinandi & judicandi; per ipsam enim voluntatem superioris subditus nosceret illam voluntatem Dei consequentem

quentem, ideoque fatuum esset ulteriùs quærere, an bonum esset, quod jubebatur, supponit ergò nil tale dari. Proinde totus in eo est, ut subditis persuadeat, judicium superioris esse conforme sapientiæ & voluntati divinæ, ad quod probandum multa adducit, quæ omnia vana essent, si dictæ duæ voluntates distinguerentur. Una ergò tantùm est, quam ut subditus assequatur, conformare se debet judicio superioris, quod plerumque non errat. Itaque præclarus obedientiæ Doctor omnia resolvit ad conformitatem cum voluntate Dei, & ideo nec dixit, nec innuit, quòd salva sit obedientia, sive superior erraverit sive non erraverit, sed totus in eo versatur, ut ostendat, judicium superioris non errare, & conformitatem judicii in subdito cum judicio superioris esse medium ad habendam conformitatem cùm sapientia & voluntate divina. Ita Celladeus.

Aliquando Deus habet voluntatem excusantem à peccato in rebus per se malis.

69. Respondeo, Celladeum malè supponere tanquam principium per se notum, quòd Deus in rebus per se malis nullam habeat voluntatem nec antecedentem nec consequentem, nisi purè permissivam, non tollentem, sed supponentem rationem peccati; ideoque Deum non habere voluntatem, ut illa fiant, tametsi à superiore præcipiantur. Tantùm enim abest, ut hoc sit principium per se notum, ut sit certò falsum, & Celladeus in hoc ipso sibi apertè contradicat. Est certò falsum, quia certum est, quòd ex suppositione erroris invincibilis circa talia objecta, Deus sæpè habet voluntatem non solùm auferentem rationem peccati ab objecto per se malo, sed etiam exigentem positionem talis operis sub pœna peccati. Exemplo sint conjuges bonæ fidei invincibiliter existimantes matrimonium suum esse validum, nullamque suspicionem habentes se ullo impedimento teneri, quò minùs ad prolem gignendam debitum licitè petere & reddere possint. In hoc casu qui certè aliquando datur, Deus obligat consortem ad reddendum debitum petenti, quia irremediabiliter peccat, si debitum neget. Ergò Deus habet voluntatem aliquam, non solùm purè permissivam, non auferentem sed supponentem rationem peccati, verùm, habet etiam voluntatem absolutè permittentem, & tollentem rationem peccati ab illo actu, imo habet voluntatem strictè obligantem ad ponendum illum actum. At ista voluntas non est voluntas primaria & directa, quæ fertur in illam rem, illa enim aversatur rem illam ut malam, eamque prohibet, non jubet. Ergò diversitas hæc voluntatum negari non potest in Deo, etiam circa res per se malas. Præterea ponamus casum, quod tam superior quàm subditus invincibiliter errent circa rem præceptam, nec ullam suspicionem habeant de illius malitia, cùm tamen verè sit mala & prohibita; in hoc casu peto à Celladeo, an subditus peccet obediendo? imò an non sit peccaturus, si obedientiam neget? Respondebit utique eum non peccaturum obediendo, sed peccaturum si obedientiam neget, quia hæc est expressa ipsius sententia. Ergo jam in materia obedientiæ admittit in Deo diversas istas voluntates, quas tamen in hac ipsa materia, & in omni alia, Deo denegat. Et sic in hac ipsa materia sibi & indubitatæ veritati contradicit.

Celladei contradictio.

Deus nullã habet voluntatem, ut faciamus ea, quæ certò novimus esse mala.

70. Ad 2. Resp. Mirum esse, hanc Celladeo apparere potuisse necessariam illationem, quòd locus dandus sit istis voluntatibus in Deo circa evidenter mala, si detur circa mala invincibiliter credita bona, aut etiam præcepta; vel si detur circa mala, quæ non sciuntur, sed solùm opinativè creduntur mala. Mirum, inquam, est, cùm summi Pontifices contrarium viderint, ac declaraverint, omnesque Theologi claram inter illa duo repugnantiam agnoverint. Pontifex quidem *in cap. inquisitioni, de sent. excom.* declarat, conjugem certum de impedimento Matrimonii, non posse debitum reddere citra peccatum mortale, quamvis consors bonâ fide illud exigat, & Ecclesia, rationibus consorti illi faventibus mota, sub pœna anathematis jubeat illum reddere debitum. Ergò Pontifex vidit & declaravit, nullam esse in Deo voluntatem secundariam & reflexam, exigentem redditionem debiti à consorte, nè quidem consequenter ad conjugis petitionem & Ecclesiæ præceptum, modò ille certò sciat Matrimonii impedimentum adesse. Declarat enim Pontifex, eum peccaturum, si meritò exigenti, & Ecclesiæ contra Deum certò præcipienti obediat. At idem Pontifex longè aliter sentit de illis, qui aut invincibiliter ignorant, impedimentum adesse, aut solùm dubitant de validitate contractûs, aut quòd plus est, suspicantur, vel etiam probabiliter existimant impedimentum adesse; nam de primis supponit, quòd licitè possint petere debitum, quódque consors teneatur illud reddere; idem docet de leviter dubitante & suspicante, si ad consilium sui Pastoris levem illam & temerariam credulitatem explodat; de ultimo autem decernit, quòd non possit debitum petere, sed debeat illud redere, *ne vel contra legem conjugii, vel contra conscientiam committat offensam.* Ecce Pontifex hîc agnoscit in Deo voluntatem quandam secundariam, & quodammodo reflexam ac consequentem ad petitionem debiti, per quam exigit debitum reddi; cùm tamen directa ac primaria voluntas Dei circa tales actus sit prorsus contraria, quia aversatur ac prohibet conjunctionem eorum, qui validè non contraxerunt Matrimonium.

Secus quādo mala creduntur bona, aut non sciuntur esse mala.

Theologi agnorũnt ea esse repugnãtia, quæ Celladeus connexa putat.

71. Sed & Theologi viderunt repugnantiam inter illa duo; nam & in casu allato Matrimonii, & in materia obedientiæ expressè docuerunt, & debitum reddendum, & obedientiam præstandam, non obstante probabili judicio de materiali inhonestate rei, quæ exigitur; cùm tamen uno ore dixerint, neutrum faciendum, quando certò constat Deum directè velle contrarium. Ergò omnes agnoverunt distinctionem illam voluntatum in ordine ad casum dubii & opinionis incertæ, quam tamen negaverunt in ordine ad certitudinem & evidentiam de contraria Dei voluntate directa. Ratio disparitatis est clara, quia quoties creatura certò novit Deum aliquid velle, statim infert, Deum ita illud exigere, ut nolit contra hanc tam claram suæ voluntatis manifestationem homines audiri. Deus enim clarè intimans suam voluntatem præferendus est iis, qui certò cognoscuntur falsò prætendere, Deum velle oppositum. Præterea in eodem casu certò constat, homines non habere ullam vim obligandi ad oppositum; quia certum est, homines obligare non posse ad id, quod certum est Deum prohibuisse. Itaque certum est, quòd errore decepti facultatem suam excedant, ideoque nullam obligationem inducant. At quando res est dubia & incerta, non constat, Deum nolle ut obtemperemus homini vices ejus gerenti, ac præcipienti rem nobis dubiam, aut de qua opinamur quòd sit mala; imò oppositum constat, quia provida dispositio Dei debuit id determinare pro illo etiam casu, quia hoc necessarium est ad bonam & congruam statuum illorum administrationem modo humano

peragendam. Illa autem in casu præsenti postulat & redditionem debiti in conjuge, & obedientiam in subdito; alioquin pax servari non posset, sed homo certa sua possessione nolens privaretur, idque ob exceptionem fallibilem, & sæpenumero erroneam, quod est inconveniens.

Deus non cóplетè gubernaret, nisi voluntates aliquas reflexas haberet.

72. Sed & ratio Celladei nulla est, quia Deus per hoc, quòd secundarias istas, indirectas, atque quodammodò reflexas, & consequentes voluntates habeat, non ideo donat homines divinitate, aut se primatu spoliat, sed summum primatum atque supremam prudentiam exercet; per illas enim condit leges pro casibus indirectis, qui propter ignorantiam humanam necessariò ac sæpè interveniunt. Et sanè nisi leges pro illis etiam casibus statueret, à perfectione supremæ ac universalis providentiæ deficeret. At voluntates divinæ pro istis casibus non possunt esse illæ eædem, quæ primariò & per se ac directè Deo insunt, quia illæ aliter enunciant de rebus, quàm istæ, ut patet. Illæ aversantur rem, quam istæ non aversantur, sed sæpè imperant, positis illis circumstantiis, quæ per accidens & præter directum Dei intentum interveniunt. Tantùm ergò abest, ut per istiusmodi voluntates Deus se primatu suæ providentiæ privet, ut si illas non haberet, supremo providentiæ munere non gauderet. Fateor itaque, voluntatem ac rationem humanam semper resolvi debere in divinam, tanquam in primam regulam, & non è contra; voluntas enim humana superioris, quæ regulat subditum, resolvitur in aliquam Dei voluntatem vel directam & primariam, vel indirectam & secundariam, & ab ea robur suum accipit. Idem valet de ratione humana regulante; illa enim si regulet, resolvitur in rationem divinam vel directam vel reflexam, etsi non semper resolvatur in directam, cùm ab ea nonnunquam discordet. Participat ergò vim regulandi à ratione reflexa, quâ Deus judicat congruum esse, ut subditus sequatur rationem sui superioris etsi falsam, quando invincibiliter putat illam esse veram, aut quando illi non constat quòd sit falsa, sed probabiliter præsumere potest quòd sit vera.

S. P. Ignatius agnovit voluntatem reflexam, qua Deus vult subditum obedire, etsi judicet superiorem errare.

73. Nec minùs perspicuè fallitur Celladeus in doctrina S. Patris Ignatii proponenda, quàm deceptus est in iis, quæ præcesserunt. Certum enim est, S. Patrem expresè agnovisse in Deo voluntatem illam secundariam, quam Celladeus consequentem appellat, quia in illa ipsa Epistola de *virtute obedientiæ*, ubi hortatur suos ad ultimum gradum perfectionis obedientiæ, quæ in conformitate judicii subditi cum judicio superioris consistit, atque ubi expresè probat, perfectionem obedientiæ haberi non posse, ubi deest judiciorum conformitas, notanter supponit, & tradit, substantiam obedientiæ haberi posse, stante dicta judiciorum difformitate. Hæc enim habet *nu. 12. Præterea nisi hæc obedientia judicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet; naturâ enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quæ appetitivæ dicuntur, sequantur apprehensivas; & nisi adhibitâ vi voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd si fortè quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, quâ censetur, perperàm etiam præcipienti parendum esse, certè id stabile ac fixum esse non potest, atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo consistit &c.* Pergit enim declarando imperfectiones obedientiæ, nisi oriatur ex conformitate judicii subditi cum judicio superioris. Ecce S. Ignatius apertè supponit subditum & posse, & debere obedire superiori, etsi existimet illum perperam ac mala imperare, quia communis omnium persuasio est, quod obediendum sit in rebus malè imperatis.

74. Præterea in Constitutionibus antea citatis expresè tradit, obediendum esse in omnibus, in quibus manifestum peccatum non apparet. Itaque S. Pater supponit, hanc voluntatem secundariam ex hypothesi ignorantiæ nostræ dari in Deo, illamque sufficere ad hoc, ut subditus in casu dubii, imò & in casu dissensûs à superioris judicio obedire possit, modò non sit certus, superiorem mala præcipere. Neque hinc sequitur, nullam esse rationem discordandi in judicio directo, aut fatuum esse concordiam in illo ulteriùs quærere; quia quamvis hæc voluntas Dei innotescat subdito per imperium superioris, atque ideo de illa voluntate consequenti nulla sit opinionum varietas, nisi tamen consentiant in judicio directo, necesse est proprietates perfectæ obedientiæ deficere, uti S. Pater ibidem fusè demonstrat. Itaque hortatur omnes ad istam conformitatem; ut sic non solùm obediant, sed sine murmuratione, atque aliis imperfectionibus obedientiam præstent. Cæterùm inter reliquas rationes eam affert, quod sequi judicium superioris sit medium opportunum, ut judicium nostrum conformetur rationi ac judicio divino; quia potiùs alienæ quàm propriæ prudentiæ standum est in causa propria; maximè autem illius, quem loco Dei præpositum habemus, confisi Deum per illum certiùs ac meliùs nos directurum, quàm si proprium judicium sequamur. Itaque haud dubiè S. Pater salvam putavit plenitudinem obedientiæ, quamvis per accidens superior erret; si ipse, & potissimùm si subditus, invincibiliter existimet illum justa ac Deo placentia jubere. Imò salvam existimavit substantiam obedientiæ, tametsi obediens dubitet, aut etiam existimet, superiorem in suo judicio directo errare; modò ex universali illa persuasione formet sibi conscientiam, quòd obediendum sit in rebus etiam perperam præceptis, quando manifestum non est, quod sint malæ. Atque ita demum constat, Celladeum in omnibus ac singulis istis probationibus & confirmationibus à vero deviasse.

Mens S. P. ulteriùs declaratur.

Expedit subdito cóformare superiori, quamvis tunc illi cóformis certus sit, Deum velle ut obediat.

ASSERTIO SEXTA.

Propositum sit Celladei de obediendi obligatione doctrinam proponere, illiúsque falsitatem, insufficientiam, & inconsequentiam aperire.

75. INPRIMIS Celladeus asserit, subditum absolutè & simpliciter teneri ad obediendum per se loquando, & ut plurimùm; quia quamvis peccet, si contra actualem opinionem suam, opinioni superioris contrariam, operetur, nihilominùs tenetur ad suum judicium deponendum; sicut quamvis omnis homo peccet, qui agit contra conscientiam vincibiliter erroneam, nihilominùs simpliciter loquendo tenetur ad oppositum, quia tenetur conscientiam deponere, & sic legi obedire; ita pariter in casu nostro, subditus plerumque & per se tenetur superiori obedire, & suum judicium illi submittere, quia judicium subditi contra judicium superioris plerumque est falsum, & erroneum. Ergò plerumque & per se tenetur deponere opinionem suam, utpote quæ plerumque erronea est.

Celladeus tenet subditum in incertis debere obedire ut plurimùm, non semper.

76. Deinde

Hoc verum putat, etsi subditus certò credat id præceptum esse malum.

76. Deinde asserit, subditum teneri ad obediendum contra omne proprium judicium *omnibus in rebus quæ cum manifesto peccato conjuncta non sunt.* Quales non solent esse res utrimque controversæ. Et hoc verum reputat etiam pro casu, quo certum subdito videretur peccatum esse, quod jubetur; quia etiam respectu talium judiciorum verum est, quòd subditus plerumque erret, quando contra superioris judicium judicat. Et sanè, si quælibet existimata certitudo esset legitima exceptio contra præceptum superioris, non esset difficilè talem certitudinem & prætendere & comparare, & sic obedientia nimis facilè evacuaretur. Atque hinc non est difficilè subdito judicium suum deponere, quia judicia subditorum contra mentem superiorum plerumque sunt falsa. in iis autem, quæ plerumque falsa sunt, facilè quis credit se falli, nisi irregularem aliquam & specialissimam rationem habeat. Atque hinc sequitur quòd per se loquendo, & plerumque subditus teneatur suum judicium, utpote erroneum, deponere, & obedire. Dixi *plerumque*, quia omnes superiores, præter Concilium generale & summum Pontificem sunt fallibiles, & consequenter præcipere possunt contraria voluntati divinæ; & tamen ex alia parte habemus legem Dei clarè præcipientem, ut obediamus superioribus. *Lucæ 10. Math. 23. ad Ephes. 6.* Item *1. Petri 2. subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Jam concordiam quærere non possumus distinguendo illas duas voluntates, alioquin faceremus quemlibet superiorem infallibilem, utpote cujus voluntas connexam haberet voluntatem consequentem approbativam Dei. Sicut ergò superiores dicti errare possunt, ita dari potest exceptio contra illorum imperium; sed ad hoc requiritur magna & particularissima probatio. Nec mirum, quia ejusmodi superiores non sunt minùs defectibiles, quàm leges purè humanæ. At illæ nonnunquam deficiunt, ideoque ubi peccant emendatione indigent, & corriguntur per epikiam. Idem prorsus dicendum de superioribus fallibilibus; nonnunquam enim errant, ideoque præceptum illorum correctione indiget; quæ correctio per specialissimam & irregularem rationem habetur. Ita Celladeus §. 5. & 6.

Ratio communis per Celladeum non excusat ab obediendo, sed ratio specialis excusat.

Duo falsa principia Celladei.

77. Hæc doctrina duobus falsis principiis nititur: primum est, quòd subditus simpliciter teneatur suam opinionem deponere, & sic obedire; sicut habens conscientiam vincibiliter erroneam, simpliciter tenetur eam deponere, & legi divinæ obedire. Hoc falsum est, quia judicium illud subditi non est judicium conscientiæ regulans opus, sed merè speculativè se habet, ut ostensum est. Nec argumenta Celladei valent ad suadendum oppositum. Unde non est necesse subditum deponere judicium suum, sed, eo stante, potest & debet obedire. Alterum est, quòd non dentur duæ illæ voluntates in Deo, quod etiam constat esse falsissimum. Nullius autem momenti est, quod dicit quemlibet superiorem eo ipso fore infallibilem, si talis voluntas consequens daretur in Deo. Id enim non sequitur: primò, quia superiores, quos fallibiles novimus, ex malitia præcipere possunt, quæ tam ipsi quàm subditi certò norûnt esse contra præceptum Dei. Secundò, errare possunt ea præcipiendo, quæ ipsi falsò putant esse honesta, quæ tamen subditi certò nôrunt esse inhonesta, ut videre est in Episcopo præcipiente conjugi redditionem debiti, quando conjux certò novit impedimentum intervenisse, quamvis illud probare non possit. Tertiò, etsi nec ipse nec subditus dubitent de honestate rei præceptæ, fieri potest ut alii errorem detegant atque subdito manifestent, in quibus aliisque ejusmodi casibus obediendum non est, quamvis superior humanus obediendum exigat, neque in iis casibus adest voluntas Dei reflexa approbativa. Itaque clarè falsum est, quòd quivis superior in ea hypotesi esset infallibilis, quia certum est, quòd Deus voluntate consequente non semper approbet omnes ejus jussiones, sed solùm aliquas. At qui infallibilis est, eam prærogativam habet, quòd Deus infallibiliter omnes illius jussiones approbet.

Opinio Celladei de obedientia Ss PP contrariatur.

78. Nec falsis tantùm fundamentis nititur hæc doctrina, sed ipsa quoad se est etiam falsa. Vult enim plerumque sed non semper obediendum esse. Et sanè haud dubiè loquitur in casu incertitudinis de inhonestate præcepti; nam si sermo sit pro casu evidentiæ & certitudinis de malitia rei præceptæ, res est extra controversiam. At loquendo pro casu incertitudinis, qualem nos in progressu disputationis proposuimus, Patres & Theologi universaliter loquuntur, nec ullam exceptionem ponunt, ut ponit Celladeus; sed & rationes allatæ æqualiter convincunt de omni casu incerto. Itaque errat Celladeus, auctoritatique irrefragabili rationibusque convincentibus se opponit, dum, stante incertitudine de honestate rei præceptæ, asserit aliquando esse, aliquando non esse obediendum.

Doctrina Celladei totam obedientiæ vim evacuat.

79. Falsitas hujus doctrinæ ex eo etiam probatur, quòd doctrina ista, etsi videatur practica, & ad praxim dirigendam tradita, tamen si subsistat, prorsus inutilis est ad praxim, atque in rebus incertis totam obedientiam evacuat. Ratio est, quia subditus nunquam in particulari scire potest, an hîc & nunc possit ac debeat propriam opinionem deponere & obedire; aliquando enim non debet obedire, quando scilicet habet rationes particulares apud ipsum prævalentes. At semper has habet, quando est contrariæ opinionis cum suo superiore, quia suum cuique opinatum probabilius est. Quamvis ergò habere possit hoc judicium universale, *quòd plerumque erret opinando contra superiorem*, tamen ex hoc principio nil inferri potest in particulari hîc & nunc, quia, illo non obstante, aliquando immò sæpè datur exceptio, qua stante, nec potest nec debet subditus opinionem deponere & obedire. At si hoc dicatur, nunquam sciri potest in individuo, an hîc & nunc deponenda sit propria opinio, sed potiùs semper in individuo retinenda est, quia illa apud subditum peritum, etiam post diligentem rei discussionem, multum prævalet opinioni contrariæ, quam falsam reputat, ac reputavit non solùm consequenter, sed etiam antecedenter ad præceptum superioris. Unde enim, quæso, scire poterit, se hîc & nunc debere deponere hanc, non verò illam opinionem, si non minùs una quàm alia ipsi vera videatur, & superior in utraque apud ipsum æquè deceptus habeatur? Ecce si doctrina ista admittatur, subditus per eam dirigi non poterit, sed semper perplexus manebit, an debeat opinionem deponere & obedire, an verò eandem retinere debeat, & obedientiam negare. Ergò Doctrina hæc datur pro regula, quæ omni regulandi vi caret; quales sunt aliæ etiam Doctrinæ à Celladeo in hoc opere propositæ, ut suis locis ostensum est.

Opinio Cel,

80. Præterea, ex hac ipsa possibilitate exceptionis

ladei discolis favet, eosque fovet.

ptionis tota vis obedientiæ facilè evacuaretur, quia in rebus hujusmodi incertis nulli unquam discolo defuerunt, aut deesse poterunt rationes irregulares, & apud ipsum specialissimæ in favorem partis, quam sequitur. Ergò licitè non poterit opinionem deponere & obedire. Ergò ex hac doctrina tota obedientia in incertis evacuabitur. Ergò doctrina ista est falsa, utpote quæ & prætendit salvare vim obedientiæ, quam destruit, & regulam pro debitè obediendo proponit, quæ tamen neminem in ullo casu particulari regulare potest ad obediendum, sed potiùs deterret homines ab obedientia præstanda, omnesque in miram perplexitatem inducit, atque, quod caput est, discolis, & iis, qui vehementi passione moventur, maximè favet, sternitque eis viam ad pertinaciter inhærendum suæ opinioni, obedientiamque negandam. Dicendum ergò est, nullam dari exceptionem, sed in omnibus dubiis obediendum esse, opinionemque subditi, si id esset necesse, semper in omnibus ejusmodi casibus esse deponendum, quod etiam ex ipsis Celladei principiis mox evincetur.

Celladei cōtradictio.

81. Neque falsa tantummodò est, falsisque principiis nititur hæc opinio Celladei, sed in ea tradenda ipse sibi rèvera contradicit. Inprimis asserit certitudinem existimatam de malitia rei præceptæ non eximere subditum ab obligatione obediendi, à qua tamen eximitur ob rationem irregularem & specialissimam. Hæc inter se pugnant, quia ratio illa specialis non ultra progredi potest pro conscientia formanda, quàm ad certitudinem existimatam, & raro ad eam pertingit. Ergò non magis eximere potest ratio irregularis & specialis, quàm rationes quæcumque, quæ vim habent inferendi, & actu inferunt certitudinem existimatam; quia quod eximit, non est ratio præcisè, sed ratio valida magnam faciens præsumptionem veritatis. Sed ista præsumptio non est major in ulla ratione speciali, quàm ut inferat certitudinem existimatam. Ergò si certitudo existimata non tollit obligationem obediendi, neque ratio specialis eam auferre poterit. Præterea ratio irregularis ex suo conceptu non est melior & efficacior ratione regulari & ordinariâ, neque specialissima melior est aut validior communissimâ. Ergò tota diversitas aut excessus in eo est, quòd una magis certificet, seu vehementiùs moveat, quàm alia. At in casu nostro specialis ratio non magis certificat, nec vehementiùs movet quàm communis, quæ supponitur ita subditum movere, ut certò existimet rem præceptam esse malam. Ergò vel utrumque vel neutrum eximit subditum ab obligatione obediendi.

Ratio specialis & irregularis ex suo conceptu non est melior ratione regulari & communi.

Alia Celladei inconsequentia & cōtradictio.

82. Præterea sic arguo; si ratio irregularis & specialissima excusat, ideo est ex mente Celladei, quia plerumque contingit rationes ejusmodi esse veras, etiam quando superior judicat oppositum. At si hoc sit verum, verum etiam est, quòd rationes certitudinem existimatam inferentes, plerumque veræ sint, etiam quando superior judicat oppositum; quia non est minor connexio cum veritate in istis, quàm in illis, quando superior æquè in utroque casu à subdito dissentit. Imò si rem examinemus, existimo rationes, quæ apud subditum doctum & non improbum, nec vehementi passione ductum, ad certitudinem existimatam pertingunt, plerumque esse veras. Ratio est, quia sunt tales, si loquamur independenter ab imperio superioris; quod adeo clarum est, ut si de hoc dubitetur, nil sciri possit de connexione illius motivi verè incerti cum suo objecto. At adjectio imperii non mutat res, aut rationes independenter ab imperio stabilitas ac habitas. Ergò, etiam stante imperio, sunt plerumque connexæ cum veritate. Ergò Celladeus ad consequenter loquendum dicere debuisset, certitudinem existimatam eximere subditum ab obligatione obediendi, quia si contra talem certitudinem obediat, plerumque errabit, & Dei legem violabit. Et sanè ita est, haud dubiè enim peccaret, qui contra talem certitudinem obediret, quia faceret, quod certò credit esse malum. Unde quamvis concedam licitum esse obedire contra propriam opinionem actualem, illud tamen intelligendum est de opinione, quæ apud subditum est opinio, & habetur pro judicio incerto, non autem de opinione, quæ apud ipsum & quoad ipsum est certa, & pro certa habetur; hic enim, stante tali persuasione, non minùs urgetur ad non obediendum, quàm si reverà haberet veram certitudinem & evidentiam de inhonestate rei præceptæ. Quòd si loquamur non in sensu composito, sed in sensu diviso, non apparet quomodò subditus aut debeat, aut possit talem opinionem deponere; quia quando ad illam reflectit, rationes faciunt fidem certam, & illæ superioris, etiam adjuncto præcepto, hanc non impediunt. Quomodò ergò tenetur tunc opinionem deponere. Ratio ad hoc sufficiens non est, quòd subditus plerumque erret, si contra superiorem judicet; quia quamvis hoc in universali admitti possit ut verum, tamen certò videtur verum non esse, quando rationes subditi periti & probi eòusque prævalent, ut rem ipsi certam faciant. Ergò in eo casu nullum habet principium, ex quo juxta sententiam Celladei mutare possit suam sententiam, aut eam deponere, quamdiu rationes, quibus motus est, vim suam retinent. Itaque Celladeus ex hac parte dicit quod probare nequit, nempe subditum debere opinionem deponere, & obedire, eò quòd in tali casu plerumque erret. Tenetur quidem subditus rationes suas examinare, easque superiori proponere. Quod si superior illis non moveatur, sed in sua sententia permanserit, & subditus consequenter ad hoc & ad novum examen suarum rationum, eas invenerit certitudinem apud se ampliùs non facere, tenebitur obedire juxta dicta, sive deponat sive non deponat opinionem. Sed si rationes examinatæ fidem plenam, ut antea, & certitudinem apud illum afferant, peccabit si obediat, quia faciet quod certò malum reputat; neque ullum est principium, ex quo, stante tali judicio, conscientiam debitè formare possit, ut constat ex dictis.

Opiniones apud subditum peritū certæ, plerumq; connectuntur cum veritate, etsi superior contrarium judicet.

83. E contrario, si sermo sit de rationibus irregularibus & specialissimis, quæ magnam vim intellectui subditi faciunt, vel superior eas ignorat, vel scit. Si ignoret, subditus regulariter loquendo debet eas superiori manifestare, fietque, plerumque ut superior opinionem mutaturus sit & subdito consensurus, si illæ sint tam validæ ut Celladeus videtur supponere. Quòd si superior antea earum conscius sit, vel certò postea eas à subdito audierit, & tamen post maturam earum considerationem in sententia sua permanserit, tunc subditus tenetur obedire, idque ex regula ac mente Celladei, quia subditus ille in tali casu dissentiens à suo superiore plerumque errat, neque ulla est ratio excogitabilis cur plerumque erret, quando uterque rationibus communibus movetur, & non erret plerumque quando uterque easdem prorsus rationes

Eadem inconsequentia & contradictio locum habet in rationibus specialissimis & irregularibus.

tiones speciales & irregulares considerat. Ergò tunc subditus ex illo principio poterit suspendere sententiam, & tenebitur obedire, sive illam suspendat, sive non. Ergò tantùm abest, ut stantibus rationibus specialissimis, subditus eximatur ab obedientia, quia plerumque contingit eum verum dicere, etsi à superiore dissentiat, ut ex opposito plerumque erret juxta principia Celladei, si illis à superiore rejectis adhæreat. Itaque Celladeus non solùm sibi contradicit, sed ex omni parte falsa tradit, atque rem adeò confusè proponit, ut nemo ex vi doctrinæ ab eo traditæ scire possit, quid in rebus incertis agere, aut quando obedire teneatur.

Insufficientia doctrinæ ipsius ulterius proponitur. 84. Confirmatur hoc ipsum. Aliquæ rationes speciales & irregulares sunt invalidæ, nec plerumque connectuntur cum vero. Aliæ, etsi videantur plerumque connecti, non tamen plerumque connectuntur cum vero, & hoc scitur, quando, iis auditis, periti & probi & maximè superiores contrarium sentiunt. Nihilominùs omnes istæ rationes sæpè approbantur à subdito ut veræ ac probabilissimæ. Jam ergò unde sciet subditus, quænam sint illæ rationes speciales, quæ illum eximant, quænam, quæ illum non eximant ab obedientia? Nulla certè ei suppetit via in sententia & doctrina Celladei, qui ita rem proponit, ut timoratis & obedire cupidis scrupulum injiciat, ne contra rationes sufficienter eximentes obedientiam præstent, discolis autem & malè morigeratis viam laxet ad frequentem inobedientiam & præstandam, & honestandam. Discolis enim, ut dictum est, & hominibus passione irretitis nunquam desunt rationes irregulares, & apud istos specialissimæ, pro rebus & opinionibus, ad quas afficiuntur. Absurda ergò & falsa est sententia Celladei, à qua talia necessariò sequuntur.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SEPTIMA.

Vtrùm liceat Confessario pœnitentem absolvere contra propriam opinionem?

Status quæstionis rectè proponitur. 1. HAC de re agit Celladeus *lib. 3. quæst. 15.* putatque à fortiori non licere Confessario absolvere pœnitentem contra propriam opinionem in sensu composito illius, cùm subdito contra eandem obedire non liceat. Verùm sicut *in superiore quæst.* erravit circa subditum, ita & in hac à vero aberrat circa Confessarium, uti mox ostendetur. Interim noto, eum in propositione quæstionis ita loqui, ac si sermo esset de sensu composito opinionis, quâ Confessarius crederet pœnitentem non esse absolvendum, sed esse indispositum ad absolutionem recipiendam. Verùm hic non est status quæstionis: haud dubiè enim peccat, qui dat absolutionem illi, quem absolutè credit esse indispositum ad eam recipiendam. Sensus ergò quæstionis est, utrùm Confessarius probabiliter actu existimans, v. g. quòd illicitum sit scribere lucri causâ in die festo, absolvere possit pœnitentem, qui bonâ fide sequitur opinionem contrariam, quam constat esse probabilem; adeo ut opinio Confessarii feratur ad rem illam secundùm se, & præscindat à modo, quo illa apprehenditur, atque hîc & nunc à pœnitente exercetur. Jam quod hic sit sensus quæstionis, certum est ex mente Theologorum, qui quæstionem tractant, & ex eo evincitur, quòd si concedatur licitum esse Confessario absolvere pœnitentem contra talem suam opinionem, contenti erimus, cùm aliud cum communi sententia non intendamus. Communem ergò hanc sententiam quibusdam rationibus stabiliam, ut sic aperiatur aditus tam ad refutanda ea, quæ Celladeus, quàm quæ Theologus ille (contra quem egi *quæst. 2.*) contra nostram communemque sententiam afferunt.

ASSERTIO UNICA.

Cōfessarius licitè absolvit pœnitētem contra propriam opinionem. *Licitum est Confessario absolvere pœnitentem, qui bonâ fide sequitur opinionem certò probabilem de directa honestate rei, opinioni Confessarii contrariam. Idq́; licitum est Confessario, etiam in sensu composito suæ opinionis directæ de objecti illius inhonestate.*

Opinio Cōfessarii impertinenter se habet ad judicium, quo regulatur ad absolvendum pœnitētem. 2. PROBATUR primò. Illa Confessarii opinio est merè speculativa, & impertinenter se habet in ordine ad judicium, quo Confessarius practicè dirigi debet ad dandam absolutionem, id est, in ordine ad judicium determinans, an pœnitens peccaverit peccato formali ac imputabili, & an ipsi liceat eodem modo in posterum operari. Ratio est, quia omnes benè norunt, quòd pœnitens in operando non reguletur opinione Confessarii, sed propriâ. Rursus omnes sciunt, fieri posse, ut pœnitens veram sequatur opinionem, quamvis Confessarius putet eam esse falsam. Et quod plus est, omnes sciunt, pœnitentem taliter bonâ fide procedentem posse invincibiliter errare, si erret, & consequenter posse non peccare, etsi sequatur opinionem falsam. Imò sæpè scire possumus ac præsumere, quod vel non erret, vel erret invincibiliter, eò quòd diligentiam adhibuerit, & ab alio Confessario aliisque peritis didicerit rem esse licitam, illisque fidem dederit, nec ullam habeat rationem credendi potiùs Confessario, quem hîc & nunc accedit, quàm priori, aliisque peritis, quos consuluit; cùm vel ipsemet nôrit, vel fama communis ferat, eos esse sapien-

sapientiores isto determinato, quem jam accedit. Ergò Confessarius scire potest, pœnitenté vel non errasse, vel certè invincibiliter errasse; atque etiam in posterum erraturum etiam invincibiliter, si tamen erret, quamvis Confessarius actu existimet, talem actionem secundùm se consideratam esse prohibitam. Ergò, stante tali judicio, scire potest, pœnitentem non peccasse sectando contrariam opinionem, nec peccaturum, si eam in posterum sequatur. Ergò prior illa opinio componi potest cum judicio practico, quòd pœnitens sit benè dispositus ad absolutionem. Et in tali casu Confessarius non solùm potest, sed etiam debet pœnitentem absolvere contra propriam opinionem directam. Ergò opinio illa Confessarii est merè speculativa, & impertinenter se habet in ordine ad judicium, quo Confessarius practicè dirigitur ad absolvendum pœnitentem. Ergò Confessarius absolvere potest pœnitentem etiam contra propriam opinionem actu existentem & non depositam.

Æquè absolvendus est pœnitens, qui operatur contra ac juxta opinionem Confessarii.

3. Probatur secundò. Confessarius absolvere potest pœnitentem, quando sequitur opinionem probabilem, quam Confessarius etiam veram reputat. Ergò potest eundem absolvere, quando sequitur opinionem probabilem, quam idem Confessarius falsam existimat. Probatur consequentia. Eadem datur causa absolutionis in utroque casu; non enim ideo præcisè absolvendus est pœnitens, quia fecit & facere intendit, quod Confessarius licitum putat, sed quia fecit & facere vult, quod ipsemet licitum putat; idque in talibus circumstantiis, in quibus præsumi potest ac debet, quod aut non erraverit, aut certè erraverit invincibiliter. At utraque causa æquè locum habet in pœnitente, quando operatus est & operari intendit contra opinionem Confessarii, ac quando operatus est ac operari intendit juxta illam. Imprudens enim & superbus est, qui putat, cæteros debere potiùs sibi, quàm aliis fidere, eosque, si errent sibi credendo, invincibiliter errare; errare verò vincibiliter, si in aliorum rationibus ac auctoritate conscientiam deponant. Ergò Confessarius in casu præsenti eandem prorsus habet rationem excusandi pœnitentem, eumque absolvendi, quando operatur contra, ac quando operatur juxta sententiam ipsius Confessarii. At absolvi potest & debet, quando bonâ fide operatus est illud, quod Confessarius licitum putat, etsi non directus fuerit ab illo Confessario, sed ab aliis peritis & probis. Ergò eodem penitus modo absolvendus est, quando eandem auctoritatem ac rationem sequutus, operatus est contra opinionem Confessarii; quia ille in operando nullo modo directus fuit, aut dirigendus est à tali persuasione Confessarii. Ergò omnis pœnitens, qui bona fide conscientiam deponit in opinione certò probabili, æquè dignus est absolutione, & eodem modo absolvendus, sive operetur juxta, sive contra opinionem Confessarii. At absolvendus est si concordet, ipso Celladeo non diffitente. Ergò absolvendus est, etsi discordet, cùm eadem penitus ratio manifestè valeat in utroque casu. Ergò Celladeus in hoc ipso inconsequenter locutus est.

Pœnitens, qui sequitur benignam sententiam absolvédus est contra opinionem Confessarii.

4. Probatur tertiò. Si pœnitens non solùm sequatur opinionem, cui ut probabiliori ac unicè veræ ex vi rationum directè probantium assensum præbet, sed rationibus etiam atque auctoritatibus reflexè probantibus nitatur; adhuc clariùs absolvi potest contra opinionem Confessarii, quàm quando directis tantùm rationibus utitur; quia pœnitens jam considerat opus ut substans circumstantiis, auctoritatibus, atque rationibus diversis ab iis, sub quibus Confessarius, rem tantùm directè considerans, enunciat illam esse illicitam. Ergò hæc Confessarii opinio merè speculativè se habet in ordine ad opus & conscientiam pœnitentis, ut *in quæstione superiore* ostensum est in simili de subdito obediente contra propriam opinionem. Eadem enim ratio, æquè valet in utroque casu. Perspicuum proinde est, Confessarium posse enunciare ac credere, pœnitentem, operantem ex vi illius opinionis reflexæ, nec peccasse, nec peccaturum esse peccato propriè dicto, & verè imputabili, quamvis ipse existimet actionem, quam pœnitens posuit, secundùm se præcisè consideratam esse malam & peccaminosam; quia ista judicia sibi non contradicunt, cùm diversa enuncient de eodem objecto relatè ad circumstantias valdè diversas.

Cõfessarius tenens opinionem benignam licitè absolvit pœnitẽtem contra propriam opinionem directam.

5. Probatur quartò. Ponamus, Confessarium post multum studium & diligentiam adhibitam sequi opinionem benignam, quæ docet, licitum cuique esse sequi opinionem quamcumque directè probabilem; supponamus etiam quòd idem Confessarius existimet, rem aliquam directè consideratam esse malam, quam tamen pœnitens & directè & indirectè acceptam, reputat esse veram: iste Confessarius absolutè putat pœnitentem esse benè dispositum, etsi existimet, actionem ab illo positam, secundùm se consideratam, esse malam; quia existimat eum nec peccasse operando, nec peccaturum pergendo in suo opere. Ergò potest, imò debet eum absolvere contra propriam opinionem de malitia rei secundùm se consideratæ. At omnes fermè Confessarii, sicut omnes ferè Doctores, sequuntur benignam sententiam. Ergò omnes ferè absolvere possunt pœnitentes contra propriam opinionem actu existentem. Quòd si sermo sit de Confessario, qui sequitur opinionem rigidam, & negat licitum esse sequi opinionem directè æquè aut minùs probabilem, sed solùm probabiliorem, quando actu creditur vera; adhuc ille contra suam opinionem directam formare potest judicium de pœnitente, quod non peccaverit, quia scilicet pœnitens sequutus est opinionem sibi probabiliorem, quamque veram reputavit. Ergò judicare potest pœnitentem non peccasse formaliter & imputabiliter. Ergò judicare potest, quòd sit rectè dispositus. Ergò potest & debet eum absolvere, quia tenetur omnem pœnitentem absolvere, quem putat esse benè dispositum.

Ex principiis Celladei sequitur Confessariũ posse absolvere contra propriam opinionem.

6. Probatur quintò. Ex ipsis Celladei principiis si pœnitens sequatur auctoritatem certò plerumque non errantem, Confessarius potest & debet supponere, pœnitentem aut non errare, aut invincibiliter errare, si erret; & hoc maximè verum est, quando talis præsumptio rationabiliter haberi non potest de auctoritate Confessarii, maximè prout accipitur contradicere auctoritati, quam pœnitens sequitur. Nulla enim melior regula est in incertis, per quam dirigi possimus ex mente Celladei. Jam pœnitens qui sequitur opinionem, quam S. Thomas, Suarez, aliique decem præstantissimi Theologi tenent esse veram, nititur hujusmodi auctoritate; talis enim auctoritas plerumque non fallit; & hoc quidem locum habet, si res tantùm directè consideretur; quòd si rationes etiam atque auctoritates reflexæ de usu licito talis opinionis certò probabilis, immò & probabilioris apud pœnitentem, quamque pœnitens veram reputat, considerentur, pœnitens habet

habet unanimem omnium consensum pro honestate suæ operationis, & longè plures quàm decem contra unum. Ergo sequitur auctoritatem plerumque non errantem, nam universa Doctorum multitudo, aut pars eorum longè maxima, plerumque non errat. Ponamus jam Confessarium esse contrariæ opinionis, tam in directa, quàm in reflexa consideratione. Certè auctoritas Confessarii ea non est, ut pœnitens, qui illum falli arbitratur, rationabiliter reputare possit illum in contradictione tantæ auctoritatis plerumque non errare. E contra auctoritas, quam sequitur, tanta est, ut meritò præsumi possit plerumque non errare, etiam quando Confessarius iste est in contraria opinione. Jam Confessarius, etiam stante sua opinione, nosse potest, imò ignorare non potest, pœnitentem sic procedentem sequi regulam plerumque non errantem. Ergò potest & debet supponere, eum vel non errare, vel invincibiliter errare, si erret. Ergò potest & debet eum reputare benè dispositum, & consequenter potest & debet eum absolvere, non obstante sua opinione. Ergò Celladeus & fallitur in hac quæstione, & ex propriis principiis falsitatis convincitur.

Idem ex aliis Celladei principiis probatur.

7. Probatur sextò ad hominem contra Celladeum. Subditus simpliciter loquendo tenetur obedire superiori contra propriam opinionem, quamvis illa certa ipsi videatur, quia plerumque errat subditus, quando opinatur contra suum superiorem. Ergò plerumque, per se, & simpliciter loquendo tenetur conscientiam atque opinionem suam, utpote erroneam, deponere & obedire. Hæc est doctrina Celladei *quæst superiore* fusè tradita. Atqui eadem ratio longè clarius probat, Confessarium debere opinionem suam deponere & pœnitentem absolvere. Debet, inquam, suam opinionem deponere, modò illa vel explicitè & signatè, vel virtualiter & exercitè dicat pœnitentem peccasse, & esse indispositum; nam si hoc non dicat, talis opinio nullatenus obstat, quò minùs pœnitens judicetur sufficienter dispositus. Ratio est, quia pœnitens sequendo opinionem probabilem, quam veram reputat, maximè si reflexis etiam argumentis & auctoritatibus innitatur, sequitur auctoritatem plerumque non errantem. Ergò auctoritas Confessarii, ac cujusvis privati Doctoris, quatenus tali auctoritati contradicit, per Celladeum plerumque fallitur. Ergò talis opinio privata plerumque est erronea. Ergò si constituat conscientiam, ut vult Celladeus, constituit conscientiam plerumque erroneam. Ergò de illa discurrendum est, sicut de conscientia erronea, ut Celladeus contendit. Ergò plerumque, per se & simpliciter loquendo, deponenda est, non solùm quia erronea est, sed quia est etiam injuriosa proximo quem injustè condemnat, & pœnitens absolvendus. Ecce Celladeus iterum inconsequenter loquitur, quia ponit assertionem, cujus falsitas ex propriis illius principiis immediatè ante stabilitis efficaciter evincitur.

Celladei inconsequentia.

Argumentum optimum à Celladeo sibi objectum.

8. Demùm ex hisce principiis sic formo argumentum. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem ritè dispositum, quique præsumi potest & debet ritè dispositus: sed pœnitens in casu quæstionis & est & præsumi potest ritè dispositus. Ergò Confessarius tenetur eum absolvere. Major ex se patet, quia Confessarius sine injuria tali pœnitenti absolutionem negare non potest. Minor apertè constat ex dictis. Huic argumento à se proposito Celladeus minorem non negat, unde videtur supponere pœnitentem esse ritè dispositum; nec contrariam Confessarii opinionem huic rectæ dispositioni obstare, alioquin negasset minorem, aut eam distinxisset, cùm nil magis ejus intento conducere potuisset, quàm ostendere minorem esse falsam. Itaque aliud non respondet, quàm hoc modo distinguendo majorem. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem ritè dispositum, quem ipse Confessarius credit esse ritè dispositum; concedo majorem; quem non ipse, sed pœnitens credit esse ritè dispositum, nego majorem; quia Confessarius & quilibet suâ conscientiâ non alienâ regulari debet, sicut & per suam non per alienam judicandus est.

9. Hæc responsio est præter, immò contra statum quæstionis præsentis, quia non quæritur, an Confessarius absolvere possit pœnitentem in sensu composito opinionis, seu potius conscientiæ suæ dictantis id esse illicitum; seu, quod in idem recidit, in sensu composito conscientiæ dictantis, pœnitentem non esse dispositum; sed solùm quæritur, an absolvere possit pœnitentem, quem novit bonâ fide sequi opinionem probabilem, quam ipse Confessarius falsam reputat, quando considerat objectum illud secundùm se, nihil enunciando de ea quæstione, an pœnitens excusetur, illam sectando. Ergò Celladeus præter, immò contra statum quæstionis procedit, dum supponit, Confessarium existimare pœnitentem non esse ritè dispositum. Quòd si contendat, judicium hoc de indispositione pœnitentis necessariò inferri ex judicio directo de malitia illius objecti secundùm se, fallitur, quia clarè constat ex dictis, illud non solùm non inferri, sed oppositum & posse præsumi, ac legitimè inferri, non obstante tali judicio.

Sed ab eo non solutum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CELLADEI.

10. OBJICIES primò. Nemini licet agere contra propriam opinionem, nisi adsit peculiaris ratio variandi hic & nunc judicium particulare. Ergò neque Confessario. Nec recurras ad rationes reflexas, quia illæ jam rejectæ sunt. Ita Celladeus § 2.

Objectio 1.

Respondeo primò, me *in tract. de Consc. prob. quæst. 30.* atque etiam hìc *quæstione superiore* ostendisse, quousque cuique liceat agere contra propriam opinionem; pluribus etiam locis ostendi, doctrinas reflexas esse verissimas, atque Celladeum in iis confutandis frustra laborasse. Itaque ex istis capitibus præsens assertio non refutatur, sed stabilitur. Præterea in præsenti casu evidentissimè adest peculiaris ratio variandi hìc & nunc particulare judicium Confessarii circa pœnitentem, atque enunciandi aliter de illo, quàm in universali enunciat de objecto secundùm se considerato. Rationes istæ particulares sunt. Prima: pœnitens bonâ fide sequitur opinionem probabilem, quam veram reputat. Secunda: pœnitens tam benè dispositus est ad absolutionem recipiendam, quàm esset, si Confessarius eandem cum pœnitente opinionem sectaretur. Tunc esset sufficienter dispositus. Ergò & nunc. Tertia: opinio Confessarii nullo modo dirigit pœnitentem, nullaque ratione influit in moralitatem operationum ipsius. Ergò pœnitens non debet judicari secundùm apparentiam & assertionem talis opinionis, sed per alia principia. Quarta: pœnitens, ob diligentiam adhibitam, rationesque

Cõfessarius debet variare suum judiciũ, quando pœnitens sequitur opinionem contrariam.

atque auctoritates quibus nititur, præsumendus est, vel non errare, vel certè errare invincibiliter, si erret. Et hæ quidem sunt rationes peculiares, ob quas dictum Confessarii judicium alterari debet, quamvis res ipsa, de qua Confessarius & pœnitens dissentiunt, directè tantùm consideretur. Quòd si reflexè etiam consideretur, & pœnitens tam rationibus quàm auctoritatibus benignæ sententiæ moveatur, evidentiùs adsunt peculiares circumstantiæ, in ordine ad quas pœnitens enunciat rem esse licitam, in ordine ad quas opinio Confessarii nullo modo se extendit, ut dictum est. Præterea in eodem casu evidens est, pœnitentem sequi regulam seu auctoritatem plerumque non errantem, illique aliam non opponi, quàm auctoritatem plerumque errantem, si utraque sumatur pro casibus, in quibus una alteri contradicit; quæ circumstantiæ non solùm fundât rationes peculiares aliter judicandi de pœnitente, quàm de objecto secundùm se, sed etiam juxta propria Celladei principia, &, quod plus est, juxta veritatem ipsam obligant Confessarium ad suum de insufficienti dispositione pœnitentis judicium, utpote per se loquendo erroneum pœnitentique injuriosum (si tale judicium habeat) deponendum, illoque deposito, ad pœnitentem absolvendum.

Objectio 2. 11. Ob. 2. Quando inter Confessarium & pœnitentem occurrit casus controversus, qui dicitur utrimque probabilis, non est sermo de vera & reali probabilitate, quæ est regula morum, sed de alia, quæ ad conscientiam dirigendum non sufficit. Ponamus eos dissentire in sua opinione de restitutione facienda. In hoc casu Confessarius putat pœnitentem falli, Deumque velle ut restituat. Ergò debet obligare pœnitentem ad restitutionem; quia Confessarius jubetur verum præhabere falso, sententiamque dicere, prout ipse judicat legem Dei exigere, & non contra quod putat legem Dei postulare. Ita Celladeus §. 2.

Cõfessarius non debet judicare, Deum obligare pœnitem ad id, quod Confessarius verum putat.

Respondeo, sermonem semper procedere de vera ac reali probabilitate utrique parti favente; supra enim *quæst. 29.* ostendi, utramque partem contradictionis simul esse posse probabilem, omniaque in contrarium à Celladeo allata perspicuè dissolvi. Jam ergò nulla in argumento est difficultas, si Confessarius sectetur opinionem benignam, credatque usum cujusvis opinionis probabilis, saltem probabilioris, esse licitum; quia talis Confessarius existimat, pœnitentem absolutè & omnibus inspectis non obligari ad restitutionem, quamvis considerando rem directè, existimet restitutionem esse faciendam. Uno verbo, etsi dissentiat à pœnitente in judicio directo, quod merè remotè & speculativè se habet ad conscientiam formandam, tamen cum eo consentit in judicio ultimo, quo post omnia considerata conscientia formatur. Sed ut detur locus argumento, ponamus Confessarium discrepare à pœnitente in judicio directo, & nullo modo reflectere ad opinionem benignam, quæ docet usum, cujusque opinionis probabilis esse licitum, sed, solùm considerare statum pœnitentis, modumque quo conscientiam formavit ac format; adhuc dico, Confessarium debere absolvere pœnitentem, quia rationes allatæ id evincunt. Nec obstat, quod Confessarius putet pœnitentem falli in suo judicio, quia non ideo judicat, Deum absolutè velle restitutionem fieri à pœnitente, quia adhuc scit fieri posse, ut pœnitens non erret, & ut erret invincibiliter, si erret: immò videre potest cum diligentiam adhibuisse, atque auctoritati majori, quàm sit illa Confessarii inniti, ideoque non teneri ad se incertæ ipsius opinioni conformandum; unde & potest & debet præsumere pœnitentem non errare; vel certè errare invincibiliter, si erret. Jam autem Confessarius & præsumit & scit Deum non obligare hominem ita dispositum, quamvis fortasse legem tulerit, quæ ex directa ipsius intentione deberet afficere omnes, illosque obligare.

Cõfessarius in casu præsenti non potest obligare pœnitentem ad sequendam suam opinionem.

12. Atque hinc est, quod Confessarius nec debeat, nec possit obligare pœnitentem ad restitutionem; scit enim opinionem suam incertam esse, & fortasse etiam falsam; ideoque se non posse obligare pœnitentem ad eam pro vera habendam, quando ipse, post diligentiam factam, à peritis & probis æquè doctis aut etiam Confessario doctoribus audivit contrarium, ac eorum auctoritati fisus, bona fide processit. Certum enim est, pœnitentem in tali casu non obligari ad Confessario credendum; ideoque certum etiam est, pœnitentem non ideo obligandum ad restitutionem, quia Confessarius sequens suam opinionem pronunciat illum obligari. Ergò Confessarius in tali casu non potest pœnitentem obligare; quia si posset, pœnitens teneretur illius sententiæ stare, obligatio enim activa & passiva sunt correlativæ. Atqui certum videtur, nullam dari talem obligationem passivam in pœnitente. Ergò in tali casu nulla datur potestas in Confessario ad obligandum Pœnitentem, ut restituat.

Æquivocatio Celladei.

13. Porrò æquivocat Celladeus, dum dicit Confessarium obligari ad præhabendum verum falso, & ad sententiam dicendam prout ipse judicat, & non contra quod judicat legem Dei postulare; confundit enim judicium Confessarii de materiali operatione pœnitentis secundùm se, cum judicio de eadem operatione prout elicita à pœnitente ex vi opinionis probabilis, dictantis illam esse bonam, cui opinioni pœnitens inculpabiliter assensum præbuit. Similiter confundit legem & voluntatem Dei directam cum lege reflexa, quæ se habet per accidens & ex suppositione. Porrò Confessarius non debet judicare pœnitentem juxta opinionem suam incertam de bonitate vel malitia rerum secundùm se consideratarum, tum quia pœnitens non tenetur illi fidem dare, tum quia ob ipsam incertitudinem propriæ opinionis, & notoriam probabilitatem oppositæ, talis opinio nec potest nec debet in casu Confessionis Sacramentalis sumi tanquam regula directiva pœnitentis, quia potest habere, & sæpè habet longè potiorem rationem & auctoritatem pro formanda sua conscientia, quàm sit illa Confessarii. Itaque debet ferre sententiam secundùm illud, quod judicat Deum & legem Dei hîc & nunc exigere à pœnitente circa hanc actionem, stante dispositione mentis & cordis, quam pœnitens inculpabiliter habet. At si ferat sententiam secundùm hoc judicium; judicabit pœnitentem non peccare, sed esse benè dispositum, quamvis existimet, directam pœnitentis opinionem esse falsam.

Alia solutio objectionis.

14. Et quidem hæc vera sunt, etsi tantùm loquamur de probabili judicio, quo pœnitens directè enunciat talem operationem esse honestam, & absolutè contradicit opinioni Confessarii. Quod si pœnitens præter opinionem directam utatur etiam opinione reflexa, atque sectetur opinionem benignam, magis perspicuum est, quòd Confessarius possit ac debeat aliter enunciare de operatione pœnitentis, quàm de operatione illa secun-

secundùm se. Ratio cur possit est, quia pœnitens considerat actionem illam in ordine ad circumstantias, quæ directæ Confessarii opinioni non objiciuntur. Ergo aliter potest enunciare de illa operatione in istis circumstantiis, quàm de illa secundùm se. Jam autem ex eò quòd possit hoc modo judicare tenetur id ipsum præstare, alioquin temerè condemnaret pœnitentem, illumque absque fundamento delusum & afflictum demitteret.

Objectio 3.

15. Ob. 3. Si Confessarius posset ac deberet contra suam opinionem absolvere pœnitentem, nil esset infirmius ad obligandum, & nil potentius ad deobligandum, quàm opinio probabilis. Nil potentius ad deobligandum, quia actus ab opinione probabili regulatus juxta Auctores benignæ sententiæ est tam infallibiliter non peccaminosus sed bonus, quàm si regularetur a revelatione divina. E contra nil per eos est tam infirmum ad obligandum, quia Confessarius & alii operari debent contra suas opiniones probabiles, nec eas pluris facere, quàm si non haberentur. Profectò nulla in hoc dicendi modo reperitur æquitas. Nisi æquum dixeris, quod opinio probabilis Confessarii nullius momenti sit ad obligandum, quia est incerta & formidolosa; è contra verò probabilis opinio pœnitentis, quamvis incerta & formidolosa, sit infallibilis morum regula, illumque infallibiliter deobliget. Ita Celladeus §. 2.

Omnis opinio probabilis directiva operis parem vim habet ad obligandum & deobligandum.

Respondeo, omnem opinionem probabilem de honestate & inhonestate sui objecti vim habere non quidem eandem, sed aliquo modo parem vel similem. Non eandem, quia una obligat, alia deobligat, ut ipsemet Celladeus fateri debet. Nam juxta illum, si habeam opinionem probabilem quòd hodie non sit jejunandum, liberor ab obligatione jejunandi; si autem cras habeam opinionem probabilem, quòd sit jejunandum, teneor jejunare. Ecce non eadem est vis omnium opinionum probabilium, tamen omnium vis quodammodò par est & similis; sicut enim una obligat, sic alia vel obligat, vel deobligat. Nec hoc solùm verum est de opinionibus probabilibus circa objecta diversa, sed etiam de opinionibus prorsus contradictoriis de eodem objecto, modò practicè se habeant ad opus, & constituant conscientiam, tales enim opiniones parem omninò vim habent, quia sicut ille liberatur ab onere restituendi v. g. qui probabiliter putat se non teneri ad restituendum, sic ille obligatur ad restituendum, qui absolutè existimat se obligari ad restituendum; neque enim licitum est operari contra propriam opinionem, quando illa absolutè enunciat de inhonestate rei, & est dictamen, quo conscientia dirigitur, ut latè ostendi *quæst. 30. de Consc. prob.* Itaque nulla est diversitas inter onus & levamen opinionum probabilium, quando illæ practicè dirigunt opus, & conscientiam constituunt. Quæ cùm perspicua sint, mirandum prorsus est, Celladeum ad ea non advertisse, sed ex subjecto non supponente argumentum formâsse.

In quo sensu opinio gravans nullam habet vim ad obligandum.

Illud, in quo æquivocationem passus videtur, est, quòd non distinxerit inter opinionem seu judicium pressè practicum, quo conscientia proximè formatur, & opinionem quodammodò speculativam, quâ scilicet nec conscientia constituitur, nec operatio hîc & nunc dirigitur. Si loquamur de priori opinione, argumentum procedit de subjecto non supponente, ut ostensum est; si de posteriori sit sermo, verum est, sed non mirandum, quòd opinio probabilis docens aliquid esse illicitum nullam vim habeat contra aliam probabilem ad gravandum, quódque omnis opinio probabilis de honestate operis vim habeat ad excusandum. Inprimis nulla talis opinio habet vim gravandi conscientiam, quia nulla talis constituit conscientiam, sed vel solùm existit objectivè in intellectu & consideratur reflexè; vel certè si existat exercitè, solùm enunciat de honestate operationis secundùm se consideratæ, non autem de honestate operationis prout hîc & nunc est exercenda, ideoque nullam habet vim immediatè & directè obligandi. E contrario omnis opinio probabilis de honestate operis habet vim deobligandi, non solùm quando exercitè existit in seipsa, & enunciat operationem hîc & nunc ponendam esse bonam, atque conscientiam constituit; sed etiam quando reflexè consideratur, dum quæritur ad quid teneamur in casu incertitudinis & probabilitatis faventis utrique parti contradictionis. Omnis enim opinio probabilis excusans præbet argumenta longè potiora ad dicendum, quod omnibus consideratis hîc & nunc nulla detur obligatio onerans, quàm ulla opinio probabilis gravans præbeat ad inferendum, quòd ullâ obligatione hîc & nunc absolutè premamur ad abstinendum ab opere, ut fusè ostensum est, tum in hoc, tum *in tract. de Consc. prob. quæst. 22. & 23.*

Argumentum retorquetur.

16. Cæterùm Celladeus ipse hoc qualicumque argumento premitur, nam ille contendit nullam opinionem probabilem, juxta communem ejus acceptionem, excusare. Unde sic arguo: nil potentius est ad obligandum, quàm opinio probabiliter dicens aliquid esse illicitum; nil infirmius ad deobligandum, quàm opinio probabilis affirmans aliquid esse licitum. Illa enim inevitabiliter neminem liberat. Ecce Celladeus ipse tenetur argumentum suum solvere, & ostendere, cur opinio probabilis, dictans aliquid esse licitum, sit prorsus impotens ad deobligandum, quamvis opinio probabilis contradictoriè opposita efficacissimè & inevitabiliter obliget. Jam si citra æquitatis læsionem admitti potest, nullam opinionem probabilem excusare, eodem jure admitti potest nullam opinionem probabilem enunciantem, quod res secundùm se considerata sit mala, habere vim obligandi, modò ex adverso detur opinio probabilis, quæ alteri expressè contradicat.

Alia Celladei æquivocatio.

17. Est & alia Celladei æquivocatio in hoc argumento; absurdum enim reputat, quòd opinio Confessarii nil valeat ad obligandum, cùm contraria pœnitentis opinio illum infallibiliter deobliget. Sed esto; absurdum sit, opinionem Confessarii non æquè obligare Confessarium, ac opinionem pœnitentis illum deobligare, quia uterque opinione illâ in sua operatione dirigitur. Verùm non quæritur in præsenti, quid obligationis opinio Confessarii ipsi Confessario afferat, in ordine ad regulandam propriam ipsius conscientiam; sed quid obligationis afferat Confessario, in ordine ad judicandum de conscientia pœnitentis, & ad necessariam illius directionem. Jam ad hunc finem nil conducit probabilis ac incerta Confessarii opinio, sed perindè se habet ac si non existeret. Nec mirum, quia pœnitens nec directus fuit, nec dirigendus est in operando per opinionem aut conscientiam Confessarii, sed per suam. Ergò si ille probabiliter & invincibiliter judicet rem esse licitam, utique evadit illi licita, quidquid judicaverit Confessarius, qui proinde, ut judicet ac dirigat pœnitentem, non debet respicere

Opinio Confessarii non obligat pœnitentem, qui sequitur opinionem contrariam.

spicere ad suam opinionem fallibilem prorsus ac incertam, quando pœnitens fundatur in auctoritate ac ratione æquivalente, & apud illum potiore pro opinione contraria; sed eodem modo debet judicare de pœnitente, eodemque modo potest illum absolvere, ac si ipse eandem cum pœnitente secutus esset opinionem: sed hinc.

Objectio 4. 18. Ob. 4. Quando in casu quæstionis Confessarius & pœnitens discrepant circa restitutionem faciendam, pœnitens se habet instar subditi, rei, & peccatoris; Confessarius verò se habet instar superioris, & Judicis, qui Christi locum tenet. At æquum est, subditum, reum, & peccatorem veniam flagitantem consentire superiori, ac Judici, qui Christi locum tenet, non è contra. Ita Celladeus ibidem.

Processus fori interni ex sola pœnitentis informatione & dispositione faciendus est. Respondeo, Confessarium esse quidem judicem, vindicem, & medicum pœnitentis, atque ad illum etiam comparari instar superioris Christi locum tenentis; assero tamen, Confessarium in judicio fori interni faciendo ac terminando debere se accommodare opinioni pœnitentis. Ratio est, quia quamvis Confessarius in hoc judicio sit superior, Judex, Medicus, ac Minister Christi, ita tamen hæc munera ipsi attributa sunt, ut processus & judicium totum alia informatione niti nec possit nec debeat, quàm solius pœnitentis conscientiâ ac testimonio. Similiter remedium, non nisi juxta indigentiam & ægritudinem à pœnitente judicatam, præscribi debet. Itaque Confessarius in judicando respicere debet ad conscientiam pœnitentis, & ad modum, quo illa formata est. Ergò si invenit pœnitentem bonâ fide procedere, atque conscientiam suam in opinione probabili, atque in ratione & auctoritate plerumque non errante deposuisse, non potest illum condemnare, nec illum obligare ad sequendam propriam opinionem Confessarii, quam pœnitens irreprehensibiliter & invincibiliter cum communi omnium fermè Doctorum sententia falsam reputat; sed pronunciare debet, illum hîc & nunc nec peccasse, nec peccaturum esse non restituendo, quidquid demum ipse privata sua opinione censet de operatione illa secundùm se considerata. Et sane eodem modo judicare debet de pœnitente, ac si eandem cum ipso opinionem sequeretur, ut ostensum est; quia pœnitens nec magis nec minùs rectè operatur, eò quòd Confessarius privata sua opinione, putet illum exercuisse actionem secundùm se bonam vel malam. Itaque in hoc judicio Confessarius non aliter absolvit ac judicat pœnitentem, quàm sicut coram Deo intelligit & putat pœnitentem debere absolvi; quia intelligit ac putat Deum velle ut pœnitentem judicet non ex sua peculiari opinione fallibili, sed ex conscientia ac testimonio pœnitentis. Quod si in hæc respiciat, non potest citra temeritatem & injustitiam judicare, pœnitentem esse in malo statu, & absolvi non posse. Præterea Confessarius debet aliter judicare de pœnitente, quàm opinio ipsius dictat, quia pœnitens, maximè si sequatur benignam sententiam, operatur in ordine ad circumstantias, quas propria ac directa Confessarii opinio non considerat, ut etiam supra ostensum est.

Objectio 5. 19. Ob. 5. Mentiretur, qui diceret Petrum egressum foras, si crederet illum domi manere. Nec salvari posset à mendacio per reflexas ullas. Ergò Confessarius mentitur, qui contra suam opinionem pronunciat pœnitentem non teneri restituere, sed esse benè dispositum, illumque absolvit. Ita Celladeus ibidem.

Cōf. ssarius non mentitur, quando cōtra suam opinionem, dicit pœnitentem non obligari. Respondeo, neminem per ullam reflexam persuasionem salvari posse à mendacio materialiter sumpto, si enunciet oppositum ejus, quod absolutè judicat esse verum, quia in ordine ad hoc impedimentum nullæ reflexæ juvant. At in ordine ad mendacium impediendum, prout est formaliter peccaminosum, reflexæ non solùm juvant, sed illud prorsus amoliri possunt; quia ipso Celladeo fatente, si quis invincibiliter crederet mendacium non esse malum sed bonum, utique non peccaret mentiendo. Ergò reflexæ juvare possunt ad impediendum peccatum, quidquid sit, an tollant, vel non tollant rationem mendacii, aut alterius peccati materialiter sumpti. At aliud non contendimus præstari per considerationes reflexas, quàm ut, stante malo materialiter sumpto, nulla sit imputabilitas, aut ratio malitiæ moralis in actione. Cæterùm admisso antecedente, quis formaliter mentitur, qui contra propriam opinionem loquitur, consequentia etiam concedi potest, si termini sumantur ut jacent, nam si Confessarius absolutè crederet pœnitentem, non obstante bona fide & opinione contraria ipsius, hîc & nunc obligatum esse ad restituendum, ac proinde nolendo restituere esse malè dispositum, utique mentiretur dicendo oppositum, quia loqueretur contra id quod sentit, & peccaret illum absolvendo; verùm quæstio non procedit in hoc sensu, sed solùm an pœnitens absolvi possit, & verè dici hîc & nunc non obligatus ad restituendum, non obstante opinione Confessarii, quæ considerando rem secundùm se, dicit illam esse illicitam. Probatum est autem efficaciter, quòd possit absolvi & credi non obligatus ad restituendum, directa illa ac universali Confessarii opinione non obstante, quia judicium de peccato vel non peccato pœnitentis respicit circumstantias longè diversas ab iis, quas opinio illa Confessarii respicit, ac proinde aliter enunciare debet de actione pœnitentis in illis circumstantiis, quàm enunciat de operatione illa secundùm se. Ergò non mentitur, dum dicit pœnitentem non teneri ad restitutionem, sed esse ritè dispositum ac absolvi debere, quia hoc ipsum judicat. Uno verbo, Celladeus per totam quæstionem eâdem æquivocatione decipitur, quia confundit judicium Confessarii de re secundùm se considerata, cum judicio ejusdem de eadem re in sensu composito opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assensum præbet, quod in sequentibus argumentis etiam observandum erit.

Objectio 6. 20. Ob. 6. Judex fori externi, tam in criminalibus quàm in civilibus, non potest judicare secundùm probabilem sententiam rei vel partis, contra propriam opinionem. Ergò neque Confessarius, utpote judex fori interni, absolvere potest pœnitentem contra propriam opinionem. Tenet consequentia, quia militat ratio utrobique eadem; Judicis est judicare, rei judicari, & non è contra. Ergò judicis est propriam sententiam sequi, & secundùm eam judicare, non autem contra propriam opinionem opinioni personæ judicandæ se accommodare; alioquin debitus rerum & officiorum ordo inverteretur. Reus enim esset sui met judex, & judex evaderet rei minister. Ergò in quæstione de restitutione facienda pœnitens Confessarii judicio stare debet, non autem Confessarius se pœnitentis judicio conformare. Debet quidem Confessarius stare judicio pœnitentis circa factum & non factum, quia solus pœnitens est testis contra se, & ideo solus tam pro se quàm contra se auditur. At in quæstionibus aliis,

Cōfessarius stare debet judicio pœnitētis circa factum, non circa jus.

aliis, quæ non sunt facti (quales sunt, an hoc sit mortale, vel veniale? an hujus vel illius speciei? &c.) non est pœnitentis, sed Confessarii judicare, alioquin nulla harum rerum scientia requireretur in Confessario, sicut nulla ei necessaria est scientia, quid quisque fecerit; sed sicut notitiam de facto accipit à pœnitente, sic etiam de aliis ab eodem notitiam accipere deberet, quia Confessarius juxta illius opinionem deberet judicare, atque ita nil formæ judiciariæ servaretur in administratione Sacramenti Pœnitentiæ; quia pœnitens non judicio Confessarii, sed potiùs suo absolveretur. At de fide certum est ex Trid. *sess. 14. cap. 6.* quòd *Absolutio Sacerdotis sit instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à judice, sententia pronunciatur.*

Confirmatur primò ab absurdis in casibus ad tertiam personam spectãtibus.

21. Confirmatur objectio in casibus ad tertiam personam spectantibus. Nónne absurdum esset, si judex, in causa debiti vel furti vel illatæ injuriæ, contra propriam opinionem debitorem vel furem vel offensorem absolveret? Immò absurdum augeretur, si judicium fieret, audito solo debitore, & alterâ parte non auditâ. Ergò Confessarius in ejusmodi casibus debet esse medius inter utrumque prætendentem; quia in quo uni nimium favet, alteri injustè præjudicat. Ergò tenetur eos non absolvere contra propriam opinionem, sed debet partem absentem fulcire ac defendere, & sic tandem rectum judicium facere, sequendo quod in Domino justum videtur, sicut faciunt judices qui rectè judicant. Et sanè nil plus juris competit Confessario in ordine ad disponendum de bonis aliorum, quàm judici; quia nec Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc erectum est, nec fusus Sanguis Christi. Ergò circa hæc nil plus potest Confessarius quàm judex fori externi.

Confirmatio 2. ab alio absurdo.

22. Confirmatur secundò. Si Confessarius deberet sequi opinionem probabilem pœnitentis contra propriam, poterit similiter & debebit potestas Ecclesiastica, id est sancta & pia mater Ecclesia, contra suam opinionem stare opinioni probabili filiorum suorum, scilicet Principum sæcularium & Ministrorum, qui sine Doctorum ac peritorum consilio nec bella movent, nec delinquentes ex loco sacro extrahunt, nec ea agunt, quæ Ecclesia solet improbare. Ergò Ecclesia contra suam opinionem stare debebit opinioni filiorum subditorum; eadem enim ratio eundem locum habet in hoc judicio & in judicio sacramentali. At si hoc semel dicatur, statim omnes controversiæ cessabunt, & vix ullus erit locus excommunicationi, aut pænis Ecclesiasticis.

Confirmatio 3. ex periculo audiendi confessiones principum.

23. Confirmatur tertiò. Si liceret Confessario contra propriam opinionem pœnitentem absolvere, munus Confessarii regum ac principum non esset adeo periculosum, quia regibus non desunt consilia Senatorum, ac placita Theologorum sive pro bello inferendo, sive pro gabellis imponendis &c. Ergò Confessarius tutus esset eos absolvendo, etiam contra propriam sententiam. At omnium sensus est, tale munus esse periculi plenissimum. Ergò illis non licet absolvere ne quidem reges contra propriam suam opinionem. Ita Celladeus §. 3.

Æquivocatio Celladei.

24. Respondeo, eandem hîc etiam intervenire æquivocationem, quæ in superioribus observata fuit; nempe confusionem judicii, quod Confessarius habet de re secundùm se, cum judicio ejusdem de eadem re in sensu composito opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assensum præbet. Hoc prænotato, ad singula respõdeo. Inprimis, omisso antecedente, (quod non est verum nisi de judice in rebus civilibus, nam in criminalibus, si constiterit reum sequi opinionẽ probabilem, judex non potest eum condemnare, quamvis ipse contrariã sententiam sectetur, quia in criminalibus requiritur probatio plena, aut certè semiplena, quæ in vehementi præsumptione consistit, quã nemo habet, quamdiu videt oppositam præsumptionem esse probabilem, validisque rationibus munitam) negatur consequentia, si sermo sit de opinione circa malitiam rei secundùm se, de qua tantùm hîc loquimur; sed conceditur consequentia, si sermo sit de opinione circa dispositionem pœnitentis, quam Confessarius habet de illa re in sensu composito opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assentitur; quia Confessarius indubiè peccaret, si contra talem opinionem vel judicium pœnitentem absolveret, quia absolveret quem putaret non esse absolvendum. Disparitas est, quòd judex fori externi judicare debeat de re secundùm se; non enim quærit utrùm pars, quam condemnat, peccârit nec ne retinendo rem verè alienam? hoc enim impertinens est ad ejus judicium; sed solùm quærit, an res illa verè pertineat ad alium nec ne? officiumque illius ad hoc institutum est, ut illi rem adjudicet, ad quem, omnibus consideratis, illam spectare judicaverit. Ad hoc autem non regulatur ab opinione aut bona fide partis, aut ab ulla cognitione reflexa, sed solùm a judicio de re secundùm se spectata, ut patet. At confessarii munus non est judicare causam pœnitentis ex opinione quam habet de re secundùm se considerata, maximè quando res est incerta, & probabiles atque oppositæ de illius qualitate hinc inde existunt opiniones; munus enim illius exigit, ut discernat, an & qualiter pœnitens peccaverit, an peccaturus sit si in sua fide permaneat, & in posterum eadem vel similia agere statuat. At ad hæc discernenda, respiciendum est ad dispositionem pœnitentis; si enim ille bonâ fide processit, atque secutus sit opinionem probabilem, cui inculpabiliter assensum præbuit & præbet, certum est, quòd nec peccaverit, nec peccaturus sit retinendo rem, quam possidet. Ergò Confessarius, seu judex fori interni debet eum absolvere.

Primus ejusdem error.

Disparitas inter judicẽ fori externi & Confessarium.

Cõfessarius non potest pœnitẽtem erroris arguere, eò quòd sectetur opinionem suæ cõtrariam.

25. Nec dicas, Confessarium debere pœnitentem admonere erroris, (existimat enim illum errare) & pœnitentem obligari ad obediendum Confessario, quando ab illo erroris admonetur. Hoc enim verum non est, nisi quando res vel est certa, vel ita probabilis ex una parte, ut altera non sit probabilis; nam si utrimque detur probabilitas, & pœnitens sequatur opinionem probabilem, nullo jure tenetur stare opinioni Confessarii, qui plerumque est vir minoris doctrinæ ac auctoritatis, quàm sint Doctores, quorum sententiam pœnitens sectatur. Præterea, sæpè contingit pœnitentem à pluribus gravissimis ac doctissimis Confessariis audiisse, quòd opinio, quam sequitur, sit non solùm vera, sed tuta; absurdum autem est dicere, quod eorum auctoritatem deserere teneatur, quia Confessarius, quem nunc accedit, sequitur contrariam opinionem. Præterea, pœnitens sæpè habet rationes & auctoritates longè majores, quàm Confessarius, facilliméque solvit omnia illius argumenta. Immò habere potest demonstrationem, cujus intelligendæ Confessarius sit incapax. Quid autem? ánne in istis etiam casibus tenetur pœnitens Confessarii opinioni se accommodare? quid absurdius dici potest? stat ergò pœnitentem non obligari

ad

ad sectandam opinionem Confessarii. Ergò Confessarius nec potest nec debet exigere a pœnitente, ut eam sequatur. Hortari aliquando potest, cogere in casu nostro non potest, si pœnitens adhuc bonâ fide ita in priori sua opinione persistat, ut præsumi non possit culpabiliter illi inhærere. Ergò Confessarius debet eum absolvere, quia benè dispositus est ad absolutionem recipiendam.

Judex utriusque fori tenetur sequi propriam opinionem.

26. Cæterùm in hoc casu judex fori interni, non minùs quàm judex fori externi sequitur propriam opinionem; illam nempe, per quam regulari debet in suo judicio ferendo. Sed hoc interest inter illas opiniones, quod opinio, per quam judex fori externi dirigitur, colligi debeat ex consideratione rei secundùm se spectatæ; opinio autem Confessarii pro foro interno colligi debeat ex consideratione rei, prout illa à pœnitente accipitur & intelligitur; ex hac enim sola consideratione sciri potest, an pœnitens peccaverit, vel peccaturus sit, aut modum operandi mutare teneatur. Quare si Confessarius ex hac consideratione perceperit, pœnitentem nec peccasse nec peccaturum esse, nec obligari ad suam sententiam mutandam, debet illum absolvere, quia benè dispositus est ad absolutionem. Cæterùm falsum est, si pressè loquamur, quòd in hoc casu Confessarius se accomodet opinioni pœnitentis; ad hoc enim deberet priorem suam opinionem directam mutare, quod necessarium non est; nam sic discurrit: quamvis ego probabiliter existimem rem hanc esse restituendam, tamen opinio mea incerta est, & pœnitens eam reputat falsam, atque bonâ fide, probabiliter ac inculpabiliter credit rem non esse restituendam, nec peccat huic sententiæ inhærendo, cùm non teneatur meam opinionem sequi. Igitur nec peccavit, nec peccaturus est non restituendo. Ergò dispositus est ad absolutionem recipiendam. Ergò absolvendus est. Si Celladeus hæc judicia distinxisset, atque ad modum diversum, quo diversi illi judices procedunt, respexisset, à communi sententia, nisi fallor, non recessisset. Sed pergimus.

Cōfessarius solùm impropriè se accommodat opinioni pœnitentis.

Factum pœnitentis, ex quo Confessarius judicat, est multiplex.

27. Accipit quidem Confessarius notitiam facti à pœnitente, sed hæc notitia non solùm extendit se ad notitiam rei gestæ, v. g. quòd non restituerit, sed etiam ad modum & causam non restituendi; factum enim est, quòd pœnitens bonâ fide processerit; factum est, quòd diligentiam adhibuerit; quòd à probis & peritis consilium petiverit; quòd rationibus efficacissimis convictus eam opinionem sequutus sit & sequatur; & per consequens factum etiam dici potest, quòd vel non erret, vel erret invincibiliter, si erret. Jam ex hoc facto Confessarius totum suum judicium formare debet, quando res adeò ambigua est, ut pœnitens non teneatur opinioni Confessarii se submittere, sed propriæ inculpabiliter adhæreat. His omnibus stare debet Confessarius tanquam factis, atque iis etiam quæ necessariò cum illis connexa sunt, qualia sunt, an pœnitens ullo modo, etiam mortaliter peccaverit, an peccaturus sit propriam opinionem sectando, etsi in reliquis, quæ ab his non dependent, & necessariam cum illis connexionem non habent, non debet stare opinioni pœnitentis, aut suum judicium dependenter ab illa formare. Sed & quando in prioribus conformat se opinioni pœnitentis, solùm conformat se illi ut cuidam facto taliter se habenti, non autem opus est ut se conformet illi ut veræ, seu ut eam veram reputet; quia sive sit vera, sive per accidens præter intentionem & culpam pœnitentis sit falsa, eodem prorsus modo debet suum judicium formare, ut patet.

Pœnitens non est judex sui, sed merus minister Confessarii.

28. Neque hinc sequitur, quòd pœnitens sit suimet judex, & Confessarius ejus minister, sed è contrario sequitur, quòd pœnitens ministret Confessario tanquam testis tam pro se quàm contra se, cujus testimonio nixus Confessarius format judicium de dispositione ipsius pœnitentis, & juxta illud ad eum ligandum vel absolvendum procedit. Per accidens autem est, quòd Confessarius eodem modo judicet de dispositione pœnitentis sicut ipse pœnitens judicat; per accidens, inquam, quia hoc solùm evenit, quando pœnitens legaliter & inculpabiliter procedit; nam si pœnitens sequeretur opinionem improbabilem aut certò falsam, per se loquendo Confessarius deberet illum erroris admonere, & emendationem exigere, nec sine proposito emendationis illum absolvere.

Scientia est necessaria Confessario.

29. Eodem modo non sequitur, scientiam non fore necessariam Confessario, si debeat sequi opinionem pœnitentis. Inprimis scientia illi necessaria est, ut se tali muneri exponat, atque ut dirigere possit pœnitentes rerum ac jurium ignaros. Cæterùm scientia prævia de juribus non esset illi magis necessaria, quàm scientia facti, si sciret se à pœnitente tam certò habiturum scientiam juris quàm facti; sed quia hoc difficile est, & vix sperari potest, ideo scientia juris prærequiritur, cùm scientia facti non prærequiratur ad exponendum se, quamvis utraque scientia absolutè requiratur ad formandum judicium Sacramentale. Cæterùm sæpè contingit, Confessarium stare judicio ac sententiæ pœnitentis, & ab illo illiusque auctoritate omnem suam opinionem formare. Hoc evenit quoties Confessarius fuit discipulus pœnitentis, & ab eo persuasus eandem cum ipso sententiam sequitur. Secundò id frequentiùs evenit, quando pœnitens est vir valdè peritus & probus, qui Confessario dubitanti dicit, eum tutò posse tali modo procedere; idque maximè locum habet, quando agitur de re valdè difficili, de qua Confessarius exiguam notitiam habet; tunc enim stare potest judicio pœnitentis, si ille sit peritus & probus; & Celladeus id ipsum fatetur. Peto ergò, an Confessarius in his casibus sit & dici debeat minister pœnitentis? an è contrario pœnitens dici debeat & sit minister Confessarii, illiq; serviat tanquā inferior superiori, ut illum debitè informet, & proximè capacem reddat, ut de rebus pœnitentis illiusque obligationibus judicet, & tandem judicium Sacramentale perficiat? si dicat primum, tenetur proprium argumentum solvere; si secundum, cogitur fateri argumentum nullius momenti, atque frustra allatum esse textum illum ex Tridentino, cùm optimè salvetur ratio judicii, etiam quando Confessarius non minùs accipit notitiam juris quàm facti à pœnitente. Et sanè haud dubiè ita est, quia sicut pœnitens minister est Confessarii narrando factum, neque comparatur ad Confessarium ut superior, sed solùm ut inferior, licèt Confessarius ab eo totam facti notitiam accipiat; ita pariter comparatur ut minister & inferior, etiam quando suggerit rationes vel auctoritates, quibus Confessarius movetur ad judicium formandum ac terminandum. Summùm enim se haberet pœnitens ad Confessarium, sicut se habet causidicus ad judicem, à quo judex rationes & auctoritates priùs ignotas audit, quibus movetur ad judicandum in favorem illius causidici. At causidicus, in illo etiam casu, comparatur

Cōfessarius sæpè format suum judicium dependenter à judicio & auctoritate pœnitentis.

Celladeus vel sibi contradicit, vel proprium argumentum solvere tenetur.

ad

ad Judicem tanquam Minister & inferior. Ergò & pœnitens eodem modo, etiam in casu expresso, comparatur Confessario tanquam minister & inferior. Ergò à fortiori eodem modo comparatur in casu nostro, quando Confessarius nullam doctrinam aut opinionem, sed merum factum accipit à pœnitente, & eo habito, ex propria scientia ac notitia finali discurrit, & juxta eam pœnitentem judicat.

Munerum inversio sequeretur, si Confessario non liceret absolvere pœnitentem contra propriam opinionem.

30. Nulla ergò officiorum ac munerum inversio sequitur ex eo, quòd Confessarius probabili pœnitentis opinioni contra propriam sententiam se accommodare teneatur; sed ex opposito talis confusio sequeretur, si pœnitens deberet sequi opinionem Confessarii. Tunc enim judicium Confessarii terminaret lites ac prætensiones partium, & consequenter Confessarius judicis civilis munus & obiret & impleret; quo nil absurdius dici potest. Munus enim Confessarii non est lites terminare, atque jus uni parti tribuere, sed solùm inspicere, an pœnitens peccaverit, & peccaturus sit rem retinendo: si invenerit eum nec peccasse, nec peccaturum esse eam retinendo, debet illum in sua possessione relinquere & absolvere, quidquid sentiat de re secundùm se, modò pœnitens sequatur opinionem probabilem, nec teneatur eam deserere, ut opinioni Confessarii se accommodet. Cæterùm in tali casu rem uni parti judicare, aliumque ad eam illi tradendam obligare, non est munus Confessarii, sed solùm judicis civilis. Ecce absurda prætensa non ex nostra, ut contendit Celladeus, sed ex ipsius opinione sequuntur.

Cõfessarius quid agere debeat in favorem partis, quam pœnitens gravat?

31. Ad primam confirmationem, dico illam à Celladeo omitti potuisse, quia per totam quæstionem antea expressè egerat de casu restitutionis, quæ certè ad tertiam personam pertinet. Itaque jam responsum est ad casum tertiæ personæ; nec difficultas ulla superest, si discrimen inter munus judicii externi & interni, & inter modum procedendi utriusque ante oculos habeatur. Stultum quidem esset, judicem fori externi judicium ferre non auditâ, vel citatâ parte adversâ. At æquè absurdum esset, judicem fori interni non debere judicium suum terminare, parte adversâ nec auditâ nec citatâ. Debet quidem Confessarius nonnunquam pœnitentes, maximè si sint rudes, examinare; tum quia illi sæpè evidenter falluntur in suo computu ac judicio, prout ipse experimento didici, illisque ipsis evidenter monstravi; tum quia ob vim passionis excæcantis vix quisquam est competens judex in propria causa, ideoque Confessarius in tali casu fulcire debet jus partis adversæ, donec pœnitens ostenderit se inculpabiliter processisse &c. Verùm hoc non est ad quæstionem præsentem; quærimus enim, quid sit agendum, quando post omnem industriam ventum est ad opiniones probabiles, & pœnitens inculpabiliter adhæret illi, quam Confessarius falsam reputat. Cùm eò ventum est, Confessarius suadere potest, sed non potest cogere pœnitentem ad restituendum, sed debet illum absolvere, nec tenetur ulteriùs causam partis adversæ fulcire, quia hoc ad munus ipsius non pertinet. Nec ideo ullum Confessario competit jus disponendi de rebus alienis; non enim de illis disponit, nec ullum circa illa jus pœnitenti tribuit; sed solùm relinquit ea in statu, in quo eadem reperit; unde incongruè dictum est à Celladeo, Confessarium non habere plus potestatis circa hæc, quàm judicem fori externi, quia Confessarius nullum planè circa illa jus habet, cùm judex civilis plurimùm habeat; quia ipsius est litem terminare, atque uni parti jus certum ad illam conferre, adeo ut alteri parti resilire non liceat, nec partem adversam amplius turbare &c. At nil simile fit per judicium Confessarii, quia per illud pars adversa non impeditur causam suam agere, sed licitè potest eam coram judice externo promovere, atque etiam victoriam obtinere. Itaque paritas hæc de judice externo, in qua Celladeus potissimùm nititur, est prorsus infirma.

Solvitur 2 cõfirmatio.

32. Ad secundam confirmationem. Judicium Ecclesiæ contra suos filios ad forum externum pertinet, in quo judex sequi debet propriam opinionem, & non accommodare se alienæ. Ideo longè dispar est ratio inter illud & judicium internum, ut ostensum est. Stat ergò sua potestas Ecclesiæ, Censurarumque vigor nullatenus imminuitur ex eo, quòd Confessarius absolvere possit ac debeat pœnitentem contra propriam opinionem. Cæterùm in hac ipsa objectione plura valdè incongrua congeruntur. Inprimis argumentum supponere videtur, opinionem Principum, in Senatorum ac Theologorum auctoritate fundatam, esse probabilem contra sententiam Ecclesiæ. Hoc autem in plerisque falsum est; nam judicium Ecclesiæ in rebus ad fidem & mores spectantibus est infallibile, & consequenter nulla auctoritas aut ratio in contrarium esse potest probabilis. Deinde supponit, talem dissensionem frequenter intervenire inter Ecclesiam & Principes temporales ejus filios, ut quamvis probabile sit, jus penes filios esse, tamen pia mater Ecclesia filios suos excommunicatione & aliis pœnis gravissimis cogat ad sententiam propriam deserendam, & ad subscribendum sententiæ suæ, quamvis illa sit solùm probabilis. Nisi enim hæc duo supponantur, argumentum procedit de subjecto non supponente, ut patet. At utrumque est falsum; primum quidem in ea universalitate, quam objectio exprimit, quia in rebus ad fidem & mores spectantibus universalis Ecclesia est infallibilis. Quod si restringatur sermo ad res facti, aut loquamur de Ecclesia particulari, quæ non est infallibilis, raro prorsus evenit, ut Ecclesia quidquam à subditis exigat sub pœna anathematis, quando constat probabile esse, quod subditi injuriam passuri sint per talem sententiam. Quod si Episcopus aliquis, aut Judex Ecclesiasticus aliter procedat, id in exemplum trahi non debet, quia talis procedendi modus materna Ecclesiæ viscera non decet. Et sanè, si praxim observemus, videbimus Ecclesiam in probabilibus suam cuique opinionem relinquere, quamvis justis de causis nonnunquam disputationem de aliqua materia, aut thesium & librorum de ea impressionem prohibeat.

Celladeus in objectione supponit falsa.

Ecclesia nõ procedit cũ filiis suis ut Celladeus intimare videtur.

Periculum audiẽdi confessiones Principum, unde dependeat.

33. Ad tertium. Periculum in audiendis Principum confessionibus non dependet ab eo, an liceat vel non liceat Confessario eos absolvere contra propriam sententiam. Peto enim à Celladeo, an existimet, Confessarium Principum non exponi magno periculo, quamvis cum ipso opinetur, licitum sibi non esse quemquam contra propriam opinionem absolvere? si existimet eum carere periculo, manifestè errat; quia innumera sunt pericula, quæ ab illa opinione non dependent. Et præter hæc peculiari subjacet periculo operandi contra conscientiam suam, & alienæ opinioni se accomodandi, ne Principis aversionem incurrat, qui absolutionem in tali casu sibi negari ægerrimè ferret. Quod periculum haud dubiè maximum, & fermè continuum, longè superaret omne pericu-

periculum absolvendi Principem contra propriam sententiam, quando ille bonâ fide sequitur opinionem probabilem, quia in hoc secundo casu verè nullum in ipsa re est periculum, cùm Confessarius ita se gerere teneatur, ut ostensum est. Certè si aliud non esset onus Confessarii Principum, quàm periculum absolvendi eos contra propriam sententiam, quando illi bonâ fide post maturam deliberationem sequuti sunt & sequuntur opinionem verè probabilem, cui inculpabiliter fidem præbent, munus illud minùs periculi haberet quàm munus audiendi plebeios (quod certè periculis non caret) cùm absolutio hominis bonâ fide & inculpabiliter sectantis opinionem probabilem, omni prorsus periculo careat. Si dicat munus illud adhuc fore valdè periculosum, argumentum procedit de subjecto non supponente. Quòd si contendat, periculum illius muneris esse minùs in nostra quàm in ipsius sententia, id ego non nego, quia sequens opinionem nostræ contrariam, præter pericula utrique opinanti communia peculiari, gravissimoque ac continuo periculo subjacet, ut ostensum est. Sed ipsemet tale periculum sibi creat eligendo talem opinionem reflexam in regulam, ut patet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

illius Theologi, quem in proœmio hujus quæstionis citavi.

Utrùm Cõfessarius, ut judex, suam opinionem sequi teneatur.

34. OBJICIT primò. Confessarius minùs doctus contra propriam sententiam licitè absolvere potest pœnitentem, se multò doctiorem, qui magnis rationibus ductus contrariam opinionem tenet. Similiter quando opinio pœnitentis est communis, & opinio Confessarii est singularis, Confessarius licitè potest pœnitentem absolvere, quia in istis casibus prudenter deponere potest propriam sententiam, & pœnitentis opinionem ut propriam sectari. Sic enim meritò discurrit. Credibiliùs est falli me, quàm istum virum me longè doctiorem, & multò magis quàm plurimos Doctores sapientissimos, qui oppositum tenent. Ergò propriæ cognitioni fidere non debeo, talium Doctorum auctoritatem contemnendo. At quando Confessarius non est indoctior pœnitente, & quando opinio Confessarii communiter habetur magis aut certè tam probabilis quàm opinio pœnitentis, Confessarius si suæ opinioni adhæreat, & nulla occurrat ratio prudens ad deponendum illud judicium, non potest absolvere pœnitentem contra propriam opinionem; præsertim quando illa habet pro se plures & graviores Doctores, & communiter censetur probabilior, quàm opinio pœnitentis. Ratio est, quia absolutio, *ex Tridentino sess. 14. cap. 6.* est adinstar judicii actualis, quo à Sacerdote velut à judice sententia pronunciatur. Et quamvis hoc judicium non sit institutum ad condemnandum, sed ad absolvendum reum legitimè se accusantem de suis peccatis, Sacerdos tamen se gerit ut judex, & ut superior. Judex autem non potest proferre sententiam juxta alienam opinionem, quam judicat falsam, sed juxta suam, quam veram reputat, ut constat in foro litigioso. Ergò Sacerdos nequit proferre sententiam juxta opinionem pœnitentis contra propriam. Ratio est, quia quamvis Confessarius credere debeat pœnitenti in iis, quæ ad ipsum, ut pœnitens est, pertinent, nempe in quæstione facti, an commiserit talia crimina in talibus circumstantiis, &c. non tamen debet illi credere in iis, quæ ad ipsum, ut pœnitens est, non pertinent, nempe in quæstione juris, scilicet an detur vel non detur obligatio restituendi? an talis actio sit peccatum mortale? sed pœnitens in iis credere debeat Confessario, ad quem harum rerum cognitio spectat. Alioquin harum rerum cognitio illi necessaria non esset, sed posset munus suũ obire stando judicio pœnitentis. Ita Theologus ille, cujus mentionem fecimus *quæst. 2.* ubi in nos recepimus ea hîc examinare, quæ contra præsentem assertionem ponit.

Respondeo, Theologum istum in hoc ipso limine hujus quæstionis inconsequenter discurrere. Si enim Confessarius in duobus illis casibus suum judicium prudenter deponat, poterit etiam pari prudentiâ in omni casu suum judicium reflexum deponere, & absolutè credere, licitum sibi esse pœnitentem absolvere, etiam contra propriam opinionem directam; quia ut ipsemet fatetur, communissima opinio affirmat, Confessarium posse ac debere absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem contra directam opinionem Confessarii. Prudentissimè enim sic discurrere potest. Probabilius est pauculos illos recentiores (quos fatetur se sectari) & me cum illis falli, quàm quòd innumeri Doctores, tam antiqui quàm recentiores, in hac re falsi fuerint. Ergò propriæ opinioni fidere non debeo, contemnendo tot Doctorum auctoritatem. Ergò Confessarius semper potest prudenter absolvere pœnitentem contra propriam opinionem, etiam in illis casibus, contra quos Theologus excipit, quia communissima opinio docet, Confessarium in illis ipsis casibus posse ac debere pœnitentem absolvere. Objiciens inconsequenter discurrit.

35. Quod autem ad rationes attinet, tam istæ quàm sequentes, non solùm quoad sensum, sed etiam quoad verba, ex Celladeo sumptæ videntur, quia & sensum & phrasim illius non tam sapiunt, quàm verbatim continent, nec quidquam novæ difficultatis afferunt. Itaque jam illis responsum est. Nihilominus in gratiam illius Theologi aliquid ad singulas illius objectiones reponam, ut pleniùs illi satisfiat. In quo sensu judex suã sententiam sequi teneatur?

Inprimis judex nunquam licitè judicat contra propriam sententiam, quam format ut judex, quamque ut judex sequi tenetur. At sæpè judicare debet contra propriam sententiam, quam elicit ut peritus. Aliquando enim judices fori externi jubentur judicium ferre juxta sententiam Bartoli v. g. & hoc sæpè expedit. In hoc casu, judex non debet sequi propriam opinionem de jure partium, quia illam non format ut judex, sed ut peritus; neque tenetur juxta illam judicare, ut judex est, sed solùm juxta sententiam Bartoli. Itaque opinio, quam judex in hoc casu format ut judex, est opinio, non quam format de jure partium, sed quam habet de sententia Bartoli. Similis prorsus est casus noster. Confessarius habet unam opinionem ut est Theologus peritus, eamque veram reputat. Sed illa non est opinio, quam formare, quamque sequi debet ut est judex, sed hæc opinio est judicium de dispositione pœnitentis, cujus qualitatem debet considerare, & de illa sententiam ferre, ac juxta hanc suam sententiam judicium terminare. Itaque videre debet, an pœnitens peccaverit sequendo aliquam opinionem, & an peccaturus sit eam sequendo in posterum. Si non peccaverit nec peccaturus sit eam sequendo, neque convinci possit erroris, ita ut

ut teneatur eam deponere, Confessarius debet eum absolvere, quia ut judex hujus fori ad alia respicere non debet. Porrò quia ex principiis hujus Theologi certum est, pœnitentem non peccare sequendo opinionem certò probabilem, quam probabiliorem reputat, ex illis sequitur, Confessarium debere judicare illum esse ritè dispositum, ac proinde debere eum absolvere; quia nemini nisi indisposito absolutio deneganda est. Itaque præsens hujus Theologi sententia inconsequens est ad priorem illam & primariam ejus opinionem de licito partis probabilioris usu.

His positis, omnia, quæ dicit, sponte corruunt. Inprimis Confessarius non juxta alienam opinionem, quam falsam reputat, sed juxta propriam, quam verissimam habet, quamque format ut judex, & quam ut judex sequi debet, judicium terminat, quamvis non procedat juxta suam opinionem, quam ut peritus elicit de re secundùm se considerata; quia juxta hanc non debet causam examinare, & judicium instituere. Jam quia hæc opinio Confessarii, ut est judex, dependet à judicio pœnitentis, de cujus qualitate enunciat, ideo dicitur sequi judicium pœnitentis, non quasi teneatur idem judicare cum pœnitente de rebus ipsis (hoc enim necessarium non est) sed quia reflexè scit, judicium illud pœnitentis esse ipsi sufficientem regulam ad licitè operandum in posterum, ideoque non debet illum obligare ad desistendum à tali operatione.

In quo Cōfessarius credere debet pœnitenti?

36. Rursus, quamvis Confessarius in rebus juris non teneatur stare judicio pœnitentis, si loquamur de directa opinione juris secundùm se, quam homines tamquam periti formare solent, tenetur tamen stare illius judicio tamquam unico objecto, ex quo ipse suam de jure sententiam format. Sic si noverit, judicium pœnitentis non excusare illum à peccato, non debet stare judicio pœnitentis erroneè opinantis contrarium. Verùm si sciat judicium pœnitentis pœnitentem excusare, sequi debet hanc suam scientiam, per quam videt pœnitentem non obligari ad illud suum judicium relinquendum. Hoc modo per accidens Confessarius tenetur se accommodare judicio pœnitentis, quia contingit, judicium pœnitentis de sua dispositione conformari cum judicio Confessarii de eadem. Itaque quamvis non teneatur credere pœnitenti, quod hoc vel illud sit peccatum mortale secundùm se, aut materialiter sumptum, debet tamen illi credere, quòd bonâ fide sequutus sit opinionem certò probabilem, & consequenter debet judicare, quòd non peccaverit, quódque peccaturus non sit eam sequendo in posterum. Neque verum est, quòd pœnitens in rebus hinc inde probabilibus teneatur accommodare se judicio Confessarii, ut vir peritus est, cùm id sine fundamento, & contra veritatem efficaciter probatam dicatur; liberum enim illi est sequi illam opinionem, quam absolutè veram reputat, quamvis Confessarius, ut vir peritus, sectetur oppositam. Neque hinc sequitur, harum rerum notitiam non esse Confessario necessariam; sed oppositum planè infertur, quia nisi hæc sciat, ignorat, utrùm pœnitens in electione ac praxi opinionis peccaverit, necne. Neque debet universaliter fidere pœnitentibus, qui sæpè ob ignorantiam, sæpè ob passionem in causa propria non sunt apti judices. Hoc tamen non obstat, quo minùs Confessarius in multis occasionibus sequi possit ac debeat opinionem pœnitentis, quando pœnitens longè magis versatus est in illis rebus quàm Confessarius, & meritò præsumitur sibi ultra justum non favere. Quod cùm iste Theologus in multis casibus verum esse asserat, mirum est, eum hæc objecisse, quorum pleraque aut omnia ab ipsomet in talibus casibus solvenda sunt.

37. Ob. 2. Supponamus pœnitentem judicare illud esse solùm veniale, quod Confessarius arbitratur esse mortale; ac propterea pœnitentem nolle fugere occasionem proximam committendi talem actionem. Non poterit Confessarius illum absolvere, nisi eam occasionem dimittat. Quamvis enim pœnitens arbitretur se esse ritè dispositum, non tamen est ritè dispositus in opinione Confessarii, qui proinde non potest eum absolvere; non enim debet absolvere eum, quem judicat non esse ritè dispositum. De dispositione autem pœnitentis, solius est Confessarii judicium ferre. *Objectio 2.*

Objiciens sibi contradicit.

Respondeo, Theologum istum hac in objectione & sibi, & apertæ veritati contradicere. Supponimus enim pœnitentem sequi opinionem certò probabilem practicè, quam & veram reputat, & oppositâ probabiliorem. Jam constat hominem sequentem talem opinionem non peccare, quod Theologus iste ut indubitatum tradit, ut vidimus *quæst. 2.* Ergò scit pœnitentem esse dispositum; quia scit illum non peccaturum mortaliter, quamvis talem actionem posuerit. Ergò in doctrina hujus objectionis & sibi contradicit, & apertæ veritati repugnat.

38. Ob. 3. Quamvis opinio pœnitentis sit probabilis, potest tamen esse falsa. Ponamus autem Confessarium certò scire pœnitentem errare. In hoc casu pœnitens absolvi non potest, quamvis non peccet sequendo suam opinionem; quia Confessarius debet illum obligare ad obediendum legi divinæ certò sibi cognitæ. Ergò non potest illum absolvere, quando absolutè judicat dari legem tale quid præcipientem; quia licèt motivum judicii sit fallibile, absolutè scit pœnitentem, sequendo suam opinionem, agere contra legem Dei. *Objectio 3.*

Quid agendum Confessario sciēti pœnitentem errare?

Respondeo inprimis, Confessarium in casu antecedentis per se loquendo obligari ad instruendum pœnitentem de veritate certò scita; & pœnitentem obligari ad credendum & obediendum Confessario certa docenti & exigenti. Quòd si nolit credere, sibi tribuat, si absolutio denegetur. Præterea Confessarius maximè seriò & asseveranter intimare illi debet, rem esse certam, & ultra omnem opinionem; ideoque se ab eo assensum exigere, ut ita pœnitens subterfugium non habeat. Verùm in rebus utrimque opinabilibus casus iste rarò contingit. Cæterùm quando casus evenit, si Confessarius non interrogatur, & aliunde non obligetur veritatem aperire (quod aliquando contingit, ut Auctores observant) tunc sæpè expedit ut pœnitens, si invincibiliter erret, relinquatur in sua ignorantia, & absolvatur. Ratio est, quia est sufficienter dispositus ad absolutionem, cùm doleat de commissis, & propositum habeat non peccandi de cætero; nec peccet retinendo ac sequendo opinionem suam erroneam. Ergò absolvi potest, nisi, ut dixi, Confessarius teneatur illi veritatem aperire. Tunc enim, veritate propositâ, non est ritè dispositus nisi eam amplectatur. Cæterùm ad majora mala vitanda sæpè expedit veritatem reticeri, ne, illâ detectâ, multa peccata formalia committantur, quæ certò non committentur, si veritas taceatur. Sed de his in particulari videndi sunt Theologi.

Cōsequentia objicientis est illegi-gima.

39. *Resp.* 2. Consequentiam ex antecedente non inferri; quia cùm Confessarius nesciat, an ipse vel pœnitens veram opinionem sequatur, non tenetur pœnitentem docere id, quod ipse non novit. Præterea etsi diceret pœnitenti sibi probabilius videri, opinionem ipsius esse falsam, non ideo pœnitens tenetur suam opinionem mutare, ut patet. Ergò cùm pœnitens sit dispositus, omnino absolvendus est. Nec obstat, Confessarium putare illum transgredi præceptum Dei, quia solùm putat eum materialiter transgressurum illud; scit autem illum formaliter non peccaturum. De violatione autem illa materiali, utpote incerta, non debet esse sollicitus, cùm sciat pœnitentem oppositum existimare, & non obligari ad conformandum suum judicium opinioni Confessarii, sed sine peccato propriæ opinioni inhærere.

Objectio 4.

40. Ob. 4. Quando Confessarius & pœnitens diffident in suis opinionibus, vel pœnitens Confessario, vel Confessarius pœnitenti debet se accommodare. At ubi agitur de restitutione, aut occasione vitanda, &c. potiùs dicendum est, reum judici, subditum superiori, & peccatorem Ministro Christi debere se conformare, quàm è contra.

An, & quando Confessarius si qui debeat opinionem pœnitentis?

Respondeo, neutrum in casu objectionis debere se alteri accommodare, sed unumquemque posse & servare & sequi suam opinionem directam. Verùm sicut opinio pœnitentis non dirigit Confessarium, ita opinio Confessarii non dirigit pœnitentem in ordine ad praxim objecti, quod proponit. Jam quia Confessarius debet judicare pœnitentem juxta opinionem, quâ pœnitens licitè dirigitur, non juxta opinionem quâ ipsemet dirigitur, ideo Confessarius dicitur se accommodare opinioni pœnitentis, non quòd illam veram reputet, sed quòd ex illa, & per illam actu informantem judicare debeat, an peccaverit pœnitens, an sit benè dispositus, &c. in quo judicio procedit ut superior & judex; sed & pœnitens, per se loquendo, stare debet hujusmodi judicio Confessarii; quod si nolit, Confessarius non debet eum absolvere, quia nunquam licet Confessario agere contra propriam conscientiam, uti ageret, si in eo casu pœnitentem absolveret. Nihilominùs talis esse potest peritia & probitas pœnitentis, ut Confessarius prudenter deponat suum judicium, & assensum præbeat opinioni pœnitentis; in quo etiam casu pœnitens finaliter stat opinioni Confessarii, quamvis Confessarius opinionem illam à pœnitente didicerit. Ecce in sententia nostra peccator, subditus, & reus in eo submittit se opinioni Ministri Christi, Superioris, & Judicis, in quo Minister Christi, Superior, & Judex suum officium exequitur; quamvis non submittat se illi in eo, quod hîc & nunc non dirigit eum ad suum officium implendum.

Objectio 5.

41. Ob. 5. Si Confessarius, qui personam Christi repræsentat, deberet se conformare opinioni pœnitentis, nec posset illum obligare ad id, quod ipse judicat esse à Deo præceptum, sequeretur, quòd Ecclesia non posset per Censuras obligare suos filios ad abstinendum ab actionibus, quas ipsa judicat esse injustas, si subditi haberent opinionem probabilem, quòd actiones illæ non essent injustæ. Hinc autem enervaretur potestas Ecclesiæ; quia in rebus incertis nunquam desunt opiniones pro utraque parte.

Ex superioribus soli Confessarii

Respondeo, mirari me, talia objici, quæ nullam prorsus habent connexionem cum quæstione præsenti: hoc tamen ut motivum præcipuum proponitur, propter quod tam Celladeus, quàm Theologus iste à communi sententia recedit. Dico ergò iterum Ecclesiam non solere per Censuras cogere subditos ad abstinendum ab actionibus, quas illa novit esse certò probabiliter licitas, subditosque suos illas sequendo non peccare; non, inquam, solet hoc modo eos cogere, si solùm respiciamus ad obligationem, quam habent Deum non offendendi. Cæterùm ob justas causas Ecclesia potest nova præcepta, aut leges novas statuere, quibus subditi obligentur ad abstinendum ab iis actionibus, quas antea licitè ponebant. Posito autem hoc præcepto, quod in similibus casibus semper involvitur, quando aliquid per Censuras exigitur, non ampliùs probabile est illud licere, quod antea probabiliter aut etiam certò erat licitum. Præterea in rebus ad fidem & mores spectantibus judicium decisivum supremi Pastoris & Ecclesiæ Universalis est infallibile. Ergò si tale judicium interponatur, nulla dari potest opinio probabilis de contrario, & sic semper sumus extra casum. Cæterùm, est & alia disparitas evidentissima, quia Ecclesia non debet formare suum judicium juxta judicium subditorum, nisi quando examinat an peccaverint, an peccaturi sint ita vel ita operando &c. Sed potest sequi proprium judicium, & omnes obligare ad secum sentiendum, & ad statutis suis obediendum. At munus Confessarii ad aliud non extenditur, quàm ad judicandum, an pœnitens ita operando peccaverit & peccaturus sit, & ad illum docendum, ubi constat eum errare. At ut hoc perficiat, attendere debet ad judicium pœnitentis, quando in rebus utrimque probabilibus & incertis ille sequitur opinionem, quam veram reputat.

debent stare opinioni probabili subditorum.

Hæc & non alia argumenta asserit iste Theologus pro sua sententia, contra communem omnium tum Antiquorum tum Recentiorum opinionem. Verùm quàm debilia sint hæc argumenta, quámque insufficientia ad hominem prudenter monendum, nemo non videt. Itaque ad illa aliud respondere non est opus. Addo tamen mirabilem prorsus, & nullatenus ferendam responsionem ipsius ad absurdum, quod meritò objicit contra se, quodque nostræ sententiæ Auctores objicere solent. Sic ergò discurrit.

Sententia nobis adversa est fidelibus noxia.

42. Dices, nostra sententia est nimis dura, quia si pœnitens in extremo mortis articulo constitutus (quisciret se sequi opinionem certò probabilem, quam veram reputat, ideoque conscius esset, se eam sequendo non peccare) confiteretur apud Confessarium tenentem opinionem contrariam, & Confessarius non posset se accommodare opinioni pœnitentis, per hoc salus æterna pœnitentis periculo exponeretur; quia Confessarius deberet eum obligare v. g. ad restitutionem, ad quam tamen faciendam ille induci non potest; ne filios in egestate relinquat &c. Itaque sententia illa noxia est animarum saluti, ac proinde non tenenda.

Respondet primò per instantiam, & petit, quid facere deberet Confessarius, si certò sciret, opinionem pœnitentis esse falsam? si non posset eum in illo casu absolvere, nec potest in isto. Si autem posset, non benè arguitur ab hoc casu extraordinario & particulari ad alios frequentes extra tales circumstantias.

In casu raro pœnitens absolvi potest contra sententiam

43. Verùm jam dictum est, ad quid in illo casu teneatur Confessarius; cùm enim agatur de damno tertii, per se loquendo tenebitur veritatem aperire. Quâ manifestatâ pœnitens non erit benè

certâ Confessarii.

benè dispositus, si restituere nolit. *Per se*, inquam, quia tales esse possunt circumstantiæ; ut Confessarius præsumere possit, creditorem in eo casu velle potiùs remittere debitum, quàm salutem debitoris in evidens discrimen conjicere. In quo casu Confessarius non videtur obligatus ad veritatem aperiendàm, sed potest eum absolvere. Unde quamvis in tali casu raró hoc licitè fiat, non inde sequitur, quòd in aliis casibus dissimilibus idipsum frequenter fieri possit, aut debeat. Cæterùm argumentum ob hoc casu ad casum utrimque probabilem nullius prorsus roboris est, ut vidimus.

44. Respondet secundò. Si Confessarius prudenter judicaret, pœnitentem illum ita filiorum commodis affixum ut admonitus de obligatione restituendi mallet damnari, quàm bona temporalia dimittere, hoc ipso judicaret, illum non bonâ fide amplexum esse opinionem deobligantem à restitutione, ac proinde absolutionis incapacem esse; quia qui sequitur opinionem favorabiliorem, debet ita paratus esse, ut oppositam amplecteretur, si illa proponeretur probabilior; qui enim adeò tenaciter adhæret opinioni sibi faventi, ut eodem modo eam sequutus esset, quamvis opposita ei proponeretur ut verisimilior, hoc ipso graviter delinquit, quia pluris facit suum commodum quàm Dei amicitiam. Itaque si timet, eum bonâ fide non adhæsisse illi sententiæ, debet eum admonere de obligatione restituendi, afferendo ei argumenta, quæ ipsi persuadeant falsitatem opinionis, cui adhæret; quia ut rectè ait Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 38. Conclus. 1. Quoties ignorantia est vincibilis & culpabilis lethaliter, cujuscumque juris & facti sit, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura, & & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur.* Hoc omnes fatentur, quia cùm talis ignorantia non excuset, pœnitens est in culpa lethali; ideoque si Confessarius dissimularet, absolutio daretur indigno. Hæc ille.

Pœnitens admonêdus est erroris, si vincibiliter erret.

Verùm, quorsum hæc dicta sint, non apparet. Nam inprimis quæstio procedit de eo, qui bonâ fide sequitur opinionem, quam absque temeritate veram reputat. Stultum autem esset Confessarium de hac re dubitare, eò quòd ipse contrariam opinionem sectetur. Sed si de eo prudenter dubitet, interroget pœnitentem; nam quoad hoc ejus testimonio stare debet, cùm ipse solus sit testis tam pro se, quàm contra se in hoc Sacramento. Si advertat illum esse malè dispositum, inducat eum ad affectum illum indebitum deponendum, quo deposito, si adhuc maneat in sua opinione, nil habet Confessarius quod culpet in eo. Idque vel maximè verum est, si ille argumenta Confessarii solveret. Quod affertur ex Sanchez non est ad rem, quia loquitur de eo, qui culpabiliter & vincibiliter errat. At nil simile est in casu nostro, quia fortassis Confessarius errat, non pœnitens qui sequitur opinionem certò probabilem; quòd si erret, non est cur ille potiùs censeatur vincibiliter errare, quàm Confessarius. Unde ergò potest Confessarius credere, quòd vincibiliter erret, ut doctrina Sanchez locum habeat? Demùm cùm utraque opinio sit certò probabilis, non est cur Confessarius sollicitus sit, quòd pœnitens sequatur potiùs suam, quàm oppositam opinionem, cùm in hoc pœnitens non teneatur opinionem suam deponere, ut Confessarii opinionem veram reputet. Dimittat ergò illum agere secundùm opinionem, quam sequitur, bonamque ejus fidem non turbet, ne frustra & sine necessitate, immò contra charitatem & proprium officium operando, pœnitentis salutem in discrimen adducat.

Pœnitens non est turbandus quãdo sequitur opinionem probabilem.

45. Respondet tertiò. Ponamus Confessarium sibi persuadere, pœnitentem bona fide, & ordinato affectu eòusque tenuisse sententiam sibi favorabilem. In hoc casu, si Confessarius certus sit, se non ex passione, non ex perturbatione scrupulosâ amplecti sententiam obligantem ad restitutionem, sed quia est manifestè probabilior, paternè admoneat moribundum, ut restituat, salutemque animæ suæ aliorum commodis anteponat. Tunc homo ille deserere debet priorem sententiam, cui adhærebat, ut probabiliorem Confessarii sequatur. Si autem pertinaciter renuat sequi admonitionem Confessarii, peribit quidem, sed eodem modo periturus, quamvis absolveretur, quia absolutionem indignè reciperet; ignorantia enim illius non esset amplius invincibilis. Nam ut docet Adrianus *in 4. quæst. 5. de Confessione, dub. 7. Ignorantia solùm est homini invincibilis, quando facit, quod in se est apud Deum & homines, ut mereatur veritatem edoceri; volens efficaciter amplecti in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit.* At in casu nostro moribundus non haberet hanc dispositionem. Ergò ejus ignorantia non esset invincibilis. Ergò interitus illius rigori Confessarii tribui non posset. Ut enim Toletus optimè observat ad illa verba Christi, *Joan. 6. Numquid & vos vultis abire? Veritas ad salutem necessaria non est dissimulanda propter incredulorum scandalum, exemplo Domini, qui scilicet non temperavit aliquid de rigore doctrina, ut occurreret scandalo discipulorum, qui dixerunt: Durus est hic sermo: Namque ut habetur in regulis juris, utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas victa relinquatur.* Et sanè, ut habet Adrianus loco citato, ignorantia juris divini non manet invincibilis, quando adest à quo homo scire potest veritatem, si informationem peteret; immò tenetur eam exposcere, ne ignorans à Deo etiam ignoretur, *1. ad Corinth. 14.* Quamquam ergo Confessarius pœnitentem suis monitis minimè pariturum intelligat, tenetur illum de veritate instruere, quomodo Ambrosius *serm. 84. Ego*, inquit, *interdum pænitens vobis tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere judicium.* Itaque juxta Adrianum ignorantia pœnitentis non est invincibilis, quoties Confessarius doctus & prudens potest eum docere veritatem. Ergò qui ita adhæret opinioni sibi favorabili, ut quamvis Confessarius doctus rationibus urgentibus illi suadeat eum decipi, non tamen velit ejus ductum sequi, non habet ignorantiam invincibilem, sed affectatam, cui proinde tamquam indigno absolutio deneganda est.

Veritas aliquando non est dissimulanda ob aliorum scandalum.

Sed contra est, quia nil eorum, quæ hic tam resolutoriè & dogmaticè asseruntur, vel apparenter probatur. Unde satis mirari nequeo, tam magna, tam periculosa, tam pœnitentibus perniciosa, tam exiguis fundamentis nixa, à Theologo isto tam audacter proponi potuisse ut absolutè necessaria. Sed singula diligenter inspiciamus.

46. Inprimis destruit quæstionem, quia supponit excessum probabilitatis esse manifestum & certum Confessario; qui etiam supponitur certus, quod non ex ulla passione, sed præcisè ex merito causæ suam sententiam teneat. Peto ergò, utrùm sententia opposita, non obstantibus hisce rationibus, maneat certò probabilis, nec ne? si non maneat (ut verè non manet, si omnia illa admittantur, quæ in Confessario adesse supponuntur) sumus

Objiciens destruit quæstionē.

sumus extra casum præsentis quæstionis. Si maneat certò probabilis, & à pœnitente bonâ fide credatur vera, ille molestandus non est, ut supra efficaciter probatum est; contra quòd hic allata nullam vim habent, ut mox apparebit. Interim, moraliter loquendo, numquam aut vix umquam contingere potest, ut Confessarius sit certus, se nulla æquivocatione decipi, nullaque ignorantiâ laborare, cùm videat oppositum à viris gravibus sibi non inferioribus doceri, ac non obstantibus rationibus, quibus ille movetur, verum reputari. Præterea, si Confessarius quando hanc de se certitudinem non habet, possit & debeat pœnitentem absolvere, Theologus iste frustra hanc quæstionem instituit, utpote quæ pro praxi nulli usui esse potest, cùm numquam eveniat in rebus incertis, ut Confessarius talem dispositionem habeat. Et quidem si de communi & non supremo Confessariorum ordine sit sermo, perspicuum est, eos tantum doctrinæ non habere, ut meritò possint hæc de se præsumere; si verò de peritissimo aliquo loquamur, ille etiam, nisi sciat oppositum non esse probabile, prudenter formidare potest ne decipiatur; ideoque non potest habere certitudinem quam Theologus iste requirit, nisi clarè videat oppositam sententiam esse improbabilem; in quo casu Confessarius & pœnitens ita se gerere debent, sicut communiter docetur eos in tali casu se gerere debere. Hoc autem non est meum nunc examinare, quia id ad præsentem quæstionem non pertinet. Itaque vel ex hac sola ponderatione constat, totum hujus Theologi laborem frustra impensum fuisse in ordine ad finem ab ipso intentum, scilicet ut doceret, quomodo in praxi Confessarii se gerere debeant.

Objiciens frustra laboravit in hac quæstione.

Cōfessarius debet docere, quæ scit esse vera, si pœnitenti faveant.

47. Quòd si opinio pœnitentis sit certò probabilis, in quo solùm casu præsens controversia vertitur, Confessarius nullam habet obligationem admonendi pœnitentem, quòd ad restitutionem teneatur, sed potiùs tenetur docere veritatem oppositam; scilicet quòd cùm bona fide sequatur opinionem certò probabilem directè, & sibi quidem verisimiliorem, revera non sit peccaturus, si rem illam non restituat. Hoc dicere debet Confessarius, si de hoc interrogetur; quia scit hoc verum esse, quamvis fortassis in aliquo casu prudenter dicere possit se esse in opinione contraria, quæ tamen non obstat, modò pœnitens bonâ fide oppositam opinionem veram esse existimet. Jam verò si hoc sit verum ex mera directa rerum consideratione, multò magis id verum erit, si doctrina reflexa de licito probabilium usu adhibeatur.

Pœnitens non tenetur sequi opinionē Confessarii; sed Cōfessarius pœnitentis.

48. Præterea pœnitens in tali casu, etiam à Confessario admonitus, non teneretur illi credere, sed dicere posset, se ab æquè doctis oppositam doctrinam accepisse, illisque fidem habuisse, ac habere. Quòd si sermo sit de absoluta obligatione, se omnino existimare, nulla se obligatione urgeri, cùm unanimis ferè omnium Theologorum consensus sit, quod cuique liceat sequi quamvis opinionem certò probabilem, etiam quam putat esse minùs probabilem; & nemo omnium neget, quin sequi possit eam, quam directè probabiliorem ac veram reputat, se proinde omnibus his potiùs quàm Confessario, qui illis æquiparari non potest, credere. Præterea scire se, quòd omnes fermè tam antiqui quàm recentiores dicant, Confessarium obligari ad se opinioni pœnitentis conformandum; pœnitentem verò non obligari ad incertam Confessarii opinionem sequendam. Se in illorum authoritate bona fide fundari, & exigere, ut Confessarius hanc suam obligationem impleat. Justius esse, ut in hac re ipse sibi diffidat, & tot sapientissimorum opinionem sequatur, quàm ut exigat pœnitentem, hisce relictis, viro minoris sapientiæ fidem dare.

Neque Confessarius quidquam habere potest tanti ponderis ad urgendum pœnitentem, quantum habet pœnitens ad ipsum sui officii ac obligationis commonefaciendum. Rursus justè dicere potest, Tu ipse scis me, tantam auctoritatem contra tuam incomparabiliter minorem sequēdo, non temerè sed prudenter judicare. Quâ ergò conscientiâ cogis me ad deserendam eam, ut tibi longè magis fallibili morem geram? Tu dicis me, non tibi credendo, sed majorem auctoritatem sequendo, esse pertinacem, ac debere meam opinionem deponere, ut tuam amplectar; sed vide, quæso, ne tu te pertinacem ostendas, qui minorem tuam auctoritatem manifestè majori nimis pertinaciter præponis, idque tribulando moribundum, quem solari debes, non vexare. Peto ergo à te peccatorum absolutionem, hujus meæ dispositionis absolutionem non peto, quia de illâ mea me conscientia non remordet, cùm tantæ auctoritati prudens fidem præbeam. Si nolis absolutionem impertiri, time, ne Deus animam meam à te requirat. Ego illam in ejus manus commendo, & donec halitus supererit veniam deprecabor; teque etiam rogatum volo, ut impotenti etiam loqui absolutionem impertias. Alius Confessarius deest; me ergò ad Deum contrito corde convertere conabor, & sic tandem, tuâ pertinaciâ non obstante, me misericorditer salvandum spero. Hisce quid meritò reponat, nullus Confessarius habet. Quòd si pœnitens idiota hæc explicitè dicere non possit, à Confessario adjuvandus est, ut juxta sensus tam rationabiles conscientiam formet, & absolutionem recipiat.

49. Hæc convincunt, pœnitentem non obligari ad conformandum se opinioni Confessarii, ac proinde ostendunt, eum citra notam pertinaciæ opinioni suæ adhærere. Imò verò fieri potest, ut teneatur Confessoris opinionem respuere; tenetur enim jure naturæ filiis suis, quantum licitè potest, sufficienter prospicere. Ponamus ergò, quòd si restitueret juxta opinionem Confessarii, suos filios rebus omnibus spoliatos relinqueret. Tenetúrne ille, in hoc casu, peculiari Confessarii opinioni acquiescere? nullo modo; imò tenetur illi resistere. Cùm enim evidenter habeat pro se majorem auctoritatem, quàm Confessarius, licitè ac prudenter potest illam sequi, & huic discredere; & consequenter tenetur hoc facere, ut sic jura sua quantum potest defendat, ne suâ incuriâ ac negligentiâ filios inevitabiliter in summam miseriam conjiciat. Absurdissimum autem est dicere, talem hominem in isto casu pluris facere temporale bonum aliorum, quàm æternam salutem propriam; quia falsissimè supponitur, procurationem unius cum alterius cura conjungi non posse. Sed ex quo potest hoc colligi? an quia facit quod tenetur facere, procurando sufficientia media pro filiis? an ex eo, quòd ratione & auctoritate evidenter prævalente jus proprium tueatur? an quod potiùs mori velit absque absolutione quàm Confessario acquiescere? priora ipsi favent; sed & ultimum duabus de causis non est unicum salutis remedium, cùm Sacerdote indebitè negante absolutionem, per contritionem & Sacramenti votum salvari possit. Secundò, obligatio ejus tanta esse potest ad providendum filiis, ut si Confessario acquiesceret, eo ipso pecca-

Pœnitens aliquando obligatur non stare opinioni Cō. fessarii.

peccaret, & beneficium absolutionis recipere non posset. Itaque absque omni probabilitate mihi dici videtur, quod homo, sic dispositus, periturus sit, sive absolvatur, sive non absolvatur; cùm è contrario salvari possit, ac salvandum se sperare debeat, etsi Confessarius eum absolvere nolit. Quòd si pereat, anima ejus à Confessario requiretur, qui debebat eum absolvere, cùm ad absolutionem benè dispositus esset.

Adrianus nobis favet.

50. Quod affertur ex Adriano facit pro nostra sententia, quia supponimus pœnitentem implesse omnem suam obligationem circa veritatis indagationem, quódque efficaciter voluerit amplecti, & amplexus sit eam partem, ad quam Dei voluntatem declinare reperit. Ergò juxta Adrianum illius ignorantia est invincibilis. Ergò si pereat, Confessario id tribuendum erit: sed absit, quòd homo taliter dispositus necessariò pereat; omninò enim credendum est, Deum tali peccatori ita provisurum, ut non pereat; ad quod facit *caput, qui vult, distinc. 6. de Pœnitentia*, ubi dicitur, quòd per misericordiam Dei speranda sit salus ejus qui facit quod potest, ut peccata confiteatur & absolutionem obtineat, quando per ipsum non stat, quò minùs absolutionem recipiat: cæterùm quamvis contingat talem hominem salvari, Confessarius peccatum non vitat, quia absque necessitate & contra suum officium periculo damnationis illum exponit.

Objectiones istæ, ex auctoritate, nihil probant.

51. Illud ex Toleto nil facit ad rem, quia sermo est de veritate comperta & ad salutem necessaria. At in casu nostro veritas comperta non est; probabile est enim, Confessarium errare, & pœnitentem sequi opinionem veram, etiam directè sumptam. Quòd si loquamur de opinione reflexa, quam pœnitens sequitur, longè probabilissimum, & quodammodo moraliter certum est, quòd in illa non erret, & consequenter quòd in hisce circumstantiis nullo modo peccet. Præterea si contingat, Confessarium sequi veram opinionem directam, illa veritas, cùm non sit sufficienter cognoscibilis, non est necessaria ad salutem. Ergò doctrina illa Toleti ex nullo capite præsenti casui applicari potest.

52. Idem valet de eo, quòd ex Ambrosio & Adriano profertur. Ambrosius loquitur de veritate certa, cui auditores non acquiescentes verè sunt contumaces; quod certè de rebus utrimque probabilibus, & maximè de iis, quæ homini probabiliora videntur, dici non potest. Similiter Adrianus intelligendus est de jure certo, quia quod incertum est ex utraque parte, à neutra scitur, ideoque non est cur potiùs ille huic, quàm hic illi assensum præbeat, quando uterque sequitur opinionem certò probabilem, quam absolutè veram reputat. Jam in isto casu nemo adest, qui legem Dei declarare possit; nam fortasse Confessarius errat, & docet contra legem Dei. Incertis autem opinionibus nemo stare tenetur, quando oppositæ sunt certò probabiles, & ipsi videntur probabiliores. Ergò cùm nemo sit, qui pœnitentem de lege certò docere possit, non tenetur novam informationem petere; quod si illam à Confessario peteret, non teneretur illius resolutioni stare, nisi illa sufficienter probaretur, & ita ad minimum convinceretur, ut oppositum non maneret probabile, nec pœnitenti ut probabilius appareret. Itaque falsissimum est, quòd pœnitens in tali casu vincibiliter erret, quia fortasse non ille sed Confessarius errat; nec ullum argumentum ipsi proponitur, quo sufficienter moveri possit ad credendum, se potiùs falli, quàm Confessarium. Sed stupendum prorsus est dictum illud Theologi, quòd Confessarius in tali casu reputare debeat pœnitentem vincibiliter errare, cùm nesciat an erret, vel verum dicat; nec aliud motivum ad hoc affirmandum habeat, quàm fallibilem opinionem, contra quam datur opinio etiam certò probabilis, quâ pœnitens rationabiliter existimat non se, sed Confessarium errare. Qua ergo fronte, aut qua veritatis specie dicere potest Confessarius, quòd pœnitens vincibiliter erret? Quod si ad motiva reflexa respiciamus, certissimum videtur, pœnitentem aut non errare, aut invincibiliter errare.

Pœnitens sequens opinionem Confessarii non est in errore vincibili.

Theologus iste efficaciter redarguitur.

53. Sed idipsum adhuc magis stupendum videbitur, si rem ipsam paulò diligentiùs inspiciamus. Si Confessarius, ejusdem cum pœnitente opinionis, ejus Confessionem excepisset, tunc pœnitens juxta istum Theologum rectè dispositus fuisset, & vel non errasset, vel certè invincibiliter errasset. Jam nónne stupendum prorsus est dicere, quòd si accedat Confessarius alterius opinionis, qui nil certi hac in re novit, ex hoc præcisè judicandum sit, pœnitentem non esse ritè dispositum, sed decipi & vincibiliter errare? quid, quæso, hanc rerum & dispositionum auctoritatem in pœnitentem induxit? an fallibilis & probabiliter falsa opinio Confessarii? nil minus; illa enim nullam prorsus mutationem in pœnitentem induxit: an rationes, quas Confessarius pœnitenti proponit? non certè, quia illæ invalidæ sunt, & fortasse antea à pœnitente examinatæ & rejectæ fuerunt, nec illis tenetur stare, cùm oppositas absolutè veras existimet; omnesque prorsus Auctores dicant, eum sequendo opinionem suam sic constitutam non peccare. Quæ ergo species erroris vincibilis hîc elucet? At Confessarius rem benè examinavit. Quid inde? eandem & alii non minùs docti, & fortè ipse pœnitens eandem seriò examinavit, &, post diligentiam omnem, opinionem Confessarii falsam reperit. Ecce nil est, unde pœnitens rationabiliter præsumi possit vincibiliter errare. Absit ergò à nobis cum hoc Theologo, aut cum pauculis recentioribus benignam sententiam aversantibus sentire; qui enim illorum opinioni acquiescunt inidonei prorsus mihi videntur ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè administrandum. In casibus innumeris tortores & Conscientiarum carnifices potiùs agerent, quàm medicos & misericordes judices; vexarent enim homines, atque in gravissimos scrupulos absque ulla necessitate conjicerent; &, quod plus est, animas periculo damnationis exponerent. Quæ omnia adeo in se mala sunt, ut Confessarii ab illis abstinere teneantur. Sententia enim dicens, eos debere se accommodare probabili pœnitentis opinioni, non est consiliativa, sed præceptiva; saltem respectu eorum, qui ex officio subditorum confessiones audire tenentur. Præterea arrogant sibi officium judicis externi, litesque de incerto & utrimque probabili partium jure privatâ suâ auctoritate & sententiâ terminant, ad quod illorum munus non extenditur. Prætererea Confessarii notitiâ legum ad tale judicium formandum prorsus necessariâ rarò sufficienter instructi sunt. Ergò absurdissimum est existimare, quòd Confessarius in casu præsenti obligare possit pœnitentem ad restitutionem; immò non apparet, quomodò ita procedendo à peccato excusetur, cùm ingerat se in munus sibi non commissum, idque cum ingenti gravamine pœnitentium. Unde Confessarii, qui taliter procedunt, teneri videntur ad omnia damna,

Peccat Confessarius qui cogit pœnitentem ad sequendam suam opinionem.

damna resarcienda quæ per ipsos illata sunt, si postea constiterit, pœnitentem jus ad illa habuisse, quibus Confessarius, muneris sui fines egressus, illum se abdicare coëgit.

Pœnitens moribūdus absolvendus est, etiam quando dubitatur, an sit benè dispositus.

54. Sed esto, sit probabile, imò probabilius sit Confessario, pœnitentem vincibiliter errare, & non esse ritè dispositum; adhuc tamen id certum non est, cùm pœnitens sequatur opinionem certò probabilem, & profiteatur se bonâ fide procedere, rationesque & auctoritates ad prudenter opinandum sufficientes habere. Ergò, quamvis in mortis articulo Confessarii opinioni acquiescere non vult, adhuc absolvendus est, si Theologos audire, si Sancto Augustino, relato *in capite 2. & 4. distinct. 7. de Pœnitentia*, stare velimus:

Aug. quid fentiat de absolutione moribundis danda.

Si quis, inquit, *positus in ultima necessitate agritudinis sua, voluerit accipere pœnitentiam & accipit &c. non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quod benè hinc exit.* Rursus *cap. 4* hæc habet. *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus, &c. Sed unde scis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? nescio. Illud scio: hoc nescio. Nam ideo do tibi pœnitentiam quia nescio: nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem &c.* Ecce per Augustinum pœnitentia danda est, & ille eam dabat in mortis articulo, quando dubitabat & potiùs credebat, illam infructuosè dari; sed quia nesciebat pœnitentem esse indispositum, & spes aliqua, etsi exigua, remissionis apparebat, pœnitentiam non negabat. Eadem longè expressiùs tradit Augustinus *lib. 1. de Adulterenis conjugiis cap. 28.* Ubi expressè docet, Baptismum Catechumeno, qui in adulterio vixerat, licitè conferri, qui morti proximus pro se respondere nequit, idque ex ea solùm præsumptione, quòd fortè ipsum pœniteat, & nolit ulteriùs in adulterio vivere. Eandem doctrinam in fine capitis extendit ad pœnitentiæ administrationem, & reconciliationem baptizati morituri, qui peccatis publicè inquinatus ad mortem usque vivit, quem locum latè explicatum invenies *de conscient. probab. quæst. 37. num. 8. & seq.* Unde patet Adversarios, sicut communem Theologorum opinionem repellunt, ita pariter doctrinam Canonum & Sanctorum auctoritatem & praxim ut falsam & illicitam condemnant.

Adversarii Augustino repugnant.

Theologus malè citat Augustinū.

55. Sed dices cum Theologo, Celebre dictum illud Augustini, relati *cap. Si quis 2. ex distinc. 7. de Pœnitent. Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem*, non habet locum nisi in correctione fraterna, quia non teneor eum admonere, quem scio ex correctione nihil profecturum. Hoc autem locum non habet in Confessario, neque in doctore interrogato de veritate, quia veritatem aperire tenentur, ne confessarius canibus Sanctum, seu indignis Sacramentum conferat, & ne veritatis doctor magister falsitatis evadat. Rectè etiam huic auctoritati respondet Adrianus, quòd Sacerdos possit veritatem tacere, quando scit pœnitentem de veritate scandalum sumpturum; non tamen potest simul Sacramentalem absolutionem impendere; quia prohibemur Sacramenta dare canibus seu indispositis, qualis esset ille pœnitens, quia vincibiliter veritatem ignoraret. Ita Theologus iste.

Respondeo, Theologum hunc nec Augustinum, nec canonem illum contulisse; alioquin non adeo patenter à vera verborum citatione, & ab Augustini mente deviasset. Inprimis citat propositionem prorsus diversam ab illa, quam Augustinus posuit. Ille dixit. *Si scirem tibi nil prodesse, non tibi darem.* Mox subjungit. *Item, si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Errat ergò, dum aliam longè diversam propositionem Augustino affingit, quasi verò ille dixisset, *Si scirem tibi non prodesse non te admonerem &c.* cùm S. Doctor è contrario dixerit, *Si scirem prodesse, non terrerem &c.* In tantum enim terrebat in quantum dicebat, pœnitentiam in fine vitæ esse verisimiliter infructuosam. Unde si scivisset talem pœnitentiam esse proficuam, ex hoc capite neminem terruisset.

56. Rursus per hoc & affingit falsum Augustino, & sibi contradicit. Falsum affingit Augustino, quia sæpè veritas non est tacenda, quamvis doctor veritatis videat scandalum oriturum in eo, cui manifestatur. Et hoc nimis notum erat, ut ab Augustino ignoraretur. Ergò falsum Augustino affingit. Præterea sibi contradicit, quia paulò ante ex Sanchez, Toleto, Adriano, & S. Ambrosio operosè contenderat, veritatem propter scandalum auditorum non esse tacendam. At jam citat Augustinum ad probandum contrarium, illiusque dicto, etsi citato, adhæret. Ergò sibi contradicit.

Theologus iste sibi contradicit.

Præterea evidenter errat in exponendo Augustino, qui illo loco non agit de correptione fraterna, sed de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut evidens est ex contextu. Ergò responsio illius ad argumentum est prorsus insufficiens: neque, stante suâ sententiâ, potest illi respondere, nisi Augustino adversetur, illumque in hac sua doctrina ac praxi errasse dicat.

Item apertè errat in exponēdo Augustino.

57. Quod ad Adrianum attinet, si ille Theologo huic præluxit, & ita citavit textum, ut ille, dico mendum in citationem irrepsisse, quia Adrianus in citandis Auctoribus est valdè exactus. Cæterùm doctrina Adriani non videtur tangere præsentem quæstionem, quia intelligi debet de casu, quando veritas certò constat, nam in aliis casibus, quando utraque pars est certò probabilis, non est vera. Tunc enim unusquisque licitè abundat in sensu suo, nec respici potest ut canis indispositus, qui opinionem certò probabilem reputat veram, illamque sequitur. Præterea Theologus iste in hac sua responsione apertè repugnat Augustino; quia in casu illo dubio non vult absolutionem conferri, ne Sanctum detur canibus. Augustinus verò è contrario, *loco citato de adulterinis conjugiis*, hoc ipsum attulit ut fundamentum sententiæ sibi contrariæ, eoque non obstante, expressè dicit, Sacramenta esse illis conferenda, quia non est certum quod sint indispositi, sed spes aliqua utilitatis per Sacramentum consequendæ affulget. Hæc contra hunc Theologum in omnibus istis Augustino repugnantem & à veritate aberrantem, dicta sufficiant.

Illique contradicit.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-OCTAVA.

Utrùm veritas sit omnibus commoda? & an ejusdem certitudo optanda sit præ illius Probabilitate.

Quæstio hæc cur instituta?

1. MULTA de veritate & veritatis commodo congerit Celladeus *lib. 3. quæst. 16. & 17.* quæ quia ad scopum nostrum de licito opinionis usu non deserviunt, absque examine missa facio; maximè cùm aut omnia aut fermè omnia nobis & adversariis sint communia; eadem enim dicimus, nempe veritatem in omnibus quærendam, veritatem absolutè esse omnibus commodam, falsitatem incommodam; viam veritatis tenendam & desirandam &c. nec dicimus tantùm, sed ubi opus est probamus. Verùm quia ex communibus nil inferri potest circa quæstionem præsentem, ideo omnia ista à Celladeo omitti potuissent, & meo judicio debuissent. Cæterùm ne Lector, specioso veritatis titulo deceptus, existimet magni aliquid latêre in his quæstionibus Celladei, qui solam veritatem prætendit, ego breviter ponam assertiones aliquas, ex quibus constabit, Auctores benignæ sententiæ non minori studio veritatem quærere, quàm Adversarios, nec minùs honorificè de veritatis commodo sentire quàm ipsos. Cæterùm ita me geram, ut assertiones ponendæ ad præsentis controversiæ elucidationem non parum conducant.

ASSERTIO PRIMA.

Lex Dei esset facilior, si veritas in omnibus certò pateret.

Si in omnibus certi essemus, quid esset quid non esset licitum, lex Dei esset facilior quàm nunc est, quando de multis dubitamus, & hinc inde opinamur, an liceant nécne?

Certitudo honestatis & inhonestatis prosecutionē boni & fugam mali facilitat.

2. PROBATUR. Certitudo honestatis vel inhonestatis in opere est magnus stimulus homini conscientiæ timoratæ ad agendum quod honestum est, & ad omittendum quod est inhonestum, cùm è contra incertitudo opposita & prosecutionem boni arduam, & vitationem mali difficilem reddat. Difficilius est Sacerdoti repetere horas suas, quando dubitat an eas dixerit & opinatur se eas recitasse, quàm sit secundum officium recitare in commemoratione defunctorum, quando constat utrumque esse dicendum. Ratio est, quia durum est agnoscere se obligatum, quando quis existimat se non esse obligatum, sed obligationem implesse: nemo enim legi incertæ tam facilè se submittit, quàm se submittat certæ, quia arctari lege minùs placet quàm esse liberum à lege; maximè autem hoc verum est, quando se submittit legi, quam putat aut non dari, aut impletam esse, & non amplius obligare. Similiter difficile est prosequi bonum opus, quando adest ratio apparenter insinuans quòd sit malum, quia formido mali vexat & inquietat animum, qui majori longè suavitate bonum amplecteretur, si certus esset, nil mali in eo latêre. Ergò prosecutio boni & fuga mali magis nobis placerent, & essent faciliores quàm nunc sunt, si in omnibus certò constaret, quid esset, quid non esset honestum.

3. Hinc apertè sequitur veritatem & certitudinem veritatis esse longè optabiliorem longéque commodiorem humanæ reipublicæ, quàm sit veritas dubiè aut solùm probabiliter apparens; quia illud optabilius est & commodius quod reddit legem Dei servatu faciliorem, quàm quod illam nobis reddit difficiliorem.

Certitudo est optabilior quàm probabilitas.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

4. OBJICIES. Si veritas constaret, plura essent observanda sub præcepto, quàm nunc sunt; quia probabilitas de honestate rei tollit præceptum obligans ad illam vitandam, quæ tamen vitanda esset, si veritas constaret, quoties opinio illa probabilis est falsa. At sæpè falsa est. Ergò si veritas undique certò innotesceret, præcepta proximè obligantia valdè multiplicarentur ultra præsentem eorum numerum. Atqui difficilius est servare plura quàm pauciora præcepta. Ergò lex Dei esset observatu difficilior, si honestas & inhonestas rerum singularum certò innotesceret, quàm est nunc, dum inter probabilia versamur.

Objectio.

Respondeo, multa quidem præcepta in eo casu nos obligarent, quæ nunc non obligant; sed ex alia parte non pauciora præcepta nos obligantia cessarent, & ampliùs non obligarent. Nunc enim non solùm tenemur ad strictius, quando ita probabile est aliquid esse malum, ut oppositum non sit probabile, sed etiam quando actu credimus illud esse malum, sive temerè sive probabiliter ita credamus. Imò, quod plus est, in omni dubio tenemur ad strictius. At certum est plures ex ejusmodi opinionibus esse falsas; & si loquamur de dubiis, illa sunt frequentissima, maximè in feminis aliisque idiotis, & scrupulosioris conscientiæ hominibus, qui in plurimis dubitant, de quibus nulla esset ratio dubitandi, si veritas certò innotesceret; constaret enim innumera esse licita, à quibus major pars hominum hîc & nunc tenetur abstinere, quia res illis anceps apparet & dubia. Ergò si omnia computentur præcepta nos obligantia de facto, non sunt pauciora, quàm essent in casu assertionis, sed è contra, loquendo de toto humano genere, sunt longè plura quàm essent in illo casu; quod non solùm patet ex argumento jam facto, sed ex eo à priori convincitur, quòd repugnet emolumentum majus hominibus provenire ab ignorantia, errore, & formidolosâ opinione

Plura præcepta desinerēt quam inciperent, si in omnibus veritas certò constaret.

nione, quàm proveniret à scientia & certitudine, per quam non solùm ignorantia & error, sed etiam omnis formido excluderetur. Defectus enim, si comparetur cum suo proprio subjecto, plus detrimenti affert quàm perfectio illi opposita, maximè in ordine ad finem proprium illius subjecti, & in ordine ad media necessaria ad adeptionem finis. At hic est casus noster, quia medium unicum ac necessarium ad finem hominis est observatio legum ac præceptorum. Ergò repugnat, hanc observationem facilitari per ignorantiam, errorem, dubium, & formidolosum modum cognoscendi voluntatem Dei. Et è contra necesse est eandem facilitari à cognitione certa & infallibili eorum, quæ sunt, & quæ non sunt præcepta.

ASSERTIO SECUNDA.

Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt, nec quiescunt donec eam inveniant.

Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt.

5. PROBATUR. Omnis quæstio, de qua agunt, vel est directa vel reflexa. In directis veritatem quærunt, nec quiescunt donec opinionem suam roboraverint rationibus, quæ illis ejusdem veritatem persuadent. Idem accuratissimè præstant, quando reflexè rem inspiciunt, non enim quiescunt, donec rationibus determinent ac statuant, quid verè liceat aut non liceat stante dubio, aut probabilitate, sive homo assentiatur, sive non assentiatur rei ex vi illius probabilitatis. Omnia enim scrutantur, rimantur omnes circumstantias, nullam comparationem omittunt, & post singula examinata de singulis eam sententiam proferunt quam veram esse & reputant, & argumentis saltem apud ipsos prævalentibus confirmant. Hæc omnia evidenter constant ex inspectione Auctorum, qui de his materiis tractatum instituerunt. Et sanè, absit invidia, non minùs accuratè de istis tractârunt, & ubique veritatem stabilierunt, quàm Auctores contrariæ opinionis. Ergò Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt, nec quiescunt donec eam inveniant. Certè si Auctores benignæ sententiæ, quos Adversarii Probabilistas appellant, veritatem non curarent, nemo eorum contra Celladeum ejusque Doctrinam disputaret, nec ego opus hoc in me assumpsissem, in quo pro veritate sto, & eum in plurimis falsum ac deceptum fuisse ostendo. Quæ cùm ita sint, nemo, spero, præjudicium ullum adversus benignam sententiam ejusque Auctores capiet, cùm legerit Celladeum miris modis veritatem extollentem, & dicentem, se omnia ad veritatem ipsam resolvere, se probabilitate non esse contentum, nisi etiam veritatem attingat & affirmet &c. Hæc enim omnia nobis & omnibus Auctoribus sunt communia, cùm omnes colliment ad veritatem rei, quam tractandam suscipiunt. Proinde Celladeus immeritò ita loquitur de Auctoribus benignæ sententiæ ac si illi solam probabilitatem quærerent, illaque contenti nil amplius de rei veritate curarent, cùm nil longiùs ab eorum intento sit aut esse possit, quàm veritatem negligere; quia nisi eam efficaciter stabilirent, omnibus risui essent, se periculo exponerent, & munus suum non implerent. Sed ut hoc clariùs appareat, sit

ASSERTIO TERTIA.

Auctores benignæ sententiæ contenti non sunt solâ probabilitate opinionum, nisi quando probabilitas est veritas, quæ quæritur. Propositum autem sit explicare, quid dicant & sentiant circa hoc.

Quãdo probabilitas est veritas quæsita, contenti sumus probabilitate, & non aliter.

6. PROBATUR. Aliquando reflexè disputamus de opinione aliqua an illa sit probabilis. In tali casu idem est quærere probabilitatem & veritatem, eaque inventâ contenti sumus. Sed etiam in hoc casu contenti non sumus probabilitate, præcisè quia probabilitas est, sed quia vera est, & de sola veritate, seu de probabilitate verè inventa gaudemus. Aliquando non quærimus, an opinio sit probabilis, sed, probabilitate inventa, investigamus an objectum illud probabiliter honestum titulo probabilitatis sit licitum? Respondemus autem, objectum illud, si reflexè consideretur, prout certæ illi probabilitati substat, verè esse licitum hic & nunc, quicquid sit, an opinio probabilis directa de tali objecto sit vera nécne. Verùm hic etiam veritatem quærimus & probamus; verum enim reputamus, & verum est, quòd in talibus circumstantiis objectum illud permissum sit, & licitum. Quòd si præscindamus à reflexa hac consideratione, dicimus solam probabilitatem, etiam scitam, non sufficere ut objectum illud evadat licitum; qui enim solùm crederet illud esse probabile, & nec directè nec indirectè absoluto judicio crederet illud verè esse licitum, peccaret illud ponendo; quia quod non est ex fide peccatum est. Itaque ultra judicium de probabilitate, necesse est, ut intellectus vi probabilitatis illius convincatur, atque absoluto judicio credat rem illam esse bonam & honestam, alioquin non est sufficienter dispositus ad illam absque peccato amplectendam. Hæc est benignæ sententiæ Auctorum opinio; qui tam longè distant ab eo, quod solâ probabilitate sint contenti, ut expressè doceant, eam non sufficere, nisi intellectus aut reflexè considerando rem ut substantem probabilitati, aut directè vi motivorum probabilium persuasus in ipsa veritate sistat, atque absoluto judicio existimet, rem illam esse licitam. Quæ cùm ita sint (certissimè autem ita se habent) evanescunt omnia quæ Celladeus tum *in dubiis ista quæst.* tum alibi congerit, insinuans Probabilistas, ut vocat, nil curare de veritate, sed solùm sollicitos esse de probabilitate, eâ inventâ contentos esse, cùm illa indifferens sit ad veritatem & falsitatem. Verùm omnia & singula falsa sunt, cùm Probabilistæ in omnibus veritatem quærant, nec probabilitate rei contenti sunt, nisi veritas ipsa absoluto judicio, vel certo vel saltem probabili teneatur.

Veritas ab omnibus quærenda est.

7. Præterea omnium Auctorum Catholicorum unanimis assertio est, omnes in incertis eniti debere ad veritatem pro viribus, nec licitum esse in iis operari, nisi post debitam diligentiam veritas absoluto judicio & bonâ fide teneatur. Dissentiunt tamen nonnulli circa gradum certitudinis seu firmitatis de veritate absolutè habita & credita, ad hoc ut operatio evadat licita & honesta. Verùm cùm de hoc Celladeus in hisce quæstionibus nil dicat, non est quod ulteriùs in illis immoremur, cùm nos de hoc fusè egerimus *in tractatu de conscientia*, ibique ostenderimus quid de hoc

hoc sit sentiendum, atque Auctores, qui discrepare videbantur, conciliaverimus, quia revera quoad rem ipsam non discrepant, etsi nonnulli, æquivocatione decepti, apparenter & verbaliter ab aliis dissentire videantur.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-NONA.

Vtrùm Ratio probabilis sit Regula humanorum actuum.

Consilium quæstionis susceptæ proponitur.

1. PROPONO hîc Quæstionem istam, ut ansam habeam elucidandi æquivocationes, & refellendi falsas Celladei assumptiones, quas lego *in 18. eáque ultima Quæstione lib. 3.* quæ est recapitulatio eorum, quæ præcesserant. Sed quia Celladeus hoc loco attulit nonnulla quæ antea omiserat, congruum est ea examinare, ne unquam dicere possit, quædam solùm, sed non omnia ad quæstionem principalem facientia esse discussa. Interim suppono cum ipso & cum omnibus, voluntatem Dei, seu legem æternam, esse primam, supremam, ac universalem regulam humanorum actuum; rationem verò humanam esse regulam secundariam eorundem, quatenus est applicatio primæ regulæ, quam proponit, & per actum judicativum vitaliter nobis repræsentat. Itaque lex æterna est prima ac universalis regula objectiva; ratio verò humana est unica sed universalis regula formalis humanorum actuum. Porrò præter primam ac universalem regulam objectivam, dantur aliæ regulæ objectivæ secundariæ, quales sunt leges humanæ, præcepta ac ordinationes superiorum, & quodvis objectum, quod cognitum manifestat legem divinam. Sed hæ regulæ subordinantur primæ regulæ, illamque indicant, nec aliter vim regulandi habent, nisi prout illam objectivè applicant, illique subordinantur. Cæterùm hæ regulæ objectivæ secundariæ applicari etiam debent per rationem quæ, quatenùs illas applicat, dici potest regula formalis secundaria. Cæterùm inter regulas objectivas involvitur aliquando ratio humana, quando illa reflexè consideratur, atque in ratione objecti cogniti se habet per modum circumstantiæ objectivæ, ex cujus consideratione voluntas Divina nobis innotescit. Hoc modo probabilitas & judicium probabile de honestate operis ad regulam secundariam objectivam pertinent, etiam in contradictione probabilitatis oppositæ objectivè pariter repræsentatæ, quia efficax præbet fundamentum existimandi, quòd objectum illud prout talibus circumstantiis substat, sit licitum, & à Deo permissum, vel etiam præceptum. Hæc omnia fusè explicata sunt, tum *in hoc, tum in tract. de Consc. prob.* multis in locis, & hîc supponuntur ut vera, nec de ullo istorum dubitat Celladeus, nisi de ultimo, quod inter nos controvertitur. Sed illud efficaciter probatum est locis citatis. Quare nunc id ago, ut si quid in oppositum à Celladeo allatum fuerit, id solvam & refellam. His positis, sit

ASSERTIO PRIMA.

Omne actuale judicium probabile de honestate operis hic & nunc ponendi, si inculpabiliter eliciatur, est sufficiens regula formalis humanorum actuum.

2. PROBATUR. Illa ratio est sufficiens regula formalis humanorum actuum, quæ & actum humanum dirigit, & ita applicat Divinam voluntatem, seu primam regulam objectivam, ut necesse sit, actum ex ejus directione positum omni malitia carere, atque etiam bonitatem acquirere. Sed omne actuale judicium probabile de honestate operis hic & nunc ponendi, si inculpabiliter eliciatur, est ejusmodi; inprimis enim dirigit actum humanum, quia actus ab eo directus est indubiè liber, & consequenter includitur in serie actuum humanorum. Secundò omne ejusmodi judicium ita applicat primam regulam objectivam, ut operatio, quam regulat, omni malitiâ careat, quia actus ille est dictamen conscientiæ inculpabiliter constitutum, quod proinde sive sit verum, sive falsum ab omni prorsus malitia excusat. Tertiò refundit honestatem moralem in operationem, quam dirigit, ut probatum est *quæst. 5.* Ergò omne ejusmodi judicium est sufficiens regula humanorum actuum. Sufficiens, inquam, regula ex duplici capite; primò, quia arcet malum ab opinione, quam regulat; secundò, quia eidem moralem bonitatem confert. Alterum autem sufficit, ut ratio, cui competit, dicatur regula, quia non solùm actus, cui bonitas confertur, sed etiam actus, à quo malum arcetur, verè regulatur, quando tam bonum, quod confertur, quàm malum, quod arcetur, ex vi ac directione rationis vel tribuitur, vel arcetur.

Actuale judicium probabile est sufficiens regula formalis humanorum actuum.

ASSERTIO SECUNDA.

Omne judicium probabile, de quo in prima assertione locuti sumus, si reflexè consideretur, est sufficiens regula objectiva secundaria humanorum actuum. Idem dicendum de illius probabilitate, quamvis nullum judicium probabile vi illius eliciatur.

3. PROBATUR. Omne ejusmodi judicium, reflexè cognitum, manifestat legem æternam, quâ Deus hic & nunc non solùm permittit illam operationem ut non malam, sed etiam eandem

Judicium probabile est regula objectiva secundaria hu[…]

eandem approbat ut bonam; fundat enim hunc syllogismum reflexum. *Qui facit, quod bonâ fide credit esse honestum, & vel non errat in suo judicio, vel errat invincibiliter; si erret, facit quòd à Deo permittitur ut non malum, & approbatur ut bonum. Sed ego hîc & nunc facio quòd bonâ fide credo esse honestum, & vel non erro; vel si errem, invincibiliter erro in hoc judicio. Ergò facio quòd Deus hîc & nunc non solùm permittit ut non malum, sed etiam approbat ut bonum.* Major est vera, & quoad voluntatem permissivam admittitur etiam à Celladeo. Minor est etiam vera, immò ejus veritas in utraque assertione expressè supponitur. Et sanè aut semper aut sæpissimè est evidens. Ergò conclusio est etiam vera; est autem ratio manifestans legem æternam, seu primam regulam objectivam humanorum actuum. Ergò omne judicium probabile, de quo loquimur, reflexè cognitum, manifestat legem æternam. Ergò est sufficiens regula objectiva, sed secundaria humanorum actuum. Et quidem ex duplici capite sufficienter regulat; primò quia manifestat legem æternam permittentem, quod sufficit ad rationem regulæ, secundò quia manifestat legem æternam approbantem electionem in circumstantiis istis ponendam. Porro quod idem dicendum sit de probabilitate, etsi judicium probabiliter enuncians non eliciatur, fusè probatum est, *quæst. 2.* & *in tract. de Consc. prob.* efficaciter stabilitum.

manorum actuum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

OBJICIES. Probabilitas utrique contradictorio convenit. Ergò non est regula humanorum actuum. Probatur consequentia. Talis ratio humana non subordinatur divinæ legi, nec est secundaria respectu illius, nec illam applicat; quæ omnia sic probantur. Inprimis, subordinatum subditur suo principali, sed talis ratio non subest legi divinæ, quia lex est una & pro una tantùm parte contradictionis. Ratio illa est pro utroque, scilicet tam pro lege quàm contra legem. Deinde ratio hujusmodi egreditur sphæram divinæ legis, quia lex divina solùm veris, & uni tantùm contradictionis parti convenit; at ratio illa etiam falsis, & utrique contradictorio convenit. At quod egreditur sphæram alterius non est secundarium respectu illius. Ergò ratio hujusmodi non est secundaria respectu legis divinæ. Demùm hæc ratio humana non applicat divinam legem; quia indifferens est ad legem & non legem. Ergò non est magis applicativa quàm non applicativa legis divinæ. Ergò non regulat, quia caret conditionibus regulæ secundariæ. Et sanè hoc videre est in ratione æquè probabili, & multò magis in minùs probabili, quippe quæ minus connectitur cum vero, quàm cum falso. Ergò nec æquè probabilis, nec minùs probabilis ratio potest esse regula sufficiens subordinata; sicut illud horologium non potest esse regula conveniens, quod non magis sed minùs habet concordare, quàm discordare cum motu solis. Et sanè qui tale horologium sciens & volens adhiberet, voluntariè & imputabiliter erraret. Ergò qui sciens & volens sequitur minùs aut æquè probabile pro regula, voluntariè & imputabiliter errat; & consequenter peccat, non solùm merè materialiter, sed etiam formaliter. Ergò probabile non est regula humanorum actuum. Ita Celladeus *lib. 3. quæst. 18. §. 2.* ubi contendit per hanc illationem funditùs everti, quidquid super probabilia fundatum est.

Quæ sint proprietates regulæ secundariæ.

Respondeo & peto à Celladeo, an loquatur de ratione probabili, quàm Auctores benignæ sententiæ statuunt pro regula formali, an de ea, quam statuunt pro regula objectiva humanorum actuum. Si de regula formali, antecedens est evidenter falsum, quia judicium actuale probabile alligatur uni tantùm contradictionis parti, illamque habet absolutè veram, & alteram ut absolutè falsam repellit. Ergò nec convenit, nec convenire potest utrique parti contradictionis. Ergò etiam consequentia est evidenter nulla; sicut etiam sunt, quæ in ejus confirmationem afferuntur. Quid enim evidentiùs, quàm tale judicium nobis applicare ac intellectualiter unire divinam voluntatem? Quid ais Celladee? putásne, rationem hujusmodi non magis applicare quàm non applicare divinam legem? Cogita, rationem hanc esse actuale judicium, quod intellectui essentialiter applicat legem Dei, illamque voluntati vitaliter proponit, & talia non dices. Deinde idem judicium subditur divinæ legi, quia est unum & ad unum essentialiter alligatur, sicut lex divina. Quod si aliquando erret, id est per accidens. Non est autem contra rationem regulæ secundariæ & subordinatæ aliquando falli, & à vero aberrare, ut videre est in omnibus regulis secundariis, quas adhibere solemus ad cœli tempora mensuranda. Præterea, certum est, quòd hujusmodi ratio subordinetur legi divinæ ut objecto, eamque essentialiter repræsentet, atque ideo instituta sit, ut eam manifestet, illamque potentiis humanorum actuum elicitivis uniat. Ergò objectio nequit intelligi de regula formali.

Judicium

Probabile habet proprietates regulæ secundariæ.

5. Quod si loquatur de regula secundaria objectiva, illa vel est actuale judicium probabile existens, vel est sola probabilitas cognita, etsi non eliciatur judicium probabile illi probabilitati innixum. Si primùm eadem falsitas apparet in antecedente, quam jam observavimus, quia judicium actuale existens uni parti alligatur, semperque reddit suum objectum probabilius opinanti, quàm sit contrarium; unde quidquid de hoc dictum est in argumento, vel evidenter falsum est, vel certè procedit de subjecto non supponente.

Etiam objectivæ, quando reflexè cognoscimus.

6. Itaque ut argumentum apparentiam habeat, restringendum est ad probabilitatem nudè consideratam, immò, si libet, ad probabilitatem etiam agnitam ut æqualem vel minorem, quam nos asserimus esse sufficientem regulam objectivam reflexam, sed secundariam, quatenus manifestat divinam voluntatem reflexam, quæ, stante tali legis incertitudine, aliquando hic & nunc permittit nobis id agere, quod Deus secundùm se consideratum prohibendum duxerat. Cæterùm in hac etiam consideratione argumentum nil probat, quia duas probabilitates oppositas in unam eandemque confundit; loquitur enim ac si una eademque ratio ac probabilitas utrique contradictorio ex æquo conveniret; quod tamen est evidenter falsum; nam probabilitas libertati favens, soli libertati favet, & arguit legem non esse; sicut opposita probabilitas favet soli legi, & libertatem gravat. His positis, distinguo antecedens. Probabilitas directa genericè sumpta utrique contradictorio convenit, concedo antecedens. Una eademq; probabilitas convenit utrique, nego antecedens. Similiter distinguo consequens. Ergò nulla probabilitas directa, hoc modo considerata, est regula formalis, concedo: nulla est regula objectiva humanorum actuum, nego consequentiam. Immò verò quævis probabilitas practica directa, etiam minor cognita ut minor, fundat discursum refle-

Probabilitas, etiam agnita ut par vel minor est regula objectiva sufficiens.

reflexum, quo manifestatur lex æterna permittens talem actionem in istis circumstantiis, quidquid sit an detur lex directa illam prohibens; quia lex illa, si detur, sufficienter applicata non est ad nos arctandum, &c. Et quidem hæc ratio, manifestans legem æternam reflexam, non solùm est probabilissima; sed est aut simpliciter aut humano modo moraliter certa, ut fusè probatum est tum *in hoc, tractatu*, tum *in tractatu de Consc. Prob.*

Paritas à Celladeo objecta est prorsus improportionaliter, & à veritate evidenter aliena.

7. Eodem modo respondetur ad confirmationem argumenti. Inprimis si sermo sit de probabilitate inexistente judicio probabili, illa est regula formalis, quæ una est, unique tantùm contradictionis parti convenit. Ergò illa imitatur legem æternam, illique subordinatur tanquam proprio objecto, cùm illam vitaliter potentiis nostris uniat, & applicet. Et quidem si sermo sit de ipsa benigna sententia, quæ reflectendo supra paritatem probabilitatis utrique contradictionis parti convenientis, considerat opus in ordine ad alias circumstantias, & enuntiat talem rem in illis esse permissam; si, inquam, de illa loquamur, illa est ratio non solùm quoad nos & in opinione nostra, sed etiam reipsa verè manifestativa legis æternæ reflexæ, & nunquam errat nequidem à à parte rei, & multò minùs in æstimatione nostra. Frustra igitur, & contra apertissimam veritatem objicitur nobis exemplum horologii, non magis dispositi ad horam benè quàm malè ostendendam, quasi verò nos sponte eligeremus regulam formalem pro nostris actionibus, quam fatemur non magis manifestare quàm non manifestare legem æternam.

Æquivocatio Celladei detegitur.

8. Æquivocatio in eo est, quòd fateamur, parem aut minorem probabilitatem libertati faventem esse regulam objectivam sufficientem, quamvis illa non magis ostendat legem permittentem, quàm opposita probabilitas ostendat legem prohibentem; unde cùm talem probabilitatem eligimus in regulam, videmur eligere regulam non magis connexam cum lege permittente, quàm cum lege prohibente. Verùm manifestè decipiuntur adversarii: nam si loquamur de regula objectiva, verum quidem est, quod illa probabilitas non magis manifestet legem directam permittentem, quam opposita probabilitas repræsentet legem directam prohibentem, unde fit, ut, in casu hujus paritatis cognitæ, probabilitas illa non sit regula nec formalis nec objectiva sufficiens ad applicandam legem directam, quippe quæ in tali casu, aut non datur, aut certè sufficienter non applicatur & promulgatur. Hoc tamen non obstante, probabilitas illa directa, etsi solùm par aut minor opposita probabilitate, efficaciter manifestat legem reflexam, quæ sola apta est ad nos hîc & nunc in istis circumstantiis dirigendos, quia actio versatur in istis circumstantiis, non autem in illis tantùm, quæ per probabilitatem directam repræsentantur. Porrò quamvis probabilitas directa in hoc casu erret, errat tantùm circa legem verbaliter dictam, non autem circa legem sufficienter promulgatam & applicatam, quæ legis vires exerit & obligat. In tali autem casu error ille non est tanti momenti, maximè quando actio versatur in circumstantiis aliis, in quibus nullus est error, & nullus esse rationabiliter creditur. At hic est casus noster.

Quando probabilitas, agnita ut minor, sit & esse possit regula actûs humani?

Cæterùm, si intellectus abstraxisset à comparatione probabilitatum directarum sibi contrariantium, & ex irreprehensibili imperio voluntatis determinatus fuisset ad absolutè existimandum, rem esse licitam; in eo casu probabilitas, tali judicio inexistens, fuisset regula formalis sufficiens, quia rationabiliter applicasset nobis legem divinam permittentem tanquam veram, & legem prohibentem absolutè repulisset ut falsam. Hoc autem sufficit ad rationem regulæ humanæ, quia est optimum in suo genere, ad quod attingere possumus. Et sanè in hac regula non tam respicitur veritas logica actûs, quàm veritas ejusdem apparens, prout conjungitur cum modo, quo actus ille imperatur. Actus enim logicè verus, si temerè imperetur, non sufficienter regulat, nec à peccato excusat, ut patet. At si judicium non temerè, sed rationabiliter imperetur, à peccato excusat, & sufficienter regulat, quia est optimum ex genere suo, ad quod pervenire possumus, quamvis per accidens & præter opinionem ac intentionem operantis contingat judicium illud esse falsum. Nec mirum, quia omne ejusmodi judicium fundatur in motivo, quod vi suæ magnitudinis plerumque non fallit; quodque à nobis absolutè creditur hîc & nunc non fallere. In incertis autem optimum, ad quod pervenire possumus, est hujusmodi judicium, ut patet. His positis, redeo ad argumentum, & dico, quòd probabilitas, agnita ut par aut minor, solùm remotè sit regula formalis sufficiens, quatenus taliter repræsentat legem permittentem, ut intellectus, si nullam comparationem instituisset, nullumque judicium comparativum elicuisset, ex imperio voluntatis flecti potuisset in actu secundo ad absolutè existimandum, quòd opus illud sit licitum. Hoc autem judicium rationabiliter elicitum est regula formalis. Et sanè si distinctio regulæ formalis & objectivæ ante oculos habeatur, (est autem in hac quæstione assiduè consideranda) & objectio relegatur, nullam in illa difficultatem lector invenies.

10. Advertet etiam totum argumentum multis de causis procedere de subjecto non supponente. Inprimis supponit, solam legem æternam realiter existentem, esse regulam humanarum actionum. At hoc est in quæstione, & non supponendum erat. Nos enim è contrario, loquendo de lege directa, dicimus, non solùm legem æternam realiter existentem, sed etiam merè apparentem, dummodò per judicium probabile invincibiliter elicitum appareat, esse regulam sufficientem, idque probatum est *quæst. 2.* & *3.* Secundò, supponit, legem in casu paris probabilitatis de non lege esse sufficienter promulgatam & applicatam ad nos arctandos; quod pariter falsum esse ostendimus. Tertiò, supponit, judicium & probabilitatem fallacem errare circa ipsam regulam objectivam cùm error non sit in repræsentando vero Dei placito & honestate vera, sed solùm in indebita illius applicatione ad objectum materiale. At actus falsus sufficienter regulat, quando invincibiliter proponit verum Dei placitum, quamvis erret illud indebitè applicando objecto materiali, ut ostensum est *quæst. 3.* Quartò, supponit, dari horologium dispositum ad ostendendam horam, quod tamen non magis habet concordare quàm discordare à vero diei tempore. At tale horologium est chymera, eo ipso enim quòd moveatur, & non sit dispositum ad ostendendum verum tempus, est aptissimè seu inevitabiliter dispositum ad errandum. Similem chymeram affinxit probabilitati, quam dicimus esse regulam; quia vult unam eandemque rationem ostendere aliquid, quæ tamen non magis ostendit unum quàm alterum ex contradictoriis, quo nil magis chymericum dici potest. Sicut ergò sunt duæ probabilitates,

Objectio ex multis capitibus procedit de subjecto nô supponente.

bilitates, quarum una ostendit non legem, & alia ostendit legem: ita debebat proponere exemplum duorum horologiorum; quorum alterum solùm dispositum est ad ostendendam horam veram, alterum verò dumtaxat dispositum est ad ostendendam horam falsam; idque ità, ut utrumque sit æquè dispositum ad finem dictum, vel etiam ut horologium erroneum sit paulò meliùs dispositum ad horam falsam, quàm alterum ad horam veram indicandum. Sic enim & non aliter paritas illa est ad rem. At, si paritas hoc modo procedat, illa nobis favet, quamvis sola directa probabilitas inspiciatur. Sicut enim sapientiùs facit homo, qui eligit horologium ostendens horam veram; sic sapientiùs eligitur probabilitas libertati favens in regulam, quia per talem electionem homo liberior est, & à peccandi periculo magis removetur, ut patet. Ecce quot viis potissima hæc & primaria Celladei ratio, quam putat esse insolubilem, corruit, & evertitur.

11. Omitto reliqua examinare quæ Celladeus *hac in quæst. congerit*, quia solùm eadem repetit, quæ antea dicta ab illo, & à nobis refutata sunt; sed dissimulare non possum, quod habet § 4. paulò ante medium, ubi dicit, se olim docuisse usum probabilium, immò æquè & minùs probabilium esse licitum, & probabilitatem illam cum aliis pro regula conscientiæ habuisse; sed, post rem per multos deinde annos integros examinatam sententiam suam mutasse. Post quæ narrata subjungit hæc verba. *Non dico evidens esse, eam non esse regulam humanorum actuum, hoc solùm dico & testor, & Deus scit, quòd non mentior, nihil mihi unquam visum esse evidentius, quàm eam regulam non esse.* Credo tibi, Celladee, quamvis interpositum sine necessitate juramentum non approbem; & spero te aliosque hæc lectoros mihi etiam fidem præbituros. Legi ego rationes tuas, omnes discussi, nullam omisi, singulas ponderavi, quibus tamen perpensis, tantùm abest ut illæ aut rem ipsam in se, aut certè quoad me evidentem reddiderint, ut me potiùs in pristina persuasione confirmaverint; quia in illis præter prompti vivacisque ingenii (quod ubique elucet) specimen, nil prorsus inveni. Nam singulæ quæstiones & argumenta ferè singula, aut æquivocationibus plena, aut terminorum confusionibus referta, aut falsis suppositionibus malisque quæstionis intelligentiis cumulata reperi. Et fortasse tu ipse post secundas & sedatas cogitationes (videor enim mihi videre, te impetu quodam abreptum fuisse) idem perspicies; nec dubito, quin alii idipsum visuri sint. Quòd si adhuc in evidentia tua persuasionis (quam evidentiam nobis de nostra regula ægrè aut nullo modo concedis) permanseris; aliud mihi non superest, quàm miseram hominum conditionem deflere, qui ita studiis suis in diversa rapiuntur, ut quæ non uni, sed innumeris post omnia argumenta discussa videntur falsa & improbabilia, ea adhuc contraria sentientibus non solùm vera sed evidentissima habeantur.

Celladeus quàdo protestatus est, non videtur rectè intellexisse, quid termini significarent.

12. Cæterùm ut te in hoc ipso, quod jam tractamus, argumento, quodque tibi adeo evidens est, conveniam & aggrediar, rogo ut ad teipsum reflectens seriò dicas, an probè prospexeris, quid intellexeris nomine regulæ, quando scribebas, evidentissimum tibi esse, probabile, quod congruum appellas, non esse conscientiæ regulam? loquérisne de regula formali, an de objectiva? si de objectiva, quæ in ratione objecti reflexè cogniti fundat quæstionem reflexam, utrùm, stante incertitudine directâ, quæ ex probabilitate utrique parti favente oritur, liceat sequi partem minùs tutam; quæque præbet tot & talia argumenta pro parte affirmativa, ut omnes ferè Theologos determinaverit ad asserendum, tanquam dogma moraliter certum, quod liceat; si, inquam, de objectiva hac regula loquaris, postulo, quænam demùm sint argumenta, quæ certificant te, probabilitatem non esse ejusmodi regulam? nam ego certè illa desidero, & ex altera parte efficaciter ostendo, talem probabilitatem semper connecti cum reflexa Dei voluntate, quâ Deus permittit rem illam in istis circumstantiis, quicquid sit an illam permittat voluntate primariâ & directâ. Avemus autem audire argumenta, quæ nervosè ostendant contrarium; nam ea certè hactenus non protulisti. Si autem loquaris de regula formali, rectè dicis, meram probabilitatem reflexè cognitam, non esse regulam, id enim reipsa evidens est, quia solum judicium actuale, actualiter & realiter animum informans, est regula formalis. Sed si hoc dicas, nil dicis; quia neminem tibi contradicentem habes, adeoque frustra patheticam illam protestationem attexuisti, quæ de subjecto patenter non supponente procedit. Si verò contendas, judicium probabile actuale, quod cum una sola parte contradictionis essentialiter connectitur, quodque bona fide & inculpabiliter elicitur, suumque objectum non solùm ut probabilius opposito, sed etiam ut unicè verum repræsentat; si, inquam, contendas, evidens tibi esse tale judicium non esse regulam, quo quæso argumento id probas? certè argumenta, quæ *in hac quæst.* congeris & amplificas, quoad hæc procedunt de subjecto non supponente, quia procedunt de probabilitate reflexè cōsiderata, quæ juxta mentem operantis non magis favet libertati, quàm probabilitas opposita faveat legi. Talia autem judicio actuali nullatenus applicari possunt. Dicam ergò quod est. Confudisti utramque hanc probabilitatem, atque quod uni videras non convenire, nulli sub eodem nomine generico comprehenso convenire falsò & perperam intulisti. Hæc, Celladee, & non alia est evidentia tua de conscientiæ regula; &, nî fallor, post hæc lecta ipsemet id ipsum perspicies.

Ejus æquivocatio detegitur.

13. Sed quidquid fuerit de hac re in mente tua, ex tuis principiis fateri teneberis, nos in posterum à peccato liberos futuros, si sequamur benignam sententiam. Fateris enim auctoritatem illi faventem, id est, auctoritatem omnium fermè Auctorum unanimiter convenientium, esse auctoritatem plerumque non fallentem. Sequimur ergò probabile positivè, quod per te est regula sufficienter excusans; sed quia mones illud aliquando fallere, ac proinde hîc & nunc non sufficere sine onere examinandi, an quod opponitur veritati conjunctum sit necne; ideo asseris, integrum nobis ampliùs non esse tali auctoritati adhærere, donec rationes tuas, quæ tibi tam efficaces videntur, & aliorum contra clamantium argumenta inspexerimus, & ea dictæ auctoritati & rationibus benignæ sententiæ non obstare invenerimus. Utrumque fecimus, argumenta *in tract. de Consc. prob.* examinavi & dispuli, tuas hoc libro rationes ad anatomen redegi, & omnes prorsus invalidas reperi; adeoque perspexi, auctoritatem ac rationes benignæ sententiæ nullâ validâ exceptione premi. Ecce onus, quod requiris, subivimus; oppositionem omnem reperimus esse invalidam contra argumenta validissima & auctoritatem validiorem. Ergò sequimur positivum tuum probabile, eoque modo id sequimur, que

Doctrina Celladei mutor reddit ipsius adversarios.

quo ipse asseris, quòd sit regula. Ergò tuo nos absolvis judicio; ideoque ex tuis principiis tuti sunt, quos ex eisdem putabas non solùm haud tutos, sed ingenti ac inevitabili periculo expositos. Hæc ad hominem amicè dicta sunto.

ASSERTIO TERTIA.

Celladeus in regula Conscientiæ assignanda solus est contra omnes, ac proinde non est audiendus.

Celladeus solus est, & contra omnes in assignanda conscientiæ regula.

14. PROBATUR. Celladeus toto nisu contendit, solum judicium verum esse regulam operationis honestæ. At omnes alii præter judicium verum assignant etiam judicium probabilius pro regula sufficienti. Quamvis enim plures ex recentioribus æquè ac minùs probabile à regula rejecerint, nemo tamen eò devenit, ut negaret judicium probabilius, etsi fortè falsum, esse sufficientem regulam operationis honestæ, ut ex illorum operibus constat. Ita enim loquuntur, ut aut expresè asserant, aut apertè supponant, probabilius sufficere ad ritè formandam conscientiam, & ad honestè operandum. Præterea Celladeus neminem ex omnibus assignare potest, qui cum ipso expresè sentiat, dicatque solam cognitionem veram esse sufficientem conscientiæ & humanorum actuum regulam, nullumque actum esse bonum, qui versatur circa rem verè prohibitam, quacunque tandem lege prohibeatur, sive divinâ sive humanâ. Ergò in assignanda morum regula solus est. Nec solus tantùm, sed contra omnes, ut vidimus. Ergò non est audiendus; quia credibile non est, omnes prorsus Theologos Catholicos hactenus cæcutiisse in assignanda sufficienti morum regula, & Deum, aliis omnibus relictis in tenebris, hanc Celladeo prærogativam assignâsse, ut ipse veritatem tanti momenti primus omnium Mundo revelaret. Quis enim credat, quòd Deus totam Ecclesiam in re tanti momenti tamdiu errare permiserit? nemo certè. Ergò vel ex hac sola præsumptione Celladeus non est audiendus. Præterea rationes, quas affert pro singulari sua sententia, sunt prorsus invalidæ, & falsitatis convincuntur. Stat ergò probabile, saltem probabilius, etsi aliquando falsum, esse sufficientem morum & actionis bonæ regulam.

Accusationem hanc invalidè repellit Celladeus.

15. Narrat Celladeus §. *ultimo* hujus quæstionis, quomodo objectum sibi fuerit à quodam magistro, se contra omnes sentire, conaturque ictum depellere, dicendo se convenire cum iis, qui rejiciunt minùs & æquè probabile, quia & ipse illud idem rejicit. Verùm hoc jam non quæritur; nam etsi conveniat cum illis in non regula, tamen cum nullo illorum in assignanda regula convenit, & hoc est quod Magister ille objicit, quodque ego etiam objicio, & cui respondere non potest, nisi concedendo totum. Quod si concedatur, ex hoc solo sufficienter falsitatis arguitur.

Mirabile Celladei argumentum proponitur, & expeditur.

16. Sed mirabile est, qua ratione pergat, ut probet Auctores, minùs & æquè probabilia rejicientes, revera ab ipso non discrepare, etsi disertè videantur docere contrarium; sic enim ait. *Ipsi quidem dicunt, magis probabile sufficere pro regula; in quo non tam hoc sufficere, quàm requiri voluerunt; nec enim datâ operâ pro probabiliorum sufficientia collatis in id argumentis laborârunt, ut in opusculis eorum cernitur.* Deinde dicit, neminem illorum quos vidit docuisse, hominem, qui sequitur opinionem probabiliorem falsam, non incurrere peccatum ignorantiæ, quod tamen docere debuissent, si docuissent probabilitatem esse sufficientem regulam. Unde concludit, *Paralogisatus est ergò Magister ille.* Mirabile sanè argumentum! sic in contrarium arguo. Per te, *dicunt magis probabile sufficere pro regula.* Ergò ita sentiunt. Non enim sententia Auctorum cognoscitur nisi ex disertis verbis, quibus seipsos exprimunt. At tu asseris in omnibus veritatem esse necessariam, & probabilius, quà tale, non magis sufficere quàm probabile, aut minùs probabile. Ergò expresè sentio contra omnes. At, inquies, non docuerunt, datâ operâ, probabilius sufficere, quia ad hoc probandum argumenta non congesserunt. Ergò non tam docuerunt probabilius sufficere, quàm requiri pro regula. Sed contra primò. Si collatis argumentis expresè non docuerunt probabilius sufficere, id erat, quia ex communi auctorum benignæ sententiæ consensu, & ob rationes ab illis assignatas supposuerunt ut indubitatum, quod probabilius sufficeret. Alioquin si illud solùm requiri voluissent, nihil dixissent, nam etiam probabilitas requiritur non minùs quàm probabilioritas; & tamen illam negârunt, hanc tradiderunt esse regulam. Ergò aliud voluerunt, quàm probabilioritatem requiri, sed non sufficere.

17. Contrà secundò, quia Auctores illi expresè intenderunt examinare ac determinare, quænam regula ad bonam operationem regulanlandam sufficeret. Inde progressi, primò conati sunt ostendere, nec minùs nec æquè probabile sufficere (in quo tamen ob meram æquivocationem regulæ formalis ac objectivæ, seu quod in idem recidit, ob æquivocationem probabilioritatis directæ ac reflexæ à communi sententia recesserunt, ut latè ostendi *in tract. de Consc. prob. quæst. 22.* & alibi) deinde ad principale intentum progressi statuerunt ipsam regulam, quam sufficientem existimabant, & ut sufficientem proponebant; dixeruntque regulam illam complecti non solùm certa, sed etiam probabiliora. Porrò nisi hoc modo processissent, à scopo suo primarioque intento defecissent; nisi enim regulam statuissent, solùm dixissent aliena, propria non stabilivissent. Præterea, cum bona Celladei venia, ex illis Auctoribus complures expresè & datâ operâ probant, opinionem probabiliorem bonâ fide conceptam esse sufficientem regulam, & fundare operationem bonam, tametsi per accidens sit falsa; & si qui non ita expresè congerant hæc argumenta, illi tamen ex modo procedendi, apertè supponunt illud ut indubitatum; quod perinde est, ac illud ipsum expresè tradere.

Cur auctores non dixerint expresè sectantes probabiliora non peccare peccato ignorantiæ.

18. Cæterùm si nemo illorum expresè docuerit, hominem probabiliora sectantem non incurrere peccatum ignorantiæ, id mirandum non est, quia implicitè illud tradiderant, dum agerent de regula conscientiæ. Ergò cùm agentes de peccatis ignorantiæ nil in contrarium afferant, supponendum est eos sensisse peccatum ignorantiæ non intervenire, quando quis bonâ fide sequitur opinionem probabiliorem. Supponendum est, inquam, quia alioquin sibi contradicerent, cujus contrarium semper supponendum est, donec contradictio positivo aliquo argumento probetur, cujusmodi argumentum in casu nostro afferri nequit. Præterea falsum est, quòd debebant id expresè tradere; non enim est cur hoc potiùs quàm oppositum expresè traderent. Cùm autem neutrum in expressis terminis fecerint, censendi sunt consequenter loqui ad præcedentia, & expressam

pressam eorum mentionem omisisse, quæ patenter connexa erant cum prioribus, cujusmodi est id, de quo nunc agitur. Ergò omitti potuit, nec necessariò dicendum fuit in expressis terminis.

19. Sed quid opus suppositionibus, ubi res est certissima? certè omnes scriptores probati in eo conveniunt, quòd nullum detur peccatum ignorantiæ, quando error & ignorantia est invincibilis. Porrò plerique eorum, qui dicunt probabilius sufficere pro regula conscientiæ, explicitè dicunt rationem esse, quòd qui post diligentiam adhibitam, ubi adhibenda est, bonâ fide sequitur opinionem probabilem, aut non erret, aut erret invincibiliter, si erret; atque inde inferunt, eum non peccare ne quidem peccato ignorantiæ. Reliqui omnes implicitè saltem idipsum tradunt, quia quoad hoc aliorum argumentis subscribunt, cùm ipsi aut nulla aut paucula examinent. Ergò omnes illi Auctores aut explicitè, aut implicitè sentiunt, hominem, bonâ fide sectantem probabiliora, peccatum ignorantiæ non incurrere. Non ergò magister paralogysatus est, sed paralogysatus est Celladeus, maximè cùm ex antecedenti ab ipso admisso, non consequens ab illo illatum, sed oppositum talis consequentis inferatur, ut vidimus.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA.

Quæ sit Essentia Dubitationis, ac Dubii?

1. CELLADEUS, post multa de opinione ac probabilitate tribus prioribus libris tradita, in quarto accedit ad examinandum, quid sit, & quomodo solvendum sit dubium. His ergò in quæstionibus ita illum comitabor, ut in iis tantùm examinandis moram facturus sum, in quibus invenero argumenta de morum regula presiè examinari; reliquas aut omittam, aut leviter tantùm perstringam.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare quid sit Dubitatio? & quid sit Dubium?

Dubitationis duplex definitio.

2. FUSÈ de his, nec minùs eruditè agit Celladeus *lib. 4. quæst. 1.* Ego juxta communem omnium sensum sic definio Dubitationem propriam & perfectam. *Est vacillatio animi in utramque partem contradictionis circa quæstionem propositam, & non solutam.* Seu, *Est dispositio, quâ animus ita fertur in quæstionem propositam, ut in neutram partem assensum flectat, sed aut explicitè judicet, aut virtualiter & implicitè reputet, neutram partem esse sufficienter manifestam ad ferendum judicium.* Secunda definitio declarat primam. Utraque autem paulatim clariùs explicabitur. Inprimis dubitatio dicitur *vacillatio animi*, quia sine vacillatione animi nulla est dubitatio. Dicitur *inter utramq. partem contradictionis circa quæstionem propositam & non decisam*, quia nulla est dubitatio nisi circa quæstioné propositam; omnis autem quæstio, sive formalis & explicita, sive virtualis & implicita, quærit, an res potiùs sit, quàm non sit. Ergò omnis quæstio omnisque dubitatio necessariò versatur inter utramque partem contradictionis; sed hoc ad dubitationem non sufficit, nisi quæstio relinquatur indecisa; si enim decidatur, eo ipso dubitatio tollitur, quia quæstio terminatur, & animus non amplius vacillat de veritate rei propositæ, sed figitur in absoluto judicio de veritate unius, & de falsitate alterius partis contradictionis.

Secunda definitio penitiùs rem explicat, quia ostendit, in quo hæc vacillatio animi consistit; nimirum in eo, quòd, stante propositione quæstionis, judicium illius decisivum suspendatur, & animus ita feratur in utramque partem, ut, vel judicativè per mentem, vel affectivè per voluntatem, reputet neutram esse sufficienter propositam ad ferendum judicium.

3. Hoc ut meliùs intelligatur, & tota essentia dubitationis clarè explicetur, sciendum est, animum dubitantem aliqua ratione ferri, seu moveri in utramque partem contradictionis; qui modus, si ritè explicetur, tota dubitationis essentia explicabitur. Inprimis, motus ille non est mera apprehensio utriusque partis contradictionis, cum negatione judicii determinantis ullam ex illis, alioquin dubitaremus in materia fidei quoties utramque partem contradictionis apprehenderemus, & actum fidei non eliceremus, quod est absurdum, quia qui dubitat in fide, est infidelis, & peccat. At non peccat, qui habet apprehensiones contrarias de materia fidei, ut patet in tentatis de fide, etsi tunc actum fidei non eliciant. Ergò dubitare de aliqua re plus est, quàm apprehendere illam una cum parte opposita, & de neutra judicium formare. Itaque propriè loquendo dubitare dicit ordinem ad veritatem, ita ut animus tendat in utramque partem, inquirendo & quasi interrogando quæ sit vera, atque ex quodam veritatem sciendi desiderio, respiciendo, an, & quæ sint motiva pro quæstione determinanda; hæc si adsint nondum est propriè dubitatio, quia omnia hæc in materia fidei adesse possunt absque peccato, & quod plus est conjungi possunt cum judicio terminante quæstionem, quo dubium tollitur. Itaque illis superaddi debet suspensio, seu carentia judicii terminantis quæstionem. Sed neque hoc sufficit, quia illud variis de causis suspenditur in materia fidei absque peccato, & consequenter absque dubitatione. Itaque ut propriè dubitemus, judicium illud suspendi debet ex quadam animi dispositione, qua ita ferimur in rem propositam, atque ita ad illam afficimur, ut vel disertè & explicitè, vel certè virtualiter & implicitè reputemus rem esse incertam, nec sufficienter propositam, ut fidem mereatur; quod quomodo fiat, mox uberiùs explicabitur.

Natura dubitationis declaratur.

4. Interim hinc patet, neminem dubitare in fide, qui tentationes patitur contra fidem, dummodò aut expressè contemnat argumenta, quæ difficul-

Quid requiratur ut quis dubitet in fide?

difficultatem ingerunt, aut non ita ea respiciat, ac si res esset apud eum incerta, nec sufficienter proposita ad fidem; dummodo enim hac ratione non fertur in quæstionem, animus non vacillat, nec titubat, in qua tamen vacillatione, ac in utramque contradictionis partem titubatione consistit formalis ratio dubitationis. E contrario, qui taliter respiceret argumenta contra fidem ac cum hac animi dispositione ea ruminaret, quasi mysterium non esset sufficienter propositum, ad merendam fidem, propriè vacillaret, ac dubitaret, dubitandoque contra fidem peccaret, quia primam veritatem sufficienter loquentem & se exprimentem contemneret.

Definimus dubitationē quæ sit actus humanus.

5. Itaque omnia assignata necessaria sunt ad dubitationem propriè dictam. Propriam, inquam, & voluntariam dubitationem, quæ sit actus humanus & imputabilis; nam si quis contenderet, omnem propositionem quæstionis, unà cum negatione judicii determinantis quæstionem, esse propriè dubium, & quandam animi vacillationem in utramque partem, quamvis homo aut explicitè, aut virtualiter existimaret, veritatem per terminos quæstionis explicatam, esse sufficienter propositam ad fidem merendam, is faceret quæstionem de nomine, in qua, etsi illi subscriberem, adhuc dicerem, tale dubium esse dubium indeliberatum, & dubium quod ad actiones propriè humanas non pertinet. At ego definio dubium propriè humanum, in sensu quo dubium rigorosè accipitur, dum ex *cap. 1. de Hæreticis*, dicimus, *dubium in fide esse infidelem*. Cæterùm, facilè erit dubium universaliter sumptum definire, modò dubium illud involuntarium supponatur esse propriè dubium; sic enim definiri potest, *Est motus mentis inter utramque partem contradictionis, seu quæstionis propositæ, & neutram absoluto judicio terminantis.*

Definitio dubitationis prout præscindit à perfecta, & ab involuntaria dubitatione.

Hæc definitio complectitur omne dubium, tam voluntarium, quàm involuntarium, quamvis dubium involuntarium, meo judicio, sit solùm dubium secundùm quid, & quædam dubitationis introductio, seu dispositio quædam ad perfectè dubitandum. Sed in hoc, utpote in quæstione de nomine, non immoror.

Ad dubitationem non requiritur, absolutum judicium de insufficientia motivi ad terminandā quæstionem.

6. Scio Suarium, & alios ad essentiam dubii requirere judicium absolutum de insufficientia medii ad judicandum. Et sanè haud dubiè hujusmodi judicium plerumque intervenit, quando propriè dubitamus. Jam si hanc sententiam sequamur, perspicuum est, omnem dubitantem in fide esse infidelem, quia facit Deum mendacem, cùm culpabiliter eliciat judicium erroneum, quo dicit mysterium fidei, quod sufficienter illi propositum est, non esse certum, nec sufficienter propositum. Cæterùm, quia plures docent, tale judicium non requiri ad dubium propriè dictum, ne quidem in materia fidei, quo peccatum infidelitatis committitur, ideo in definitione usus sum modo loquendi minùs stricto; dixi enim dispositionem dubitantis involvere tale judicium, vel expressè, vel saltem virtualiter & implicitè. Tunc autem judicium illud involvitur implicitè in materia fidei v. g. quando voluntas argumentis in contrarium propositis ita deterretur, ut quodammodo desperet se de veritate rei propositæ certificandum; unde formidans de veritate, ac vacillans de certitudine mysterii ita respicit argumenta contraria, atque ita ad illa afficitur ac si essent magni momenti, & non prorsus contemnenda ob argumenta Mysterii veritatem ac certitudinem proponentia. Hac ratione voluntas ita afficitur ad motiva fidei sufficienter propositæ, ut illâ affectivè minoris æstimet, quàm si magno animo in illa tanquam certa & summa fide dignissima ferretur, & ideo peccat, quia affectivè fertur in Deum loquentem, ac si non loqueretur & non esset summâ fide dignus; quod non minùs est affectivè facere Deum mendacem, quàm intellectualiter fit mendax quando sufficientia motivi ad firmiter credendum absoluto judicio negatur. Cæterùm hæc voluntatis dispositio videtur posse reperiri absque eo, quod absolutum judicium de materiæ propositæ incertitudine, aut de medii propositi insufficientia ad habendam fidem certissimam eliciatur; quia judicium illud, utpote inevidens & falsum, non potest elici, nisi dependenter ab imperio voluntatis, quod imperium deesse potest, quamvis voluntas modo dicto disposita fuerit; cùm illa dispositio non videatur inferre imperium, dependenter à quo tale judicium proximè elicitur. Porrò hæc voluntatis dispositio peccaminosa est, sive eliciatur, sive non eliciatur dictum judicium, quia Deum sufficienter loquentem contemnit, dum formidolosè ac vacillanter fertur in eum, ac si non loqueretur, & non esset hîc & nunc dignus summâ fide circa Mysterium propositum. Et sanè hac ratione voluntas eodem modo, æquivalenter saltem, peccat peccato infidelitatis, ac si imperaret assensum explicitè dicentem, *res est incerta*, Hinc patet cur omnis dubius in fide sit infidelis.

Homo sine tali judicio potest dubitare in fide, & peccare peccato infidelitatis.

Dubitatio alia positiva, alia negativa, utraque definitur.

7. Itaque utralibet harum dispositionum sufficit ad constituendum dubium propriè dictum; & quidem illa voluntatis affectio necessariò requiritur, cùm sine illa judicium illud absolutum elici nequeat, ut patet. Cæterùm si neque intellectus judicet rem esse dubiam & incertam, neque voluntas de certitudine rei propositæ dictâ ratione formidet, nullum erit dubium proprium ac deliberatum, quamvis quæstio proponatur & non solvatur, sed solùm erit dubium imperfectum & indeliberatum.

Hæc nostra definitio complectitur omnem propriam dubitationem, tam negativam, quàm positivam. Dubitatio negativa est *Vacillatio ac hæsitatio animi inter utramque partem contradictionis cum defectu omnis motivi impellentis ad assensum ullius ex partibus contrariis.* Dubitatio positiva est *Vacillatio ac hæsitatio animi inter utramque partem contradictionis cum motivo impellente ad assensum, vel retrahente ab assensu alterutrius ex partibus contradictionis.* Itaque in dubitatione negativa intellectus necessariò hæret inter utramque partem, quia ad neutram impellitur. At in dubitatione positivà animus vacillat, & intellectus hæret, quamvis moveatur vel in unam vel in utramque partem contradictionis per aliquod motivum, quia voluntas modo dicto suspendit judicium decisivum quæstionis. Quando motivum adest pro una tantùm parte contradictionis, tunc dubitatio est positiva ex una tantùm parte; est autem dubitatio undique seu ex omni parte positiva, quando datur motivum pro utraque parte contradictionis & mens inter utramque hæret, ita ut quæstio respiciatur ut anceps, & nec explicitè nec implicitè determinetur juxta dicta

Duo errores Celladei.

8. Duo circa hanc quæstionem displicent in Celladeo: primum est, quòd asserat, dubitationem negativam non esse propriam dubitationem, eò quòd de talibus non sit propriè dubitare sed nescire, quod toto cœlo differt à dubitatione. Secundum est, quòd dubium negativum (si sit propriè dubium) & dubium positivum una definitione definiri non possint, quia nulla est ratio una,

una, quæ communis sit negativo & positivo, quod supponit tanquam manifestum ex Logica & Metaphysica. Utrumque hoc assertum falsum est. Inprimis dubium negativum ab omnibus fermè Auctoribus recentioribus pleno ore vocatur dubium; incredibile autem est, in notione vocis tam usitatæ omnes errare. Præterea Celladeus apertè fatetur, Auctores, quorum plures affert §. 1. ita definire dubitationem, ut æquè involvant dubium negativum, ac positivum. Ergò omnes censent dubium negativum esse propriè dubium, cùm illud sub dubii definitione complectantur. Ergò Celladeus immeritò dicit, dubium negativum non esse propriè dubium. Præterea, pressè loquendo, si aliquod dubium à ratione proprii dubii excludendum esset, illud potius esset dubium positivum, utpote quod ob rationes allicientes ad assensum, & sæpè vehementiùs allicientes ad unam partem quàm ad aliam, magis accedit ad suspicionem & ad opinionem, quæ uni parti magis alligatur quàm alteri, quàm ad dubium rigorosum, quod in quadam æqualitate ad utramque partem contradictionis consistere videtur, & in ordine ad quam ab Auctoribus communiter explicatur. Hujusmodi autem æqualitas potissimè locum habet in dubio negativo.

Dubium negativum est propriè dubium.

9. Fallitur etiam in secundo asserto; quia ex dictis constat, utrumque dubium sub una ratione ac definitione comprehendi. Nec obstat, quòd positivi & negativi ratio una non detur; quia ex ea doctrina non magis sequitur dubium positivum & negativum non posse unâ definitione comprehendi, quàm sequatur, animal rationale & animal carens ratione non posse unâ definitione definiri, eò quòd rationale & non rationale, seu positivum & privativum seu negativum non conveniant in una ratione. Fateor equidem tam hæc quàm illa non posse una ratione comprehendi, quæ explicet rationem differentialem utriusque; sed hoc non tollit, quo minùs utrumque comprehendatur unâ ratione, quæ explicet rationem genericam, in qua conveniunt. Itaque in hoc etiam æquivocavit Celladeus, ob terminos illos: *Dubium negativum & positivum.* Termini enim isti non explicant rationem genericam, sed specificant differentias dubii; ergò ex illis solùm sequitur differentias illas in propria significatione non posse comprehendi una definitione, quod verissimum est; sed nil facit ad rem.

Dubiū positivum ac negativum una definitione comprehenduntur.

10. Præterea, etsi positivum, & negativum illi positivo oppositum non possint unâ definitione comprehendi, quando sumuntur secundùm se; possunt tamen, quando res definienda ex una parte constat positivo, & ex altera parte constat negativo, quod illi positivo non opponitur, sed alteri. Sic cæcum, sic tenebrosum, & quævis concreta ex positivo & privativo unâ ratione definiuntur. Idem evenit in casu nostro; dubium enim duo dicit. Dicit primò propositionem quæstionis, cum dispositione animi explicitè seu implicitè & æquivalenter dicentis deesse argumenta sufficientia ad judicandum. Hæc omnia sunt positiva. Dicit secundò, negationem judicii terminantis quæstionem, quod negativum est, sed non opponitur priori positivo, ut patet. Jam hæc duo unâ ratione explicari possunt, ut patet. Ea autem reperiuntur in omni dubio tam positivo quàm negativo; & hæc est propria ratio & essentia dubii ut sic. Jam dubium positivum huic conflato addit aliud positivum pro sua differentia, nempe rationes vel allicientes ad assensum, vel ab assensu retrahentes; dubium verò negativum dicto conflato superaddit aliam negationem, nempe carentiam talium rationum. His positis, quæ perspicua sunt, quid quæso, ex eo infertur, quòd nulla detur ratio communis huic secundo positivo & suo proprio negativo, seu rationibus allicientibus & negationi rationum allicientium? sequitúrne ex hoc, quòd nulla detur ratio communis duobus conflatis, quorum utrumque involvit unum idemque specie positivum, & unum idemque specie negativum, sed negativum alterius formæ, quando in ordine ad hæc concreta inferenda vel impedienda prius illud positivum & negativum impertinenter se habet? At hic est casus noster. Dubium enim est conflatum, quod ex tota allata positiva propositione quæstionis, & ex negatione judicii solventis quæstionem componitur. * Hoc conflatum indifferens est, ut jungatur rationibus, aut negationi rationum. Itaque si ex una parte sumatur conflatum constans ex positiva propositione quæstionis, ex negatione judicii terminantis quæstionem, & ex negatione rationum allicientium ad eam determinandum, verissimè de isto conflato dicitur quod contineat positivam propositionem quæstionis, & negationem judicii solventis quæstionem; idem verissimè dicitur ex altera parte de conflato, quod constat ex eadem positiva quæstionis propositione, ex negatione judicii quæstionem determinantis, & ex rationibus allicientibus ad assensum; de hoc enim conflato propriissimè dicitur, quod contineat propositionem quæstionis, & negationem judicii solventis quæstionem. Ergò conveniunt in una eademque ratione communi utrique dubio, quæ totam dubii essentiam continet. Ergò utrumque dubium univocè convenit.

Partes dubii positivi & negativi exactè explicantur.

11. Præterea miror Celladeum pro certò habere, positivum & negativum in nullo convenire univocè. Sunt quidem hac de re variæ opiniones; at dicere, opinionem negantem illam univocationem esse certam, longissimè aberrat à veritate. Communis, & apud me verissima, opinio est, negativum objectivum non esse ens impropriè & absolutè dictum, sed ens verè positivum exclusivum alterius prout dat fundamentum negandi alterum. Quid ergò? dicemúsne, nullam inter positiva dari rationem univocam? absit. Illa profectò non minùs conveniunt in una aliqua ratione, quàm actus nostri affirmativi & negativi conveniunt in ratione cognitionis, judicii &c. Sed esto, negativum sit ens impropriè & abusivè dictum, ánne ideo certum est, nullam dari rationem communem positivo & negativo? nónne utrumque adhuc est cognoscibile? nónne utrumque est verificativum propositionis? quid plura? nónne in Physica ab omnibus traditur, privationem esse unum ex tribus principiis corporis in fieri? certúmne est & evidens, definitionem principii non convenire univocè materiæ, formæ, & privationi? nullo modo; imò oppositum est probabilissimum, & meo judicio absolutè verum. Ergò Celladeus immeritò supponit tanquam certum, quod positivum & negativum univocè convenire non possint.

Non est certum, quod positivum & negativū non conveniant univocè, in aliquo prædicato.

Positivum & negativū alterius formæ possunt unâ definitione comprehendi.

Incongrua Celladei suppositio redarguitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

12. OBJICIES primò. Dubitare negativè est nescire, quod toto cælo differt à propriè dubitare. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, nos in duplici statu nescire res. Primus est, quando res nunquam fuit proposita, aut quando de illa non cogitamus. Secundus est, quando

Nescire dicitur dupliciter.

quando quæstio proponitur, & non solvitur. Hinc statim apparet fallacia & æquivocatio argumenti: nescire rem ut sic, prout præscindit ab utroque statu nescientiæ vel ignorantiæ, differt à dubitatione sicut genus à specie; & nescire in primo statu differt à nescire in secundo statu sicut duæ species dividentes idem genus inter se discrepant. At nescire rem, quando quæstio proponitur an sit vel non sit, & quando animus post veritatem quæsitam hæret,& vacillat modo dicto, non magis differt à dubio propriissimè dicto, quàm homo ab animali rationali, aut definitio à definito.

13. Ob. 2. Nisi animus vacillet, nulla est propria dubitatio. At animus in dubitatione negativa non vacillat. Animum enim vacillare est illum in diversa trahi, seu ad unum trahi, & ab eodem retrahi; quod solùm evenit in dubio positivo, non in negativo, in quo nulla prorsus sunt motiva impellentia aut retrahentia. Ergò dubitatio negativa non est propriè dubitatio.

Vacillatio animi in quo consistat?

Respondeo negando minorem; per hoc enim animus vacillat, quòd feratur in utramque partem contradictionis, & nulli illarum assensum præbeat, dummodò feratur in illas per modum quærentis sed non invenientis veritatem, ac proinde suspendat assensum, eò quòd aut clarè videat, aut certè intellectualiter judicet, vel affectivè reputet deesse motivum sufficiens ad ferendum judicium; per hoc enim animus formaliter hæsitat inter utrumque membrum quæstionis propositæ, atque, per hæsitationem illam, eam indecisam relinquit; & hoc est vacillare circa quæstionem ejusque decisionem, quia est positivè ferri in utramque partem per motum quendam, absolutè impeditivum & exclusivum judicii terminantis quæstionem in partem alterutram. Et ut vitetur lis de nomine, declaro me hoc intelligere nomine vacillationis & hæsitationis animi. Quod si aliter terminos accipias, dicasque, animum debere in diversa trahi per motiva impellentia ad assensum & ab assensu retrahentia, ut propriè dubitet, major syllogismi propositio est falsa, atque ita objectio nil concludit.

Objectio non exprimit essentiam dif ferentiam vacillationis.

14. Et sanè in omnium sententiâ forma constituens vacillationem, de qua loquimur, non est mera tractio animi in diversa. Nam etiam dum actu credimus aut opinamur, sæpè trahimur in diversa, quia motiva retrahentia aliquid operantur, nec tamen ideo vacillamus in fide; imò, quod plus est, sæpè motiva contraria impellunt animum in diversa etiam in materia fidei, quando actu non credimus. Nec tamen ideò vacillamus in fide, modò intellectus nec expressè nec tacitè dicat, rem esse incertam; nec voluntas ita deterreatur motivis à fide repellentibus ut æstimet opposita minoris quàm par est, aut ad ea aliter afficiatur, quàm si firmissimè crederet ea esse verissima. Ergò omnes tandem debent dicere, formam propriam vacillationis animi non esse dispositionem in objectione explicatam, sed dispositionem, quam ego disposui; quæ quia aliquando se tenet solùm ex parte voluntatis, aliquando ex parte etiam intellectûs, ideo dubitationem explicui potiùs per vacillationem & hæsitationem *animi*, quàm per vacillationem *mentis*, *vel intellectûs*, quia scilicet forma positiva ultimò complens vacillationem dubitationi essentialem non semper est in intellectu, sed aliquando in voluntate, nec proinde magis propriè animum, quàm intellectum reddit vacillantem; animus enim significat subjectum utriusque potentiæ, quod proinde ab utriusque potentiæ dispositione denominationem accipit. Neque ideo sequitur, intellectum ipsum non posse ultimò accipere denominationem vacillantis à tali dispositione voluntatis; sæpè enim denominationes alicui potentiæ convenientes ultimò complentur per dispositionem alteri potentiæ inhærentem. Sic voluntas constituitur proximè libera per cognitionem indifferentem, & intellectus non aliter dicitur errare invincibiliter, quàm si nulla negligentia ex parte voluntatis præcesserit. Ergò idem dici poterit in dubitatione & vacillatione mentis. Volui tamen potiùs uti termino *vacillatio animi*, quàm termino, *vacillatio intellectûs*, ob rationem jam dictam.

15. Demùm si adhuc contendas, vacillationem & hæsitationem animi, præter omnia à me dicta, includere etiam tractionem mentis in diversa per motiva allicientia & retrahentia; non sum qui velim obstinatè dissentire in acceptione vocis; sed tunc simul dico, definitionem allatam non esse definitionem dubitationis ut sic, sed solùm dubitationis positivæ; pro definitione autem dubii ut sic, loco termini *vacillatio* ac *hæsitatio* ponendus erit *Motus animi*, qui præscindit ab eo, an motus ille consistat in motivis ad contraria allicientibus, vel in mera quæstionis propositione; nam illa etiam est motus mentis in utramque partem contradictionis, ut patet; huic motui si aliæ particulæ definitionis applicentur, habebitur exacta definitio dubitationis ut sic. — Alia replica rejicitur.

16. Ob. 3. Judicium illud, sive reflexum sive directum, quo dicimus, rem esse incertam, seu deesse motiva sufficientia ad judicium ferendum, est finis dubitandi; quia quando eò ventum est, plerumque desistimus à dubitando. Ergò illud judicium non spectat ad rationem dubitationis. Ita Celladeus §. 4.

Finis, seu terminus rei, sæpè constituit ipsam rem.

Respondeo tale judicium sæpè esse finem, seu terminum dubitationis, sed intrinsecum, quia est ultimum positivum per quod completur, & sine quo non habetur proprium & adæquatum constitutivum dubitationis, ut constat ex dictis. Itaque argumentum non valet, quia ratio finis seu termini non opponitur constitutivo; sic ultimum in generatione hominis est unio, quæ tamen constituit hominem; & ultimus dies anni est finis ejusdem, quem tamen constituit.

Celladeus insufficienter explicat naturã dubitationis.

17. Cæterùm, miror, tanto conatu Celladeum exclusisse hoc judicium à constitutivo dubitationis; quia multum urget illud effatum, *dubius in fide est infidelis*, eoque tanquam principio utitur ad indagandam propriam dubitationis rationem, & tamen omnia, quæ ponit tanquam constitutiva dubii, scilicet motus intellectûs in utramque partem contradictionis, investigatio rationum pro utraque parte, desiderium sciendi veritatem, & conatus ac studium ut inveniatur &c. Omnia, inquam ista, sæpè inveniuntur in homine fideli, quando actu non credit; quia omnia illa justis de causis laudabiliter considerari possunt, etsi actus fidei non eliciatur. Ergò talis homo dubius est in fide juxta Celladeum, & consequenter peccat. At hoc falsum est, & ni fallor, Celladeus id habet pro falso; saltem ita loquitur, ac si illud ut falsum reprobaret. Ergò & insufficienter explicat rationem dubitationis, & in sua explicatione inconsequenter procedit. Quod si dicat, illa ad dubitationem propriam non sufficere, sed insuper requiri talem dispositionem animi ut feratur in motiva fidei, eaque respiciat aut æstimet ut incerta (& hoc dicere debet ut quis in materia fidei sit dubius) eo ipso incidit in sententiam, quam impu-

Et inconsequenter discurrit.

impugnat, sibique contradicit, quia ista dispositio vel formaliter, vel virtualiter includit dictum judicium, & haud dubiè rarò aut nunquam ab illo separatur. Et sanè ille nec vacillat nec hæsitat, qui voluntate ita affectus est erga motiva fidei, ut respectu illorum omnia prorsus contemnat tanquam nullius ponderis, etsi interim nullum actum fidei eliciat, sed seriò contempletur tam rationes fidei faventes quàm argumenta contraria, ut suus tandem veritati locus detur per judicium. Ratio est, quia talis homo ita affectivè firmiter fixus est in fide, licèt nullum illi assensum præbeat, ut naturaliter loquendo repugnet illum elicere actum intellectûs, quo dicat mysterium fidei esse falsum, aut incertum. Talis ergò dispositio hæsitationem omnem, omnemque vacillationem animi excludit, & consequenter tollit omnem propriam dubitationem in materia fidei. Imò hæc voluntatis dispositio, in ordine ad firmandos nos circa veritatem Mysterii, æquivalet actui fidei, ideoque ex hoc etiam capite excludit vacillationem animi, & dubitationem; opposita autem dispositio manifestam vacillationem includit, & consequenter constituit dubitationem. Cæterùm Celladeus de hac dispositione nullam mentionem saltem explicitam facit, ideoque insufficienter explicat naturam dubitationis, cùm ea minimè declaret, in quibus potissima vis & energia dubitationis consistit.

Vacillatio ac dubitatio excluditur per dispositionem voluntatis absque judicio intellectûs.

18. Hinc patet omnem dubitantem, ab Aristotele *3. Metap. cap. 3* ritè comparatum fuisse ligato; quia intellectus ita dubio impeditur, ut non possit ad ulteriora procedere, sicut ligatus progredi nequit.

Dubitans comparatur ligato.

19. Rursus patet, dubitationem positivam plurimum conducere ad solidam quæstionis resolutionem, nemo enim rectiùs judicat, quàm qui omnes rationes pro utraque parte expendit; ut Philosophus eodem etiam loco observat.

Dubitatio positiva multùm cōducit ad rectè solvendum quæst.

Tertiò, patet, nos de iis, quæ non curamus, aut quæ scitu impossibilia novimus, non solere dubitare. Ratio est, quia de illis plerumque nullam quæstionem instituimus, nulloque conatu aut desiderio illorum veritatem eruendi incitamur; & quod consequens est, nec explicitè nec implicitè de illis judicamus, quòd motiva sufficientia ad veritatem illorum asserendam desint; quia sicut negligimus res illas, sic de motivorum ad illas spectantium qualitate solliciti non sumus. At sine istis propriè non dubitamus; omnis enim dubitatio dicit ordinem ad veritatem, qui ordo in eo consistit, quòd ex quodam sciendi desiderio proponamus rem, & interrogando inspiciamus an sit vera necne. Itaque quando hic ordo deficit, tollitur etiam dubitatio.

Non dubitamus de iis, quæ non curamus, aut quæ novimus esse impossibilia.

Horum trium corollariorum mentionem fecit Celladeus, atque acutè observavit, ea cum recta definitione dubitationis debere cohærere. Congruum proinde fuit de illis etiam mentionem facere, & ostendere, quomodo cum nostra definitione cohæreant, atque ad illam necessariò consequantur.

20. Ob. 4. Omnis qui dubitat, ratione motus dubitat, & qui benè dubitat, cum gravi ratione dubitat: certè in praxi videmus, S. Thomam, & alios quæstionem moventes, statim proponere rationes dubitandi, quod signum est, dubitationē esse cum ratione. Præterea Philosophus *2. Elench. cap. 7.* dicit, quòd oratio acuta maximè faciat dubitare, quia maximè mordet; quódque quò acutior est oratio, eò magis inquirentem exerceat. Pergit similia asserere de orationibus acutissimis, quas tunc adesse ait, quando id, quod maximè probabile est, tollitur & confutatur maximè probabilibus. Acutissimæ ergò rationes tollunt maximè probabilia, & sic dubitationem inducunt. Est ergò dubitare, stantibus rationibus acutis immò acutissimis, ac difficillimis. Errant ergò, & Philosopho contradicunt Probabilistæ, qui sic discurrunt: habeo rationem quæ evidenter non solvitur, ergò habeo, non quidem dubitare, sed prudenter assentire & quiescere, tametsi Adversarius rationes oppositas similes habeat.

Dubitatio cohæret cū ratione acuta & acutissima.

21. Præterea, æquè petere est ab omni dubitante *cur*, sicut est quærere *de quo*. Jam omnis dubitans interrogatus de quo dubitat, ineptit, si respondeat de nullo dubito, vel nescio de quo dubito. Ergò similiter ineptiret dubitans, si interrogatus, an dubitet, responderet, dubito nulla de causa, aut nescio cur dubitem.

Dubitans habet cur dubitet.

Rursus, quod de agendis est deliberare, hoc est dubitare de inveniendis. Sed omnis deliberans habet *cur*, seu rationem & causam deliberandi. Ergò & omnis dubitans rationem dubitandi.

22. Demùm dubitatio est instar nodi, quo dubitans impeditur. At nodus ille non est pura privatio, seu negatio rationum, quia talis negatio est potiùs causa quiescendi, & negandi, aut dormiendi. Ergò omnis dubitatio est propter rationem. Ergò dubitatio negativa non est propriè dubitatio, quia proprietates allatæ dubitationis illi non conveniunt. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 2. §. 2.* Quod confirmari potest ex eis, quæ habet *§. 3. & 5.* ex eo scilicet, quòd finis ultimus dubitationis sit veritatis inventio; proximior autem ejusdem finis sit mordere, exercere, atque excitare dubitantem ad veritatis indagationem; quæ locum non habent in dubio negativo, in quo deest motivum ad motum, & actum dubitandi; unde de similibus nil interrogamus, nec consulimus, nec circa talia laboramus, vel exercemur, aut ullam passionem dubitantium habemus. Et sanè dubitare de rebus negativè dubiis est otiosum ac inutile, ac proinde vitiosum, imò & impossibile; quia nemo movetur ad id, quod novit esse impossibile.

Utrùm dubitatio negativa habeat proprietates dubitationis?

23. Respondeo inprimis: Esto omnia, aut pleraque ex illis locum non habeant nisi in dubio positivo, quid inde? ex eo profectò non magis sequitur, nullum dari proprium dubium negativum, quàm sequatur ostrea aut lumbricos non esse animalia, quia acutissimis videndi ac audiendi operationibus carent. Quoties Auctores de animalibus agentes extollunt perfectionem talium sensationum, atque eas animalibus convenire pleno ore tradunt, an ideo censendi sunt existimare, ea propriè animalia non esse, quibus illæ non competunt? minimè; quia non semper loquuntur in rigore generico & de omni, quoties utuntur, voce genericâ, sed sæpè indefinitè loquuntur ut notum est. Idem in casu nostro evenit, quia Doctores, dum de natura dubitationis pressè agunt, expressè dividunt illam in duas species, nempe in positivam & negativam, sicut Animal dividitur in id quod pollet omnibus quinque sensibus, & in illud quod aliquo eorum caret. At postea quando indefinitè agunt de dubio, solent exempla ponere de dubitatione positiva, utpote quæ est maximè notoria species dubitationis, atque illius tantùm proprietates maximè obvias proponere, sicut etiam consueverunt facere, quando de Animalibus agunt. At in utroque casu eisdem prorsus argumentis convincuntur loqui indefinitè, non autem universaliter de omni.

Argumenta Celladei adm missa non probant intentum.

Itaque

Itaque ex istiusmodi loquutionibus nullatenus sequitur, dubitationem negativam non esse propriam dubitationem, sed, si omnia perpendantur, oppositum elicitur, quod ex secunda responsione clariùs patebit.

Passiones dubitantis, aut omnes aut pleræque inveniuntur in eo, qui negativè dubitat.

Respondeo ergò secundò pleraque ex allatis in objectione locum habere in dubitatione negativa, quando illa existit. Inprimis verum est, quod dubitans negativè aliqua ratione moveatur, scilicet eâ, quòd fortasse inventurus sit veritatem, quam invenire desiderat, & ideo quæstionem sibi proponit, & circumspicit ut rationem pro ejusdem solutione inveniat. Jam non existit dubitatio negativa, nisi quando ista existunt, quæ profectò nec superflua sunt, nec inutilia, cùm nos ad conatum maximum adhibendum excitent, quo conatu non tendimus in rem impossibilem, sed quærimus rem, quam speramus inveniendam. Et sanè si petas à tali dubitante cur dubitet, respondebit, se dubitare, quia quærit veritatem rei, pro qua determinanda nullam rationem adhuc invenit, sed invenire conatur & cupit. Quod cùm ita sit, manifestum est omnem negativè dubitantem ita se habere circa rem inveniendam, sicut qui deliberat circa rem agendam, imò & nodò quodam impediri, quo minùs pergat ad perficiendum quod cupit perficere: quis autem non videt veritatis inventionem esse finem intentum à tali dubitante, qui certè excitatur ad eam quærendam, etsi acutis aut mordacibus rationibus nec impellatur ad assensum, nec ab assensu retrahatur?

Error Celladei contra apertam veritatem.

Immeritò proinde & contra apertam veritatem Celladeus objecit, nullam dubitantis passionem inveniri in negativè dubitante, cùm omnis fermè positivè dubitantis passio in eo reperiatur. Nil etiam probat exemplum S. Thomæ & aliorum, qui quæstione propositâ rationes dubitandi ante solutionem præmittunt; illi enim non agunt de omnibus, de quibus quæstionem apud se moverunt, ac dubitarunt, sed solùm de illis, quæ post dubitationem solverunt, quæque alios docere intendebant. At talia sunt dubia positiva, ut patet; sed nec omnia dubia sua positiva proposuerunt; sed ea solùm, quæ potuerunt probabili ratione solvere. Anne ideo inferes, nullum fuisse dubium apud illos, quod non solverint? Apage; contrarium est nimis clarum. Unde ex horum praxi nullatenus sequitur, dubitationem negativam non esse propriè dubitationem.

Celladeus confundit dubium negativum sumptum pro objecto, cum dubio negativo sumpto pro actu.

24. Æquivocavit ergò Celladeus in hac re, ejusque æquivocatio in eo consistit, quòd non benè distinxerit inter dubium negativum, sumptum pro objecto, & sumptum pro actu. Dubium negativum, sumptum pro objecto, potissimè significat ea, de quibus jam constat, nullam nobis rationem suppetere ad alterutram partem determinandam. Jam postquam hoc nobis innotuit, omnis conatus circa veritatis indagationem cessat, sicut & desiderium sciendi rem illam, utpote quam scitu impossibilem novimus. Similiter de illis quæstionem ampliùs non movemus, nisi fortasse aliquando vocaliter per modum exempli, non autem interiùs in mente ad veritatem indagandam. Hinc ergò est, quod de istiusmodi objectis amplius non dubitemus, etsi illa sint, & immobiliter denominentur habitualiter dubia à dubitatione negativa, quæ circa illa primitùs versata est. Similiter verum est, quòd circa illa nullas proprias dubitantis affectiones & passiones habeamus. Hæc omnia Celladeus ipsi dubitationi negativæ actu existenti attribuit, & ideo deceptus est; nam si dispositionem hominis actu negativè dubitantis excussisset, vidisset profectò illam omnem fermè positivè dubitantis passionem & motum habere.

Aristoteles citatus non probat intentum.

25. Ad illud Aristotelis dico, Philosophum loqui potissimùm de illis, qui sententiam suam jam stabiliverant, de quibus verum est, quòd objectio acuta, & multò magis acutissima eos vacillare ac dubitare faciat. Potest etiam referri ad audientes, & alios omnes, qui suam sententiam nondum stabiliverunt; illi enim maximè moventur ejusmodi rationibus acutis ac difficilibus, atque vi illarum titubant, vacillant, ac dubitant. Unde nemo negat vacillationem animi, ac dubitationem componi posse cum rationibus acutissimis ac validissimis; omnes enim fatentur, nos dubitare posse etiam in materia fidei, etsi motiva pro fide sint prævalentissima, non solùm absolutè sed etiam comparatè ad motiva opposita. Itaque

Non docemus, quæ Celladeus nobis attribuit.

Celladeus Auctoribus benignæ sententiæ oppositum falsò imponit. Dicunt illi quidem, se, cùm ad probabilitatem pervenerint, non ampliùs dubitare, sed jam sufficienter paratos esse ad dubium deponendum, & conscientiam debitè formandam; nec tamen negant se posse absolutè dubitare, quia hæc duo sibi non contradicunt, ut mox patebit *quæstione sequenti*.

ASSERTIO SECUNDA.

Propositum sit explicare quid sit dubium, si dubium sumatur pro objecto.

Quid sit, objectum esse dubiū.

26. HACTENUS explicuimus, quid sit dubium sumptum pro actuali dubitatione, seu pro affectione animi, per quam actu dubitavimus; superest, ut explicemus quid sit dubium sumptum pro objecto; nam res ipsas dubias dicimus, quando de illis dubitamus. Celladeus *in titulo quæst. 1.* de utroque quæstionem instituit, sed post suam sententiam de natura dubitationis expositam, videtur oblitus alterius partis quæstionis propositæ, non enim explicat quid sit, objectum esse dubium, sed illud omittit, ac si de illo quæstionem non instituisset. Itaque rem breviter expediam.

Denominatio dubii est rebus extrinseca.

27. Inprimis dico, *denominationem dubii esse rebus extrinsecam*: ratio est, quia omnis res in seipsa est certa & determinata. Ergò in seipsa & intrinsecè non est dubia. Præterea omnis res certò & evidenter à Deo cognoscitur. Ergò nulla res est intrinsecè & essentialiter dubia; alioquin non nisi dubiè cognosci posset à Deo, qui omnia novit sicut sunt. At omnia à Deo cognoscuntur ut certa, nihil ut dubium. Ergò omnia sunt in seipsis certissimè vera, & nil est intrinsecè dubium in seipso, ergò denominatio dubii est rebus extrinseca.

Dubium est denominatio relativa.

28. Dico secundò. *Rem esse dubiam est denominatio relativa ad dubitantem.* Patet, quia nil dicitur dubium nisi in ordine ad aliquem, qui dubitat; posito enim hoc respectu, res dicitur dubia; eo ablato, non amplius dicitur dubia. Ergò denominatio dubii consistit in hoc respectu. Præterea; quod est uni dubium, sæpè certum est alteri. Ergò tota ratio dubii est denominatio relativa ad dubitantem.

Res denominatur actu dubia à dubitatione actuali.

29. Dico tertiò. *Res propriè loquendo non denominantur actualiter dubia, nisi à dubitatione actuali, quæ versatur circa illas.* Ratio est, quia res non sunt actu dubiæ, nisi prout referuntur ad intellectum actu dubitantem de illarum veritate. Si enim

enim nemo actualiter dubitaret de ulla re, nil esset actualiter dubium, quia nullus actu dubitaret. At non referuntur ad intellectum dubitantem nisi per dubitationem, quæ versatur circa illas, ergò, si propriè loquamur, res non denominantur actualiter dubiæ nisi à dubitatione actuali, quæ versatur circa illas. Præterea, posita dubitatione actuali in intellectu aliisque omnibus ablatis, res, circa quam dubitatio versatur, est actualiter dubia illi intellectui. E contrà, ablatâ dubitatione actuali, aliisque omnibus positis, res non est actualiter dubia. Ergò unica forma denominans rem actualiter dubiam est actualis dubitatio circa illam.

Res omni eo modo est dubia, quo substat dubitationi.

30. Dico quartò. *Res non denominatur possibiliter seu habitualiter dubia, nisi à possibili vel habituali dubitatione circa illam.* Uno verbo, omnia eâ tantùm ratione sunt & dicuntur dubia, qua substant & concipiuntur substare dubitationi. Hæc propositio & per se patet, & eodem modo probatur sicut præcedens.

Aliqua sunt nobis necessariò dubia, alia solùm contingenter.

31. Hinc sequitur, aliqua esse, quæ quoad nos sunt necessariò habitualiter dubia; nempe ea omnia pro quibus nullum nobis ad quæstionem determinandam motivum suppetit, qualia sunt numerus arenarum & similia. Hæc omnibus hominibus sunt necessariò habitualiter dubia, quia necessariò substant dubio, si in quæstionem & examen accipiantur, cùm nullum nobis suppetat argumentum ad res ejusmodi determinandas. Reliqua sunt accidentaliter dubia; unde quidam de illis dubitant, quidam non dubitant.

Valdè sapientes & valdè insipientes rarò dubitant.

32. Sequitur secundò tam valdè sapientes quàm valdè insipientes rarò dubitare; eos verò, qui ingenio pollent & scire cupiunt, sed ob defectum disciplinæ & industriæ veritatem ignorant, dubitare frequentissimè. Ratio est, quia valdè sapientes pleraque norûnt, & de omnibus fermè sententiam stabilitam habent unde de illis non dubitant. E contrà, valdè hebetes & insipientes rarò dubitant, quia rarò de rebus incertis cogitant, & si aliquando cogitent, rarò veritatem sciendi desiderio alliciuntur, rarò quæstionem sibi proponunt, rarissimè autem rationes excutiunt & de earum qualitate enunciant. Ergò rarò dubitant.

Omnia incerta vocantur dubia, sed minùs propriè.

33. Dico quintò. *Omnia nobis incerta sunt aliquo modo, & vocantur dubia, sed minùs propriè.* Quòd vocentur dubia, constat ex communi Auctorum locutione, qui sæpè omnia ejusmodi appellant dubia. Itaque apud illos dubium in hac acceptione opponitur certo, & proinde omnia opinabilia & omnia etiam opinata complectitur, saltem quando cum actuali formidine opinamur; quia omnia ejusmodi nobis certa non sunt, sed incerta. Verùm hæc acceptio dubii impropria est, quia extenditur ad opinata, quæ propriè loquendo non sunt dubia, cùm per judicium opinativum dubium solvatur, ut patet. Cæterùm objecta hujusmodi non omnino immeritò appellantur dubia, quia in multis conveniunt cum rebus propriè dubiis; in utrisque enim formido falsitatis reperitur, & in utrisque locus datur non solùm judicio de insufficientia motivorum ad quæstionem certò determinandam, sed etiam possibilitati, desiderio, ac conatui veritatem meliùs sciendi, quæ omnia speciem quandam & similitudinem habent dubii propriè dicti, ac proinde omnia incerta non omnino immeritò vocantur dubia; quia etsi dubium rigorosum tollatur per judicium opinativum & formidolosum, nihilominùs illa dubii decisio non perfectè quietat animum, sed relinquit locum ulteriori decisioni, in ordine ad quam habendam animus aspirat, & conatum exhibet, dispositionemque habet similem illi, in qua propriissima ratio dubii consistit. Itaque sicut quævis pars contradictionis, quæ propriæ dubitationi substat, est rigorosè dubia, ita etiam unaquæque contradictionis pars, quæ incertitudini substat, aliquo modo est, & non omninò immeritò dicitur dubia.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA. PRIMA.

Vtrùm dubitare sit nobis liberum? & an sola ratio dubitandi ad solvendam dubitationem sufficiat?

Status & sensus quæstionis.

1. SENSUS Quæstionis est, utrùm, stantibus motivis, propter quæ positivè dubitamus, positum sit in arbitrio voluntatis flectere intellectum in assensum rei dubiæ, etsi nulla nova ratio suppetat, nec priores rationes meliùs percipiantur quàm antea: hoc coïncidit cum secunda parte tituli; si enim dubitare sit nobis eo modo liberum, verùm etiam erit, solam rationem dubitandi sufficere ad solvendam dubitationem; si autem non sit eâ ratione liberum dubitare, sola ratio dubitandi non sufficiet ad solvendam dubitationem, quæ proinde solvi non poterit, nisi vel aliquod novum motivum accedat, vel prior ratio meliùs & efficaciùs proponatur. De hoc argumento Celladeus agit *lib. 4. quæst. 3.* ubi contendit, dubitare nobis liberum non esse, & consequenter asserit, solam rationem dubitandi non sufficere ad deponendum dubium: sed in utroque fallitur, ut ex dictis constabit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

In omnibus rebus obscuris, semper liberum est dubitare in eodem instanti, in quo non dubitamus, sed per positivum assensum unius partis quæstionem solvimus.

Liberum est dubitare in eo instanti, in quo non dubitamus.

2. PROBATUR. In omnibus rebus obscuris assensus, qui uni parti præbetur, est liber. Sic fides est libera, ut non solùm experientiâ constat, sed etiam ex unanimi omnium consensu certum redditur. Idem à fortiori valet de aliis judiciis obscuris, quippe quæ minùs validis motivis fulciuntur, quàm fides. Ergò intellectus minùs trahitur ab illis ad assensum, quàm à motivis fidei. Ergò judicia illa non minùs, sed potiùs magis subduntur imperio voluntatis quàm assensus fidei. Ergò omnia judicia inevidentia sunt libera. Ergò stante totâ objecti propositione prævià ad talia judicia, suspendi potest assensus. Ergò motivum, quod de facto approbatur à voluntate imperante assensum, ab eadem contemni potest tanquam insufficiens; quia sicut possumus non amplecti motivum, quod de facto amplectimur, ita propter varia commoda & incommoda possumus illud motivum affectivè minoris æstimare, quàm oporteret, si rationabiliter, & juxta merita rerum procederemus. At per hoc præcisè dubitamus, quòd stante agitatione quæstionis judicium decisivum quæstionis suspendatur, & motiva à voluntate minoris fiant, quàm oportet; ergò in obscuris semper liberum est dubitare in eo instanti, in quo non dubitamus, quia omnia libera sunt, per quæ formalis deliberatio completur.

ASSERTIO SECUNDA.

Sæpè liberum est non dubitare, quando positivè dubitamus.

3. PROBATUR. Possibile est dubitare in materia fidei, quando fides est sufficienter proposita: nam dubius in fide infidelis est, ut habetur *in cap. 1. de hæreticis*; nec dubium, quin detur sæpiùs ejusmodi peccatum; canon enim ille non procedit de subjecto non supponente. Jam qui dubitat in materia fidei, neque peccat, neque est infidelis, nisi fides sufficienter proposita fuerit. Ergò possibile est dubitare in materia fidei sufficienter proposita. Hæc dubitatio, quando ponitur est libera, quia est peccaminosa. Ergò poterat non poni. Ergò dubius in fide sæpè est liber ad non dubitandum, etiam quando dubitat; quia utraque pars contradictionis, nempe, dubitare & non dubitare, est in libera voluntatis dispositione, quatenus actus primus prævius est indifferens ad utramlibet, & sufficiens ad utramque. — Sæpè liberum est non dubitare, quando dubitamus.

4. Confirmatur: fides est possibilis, quando mysterium est sufficienter propositum. At quando mysterium est insufficienter propositum, dubitatio de tali mysterio est probabilis. Ergò fides mysterii & dubitatio de mysterio sunt simul possibiles. Ergò quævis pars est possibilis & libera in eo instanti, in quo altera pars ponitur. Ergò aliquando liberum est non dubitare quando dubitamus, & è contrà. Eadem ratio locum habet, quando dubitamus de rebus, quæ in actu primo multò probabilius repræsentantur pro una parte, quàm pro altera. Hoc autem sæpè evenit. Ergò sæpè liberum est non dubitare, quando actu dubitamus; non quidem in sensu composito sed in sensu diviso, sicut liberum est abstinere ab opere, quando illud liberè ponitur. — Tam liberum est dubitare & non dubitare, quàm assentire & non assentire.

5. Probatur secundò. Dubitatio in materia fidei non solùm tollitur per ipsum actum fidei, quo intellectus quæstionem directè solvit, sed etiam per quamvis aliam intellectûs aut voluntatis dispositionem, quæ actui fidei æquivalet in ordine ad figendum animum in quadam mysterii certitudine: stante enim tali dispositione, homo non dubitat, cùm vel expresšè & formaliter, vel saltem æquivalenter seu virtualiter respiciat rem quasi certam. At hæc dispositio dupliciter haberi potest, quamvis actus fidei de Mysterii veritate non eliciatur; primò, si intellectus judicet motiva esse sufficientissima ad certissimè credendum, quamvis — Idipsū elatiùs declaratur in materia fidei.

quamvis intellectus actu non credat; secundò si voluntas affectivè respiciat illa motiva ut certa, & opposita ut nullius momenti contemnat. Jam quævis ex istis duabus dispositionibus expresso fidei actui æquivalet in ordine ad animum in quadam mysterii certitudine figendum, quia per quamvis illarum homo æquivalenter se habet, ac si crederet, ut patet. Ergò per quamvis illarum dubitatio tollitur. Atqui quando homo actu dubitat in materia fidei sufficienter propositæ, potest quamvis illarum dispositionum habere: potest enim non dubitare quia potest non peccare. Ergò multò magis potest has dispositiones habere: illæ enim communiter fidem præcedunt, & haud dubiè haberi possunt ante fidem. Similiter separari possunt ab actuali fide, cùm sæpè illas aut illarum alteram habeamus, quando actum fidei non elicimus. Ergò utraque hæc dispositio, aut certè illarum altera, haberi potest quando homo actu dubitat, etsi actus fidei tunc non eliciatur. At per quamvis illarum tollitur dubitatio, licèt actus fidei non imperetur. Ergò homo potest non dubitare quando actu dubitat, etsi judicium quæstionis propositæ expressè decisivum non eliciat.

In materia valdè probabili possumus nō dubitare quādo dubitamus, etsi judicium quæstionē decidens non eliciatur.

6. Argumentum istud efficaciter probat intentum in materia fidei, idemque applicari potest circa materiam probabilem & incertam, quando quis aut peccaminosè, aut aliàs imprudenter dubitat de rebus probabilissimis, ob motiva contraria debilissima; in eo enim casu dubitatio tollitur non solùm per judicium quæstionis decisivum, sed etiam per judicium affirmans motiva uni parti faventia, & esse sufficientissima in se ad quæstionem probabilissimè terminandam, & comparata cum oppositis ea longissimè superare. Immò dubitatio tollitur per affectum voluntatis, ita affectivè appretiantem motiva illa superiora, sicut merentur ab intellectu mentaliter approbari. Per utramlibet harum dispositionum animus æquivalenter & virtualiter tam figitur in veritate rei, quàm formaliter figitur in eadem per judicium probabile decisivum quæstionis: stante enim tali dispositione non amplius vacillat animus circa veritatem illius rei, sed vel formaliter vel æquivalenter in ea quiescit, sicut in rebus incertis per judicium probabile quiescere solemus. Et sanè eadem prorsus ratio proportionaliter locum habet in hoc casu, sicut in dubitatione circa materiam fidei. *Proportionaliter*, inquam, quia sicut respicere motiva fidei ut certa, est æquivalenter credere mysterium ipsum ut certum, etsi actus fidei non eliciatur; ita etiam respicere motiva uni parti faventia ut probabilissima, & respicere opposita ut nullius momenti, est æquivalenter dare assensum probabilem illi parti, quamvis expressum judicium de illius veritate non eliciatur. Ergò utrobique dubitatio tollitur per illam dispositionem, etsi judicium formaliter decidens quæstionem non eliciatur.

Immò & in materia utrimque probabili, etiamsi solùm directè consideretur.

7. Hinc sequitur ulteriùs, homines in rebus moralibus propriè loquendo non ampliùs dubitare de honestate rei, quando post diligentiam debitam eò pervenerunt, ut sciant honestatem illius rei esse probabilem, quamvis ex una parte actu non judicent rem illam esse veram, & ex altera videant partem oppositam esse probabilem. Ratio est, quia dubitatio in eo consistit, quòd homo formaliter vel æquivalenter judicet, deesse motiva sufficientia ad quæstionem per judicium rationabile determinandam, quamvis quæstionem non decidat per judicium expressum. At hæc dispositio tollitur per hoc, quòd sciamus honestatem esse probabilem, licèt neutri parti assensus præbeatur. Ergo tollitur etiam omnis propria dubitatio de talis rei honestate. Hoc autem dupliciter intelligunt Auctores, primò considerando rem directè, secundò reflexè, & quidem stando in directa rei consideratione, valdè diversa est dispositio hominis circa eandem rem, quando dicit non adesse motivum sufficiens ad quæstionem rationabiliter terminandam, quamvis quæstionem expressè non decidat. At secunda dispositio peculiariter constituit dubitationem propriè dictam. Ergò prior dispositio, illi opposita, excludit propriam rationem & essentiam dubitationis. Et hoc est, quod Auctores intendunt, quando probabilia à dubiis distinguunt, atque ea extra dubiorum classem constituunt. Qua in re consequenter ad naturam & essentiam dubii strictè sumpti loquuntur, & immeritò à Celladeo redarguuntur. Quod si contendat, animum taliter constitutum adhuc dubitare, maximè quamdiu utramque partem probabilem reputat, instituet quæstionem de nomine, atque in vocum usurpatione à communi (ut ipse fatetur) Auctorum acceptione recedet. Ergò audiendus non est, quia in vocum usurpatione standum est communi Auctorum acceptioni, maximè quando constat, Auctores communiter per illud nomen intelligere dispositionem longè diversam ab ea, quam peculiaris homo voci illi affingit, ut factum videmus in casu nostro.

Et multò magis si cōsideretur reflexè.

8. In sensu autem reflexo res est longè clarior, quia per considerationem reflexam mens jam stabilita est in ea sententia, quòd omne directè probabiliter honestum, si omnia considerentur, sit absolutè loquendo permissum & honestum. Unde eo ipso quòd post diligentiam debitam constet, honestatem rei esse probabilem, non amplius dubitamus de absoluta illius honestate hîc & nunc, quia vel formaliter, vel æquivalenter solvimus quæstionem. Atque hoc est quod Auctores intendunt, quando dicunt nos, cùm ad probabilitatem certam pervenimus, non amplius dubitare, quia statim per hoc ipsum sumus sufficienter dispositi ad dubium deponendum & conscientiam debitè formandam. Quod verum est tam in sensu directo, quàm in reflexo; quia in utroque adest sufficiens motivum ad quæstionem dirimendam, si voluntatis imperium accedat; & quia jam ob rationes priùs notas ita habitualiter ac æquivalenter sumus dispositi circa rem illam, ac si actu diceremus illam esse licitam. Neque tamen ideo dicunt, hominem non posse de rebus illis dubitare; oppositum enim & tenent & probant, eò quòd, stante totâ propositione objecti illius directè considerati, intellectus flecti possit ad absolutè credendum illud esse inhonestum, quod plus est quàm solùm dubitare de honestate. Rursus voluntas potest ita aversari motiva faventia honestati, ut ea contemnat tanquam insufficientia ad judicium rationabiliter eliciendum, & sic impedire etiam potest judicium reflexum de sufficientia talium motivorum. Quod si quis sectetur opinionem rigidam, is etiam reflexè dubitare poterit, atque etiam judicare, probabilitatem honestati faventem non sufficere ad conscientiam ritè formandam contra oppositam probabilitatem de ejusdem inhonestate. Hic est sensus Auctorum benignæ sententiæ, quem me explicaturum promisi in fine quæstionis superioris.

Cæterùm iidem Auctores nonnunquam hujusmodi objecta appellant dubia, sed cum addito, scilicet

scilicet dubia probabilia, per quod solùm significant, ea esse incerta; quo non obstante, dicunt eadem substare rationibus sufficientibus ad conscientiam ritè formandam, quòd est ea non esse propriè dubia, ut constat. Sed ut hæc pleniùs intelligantur, sit

ASSERTIO III.

Solæ rationes dubitandi sæpe sufficiunt ad dubiũ deponendum.

Solæ rationes, quibus mens in utramque partem movetur quando actu dubitat, sæpe sunt sufficientes ad dubium deponendum.

9. PROBATUR. Rationes fidei debitè propositæ sufficiunt ad dubium deponendum, quia sufficiunt ad fidem ipsam; neque enim aliæ rationes necessariò requiruntur ex parte intellectûs ad assensum fidei, alioquin fides non esset sufficienter proposita. At rationes fidei sufficienter propositæ existunt in mente, quando homo peccaminosè dubitat in materia fidei. Ergo solæ rationes dubitandi sufficiunt ad dubium deponendum, & ad quæstionem solvendam, saltem in materia fidei. Immò & sæpe etiam in aliis materiis, ut constat ex dictis *Assertione secunda*, ex qua ista sequitur tanquam corrollarium. Similiter tam ista quàm superiores assertiones validissimè probantur ex dictis *quæst. 30.* in qua ostendimus, intellectum esse liberum libertate contrarietatis ad opinandum inter motiva æquè probabilia. Illa enim ex æquo probant veritatem omnium harum assertionum, ut patet.

ASSRTIO IV.

Quando quæstio solvitur ex sola ratione dubitandi ratio illa validior apparet, quàm appareret, si dubium nõ solveretur.

Quamvis solæ rationes dubitandi sufficiant ad quæstionem solvendam, semper tamen rationes illæ validiores apparent pro parte, quæ deciditur, quàm pro eadem apparent, quando absolutè non deciditur.

10. PROBATUR. Alia est apparentia veritatis antecedens omne judicium & omnem affectum, uni potiùs quàm alteri contradictionis parti alligatum; alia est apparentia concomitans aut etiam consequens ejusmodi judicium & affectum, uti fusè declaratum est *quæst. 8. num. 25. de Consc. prob.* ubi ostendimus, apparentiam concomitantem & subsequentem affectum & judicium uni parti alligatum, esse majorem & vehementiorem apparentia merè antecedente, & adversarios defectu hujus distinctionis in magnas æquivocationes incidisse. Hinc veritas conclusionis evincitur; quia quoties dubium solvitur, intellectus non solùm habet apparentiam antecedentem de veritate rei, sed etiam habet apparentiam concomitantem & consequentem affectum & judicium uni parti affixum; cùm si dubitasset & quæstionem non solvisset, solùm habuisset apparentiam antecedentem, quæ minor est & minor apparet, quàm quæ comitatur & subsequitur judicium, per quod quæstio solvitur.

Eadem ratio eodem modo intellecta sicut intelligitur, dum dubitamus, sufficit ad dubium deponendum.

11. Nihilominus eadem penitus ratio eodem modo intellecta, quo intelligitur dum dubitamus, sæpe sufficit ad quæstionem solvendam; quia ratio seu apparentia favens mysteriis fidei, verbi gratia, quando quis dubitat de fide poterat separari à pravo animi affectu, & ejus loco conjungi cum pia affectione ad illa mysteria, & ad finem supernaturalem, qui non nisi mediante fide talis mysterii acquiri potest; quia, stante illa propositione, hoc ad solam libertatem voluntatis pertinet. At illa ipsa propositio mysterii, piæ affectioni conjuncta, sufficisset ad assensum fidei, quia mediante pia affectione illam producere potuisset. Ergo eadem ratio, quæ est in dubitante de fide, sufficit ad fidem inducendam, per quam quæstio solvitur. Ratio à priori est, quia quando agimus de ratione sufficiente ad assensum obscurum, agendum est non de apparentia consequente aut concomitante affectum voluntatis & judicium uni parti alligatum, sed solùm de ratione tam ad affectum quàm ad judicium dictum prævia, quia illa sola est, à qua sola causalitas derivatur; illa enim sufficit ad liberum voluntatis affectum, & illo mediante ad assensum quamvis apparentia illa, prout conjuncta affectui ad unam partem, vehementiùs alliciat ad assensum, quàm si cum illo non conjungeretur; totus enim iste processus à sola prima illa ac prævia rei propositione dependet; sicut etiam ab eadem dependet nova apparentia concomitans & consequens affectum & judicium. Ex defectu hujus distinctionis nonnulli existimarunt, solam rationem dubitandi non sufficere ad dubium impediendum, aut deponendum, sed aut aliam rationem novam, aut certè novam ac meliorem primæ rationis propositionem ad dubii solutionem esse necessariam; atque inde intulerunt, liberum nobis non esse dubitare, quando dubitamus. Cùm enim experirentur, se longè aliter & vehementiùs affici ad assertiones quas tenent, quàm ad illas de quibus dubitant, putârunt intellectum ita constitutum esse, ut judicare nequeat, nisi habeat rationes potiores & vehementiores, quàm quando dubitat. Totam autem hanc apparentiam putârunt esse præviam, ideoque intulerunt, eam ex parte actûs primi necessariò requiri ad judicandum. Sed falsi sunt, quia sæpe major illa apparentia solùm est concomitans aut consequens affectum & judicium uni parti affixum, quæ proinde ab alia minore apparentia ortum suum traxit. Illa autem minor apparentia prævia erat ipsa ratio dubitandi, ut ostensum est.

Æquivocatio adversariorũ detegitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

12. OBJICITUR primò. Quando dubitatur ob rationes & auctoritates hinc inde allicientes, ratio aliqua vel auctoritas peculiaris affertur pro solutione; nec per rationes dubitandi censetur remota dubitatio, & pars altera decisa; quia solutio dubitationis est inventio veritatis, aut vera aut saltem existimata. Ergo sola ratio dubitandi non sufficit ad solvendam dubitationem. Objectio 1.

Confirmatur primò. Regulæ juris in re dubia sunt solutiones dubiorum; semper autem fiunt cum ratione peculiari pro ea parte cui favent, & pro qua solvunt dubium, non autem ex libito; alioquin regulæ contradictoriæ essent æqualiter rationabiles; & sic sicut dicitur, *In dubiis favendum est reo, Melior est conditio possidentis, &c.* æquè dici posset contrarium, *In dubio favendum est actori, Deterior est conditio possidentis,* quia ad paris causæ determinationem nulla specialis ratio, sed solùm arbitrium voluntatis requireretur. Hoc autem est evidenter falsum, & contra omnes. Confirmatio 1.

Confirmatur 2. Objecto æqualiter se habente apud aliquem ad verum & falsum, non datur enunciare de altera parte. At omnis dubitans propter Confirmatio 2.

propter rationes hinc & hinc allicientes, habet objectum indifferens ad verùm & falsum. Ergo nullus dubitans habet unde quæstionem determinet.

Confirmatio 3. Confirmatur 3. Si quod sufficit ad dubitandum, sufficeret ad affirmandam unam partem, affirmans rem non obligaretur ad plus quàm dubitans. At dubitans non obligatur rationes bonas facere, & contrarias solvere. Ergo nec affirmans ad illud teneretur. Consequens est falsum & contra praxim omnium. Ergo falsum etiam est antecedens. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 3. §. 2.*

Solvitur objectio. Respondeo, omnia hæc objici ex confusione apparentiæ antecedentis & consequentis affectum, & judicium uni contradictionis parti alligatum. Sed ad singula respondeamus. Inprimis objectio multis in locis videtur procedere in sensu composito dubitationis, à quo præsens quæstio prorsùs præscindit; repugnat enim dubitationem & quæstionis decisionem in eodem intellectu componi. Cæterùm concedo dubitationem non tolli formaliter per rationem dubitandi. Verùm hoc non quæritur in præsenti, sed quæstio in eo vertitur, utrùm ratio illa, cui de facto superadduntur reliqua per quæ dubitatio completur, sufficiat, ut accedente alio affectu & imperio voluntatis superaddi illi possint ea, per quæ dubitatio tollitur. Jam argumentum non tangit hoc, quod tamen unicè urgendum erat. Itaque distinguo consequens. Sola ratio dubitandi non sufficit ad tollendam dubitationem, tanquam causa formalis adæquata dubitationis solutæ, concedo consequentiam. Tanquam causa effectiva seu dispositiva remota & sufficiens, cui alia superaddi possint per quæ dubitatio tollitur, nego consequentiam.

Solvitur replica ex regulis juris petita. 13. Ad primam confirmationem dico, regulas juris de dubio esse rationes reflexas, quibus dirigimur, quando quæstio directè non solvitur. Rationes autem istæ reflexæ magis favent uni parti quàm alteri, non solùm in actu secundo quando per absolutum judicium præferunt unam partem, sed etiam antecedenter pro priori ad omnem assensum & affectum uni parti indebitè propensum; alioquin tanta esset opinionum diversitas de istis regulis juris, quanta est de rebus ipsis. Itaque exemplum ab istis regulis petitum non urget, nisi ostendatur, quòd in omnis dubii resolutione tanta ratio tamque urgens & peculiaris reperiatur, quàm habetur, dum quæstio per regulas juris tanquam per axiomata notissima solvitur. At hoc ostendi nequit, cùm sit evidenter falsum in iis qui temerè dubitant, & multò magis in hæreticis qui errant in materia fidei sufficienter propositæ. Negamus ergò excessum rationum requiri ex parte actûs primi, qui ad solvendum dubium requiritur. At si loquamur, ut nunc loquimur, de formali dubii resolutione, fatemur illam semper constitui per apparentiam majorem pro una parte quàm pro alia. Sed illa majoritas, ut inducatur, non requirit prævalentiam in actu primo, sed haberi potest, quamvis ratio, parti illi singulariter favens, in actu primo non sit major, quàm ratio quæ alteri parti favet. Itaque fateor, duo motiva sibi contraria & æqualia in actu primo, sufficere ad solvendum dubium in actu secundo per majoritatem rationis inducendæ pro una parte; sed inde non sequitur, duo contradictoria esse posse regulas *æquè rationabiles* ac sunt illæ regulæ juris, quia nihil meretur nomen regulæ in illo sensu, nisi quod est notius & certius quàm ejus oppositum. Similiter ex hoc non sequitur, æquè rationabiliter dici posse non esse favendum reo in dubio, ac eidem in dubio esse favendum; quia dictum illud est axioma reflexum certum, quod proinde habet objectum certum, non dubium & anceps. Itaque veritas hujus axiomatis inalterabilis est, & eadem manet, quidquid sit, an circa objecta dubia ipsa ratio dubitandi sufficiat vel non sufficiat ad dubium deponendum.

Duplex æquivocatio in argumento Celladei. 14. Secunda confirmatio eodem vitio laborat: verum enim est, nullam dari enunciationem de objecto, quod tam in actu primo quàm in actu secundo quoad existimationem æqualiter se habet ad verum & falsum. Cæterùm etsi in actu primo par sit apparentia pro utraque parte, in consequenti tamen dispar esse potest apparentia, ut sæpe dictum est. Præterea argumentum hoc alio etiam vitio laborat, quia minor procedit in sensu composito dubitationis; unde solùm infertur, quòd qui actu dubitat, non possit simul enunciare de altera parte, quod nemo negat; sed hoc hîc non quæritur. Quærimus enim solùm, an prima illa & prævia apparentia, cui de facto dubitatio additur, sufficiens erit, ut loco dubitationis, si voluntas aliter affecta fuisset, elici potuisset judicium decisivum dubii. Verùm argumenta Celladei hoc non tangunt.

Illatum nô sequitur ex hypothesi argumenti. 15. Ad tertiam confirmationem, negatur sequela majoris; quia nulla est connexio inter hypothesim & illatum; sive enim ratio sufficiens ad dubitandum sufficiat, sive non sufficiat ad deponendum dubium, semper verum est, affirmantem ad plus teneri quàm dubitantem. Exemplum sume tam in voluntate quàm in intellectu. Voluntas sæpe deliberat, & simul habet sufficiens motivum contrahendi & non contrahendi amicitiam cum aliquo; potest enim illam contrahere & non contrahere; nec tamen inde sequitur, quòd contrahens amicitiam ad aliud non obligetur, quàm si eam non contraheret. Rursus nemo negat, quin, dum opinamur, simus liberi ad non opinandum, quia opinio est libera saltem libertate contradictionis. Ergo omnis opinans simul habet motivum sufficiens ad opinandum & ad non opinandum pro imperio voluntatis; & tamen ad plus obligatur si opinetur, quàm si non opinetur. Idem prorsùs valet in casu nostro.

Objectio 2. 16. Objicitur secundò. Nullus dubitans intelligit, scit, opinatur, aut credit hanc partem esse veram, illam falsam. At omnis solvens dubium intelligit, scit, opinatur, vel credit hanc partem esse veram, illam falsam. Ergo dubitans & solvens dubium non habent easdem rationes; & sanè implicat, ut iisdem omnino stantibus rationibus, & eodem modo se habentibus, eadem res modò videatur nec vera nec falsa, & dubitem, modò videatur vera, & desinam dubitare. Ita Celladeus §. 2.

Solutio. Respondeo easdem hîc quoque æquivocationes intervenire. Inprimis præmissæ procedunt in sensu composito dubitationis, & solutionis dubii; ex quibus solùm immediatè sequitur, nullum solventem dubium dubitare. At consequentia à Celladeo posita ne indirectè quidem ex illis præmissis elici potest, si sermo sit de apparentia veritatis seu de ratione antecedente; illa enim eadem esse potest in dubitante & in non dubitante, ut dictum est. At si sermo sit de omni ratione ac apparentia veritatis tam antecedente quàm consequente & concomitante dubitationem atque solutionem dubii, consequentia rectè infertur. Semper enim longè aliter res apparet solventi

venti dubium, quàm dubitanti apparuerat; sed illa diversitas non semper se tenet ex parte rationum seu motivorum, quæ sunt in mente pro priori ad affectum & judicium uni parti alligatum, sed solùm ex parte apparentiæ concomitantis aut consequentis dictum affectum & judicium. Jam si omnia, tam antecedentia quàm concomitantia & consequentia statum dubitationis, vel statum solutionis dubii, simul considerentur, implicat sanè, ut quis modò dubitet, modò dubitationem solvat; quia fieri nequit, ut stante solutione dubitetur, aut ut stante dubitatione dubium solvatur. At si loquamur de solis rationibus & apparentiis prævijs, de quibus solis præsens quæstio procedit, illæ tales sunt, ut, juxta varium affectum & imperium voluntatis, illis addi possit vel apparentia consequens major, & solutio dubii, vel suspensio judicii solventis dubium. Unde fiet, ut consequens illa apparentia major suspendatur. Contra hoc agere debuit Celladeus, sed hoc non tangit.

Objectio 3. 17. Objicit tertiò: Non minùs dubitans debet rationem afferre, cur dubitet, quàm solvens dubitationem, cur opinetur. At absurdum est reddere rationem pro solutione dubii, quæ redditur pro ipsa dubitatione; hoc enim perinde est ac dicere, nodum per idem expediri & implicari. Ergo sola ratio dubitandi non sufficit ad solutionem dubii.

Ratio dubitandi de aliqua parte, est motivũ suadens illam esse falsam. Respondeo absurdum quidem esse, quod ratio dubitandi propriè sumpta afferatur pro solutione dubii; propria enim ratio positivè dubitandi de aliqua parte contradictionis, est motivum suadens illam esse falsam, non autem ratio arguens illam esse veram. At ratio, ob quam dubium solvitur, est motivum suadens partem illam esse veram, & illa ratio tantùm & non opposita affertur pro solutione dubii. Itaque quando dicimus rationem dubitandi sufficere ad solutionem dubii, non ita accipiendum est, quasi diceremus, rationem dubitandi de veritate partis A, sufficere ad solvendum dubium per affirmationem, quod pars A. sit vera; hoc enim perinde esset ac dicere, nodum per idem solvi & implicari; sed sensus est, motivum, ob quod hîc & nunc retrahimur ab assensu præstando, sæpe sufficere ad dissensum eliciendum, quod certè non est nodum per idem solvi & implicari.

Nunquam redditur ratio pro solutione dubii, quæ pro dubitatione affertur. 18. Quod si per rationem dubitandi intelligas motiva utrique contradictionis parti faventia, quia dubitatio positiva de utraque parte per illam completur, neque sic verum est, eandem reddi rationem pro solutione dubii, quæ affertur pro dubitatione: nam unum solum motivum affertur pro solutione dubii, at non illud solum, sed illud & simul oppositum redditur pro dubio. Et sanè si loquamur de ratione opinandi, quæ se tenet ex parte actûs primi, illa sufficiens est, ut ex vi illius dubium solvatur, non quidem tanquam per causam formalem solvendi dubium (illa enim consistit in ipsa quæstionis decisione) sed tanquam per causam motivam, quæ talis est, ut intellectus per imperium voluntatis determinari possit vi illius ad absolutum judicium de parte illa, cui favet. Sed quia affectus ille imperiumque illud poterat abesse, ideo rationi prædictæ adjungi poterat carentia judicii solventis dubium, & sic compleri dubitatio, utpote quæ per suspensionem decisionis dubii completur. Ecce ratio formalis dubitationis, & ratio formalis solutionis dubii toto cœlo differunt, quia sibi invicem opponuntur. At ratio partialiter impellens ad dubitandum, quæ de facto ob defectum voluntatis flectentis intellectum ad assensum conjungitur cum actuali dubitatione, potuisset dubium decidere, si imperium voluntatis accessisset; quamvis in eo casu, ratio illa, concomitanter aut certè consequenter ad dictum imperium, vehementiùs movisset animum juxta dicta. Nec in hoc intelligendo ac probando major est difficultas, quàm quòd, dum veritati obscuræ assentimus, possimus judicium illud suspendere. At hoc certum est. Ergo & illud; quia, posito judicio, tollitur dubitatio, judicioque ablato, ponitur dubitatio, ut patet. Ergo eadem est utriusque vicissitudo & dependentia ab imperio voluntatis, fierique potest, ut ob eandem rationem decidatur dubium, ob quam partialiter dubitatur. Hoc à paritate voluntatis confirmatur, quia homo potest amari & eligi in amicum propter rationem, ob quam hîc & nunc voluntas vacillat, & eum nec amat, nec in amicum eligit; verùm quando illum amat, & in amicum eligit, afficitur uni tantùm motivo, illudque præfert alteri, cùm potuisset illud opposito non præferre, sed ob motiva contraria inter utrumque hærere, & quodamodò affectivè fluctuare & dubitare. Porro sicut hinc non sequitur nodum per idem implicari & solvi, ita nec in casu nostro.

Ratio formalis dubitandi, & ratio formalis solvendi dubium, toto cœlo differunt.

19. Præterea locutio illa, *absurdum est dicere, quòd per idem implicetur & solvatur nodus*, ut vera sit, sumi debet in sensu formali, in quo solùm impossibile est, ligamen & solutionem per eandem formam constitui; nam si loquamur de causa efficiente, vel de dispositione talis causæ, oppositum est certissimum; siquidem eadem potentia eædemque manus solvere possunt nodum, quem antea strinxerant. Quidni ergo possit potentia intellectiva solvere nodum dubitationis per illam rationem, per quam antea dubitationem ipsam partialiter ligaverat. Certè ex hoc capite nullum absurdum existit, quidquid Celladeus dixerit, qui sensum causæ formalis cum sensu causæ effectivæ hoc loco confundit, & ex illa confusione ea tribuit causæ effectivæ, quæ soli causæ formali conveniunt, & è contra. **Nodus non potest stringi & solvi per idem in genere causæ formalis, secus in genere causæ efficientis.** **Æquivocatio Celladei.**

20. Ob. 4. Omnes fermè Theologi tradunt nostris assertionibus repugnantia. Ergo illæ non sunt tenendæ. Probatur antecedens. Inprimis docent communiter, quòd peccet, qui in casu dubii temerè & sine ratione speciali dubium deponit. Ergo censent opus esse ratione speciali ad dubium deponendum. Secundò quærentes, an speculativè dubitans possit practicè non dubitare, respondent hominem in eo casu peccaturum, si practicè non dubitet, nisi habeat rationem specialem. Ergo requirunt rationem specialem & novam pro dubio solvendo. Et sanè omnes docent, diligentiam in casu dubii præmitti debere, ut veritas inveniatur, & per ejus inventionem dubium solvatur. Ergo non est propter rationes dubitare, & propter easdem eodem modo manentes dubium solvere. Aliter diligentia necessaria non esset, sed sufficeret velle non dubitare. Tertiò communiter tradunt, dubium consistere in æqualitate rationum pro utraque parte. At ubi rationes sunt æquales, non potest solvi dubium per ullam illarum, quia objectum non apparet magis verum quàm falsum, sed æquè se habet ad utrumlibet. Hæc omnia repugnant rationibus positis. Ita Celladeus §. 1. ubi redarguit complures, quòd postquam cum omnibus ista stabilivissent de dubiis tanquam verissima, inconsequenter postea & minùs considerate opposita de **Utrùm omnia Theologorum asserta nostræ opinioni repugnent?**

probabilibus tradiderint, dicentes in æquè immò in minùs probabilibus nobis liberum esse opinari pro imperio voluntatis. Hoc autem prioribus assertis contradicere autumat Celladeus.

Plerique Theologi nobiscum sentiant.

Respondeo, plerosque, & fortè omnes omnino Theologos nobiscum sentire, si apparentia, affectum & assensum uni parti alligatum antecedens, accuratè distinguatur ab apparentia concomitante & consequente eundem affectum & assensum. Hoc dico, non quòd Theologi expresè inter ista distinxerint, sed quia per hanc distinctionem, quam nemo negare potest, veritas rei statim innotescit. Veritate autem istâ semel habitâ, statim apparet, quòd illi qui putantur dissentire verè non dissentiant, quia intelligendi sint de apparentia consequente, in quo sensu nemo illis meritò contradicere potest. Sed præter hanc generalem responsionem libet ad singula respondere. Inprimis Auctores, quos Celladeus primo loco affert, apertè stant contra ipsum; quia dicunt, hominem temerè deponentem dubium peccare. Ergo admittunt eum posse dubium deponere sine nova & speciali ratione; quia haud dubiè qui temerè deponit dubium, poterat, eisdem rationibus stantibus, non deponere dubium, sed dubitare. Nec obstat, quòd imprudenter faceret, quia nunc non quærimus de prudenti vel imprudenti depositione dubii, sed de absoluta dependentia intellectûs à voluntate, in ordine ad dubitandum & non dubitandum. Itaque Auctores isti non requirunt rationem specialem ad non dubitandum simpliciter, sed solùm ad prudenter non dubitandum. Sed neque in hoc sensu requirunt rationem specialem in sensu Celladei, sed nomine rationis specialis (si hac voce utantur) solùm intelligunt rationem probabilem, quando versamur in incertis, quidquid sit, an illa sit vel non sit eadem cum ratione dubitandi, quia hoc eo loci non controvertunt.

Auctores, quos Celladeus pro se citat, illi contradicunt.

Auctores, secundo loco à Celladeo citati, ipsi apertè contradicunt.

21. Similiter, qui secundò loco citantur, supponunt dubium imprudenter saltem deponi posse absque ratione speciali. Ergo contradicunt Celladeo, cui in illis quæstionibus nemo prorsùs, quod sciam, favet; nec mirum, quia ibi non loquuntur de depositione dubii in genere, seu de ejus possibilitate ut sic, sed solùm de ea dubii depositione per quam conscientia debitè formatur, & à peccato excusatur. At hæc quæstio longè alia est à præsenti controversia, ut patet. Præterea certò certiùs dubium sæpe deponitur, quando nulla ejusmodi ratio adest. Ergo qui docent hominem peccare, nisi per rationem probabilem, prudentem, & si velis, etiam specialem, solvat dubitationem, nullatenus favent Celladeo in præsenti quæstione, cùm ex ibi dictis ad decisionem hujus quæstionis nulla sit illatio. Cæterùm pro dubio prudenter deponendo diligentia juxta omnes adhibenda est, ut veritas, & si fieri potest, certitudo veritatis reperiatur; peccat proinde qui tali diligentiâ omissâ dubium deponit, quia conscientiam temerè format. At si post diligentiam adhibitam, res maneat incerta, & motiva dubitandi, quæ honestati favent, sint probabilia, eo ipso præstari assensus, dubium deponi, & conscientia tutò formari potest. Et hæc est opinio omnium Auctorum benignæ sententiæ, qui tamen omnes aut expresè tradunt, aut apertè supponunt, hominem in eo instanti posse non ita formare conscientiam, sed dubitare, eumque asserunt peccaturum, si conscientiâ non formatâ, dubioque non deposito operetur. Hi ergo omnes contradicunt Celladeo; quia aut tradunt, aut supponunt, hominem, stantibus iisdem rationibus eodemque modo pro priori propositis, posse dubitare quando non dubitat, & non dubitare quando dubitat; nec inde sequitur, diligentiam non esse adhibendam, sed sufficere velle non dubitare; nisi enim homo diligentiam adhibeat, temerè operatur & peccat, quia Deus nos ad diligentiam obligat. At si post diligentiam res maneat incerta, tunc satis est, si ob rationem probabilem velit non dubitare; quia bona fide, & ex conscientia irreprehensibiliter formata operatur.

22. Qui tertiò loco citantur, idem dicunt, quod omnes dicimus, scilicet intellectum tunc dubitare positivè, quando rationibus æqualiter trahentibus, ita incitatur, ut nec in actu primo, nec in actu secundo magis in unam quàm in aliam partem trahatur. Quod verissimum est, maximè quando intellectus non solùm non profert judicium quæstionis decisivum, sed ne quidem fertur in motiva tanquam sufficientia ad quæstionem terminandam; tunc enim propriissimè dubitat dubio positivo, ut dictum est. Verùm hinc non sequitur, eum necessariò dubitare, qui habet rationes in actu primo pro utraque parte æquales; ea enim æqualitate stante, mediante affectu & imperio voluntatis, flecti potest intellectus ad assensum, per quem dubium solvatur; & hoc est quod Auctores docent, dum tractant de dubio & de conscientia; nec inter hæc asserta ulla est umbra contradictionis. Immeritò ergo Celladeus complures gravissimos Auctores inconsequentiæ & contradictionis arguit, eò quòd ista tradiderint. Cogitare debuerat, tot talesque viros non tam facilè contradictoria tradere, adeoque diligenter videre, an via aliqua ad notam contradictionis solvendam superesset. Hanc si quæsivisset, facilè invenisset; sed quia non distinxit apparentiam finalem & consequentem ab apparentia prævia & antecedente, ideo, quæ soli primæ conveniebant, tribuit secundæ, & hoc errore deceptus, doctissimis viris contradictionem immeritò affinxit.

Qui tertiò loco citantur, Celladeo non favent.

Celladeus immeritò redarguit Auctores contradictionis.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-SECUNDA.

An, & in quo sensu æqualitas rationum & autoritatum dubitationem causet?

1. HÆC quæstio coïncidit cum illa, quàm *quæst. 30.* tractavimus, ubi quæsitum est, utrùm æquè probabilia sint opinabilia? quidquid enim facit pro una æquè facit pro altera quæstione. Quare necesse non fuisset hanc quæstionem proponere, nisi Celladeus *lib. 4. quæst. 4. & 5.* plura huc spectantia quasi triumphabundus attulisset. Ibi enim multis contendit, omnem æqualitatem rationum rem dubiam facere, ac proinde tam tenendum esse, quòd, stante æquali opinionum sibi contradicentium probabilitate, non liceat sequi minùs tutam, quàm quòd in dubio non liceat minus tuta sectari. Meum ergo erit, depulsis æquivocationum latentium tenebris, veritatem aperire, illisque respondere, quæ Celladeus in contrarium objecit. Spero autem Lectorem non ægrè laturum, si paucula in anterioribus probata, claritatis causâ, huc breviter transcribam. Sit ergo

Quæstio cur instituatur?

ASSERTIO PRIMA.

Intellectus nulli contradictionis parti assentire potest, quamdiu signatè existimat rationes utrique parti faventes esse æquales.

2. PROBATUR. Intellectus assensum uni parti præbens, absolutè existimat illam esse veram, & oppositam falsam; & consequenter absolutè præfert rationes unius, illasque ut veras probat, cùm oppositas reprobet ut falsas. Ergo non potest simul existimare, quòd rationes illæ sint prorsùs æquales, quódque neutra alteri sit præferenda. Hæc ratio à fortiori convincit, quod nemo possit assentiri objecto ac motivis, quæ absolutè credit esse minùs probabilia oppositis. Vid. *quæst. 8. & 9. de Conscientia probabili*, ubi hæc fusè probantur. Videatur etiam *quæst. 30.* hujus tractâtûs.

Qui utramque partem æquè probabilem reputat, neutri assentire potest.

ASSERTIO II.

Qui, omnibus consideratis, judicat rationes utrique parti faventes esse æquè probabiles, non potest ex illis solis conscientiam formare, aut licitè operari si sectetur partem minùs tutam.

3. ASSERTIO hæc sequitur ex priore, quia ut quis licitè operetur debet formare conscientiam, & existimare se benè operari. At, stante dicta dispositione, impossibile est conscientiam & existimationem de honestate operationis formari, ut ostensum est in prima assertione. Ergo nemo, stante dicta dispositione mentis, potest conscientiam formare, aut licitè operari, si sectetur partem minùs tutam.

Nemo formare potest conscientiã circa partẽ minùs tutã, si reputet rationes utriusque partis esse æquales.

ASSERTIO III.

Nemo actu judicans, rationes directas utrique parti faventes esse omnibus consideratis æquè probabiles, licitè potest sequi partem minùs tutam, nisi ex rationibus reflexis judicet, partem minùs tutam esse honestam, & consequenter feratur in eam tamquam fide digniorem.

4. PROBATUR assertio, quæ est Corollarium priorum. Nisi rationes parti minùs tutæ faventes rationibus oppositis actu præferantur, intellectus nequit actu existimare, quod opus sit honestum. At nisi intellectus actu judicet opus esse honestum, voluntas non operatur honestè. Ergo nemo operatur honestè, nisi rationes parti minùs tutæ faventes actu præferat rationibus contrariis. At in casu nostro non potest præferre rationes directas. Ergo in casu assertionis nemo potest credere opus esse licitum, nisi per rationes reflexas feratur in partem minùs tutam, tanquam in partem fide digniorem & probabiliorem.

In eadem hypothesi nemo licitè sectatur partem minùs tutam, nisi ex rationibus reflexis judicet operationem esse honestam.

In hisce omnibus Celladeo consentio, & in aliis nonnullis aut planè coïncidentibus aut necessariò connexis, quale est illud, quòd quamvis auctoritates & rationes aggerentur pro una parte, intellectûs tamen necessariò careat assensu approbante illam, & reprobante alteram partem contradictionis, si auctoritates & rationes numero & qualitate pares ita afferantur pro parte contraria, ut intellectus, omnibus inspectis, actu existimet, rationes & auctoritates utrique parti faventes esse penitus æquales. Hæc enim omnia verissima sunt, & à multis Auctoribus benignæ sententiæ admissa, atque à me fusè explicata *in tractatu de Conscientia probabili* multis in locis.

ASSERTIO IV.

Quamvis directa probabilitas utriusque partis sit, & omnibus inspectis absolutè credatur æqualis, intellectus tamen non necessariò dubitat de honestate operis; sed per hoc ipsum, quòd sciat partem minùs tutam esse probabilem, deponere potest dubium & conscientiam formare, quòd opus sit licitum.

Æqualitas probabilitatis directæ non impedit, quò minùs côscientia formetur de honestate operis.

5. PROBATUR assertio, quæ est directè contra Celladeum, & nominatim contra totum illius intentum, non solùm in hisce duabus quæstionibus, sed in toto opere contentum. Probatur, inquam, quia per hoc præcisè, quòd constet de probabilitate directa partis minùs tutæ, non obstante pari imò & majore probabilitate partis tutioris, intellectus habere potest motiva reflexa potiora & validiora pro parte minùs tuta, atque per illa quæstionem determinare per judicium, quo absolutè dicat, rem illam, omnibus inspectis, esse licitam, atque ita formare conscientiam de honestate operis. Constat hoc ex *quæstione 2. hujus tractatus*, & multò magis ac fusiùs ex *toto tractatu de Conscientia probabili*; potissimè autem à *quæst. 19. usque ad finem operis*, ubi quidquid hîc asseritur, efficacissimè, clarissiméque probatum est. Nec mirum: quia directa probabilitas, etsi sit & credatur par, non tollit motiva alia reflexa, per quæ quæstio determinetur, & conscientia de honestate operis formetur. Ergo quamvis utraque pars sit & credatur directè æquè probabilis, tamen intellectus non necessariò dubitat, sed per hoc ipsum, quod sciat partem minùs tutam esse probabilem, statim format judicium, quòd absolutè liceat, quia novit honestatem absolutam operis evinci ex rationibus reflexis, quas Auctores afferunt pro stabilienda sententia benigna; atque ita formando conscientiam, dubium deponit.

Cæterùm, etsi utraque probabilitas directa in actu primo ante omne judicium & affectum uni parti peculiariter impensum sit æqualis, nihilominùs fieri potest, ut, post affectum & imperium voluntatis uni parti impensum, probabilitas unius partis alteri prævaleat & appareat major, quàm antea apparebat; ac proinde fieri potest, ut dubitatio tollatur, & assensus illi parti præbeatur, ut dictum est *quæst. superiori* & latè ostendi *quæst. 8. de Conscientia probabili num. 25. & sequentibus*. His breviter indicatis, excutienda sunt quæ Celladeus in contrarium opponit.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO,

Et continua Celladei æquivocatio detegitur.

Objectio 1. 6. OBJICIT primò. Ex Auctoribus, plurimi dubia propriè talia ad rationum & auctoritatum æqualitatem revocant. Unde sequitur, omnia talia probabilitate carere, & ut non probabilia debere rejici ab iis omnibus, qui cum Aristotele & D. Thoma ea solùm censent probabilia, quæ plerumque contingunt; quia quæ habent rationes & auctoritates utrimque æquales non habent plerumque ita esse, cùm æqualiter se habeant ad esse & non esse.

Secundò, eadem omnia vera probabilitate carere censentur ab iis, qui docent non esse opinari circa æquè & minùs probabilia; quia Probabile & Opinabile sunt termini manifestè convertibiles; neque quid absonum magis, magisque contradictorium, quàm dicere aliquid esse probabile, & simul inopinabile. At multi Auctores benignæ sententiæ apertè asserunt, æquè & minùs probabilia esse verè probabilia, & tamen simul volunt, eadem esse inopinabilia. Ergo in hoc sibi contradicunt. Porro qui docent non dari opinari circa minùs & æquè probabilia, sunt Aristoteles, Divus Thomas, Suarez, Pallavicinus, Lessius, Layman, Bresserus, & alii multi.

Celladeus plures benignæ sententiæ Auctores contradictionis insimulat.

7. Tertiò S. Thomas *quæst. 14. de veritate, art. 1.* hæc habet. *Intellectus quandoque non magis inclinatur in unam partem quàm in aliam, vel propter defectum moventium, &c. vel propter apparentem æqualitatem rationum, quæ movent in utramque partem, & ista est dispositio dubitantis, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* Ecce S. Thomas expressè docet, dubium objectivum consistere in æqualitate rationum moventium. At tali objecto non correspondet ex parte actûs & mentis nisi formale dubium, seu ipsum dubitare. S. Thomam in hoc sequuntur quamplurimi tam Theologi quàm Summistæ; imò plures gravissimique Auctores docent, objectum non reddi opinabile, sed solùm suspicabile, quando rationes pro illo parum & vix excedunt rationes pro opposito. Ergo à fortiori quando motiva sunt utrimque æqualia, objectum non est opinabile, sed dubium, & consequenter tunc non est probabile. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 4. §. 1.* qui idem argumentum prosequens §. 4. contendit, nullam multitudinem rationum aut auctoritatum facere posse rem verè probabilem vel opinabilem, modò totidem rationes & auctoritates, in omnibus æquales, afferantur pro parte contraria; quia in tali casu res semper manet dubia, eò quòd rationes post talem additionem semper maneant æquales, ut ante: quia si æqualibus æqualia addantur fiunt conflata æqualia. Hinc autem sic insurgit contra benignam sententiam. Nullus numerus rationum & auctoritatum faciunt non-legem credibilem aut opinabilem, quando totidem & æquè validæ rationes ac auctoritates afferuntur pro lege, quia per hoc ipsum intellectus constituitur in dubio. At qui in dubio operatur contra legem, peccat. Ergo peccat qui contra legem sequitur æquè probabilia.

An S. Thomas docuerit æqualitatem rationum necessariò inferre dubitationem?

8. Hinc quæstione 5. coarguit omnes, qui dubia conscientiæ per æquè aut minùs probabile resolvunt. Primò quia per æqualem utrimque probabilitatem veritas non invenitur, quippe quæ non invenitur quamdiu intellectus nil habeat, unde magis sibi constet rem ita esse, quàm non esse ita. At veritas inveniri debet, ut dubium solvatur. Deinde ad idem confirmandum sic arguit. Par probabilitas adest in eo qui positivè dubitat; imò paritas illa rationum est formalis ratio dubitandi. Ergo impossibile est, ut per æqualem probabilitatem dubium solvatur, quia dubium solvi non potest per ea, per quæ constituitur, ut dicit se probasse, *quæst. 3.* ergo malè dicitur, æquè probabile sufficere ad dubium deponendum, conscientiamque formandam. Porro ita hæc doctrina, de solutione dubii formandaque conscientia per æquè aut minùs probabile, orta videtur ex ignoratione vel certè ex inconsideratione naturæ dubitationis. Aliud enim nomine probabilis non intelligunt, quàm rationes & auctoritates non leves sed graves; sed per

per hoc non habetur aliud, quam propriè dubitare, quia viri doctissimi ut S. Augustinus, S. Thomas, aliique non dubitant nisi ob rationes graves, quia per dubitationem intellectus innodatur; tales autem viri levibus non innodantur. Et sanè levissimus est, qui dicit tales viros ob leves & contemnendas rationes dubitasse. Ergo dubitarunt propter rationes graves. Ergo stante probabili nostro dubitarunt. Ergo probabile nostrum non tollit dubitationem; & qui oppositum docuerunt illud ex inconsideratione naturæ dubitationis tradiderunt. Ità Celladeus *quæst.* 4. loco citato, & *quæst.* 5. *per totam.*

Objectio ista nō tangit præsentem controversiam reflexam, de licito probabilium usu.

9. Respondeo inprimis, nil horum opponi benignæ sententiæ; cùm solùm procedant de probabilitate directa. Itaque valent quidem ad confirmandas tres priores, sed non tangunt impugnationem quartæ, de qua sola tota præsens lis & quæstio controvertitur. Itaque licèt admittatur, quòd intellectus propriè dubitet de utraque parte contradictionis, quamdiu existimet utramque esse æquè probabilem, nil inde conficitur, quia, non obstante hac dubitatione de honestate rei directè consideratæ, intellectus per principia reflexa & motiva benignæ sententiæ surgere potest ad dubium practicè deponendum, & ad formandam conscientiam, quia habet rationes & auctoritates longè magis prævalentes pro absoluta honestate operis, quàm habeat pro ejusdem inhonestate. Itaque præsens objectio in ordine ad unicum totius disputationis intentum nulla est; nec ad aliud inservit, quàm ad imperitum lectorem æquivocationibus & falsis suppositionibus intricandum.

Æqualia motiva pro utraque parte contradictionis esse possunt probabilia.

10. Respondeo 2. multa in objectione contineri à veritate aliena, quæ proinde refutanda sunt. Inprimis, dato quòd æqualitas rationum ac moventium reddat intellectum dubium ac perplexum circa objectum, quod simul æqualiter repræsentatur ut verum & ut falsum, non inde sequitur, neutrum ex talibus motivis æqualibus esse verè probabile, eò quòd probabile sit, quod plerumque contingit; hoc enim non obstante verum esse potest, quod utrumque motivum plerumque contingat, ut fuse ostensum est in *tract. de Consc. prob. quæst.* 8. & hic *quæst.* 29. Ratio est, quia probabilitas rei probabilis non sumitur à contingentia vel non contingentia ipsius rei; illa enim plerumque ita se habet ut aut semper aut nunquam contingat, ut videre est in omnibus Auctoribus circa materiam necessariam ac impossibilem; sed sumitur à vi ac magnitudine motivi impellentis; quod si si tale, ut plerumque connectatur cum veritate, est probabile, etsi prout applicatur huic determinato objecto non plerumque verum dicat, sed fortasse semper erret. Itaque dicimus, illud motivum esse verè probabile, quod v. g. allicit viginti peritos ac probos viros, post omnia in contrarium allata & considerata absque indebita animi passione sententiam ferentes, ad judicandum aliquod objectum ita se habere; quamvis opposita motiva, ab illis rejecta, talia sint, ut illa etiam viginti similes viros moverint ad oppositum sentiendum; utrumque enim illud motivum est verè probabile, & plerumque non errat, quia plerumque contingit, talia motiva, & tot viros peritos non falli; si enim omnes eorum resolutiones accipiantur, proculdubio pleræque illarum non errant, quamvis si illa motiva restringantur solùm ad objecta, circa quæ ex æquo Auctores illi dissentiunt, fieri nequeat, ut utraque plerumque connectantur cum veritate; sed hoc non requiritur, ut patet. Porro ex universalitate rerum, de quibus Auctores opinantur, paucæ admodum sunt circa quæ reperire est tot peritos & probos auctores contradictoria docere; ac proinde fieri potest, ut utraque ratio & auctoritas sit verè probabilis, & plerumque verum dicat. Videantur loca citata, in quibus hæc fusiùs explicata ac probata fuere. Interim hinc iterum constat, Celladeum in eo deceptum esse, quòd asserat, dictam *probabilis* definitionem necessariò inferre, nec utramque nec ullam ex partibus æquali ratione ac auctoritate subnixis esse posse verè probabilem.

Omne probabile est opinabile; sed per accidens evadere potest inopinabile.

11. Ad secundam objectionis partem fateor, omne probabile esse opinabile, modò probabile accipiatur nudè & secundùm se; nam si sumatur cum aliis adjectis, fieri poterit ut neque probabilius sit opinabile. Sic Hæretici obstinati non possunt opinari, articulos fidei sufficienter propositos esse veros, quamdiu voluntas eorum imperat, ne assensus illis præbeatur, imò non possunt illis assensum præbere, nisi accedat propria voluntatis affectio, & imperium. Ecce objectum probabile, imò probabilius & certum, reddi potest inopinabile per aliqua illi adjecta, nec evadere potest proximè opinabile, nisi illa auferantur. Jam verò sicut dictæ affectiones voluntatis hîc & nunc reddunt probabile inopinabile, sic aliæ dantur affectiones etiam ex parte intellectûs, quarum adjectione probabile evadit hîc & nunc inopinabile; talis affectio est judicium, quo post omnia considerata intellectus judicat motiva utriusque partis esse prorsùs æqualia, quia stante tali judicio impossibile est, quod unam partem alteri intellectualiter præferat, ut per se patet, & sæpissimè dictum est. Ex his constat, apertam æquivocationem latere in hac secunda parte objectionis; nam qui dicunt, neminem opinari circa æquè & minùs probabile, intelligendi sunt de *opinari consequenter* ad judicium dictans, probabilitatem talis partis esse parem aut minorē oppositâ, quod verissimum est, & sæpe inculcatum. At, hoc non obstante, per illam eandem apparentiam, quæ consequenter ad carentiam affectûs & judicii uni parti alligati hîc & nunc partialiter constituit dubium, intellectus moveri potuisset ad absolutum judicium de veritate rei, si alius affectus & imperium voluntatis accessisset; per illa enim inclinatus fuisset ad assensum præstandum, & intellectus secutus imperium voluntatis assensum elicuisset. Itaque eadem apparentia ex se quidem sufficiens est ad assensum impetrandum, si imperium voluntatis accedat, quam tamen inducere nequit, nisi dependenter à dicto voluntatis imperio. Errat ergo Celladeus, dum Auctores benignæ sententiæ ex eo contradictionis insimulat, quòd dicant æqualiter probabilia verè esse probabilia, cùm simul doceant neminem opinari posse circa ea quæ ipsi æquè probabilia videntur. Verùm nulla in his contradictio invenitur, quia omne probabile, etiam illud, quod ipsi putant æquale vel minùs opposito, est opinabile, si sumatur secundùm se, & prout se habet in actu primo ante omnem affectum & judicium uni parti affixum, & ante omne judicium comparativum, quamvis consequenter ad aliquam istiusmodi suppositionem hîc & nunc non sit amplius ipsi opinabile, ut sæpe dictum est. Cæterùm in eo manifestè errat Celladeus, quòd dicat *probabile* & *opinabile* esse terminos manifestè convertibiles, cùm certò constet, non omnia opinabilia esse verè probabilia.

Celladeus auctores plures contradictionis immerito arguit.

12. Ad 3. Respondeo, S. Thomam, aliosque in eo

in eo ponere dubitationem positivam, quod intellectus non solùm in actu primò, sed etiam in actu secundo trahatur hinc inde æqualiter, maximè si reflectens super motiva, illa comparet ad invicem, easque pro æqualibus habeat. Certè expressio S. Thomæ hoc importat; nisi enim intellectus ita se habeat, æqualitas rationum ipsi non apparet; ut enim appareat, instar objecti cognosci ac considerari debet. Hæc nos etiam admittimus, sed ex illis non sequitur, tale objectum secundùm se non esse opinabile, quamvis in sensu composito talis dispositionis animi opinio de illo haberi non possit; oppositum enim constat ex dictis. Similiter esto, Auctores gravissimi dixerint, objectum non reddi opinabile, sed solùm suspicabile, quando rationes pro una parte parum excedunt rationes pro altera; illi enim eodem modo intelligendi sunt loqui in sensu composito judicii reflexi, quo post comparationem factam intellectus enunciat excessum rationum aut nullum esse, aut valde exiguum. Hoc judicium reflexum excludere videtur judicium opinativum de veritate rei, & solùm suspicionem quandam admittere, quia omnis qui opinatur, ita in actu secundo fertur in partem, quam approbat, ut illam vehementer & multò præferat parti oppositæ. Itaque licèt, stantibus talibus judiciis comparativis, intellectus aut absolutè aut quodammodò dubitet, non inde sequitur, motiva sic credita æqualia non sufficere in actu primo ad quæstionem determinandam, dubiumque solvendum.

S. Thomas nil tradit contra nostram sententiam.

Auctores allati in objectione explicantur.

13. Jam quod ad æqualium rationum & auctoritatum adjectionem attinet, eodem modo respondetur, eam, reflexè cognitam & judicatam ut æqualem, inferre quidem dubitationem aliquam, non tamen probare objectum secundùm se non esse probabile, aut opinabile. Quare esto, peccet, qui stante tali judicio reflexo comparativo, sequitur partem minùs tutam, si ad conscientiam formandam aliis motivis non utatur quàm directis illis, quæ judicat æqualia, quia operatur in dubio: tamen simpliciter loquendo non necessariò peccat sequendo talem partem, quia per aliam affectionem & imperium voluntatis pars minùs tuta absoluto judicio, eoque probabili, credi potuisset honesta; in quo casu sectando illam partem non peccasset. Cæterùm si utamur discursu reflexo, paritas illa rationum directarum, etiam credita, non impedit conscientiam & opinionem de honestate rei, ut constat ex dictis.

Respondetur ad casũ rationum æqualium, quæ aliis adduntur.

14. Ad ultimum, quod *ex quæst. 5.* objicit, jam responsum est, ostendendo qua ratione, & quo sensu Doctores dicunt, dubia conscientiæ solvi posse per æquè aut minùs probabile, & quomodò per illa veritas inveniri possit. Porro par probabilitas & par apparentia antecedens non necessariò constituit dubitationem, quamvis juvare possit ad eam constituendam, si voluntas non determinet intellectum ad assensum circa veritatem rei, aut eum determinet ad judicium de rationum æqualitate. Cæterùm *quæst. 51.* ostendi, quod, & quomodò eadem ratio antecedens, per quam dubitatio partialiter constituitur, sufficiat ad solvendam dubitationem.

15. Neque verum est, nos nostram doctrinam ex ignoratione naturæ dubitationis tradidisse: scimus quid sit dubium, quid dubitare; distinguimus etiam apparentiam antecedentem affectum & judicium uni parti alligatum, ab apparentia dictum affectum dictumque judicium concomitante & consequente; quæ quia Celladeus non distinxit, ideo hîc multa congessit à veritate aliena, quæ si istarum apparentiarum naturam & diversitatem scivisset, nunquam objecisset. Ergo ille ex ignorantia rerum, aut certè ex confusione partium, ex quibus dubitatio constituitur, doctrinam hanc suam tradidit, & ipsemet censuram incurrit, quam nobis objecit.

Celladeus incurrit cẽsurã, quam nobis objicit.

16. Demum illud, quod addit de gravibus rationibus dubitandi, quibus S. Augustinus, S. Thomas, aliique gravissimi Auctores utuntur, nil probat; fateor enim, eos sæpe graves rationes dubitandi afferre (quamvis certum sit, gravissimos Auctores, inter alias, leviusculas etiam adducere) & quidem tales, propter quas multi graves viri tenebant & etiamnum tenent oppositum; atque ideo dicimus illas esse verè probabiles, ac proinde ita cum dubio conjungi in aliquibus, ut in aliis dubitationem expellant; potuissentque etiam in prioribus dubium expellere, si alia fuisset dispositio in eorum affectu ex voluntatis imperio.

Rationes dubitandi apud Auctores, quales sint?

SOLVITUR II. OBJECTIO.

17. OBJICIT secundò. Paritas rationum in materia facti reddit rem dubiam: sic si tres deponant, dispensatum esse cum Titio ut matrimonium contrahat, non potest illud contrahere si tres alii æqualis auctoritatis deponant contrarium. Ratio est, quia testimonium prius prorsùs eliditur per depositionem contradictoriam, quando testes sunt paris fidei. At eadem ratio sine umbra effugii valet circa jus, quando auctoritates & rationes sunt utrimque æquales. Ita Celladeus *quæst. 4. §. 2.* ubi ad dicta confirmanda primò allegat legem *Si ita fuerit legatum, ff. de rebus dubiis*; ubi traditur, legatum Sempronio amico relictum eo ipso vitiari & esse nullum, quòd sint duo Sempronii amici, qui pares amicitiæ rationes pro se habent. Idem porro videtur dicendum in omnibus casibus, ubi pares rationes & auctoritates stant pro utraque parte. Deinde §. 5. allegat August. *lib. de Principiis Rhetorices* (si tamen Augustinus illius libri auctor fuerit) ubi *cap. 8.* dicit, aliquas esse controversias, quæ græcè plegmata vocantur, quas ipse vocat irrationabiles, quia ita eadem utrimque afferuntur, ut in nulla re diversitas ulla appareat. Exemplo rem declarat: *Vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, noctu alter alterum obviam habuerunt; accusant invicem adulterii: nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Verisimile est, te adulterium voluisse committere quia adolescens es. Te quoque verisimile est voluisse quia adolescens es. Verisimile est, quia speciosam uxorem habeo. Te quoque verisimile est, quia & ego speciosam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit; & tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidisti? Nihil est quod distinguatur; & idcirco uter eorum, sive accusat alterum, se criminatur; sive se purgat, defendit eum, quem criminari videtur.* Eadem porro ratio locum habet quando rationes & auctoritates æquales afferuntur pro utraque parte. Ergo tunc sumus in dubio, & quæstio decidi nequit, quia nil est quod uni parti faveat, quod æquè alteri non faveat.

Objectio 2.

Acutissima S. Aug. observatio.

Respondeo inprimis, ut ad primum respondi, hæc omnia nil facere ad resolutionem quæstionis præsentis, quæ est reflexa, & optimè determinari potest etiam pro casu, quando utraque pars ita habet

Responsio 1.

habet probationes æquales ut directè determinari non possit. Itaque licèt omnia admittantur, ut jacent, nil inferri potest contra quæstionem præsentem, aut illius determinationem.

Lata est disparitas inter testes æquales deponentes contraria, & rationes æquales quæ probant opposita.

18. Respondeo secundò, magnam esse disparitatem inter factum, quod probatur per testes, & opinionem, quæ per rationes & auctoritates probatur. Inprimis quando testes dissentiunt, evidens est alterutram partem esse mendacem, & loqui absque ulla ratione etiam apparenti, imò contra certitudinem; & quia nescitur quænam sit hæc pars, ideo neutra fidem meretur. At omnia opposito modo se habent in opinionibus, quæ probantur non per testes, sed per rationes, vel per præsumptiones evidentes, quod adsint rationes pro utraque parte, ut supra fusè probatum est. Deinde rationes pro opinionibus contrariis semper sunt aliquo modo dissimiles, & comparantur ad invicem ut excedens & excessum, ideoque una non prorsùs elidit vim alterius, ut fit in testibus, & oppositis rationibus prorsùs similibus. Hinc autem fit, ut intellectus propter dictum excessum flecti posset ex imperio voluntatis in assensum alterutrius partis, etsi nequiret ita flecti in casu testium æqualium, qui contraria testantur. Errat ergo Celladeus, dum dicit, nec umbram disparitatis afferri posse circa factum probatum per testes, & opinionem rationibus comprobatam, quia disparitas valdè lata est & aperta. Præterea etiam circa factum solvi potest dubium in casu paris auctoritatis ex parte actûs primi, modò affectus voluntatis ad partem alteram accedat; sic videmus, homines sæpe ea credere quæ cupiunt, etsi alii numero pares dicant oppositum. Verùm etsi in casu testium parium dubitatio simpliciter loquendo directè determinari possit, non tamen potest determinari, si intellectus post comparationem factam judicet utramque rationem & auctoritatem esse prorsùs æqualem. Cæterùm si judicium quæstionis decisivum in tali casu eliceretur, illud non esset probabile & prudens, nisi auctoritas, cui innitteretur intellectus, invincibiliter appareret major oppositâ & digna fide etiam in contradictione alterius.

Lex citata nil probat, sed potiùs nobis favet.

19. Confirmatio *ex leg. Si ita fuerit legatum*, non facit ad rem, quia quamvis de facto justis de causis statutum sit, ut legatum ejusmodi censeatur nullum; si tamen talis lex non extaret, legatum jure naturæ valeret, & hæres illud solvere teneretur; quia si neutri solveret, rem alienam retineret, cùm certum sit, testatorem voluisse legatum alteri illorum tribui, & ab hærede non possideri. Itaque si duo illi Sempronii inter se convenirent, ita ut uterque dimidio contentus esset, aut unus in favorem alterius jure suo cederet, hæres juxta illorum conventionem legatum solvere teneretur. Non ergo apparet, cur nullitas legati in tali casu sit objecta. Valet quidem exemplum ad ostendendum, Judicem nulli parti licitè favere posse, quamdiu potior ratio non apparet pro una quàm pro altera parte. Id ipsum etiam probatur exemplo ab August. ponderato, quod manifestè procedit de judicio post accusationem & defensionem ejusdem planè rationis faciendo, quando judici constat, easdem prorsùs ac simillimas accusationes & defensiones utrique parti favere, in quo casu nequit intellectus alterum liberare, alterum condemnare, quia per hoc ipsum putaret accusationem unius esse alterius accusatione meliorem, & sic simul haberet judicia contradictoria, quod repugnat. Cæterùm quamvis tertia persona prorsùs indifferens, quæque absque passione animi tales accusationes & excusationes audiret, neutram partem alteri præferret, quia actuali judicio judicaret rationes utrique parti faventes esse prorsùs æquales; tamen ipse posset suspicari neutrum esse innocentem, sed utrumque reum, quia, non obstante tota illa defensione & accusatione, uterque verè potuit esse reus, quamvis uterque bene ostendat, non esse cur ipse potiùs judicetur reus, quàm adversarius; neuter tamen absolutè ostendit se non esse reum. Similiter uterque ex accusatoribus suspicari & simpliciter judicare posset alterum esse reum, quia si ipse in sua conscientia sit reus, credere potest etiam alterum esse reum, utpote qui easdem prorsùs commoditates habuit, quibus ipse usus est ad adulterandum. Si verò sit innocens, cùm propria innocentia ipsi magis perspecta sit quàm alterius, non est cur alterum adulterii reum judicare non possit. Itaque hæc exempla non ita procedunt de re prorsùs dubia, ut Celladeus contendit. Sed quidquid sit de illis, nil ex illis contra nos inferri potest. Versamur enim in casu quando neutra pars est probabilis; si enim altera pars contra alteram esset probabilis, quælibet alteri præferri posset simpliciter, ut mox ostendam ex ipso S. Augustino, quamvis neutra præferri posset, si utraque reflexè crederetur esse æqualis alteri.

Idem dicendum de textu S. Augustini.

Cur hic agatur de motivorum elisione?

20. Porro quia Celladeus hoc loco contra veritatem contendit, quòd motiva æqualia, si sint contraria, sese omninò elidant, idque ex lege illa citata, atque ex allato Augustini loco confirmat, operæ pretium duxi, errorem illius detegere, atque præter dicta in superioribus alia nonnulla ad rem hanc spectantia adducere; potissimè verò quæ legi apud Esparzam in Appendice, qui rem hanc egregiè tractat, neque aliud in eo displicet, nisi quòd nimiùm adversariis concedat. Videtur enim admittere, quod opposita motiva æqualia & similia se prorsùs elidant, adeo ut intellectus elicere non possit judicium pro ulla parte, quando pro utraque testes numero & qualitate pares afferuntur. Ego quidem fateor, judicium elici non posse, si intellectus existimet auctoritatem eorum in ordine ad rem assertam esse prorsùs æqualem; sed quòd non possit ulli ex partibus in actu primo æqualibus assentire, atque ob affectum & imperium voluntatis uni parti addictum, illam alteri præferre, adduci non possum, ut credam. Et sanè experientia quotidiana probat, homines etiam paucioribus & minùs qualificatis contra plures & fide digniores sæpe credere, merè propter affectum ad personas dicentes, aut res dictas; cùm præscindendo ab illo, nulla sit ratio, unde veritas magis appareat ex parte illorum, quàm aliorum adversantium. Quamvis ergo testes in actu primo sint æquales & similes, tamen in actu secundo hi illis veraciores æstimari possunt, ob affectum illis aut illorum dictis peculiariter alligatum. His prænotatis, ad rem ipsam accedo, & doctrinam de motivorum elisione propono, idque eò libentiùs, quia per illam, quidquid dictum est tam *quæstione superiore* de libertate dubitandi, quàm *quæst. 30. & 33.* de libertate opinandi æquè & minùs probabilia, validissimè confirmatur.

Esparza laudatur, sed nimis adversariis concedit.

ASSER-

ASSERTIO V.

Propositum sit explicare quid & quotuplex sit motivorum elisio? quæ motiva elidant? quæ elidantur? & qualiter hæc contingant?

Perfecta elisio quid sit? Alia est mutua, alia non mutua. Quid sit utraque?

21. DUo motiva se elidere est ea mutuas vires enervare, & quodammodo annihilare, eò quòd in ordine ad movendum intellectum perinde se habeant, ac si non existerent. Et hæc quidem est perfecta & mutua elisio motivorum. Elisio autem non mutua tunc habetur, quando unum motivum prorsùs ita enervat vim alterius, ut ipsius vis aut intacta maneat, aut certè aliquam movendi vim retineat. Exemplum hujus elisionis non mutuæ habetur in motivis evidentibus & scientificis, quæ ita enervant priora motiva probabilia, ùt ipsa nullam suæ vis diminutionem patiantur. Exemplum aliud habetur in motivis incertis prorsùs homogeneis, quæ intellectus agnoscit esse similia & prorsùs homogenea, quorum tamen unum majus est altero. Majus enim elidit minus, ita tamen ut ipsum multùm de sua vi perdat, cùm non plus moveat quàm solus excessus movisset, si solus extitisset; quia in casu præsenti quoad partem opposito motivo commensuratam penitus eliditur. His positis.

22. Dico primò. *Motiva incerta & dissimilia, sive sint æqualia sive inæqualia, non se perfectè elidunt, sed solùm imperfectè.*

Motiva incerta & dissimilia non se elidunt perfectè, sed solùm imperfectè.

Probatur. Motiva incerta & dissimilia non perdunt vim alliciendi intellectum ad assensum propter præsentiam aliorum etiam potentiorum, nec ita se habent in ordine ad movendum intellectum, ac si non existerent. Ergo ejusmodi motiva non se elidunt perfectè. Tenet consequentia. Antecedens constat non solùm in omnibus opinionibus hinc inde controversis, sed etiam in ipsa fide firmissima, contra quam intellectus sæpe allicitur ad dissensum, quamvis motiva pro fide sint longè potentiora. Ratio est, quia motiva dissimilia commensurari non possunt, sed necessariò se mutuò excedunt secundùm quid. Hinc fit, ut excessus ille penitus elidi non possit per aliud dissimile, utpote quod per aliam specie perfectionem sollicitat ad assensum. Hoc autem non tollit vim alliciendi in vi motiva alterius speciei fundatam. Ergo motiva incerta & dissimilia nunquam perfectè se elidunt. Tunc autem perfecta elisio vel maximè excluditur, quando motiva sunt dissimilia, & nescitur quodnam sit absolutè potentius, sed virtus utriusque videtur vim alterius excedere. Nihilominùs in hoc etiam casu datur quædam elisio imperfecta, quia unumquodque diminuit vires alterius, cùm singula minùs moveant in contradictione oppositi, quàm moverent si solitariè sumerentur. Talis autem virium diminutio est elisio quædam imperfecta & secundùm quid, sicut perfecta virium extinctio est absoluta & simpliciter dicta elisio.

Libertas opinionis quoad speciem actûs, fundatur in vi motivorum in actu primo non elisa.

23 Porro in hac motivorum dissimilium vi non elisa, quatenus illa se tenet ex parte actûs primi, fundatur libertas opinionis quoad speciem; cùm enim motiva singula impellant ad assensum, & non clarè constet, quodnam absolutè prævaleat, necesse est, ut, accedente affectu & imperio voluntatis, intellectus absolutè amplectatur unum ut verum, & alterum repellat ut falsum. Verùm cùm oppositus affectus, & oppositum imperium elici potuerit à voluntate, perspicuum est, judicium quoque oppositum non minùs subdi libero arbitrio, quàm illud quod hîc & nunc imperatur. Et hoc est opiniones esse liberas quoad speciem actûs, seu, quod in idem recidit, æquè aut minùs probabilia esse opinabilia; quando scilicet verè sunt solùm æquè aut minùs probabilia in actu primo, ita tamen ut nec æqualitas nec excessus clarè percipiatur, nec per judicium comparativum absolutè affirmetur. Tunc enim necesse est, ut accedente affectu ad unam partem, pars illa fortiùs moveat, & probabilior appareat oppositâ. Atque ita demum intellectus ex imperio voluntatis huic præ altero motivo absolutum assensum præbet.

24. Hinc est, quòd unusquisque in similibus absolutè judicare soleat juxta prædominium affectûs ad rem, quam amat, & affectivè pluris facit. Sic Pictor judicat plus artis latêre in sua professione, quàm in arte statuaria; statuarii autem suam artem picturæ præferunt, nec unquam fiet, ut alter alteri cedat, nisi affectum voluntatis mutet. Cùm enim utraque ars sit præstantissima, nec appareat clarè quæ alteri præcellat, unaquæque autem secundùm quid evidenter præemineat alteri, fit, ut unusquisque eam meliorem judicet, erga quam magis afficitur. Itaque in istis perspicuum est, totam judiciorum diversitatem ab affectuum varietate desumi. Ergo quoties motiva contraria dissimilia, quorum excessus non est manifestus, simul insunt intellectui, toties datur motio sufficiens ad alteri parti assentiendum pro arbitrio libertatis.

Inter motiva dissimilia singuli illud præferunt, ad quod magis afficiuntur.

25. Dico secundò *Motiva similia & æqualia si aut evidenter sciantur esse æqualia, aut absolutè reputentur æqualia, perfectè se elidunt in ordine ad movendum intellectum taliter affectum.*

Motiva æqualia & similia, an, & quando perfectè se elidunt?

Probatur. Intellectus consequenter ad talem comparationem nullatenus movetur ad præferendam unam partem alteri; quia quidquid affertur pro una parte, cognoscitur habere aliud æquale & prorsùs simile pro parte contraria. Unde nil est, quòd ullam vim exerere possit. Neque enim tale motivum potest plus movere intellectum, stante simili & æquali motivo in contrarium, quàm pondus libræ potest caput meum premere, quando fulcitur ab alio pondere prorsùs æquali. Totum autem hoc fundatur in perfectè simili, æquali, & commensurata vi illorum motivorum, si ad invicem comparentur.

26. Cæterùm quamvis auctoritates aliquæ sint prorsùs æquales ex parte actûs primi, & habeantur tales ab omnibus qui nullo affectu magis propendent ad unam quàm ad alteram partem contradictionis, nihilominùs illæ non ita se elidunt, ut nullus alteri illorum assensus præbere possit. Eo ipso enim quòd quis magis afficiatur ad personam unam, quàm ad aliam, aut desideret rem ita se habere sicut unus eorum dicit, & aversetur rem ab altero assertam, facillimè determinat intellectum ad illud affirmandum, & credendum quod cupit, ut manifestâ experientiâ constat. In quo casu totus excessus apparentiæ majoris consequitur dictum affectum, ut patet.

Non semper se elidût pro judicio privato.

27. Sed in hoc casu judicium, quod elicitur, non est prudens & rationabile, sed merè voluntarium, & ex passione indebita ortum, ut patet. Unde sequitur, omne tale judicium ineptum esse pro judicio fori externi, quod debet esse tale, ut hominibus nulla passione affectis, sed prorsùs indiffe-

Sed se elidunt quoad judicium publicum.

indifferentibus meritò placere possit. Atque hinc fateor, motiva ejusmodi, similia & æqualia, in ordine ad aale judicium aut sententiam ferendam esse prorsùs inepta, atque sese prorsùs elidere, ita ut nulla illorum ratio magis habenda sit, quàm si nil prorsùs pro talis causæ decisione allatum fuisset. Hoc autem & non aliud præbent tam leges citatæ, quàm auctoritas Augustini hîc à Celladeo perpensa, ut mox constabit.

Leges, & Tribunaliũ praxis probant, motiva dissimilia nõ se elidere.

28. Et sanè praxis Tribunalium, & leges talem praxim præscribentes, totam hanc de motivorum similium & æqualium elisione, déque inæqualium & dissimilium vi, ac de oppositorum judiciorum libertate doctrinam apertè tradunt. Et quidem qui perlegerit *4. quæst. 2. & 3.* & percurrerit titulos *de probationibus, & testibus*, ubique inveniet excessum aliquem semper requiri, ad hoc ut sententia publica feratur. Adeo ut Glossa *in cap. licet causam, de Probationibus*, aliique omnes pro regula indubitata habeant, quòd ubi probationes sunt omnino æquales, res neutri parti judicari, sed lis sorte aut aliqua simili ratione terminari debeat. Hoc autem est probationes illas se elidere, & ita se habere ac si non fuissent prolatæ, saltem in ordine ad judicium fori externi. At si probationes sint inæquales aut dissimiles, ex eisdem titulis æquè manifestum est, judicem, inspecta probationum vi ac qualitate, debere sententiam proferre, ac proinde pariter ex eisdem certum est, tales probationes non se elidere; quia probationis elisæ nulla ratio haberi potest, cùm illa nullatenus movere possit ad assensum. Probatur hoc ex *4. quæst. 2. & 3. cap. si testes.* ubi ex legibus civilibus hæc transumpta habentur. *Sæpe sine publicis monumentis, cujusque rei veritas deprehenditur, aliàs numerus testium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Non ergo ad unam probationis speciem cognitionem statim judex alligare debet; sed ex sententia animi sui existimare, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur.* Similiter in eodem Canone sub initium, *ex lege ob carmen* hæc præmittuntur: *Confirmabitq́, Judex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit.* Ex his constat, utrumque jus supponere, motiva dissimilia non se elidere, nec unum per aliud non evidenter majus elidi; alioquin si una ratio prorsùs eliderecur per aliam, non esset in quo judex deberet motum animi sui confirmare ex iis, quæ probabiliora aut verisimiliora viderentur, quia opposita per hoc ipsum essent prorsùs elisa, nec magis moverent, quàm si non essent, idque independenter ab omni dispositione ac motu animi in judice. Non ergo monendus esset Judex, ut ex animi sui sententia judicet quid sit credendum? Quid ut minùs probatum rejiciendum? Monendus tamen fuit officii sui; norunt enim Sapientes legis-latores, omnem sententiam in hujusmodi casibus ab affectu voluntatis pendere; ac proinde timentes, ne Judices nimis facilè affectui indulgerent, eos monendos censuerunt, ut sincerè rationes considerent, & quantum possunt soli præponderantiæ rationum animum adjiciant. Demum ut nil judicent, nisi quod, omnibus inspectis, rationabilius ac verisimilius reputant. Ex his omnibus constat, motiva utrimque probabilia, & dissimilia non se elidere, ideoque utrumque contra alterum vim movendi retinere; ex quo sequitur, liberum nobis esse utrilibet pro arbitratu assensum præbere, atque etiam ab omni judicio abstinere, & dubitare. Tantum ergo abest ut leges nostræ doctrinæ repugnent, ut illam validissimè clarissiméque confirment.

29. Quòd autem ad allatum ex Augustino locum attinet, evidens est textum percurrenti, quòd S. Doctor omnes illas propositiones alogas, seu irrationabiles, vel inopinabiles, in iis tantùm casibus constituat, in quibus rationes pro utraque parte sunt & habentur prorsùs similes & æquales, quæ proinde ita se elidunt, ut quæstio rationabiliter determinari non possit. Verum notandum omnino est, quod in hoc ipso loco subdit Augustinus; ait enim. *Nos si afferatur aliquid ad defensionem vel mediocriter probabile, admittimus; sed si evidenter confessa causa est, explodendus.* Id est, omne probabile à genere Asistatorum repellimus, & in controversiarum opinabilium classem transcribimus. Ecce Augustinus in hoc ipso loco nobiscum sentit. Et sanè n[illegible] dicas, Augustinum non omnia asistata numerasse, sed mancam divisionem fecisse, ubi ex professo de illis illorumque divisione agit, manifestum est, ipsum sensisse motiva incerta & dissimilia non se elidere, alioquin plures assignare debuisset species asistatorum, quia omnia illa sunt aloga & asistata quæ mutuò se perfectè elidunt, ut patet. At motiva etiam dissimilia & æqualia se eliderent. Ergo constituerent speciem asistati, ab Augustino non positam, utpote qui de iis solùm agit, quæ adeo similia sunt, ut nemo discernere possit verum à falso, aut moveri ad unum potiùs credendum quàm alterum, ideoque in tali casu nunquam videmus quemquam prudentem de talibus judicare. At ubi motiva sunt dissimilia, videmus doctissimos quosque in contrarias sententias abire. Ergo certum est tum ex praxi communi, tum ex mente Augustini, motiva dissimilia non se elidere, sed actu movere intellectum, ac proinde utramque partem contradictionis reddere opinabilem.

Augustinus admittit motiva dissimilia non se elidere.

30. Cæterùm idem sensus Augustini colligitur *ex cap. in Canonicis, distinct. 19.* (quod caput latè expendi contra Mercorum *quæst. 27. de Conscientia probabili, num. 18. & sequentibus*) ubi in fine dicit; *Si autem alias* (Scripturas Canonicas) *invenerit à pluribus* (Ecclesiis) *alias à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri vix possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Ecce hîc sunt duo motiva dissimilia, nempè major multitudo ex una parte, & major dignitas Ecclesiarum ex alia, nec constat, quæ pars simpliciter alteram superet. In hoc casu Augustinus agnoscit talia motiva non se elidere, alioquin singula nullius essent auctoritatis in contradictione partis oppositæ, cùm tamen utraque ejusdem auctoritatis sint ex mente Augustini: ergo Augustinus adversariis nostris certissimè contrariatur, nobisque per omnia consentit. Vide locum proximè citatum, ibi enim ex hoc textu probo, licitum cuique esse usum cujusvis opinionis certò probabilis, quando non constat quænam sit probabilior. Imò ex Augustino ibidem probo, usum opinionis directè minùs probabilis esse licitum, atque ex hoc Canone ostendo, Augustinum reipsa hoc sensisse.

Augustinus expressè agnoscit parem esse auctoritatem contradictionum, quando tituli fidem postulantes sunt dissimiles.

31. His adde Augustinum *Epist. 117. cap. 3.* quem Esparza *in Appendice art. 128.* citat, & appositè ponderat. Quærit ibi Augustinus, an quotidiana communio sit licita? Antequam quæstionem dirimat, utramque sententiam cùm suis fundamentis his verbis proponit. *Dixerit aliquis non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus puriùs homo*

Augustinus docet, praxim contradictoriarũ opinionum esse licitam, prout quisque suã fidẽ & conscientiã format,

homo continentiusq; vivat, quo ad tantum Sacramentum digniùs accedat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Alius contrà: Imò, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quis ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterùm si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus aliquibus homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Hæ rationes sunt manifestè dissimiles. Sunt ergo vel æquales vel inæquales. Si æquales, per Celladeum perfectè se elidunt; si inæquales, major elidit minorem. In primo casu neutra pars esset opinabilis; in secundo, pars tantùm prævalens absoluto judicio affirmari posset. Jam Augustinus eadem de istis motivis sentire deberet, si Celladeo consentiret. At Augustinus longè aliter procedit; agnoscit enim simultaneum motivorum sufficientium vigorem & probabilitatem, & admittit utriusque electionem, & usum esse licitum juxta motum piæ affectionis, per quam quisque determinatur ad credendum, hoc præ illo expedire. Sic enim resolvit casum. *Rectiùs inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quòd secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit, Non sum dignus: Ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consequuti, &c. Sic in ore cujusque Christiani Sacramentum illud quomodò sumatur æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidiè sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus ille, sicut manna fastidium.* Ecce Augustinus censet, utramque hanc opinionem, & praxim, quantumvis una alteri contradicat, esse practicè tutam & honestam, ideoque utramque simul habere probabilitatem practicam, ad conscientiam debitè formandam omnino sufficientem, & per consequens unam non elidere aliam, sed intellectum ex affectu & imperio voluntatis prudenter & laudabiliter flecti posse ad alterutri pro libito assentiendum; & sic hominem licitè ac meritoriè ad praxim accedere juxta rationabile suæ conscientiæ dictamen. Hæc & non alia docet benigna sententia. His dictis circa elisionem motivorum, mirabilis & singularissima quædam Celladei opinio, quam in hac ipsa *quæst. 4. lib. 4.* incidenter tractat, superest examinanda. Sit ergo

Opinio Augustini de quotidiana cõmunione.

ASSERTIO VI.

Celladeus apertè fallitur in proponenda quæstione, de obligatione confitendi peccata dubia. Deinde ad rem tanti momenti determinandam, nullius roboris argumento utitur.

31. PROBATUR. Celladeus *lib. 4. quæst. 4. §. 7.* incidenter loquens de peccatis dubiis, pro veritate comperta asserit, neminem in ullo dubio purè negativo, sive juris sive facti, habere obligationem confitendi peccata: omnes verò in dubio positivo ad ea confitenda obligari. Hæc est singularissima illius opinio de hac re, circa quam Auctores ita divisi sunt, ut pauculi aliqui dixerint, nullam esse obligationem confitendi peccata dubia, sive positivè sive negativè dubia fuerint; alii docuerint, omnia prorsùs peccata dubia clavibus esse subjicienda; plurimi demum quæstionem distinxerint, atque dixerint, peccata negativè dubia ex necessitate confitenda esse, sed de positivè dubiis talem obligationem non dari. At neminem, ni fallor, invenies, qui dicat ita adesse obligationem confitendi peccata positivè dubia, ut nulla vigeat obligatio confitendi peccata dubia negativè. Singularis ergo est Celladeus in hac sua doctrina, quæ certè summi momenti est, cùm ad conscientiarum praxim deserviat, & quod plus est, non ad humanam, sed Divinam legem pertineat.

Celladeus apertè errat in proponẽda quæstione de obligatione cõfitendi peccata dubia.

Doctrinam hanc singularem sic proponit, & probat Celladeus. *Nil occurrit, ut putes te concupisse uxorem alienam. Hic est casus dubii negativi. Iam occurrant magna fundamenta, ut dubites à te concupitam uxorem alienam: magna item, ut dubites, vel credas non fuisse concupitam. Hic est casus dubii positivi, &c. In primo casu nullus remorsibus conscientiæ videtur esse locus, secùs in secundo. Asserimus ergo in primo casu ad nil teneri, & teneri in secundo.* Quid ais Antoni? Casus, quem proposuisti, éstne casus dubii negativi, de quo agunt Auctores? Ostende vel unum, qui sub illis terminis dicat, quemquam obligari ad accusandum se sub dubio de aliena uxore concupita. Sed cùm neminem inveneris, fatere te errasse, & hunc non esse casum dubii negativi. Quid enim? dubitasnè tu, te me interfecisse, quia nulla tibi occurrit ratio, ob quam putes me à te fuisse interfectum? Nónne, absente omni tali ratione, adsunt alia motiva, quibus convictus conscius tibi es, me tibi ne quidem unquam fuisse præsentem? Non ergo dubitas de hoc, ne quidem negativè, ideoque conscientia tua hac de re nullis stimulis agitur. At qui negativè dubitat, conscientiæ stimulis vexatur, quia in statum animæ suæ reflectens, necessariò dicit *fortasse peccavi, fortasse non peccavi.* Ratio est, quia ille solùm dubitat negativè, quia ita pro una parte nullas habet rationes, ut nullas etiam habeat pro altera; quique proinde non potest sibi persuadere, se esse à peccato immunem, eò quòd nullum ad se peccato liberandum fundamentum habeat. Ergo necessariò conscientiæ stimulis agitur, & anxius hæret, utrùm peccarit necne; atque ex quadam necessitate dicit, *fortasse peccavi, fortasse non peccavi.* Hic, Celladee, & non quem tu proposuisti, est casus dubii negativi. Imaginare te in tali casu constitutum, mortique proximum, & dicas, utrùm, nulla te solicitudo veniam à Deo petendi, nulla remedium

Dubium negativum de peccato conscientiã stimulis torquet.

remedium ab eo pro remissione peccatorum stabilitum apponendi urgeret? Profectò video & te, & quemvis cordatum, (ad cujus conscientiam ego contra te appello, sicut tu ad eandem in initio tuæ probationis contra adversarios tuos appellabas) non parum anxium futurum, ne remedium negligendo, æternam suam salutem discrimini committat. Ecce dubium negativum & sollicitudinem secum fert, & conscientiam cruciat. Errasti ergo, Celladee, in proponendo statu quæstionis; nec tantùm in hoc errasti, sed quod plus est, in re tanti momenti, singularem, periculosam, ac minùs tutam doctrinam ponis, eamque argumento evidenter fallaci confirmas, quia aliud non affers, nisi quod ego ex te proposui. Illud autem aliud fundamentum non habet, quàm falsam illam quæstionis propositionem, ut patet.

Quamvis peccatũ sit negativè dubium, tamen obligatio illud confitendi non est negativè dubia.

33. Est & alia æquivocatio in hac re: agitur enim de obligatione confitendi peccata negativè dubia; quæ obligatio non est negativè, sed positivè dubia, cùm plurimæ rationes atque auctoritates suadeant talem obligationem dari, quamvis peccatum ipsum sit purè negativè dubium. Quod cùm ita sit, fieri nequit, quin conscientia æquè stimuletur circa obligationem confitendi peccata negativè dubia, ac circa obligationem confitendi peccata dubia positivè. Neque enim ulla in hac re aut apparet, aut datur diversitas. Atque ex hoc iterum apparet nullitas argumenti, quo Celladeus suam sententiam confirmat; ex eo enim quòd nulla detur ratio dicendi peccatum esse commissum vel non commissum, infert nullam esse rationem, quæ probet obligationem confitendi illud ut dubium, ac proinde conscientiam non esse sollicitam de remedio apponendo, nec remorsu ac timore agitari. Verùm illatio est nulla, & illatum apertè falsum. Lapsus autem iste ex dicta æquivocatione ortum habuit, quia confundit carentiam rationis ad affirmandum pectum cum carentia rationis ad affirmandam obligationem confitendi talia peccata; quæ duo sunt toto Cœlo diversa: & tantum abest, ut carentia rationis pro una parte fundet carentiam rationis pro altera, ut è contrario tam efficacia fundamenta pro obligatione confitendi secum afferat, ut majorem Doctorum partem ad eam obligationem astruendam attraxerit.

Æquivocatio Celladei.

Celladeus non satisfacit argumẽto, quod sibi objicit.

34. Neque hac in quæstione felicior est Celladeus in respondendo, quàm fuerat in arguendo. Sic enim sibi objicit ex Tridentino; *Solùm tenemur confiteri peccata, quæ in conscientia nostra sunt. Dubia autem non sunt; non enim magis sunt quàm non sunt, & propriè loquendo nec sunt, nec non sunt, sed se habent ad utrumlibet, & ad esse, & ad non esse propter æqualitatem fundamentorum.* Huic objectioni, quæ utique vulgaris est, & ab omnibus affertur, sic respondet. *Conscientia accepta est à Concilio juxta communem Scholarum & omnium acceptionem: ex hac autem conscientia alia est certa, alia dubia: quare quæ dicto modo sunt in conscientia, sunt propriè in conscientia dubia pro modo ipsius conscientiæ, cujus esse est ad utramlibet esse.* Admitto nunc responsum, sed illud contradicit singulari ipsius doctrinæ immediatè antea propositæ; scilicet quòd teneamur confiteri peccata positivè dubia, non autem dubia negativè: sic enim insto: Concilium loquitur de Conscientia juxta communem scholarum, & si vis etiam, juxta omnium acceptionem. At communis scholarum acceptio dividit conscientiam dubiam in positivè & in negativè dubiam, quæ distinctio notoria erat Patribus ac Theologis Tridenti congregatis: Et quod plus est nemo negare potest hanc acceptionem, cùm nemo versitur in dubio negativo, quin conscientia ejus torqueatur formidine ne fortè gravetur peccato, & ob illud Deo odibilis existat. Ergo Tridentinum æquè agit de conscientia negativè ac positivè dubia; ac proinde vel omnia vel nulla peccata dubia sunt de necessitate confitenda. Præterea hæc ejus doctrina contradicit alteri opinioni ipsius, quam summopere urget; scilicet tutiora in dubio sub præcepto esse sectanda. Hoc si verum, haud dubiè, peccata negativè dubia necessariò sunt confitenda. Ecce alia contradictio.

Duplex Celladei contradictio.

Secunda ejus contradictio.

35. Sed quia Celladeus miratur, unde fieri potuerit, ut Auctores plus obligationis agnoverint in dubio negativo, quàm in positivo, juvat aliquid addere, ut talis admiratio ab illo, atque etiam ab imperito Lectore removeatur. Ratio hujus diversitatis ea est, quòd nemo in dubio negativo possit formare conscientiam de sua innocentia, quia nullum prorsùs habet fundamentum ad se in sua conscientia justificandum. Ergo tenetur medium adhibere quo justificetur & re ipsa, & in sua conscientia. At adultis baptizatis aliud remedium pro sua justificatione non datur, quàm Sacramentum Pœnitentiæ. Neque enim ipsa contritio perfecta justificat nisi ex vi voti talis Sacramenti, ut definitum est in Tridentino. Ergo dubius negativè non habet aliud medium ad se in sua conscientia coram Deo justificandum, quàm si aut contritionem perfectam eliciat, aut ad Confessionem accedat. Sed neque contritio eum justificat nisi vi voti de Sacramento. At votum illud aliud non est, quàm obligatio utendi ipso Sacramento, & propositum efficax talem obligationem implendi. Ergo datur obligatio confitendi peccata negativè dubia. E contrà non est tanta tamque inevitabilis necessitas confitendi peccata positivè dubia; eo ipso enim quòd sint positivè dubia, potest homo conscientiam suam formare, atque seipsum in conscientia sua coram Deo justificare, eliciendo actum, quo probabiliter credat, se non esse reum peccati, quo judicio stante non obligatur ea remedia opponere, quæ alter tenetur adhibere. Alter enim ad hanc justificationem suæ conscientiæ venire non potest, nisi mediante Sacramento in re vel in voto. At qui positivè dubitat ad hunc finem pervenire potest, etsi Sacramento non utatur. Itaque ratio probans necessitatem confitendi peccata dubia longè fortiùs urget pro peccatis negativè, quàm pro positivè dubiis. Dantur enim rationes & quidem valdè probabiles excusantes pro dubio positivo, quæ dubio negativo applicari non possunt. E contrà verò nil affertur pro obligatione confitendi peccata positivè dubia, quod ex æquo aut à fortiori non urgeat pro obligatione confitendi peccata dubia negativè.

Unde oritur major obligatio confitendi peccata negativè dubia, quàm dubia positivè?

36. Et sanè qui attentè legerit Auctores, asserentes unam, & negantes alteram ex istis obligationibus, inveniet eos communiter eò recurrentes, quod in dubio positivo (si illud sit verè probabile, de quo solùm loquuntur) homo rationabiliter possit præsumere, & existimare quòd non peccaverit, & consequenter quòd non teneatur, ne quidem sub dubio, se talis peccati reum agnoscere; cùm verè ampliùs de malo suo statu non dubitet, sed judicio probabili, rationabili, ac invincibili se talis criminis

Ratio allata est quæ ab auctoribus cõmuniter affertur.

nis purum coram Deo inveniat. Cæterùm si homo in eo casu non uteretur hujusmodi præsumptione, nec judicium aut expressè aut virtualiter tale eliceret, paucos, nî fallor, invenies, qui talem hominem ab obligatione positivè dubia confitendi liberet, modò agnoscat peccata negativè dubia ex necessitate esse confitenda. Ratio est, quia in tali casu æqua est conditio conscientiæ utriusque, quia utraque manet dubia, neutra se justificat. Ergo utraque ex æquo obligatur ad remedium quærendum, quod aliud non est, stante tali dubio, præter Sacramentum in re vel in voto. Cæterùm non omnes videntur requirere, ut positivè dubius tali judicio explicito dubium deponat, cùm sufficere videatur, si æquivalenter illud eliciat, existimando se habere sufficientem rationem ad tale judicium eliciendum, ac proinde præsumere posse, se liberum esse obligatione, quæ urgeret, si talis ratio deesset, atque posse perinde se gerere, ac si tale judicium eliceret; cùm præsto sint media ad illud eliciendum, si voluntas suo imperio flectat intellectum ad assensum. Et sanè ipse Celladeus, nî fallor, eandem doctrinam tradit; indicat enim nos non obligari ad confitenda peccata positivè dubia, si dubium per discursum positivè, ut appellat, probabilem deponatur, quamvis adsint rationes in contrarium. At aliud non docent, quos hîc impugnat tamquam inconsequenter loquutos, quia nolunt quemquam excusare ab obligatione confitendi peccata dubia, si illa semper dubia manserint; sed solùm quòd liberentur à tali obligatione in dubio positivo, si, ex vi rationum probabiliter probantium suam innocentiam, dubium deponant, seque peccati immunes rationabili judicio reputent; sed quia judicium istud elici nequit in dubio negativo, ideo in illo obligatio confitendi premit sic dubitantes. Consideret hæc Celladeus, & fortassis admirationem ponet, & mirabitur, se, ex inconsideratione doctrinæ tam obviæ tamque fundatæ, miratum fuisse, & homines doctissimos solidè discurrentes ex nimis levi fundamento inconsequentiæ arguisse.

Celladeus idem docet, ob quod alios redarguit.

ASSERTIO VII.

Celladeus in hac singulari sua opinione, sibi in hac ipsa quæstione peculiariter contradicit. Præterea eandem incurrit censuram, quàm aliis inurit.

Celladei cõtradictio.


37. PROBATUR prima pars. Dubium positivum juxta principia Celladei in hac quæstione coïncidit cum dubio negativo; quoties enim motiva contraria sunt æqualia, toties perfectè se elidunt; & consequenter intellectus vi illorum non aliter se habet, quàm si omni motivo careret. Hoc autem est dubium positivum coïncidere cum negativo in ordine ad movendum intellectum, & conscientiam stimulandam. Ergo impossibile est, quòd major sit obligatio, aut titulus confitendi talia peccata, quàm peccata negativè dubia. Et tamen ex prætensa diversitate contendit, illa esse, hæc non esse, confitenda. Rursus major est ratio confitendi peccata negativè quàm positivè dubia, saltem quando motiva pro peccato sunt minora, quàm pro non peccato; tunc enim motiva pro peccato perfectè eliduntur, sed opposita non eliduntur. Ergo tunc plus est pro innocentia, quàm in casu dubii negativi. Contradictio ergo est nos universaliter obligari in casu dubii positivi, & nunquam in casu dubii negativi.

Alia Celladei contradictio.

38. In alio etiam apertiùs sibi contradicit. Ait enim æqualia motiva ab æqualibus, & minora à majoribus perfectè elidi. Rursus asserit, peccata in casu dubii positivi esse confitenda, quia motiva in tali casu pungunt & mordent conscientiam. Hoc secundum verum est, sed contradicit priori, quia motiva, quæ pungunt & urgent, non sunt motiva mortua & elisa. Ergo simul asserit eadem motiva esse & non esse elisa; in quo non minùs apertè contradicit sibi, quàm si dixisset, hoc ens esse animal rationale, sed non esse hominem; quia de eisdem motivis dicit ea habere definitionem & essentiam motivi non elisi, & tamen asserit ea simul esse perfectè elisa.

Incidit in propriã censuram aliis illatam.

39. Probatur secunda pars. Qui in re ad conscientiam spectante absque efficaci ratione invehit novam doctrinam, eamque minùs tutam, periculosè agit; maximè si per transennam tantùm rem illam tractet, eamque levi argumento confirmet. Hoc verum est, & est principium, quo ille utitur adversus Casuum Collectores, aliosque, quos contendit à peccato non excusari, si errent, &c. At hæc omnia in ipsum quadrant, quia in quæstione hac, quam merè per transennam tractat, ex levissimo ac nullo prorsùs fundamento contra omnes opinatur, sectaturque partem minùs tutam in re summi momenti, ad jus Divinum & ad medium ad justificationem requisitum spectante. Ergo incidit in censuram, quàm aliis inussit, nec in propriis principiis excusari potest. Nec tamen eum ego peccati arguo, existimo enim eum aliunde excusatum.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-TERTIA.

Utrùm per ipsum non invenire veritatem satis solvantur dubia conscientiæ?

1. HUNC titulum *quæst. 6. libri 4.* præponit Celladeus, in qua nobiscum maxima ex parte consentit, ponitque assertionem, per quam destruit, quod antea ædificaverat, suæque priori doctrinæ reipsa contradicit. Hoc ut clariùs probem, simulque quæstioni propositæ respondeam, sit

ASSERTIO PRIMA.

Quando non inventio veritatis fundat ejusdem inventionem, dubia conscientiæ rectè solvuntur per ipsam non inventionem.

Non inventio aliquando solvit dubium.

2. HANC assertionem Celladeus ponit, & sic bene probat. Unica & recta dubii solutio est inventio veritatis dubitatæ. Ergo si quis ex non inventione veritatis possit rectè existimare, *si fuisset, invenirem*, utique ex non inventione invenit veritatem, & dubium solvit. Sic enim arguit. *Si fuisset invenissem. Non inveni. Ergo non est.*

Non inventio post debitam diligentiam, solvit dubiũ in materia juris.

3. Hæc assertio, ut jacet in terminis, vera est. Sed, nisi explicetur juxta communem doctrinam, inutilis est ad praxim, quia nondum traditur regula, aut indicatur modus cognoscendi, quæ demum & qualis esse debeat non inventio, ut per ipsum non invenire veritatem veritas inveniatur. Communis utique opinio est, quòd in materia juris & legum obligatio cesset, quando post sufficientem diligentiam veritas non invenitur. Ratio est, quia non inventio veritatis ejusmodi post sufficientem diligentiam fundat sufficientem ejusdem inventionem. Rectè enim sic arguetur. Si lex talis lata & sufficienter promulgata fuisset, utique veritas talis legis inventa fuisset per sufficientem diligentiam adhibitam. At lex per talem diligentiam non invenitur fuisse lata, nedum promulgata. Ergo vel non est lata, vel non est sufficienter promulgata & proposita. Ergo cessat obligatio; quia lex non lata, aut, si lata, non sufficienter promulgata, nullam obligationem inducit.

Sed in materia facti universaliter non solvit dubium.

4. E contra in materia facti, universaliter loquendo, dubia conscientiæ non rectè solvuntur per non inventionem, etiam post exactam diligentiam; quia sæpissimè ex non inventione illa formari nequit rationabile judicium, quòd factum illud non extet, quamvis veritas illius etiam per summam diligentiam non inveniatur. Hinc est, quod Theologi, qui universaliter loqui, & generales pro moribus formandis regulas ponere solent, aliter de dubiis circa jus, aliter de dubiis circa factum loquantur. De illis universaliter enunciant, quod dubium per non inventionem post debitam diligentiam rectè solvatur. De istis è contrario dicunt, talem non inventionem universaliter non sufficere, quia per illam, sive solam, sive cum aliis principiis conjunctam, veritas non invenitur.

Disparitas in jure & in facto, in ordine ad arguendum à non inventione.

5. Doctrinam hanc Celladeus hoc loco approbat, quia expressè docet, omnem legem, sive naturalem sive positivam divinam, esse reperibilem ab eo, qui sufficientem diligentiam adhibuit; ideoque concludit, veritatem in eo casu per non inventionem inveniri. At loquendo de rebus facti aliter enunciat, & verum est quod dicit, nempe veritatem facti, universim loquendo, erui non posse per hoc, quod per sufficientem diligentiam non inveniatur. Disparitas est, quia leges sunt universales, perpetuæ vel diuturnæ, & fixæ. Contra verò facta sunt particularia, contingentia, varia. Unde in illis, non in istis, veritas ex ipsa non inventione eruitur. Hæc prosequitur Celladeus, & hanc diversitatem benè illustrat, ostenditque legem ex sua natura scibiliorem esse quàm factum. Tamen bene observat, factum esse posse tale, ut aliquando ex illius post debitam diligentiam non inventione veritas ipsa sufficienter inveniatur. In tali autem casu, dubium conscientiæ etiam in rebus facti benè solvitur per non inventionem. Sic dicimus, scrupulosos non obligari ad repetendum seu dicendum Psalmum vel Horam, de quibus dubitant, an ea recitaverint; quia in talibus non memoria de recitatione arguit recitationem extitisse. Scrupulosi enim in hac materia rarò aut numquam horam omittunt, quin probè sciant, se illam non recitasse. Itaque tales ex sola non inventione non recitationis rectè & probabiliter inferunt, eam non contigisse, sed recitationem factam fuisse. Aliter dicendum de non scrupulosis; illi enim potiùs inferunt non recitationem, si non meminerint recitationis, quia rarò contingit eos dubitare de recitatione, si verè recitaverint.

Non inventio utilis est scrupulosis ad conscientiam formandam: etiam in materia facti.

Error Celladei.

6. Ex his concludit Celladeus, obligationem in istis casibus non ex eo cessare, quòd simus in dubio, & in dubio possessio stet pro libertate, (alioquin conscientia dubia numquam obligaret, quod est contra omnes) sed quia ex non inventione, post sufficientem diligentiam, *rectè concludimus* (sunt verba ipsius) *vel legem non existere, vel si humana est, non fuisse sufficienter promulgatam.* Hæc doctrina vera est, quoad secundam partem, sed quoad primam est falsa; obligatio enim in hoc casu ex eo etiam cessat, quòd in materia juris possessio stet pro libertate, quæ

propter hoc ipsum excusatur, quod, post sufficientem diligentiam, nullam obligationem restringentem invenerit, & ex hoc ipso argumento rectè concluditur negatio obligationis, etsi intellectus ad aliud non respiciat. Sed quid? Sequitur ne hinc, conscientiam dubiam numquam obligare? Ita quidem contendit Celladeus; sed fallitur, quia aliquando possessio non favet libertati; sed legi, ut plerumque evenit in rebus facti. Ergo ex hoc quòd in materia juris titulus possessionis libertati faveat in dubio, quando veritas per debitam diligentiam non invenitur, non sequitur, conscientiam in omni dubio ex titulo possessionis formari posse. Præterea conscientia dubia semper quidem obligat ad tutiora, sed tunc solùm obligat, quando manet dubia. Quod si dubium tollatur, tunc sicut conscientia non ampliùs manet dubia, ita nec manet conscientiæ dubiæ obligatio.

Mala Celladei illatio.

ASSERTIO II.

Non inventio veritatis non sufficit ad solvendum dubium conscientiæ, nisi veritas de non obligatione legis per eam non inventionem aliquo modo inveniatur.

7. PROBATUR. Nisi homo in dubio constitutus, tandem inveniat se non obligari, judicetque opus esse licitum, proculdubio peccat. Ergo non inventio veritatis nunquam sufficit ad deponendum dubium, nisi homo per eam tandem inveniat veritatem de non obligatione. Porro dum agimus hîc de veritatis inventione, non loquimur de certa & evidenti ejusdem persuasione (hæc enim in rebus moralibus non requiritur) sed sufficit judicium probabile, quo res absolutè credatur esse licita; per ejusmodi enim judicium conscientia rationabiliter ac inculpabiliter formatur, dubiumque deponitur, ut patet.

Non inventio veritatis qualis esse debeat?

8. Cæterùm in eo valdè displicet Celladeus, quòd doctrinam hisce assertionibus contentam, & à se etiam pro vera habitam; tali restrictione limitet, ut ea pro conscientiarũ directione ac pro praxi nil valeat. Asserit enim paucos esse, qui vel probabiliter dicere possint, se sufficientem diligentiam adhibuisse. Unde infert, non satis esse Confessorem aut Theologum adiisse, aut rusticos Parochum consuluisse, quia non quivis Theologus, aut Confessarius, vel Pastor facit assertum suum probabile; alioquin non esset, cur Episcopi sufficientes adhibere tenerentur, quia quivis sufficeret. Præterea quilibet Parochus esset regula indefectibilis morum, & non culpæ; quod ait absurdum esse ex iis, quæ *lib. 1. quæst. 7.* tradidi.

Rigidissima Celladei opinio.

9. Displicent hæc inquam, quia quamvis non omnis Theologus, aut Parochus, vel Confessarius semper reddat suam opinionem probabilem, quando illa scitur esse nova, aut contra torrentem aliorum, vel videtur Scripturæ aut bonis moribus, vel fidei contraria, &c. tamen quando Theologi, Parochi, aut Confessarii communiter habentur sufficientes & apti suo muneri, indubitanter dico, assertum talis viri in dubiis communibus esse intrinsecè probabile, maximè respectu idiotarum; quia haud dubiè idiotæ talem regulam sequentes plerumque non errant; siquidem talium virorum responsa plerumque vera sunt. Ergo qui talem regulam sequitur, ubique sequitur regulam verè & positivè probabilem, etiam in sensu Celladei, qui proinde hac in re propriæ opinioni contradicit.

Impugnatur dicta opinio.

Et sanè quis non videt, rusticos ad Parochum sibi præpositum recurrentes (maximè quando publicè habetur vir sufficientis doctrinæ) suæ obligationi satisfacere? Nónne ad eos accedunt, quos Deus pro conscientiarum directione ipsis præposuit? Quid ergo ultra requiritur ut agant? An ut ad civitates recurrant, Doctorumque collegia pro suorum dubiorum solutione congregent? Nil hoc absurdius cogitari potest. Ergo hoc sufficit, nisi fortè aliquando ob peculiares quasdam exceptiones Parochus vel Confessarius doctrina vel probitate sufficienti carere præsumeretur.

Celladei cõtradictio.

10. Quòd autem dicit de Episcopis, contra ipsum facit; nam illi hac ipsa de causa tenentur curam adhibere, ut viros ad populum erudiendum sufficientes in animarum Pastores promoveant. Ergo rudes, eo ipso quòd Episcopos suo munere rectè functos rationabiliter præsumant, & possunt & debent suis pastoribus fidem dare, quando in dubiis suis eos consulunt; nisi adsit peculiaris aliqua exceptio, eò quòd Pastor dicat aliquid contra receptos Ecclesiæ mores, vel aliquid prorsùs inauditum, quod fidei, aut bonis moribus contrarium videatur. Hinc evidenter sequitur, Parochos vulgares non esse indefectibiles in moribus regulandis, cùm ipsi non solùm errare, sed tam exorbitanter errare possint, ut fideles, etiam idiotæ, illis fidem negare teneantur. Cæterùm infallibile est, subditos sequentes doctrinam suorum Parochorum excusari, quando bona fide dictis illorùm fidem habent, nec adsunt circumstantiæ, ob quas meritò dubitent an suo officio ritè fungantur. Et sanè totum hoc sequitur ex ipsa Celladei doctrina, quia rudes, taliter bona fide ex Confessarii consilio operantes, sequuntur regulam plerumque non errantem. Cùm ergo bona fide procedant, nec ullam dubitandi causam habeant, haud dubiè excusantur, quia vel non errant, vel, si errent, invincibiliter errant. Porro de nullitate prætensæ illius infallibilitatis in quocumque Doctore, fusè actum est supra *quæst. 14.*

Argumentum contra ipsum facit.

ASSERTIO III.

Doctrina Celladei hic tradita contrariatur assertionibus & rationibus, quas antea tradidit tamquam potissima præcipua suæ opinionis fundamenta.

11. PROBATUR. Auctores benignæ sententiæ in eo potissimùm fundantur, quòd quamvis intellectus, stante æquali probabilitate directa de honestate & inhonestate rei, non assurgat, neque si illa æqualitas affirmetur assurgere possit ad formandam conscientiam ex vi talis probabilitatis; nihilominùs idem intellectus ex vi principiorum reflexorum assurgere potest ad conscientiam formandam, & ad concludendũ, nullam esse obligationem abstinendi ab opere, sed illud licitè poni posse. Assignamus autem varias vias, quibus quæstio hac ratione determinari, & cõscientia rationabiliter formari potest. E contra Celladeus doctrinam hanc *lib. 3. quæst. 9.* & alibi sæpe rejicit, contrariamque ut valde fundamentalem exaggerat, eò quòd nullus dari possit locus hujusmodi discursui reflexo, quando veritas directè determinari nequit. Hîc autem veritate convictus, nullo cogente, fugit ad discursum reflexum, & ex eo expressè asserit conscientiam ritè formari, quamvis ex vi considerationis directæ res maneat dubia.

Celladei contradictio.

dubia, & veritas inveniri non possit. Sic enim arguit. *Si fuisset veritas, invenissem. Non inveni. Ergo non est.* Hic discursus planè reflexus est, nec alium ad suam assertionem firmandam adhibet. Ergo & in modo arguendi, & in absoluta contrariorum traditione sibi ipsi repugnat, & contradicit.

Alia Celladei contradictio.

12. Rursus sententia benigna in eò etiam principaliter fundatur, quòd, in casu paris probabilitatis directæ pro utraque parte contradictionis, lex aut non existat, aut non sit sufficienter promulgata; quæ ratio est adeo patens & efficax, ut veritatem prorsùs evincat. Hanc doctrinam Celladeus maximo conatu impugnat *lib. 3. quæst. 8.* & alibi; magnumque suæ doctrinæ præsidium in hujus nostri fundamenti impugnatione collocat. Et, quod plus est, *in hac ipsa quæst. §. 2.* vult talem non promulgationem non habere locum, etiam in casu, quando lex per sufficientem diligentiam non invenitur; nam tota quæstio procedit ex suppositione debitæ diligentiæ adhibitæ. Expressè enim sic concludit. *Ergo non inventio fundat inventionem. Illud porrò de lege non satu promulgata explosum est lib. 3. & de lege naturæ & divina explodetur latè parte 2.* Vult ergò promulgationem non habere locum in hac quæstione, idque vel universaliter, vel certè restrictè ad legem humanam; quia si sermo restringatur ad legem divinam aut naturalem, expressè dicit, se de illis nondum egisse, sed pollicetur, se latè acturum *parte 2.* Et tamen ac si nil horum aut dixisset, aut cogitasset, paulò post in eodem §. disertè concludit, *obligationem* in casu præsentis quæstionis *cessare quidem, non quia sumus in dubio* (sunt verba ipsius) *& in dubio possidet libertas, ut quidam loquuntur; sed quia ex facta diligentia & non inventione rectè concludimus, vel legem non esse, vel si humana est, non fuisse satu promulgatam.* Ecce tandem expressè fatetur, argumentum à non inventione veritatis post diligentem indagationem rectè probare, legem humanam aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse. At hoc est, quòd nos etiam dicimus, & in quo fundamur. Et tamen hoc ipsum est, quod ipsemet *in hac quæst.* paulò ante rejecerat ut insufficiens, & explosione dignum; nam ex contextu apparet, quod explosio doctrinæ de lege non promulgata, de qua loquutus est *lib. 3.* sumi debeat universaliter, aut certè restrictè ad legem humanam. At quocumque modo sumatur illa ejus doctrina, maximè illa, quam ultimo loco hic adducto proponit, nimis apertè prioribus contradicit; quia particulare affirmatum non solùm contradicit eidem particulari negato, sed etiam contradicit propositioni universaliter neganti quod illa particularis asserit.

Argumentum a non inventione ad non promulgationē æque valet in omni lege.

13. Cæterùm errat Celladeus, si putet, argumentum hoc valere quidem in lege humana, non autem in lege divina & naturali; nam potiùs è contrario vim habet in illis; maximè quando veritas à multis probisque viris diu quæsita fuit. Ratio est, quia jus naturæ ita nobis inditum est, ut facilè innotescat; ideo enim dicitur jus naturæ, quia solo naturæ lumine innotescit. Ergo si viri docti & probi diu quærant legem ejusmodi, & non inveniant, manifestè præsumendum est, talem legem aut non existere, aut nobis satis promulgatam non esse. Ergo ex non inventione post factam diligentiam hæc veritas invenitur, *Quod lex ejusmodi aut nulla sit, aut non sit nobis sufficienter declarata & promulgata.*

Lex positiva divina non est cognoscibilior lege humana.

14. Idem valet de lege divina positiva, quæ non est faciliùs reperibilis, quàm lex humana; quia nec in se, nec in modo suæ promulgationis est nobis notior, quàm lex humana. Non est notior in se, sed potiùs minùs nota, cum plerumque sit de objectis minùs notis, minúsque discernibilibus, quam lex humana. Non in modo suæ promulgationis, quia illa utrobique perficitur per homines humanis vocibus utentes. Voces autem illæ in utraque lege eisdem æquivocationibus & exceptionibus subjacent, ut patet. Unde videmus Auctores pios & peritos non minùs dissentire de legibus positivis divinis, quàm de humanis. Præterea leges humanæ scripto traduntur, & in codicem rediguntur, ex quo facilè est ipsam legem originalem, aut copiam authenticam habere. E contrario, divinæ leges, quando primùm declaratæ fuerunt, oretenus tantùm, & non ex scripto traditæ sunt; eædemque eodem modo etiamnum tradi solent infidelibus, quando ad fidem convertuntur. At iste modus tradendi & cognoscendi leges ex se majori erroris & ignorantiæ periculo subjacet, quàm quando leges omnes sunt scriptæ, & in codice continentur. Ergo lex divina positiva non est magis reperibilis quàm humana. Ergo malè asserit Celladeus hanc posse, illam post debitam diligentiam adhibitam ignorari non posse. Vel enim utraque, vel neutra, vel, si ulla diversitas sit, potiùs divina quàm humana ignorari potest post debitam diligentiam. Ergo ex non inventione post debitam diligentiam tam de lege divina positiva quàm de humana rectè concluditur, quòd aut non existat, aut sufficienter promulgata & declarata non fuerit.

15. Hæc dicta sint ad *quæst. 6.* Omittam autem examinationem *quæst. 7.* quia ad rem præsentem non videtur quidquam conducere. Quare ad alia progrediendum est.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-QUARTA.

Vtrùm, & qua ratione pars tutior in dubiis sit eligenda?

1. CONTROVERSIAM hanc ex professo tractat Celladeus *lib. 4. à quæst. 8. inclusivè ad 14. exclusivè*, ubi multa contra benignam sententiam, ac ipsam veritatem congerit. Meum erit eum comitari, atque ejus errores, more meo, positis assertionibus redarguere.

ASSERTIO PRIMA.

In omni dubio practico tutior pars ex præcepto tenenda est.

Dubium practicum quid?

2. DECLARATUR assertio, in qua omnes conveniunt. Dubium practicum tunc est, quando homo dubitat de aliqua actione; utrùm sit vel non sit peccatum, seu contra legem, & non habet rationem, per quam, dubio deposito, credat rem esse licitam. In hoc casu dicimus, unumquemque obligari ad partem tutiorem amplectendam. Pars autem tutior est illa, in qua nullum esse potest peccatum. Hæc est pars tutior quoad se; illa autem est pars tutior quoad nos, in qua nullum peccati periculum apparet. Celladeus eam etiam partem tutiorem appellat, in qua est minùs malum seu peccatum quàm in parte opposita. Sic quando occurrit necessitas materialiter violandi duas leges, pars tutior est quæ minus malum continet. Verùm hæc ejus acceptio non minùs falsa est, quàm singularis; quia in eo casu neutra pars est tuta quoad nos. Cùm enim duæ leges exigentes contraria pro iisdem circumstantiis non existant, certum est, unam tantùm legem urgere pro tali circumstantia. Non constat autem potiùs unam quàm alteram ex illis vigere. Ergo de nulla dicere possumus, quòd hæc sit tutior, quia fortasse non illa sed solùm opposita lex existit, & verè violatur. Itaque in tali casu neutra pars est tuta, ut patet. Ergo neutra est tutior. Non tamen nego alteram esse præferendam quoad nos, sed illa non præfertur titulo sequendi partem tutiorem, sed ex alio principio notissimo, scilicet, quòd ex duobus malis collectivè inevitabilibus minus sit eligendum. His pro intelligentia quæstionis præmissis.

Pars tutior quæ?

Celladei error.

Tutior pars semper tenenda est in dubio practico.

3. Probatur 1. ex Apostolo ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Sensus est, omne quod non fit ex persuasione conscientiæ dictantis rem esse licitam est peccatum, ut communiter exponitur. At nulla ejusmodi fides elicitur, stante dubio practico. Ergo, &c.

Probatur 2. *ex 3. Eccles. Qui amat periculum peribit in illo.* Atqui amat periculum, qui in dubio mali operatur, quia temerè se exponit periculo offendendi Deum, & quidem ipsemet clarè advertit periculum, atque vel explicitè & formaliter, vel implicitè & virtualiter judicat illud adesse, cùm nullum habeat judicium de honestate operis, sed actu de illa dubitet. Ergo voluntariè eligit periculum. Ergo perit in illo, & peccat.

Probatur 3. ex multis locis Juris Canonici, potissimè verò *ex cap. ad audientiam*, ex *cap. significasti 2.* & *ex cap. Petitio sua; de homicidio*, ubi aut expressè traditur, aut supponitur, quòd in dubio pars tutior sit tenenda. At hoc si ullibi locum habet, habet illum maximè in casu præsenti, quando homo est practicè dubius de honestate sui operis. Ergo, &c.

4. Probatur 4. ratione. Lumine naturæ notum est, quòd nemo ponere possit operationem, de qua dubitat an sit offensa Dei, quin Deum Deique legem parvi faciat, & quodammodò contemnat. At omnis Dei divinæque legis contemptus est peccaminosus. Deus enim summus sui honoris zelator est, & in nullo contemni ac offendi vult, quamvis minima ejus offensa maxima secum bona ferat. Ratio est. Quia Deus bonorum nostrorum non eget; ideoque ob nullum bonum suo honori cedit, sed semper vult summum sibi respectum deferri, utpote quo infinitè dignus est. Hanc Dei dignitatem qui considerat, simulque reflectit Deum bonis nostris non egêre, sed omnia respectu illius momento stateræ comparari, ac verissimè nullius momenti esse, statim percipiet, jure naturæ illicitum esse, quòd quis, stante dubio practico, partem minùs tutam eligat, quia Deum Deique offensam parvi pendit. Datur ergo lex reflexa certa & indubitata, quòd in dubio practico de offensa Dei tutior pars semper sit tenenda. At in amicitia humana lex illa reflexa non videtur esse tam universalis, cùm in aliquo casu talis actio non possit verti contemptui, sed potiùs æstimationi ac amori amici, ut fusiùs ostendi. *in quæstione 18. de Conscientia probabili.* Alia non affero in re tam certa.

Contemnit Deum qui in dubio practico operatur.

ASSER-

ASSERTIO II.

Ex hac doctrina de dubio practico non sequitur, illicitum cuique esse ex duabus opinionibus æquè probabilibus sequi minùs tutam, quamdiu paritas illa ab operante admittitur.

Æqualitas probabilitatis agnita dubium inducit si non utamur discursu reflexo, aliter non.

5. ASSERTIO hæc est contra Celladeum hîc *quæst.* 8. §. 3. & 4. ubi contendit, easdem prorsùs rationes æqualiter urgere in casu duarum opinionum quæ habentur æquè probabiles, ac in casu dubii; illasque proinde vel nil concludere in casu dubii, quod omnes negant, vel etiam locum habere in omni casu æqualitatis. Hac declaratione præmissa, probatur assertio. Quando loquimur de opinionibus æquè probabilibus, quæstio dupliciter institui potest: primò ut sermo restringatur ad directam tantùm considerationem rerum, omissa omni prorsùs investigatione reflexa: secundò, ut posita æqualitate directa inter probabilitates opinionum sibi contrariantium, accedat quæstio reflexa, utrùm, dicta æqualitate non obstante, liceat sequi partem minùs tutam. In primò casu, doctrina dubiorum transferri debet ad casum opinionum æquè probabilium, quando illæ post comparationem actu creduntur esse æquè probabiles, quia æquè in utroque casu bona fides formari non potest, & consequenter intellectus æquè in utroque practicè dubitat. At in secundo casu perspicuum est, nullum esse locum dubio in iis, qui benignam sententiam sequuntur, ut mox dicetur uberiùs. Doctrinam hanc sæpius ac fusè tradidi *in tractatu de Conscientia probabili*, ubi etiam ostendi, omnes Auctores tam antiquos quàm recentiores hanc doctrinam aut expressè tradere, aut apertè supponere. Nominatim autem Auctores antiqui, Henricus, Adrianus, Conrardus, aliique (quos §. 4. ex Tannero Celladeus citat, ac si absque ulla distinctione dicerent, homines in omni casu æqualitatis teneri ad tutiora) loquuntur solùm de ultimo ac finali judicio, dicente utramque partem esse æquè probabilem, præscindendo à quæstione reflexa, determinante quæstionem ad unam partem, cui ut probabiliori inhærent. Eodem sensu loquuntur recentes illi, quos adjungit, nempè, Comitolus, Philalethus, Mercorus & Fagnanus, ut fusè ostendi locis citatis. Sed nescio qua ratione hanc opinionem Celladeus affingat Cardinali Pallavicino, quasi verò ipse doceret, quòd si omnes regulæ, etiam reflexæ, considerentur, non liceat sequi ex opinionibus æquè probabilibus minùs tutam; dicit enim eum ab hac sententia parum abesse, cùm certò constet, Auctorem illum disertè & in terminis expressis docere, quòd ex opinionibus æquè probabilibus liceat sequi minùs tutam.

Auctores quos citat, aliter loquuntur quàm ipse sentit.

Æqualitas motivorũ directè probantiũ non infert dubium practicum.

6. Cæterùm quæstio præsens non procedit in hoc sensu, expressè enim loquimur de consideratione reflexa, juxta quam supponimus quæstionem ita determinari, ut intellectus absolutè asserat, usum opinionis minùs tutæ esse licitum, quamvis opposita opinio tutior, directè loquendo, sit æquè probabilis ac ista. Jam in hoc sensu evidens est, argumenta allata pro casu dubii locum non habere. Hic enim inprimis bona fides formatur. Secundò operans non cōmittit se periculo, nec legem Dei parvi facit; quia per absolutum judicium existimat se juxta legem operari, & periculum, quod alioquin ab operante timebatur, judicialiter ac bona fide à sua conscientia removet. Ergo ex doctrina allata de dubio non sequitur, usum opinionis æquè probabilis directè, sed minùs tutæ, esse illicitum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò, vel potiùs petes, an intersit in dubio legem reipsa ac materialiter violari, an non? Rursus petes, an aliquem se talis violationis periculo exponere sit amare periculum, an non? Si neges, contra est, quia inde sequeretur, operantem in dubio non peccare, quia nulli periculo, quod intersit, se committit; & si legem violet, violatio illa est solùm materialis. Si affirmes, idem debes dicere de usu opinionum, quando illæ sunt æquè probabiles, nam per æqualitatem illam opinionum non magis habetur legem illam non adesse, quàm per conscientiam practicè dubiam. Ergo eadem est ratio excusans vel aggravans in utroque casu. Objectio 1.

Confirmatur. Regula operandi, fundata in æqualitate opinionum, est regula, quæ ex se non magis habet conformari cum lege quàm ab illa discordare, & in opinione minùs probabili, habetur magis discordare. Et tamen per te hæc regula sufficit ad honestatem. Ergo Conscientia practicè dubia erit regula sufficiens ad honestatem, quia illa est eodem prorsùs modo indifferens, nec aliud malum habet, quàm istam indifferentiam. Ergo utrobique par ratio, par temeritas, vel certè par non temeritas. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo 1. Objectionem ad rem non facere, quia nos solùm loquimur, pro casu, in quo vi considerationis reflexæ, deposito dubio concludimus opus esse licitum. Ergo objectio non impetit opinionem benignam, sed imaginatur & fingit adversarium, ubi non est. Non tangit difficultatem.

8. Respondeo 2. Objectionem istam fundari in æquivocatione legis verè exerentis vim legis, & legis vocaliter dictæ, quæ vim suam non exerit, nec obligat. Ut hoc constet, peto à Celladeo de qua lege loquatur, quando interrogat, an, quando homo operatur in dubio, intersit legem materialiter violari an non? Loquitúrne de lege illa dubia, an de aliqua alia non dubia? Si de lege dubia, & veritati & sibi etiam ipsi contradicit. Veritati quidem, quia lex illa respectu operantis est solùm lex vocaliter dicta, nec ullam habet vim arctandi aut obligandi, cùm non magis obligemur in illo casu, si lex illa existat, quàm si non existat. Æquè enim peccat homo operans in dubio practico, sive lex dubia existat, sive non existat. Atqui lex dubia non existens non potest exerere vim legis, & verè arctare conscientiam. Ergo neque lex dubia, quamvis existat; quia non magis applicatur potentiis animæ, quàm lex non existens. Itaque qui operatur in dubio peccat, non quia violat legem dubiam, quæ absque dubio sæpissimè non existit, & ideo violari non potest, cùm nequeat obligare; sed quia violat legem reflexam certam & indubitatam, quæ actu existit, atque vires legis obligantis exerit. Hæc lex est voluntas, qua Deus prohibet, ne operemur partem minùs tutam, stante dubio practico, & innotescit nobis per lumen naturæ, quo veritas hæc manifestatur; *Turpe est operari, dum dubitamus an actio sit mala, seu materialiter contra legem apparentem, sive illa lex* Æquivocat legem grammaticaliter sumptam cum lege obligante. Operans in dubio non peccat ob violationẽ legis dubiæ, sed certæ.

verè existat, sive non existat. Idem valet de illo alio principio: *Omne quod non est ex fide peccatum est*, lex enim illa reflexa per hujusmodi principia innotescit. Itaque si Celladeus loquatur de lege illa dubia, velitque illam propriè nos obligare, & à nobis propriè violari, veritati repugnat, atque unà sibi contradicit, nam lex Dei in se existens, (ut ipsemet in initio *quæst. 9. huju libri* pleno ore fatetur,) est regula nostrorum actuum. Hoc verum est, sed inde subsumo. Ergo lex dubia non est regula nostrorum actuum, quia illa sæpe non est lex Dei in se existens. Et tamen tunc peccamus, & consequenter violamus legem verè existentem. At quænam est illa? Non directa, quæ sub dubio proponitur & sæpe non est. Ergo reflexa, de qua loquutus sum. Cæterùm eadem est ratio de lege existente, quia existentia illa non magis concurrit ad culpam, quàm non existentia, quamdiu proponitur sub dubio. Ac proinde illa existentia non magis regulat actiones nostras, quàm non existentia illius easdem regularet. Ergo lex illa dubia sive existat, sive non existat, non obligat nec arctat vim legis exercendo, cùm ad hoc sufficienter non applicetur, sed tota obligatio desumitur ab alia lege de qua operans non dubitat, & ideo peccat quia legem illam certam violat.

Celladei cōtradictio.

9. Quod si Celladeus dicat, intelligi se debere de lege illa certa, sed reflexa: inprimis rem dicit, quam nemo in illa quæstione inveniet, quia ita loquitur, ac si de sola lege dubia sermonem haberet. Deinde, hoc admisso, valde incongruè procedit, quia in re tanti momenti nullam mentionem facit legis hujus reflexæ, de qua tamen præcipuè vult intelligi. Demum si de hac lege loquatur, per hoc ipsum difficultatem, quam putat esse insuperabilem, ipsemet evertit, ut mox constabit, atque sic iterum sibi contradicit.

Non vitat contradictionem quidquid respondérit.

10. His positis, respondeo ad argumentum, & dico, plurimum interesse operanti in dubio, an legem apparentem materialiter violet, necne; quia, stante conscientia dubia, propter periculum hujus violationis incurrit violationem alterius legis certæ, ac certò obligantis, ut ostensum est. Quod si nulla daretur ejusmodi lex reflexa, nil prorsùs faceret in ordine ad peccatum, quòd homo se committeret periculo apprehenso materialiter violandi illam legem dubiam, cùm illa quamdiu dubia est, vim obligandi exercere nequeat. Atqui lex ista reflexa non obligat, nè sectemur opinionem minùs tutam, etsi minùs aut æquè probabilem directè, modò operans ex vi rationum reflexarum formet conscientiam; quia jam dubium deposuit, & ex rationabili fundamento conscientiam formavit. Unde dico, periculum materialiter violandi legem illam directam nil prorsùs referre in ordine ad inferendum peccatum, quamdiu intellectus ex rationabili motivo format conscientiam quòd res sit licita. Nec mirum hoc videri debet, cùm sit omnium sensus, & Celladeus ipse hoc ipsum tradat in casu erroris invincibilis, & sui probabilis positivi, quia stante tali judicio actio nullo modo inficitur, quamvis non desint rationes aliquæ, ostendentes periculum peccati materialis quod aliquando intervenit. Itaque taliter operans excusatur, quia probabiliter & invincibiliter judicat legem vetantem abesse, & per rationabile conscientiæ dictamen applicat sibi divinam legem permittentem, &c. At hic est casus noster, quia solùm loquimur de eo, qui post debitam diligentiam adhibitam, & ex rationabili fundamento per discursum reflexum invenit, quòd talis actio sit licita. Ergo in ordine ad peccatum formale nil refert, si fortè contingat materialis violatio præcepti sub æquali probabilitate directa propositi. Cæterùm in ordine ad alia semper interest non dari violationem materialem, quia malum est nos ignorare veritates tales, & adhuc deteriùs circa illas errare.

Plurimum interest legē non violari materialiter quando homo est in dubio.

At dubio invincibiliter deposito in ordine ad peccatum parum aut nihil refert.

11. Præterea certum est, aliqua esse mala & prohibita in his, quæ in aliis circumstantiis nec mala sunt, nec prohibita. Quod verum est in omni materia, tam juris naturalis, quàm positivi. Malum est interficere hominem; sed tamen malum non est præscribere medicinam, quæ juxta regulas artis probabiliter creditur sanitatem allatura, quamvis reipsa medicina illa hîc & nunc non medelam sed mortem afferat. Similiter malum est præscribere medicinam, si medicus dubitet an sit nocitura; sed si post sufficientem morbi considerationem medicina illa invincibiliter credatur profutura, nec ullum periculum nocumenti probabiliter appareat, haud dubiè licitè præscribi potest. Innumera & quotidie obvia sunt hujusmodi exempla, præcipuè in lege humana, quæ variis de causis multiplici exceptioni subjacet. Ratio est, quia circumstantiæ multùm conducunt ad moralitatem actuum. Ergo, circumstantiis notabiliter variatis, notabiliter variari potest moralitas actûs; qui proinde in his bonus erit, sed malus in illis. Hæc doctrina locum habet in casu nostro, quia quod malum est, si ponatur, stante dubio, illud malum non erit, si dubio rationabiliter & invincibiliter deposito credatur bonum, & opere compleatur. Idem dico de operante, quando credit utramque partem contradictionis esse æquè probabilem. Hic enim necessariò peccabit, si ponat partem minùs tutam, nisi per discursum reflexum consideret illud objectum in ordine ad novas circumstantias, atque concludat illud in ipsis esse licitum. Hisce positis.

Quod malum est in his, potest esse bonum in aliis circumstāntiis.

12. Respondeo 3. Plurimùm interesse, quod lex sub dubio proposita materialiter violatur, atque illum amare periculum, qui in dubio practico existens talis violationis periculo se exponit, quia per hoc peccat, cùm dubium ipsius non sit circumstantia quæ minuat, sed potiùs quæ augeat periculum malè faciendi; quia fundat legem reflexam, per quam vetamur sequi partem minùs tutam, stante dubio. Cæterùm si circumstantiæ ita alterentur, ut idem illud opus sub illis consideratum non prohibeatur, dico nil planè interesse in ordine ad peccandum, quòd lex, quæ vetat tale opus in dubio respiciente alias circumstantias, purè materialiter violetur. Exempla allata de medico præscribente medicinam rem evidenter convincunt; nil enim refert in ordine ad peccandum, quòd medicus præscribat illam medicinam, quando rationabiliter juxta leges artis judicat illam fore proficuam; quamvis præscriptio illa (si contingat medicinam illam mortem afferre) sit materialis violatio tam præcepti vetantis homicidium, quàm legis reflexæ prohibentis talia præscribi in dubio. Ratio est, quia quando sumus in novis illis circumstantiis, nullam legem obligantem violamus; non illam vetantem opus in aliis circumstantiis, quia in illis non versamur; non illam vetantem opus in istis circumstantiis, quia talis lex non datur, sed opposita illud permittens aut præcipiens. Idem prorsùs valet in casu nostro. Qui enim agnoscit utramque opinionem esse directè æquè probabilem,

Periculum quod imminet in dubio, non imminet, quādo quis deposito dubio sequitur sententiam benignam.

lem, & nullo utitur discursu reflexo, eo ipso practicè dubitat, & consequenter periculo se exponit, & peccat si sectetur partem minus tutam. At si per discursum reflexum consideret idem opus in ordine ad alias circumstantias, adeò notabiliter variantes moralem rei considerationem, ut rationabiliter & invincibiliter concludat illud in dictis circumstantiis esse licitum, non peccat, nec ulli periculo, quod meritò æstimari debeat, se exponit, quia operatur in circumstantiis honestantibus operationem, atque fundantibus legem reflexam permittentem, aut etiam præcipientem tale opus in illis.

Æquivocatio Confirmationis detegitur. 13. Eodem modo respondetur ad confirmationem, nam par & minor probabilitas, cognita ut talis, non est regula formalis sufficiens ad honestatem. Regula enim formalis consistit in judicio, quod semper repræsentat objectum in quod fertur, tanquam probabilius & verisimilius opposito. At par & minor probabilitas directa, etiam agnita ut talis, in ordine ad novas circumstantias per considerationem reflexam propositas, est regula objectiva sufficiens ad conscientiam formandam, quia absolutè connectitur cum veritate, dictante rem talem, omnibus inspectis, esse licitam. Falsum proinde est, regulam, quam nos pro sufficiente habemus, non magis conformari cum lege, quàm ab illa discordare; omnia enim opposito modo se habent, atque etiam à nobis traduntur. Itaque, cum bona Celladei venia, nulla prorsùs est paritas inter conscientiam practicè dubiam, & opiniones directè æquè probabiles, cùm practicum dubium sit circumstantia aggravans malitiam rei sub dubio repræsentatæ, atque ideo fundet legem reflexam, qua res illa certò prohibetur. At directa probabilitas, etiam par aut minor, est circumstantia, quæ reflexè considerata præbet fundamentum concludendi, rem illam omnibus consideratis esse licitam, atque ideo connectitur cum lege reflexa permittente liberum usum talis rei. Itaque hæc omnia ex mera terminorum ac status quæstionis æquivocatione objecta fuerunt.

Regula, quā sequimur, juxta præscriptum benignæ sententiæ, nunquam à vero discordat.

Celladeus ipse suam objectionē solvere tenetur. 14. Demum Celladeus ipse eodem modo respondere tenetur. Docuit enim *lib. 4. quæst. 6.* Conscientiam sæpe rectè formari per non inventionem veritatis quæsitæ; & tamen certum est, non inventionem veritatis, si directè & in se consideretur, non magis applicare nobis legem, quàm non legem, nec magis connecti cum veritate quàm cum non veritate, & tamen illa ipsa non inventio juxta Celladeum est regula sufficiens, quando præbet occasionem discursui reflexo, per quem ex ipsa non inventione probabiliter inferimus legem aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse. Idem prorsùs dicimus nos de pari, atque etiam de minore probabilitate directa pro tali habita; illa enim quamvis ex se non magis connectitur cum vero, quàm opposita, nihilominùs reflexè considerata præbet fundamentum concludendi, aut talem legem non esse, aut non esse sufficienter applicatam ad obligandum. Ecce iterum Celladeus suismet argumentis implicatur; nec illis respondere potest, nisi eâdem operâ illa solvat etiam pro nobis.

Objectio 2. 15. Objicit secundò. In aliquo casu non licet ex æquè probabilibus sequi opinionem minùs tutam. Ergo in nullo. Probatur antecedens. Si Titius & Sempronius æquales rationes pro fundo habeant, & neuter possidet, uterque juxta omnes tenetur ad partem tutiorem. Tenet Consequentia, quia eadem est ratio de omnibus, stante æqualitate. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, inprimis eandem hîc quoque intervenire æquivocationem, quia objectio supponit æqualitatem omnimodam dari pro utraque parte, cùm solùm supponatur æqualitas probabilitatis directæ, quæ cum reflexa veritatis inventione connectitur; cùm non doceamus, usum opinionis directè æquè probabilis pro tali habitæ esse licitum, nisi operans reflexè autumet opus esse licitum, atque ideo magis in illud feratur ut verum, quàm in oppositum. *1. Responsio.*

16. Respondeo 2. Transeat antecedens, cujus exemplum nunc non examino. Nego consequentiam. Disparitas est, quia non omnis par probabilitas speculativa, qualis est ista circa veritatem juris illis competentis, connectitur cum circumstantiis fundantibus discursum reflexum, quo dubium practicè determinetur, atque intellectus rationabiliter inferat, rem illam omnibus consideratis esse licitam, sed è contrario aliquando connectitur cum circumstantiis probantibus contrarium, ut in casu præsenti, & in omni alio, in quo Auctores conveniunt, talem opinionem non esse practicè probabilem, nec citra peccatum posse in praxim reduci. At omnia contrario modo se habent in casu opinionis practicè probabilis, quæ etsi, directè loquendo, non excedat, & admittatur non excedere probabilitatem partis contrariæ, tamen fundat plura argumenta reflexa, ex quibus intellectus rationabiliter inferre potest, rem illam esse absolutè licitam, prout substat istis circumstantiis reflexis. *2. Responsio.*

Æquivocatio Celladei 17. Atque hinc facilè respondetur ad ea, quæ Celladeus in eodem §. subdit, scilicet taliter operantem, aut æquivalenter aut formaliter dicere, *Sive Deus prohibeat sive non prohibeat hanc rem, volo illam facere;* nam omnia manifestè se habent modo penitus contrario, quia intellectus operantis priusquam ad opus se accingat, efficaciter concludit, rem illam, prout substat hisce circumstantiis, non esse prohibitam. Ergo Celladeus petit principium, dum supponit operantem absolutè habere æqualem causam dicendi & negandi quòd detur lex vetans istam operationem; contrarium enim prorsùs & asseritur & supponitur ab authoribus benignæ sententiæ.

Alia ejusdē æquivocatio. 18. Similiter in eadem æquivocatione versatur, ubi dicit, taliter operantem nullam habere justam defensionem suæ operationis. Hoc quidem verum esset, si operans non determinaret quæstionem, ut ipse falsò supponit eum non posse eam determinare, stante æqualitate inter directas opinionum probabilitates. Sed cùm hoc sit apertè falsum, ruit fundamentum, & operans per hoc sufficienter se defendit, quòd post diligentiam adhibitam invenerit opus, quod fecit, fuisse licitum, atque ideo se illud posuisse, non positurum, si hoc non invenisset.

ASSERTIO III.

Dicere, quod in omni prorsùs dubio teneamur ad partem tutiorem, est irrationabile.

19. ASSERTIO hæc est contra Celladeum, qui *lib. 4. quæst. 9.* contra communem omnium opinionem ex professo tanquam principale suum dogma tradit, partem tutiorem in omni prorsùs dubio sive juris sive facti esse tenendam. Sermo autem est de dubio in sensu composito *Pars tutior non est tenenda in omni dubio non deposito.*

posito dubii, nam si dubium deponatur, sumus extra casum quæstionis præsentis, ut patet. Nec loquimur de dubio practico tantùm, de illo enim omnes conveniunt, quòd illicitum sit, stante illo, partem minùs tutam sectari. Loquimur ergo de quovis dubio actualiter existente, & non deposito.

PRIORES ALIQUÆ PROBATIONES.

Probatur ex Jure Canonico.

20. PROBATUR primò *ex cap. laudabilem, de frigidis & maleficiatis*, in quo Ecclesia declarat, quod naturaliter frigidi, quando de impotentia cöeundi non constat, ad triennium habitare possint ad experientiam copulæ nuptialis. Sed postea, si cohabitare velint, vir mulierem ut sororem non ut uxorem habere debeat. Hinc sic arguo. Si constaret de impotentia, actus ejusmodi non essent liciti, quia matrimonium esset nullum. Ergo quamdiu dubium est, an detur hujusmodi impotentia, dubitatur an matrimonium sit validum; & tamen, stante hoc dubio, id est stante dubio materialis peccati, conjuges licitè cohabitant & amplexus exercent, idque non solùm quando dubium est, an impedimentum sit perpetuum, sed quando illud ipsum est valdè probabile, eò quòd post unum aut duos annos experimenti nuptialiter coïre nequiverint. Jam in hoc casu non coïre est tutius, utpote quod ab omni prorsùs mali specie remotum est. Coïre autem est pars minùs tuta. In hoc tamen dubio coitus experiundi causâ est licitus. Ergo perspicuum est ex definitione Ecclesiæ, quòd non semper teneamur ad tutius in omni dubio.

Naturaliter frigidi licitè faciunt, de quo est dubium an sit peccatum materiale.

Probatur 2. Exemplis certis.

21. Probatur 2. exemplis certissimis. Inprimis possessor bonæ fidei licitè retinet rem possessam, exorto dubio, an res illa ad alium pertineat. Nec solùm licitè retinet illam, donec veritatem quærit; sed si post diligentiam debitam dubium perseveret, adhuc rem licitè retinet. Secundò, subditus in dubio belli injusti licitè militat, si à Rege suo ad bellum vocetur, ut ex August. traditur *in cap. quid culpatur*, sæpe citato. Tertiò, Religiosi licitè obediunt suis Prælatis, quamvis dubium illis sit, an res præcepta sit licita; ut SS. PP. Magistri Theologiæ Mysticæ, ac Theologi unanimiter tradunt, & probatum est *quæst. 46.* Similiter communis omnium fermè opinio est, quòd dubitans, an votum emiserit, non teneatur ad votum. Nec desunt alia exempla istiusmodi, in quibus omnes fermè consentiunt, partem tutiorem non esse ex necessitate tenendam in dubio. Irrationabile porro est tantæ auctoritati contrariari, & absolutè dicere, oppositum esse illicitum; maximè quando desunt motiva urgentia, quæ profectò in casu nostro desunt, ut infra ex objectionum solutione constabit.

Regulæ juris docent, sæpe licitũ esse operari in dubio.

22. Probatur 3. ex regulis seu axiomatibus juris, quæ aperte tradunt, *quòd in dubiis favendum sit reo. Quod in pari causa*, & consequenter *in dubio, melior sit conditio possidentis.* Hæ regulæ sunt axiomata quædam, aut lumine naturæ nota, aut ex juribus indubitatis excerpta, quæ supponunt, immò convincunt, quòd sæpe in dubio nulla sit obligatio sectandi partem tutiorem. Ergo dicere oppositum est irrationabile, cùm axiomatibus lumine naturæ notis, & indubitatis juris regulis repugnet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

23. OBJICIT primò contra secundam rationem. In casu dubii de voto emisso, homo tenetur ad tutius, si verè maneat dubius de emissione voti. Nam vel solet vel non solet oblivisci talium rerum. Si solet oblivisci, tenetur. Si non solet, non tenetur, quia tunc non memoria est ratio probabilis dubii solvendi. At in æqualitate semper tenetur. Idem valet in aliis. Ita Celladeus *quæst. 8. §. 5.*

Doctrina Celladei de obligatione voti dubii, refellitur.

Respondeo Celladeum hîc petere principium, idque contra communissimam sententiam. Audio quidem illum dicentem; *homo tenetur ad votum si maneat dubius de voto.* Sed nullam vel apparentem rationem adducit. Sed fortasse supponit id vel ex antecedentibus probatum, vel ex consequentibus probandum. Sed hæc non sufficiunt, nam antecedentia omnia sunt soluta, nec ullatenus probant intentum. Ad sequentia quod attinet, ille parum aut nihil de hac re habet, sed remittit lectorem ad Vasquium; sed rationes Vasquii infra ostendentur insufficientes. Cæterùm in hoc benè dicit, quod qui talium rarò obliviscuntur, ex ipsa non memoria probabilem conjecturam habeant, se votum non emisisse, & sic liberantur à voto ex hac ipsa probabilitate. Similiter admitto, illum teneri ad votum, qui adeo obliviosus est in rebus ejusmodi, ut ipsa non recordatio emissionem voti ita reddat probabilem, ut oppositum non sit probabile. Cæterùm si, omnibus inspectis, votum verè maneat dubium, utique standum est pro possessione libertatis juxta regulam, *in dubio melior est conditio possidentis.* Ex hac autem regula infertur dictamen conscientiæ enuncians, quòd non teneamur lege voti, quamvis dubitemus an votum emiserimus, nec rationem habeamus ad dubium deponendum. Hæc hîc breviter dicenda fuerunt, quia Celladeus hæc eadem hîc breviter proposuit. Infra verò plura ex professo de his dicenda occurrent.

Objectio 2.

24. Objicit 2. contra tertiam rationem. Dicta juris axiomata eliduntur per alia contraria, quale est illud, *in dubio tutior pars est eligenda.*

Regulæ juris sibi non contradicunt.

Respondeo axiomata ista sibi non contrariari, sed debita & facili distinctione esse concilianda. Si enim contradicerent, neutra quidquam valerent, nec assumi possent ut principia, aut certa jura, sed explodi deberent ut stulta. Distinctio autem in eo consistit, quòd in dubio practico pars tutior semper sit tenenda ex præcepto. Universaliter autem quòd tutiora sint sequenda in omni dubio, ad summum est consilium, non præceptum. Hac ratione principia ista, juxta communem opinionem intellecta, non sibi contradicunt, nec se invicem elidunt, ut patet.

Objectio 3.

25. Objicit 3. Regulæ allatæ procedunt de dubio in sensu diviso, quando dubium deponitur, ut infra ostendetur. Regula verò de sequenda parte tutiore intelligitur de dubio non deposito, ac proinde semper est obligatio sequendi tutius in dubio non deposito. Ita Celladeus *quæst. 8. §. 5.*

Incongrua Celladei interpretatio de regulis Juris circa dubium.

Respondeo, antecedens universaliter loquendo esse falsum, ut ostendam inferiùs, ubi de dictis regulis tractabitur ex professo. Interim mirandum est hoc Celladei assertum, quòd scilicet regulæ, expressè loquentes de dubio, solùm intelligi debeant de re proposita quando non est dubia, sed dubium est solutum. Quid enim ludicrum magis quàm dicere regulam illam: *Favendum,*

dum est reo ac possessori in dubio: alium sensum non habere quàm hunc, favendum est illis, si omnibus inspectis nullum sit dubium, aut de crimine Rei, aut de jure possessoris? Itaque negatur consequentia, nisi sermo restringatur ad dubium practicum.

PROBATIONES ALIÆ.

Obligari ad tutius in omni dubio est certò ampliare legem, ultra intentum Dei.

26. PROBATUR tertiò. Ea est hominum ignorantia & imbecillitas, ut in casibus innumeris dubitent, nec possint aptè dubium ipsum resolvere. Certum autem est, tales dubitationes frequentissimas esse, tam quando non datur, quàm quando datur lex prohibens res, de quarum honestate dubitatur. Ergo qui dicit homines in omni prorsùs dubio teneri ad partem tutiorem, obligat ad multa, ad quæ certum est Deum nos non obligare, & in tales quadrat illud Salvatoris *Matth. 23. 4. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*, quæ Deus nunquam imposuit. At irrationabile est dicere, nos universaliter obligari ad multa, ad quæ certum est Deum nos non obligare. Ergo irrationabile est dicere, quod in omni dubio teneamur ad partem tutiorem.

Dubia alia remota & speculativa, alia proxima & practica.

27. Probatur 4. Ex dubiis alia sunt remota & quodammodò speculativa, alia proxima & practica. Practicum est, quando dubitatur, an operatio hìc & nunc ponenda sit illicita, nec adest ulla ratio, per quam formetur conscientia dictans illud, dubio non obstante, esse licitum. In hoc autem casu datur obligatio universalis sectandi partem tutiorem, non quia lex dubia obligat, sed quia istæ circumstantiæ fundant legem reflexam certam, qua Deus in tali casu obligat ad tutiora, ut ostensum est. At in aliis dubiis remotis & quodammodò speculativis (qualia sunt illa, an bellum sit justum? An res sit mea? An superior licita jubeat? An impedimentum impotentiæ sit perpetuum? &c.) intellectus non necessariò dubitat an licitè operetur, quia dubio illo non obstante, dantur rationes & circumstantiæ particulares, ob quas credat sibi licitum esse bellare, aut copulam experiri, &c. Ratio est, quia dubia ista remotè se habent in ordine ad operandum, ideoque operatio sequens ab illis dubiis immediatè non regulatur; sed ab aliis principiis & rationibus. Unde fit, ut, dubio illo non deposito, detur locus novæ consultationi circa positionem talis rei in sensu composito dicti dubii. Hæc autem consultatio respicit circumstantias, de quibus nulla fit mentio in priori dubio; respicit enim diligentiam positam in veritate indaganda, respicit titulum possessionis, naturam ac vim legis, jus imperantis, ac alia ejusmodi, ex quorum consideratione sæpe legitimè infertur, quod licitè operari possimus in istis circumstantiis, non obstante priori dubio. Dicere autem quod ex istorum consideratione Conscientia nunquam legitimè formari possit, stante priori dubio, est contra omnes, ac prorsùs irrationabile. At qui asserit partem tutiorem in omni prorsùs dubio esse necessariò tenendam, hoc dicit. Ergo irrationabiliter loquitur.

Dubium proximum & practicū impedit, dubium remotum, nō impedit dictamē Conscientiæ permittentis.

In casualibus, ac in dubiis neutra pars Cōtradictionis uniformiter evenire potest.

28. Probatur 5. In omnibus casualibus, quæ æqualiter se habent ad esse & non esse, necesse est, rem illam aliquoties evenire, aliquoties non evenire; saltem est summè improbabile & stultum existimare, quod in omni eventu una eademque pars sit uniformiter eventura. Hoc videre est in jactu talorum & in omni eventu casuali, in quo res indifferenter se habet ad duo vel plura, summè enim improbabile est, quod una eademque res in omni casu sit eventura; constat enim oppositum esse moraliter saltem necessarium. At omnis casus dubitationis est ejusmodi, quia stante difficultate cognoscendi res, nostraque ignorantia ac fallibilitate ante oculos habita, evidens est, omnem dubitationem æqualiter se habere ad utramque partem, & ex se non magis connecti cum lege quàm cum non lege, de qua dubitatur. Ergo moraliter necessarium est, in tota collectione dubiorum ejusmodi partem tutiorem esse aliquando juxta legem, aliquando citra legem, & etiam aliquando contra legem, de qua dubitatur; quia oppositum est prorsùs improbabile. Ergo irrationabiliter & summè improbabiliter loquitur, quicunque universaliter asserit, partem tutiorem in omni dubio, aut esse contra aut juxta legem, de qua dubitatur, nec minùs temerè loquitur, quàm si diceret, in jactu talorum, puncta paria aut semper aut nunquam esse jacienda. Utrobique enim sic loquens pari prorsùs errandi necessitati se exponit, quia utraque propositio universalis, tam ponens, quàm tollens obligationem seu legem, est necessariò falsa, quippe quæ in ejusmodi casibus nec semper datur, nec semper non datur.

29. Confirmatur. Hæc illatio est temeraria. *Ego nescio & dubito, an Deus velit me hoc facere. Ergo vult.* Idem dico, si inferatur. *Ergo non vult.* Et sanè tales consequentiæ omni probatione carent, ut patet, cùm nulla sit connexio inter antecedens & consequens. Quod si loquamur de tota collectione talium conclusionum, & formentur duæ propositiones universales, quarum altera affirmet, *lex in istis casibus semper existit*, altera dicat, *lex in istis casibus nunquam existit*, utraque propositio erit falsa; quia moraliter necessarium est, legem aliquando existere, aliquando non existere. Ergo irrationabile est dicere, quòd tutior pars in omni prorsùs dubio sit tenenda.

Universalis propositio negans aut affirmans, est certò falsa in materia præsenti.

30. Difficultatem hujus argumenti Celladeus sibimet objicit §. 2. eamque agnoscit esse gravem, & §. 3. fatetur se non habere firmum principium, quo difficultatem evacuet, cui tamen plura reponit, quæ sapientum judicio exponit, quæque mox convincam esse insufficientissima. Interim ille argumentum hoc valde efficaciter proponit, atque præter periculum falsi contentum in quavis assertione, quæ universaliter affirmat vel negat legem existere in casu dubii, benè addit, utramque vel nimis laxare, vel nimis arctare legem Dei, contra illud *Deuteronomii. Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Christus etiam in Evangelio arguit Scribas & Pharisæos, quòd nonnulla addidissent præceptis Dei, atque aliqua ab eis detraxissent. Et sanè gravissimum crimen esset, si quis vel unam ex legibus Dei scienter tolleret aut adderet; quia læsæ jurisdictionis crimen incurreret. At in casu præsenti benè scitur, quòd additio vel diminutio fiat. Quomodò ergo non peccat, qui talia asserit? Ita Celladeus, qui ex hoc ipso benè confirmat dictum illud S. Thomæ, omnem de peccato mortali quæstionem periculosè decidi, nisi expressè veritas habeatur. Nil enim dici potest in hoc casu sine periculo additionis vel diminutionis, & consequenter sine periculo peccandi. Quod periculum benè exaggerat ex præscripto S. Jacobi Apostoli dicentis. *Nolite plures fieri magistri, fratres*

Qui universaliter liberat à lege aut universaliter onerat Consciētiam in casu dubii, certò addit legi divinæ, vel certò illam diminuit.

fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. His tamen non obstantibus §. 3. firmiter adhæret doctrinæ suæ de eligenda parte tutiori in omni dubio, ac proinde ingenti periculo se committit, maximè cùm in re tanti momenti contra omnes singularem teneat sententiam, idque ob rationes valde debiles, sive quibus suam sententiam directè probat, sive quibus argumentis nostris, & potissimè huic ultimo, quod efficacissimum est & rem plane convincit, respondet, ut mox constabit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Contra argumenta allata.

31. OBJICIT primò. Argumenta allata, potissimè hoc ultimum, æquè urgent in casu Conscientiæ practicè dubiæ. Et tamen in eo casu omnes agnoscunt universalem obligationem sectandi partem tutiorem; ergo nil probant, quia nimis probant. Ita Celladeus §. 2. & 3.

Nostra sententia nec auget nec minuit præcepta Dei. Rigida sententia illa auget.

Respondeo, argumentum hoc locum habiturum etiam in casu conscientiæ practicè dubiæ, si diceremus, illam obligationem oriri à lege de qua dubitatur, quia argumentum æquè urget contra hoc ac contra universalem obligationem in casu omnis dubii. Ergo Celladeus hoc etiam argumento urgetur pro casu dubii practici, quia non videtur agnoscere aliam legem obligantem, quàm eam de qua dubitatur. At nos è contrario dicimus, leges taliter propositas nullam habere vim obligandi, atque id ipsum ex ipso argumento efficaciter confirmari potest, alioquin leges non existentes æquè obligarent ac existentes, leges innumeræ tribuerentur Deo, quas tamen certum est Deum non tulisse. Hoc autem scienter Deo tribuere nefas est; quod quomodò vitent, qui talia asserta ponunt, seriò ab ipsis considerandum est, ne jurisdictionis usurpatæ crimen, ut cum Celladeo loquar, incurrant. Itaque totam obligationem in tali casu referimus in legem reflexam, certam & indubitatam, qua Deus prohibet, ne quis, stante conscientia practicè dubia, sectetur partem minùs tutam, quia stante tali conscientia, repugnat operationem regulari à bona fide. Jam lex ista reflexa respicit aliquas circumstantias, quas lex, de qua dubitatur, non respicit. Ergo alia est ab illa. Itaque qui docent, neminem practicè dubium excusari à peccato, si sectetur minùs tuta, nulli periculo augendi vel minuendi præcepta Dei se exponunt. Similiter quando negamus, ullam legem dubiam pro eo statu obligare, verum loquimur, idque efficacissimis argumentis probamus. Nec per hoc legem ullam aut auferimus aut addimus, sed solùm exprimimus circumstantias, pro quibus obligant; in quo, etsi universaliter loquamur, verum loquimur, nec, ut Adversarii, ponimus legem, quam scimus non dari; imò nec negamus obligationem ullam, quam dari credimus, sed in omnibus universaliter ex motivo universali procedimus, contra quod nec ex parte rei, nec ex persuasione nostra datur ulla exceptio.

Qui reflexè docent usũ omnium practicè probabiliũ esse licitum non minuunt leges Dei.

32. Eadem responsio locum habet pro casu, quando dicimus licitum esse sequi quamcunque opinionem practicè probabilem, etsi opposita & tutior sit, & æquè probabilis; per hanc enim universalem propositionem reflexam, non dicimus, omnes opiniones probabiles negantes legem esse falsas, scimus enim aliquas falsas esse, aliquas veras, ut argumentum convincit; sed solùm dicimus, dari legem reflexam, quæ universaliter permittit usum talium opinionum in istis circumstantiis, sive detur sive non detur lex, quam illæ dari affirmant; & ratio est, quia leges illæ sic propositæ non sufficienter applicantur ut obligent, & hoc solum est, quod asserimus. Præterea in quæstione hac reflexa loquimur de opere in ordine ad circumstantias quasdam, in ordine ad quas leges repræsentatæ per opiniones directas non se extendunt. Itaque dicere illas non obligare hîc & nunc, tum quia sufficienter applicatæ non sunt, tum quia procedunt de opere ponendo in aliis circumstantiis, non est addere aut tollere quidquam de legibus divinis, vel earum obligationibus, sed in omnibus veritatem quærere, & juxta veritatem reipsa, & multò magis in mente nostra inventam enunciare. Nos ergo argumentum hoc non urget.

33. Objicit secundò. Argumentum hoc æquè premit sententiam universaliter liberantem ab obligatione sectandi partem tutiorem, ac opinionem universaliter statuentem legem ac obligationem sectandi tutiora. Ita Celladeus insinuat *mitto* §. 2. Ergo nos æquè premimur hoc argumento, ac ipse. Objectio 2.

Nos nõ ponimus universalẽ excusationem in dubio, sed singula distinguimus

Respondeo, illationem nullam esse, nos enim nullam ejusmodi universalem regulam ponimus, sed multa distinguimus, ac juxta varias rerum ac circumstantiarum acceptiones diversa statuimus. Inprimis quoties dubium est propriè practicum, ponimus universalem obligationem sectandi tutiora. Deinde in casu dubii remoti, seu quodammodò speculativi, non procedimus universaliter, quia scimus circumstantias valdè varias componi posse cum tali dubio; iterum ergo distinguimus, ac dicimus, tunc solùm dari obligationem sectandi tutiora, quando non adsunt principia, per quæ conscientia, stante illo dubio, rationabiliter formetur de honestate operationis hîc & nunc ponendæ, quia tunc dubium illud remotum evadit proximum, & conscientia practicè dubitat. At quando dubio illi superadduntur motiva rationabiliter suadentia operationem esse hîc & nunc licitam, dicimus nullam esse obligationem sectandi partem tutiorem, eò quòd non simus ampliùs in circumstantiis legis dubiæ, sed in aliis, pro quibus lex illa dubia nec obligat nec obligare potest. Porro Auctores deinde magis in particulari determinant casus, in quibus dantur, & in quibus non dantur istiusmodi circumstantiæ, in quo majus est periculum aberrandi à vero, & major Auctorum dissentio, quàm in tradendis regulis generalibus hactenùs explicatis, in quibus omnes (si pauculos recentiores excipias) prorsùs conveniunt. Cæterùm in hisce omnibus nemo dicere potest, certum esse nos errare in ulla ex istis assertionibus, sive illæ collectivè, sive distributivè sumantur, & multò minùs nos ipsi putamus in ullo obligationem ponere, aut demere, sed præcisè eas solas docere, quæ verè dantur, & à Deo intentæ fuerunt. Itaque aliud periculum non subimus, quàm quod commune est omnibus, quodque ab Apostolo & S. Thoma supra exaggeratur. Cæterùm remoti prorsùs sumus à difficultate præsentis objectionis, quæ in eo potissimùm consistit, quod ponatur obligatio universalis, cùm certò sciamus, pro innumeris ejusmodi casibus nullam legem existere, quæ res illas prohibeat, & sic scientes & volentes addimus ad legem Dei, & onera gravia & importabilia in humeros hominum imponimus.

34. Ob-

Objectio 3. 34. Objicit tertiò. Datur obligatio universalis reflexa in omni dubio. Ergo qui hoc docent, non augent legem Dei, sed veram legem reflexam proponunt. Similiter qui hoc docent, non majori periculo legem augendi se exponunt, quàm se exponant periculo legem minuendi qui docent nullam dari obligationem in dubio. Ita objici potest pro Celladeo.

Responsio. Respondeo, Celladeum frequenter ita loqui, ac si omnes hujusmodi leges reflexas respueret. Quod si aliquas admittat, libenter illum audirem hoc clarè proferentem. Interim sive eas admittat, sive non admittat, negatur antecedens, quod sine omni probatione, non solùm contra communem omnium opinionem, sed etiam contra veritatem, indubitatis exemplis & efficacissimis rationibus stabilitam, assumitur. Nulla proinde est consequentia. Cæterùm fateor, argumentum æquè premere liberantes, ac premit onerantes conscientiam in omni dubio; sed hoc nos non tangit, qui utramque ex illis opinionibus æquè improbamus, & cum debita rerum ac circumstantiarum distinctione, mediâ viâ incedimus. Quod si talis lex reflexa daretur, qui illam astrueret, nullam per hoc Dei legem aut augeret aut minueret. Non augeret leges reflexas ex hypothesi, nec directas augeret, quia non poneret plures quàm sunt. Diceret quidem nos obligari ad tutius, quando dubitaremus an altera pars esset prohibita, quamvis verè non prohiberetur, sed obligationem non refunderet in legem dubiam, sed solùm in legem reflexam, quæ verè daretur, & obligaret. Similiter non minueret leges directas, quia non doceret illas non dari, aut non obligare, sed solùm diceret, eas actu non obligare dum solùm dubiè proponuntur, quod est verum. Uno verbo irreprehensibilis esset, si constaret de hypothesi, sed quia oppositum constat, reprehensibilis esset, quia legem sine ratione augeret.

Objectio 4. 35. Objicit quartò. Homines ut plurimùm & ferè semper discordant à principiis naturalibus ac revelatis moralis doctrinæ, non per excessum, sed per defectum. Hoc videtur certum. Ex defectu autem in principiis nascitur necessariò defectus in conclusionibus. Ergo probabile periculum est, ne deficiamus laxando aut auferendo, non autem stringendo aut addendo: sic periculum probabile est, ne vel in judicando, vel in gubernando, vel in contrahendo, & sic de aliis ad dilectionem proximi pertinentibus, deficiamus, non autem ne excedamus; nam ut plurimum deficitur. Ergo dicere, nos in omni dubio teneri ad tutius, non est incurrere periculum fundatum additionis, imò ipsa additio est regula probabilis non errandi, sumpta ex iis, quæ plerumque contingunt. In contrario autem est periculum probabile auferendi ac minuendi legem divinam. Confirmatur ex Philosopho. *2. Eth. cap. 9.* ubi primò ostendit medium virtutum esse inventu difficile, dicens. *Irasci quidem, & dare argentum, sumptusvè facere, cujuslibet est, & facile; sed cui, & quantum, & quomodò, & cujus gratiâ oportet, est perrarum, & laudabile, & perpulchrum.* His dictis, Philosophus ponit has regulas, quibus juvemur ad medium hoc inveniendum. Prima est, *à magis contrario discedere*, quia uno extremorum graviùs delinquitur, quàm altero. Ergo ab illo potiùs recedendum est, quia ex duobus malis imminentibus minimum est eligendum. Secunda est. Consideranda sunt *ad quæ sumus naturâ propensiores: atque nos ipsos in contrarium oportet retrahere.* Tertia regula: *In Universis cavendum est maximè à voluptate.* Hæ regulæ ex mente Aristotelis valdè juvant ad medium virtutis faciliùs tenendum; eædem autem confirmant doctrinam allatam, quia in casu nostro à medio plerumque disceditur per ablationem. Deinde sumus naturâ propensi ad contraria iis, quæ Christus præcepit. Demum minùs tuta sunt magis secundum voluptatem. Ergo quoties dubium est de lege, debemus in partem legis declinare. Sic enim plerumque à vero non aberrabimus. In moralibus enim quando certitudo deest, regula sumenda est ex plerumque contingentibus.

Utrum homines plerumque deficiant à veritate morali, per defectum.

Medium virtutis quomodo inveniri potest?

36. Confirmatur 2. quia hæreses plerumque sunt laxiores quàm Religio Catholica; cùm enim vita Christi sit arcta, periculum est discedendi per defectum, ideoque vel ex eo præsumendum est, hæreses à vero Christi instituto deficere, quia adimunt aut minuunt onerosa. E contra SS. PP. plerumque severi sunt & stricti, sicut fuerunt etiam Prophetæ. Ergò cùm doctrina hujus objectionis, seu responsionis ad argumentum ultimum, recedat à modo procedendi Hæreticorum, & modum agendi SS. PP. atque Prophetarum imitetur, tuta est, & sine periculo. Ita Celladeus §. 3.

An Hæreses sint plerũque laxiores fide Catholica?

1. Responsio. 37. Respondeo inprimis, doctrinam hanc repugnare principali asserto Celladei; ex illa enim sequitur, quòd tutiora sint tenenda, etiam quando pars minùs tuta est probabilis, aut etiam probabilior, vel unicè probabilis, quia præsumptiones istæ locum habent æquè contra probabilitatem, ac in casu dubii, ut patet eas percurrenti. Ergo si præsumptiones istæ valerent, eo ipso vel omnis probabilitas partis minùs tutæ tolleretur, vel quamvis non tolleretur directè, reflexè tamen ex ista persuasione, *quòd ferè semper deficiamus à principiis naturalibus ac revelatis*, (sunt hæc verba Celladei) deberemus tenere, quòd in ipsis maximis probabilitatibus circa partem minùs tutam à vero discederemus per defectum. Ecce iterum sibi contradicit Celladeus.

Celladei contradictio.

38. Respondeo 2. replicam hanc, etsi tota illius doctrina admittatur esse vera, nullatenùs solvere difficultatem, quia etsi plerumque erraremus addendo, non tamen inde sequeretur, quòd in tota latitudine dubiorum non esset ingens multitudo casuum, in quibus nulla esset lex, quando dubitatur de lege. Et hoc constat. Ergo qui diceret, legem semper obligare in dubio, legem augeret, & quidem poneret legem obligare pro multis casibus, in quibus ipsemet scit nullam legem existere. At in hoc potissima argumenti vis consistit. Ergo responsio non solvit argumentum.

Doctrina Celladei admissa non solvit argumentum.

39. Respondeo 3. solutionem hanc nullatenùs satisfacere, quia transfert difficultatem operandi ad difficultatem cognoscendi ac docendi; atque ex aperta æquivocatione utramque confundit, cùm sint diversissimæ. Est quidem difficilè dura præcepta sectari: at difficilia docere facillimum est; ut videre est in hoc opere Celladei, qui magna libertate ac facilitate contra communem aliorum opinionem in omnibus fermè difficiliora tradit. Hoc sanè adeò verum est, ut non solùm in dubiis & incertis, sed etiam in certissimis homines in mala prorumpant, etsi certò nôrint, ea esse prohibita. Neque hoc Christianis tantùm, sed ipsis etiam Ethnicis probè innotuit juxta illud Poetæ. *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Hæc eadem facilitas docendi difficilia, ex eo etiam evidenter constat, quòd tot

Æquè facilè est docere rigida ac facilia.

tot sint Auctores Catholici qui dura, quot sunt qui mollia docent. Nulla enim est celebris sententia directa mollis, quæ non habeat plurimos præclaros Auctores contradicentes, ut evidens est legenti quemvis Theologum moralia fusiùs tractantem. Sed & in omnibus opinionibus controversis, pars tutior à multis, & frequenter à pluribus defenditur, quàm pars minùs tuta. Ergo facilè est docere difficilia, & quidem non minùs facilè, quàm docere facilia & tuta. Ergo cessat planè præsumptio, quòd qui credit docentibus minùs tuta, ex hoc capite decipiatur potiùs, quàm qui rigida & tutiora docentibus fidem præbet. Sed & omnes Auctores, qui de omnibus fermè moralibus fusiùs scripserunt, in rebus incertis ex æquo fermè tradunt tutiora & minùs tuta. Unde mirum est, Celladeum dixisse, certum videri, quòd ut plurimùm & ferè semper deficiamus à lege minuendo potiùs præcepta, quàm addendo, cùm oppositum inductione certa sit notissimum; & ratione efficaci stabilitum.

Ratio Celladei efficaciter probat contra illũ, quòd argumentũ nostrum concludat.

40. *Sed* quid hoc ad dubium? Certè si verum esset, Auctores ferè semper deflectere à vero per diminutionem & defectum, id esset, quia homo adeo pronus est, ad favendum sibi, & naturæ appetitui indulgendum, ut facillimè inveniat rationes ad se excusandum, & ab onere legis eripiendum. At si hoc sit verum, utique sequitur, quòd si res maneat dubia, præsumendum sit, dubium deficere per excessum, non per defectum; quia si homo tam perspicax est ad rationes in suum favorem inveniendas, ut eas plerumque inveniat, etiam quando veritas contra ipsum stat, profectò si nullas tales inveniat, signum est, eas non dari, sed veritatem contra ipsum stare. Ergò tantùm abest, ut, si principia Celladei admittantur, ex dubio colligi possit aut debeat defectus legis, ut inde ejusdem excessus efficaciter colligatur. Ergo principia Celladei proprio ipsius intento repugnant, & non solùm solvunt argumentum, quod fatetur esse grave, sed illud validissimè confirmarent, si admitterentur ut vera.

41. Præterea *quæst. 2. num. 101.* ostendi, eam esse miseram hominis lapsi conditionem, ut, propter ignorantiam & in pœnam peccati, pronior sit ad fingendas obligationes, quàm ad eas amoliendas. Quod utique à potiori verum est de dubiis, quæ propter ignorantiam nostram sunt frequentissima, & à nobis determinari non possunt. Tantùm ergò abest, ut principium Celladei sit verum, ut oppositum sit admittendum.

Celladei contradictiones.

42. Atque hìc antequam progrediar juvat aliquas Celladei contradictiones & inconsequentias circa hoc argumentum notare. Inprimis admittit argumentum nostrum ultimum (cui nil satisfactorium reponit, ut vidimus) esse grave, ut revera est, quia rem planè demonstrat. Ergo hoc motivum per ipsum est probabile. Ergo jam tenet utramque partem contradictionis gravi fundamento niti, & esse simul probabilem eidem suo intellectui. Et tamen tenet motivum hoc esse fallax & falsum. Ergo per hoc contradicit iis, quæ antea omni conatu stabiliverat, nempe *utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem. Opposita motiva non posse esse gravia. Nullum motivum falsum esse grave & prudens, sed vanum, sophisticum, inane, &c.* Nec dicat, se solùm dicere, illud motivum esse grave quoad nos, non quoad se; nam contra est, quia æquè repugnat utramque opinionem esse simul probabilem quoad nos, ac quoad se, saltem juxta illius principia; quia non minùs repugnat utramque partem eidem intellectui simul videri plerumque contingere, quàm utramque reipsa contingere plerumque. Ergo hæc replica non vitat contradictionem. Præterea, quis, quæso, unquam vocavit illud argumentum grave, quod reputat inane, phantasticum, ac sophisticum? At Celladeus, nî sibi contradicat, utramque appellationem eidem motivo tribuere debet. Sed etsi utramque tribuat, contradictionem non effugiet; nam inane, phantasticum, & sophisticum fundamentum non est argumentum grave, saltem quoad eum, qui illud inane judicat, ut patet.

43. Præterea fatetur, se non habere firmum principium, quo argumentum solvat, (vidimus autem eum in hoc verum dixisse, quia responsiones ejus sunt prorsùs invalidæ) ergo cùm res hæc sit periculosissima, non debebat contra communem omnium opinionem (nam neminem habet, qui in universalitate, quam tenet, cum ipso sentiat,) deserere tantam auctoritatem, utpote ad minimum plerumque non errantem, & viam non tritam inire, cujus aspera fatetur se complanare non posse. Non ergo videtur implesse onus, quod ipsemet in talibus, ut sine offensa opinemur, requirit. Ergo grandi periculo, etiam juxta propria principia, se exponit, idque absque necessitate & sufficientibus argumentis. His data occasione præmissis, pergo in replica ipsius examinanda, &

Ejusdem inconsequentia, & periculum in opinando.

44. Respondeo ad primam confirmationem. Doctrina illa Philosophi supponit veritatem, seu medium ipsum virtutis esse quidem difficulter reperibile, regulas tamen, quibus juvemur ad medium illud quàm proximè attingendum, non esse inventu difficiles, sed satis obvias, quas ille ibidem proponit, nec in illis assignandis aut laborat, aut contradicentem habet. Cæterùm dicere, quòd qui regulas illas, aliasque ejusmodi, sequitur, potiùs erret per defectum à vero medio, quàm per excessum, dicitur sine ullo fundamento, maximè quando judicans nulla passione circa res illas afficitur. Idipsum præterea manifestæ experientiæ repugnat, tum quia facile est difficilia docere, tum quia videmus Auctores in ejusmodi judiciis ex æquo in utramque contradictionis partem propendêre. Ergo ex æquo deficiunt, ac excedunt. Itaque tantùm abest, ut regulæ istæ probent intentum Celladei, ut è contra vim argumenti nostri plurimùm confirment. Nam quamvis in executione homines plerumque deficiant à medio per defectum, maximè in bonis sensibilibus & voluptuosis, Doctores tamen in docendo non ita se habent, præsertim quando citra passionem judicant, sicut Theologi judicare solent, quando in universali suam sententiam proferunt.

Medium virtutis est difficile scitu, sed regulæ, quibus juvemur ad illũ sciendum, sunt scitu faciles.

45. Quod additur de Hæreticis ex una parte, & de Prophetis ac SS. PP. ex altera, & falsum videtur, & ad rem non facit. Inprimis videtur falsum; si enim omnis doctrina, certò erronea, laxans sumatur ex una, & omnis stringens sumatur ex altera parte, haud facilè apparebit magnus excessus. Certè Christus, de utroque extremo Scribas & Pharisæos arguens, ita loquitur, ut unde excessus colligi possit non appareat. Contra additionem loquutus est *Math. 23.* dicens. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite. Secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia; & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Hæc locutio apertè supponit,

Sacra Scriptura docet homines frequenter errare circa legem, tam per excessũ, quam per defectum.

supponit, Scribas & Pharisæos ultra legem Dei miseris hominibus plurima præcepta, eaque gravissima imposuisse. Sed & S. Marcus initio *cap. 7.* circa solas lotiones enarrat, plurimas fuisse Pharisæorum traditiones, addens tandem hæc verba. *Alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare*, baptismata Calicum *& urceorum, & æramentorum, & lectorum*: sed & Christus ipse ibidem hoc ipsum illis objecit, dicens. *Relinquentes mandatum Dei tenetis traditionem hominum; baptismata urceorum, & calicum, & alia similia hisce facitis multa.* E contra idem Salvator, *Mathæi 15.* & fusiùs *Marci 7.* reprehendit eosdem Pharisæos, quòd Dei legem de honorandis parentibus laxassent, & irritam fecissent per traditionem suam. Tandem concludit, & *similia hujusmodi multa facitis.* Ex his, aliisque locis Evangelii benè collatis, inveniemus, Scribas ac Pharisæos frequenter & auxisse legem ponendo præcepta quæ non erant, & eam diminuisse auferendo præcepta quæ erant; ex quo clarè sequitur primò, falsum esse, quod dicit Celladeus, errores circa legem fere semper esse circa detractionem, rarò aut nunquam circa additionem, Sequitur secundò, Scripturam ita loqui, ut in incerto relinquat ex qua parte error fuerit frequentior, cùm apertè insinuet, ex utraque parte fuisse frequentem. Uno verbo ita in hac re loquitur Sacra Scriptura, ac locuta fuisset, si supposuisset homines ex utraque parte æquè deficere in tradenda strictiore ac laxiore doctrina: unde vis argumenti nostri roboratur; & Celladei responsiò evertitur.

46. Rursus ab initio Ecclesiæ reperio, plus fuisse erratum in doctrina per adjectionem, quàm per substractionem legum. Plurimi ex natione Judæorum contendebant omnes ad fidem conversos debere servare legem Moysis, & Gentiles etiam circumcidi: contra quem errorem, qui unus innumeros continebat, coactum fuit Concilium Apostolorum, & Paulus ipse contra eundem errorem fusè scripsit. Præterea S. Petrus in ipso Concilio Apostolorum, *Actorum 15. 10.* dicit, Deum per hanc ipsam doctrinam tentari, & jugum imponi in cervices discipulorum, quod nec ipsi, nec patres ipsorum portare potuerunt. E contr[illegible], ni fallor, non invenietur in exordio Ecclesiæ tanta copia doctrinam laxantium legem Christi, quanta erat eam gravantium. Postea verò fuêre innumeræ Hæreses legem gravantes. Quidam damnarunt nuptias, ut illicitas. Alii prohibuerunt lapsos ad pœnitentiam recipi. Hi pueros Baptismi incapaces esse tradiderunt: illi negârunt licitum esse confiteri venialia peccata: & quidem si de modernis hæreticis loquamur, quorum multi valdè laxârunt legem Dei, dubium mihi est, an in pluribus laxaverint legem, an eam strinxerint? Quidam omnem detestationem peccati ex Gehennæ metu conceptam esse hypocrisim, & magis peccatorem facere dixerunt. Alii operantes ex intuitu mercedis æternæ peccati damnarunt. Hi justos dixerunt in omnibus suis actibus peccare, saltem venialiter: illi docuerunt illos etiam mortaliter peccare; quo uno asserto plus indebitè legibus adjecerunt, quàm omnes simul de legibus indebitè abstulerunt. Itaque sicut Hæretici frequentissimè legi detrahunt, frequentissimè etiam eandem ultra debitum augent, adeo ut ex hoc capite nil in favorem Celladei concludi possit; sed omnia eò tendunt, ut vim argumenti stabiliant.

Ab initio Ecclesiæ plus erratũ est in doctrina per excessum rigoris, quàm per defectũ

Hæretici fermè ex æquo legem augent, & minuunt.

47. Idem dicendum de Prophetis, & Sanctis Patribus, qui omnes ex æquo favorabilia & rigida tradiderunt. De Prophetis res nimis clara est. Ab initio enim Prophetæ potissimè loquebantur de liberatione Hebræorum à captivitate Ægyptiaca, & de danda illis Promissionis terra, quæ lacte & melle manaret, item de adventu Messiæ, ejusque Regno in perpetuum duraturo. Deinde quot fuerunt, qui prospera prædixerunt; maximè quando populus, invitabatur ad reditum è captivitate Babilonica? Sed & in aliis Prophetiis plurima læta prædicta sunt. Adeo ut, si omnia inspiciantur, aut nulla aut exigua inveniatur differentia. Idem prorsùs apparet in SS. Patribus, qui dura mollibus temperârunt, ut apparet ex resolutionibus Quæstionum in materiis incertis, quas apud illos reperire est: & quidem existimo, Celladeum haud negaturum, quin SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardinus Senensis, Sanctis Patribus accensendi sint; constat autem, istos ex æquo methodum inter utrumque extremum tenuisse, & modò strictiùs, modò laxiùs, planè instar reliquorum & graviorum tum sui tum nostri sæculi Authorum, sensisse. Et sanè non possum non hîc convellere dictum quoddam Vincentii Baronii, qui in Theol. morali falsò asserit, S. Thomam non adhærere sententiis minùs tutis, nisi, allatis rationibus cogentibus, probet eas esse certas, & contrarias improbabiles. Falsitas hujus asserti inprimis ex eo probatur, quòd quivis Scotista æquo jure similia dicere possit de S. Bonaventura & Scoto; & tamen certum est, vel illum, vel Baronium seu potius utrumque falli, cùm Sancti illi in pluribus sibi contradicant, nec ullus assertum suum demonstret, aut probabilitatem ab opposito auferat. Secundò falsitas ejusdem asserti manifestis exemplis evincitur. Inprimis S. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4.* docet, Confessionem integram mortalium sine debito dolore esse validam, sed informem; ac proinde, etsi gratiam non præbeat, mortalia illa non esse necessariò reconfitenda. Contraria tamen sententia non est improbabilis, imò est, & communiter censetur probabilior opinione S. Thomæ, maximè cùm Tridentinum *sess. 14. cap. 3. & 4.* ad valorem Confessionis dolorem exigat.

Vincentius Baronius erroris convincitur.

S. Thomas frequenter sequitur partem minùs tutam contra tutiorem probabilem.

Rursus, *quodlib. 10. art. 10. & in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3.* Angelicus D. docet, eum, qui votum obedientiæ emisit, in iis, quæ ad regulam nullatenus reducuntur, non teneri obedire, eò quòd obedire in hujusmodi non sit de necessitate, sed de perfectione obedientiæ. Communis tamen opinio in iis obedientiæ obligationem agnoscit. Idem dicendum de celebri S. Doctoris opinione, quòd judex licitè condemnet innocentem, scitum innocentem, modò juxta allegata legitimè probetur nocens. Qui plura exempla cupit, adeat Franciscum Bordonum *in Propugnaculo opinionis probab. cap. 16. & seq.* legat etiam Joannem de Cardenas *in Crysi Theologica diss. 15. cap. 6. art. 4.*

48. Ecce exempla à Celladeo a[illegible]a nulla sunt, cùm non illa, sed contraria subsistant. Præterea etsi exempla illa verè subsisterent, nulla ex iis ad quæstionem præsentem illatio fieri posset; Hæresiarchæ enim, qui legem Dei minuerunt, fuêre homines improbi, qui ex libidine, non ex ratione doctrinam suam tradidêre, quique obstinato animo commentis suis inhæsêre; de quibus proinde nemo fundatè præsumere potest, eos post debitum examen, sicut decet viros probos, suam sententiam tulisse. A talibus autem non valet consequentia ad Catholicos peritos ac probos.

Exempla Celladei nõ sunt vera.

Si vera essent, ex illis nil ad intentum ipsius inferri posset.

Certè consequentia ista est prorsùs nulla. *Hæresiarchis sceleratis perverso animo certam fidei regulam, & in multis certam etiam morum regulam convellentibus non est credendum, quando docent ea esse vera, quæ libertati favent. Ergo neque credendum est viris probis ac peritis, quando talia docent.* Et tamen hæc debet esse consecutio ex illo antecedenti, ut argumentum Celladei subsistat; quæ tamen similis est istis. *Non est credendum notorio nebuloni in multis falsi convicto; ergo non est credendum viro perito ac probo omniq; exceptione majori.* At consequentia ab exemplo Prophetarum rigida denunciantium adhuc deterior est: sic enim arguendum est, ut aliquid ad intentum Celladei inferri possit. *Credendum est Prophetis ex certissima Dei revelatione loquentibus, quando rigida nunciant, quæ Deus illis nuncianda commisit. Ergo, quando nulla adest certitudo pro determinanda lite, non est credendum peritis & probis, si post quæstionem examinatam libertati faventia enunciaverint.* Aut certè sic: *Prophetæ, qui à Deo rigida tantùm audierunt, rigida tantùm docuerunt. Ergo omnes debent rigida docere, quando non regulantur à revelatione Dei alligata ad rigida, sed utuntur ratione, quamvis illa probabilissimè probet rigida illa esse falsa.* Si ullæ in mundo sint consequentiæ nullæ ac irritæ, profectò sunt istæ; quæ tamen solæ in ordine ad præsentem quæstionem inferri possunt ab exemplis à Celladeo inductis.

Alia absurda ex sententia Celladei.

49. Cæterùm si principium Celladei subsisteret, & Doctores ut plurimùm & fere semper à vero deficerent, quando docent legem non dari; & rarò aut nunquam fallerentur, quando legem dari asserunt; eo ipso quòd opinio aliqua enuntiaret legem non dari, ex hoc solo principio præsumenda esset falsa, quòd opiniones libertati faventes fere semper sint falsæ. Porrò cùm hoc motivum sit reflexum, & præsupponat studium ac diligentiam præcessisse in determinatione quæstionis, nulla determinatio probabilis obstare posset, quò minùs posterior hæc præsumptio locum suum haberet. Hinc autem sequitur, nullam dari posse veram & practicam probabilitatem pro non lege; quia quamdiu versamur in incertis, quicunque talem regulam eligeret, eligeret regulam plerumque & ferè semper errantem. Porro Celladeus absolutè vult hoc principium reflexum subsistere. Ergo tollit omne directè probabile practicum. Ergo semper tutiora tenenda sunt. Similiter ex eodem illo principio reflexo, sequitur, omnes Celladei assertiones solùm probabiles, legi faventes (habet autem complures) non esse positivè probabiles, nec sufficientem morum regulam; quas tamen pro talibus proponit. Similiter sequitur ex ipsius sententia, resolutiones probabiles libertati faventes esse plerumque veras ex vi motivi directi, & ex vi hujus motivi reflexi sequitur, easdem esse plerumque & fere semper falsas; hoc est utramque partem contradictionis esse simul probabilem, quamvis revera neutra sit probabilis Ecce in quot & quantis Celladeus sibi contradicit.

Multiplex Celladei côtradictio.

Celladei principium omnê quæstionis resolutionê inutilem reddit.

50. Ex eodem principio sequitur, neminem prudenter stare posse incertæ quæstionis resolutioni pro parte minùs tuta, quamvis valde peritus eam dederit; quia sequeretur regulam, quæ & reipsa, & in mente ipsius plerumque erraret. Hoc ergo principio admisso, prudentum & peritiorum resolutiones in ordine ad alios gubernandos nil valerent. Nec quisquam nisi imprudenter talem resolutionem dare auderet. Et tamen lumine naturæ notum est, tales resolutiones & utiliter tradi, & innoxiè in praxim reduci, cùm sine illis homines humano modo gubernari non possint.

Celladeus in immensum Dei legem auget.

51. Ex his ergo fixum manet, legem Dei in immensum quodammodò augeri ab ipso, qui dicit, præsumendum esse in omni prorsùs dubio legem dari. Idem esset periculum minuendi legem, si quis diceret, præsumendum esse nullam prorsùs dari legem circa tutius, quando homo versatur in ullo dubio. At qui mediâ viâ procedit, vitat hæc absurda, quia dicit veritatem compertam, scilicet legem aliquando dari, aliquando non dari in dubio. Tum distinguit inter legem obligantem, seu exerentem & exercentem vim legis, & legem hîc & nunc non obligantem nec exerentem vires suas; quarum neutrum aut tollit aut minuit, sed exactè docet, quænam sint quæ obligant, quænam quæ hîc & nunc non obligant; atque ita progreditur, ut in nulla assertione ponat ullam legem obligare vel non obligare in ordine ad easdem circumstantias, in ordine ad quas certus est de contrario. Et sic nostra doctrina clarè vitat hæc inconvenientia, quibus opinio Celladei inevitabiliter subjacet.

Objectio 5.

52. Objicit quintò. Argumentum procedit de subjecto non supponente; supponit enim dubia frequentissimè oriri circa legem. At hoc est per accidens, vel ex defectu virtutis, quæ multùm illuminat; vel ex vitiosis habitibus intellectum obfuscantibus. Remotis enim vitiis, & virtute habita, omnis prorsùs per se loquendo cessat dubitatio tam de lege humana, quàm de naturali & divina. Omnis enim lex naturalis ac divina est invenibilis per debitam diligentiam. Similiter lex etiam humana saltem plerumque, utpote quæ rarò ignoratur, nisi depêdenter à nostra negligentia; quæ omnia Celladeus in secundam partem probanda rejicit. Dubitantes ergo directè obligantur ad quærendam veritatem, & solùm indirectè ad partem tutiorem, scilicet si quærere nolint. Porro indiligentes meritò hoc modo obligantur, ut sic excitentur, & quodammodò necessitentur ad inveniendam veritatem, quæ est finis dubitationis.

Innumera dubia circa omne genus legum post omnê diligentiam insuperabiliter latent.

Respondeo, solutionem hanc, non objectionem procedere de subjecto non supponente; certissimè enim constat casus innumeros tam de lege naturæ & divina, quàm de lege humana manere dubios & incertos, etiam post magnam diligentiam ad veritatem inveniendam adhibitam. Patet hoc ex innumeris veritatibus practicis contradictoriis circa omne genus legum, potissimè verò circa legem humanam, quibus scatent opera piissimorum justa & doctissimorum virorum, de quibus nec probitatis defectus, nec diligentiæ neglectus venire potest in suspicionem, ratione quorum dubitatio ac incertitudo illa ulla ratione imputabilis præsumi possit. Stat ergo certissimum esse, quòd dubitationes ac incertitudines de legibus sint prorsùs necessariæ & frequentissimæ inter homines. Proinde vim argumenti, quod mihi videtur manifestè demonstrare intentum, non elidi. Porrò quod Celladeus promittat, se probaturum oppositum, neminem movere debet; argumenta enim illa (si ex plerumque contingentibus judicare liceat) invenientur prorsùs invalida, sicut hactenus omnia inventa sunt, quæ tamen Celladeus pro validissimis ac insolubilibus proposuit.

SOL-

SOLVUNTUR FUNDAMENTA Celladei.

Objectio 1. 53. OBJICIT primò. Tenemur ad tutius in omni dubio, tam ex lege naturæ, quàm ex lege positiva divina, & humana. Inprimis sic naturâ comparati sumus, ut lex Dei, in se existens, ac in se sumpta, sit regula actuum nostrorum, nosque simus quid regulandum ac regulabile per illam. Regula hæc applicatur seu intimatur per rationem nostram, quæ propterea etiam ipsa regula dicitur. Hanc legem omnes aliquo demum modo scire tenemur; nec excusamur, si illam ignoremus, nisi ignorantia fuerit invincibilis. Ex hoc principio sequitur, hominem teneri non ita se gerere in operando, ut non magis habeat operari juxta, quàm contra legem; quia per hoc ipsum exponit se periculo violationis, & per hoc ipsum peccat contra regulam. At ita se habet homo in omni dubio, & in omni casu æqualitatis rationum, vel opinionum, si eligat partem minùs tutam. Ergo in omni tali casu tenetur ad tutius, idque ex ipso jure naturæ. Ita Celladeus *quæst. 9. §. 1.* qui paulò post §. 3. reflectens super hanc rationem, dicit tanquam manifestè concludenti insistendum esse, non obstante ratione illa, quam ultimo loco pro nostra assertione attulimus, quamque ipse fatetur esse gravissimam; atque eam ibidem laboriosè sed frustra conatur eludere, ut vidimus.

Prætensa Celladei demonstratio.

Peccat qui nō magis operatur juxta, quā contra legem obligantē.

54. Respondeo, hominem haud dubiè peccare, si ita in operando se gerat, ut non magis operetur juxta quàm contra legem Dei certò in se existentem, & sufficienter applicatam: v. g. Lex prohibens homicidium certò existit, & est sufficienter intimata; contra hanc legem non solùm peccatur, si homicidium scienter patretur, sed si dubium sit, an actio, quæ ponitur, sit homicidium. Ratio est, quia lex illa in se existens, & applicata exerit vim suam, & obligat ad abstinendum non solùm ab homicidio certo, sed etiam à dubio. Hoc bene probatur argumento allato, eoque omnes utuntur ad hoc probandum. Sed hæc doctrina nil facit ad præsentem quæstionem, quæ procedit de ipsa lege, quando dubium est, an detur; nec procedit solùm de dubio legis, sed etiam de dubio facti, ut patet; nec hic adhuc est legitimus quæstionis status, nisi superaddatur dubium illud etiam post sufficientem diligentiam adhibitam adhuc manere, nec solvi posse. At in hoc sensu objectio non urget, quia talis lex vel non existit, vel certè non sufficienter applicatur, ideoque nullam vim obligandi exerere potest: homo ergò in tali casu non peccat contra hanc legem, licèt ponat opus, quod fortasse est, fortasse non est contra talem legem, quia per hoc nullam legem obligantem violat, ut patet. Jam homines hoc, non priori modo se habent, quando in dubio operantur, juxta doctrinam eorum, qui docent in variis casibus licitum esse sectari partem minùs tutam in dubio. Ergò si bona fide talem doctrinam probabilem sectentur, non peccant. Tantùm ergò abest, ut objectio intentum manifestè evincat, ut è contrario procedat ex manifesta æquivocatione & confusione legis certò existentis ac sufficienter applicatæ, cum lege post omnem diligentiam latente ac dubia, quæ fortè est fortè non est; & sive sit sive non sit, non est sufficienter applicata; &, quod plus est, quando certum est, legem illam non extendi ad circumstantias, in quibus opus ponitur,

Prætēsa demonstratio non est nisi terminorū æquivocatio.

55. Et sanè mirum est, Celladeum hoc non advertisse; vult enim solùm legem Dei verè existentem & per rationem applicatam esse regulam completam. At hinc clarè sequitur, legem dubiam, utpotè quæ sæpe non existit, & nunquam applicatur, non esse regulam, cui debeamus conformari, cùm talis lex vel non habeat, vel nequeat exerere vim obligandi. Præterea est contra rationem regulæ, ut non magis sit, quàm non sit; non magis cognoscatur, quam non cognoscatur. At talis est omnis lex, quæ post diligentem inquisitionem manet dubia. Ergo talis lex non potest esse regula humanarum actionum. Inconsistentia ergo sunt, sibique prorsùs contradictoria, quæ in hac objectione Celladeus congecit, & pro solidissimo fundamento suæ doctrinæ proponit.

Eadem argumentatio involvit term nos sibi contradicentes.

56. Datur quidem lex reflexa certò existens, & sufficienter applicata, quæ in dubio legis obligat ad partem tutiorem, donec veritas diligenter quæsita fuerit, quia nefas est in dubio legis operari, nisi operans rationabiliter formet conscientiam suam, quæ vel explicitè vel implicitè dictet, legem aut non esse, aut si fortè sit, non esse sufficienter applicatam ut obliget. Atqui tale dictamen formari nequit nisi diligentia præmittatur, vi cujus intellectus alterutrum ex duobus illis concludat.

In dubio tenemur ad tutius donec, diligētiâ præmissâ conscientia rationabiliter formetur.

57. Quòd si Celladeus contendat, dari legem reflexam certam & sufficienter applicatam, quæ in omni prorsùs dubio tam juris, quàm facti obliget ad partem tutiorem, debet potens aliquod argumentum ad hoc probandum afferre, alioquin nemo, opinor, illi fidem dabit. At tale argumentum nondum tulit, nec ferre intendit, quia sermonem de legibus reflexis, quas ut futiles rejicit, non admittit, sed omnia per solas leges veras & directas gubernari contendit, quod quàm absurdum sit, ex dictis constat; quia hoc ipso ponit non leges pro legibus, & consequenter non regulam pro regula. Sola enim lex verè existens est lex & regula. Ex legibus autem dubiis plurimæ non dantur. Ergo si omnis lex etiam dubia sit regula, inevitabiliter sequitur, aliquam non legem, & aliquam non regulam esse regulam. Quod est apertè contradictorium.

Effugium præcluditur.

58. Objicit secundò. Nullus dubitans de lege, persuasus est legem non esse, sed virtualiter saltem dicit, *Fortasiè est lex prohibens hanc operationem.* Ergo si operando violet illam legem, violatio est illi imputabilis & voluntaria, quia sciens, & volens exponit se periculo talis violationis. Et sanè sicut ludentibus imputabilis est jactura, quia se periculo perdendi scientes exponunt, & totum casui committunt; ita pariter se res habet in casu nostro. Præterea ipsa temeritas operandi in tali periculo est peccatum, quia omnis ita operans, vel expressè vel æquivalenter habet hanc voluntatem: *Sive re ipsa violem, sive non violem legem, volo hoc facere.* At talis voluntas est peccaminosa. Ergo. Ita Celladeus §. 5. Objectio 2.

Respondeo hæc omnia jam soluta esse, quia alia est lex vetans rem in his, alia lex vetans eandem rem in aliis circumstantiis. At operans in dubio legis vetantis rem in talibus circumstantiis, si juxta præscriptum sententiæ benignæ procedat, non versatur in illis, sed in aliis; ideoque non exponit se periculo violandi illam legem. Rursus alia est lex & certa in se, & sufficienter applicata; alia nec certa in se, nec sufficienter applicata, sed manens

Æquivocatio argumēti multiplex detegitur.

manens dubia etiam post debitam diligentiam. Peccatum est primam violare, aut periculo eam violandi se exponere, ut dictum est. At secunda est incapax propriæ violationis, quia aut non habet vim obligandi, si fortè non existat, aut certè non potest eam vim exerere, cùm sufficienter applicata non sit. Unde operans in dubio talis legis non temerè operatur, nec dicit, ut vult Celladeus, volo hoc facere sive sit, sive non sit prohibitum per legem; sed hoc modo dicit. *Volo hoc facere, quia aut nulla est lex id vetans, aut si est, non est sufficienter applicata ut obliget.* In quo nulla est temeritas, nullus contemptus ut patet. Præterea dicit etiam hoc modo. *Volo hoc facere in hisce circumstantiis, quia in istis non vetatur, quamvis dubitem an sit lex illud prohibens in aliis circumstantiis, quæ tamen lex, etsi sit, non tamen est sufficienter applicata ad ullam obligationem inducendam, etiam pro illis circumstantiis.* Hoc modo se habet operans in circumstantia legis aut facti dubii, quando juxta benignæ sententiæ præscriptum operatur, qui proinde cum debita submissione, absque temeritatis vel contemptûs ullius apparentia, procedit.

Objectio 3. 59. Objicitur tertiò. Jussi sumus legem Dei benè scire, ac custodire. Item ubi dubitamus, quærere, orare, Scripturas scrutari, &c. Hæc intelliguntur de legibus verè existentibus, quas Deus dedit, & observari vult. Ergo Deus non vult nos casualiter nos gerere in operationibus ad ista mandata spectantibus, alioquin nec scire, nec quærere teneremur, sed sufficeret fortè fortunâ operari. Atqui omnis dubitans hoc modo se habet, si sectetur partem minùs tutam: ergo ex lege divina tenemur ad tutiora in dubio. Ita Celladeus §. 5.

Non tangit controversiam præsentem. Respondeo quid ad rem? Tenemur quidem legem Dei scire quantum humano modo possumus, & in dubio vi legis reflexæ tenemur veritatem quærere. At de hoc non agitur, sed de eo solùm, an si post omnem conatum lex seu factum maneat dubium, adhuc teneamur ad partem tutiorem. Hoc unicè probandum erat. Jam Deus vult nos non fortuitò nos gerere circa violationem legis certæ & cognitæ, ut dictum est. At si lex post diligentiam adhibitam lateat, non ampliùs prohibet Deus actionem talem; tum quia lex illa non obligat, tum quia operatio consequens talem diligentiam afficitur peculiaribus circumstantiis illam honestantibus, ad quas lex illa dubia non extenditur. Ergo neque ex lege naturæ, neque ex lege divina tenemur ad tutius in omni dubio; sed neque ex lege positiva, ut mox ostendam contra Celladeum, qui quæstione decima argumentum ex hoc capite petitum proponit, atque expressis terminis tradit, partem tutiorem in omni prorsùs dubio, non tantùm ex consilio, sed ex stricto præcepto esse tenendam; ego verò hoc ipsum, utpote falsum, jam efficaciter rejeci. Quare solùm superest argumenta contraria solvere.

SOLVITUR OBJECTIO

Ex Jure Canonico desumpta.

Jus Canonicũ an doceat partem tutiorem in omni dubio esse tenendam? 60. OBJICIT primò. Jus Canonicum plurimis in locis supponit, partem tutiorem necessariò tenendam esse in omni dubio. Resolvit enim casum per hanc regulam, *quòd in dubio pars tutior sit tenenda.* Itaque Jus Canonicum supponit, hanc obligationem jure naturæ ac divino esse inductam. Supponit, inquam, eam potiùs, quàm inducat, quia assumitur ut regula juris, *quod tutior pars tenenda sit in dubio.* Regulæ autem sunt ex jure, non jus ex regulis, ut communiter Canonistæ ac Juristæ tenent. Porro tres sunt textus, ex quibus potissimè sumi videtur hæc regula. Omnes autem habentur in eodem titulo *de homicidio voluntario & casuali.* Primus est *caput ad audientiam*, in quo quidam Presbiter declaratur irregularis merè ob dubium homicidii casualis. Vulneraverat is casualiter famulum suum, dum eum cingulo suo, cui cultellus adhærebat, verberaret; cultellus enim vaginâ elapsus famulum in dorso aliquantulùm vulneraverat. Supervixit famulus aliquamdiu, & à vulnere curatus est, mox alia graviori infirmitate superveniente extinctus est; hæc autem ita contigerunt, ut dubium relinquerent, an famulus ille ex vulnere moreretur. His præmissis, Clemens III. sic de hac re decernit. *Quia verò utrùm occasione vulneris decessisset, dubium habetur: tuæ discretioni duximus respondendum, quod cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbitero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, &c. si verò ille ex altera infirmitate obierit, poterit divina Officia celebrare.*

Secundus textus est *cap. significasti 2.* in quo quidam Presbiter maleficum, qui Eucharistiam & ornamenta altaris extra Ecclesiam asportaverat, ligone percussit. Mox parochiani videntes furem ornamenta asportantem accurrunt, eumque gladiis & fustibus in eodem loco occidunt. His peractis, dubitabat Presbiter, an ipse ictum lethalem inflixisset, & ideo reputandus esset irregularis? Huic casui, post plura clarè distinctéque enuntiata, sic Respondet Innocentius III. *Quòd si discerni non possit ex cujus ictu percussus interierit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet. Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Caput significasti, de homicidio.

Tertius textus est *caput Petitio*, in quo clericus, eruptione cum aliis clericis & laicis è castro facta, contra inimicos Christiani nominis pugnans plures percussit, sed nesciebat, an suis ictibus quempiam occidisset, quamvis in conflictu plures hinc inde essent interfecti. Huic ergo metuenti, an hac de causa censendus esset irregularis, respondet Honorius III. *Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet à ministerio altaris abstineas reverenter, cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Hi textus expressè supponunt obligationem sectandi partem tutiorem in dubio. Ita Celladeus *quæst. 10. §. 1.* qui citat etiam *cap. Juvenis, de sponsalibus.* Et *Clementinam, exivi, de verborum significat.* Quos textus, quamvis plures magni illos faciant, ipse tamen existimat abs re adduci, idque judicat clarè demonstratum esse à Cardinali Pallavicino *de actibus hum. disp. 9. quæst. 4. num. 10. & 11.* Caput petitio, de homicidio.

Respondeo me textus istos fusè explicuisse *quæst. 26. de Consc. probabili*, atque ex illis ipsis aliisque sacris Canonibus benignæ sententiæ veritatem ostendisse. Textus enim isti apertè supponunt, solutionem probabilem dubii sufficere ad sectandam partem minùs tutam. Legantur ibidem dicta, quia non est cur hîc repetantur. Verùm quia ibi non tam agebatur de dubio quàm de solutione probabili, ideo sistendo in terminis propriis præsentis quæstionis, 1. Respõdeo.

61. Respon-

Lex certa dubiam ejusdem trãsgressionem prohibet, nisi peculiaris ratio obstet.

62. Respondeo secundò. Casus horum textuum non urgere, quia omnes, aut certè duo ultimi procedunt de dubio contra legem certò existentem: Lata enim erat lex, ne homicida culpabilis altari deserviret, &c. tales autem leges, nisi peculiaris ratio obstet, non minùs prohibent dubiam quàm certam transgressionem; sicut lex non occidendi non solùm prohibet actum, qui certò necem illaturus est, sed etiam actum omnem de quo dubitatur an sit necem allaturus. Atque hinc est, quod Pontifices in istiusmodi casibus declaraverint, homicidas dubios esse irregulares, & non minùs ligari lege illa Ecclesiastica, quàm certos; sicut omnes dicunt nos lege naturali obligari ad abstinendum non solùm à certo, sed etiam à dubio homicidio, quia lumine naturæ notum est, quod lex prohibens homicidium, non solùm certam sed etiam dubiam occisionem prohibeat. In his ergo aliisque similibus ultrò fatemur, semitam tutiorem esse terendam, & ex una parte nullum, ex altera magnum periculum imminere, nempe periculum contraveniendi legi verè existenti, & sufficienter applicatæ, ex quo periculo ritè inferimus, actionem illam esse malam, & in hisce circumstantiis per illam eandem legem absolutè prohibitam. Verùm hinc non sequitur, quod par sit obligatio in omni prorsùs dubio, ut supra ostensum est. Distinximus enim dubium facti à dubio legis, & dubium facti contra legem certam à dubio facti contra legem dubiam; neque enim ulla est paritas unius ad alterum, ut ibi quoque indicatum est.

Pontifices in titulo de homicidio supponunt non dari obligationẽ sectandi tutiora in omni dubio.

63. Et sanè si sermo sit de dubio universim sumpto, nil manifestius vel ex hoc ipso titulo *de homicidio*, quàm Pontifices supponere, nullam dari obligationem sectandi partem tutiorem in omni dubio. Legantur capita 9. 13. 14. 16. 21. 22. 23. & 25. hujus tituli, & in illis apertè videbis, Pontifices, non obstante morte ex quorundam Clericorũ actionibus sequuta, declarasse eos non fuisse irregulares. Ergo à fortiori idem declarassent, si, reliquis stantibus, fuisset dubium, an mors sequuta fuisset. Sed quid? numquid non dubium erat, an isti etiam ab altaris ministerio arceri deberent? Utique dubium fuit, quia plurimi gravissimique viri quæstiones has Pontifici solvendas tradidere. Cur autem non responderunt Pontifices ad hos casus, sicut ad priores in superiùs allatis exemplis contentos responderunt, *in dubio tutius tenendum est*? Dicam, quia bene sciebant, non constare de lege ulla, quæ eos redderet irregulares, qui attendentes rei licitæ casualiter & sine culpa homicidium committerent. Nam quamvis alii dubitarent, an talis lex daretur, & quamvis fortassis ipsimet Pontifices dubitarent an talis lex fuisset condita; quia tamen sciebant illam non esse certam sed dubiam, responderunt illam neminem arctare, sed omnes esse liberos, ac si certò constaret, nullam ejusmodi legem fuisse conditam. At in casu homicidii imputabilis, etiam dubii, contrarium censuerunt, quia bene sciebant, legem extare, quæ omnem culpabilem homicidam ab altari arceret, quæque proinde contravenientes tali legi irregulares redderet. Videbant autem talem legem ex æquitate extendi ad arcendum etiam homicidam dubium ab altari, quia eadem lex quæ vetat celebrationem fieri ab homicida, vetat illam fieri etiam ab homicida dubio, quamdiu contrarium non exprimitur in Jure, aut ratio peculiaris non obstat. Tantùm ergo abest, ut ex hoc loco probetur universalis obligatio sequendi tutiora in dubio, ut potiùs oppositum probetur, & tota res declaretur per illam ipsam distinctionem, quam nos ad præsentes textus attulimus, quamque antea etiam exposueramus.

Videntur fũdari in eo quod in uno casu lex certa daretur, in alio verò solùm lex dubia.

64. Hoc autem maximè ex eo patet, quòd Pontifex ipse *in cap. significasti 2.* quod maximè favet Celladeo, ponat casum (qui habetur post textum, cui interjectus erat) de homine, quem constabat ab uno tantùm ex multis fuisse interfectum: quærit autem Pontifex, an omnes in eo casu sint habendi irregulares, cùm discerni nequeat, qui debeant culpabiles judicari? Huic autem quæstioni non respondet, sicut casui in *illo cap.* contento responderat, scilicet tutiorem viam tenendam esse, & unumquemque quoad præsentem quæstionem reputari debere homicidam, quamvis fortè homicida non sit. Et tamen in eo etiam casu dubium fuisset, an hic particularis homo alium occidisset. Ergo Pontifex in hac ipsa re, etiam quando homicidium peccaminosum & imputabile est dubium, non censuit universaliter partem tutiorem esse tenendam, alioquin eodem modo ad hunc casum respondisset, sicut ad priorem; quia uterque casus in ordine ad præsentem quæstionem fuisset planè idem, cùm in utroque ex æquo homicida, etiam dubius, ab altari arcendus fuisset. At Pontifex non ita respondet, sed solùm dicit de hac re diligenter cogitandum, & casum istum ab alio esse valde diversum. Et ratio esse potest eadem, quam jam insinuavi, quia scilicet in hoc casu non constabat, hanc determinatam personam percussisse alterum aut illi nocumentum intulisse, cùm in priori casu constaret Presbiterum ligone, &c. ut dicebatur, etiam in capite furem percussisse, adeoque actionem in alterum exercuisse, quæ & ob gravitatem instrumenti, & partis percussæ præstantiam & teneritudinem facilè lethalis existimatur. Quocirca credibile videtur, diversam hanc Pontificis resolutionem in alio non fundari quàm in eo, quòd in priori casu constaret legem latam esse, ne quis celebraret qui alium inflicto vulnere occidisset, quam legem non constat adversus eos latam, de quibus dubium erat, non solùm an occidissent, sed etiam an ullo modo alium percussissent; alioquin si ex æquo constasset, legem utrumque casum involvere, Pontifex pro utroque casu eandem prorsùs sine ullis ambagibus responsionem dedisset. Quod cùm non fecerit, apertè ostendit, longè diversam habendam esse rationem de dubio circa legem, ac de dubio facti, quod à lege certò prohibetur. Itaque & nullitas argumenti, & tota doctrina nostra ex hoc ipso titulo confirmatur.

Pontifex in ipso capite *significasti*, suppõnit nõ omne cubium de homicidio etiã culpabili inferre obligationẽ sectandi partẽ tutiorem.

65. Hæc est genuina responsio, ex ipsa rerum gestarum legumque natura desumpta, quam Celladeus aut nullo modo aut solùm confusè vidit. Refert quidem §. 2. plurium responsiones, easque postea tanquam insufficientes, sed immeritò & insufficienter rejicit, ut mox ostendam. Inprimis ergo, plures, inquit respondent, has & alias ejusmodi decisiones procedere de dubio practico, in quo juxta omnes tenemur ad partem tutiorem. Hæc responsio veram solutionem continet, quia etsi dubium de homicidio per actionem culpabilem admisso non sit proximum, & propriè practicum, necessariò tamen connectitur cum dubio proximo & practico, ut ostensum est; ideoque eadem doctrina æqualiter procedit de utroque dubio, quia in his & similibus casibus dubium remotum & speculativum necessariò

Textus isti solũ loquũtur de dubio practico, vel de dubio inferente dubiũ practicum.

sariò infert dubium proximum & practicum. Huic responsioni aliud non reponit Celladeus, quàm quòd eadem sit ratio dubii speculativi & practici, & remittit se ad rationes præcedentes, quibus id convinci autumat; sed illas prorsùs nullas, æquivocationibusque plenas invenimus, & ut tales rejecimus. Præterea ingens est disparitas inter talia dubia, ut clarè constat ex dictis.

Celladeus immeritò dicit, nos non clarè mentē nostram explicare.

66. Subdit tamen, vix apparere quid velimus, cùm fateamur eandem esse rationem dubii speculativi ac practici, quando non adest causa rationabilis variandi in judicio practico. Sed assertio nostra est nimis perspicua; volumus quidem aliquando eandem esse rationem dubii speculativi & practici, scilicet quando dubium speculativum infert practicum, quia verè tunc eadem ratio procedit de utroque. At negamus hoc semper evenire, sed probamus dubium speculativum sæpe non obstare, quò minùs conscientia, dictans opus hîc & nunc esse licitum, rationabiliter formetur. Quid hoc asserto clariùs, & intelligibilius?

Secunda & tertia responsio aliorum ad dictos textus.

67. Respondent alii 2. has decisiones intelligendas esse de iis solùm casibus, qui in illis continentur, nec extendendas ad alios, & multò minus ad omnes casus dubios.

Ratio hujus rei desumitur à tertia Auctorum responsione, quæ asserit, congruentiam in genere sectandæ partis tutioris non esse præceptum, sed consilium; ut ex innumeris exemplis patet, in quibus pars minùs tuta licitè eligitur. Itaque axioma illud universaliter sumptum non est nisi consilium in quadam æquitate rationis naturalis fundatum. Hac æquitate nixus Pontifex in casibus propositis gravem obligationem induxit, quæ nec ad omnes, nec ad alios casus, etiam similes, est deducenda.

Sanchez benè probat, neminem in dubio juris cēsendum irregularem.

68. Fundamenta harum interpretationum Celladeus recitat ex Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 10. qui ibi contendit, neminem in dubio juris reputari debere irregularem, sed neque in dubio facti extra casus in dictis capitibus expressos. Fundamenta prioris asserti sunt primò *ex cap. Is qui, de senten. excomm. in 6.* ubi deciditur, irregularitatem non incurri ob casus similes, aut jus apparens, sed solùm in casibus in jure expressis. Ergo à fortiori non sufficiet, ubi totum jus est dubium.

Confirmatur: Textus inducentes irregularitatem in homicidio dubio, solùm loquuntur de dubio facti. Ergo nullus est irregularis in dubio juris cùm nullum sit jus hoc statuens. Secundò dispar est ratio in dubio juris, & in dubio facti, quia jus dubium nequit suum effectum, id est obligationem, inducere, cùm de ipso Jure dubitetur. At, stante dubio facti, potest esse jus certum statuens eam irregularitatem. Tertiò, nemo in casu juris dubii condemnari potest ut irregularis, quia judex juxta jus sententiam ferre debet. Ergo nemo in tali casu censendus est irregularis, nequidem in foro conscientiæ, cùm forum conscientiæ sit mitius foro externo. Quartò, in pœnis ipso jure inflictis, qualis est irregularitas, delinquens ipse est judex, qui & contra se profert sententiam, & illam etiam in seipso exequitur. Ergo in dubio juris non tenetur exequi pœnam in seipso, sed ex eodem principio seipsum potest absolvere, quò in foro externo à judice externo absolveretur. Quintò demum, jus dubium non est sufficienter promulgatum & applicatum. Ita Sanchez *num 42.*

69. Idem author *num. 48.* probat alteram partem, scilicet irregularitatem non incurri in aliis casibus dubiis, sive juris sive facti, sed solùm in casu homicidii dubii, ac proinde in aliis dubiis standum esse pro possessione. Primò: omnia jura clamant in dubio delicto reum esse absolvendum. *Reg. favorabiliores 168. ff. de reg. Iuris. & cap. cùm sunt, eodem titulo, in 6.* ubi expresse habetur, *cùm sunt jura partium obscura, reo favendum est potiùs quàm actori;* ubi Glossa dicit, reum in eo ipso absolvendum, quòd actor non probet delictum, & ideo hæc regula apertè procedit de utriusque generis dubio, atque idipsum expressè traditur *in cap. unico, ut Ecclesiastica beneficia,* versu, *cùm enim*, ubi hæc habentur, *cùm enim Iuris sit explorati, quòd, actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debet absolvi*, quod perinde est, ac si diceret, etsi reus non probaverit se innocentem, tamen sola negatio probationis in actore est sufficiens ratio absolvendi reum. At quoties factum manet dubium, delictum non est probatum. Ergo tunc reus absolvendus est, quamvis altera pars sit æquè dubia; & hæc est consuetudo tribunalium. Itaque cùm hæc sit regula juris, & quidem rationi consona, non est ab illa recedendum absque textu expresso, qui extra casum homicidii dubii non invenitur. At ille extendi non debet ad alias irregularitates contra aliam regulam juris. Adde forum internum à foro externo in nullo discrepare, nisi quando forum externum ex falsa præsumptione procedit, qualis certè nulla est in præsenti casu. Ergo, extra illos casus expressos, nemo ob dubium ullum juris vel facti habendus est irregularis, nec in foro externo, nec in foro interno. Et sanè, si omnia benè perpendantur, hoc dubium non est tam dubium facti quàm juris, quia tandem quæstio devolvitur ad hoc, an jus statuerit irregularitatem pro factis dubiis extra casum homicidii. At hoc jus est dubium. Et nemo in dubio juris censendus est irregularis. Ergo nec in hoc dubio. Ergo præmissæ illæ decisiones de irregularitate nequidem ad alios casus irregularitatis extendendæ sunt. Et multò minùs ad omne dubium in genere. Hæc fermè Celladeus in Thoma Sanchez, quæ sine dubio valdè fundatè dicta sunt; & validissimè confirmant nostram sententiam, quia probant quòd in materia irregularitatis sæpe non teneamur ad partem tutiorem in dubio. Sed videamus quid Celladeus opponit.

70. Opponit primò. Quod pœna irregularitatis non extendatur ad casus similes in jure non expressos, æquè facit contra nos. Deinde hoc ipsi non repugnat, quia non agit de casibus similibus, in quibus potiùs certum est, eam pœnam non incurri. — Replica prima Celladei.

Respondeo, nos docere homines in aliquo saltem dubio non teneri ad partem tutiorem, & asserimus casum dubium tam de jure inducente irregularitatem, quàm de facto, cui irregularitas annectitur. Deinde probamus nos in hoc dubio non teneri ad partem tutiorem. Quid hoc faciat contra nos, nec Oedipus dixerit, cùm evidentissimè probet intentum nostrum. Sed quid? fortè hoc ipsum Celladeo non repugnat? Verè ipsi non repugnaret, si certò constaret, legem latam esse, quæ disertè statueret, irregularitatem non incurri in ullo casu dubio nisi in casu homicidii. At non constat de tali lege. Neque enim certum est, caput illud, *is qui*, hoc universaliter aut statuere, aut supponere. Quid ais Celladee? est ne certum, quod dubius de mutilatione, de legitimitate, & aliis similibus non sit irregularis? minimè; — Ostenditur insufficiens.

minimè; quia caput illud solum dicit, irregularitatem non incurri propter celebrationem in templo polluto, quia hoc non est expressum in jure. At, hoc non obstante, irregularitas per legem statuta est propter mutilationem, & defectum natalium, &c. Quidni ergo etiam propter dubiam mutilationem aut legitimitatem, &c. statuta sit? oppositum non certò sed solum probabiliter deducitur ex *illo cap.* Ergo versamur in casu quæstionis, quæ ex hoc ipso argumento deciditur contra Celladeum, quia, non obstante dubio aut juris aut facti alicujus, per varias rationes consurgere possumus ad probabiliter concludendum, nos non teneri ad partem tutiorem in tali dubio sectandam.

Secunda Celladei replica.

71. Opponit 2. Regulæ & doctrinæ faventes reo, ac usus tribunalium adducuntur abs re; quia eliduntur aliis juribus. Si enim jura clamant, *Reum absolvendum in dubio*: clamant etiam, *tutiorem partem in dubio tenendam.* Jam ne priora violentur, tu interpretaris secunda esse de consilio, vel solùm locum habere in casibus expressis. At ego, inquit Celladeus, eodem jure contendam, priora esse solùm de consilio, vel extendi solùm ad casus in jure expressos, ut sic inviolata censeantur axiomata posteriora. Ergo nil ex hoc infertur, sed quærenda est concordia, vel nescientia veri sensûs est fatenda.

Insufficientia replicæ ostenditur.

Respondeo, nullam esse allisionem horum jurium; nam quod de actore & reo dicitur, haud dubiè est de præcepto, & extenduntur ad omnes casus, cùm nemo inficias eat, aut ullam exceptionem ponat, nisi fortè exceptio ipsa alicubi ponatur in jure. Ergo de hujus regulæ sensu dubitandum non est, cùm & ipsum lumen naturæ & omnium tribunalium praxis clarissimè ostendant, sensum illius esse perspicuum & universalem, atque obligationem judicibus inferre. E contrario non est certum, quòd tutiora aut universaliter, aut etiã in omni dubio sint tenenda ex præcepto, quia certum est, quod in multis non teneamur ad tutius, quod & ipse Celladeus fatetur de suo probabili, quod excusat sequentes illud, quamvis procedat de parte minùs tuta. Ergo certum est apud omnes Catholicos benè sentientes, quod tutiora non sint universaliter tenenda ex præcepto. Jam verò si agatur de casu dubii remoti & speculativi, neque certum est quod teneamur ad partem tutiorem, cùm innumeri & ferè omnes id negent. Ergo regula de parte tutiori universaliter tenenda in dubio explicanda est per regulam de favendo reo in dubio, quia jura dubia per certa declaranda sunt, non ex adverso; congruum enim est ut clarum jus limitet jus dubium, ut & per se patet, & omnes fatentur. Itaque Celladeus, regulam priorem opponendo secundæ, & contendendo id ex æquo posse fieri, per manifestam violentiam sensum legis certæ regulæque clarissimæ detorquet, & contra lumen naturæ, contra consensum doctorum, ac omnium tribunalium usum, sine ullo fundamento vocat in dubium, & per jura incerta exponit certa, eaque limitat. Reprehendendus itaque est ex hoc ipso titulo, ex quo nos reos, se autem immunem esse jactat & arbitratur.

Quod Reo sit favendũ in dubio est jus certum ac universale, quod obligationẽ secum affert.

Jus certum non debet exponi & limitari per Jus dubiũ, sed è cõtra.

3. Replica. Celladeus mira cõbinat, ut ostẽdat nos nescire, quomodò regulæ Juris cõcilientur.

72. Opponit 3. nos prodere nostram nescientiam de harum regularum concordia, & illas reipsa habere pro inconcordabilibus. Hoc ut probet, sic pergit. Tenetis, inquit, doctrinam de parte tutiori tenendam esse universaliter de consilio, & huic universali æquitati inmixum Pontificem per novam legem induxisse gravem illam obligationem quoad casus illos dubios. Mox affertis aliam doctrinam universalem, quòd in dubio reo sit favendum, quod reus absolvendus sit, actore non probante. Cur ergo Pontifex non absolvit eos in casu illo dubio? cur illos damnavit? scis quare? quia illi erant rei, etiam antequam Pontifex illos expresè damnavit ut irregulares. Præterea ex eadem vestra doctrina sequitur, Pontificem simul & semel contra ac juxta rationem fecisse. Juxta quidem, quia innititur doctrinæ rationabili de tutiori parte. Contra verò, quia contra aliam universalem doctrinam, etiam rationi consonam, damnat reum in dubio. Rursus tenemini asserere, doctrinam de tutiori parte ne quidem esse de consilio, tum quia contrariatur alteri doctrinæ universali, quàm præfertis; tum quia forum exterius, ex quo ad interius arguitis, nec de consilio tenetur condemnare reum in dubio. Imò si arguendum sit à foro externo ad internum, quod mitius est externo, sequeretur, homines peccare tutiorem partem eligendo, quia judices peccarent damnando reum in dubio. Ergo ista jura conciliare nescitis: sed habetis illa pro inconcordabilibus. Ita ille.

Respondeo, mirum mihi videri, talia à viro prædocto combinari, ac objici potuisse. Inprimis ergo perspicuum est, nos optimè conciliare illa jura, nam reo à Judice favendum est semper, quamdiu crimen non probatur; & hoc non consilium sed præceptum est, quamdiu dubium est, an sit reus ejus noxæ aut notæ, de qua quæritur. Jam verò quod plerumque sit solùm consilium sequi partem tutiorem in dubio, aut quòd pars tutior sit etiam tenenda de præcepto tam in dubio practico, quàm in omni dubio necessariò connexo cum dubio practico, nulla ratione contrariatur præcepto de favendo reo; nam qui practicè dubius est, eo ipso reus est sectandi partem tutiorem, cùm de honestate partis minùs tutæ nullum conscientiæ dictamen formare possit, ut patet.

Regulæ de favendo reo in dubio & de sectanda parte tutiore in dubio conciliãtur.

73. Cur ergo Pontifex eos non absolvit in illo dubio? Respondeo inprimis, ideo eos non absolvit, quia etsi dubium esset de facto an essent homicidæ, non tamen dubium erat de lege, & an essent indirectè saltem irregulares, quia existimabat eos à divinis arceri per eam legem, quæ simpliciter prohibet homicidam altari ministrare, ea prorsùs ratione, qua omnes ab actione, de qua dubitatur an sit illatura homicidium, arcemur per eam legem, quæ homicidium vetat. Ergo Pontifex habuit eos ut irregulares, & absolutè reos. Idemque jam etiam dicendum esset de quibusvis aliis dubiis facti, cui irregularitas imponitur, nisi per posteriorem legem satis indicatum esset, neminem habendum irregularem, nisi ob casum clarè expressum in jure.

Pontifex declaravit illos irregulares, quia habebat illos ut absolutè reos.

74. Respondeo 2. Dato, non concesso, quòd non constaret, legem illam certam fuisse extensam ad homicidam dubium ab altari arcendum, dicendum tamen est, Pontifices illos sensisse legem illam ad tales casus dubios extendi, atque ideò suis illis decretis extendisse legem statuentem homicidas esse irregulares, ad certò comprehendendos homicidas etiam dubios, ut sic in posterum omnis circa hoc difficultas cessaret. Et sanè, universaliter periculosum erat talibus hominibus altari ministrare; eò quòd frequentissimè dubium practicum occurrisset, an tenerentur ab ordinis ministerio abstinere: ex alia verò parte multa eos stimulassent ad ministrandum in ordine. Ergo versati fuissent in periculo peccati. Huic malo

Pontifices censuerunt, legem latã ad casus illos dubios extẽdi, ideòque eam disertè ad illos extenderũt.

malo ut præcaverent Pontifices, declárarunt eos esse irregulares, eò quòd universaliter loquendo tutius illis esset se pro talibus gerere, quàm semper exponi periculo contraveniendi legi certæ, quæ non poterat non valdè probabiliter æquè obligare in homicidio dubio, ac in certo. Et quidem credibile est, Pontifices existimasse non extensionem illius legis ad homicidas dubios non fuisse probabilem, sicut videtur non fuisse; ideoque rectè conclusisse, oppositum fuisse temerarium, eaque declaratione legem illam practicè extendisse ad homicidas dubios certò complectendos. Hæc de sensu & concordia harum constitutionum, quæ mihi videntur non tam fuisse leges propriè novæ, quàm novæ & certæ extensiones legis antiquæ; quamvis tales extensiones de novo factæ non incongruè dici possint leges novæ. Sicut enim verè sunt leges, & de novo conditæ, ita indubiè sunt aliquo modo leges novæ, quamvis agant de re, circa quam leges priores stabilitæ erant; de quibus tamen non usque adeo certò constabat, eas ad casus illos dubios fuisse extensas. Itaque Celladeus immeritò carpit eos, qui decreta ista leges novas appellant.

Sola æquitas fuisset causa sufficiens condendi novas istas leges.

75. Respondeo 3. Quamvis ante has declarationes nulla in puro dubio fuisset obligatio gerendi se pro irregulari, nihilominus ex sola æquitate regulæ illius, *quòd in dubiis tutiora sint tenenda*, meritò potuisset Pontifex novam illam legem condere. Hoc enim in omnibus fermè legibus humanis cernitur, cùm pleraque non ex necessitate, sed solùm ex congruitate statuantur. Dixi *in puro dubio*, utpote in quo nulla fuisset probabilitas homicidii; ideoque in puro illo dubio solùm consilium fuisset partem tutiorem sequi, & legi contra homicidas latæ obtemperare. Ratio est, quia Pontifex ob solam æquitatem rationabiliter poterat dictas leges statuere, obligando ad æquitatem illam. Et talis videtur lex contenta in *cap. ad Audientiam*, quod procedit de dubio causali, & in quo nulla est mentio de temeritate contrahenda ab eo, qui, non obstante dubio, celebrasset. At in reliquis duobus capitibus homicidium casuale non erat, sed percussio & vulneratio fuerat voluntaria, omnibusque inspectis, ita probabile erat homines illos fuisse homicidas, ut oppositum non fuerit probabile. De his autem non videtur dubium, quin Pontifices censuerint illos, quoad abstinendum ab exercitio Ordinum, lege homicidarum teneri; atque ideo mentionem fecerunt temeritatis in celebrando, quia tales, etiam ante has declarationes, utique temerè celebrassent. Itaque pro his constitutionibus existimo, non solùm æquitatem abstinendi, sed etiam notam temeritatem exercendi Ordines, induxisse illos ad præfatas sanctiones evulgandas. Sed & Sanchez ipse sat clarè hoc expressit, ostendens quod sicut magna est diversitas inter casus *illorum cap.* ita pariter longè aliter Pontifices loquuntur de posterioribus, ac de primo. Pontifex ergo potuit legem *prioris cap.* ex mera æquitate dictare, & duas posteriores ex prævia quadam necessitate statuere, cùm duæ ultimæ sicut supponunt jus antiquum ad illos casus extendi, ita expresè declarant, quod homines in casu talis dubii eidem pœnæ subjaceant quoad sacrorum Ordinum administrationem, cui homicidæ certi subjacent. Ex his constat, Pontificem ita in duobus posterioribus capitulis habuisse Presbyteros illos reos, ut in primo capitulo non certò videatur Presbiterum reum supponere; fortassis ergo legem novam condidit, qua illum tali pœnæ ex quadam æquitate subjecit. Neque hinc sequitur, Pontificem in eadem declaratione & juxta & contra rationem fecisse. Nam in priori casu ita egit ex æquitate, ut non damnarit reum ob dubium legis prioris, sed novam condiderit, per quam illum eidem pœnæ subjecit. At in duobus reliquis damnavit eos ut reos, quia etsi homicidium non esset certum, irregularitas tamen videbatur certa, quia valdè probabile erat, Presbiteros illos homicidum commisisse, & quia erant culpabiles ob actiones Clerico valdè indignas. Certum autem videbatur, legem, vetantem homicidas voluntarios in sacris ministrare, extendi ad eos, qui talia sponte gererent, quæ non solùm apta erant ad mortem causandam, sed insuper maximam probabilitatem inducerent, quod vulnus lethale inflixissent. Ubi ergo, quæso, est illa Pontificum actio, quæ simul & semel sit juxta & contra rationem? Nullibi, nisi in apprehensione Celladei, qui simul & semel complectens plures casus inter se dissimiles, eosque confundens, tribuit omnibus, quæ non omnibus sed aliquibus tantùm conveniunt. Aliqua enim ex uno, alia ex altero principio sunt stabilita, non autem singula ex utroque, ut immeritò, & sine ulla probatione supponit.

Magna Celladei æquivocatio.

76. Præterea Celladeus in hac ipsa re ingentem æquivocationem passus est, quia supponit, Pontifices declarâsse, Presbiteros illos reos ejus rei, de qua dubium erat, an essent rei. Sed non est ita: non quærebatur, an illi essent declarandi absolutè homicidæ, quia supponitur id aut dubium, aut saltem incertum fuisse. Quare dico, si Pontifex eos absolutè reos homicidii damnasset, egisset utique contra omnia jura, quæ clamant, reum in dubio esse absolvendum; sed quærebatur, an, stante illo dubio, essent irregulares, nec nè? Jam peto à Celladeo, an irregularitas eorum esset dubia apud Pontifices, an certa, vel saltem probabiliter existimata? Si dubia, utique Pontifices egissent contra jura omnia, si ex vi jurium antiquorum eos declarâssent irregulares. Ergo non aliter dici possent rationabiliter egisse, quàm condendo novas leges, per quas eos irregulares constituebant. Quòd si irregularitas eorum habita est certa, dicat velim Celladeus, quomodò Pontifices pro motivo attulerint, *quòd in dubio tutior pars sit tenenda*, cùm hîc nullum prorsùs fuisset dubium de re quæsita? Si verò irregularitas eorum erat solùm probabiliter credita, peto inprimis, quomodò regula de dubiis locum habeat, cùm per decisionem probabilem dubitatio tollatur? Peto secundò, an illa probabilitas sufficeret necne ad condemnandum reum? Si non sufficiebat, Pontifices egerunt contra rationem & jura, si ex jure antiquo sententiam tulerunt; nec aliter ab hoc excusari possunt, quàm si dicantur leges novas condidisse. Si sufficiebat, tunc quidem ex vi legis antiquæ poterant decisionem formare, & ea occasione arrepta per legem novam declarare, omnes ejusmodi homicidas dubios esse irregulares, ut ita omnis in posterum dubitatio tollatur, quæ non potest non sæpe incurri, quando res opinioni subjacet. Itaque congruum fuit, & quodammodo pro uniformitate publica necessarium, ut istæ decisiones ita extenderent antiquas leges, ut quoad illam indubitatam ac fixam extensionem essent & haberentur leges novæ. Hæc qui considerat, videbit, nî fallor, Celladeum suam magis quàm nostram de harum legum & regularum concordia & usu nescien-

Pontifices, si in dubio irregularitatis eos damnassent, defendi non possunt, nisi dicantur novas leges condidisse.

nescientiam prodere, & sine novarum legum admissione (quod tamen audire non vult) non posse illas inter se conciliare.

Nostra harum legum & regularũ concordia.

77. At nos omnia facilè conciliamus; dicimus enim, Pontifices non processisse in casu irregularitatis propriè dubiæ, sed solùm in casu homicidii dubii, quo dubio stante, ipsi probabiliter saltem judicabant eos esse reos irregularitatis, & obligatos ad abstinendum ab exercitio Ordinum ex vi legis, arcentis homicidas à suscipiendis & exercendis Ordinibus. Jam, stante hac probabilitate, quamvis non esset certum, eos peccaturos fuisse contra legem exercendo Ordines, id tamen erat valde periculosum: unde temerarium erat sic celebrare, cùm ita probabile esset, talem celebrationem esse illicitam, ut oppositum non esset probabile. Quare etsi inhonestas talis operis non esset propriè dubia, quia tamen planè certa non erat, aliquo modo dubia censebatur. De hoc dubio, & de hac temeritate loquitur Pontifex, & in illo fatemur dari obligationem sectandi partem tutiorem. Et quidem *duo postrema capitula* de hoc dubio procedunt, quæ proinde ex una parte declarant, & quodammodo extendunt antiquum jus; ex altera verò, quatenus extensionem illam certam reddunt & indubitatam, & sunt & dici debent leges novæ. Quod si quis contendat, ipsam irregularitatem fuisse dubiam in casu *cap. ad audientiam.*, tunc dicendum est, Pontificem novum penitus jus statuisse, & non condemnasse homines, quos jam reos habebat, sed eos reos sua constitutione fecisse. Hactenus dicta eò tendunt, ut ostendam, magnam inter casus horum Capitum esse diversitatem, quam Sanchez benè examinat; ex ea autem diversitate culpandus non esset, qui diceret, nullam in primo casu fuisse obligationem sectandi partem tutiorem, antequam Pontifex legem illam penitus novam ederet; qui proinde in illa edenda, non ex necessitate, sed ex mera congruentia processit.

Illatio Celladei peccat contra Logicam.

78. Sed quid? Fatendúmne nobis est partem tutiorem ne quidem ex consilio sectandam esse? Nullo modò: non enim repugnant illa jura, neque de eodem casu pro eisdem circumstantiis loquuntur, ut ostensum est. At dices: in foro externo, à quo arguimus, non licèt ne quidem de consilio damnare reum. Ergo sequi partem tutiorem in dubio non est ne quidem de consilio. Negatur consequentia, quæ similis est isti: non licet judici ne quidem de consilio cogere me ad dandum eleēmosynam, quando post omnia inspecta dubium est, an obliger: Ergo non est consilium mihi dare eleēmosynam in tali dubio. Duo evidenter refellunt talem illationem. Primum est, quòd in ipso antecedenti complicentur termini sibi prorsùs contrarii, & *consilium* adjungitur *necessitati*, sicut si diceres, *non licet de consilio peccare.* Certè judex tenetur non damnare reum in dubio. Ergo dicere, non licet de consilio illum damnare in dubio, est dicere, non licet de consilio peccare; quæ est locutio tam impropria propter unionem terminorum, quorum alter non potest supponere pro suo significato in illa conjunctione, ut indigna sit quæ proferatur ad firmandum argumentum, cùm sensum non faciat ob terminum necessariò non supponentem. Quid ergo ex tali antecedenti inferri potest? Secundum est, quòd pars tutior respectu judicis non est cogere reum ad id, quod reo est tutius, sed è contrario, pars tutior respectu judicis est reum non cogere ad tutius. An ergo ex eo, quòd non sit consilium judici sequi partem sibi minùs tutam, inferri potest, quòd non sit consilium reo sequi partem sibi tutiorem? nullo modo. Improportionata sunt ista, & prorsùs disparata; ut ex uno alterum ulla ratione inferri possit.

79. At saltem sequitur, inquit Celladeus, quòd sit peccatum eligere partem tutiorem; si enim valet arguere à foro externo ad internum, rectè sic infertur, *peccat judex damnando reum in dubio. Ergo peccant homines eligendo partem tutiorem in dubio.* Respondeo, me Logicam ac Theologiam huic similem apud neminem cordatum hactenus legisse; nam si argumentum resolvatur, hunc sensum habet. Peccat judex sectando partem minùs tutam, imò certò malam. Ergo peccamus nos sectando partem nobis tutiorem. Quæ autem isthæc est Logica? Quæ Theologia? At, inquies, per nos valet argumentum à foro externo ad internum. Valet utique, si termini retineant congruam ac debitam proportionem: & velis nolis Celladee, valet argumentum Sanchez à foro externo ad internum, cui hactenus non respondisti, nec debitè respondebis, quia planè intentum convincit. Sic arguit Sanchez. Si judex fori externi, totâ causâ auditâ, & omnibus, quæ ego habeo in conscientia, etiam exteriùs probatis, non potest me condemnare reum irregularitatis: neque ego teneor me in foro interno illius pœnæ reum damnare, sed possum licitè me absolvere in illo foro, sicut judex potest in foro externo. Hoc argumentum validum est, quia utrùmque forum convenit in judicio, quando externum non nititur præsumptionibus diversis ab iis, quibus nititur internum. Huic argumento respondendum erat, Celladee, in quo nulla terminorum sibi contradicentium commixtio, nulla à sensu disparato argumentatio invenitur, sed omnia ex æquo, & simillima vocum significatione ac sensu ritè inferuntur. Huic argumento tu non respondisti, nec aliud reposuisti, quàm incongruas istas ac evidenter nullas consequentias. Cæterùm est & alius etiam error in hoc tuo ultimo argumento, scilicet quòd circumstantiæ antecedentis prorsùs variæ sint à circumstantiis consequentis. Ideo enim judex peccat damnando reum in dubio, quia privat reum suo jure, reo invito, cùm judex non sit dominus juris spectantis ad reum. Hæ sunt circumstantiæ antecedentis. At in consequente solus reus consideratur, qui dominus est rerum ac jurium suorum; qui proinde potest de illis pro suo arbitratu absque ullius injuria disponere. Ergo quamvis judex peccet reum damnando in dubio, quia sine domini consensu præjudicat juri alieno, non inde sequitur, reum ipsum non posse sequi partem sibi tutiorem, & suo juri sectando partem minùs tutam renunciare. Præterea tota arguendi ratio est prorsùs dissona. Antecedens procedit de eo, quòd debet fieri ob jus contrarium & repugnans. Consequens transit ad objectum soli operanti subjectum, & in pura ejus libertate absque ulla restrictione positum, ut patet. Cæterùm argumentum hoc ab apparentia veritatis minùs deviasset, si intulisset; quod sicut judex non potest in dubio reum damnare ad tutius, sic reus ipse non potest seipsum sine peccato ad illud damnare; sed nec sic valuisset, quia reus potest, si velit, seipsum suo jure privare, quo nemo alius eum privare potest, ipso nolente.

Stupenda Celladei Logica, & Theologia.

Argumentũ Sanch. & clarũ est & efficax, cui Celladeus nõ satisfecit.

Judex cur peccat dãnando reũ in dubio?

Quivis potest se ipsũ ad tutius dãnare.

80. Ecce argumentum hoc nos non tangit, sed tamen validè urget Celladeum; quia ille alios omnes, etiam nolentes & reclamantes, in dubio damnat

Argumento suo Celladeus premitur.

damnat ad tutius. Quod quo jure fecerit, ipse viderit. Hoc dico: si Judex externus in aliquo dubio non possit reum damnare, etiam quando nulla nititur falsa præsumptione, sed omnia ipsi patent quæ sunt in conscientia ipsius rei; si, inquam judex externus in tali circumstantia non possit licitè damnare reum ad partem tutiorem, ut sæpè non potest: ergo neque potest Celladeus licitè damnare omnes ad partem tutiorem in omni prorsùs dubio; quia per hoc plus præjudicat juri alieno, si ipsius sententia locum habeat, quàm ullus judex externus per unam aliquam sententiam in universali propositione Celladei contentam. Præterea Celladeus, non minùs quàm judex externus, per hoc facit contra omnia jura, quæ clamant reum in dubio non esse condemnandum. Consideret hæc, & videbit, has consequentias non ex indebita & inintelligibili terminorum combinatione, non ex incongrua & aliena antecedentis ad consequens translatione, sed ex propria verborum significatione, & valida rerum connexione rectè inferri; videbit etiam illud, quod objecit, non in nos, sed in se quadrare, scilicet quòd suam prodat nescientiam de harum regularum concordia, quodque illas pro incordabilibus reipsa habeat.

Quarta replica Celladei.

81. Opponit 4. Esto casus in his textibus contenti sint de dubio facti. At doctrina eligendæ partis tutæ in dubio est universalis, & æquè procedit de omni dubio; & quidem traditur sub terminis regulariter significantibus obligationem gravem, scilicet per terminos, *cùm in dubiis debeamus eligere partem tutiorem*, item, *in hoc dubio tanquam homicida haberi debet, cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, prò eò quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*. Hæ duæ expressiones supponunt obligationem gravem. Et quidem de secunda non est dubium, *quia temerè celebrare*, & *magnum incurrere periculum*, peccatum grave est. Sed & prima expressio, tradita per verbum *debet*, continet obligationem gravem, quoties exceptio non constat, ut sumitur ex Clement. *Attendentes, de statu Monachorum*. At hìc exceptio non constat. Ergo obligatio est gravis, eaque gravis erat etiam ante dictas constitutiones, utpote quæ præsupponunt has obligationes præcessisse, & ex illis ortum habuerunt. Ergo absque fundamento dicuntur Pontifices in his textibus novas leges condidisse; quomodò enim nova lex dicenda est illa, quæ supponit obligationem, quam asserit fuisse se anteriorem? Præterea nullum in istis constitutionibus est vestigium novæ legis, immò absurdum fuisset novam legem condere contra eos, qui omni indulgentia videbantur digni; nam unus eorum pro defensione ornamentorum Ecclesiæ contra raptorem eorundem, alter contra inimicos Crucis Christi castrum invadentes pugnaverat. Indecens autem videtur novam legem contra tales inducere.

An Pontifices supposuerint gravem obligationem præcessisse constitutiones contra homicidam dubium?

Respondeo inprimis, obligationem sectandi partem tutiorem in omni omnino dubio esse prorsùs fictitiam, ut constat ex dictis; nec huic asserto quidquam obstaret, si concederemus, gravem obligationem in omnibus hisce casibus tutiora sectandi istas constitutiones præcessisse. Non enim inde extendi posset aut doctrina aut ratio ad casus dubios de lege ipsa, &c. cùm dispar sit ratio. Narrant quidem Pontifices dubium peculiare, illoque præsupposito dixerunt, *in dubio*, & alicubi, *in hoc dubio tutiorem partem eligendam*. At qui sic loquitur, censetur doctrinam & locutionem suam ad dubia similia restringere, non autem eam ad dissimilia extendere, ut patet. Ergo quamvis admitteremus, gravem fuisse obligationem sectandi partem tutiorem in omnibus istis casibus aliisque similibus, non inde inferri posset, talem obligationem ad omnem prorsùs dubitationem extendi.

82. Respondeo 2. me prorsùs admittere, quòd ex tribus illis textibus duo ultimi præsupposuerint gravem obligationem sectandi partem tutiorem in casu, quem referunt, ideoque textus illos non esse tam propriè leges novas, quàm si processissent de rebus, de quibus aliæ leges priores nullam mentionem fecissent. Hoc sufficienter probatur ex eo, quòd Pontifex supponat tales homines temerè fuisse celebraturos. Nihilominus cùm ista irregularitas non esset certa, alioquin nullus ad Papam pro hac re recursus fuisset, istæ constitutiones quoad certitudinem hujus extensionis verissimè sunt novæ leges, ac legum novarum speciem gerunt. Cæterùm ratio, qua Celladeus hoc confirmat, non placet, ait enim, viros illos fuisse omni indulgentia dignos, ideoque non debuisse nova lege declarari irregulares. At hoc aut verum non est, aut ad rem non facit. Certè non erant magis indulgentia digni jam, quàm cùm lex antiqua inducens irregularitatem etiam pro illis ipsis casibus (quam legem vult Celladeus præcessisse) lata est. At tunc non erant digni omni indulgentia, sed potius digni habiti sunt, qui pari pœna irregularitatis involverentur cum aliis quibuscumque homicidis. Ergo etiam nunc eadem pœna digni fuissent, etsi nulla lex antiqua eos irregularitatis damnasset. Præterea tanti est Sacerdotes habere manus à Sanguinis effusione immunes, ut, ob talem effusionem voluntariam, peccaminosam, & non necessariam, omnes meritò citra ullam indulgentiam irregulares declarentur. Ergo isti, de quibus loquimur, ob eam ipsam causam digni erant, qui citra indulgentiam irregulares declararentur, maximè cùm jam, Sacerdotes facti, contra dignitatem suam & ordinem voluntariè & graviter percussissent alios. Ergo quamvis ambigua lex eos non constituisset irregulares, meritò potuissent tales declarari per has posteriores constitutiones. Falsum ergo est, eos omni indulgentia dignos fuisse. Cæterùm, si admitterentur fuisse digni omni indulgentia, hoc nihil faceret ad rem præsentem; quia sicut, non obstante dignitate sua ad obtinendam indulgentiam, decreti fuerant irregulares per antiquam legem, sic pariter poterant jam declarari per novam. Porro contra hoc nil inferri potest ex prætenso merito indulgentiæ, quod proinde abs re allatum est.

Cōprehensi in dictis legibus non erant omni indulgentia digni.

Fallitur Celladeus, & invalidè discurrit.

83. Cæterùm, si loquamur de casu primi textûs, seu *capitis ad audientiam*, non adeo fidenter dico, Pontificem supposuisse hominem illum ex casuali illo homicidio fuisse irregularem vi legis antiquæ (quamvis non sum, qui de hac re velim multùm contendere, cùm nil referat ad præsentem quæstionem, sive fuerit sive non fuerit comprehensus antiqua lege) Ex dictis enim satis constat, rem hanc esse dubiam, & non inverisimile esse, quòd non erat sufficienter institutus irregularis per talem legem. Itaque non constat, constitutionem illam non esse legem propriissimè novam. Neque enim constat, Pontificem supposuisse gravem obligationem sectandi partem tutiorem præcessisse, nec Celladeus id probat; nam quamvis verbum *debeat*, aliquando significet obligationem gravem, tamen sæpè solùm indicat decentiam

In capite ad audientiam dubium est, an obligatio declaratione præcesserit.

Verbum *debet* quando significet obligationem?

decentiam & æquitatem, ut omnes fatentur. Jam autem quæstio erit, utrùm in hoc casu necessitatem potiùs quàm æquitatem indicet. Difficile autem erit alterutram partem solidè stabilire, Cæterùm ex adjectis non apparet, cur necessitatem indicet, ideoque cùm gravamina in dubio in meliorem partem sint interpretanda, videtur potiùs dicendum, verbum illud non supponere gravem obligationem præcessisse. Certè quomodo hæc obligatio probetur *ex Clementina*, quam Celladeus citat, nemo dixerit. Si quis legat illud caput, mirabitur unde ex illo sumi possit argumentum ad hoc probandum. Statuitur ibi quidem, quòd Monialium Monasteria *debeant* quotannis visitari, ut graves abusus, qui irrepserant, tollerentur. Jam materia, de qua agebatur, necessitas reformationis, & vigilantia Pontificis cum Concilio Generali incumbentis ad tales abusus tollendos, arguunt Pontificem cum Concilio voluisse obligare Visitatores ad annuam visitationem, cùm ideo hoc statuerint, ut in praxim reduceretur, sine qua mala illa evelli non poterant. Jam verò esto, verbum *debeat* in talibus circumstantiis indicet obligationem gravem, annè ideo talem indicat in casu nostro, ubi nullæ ejusmodi circumstantiæ concurrunt? nullo modo. Ergo intentum Celladei ex hoc capite non probatur. Sed, ut dixi, parum refert ad quæstionem præsentem, an obligatio stricta præcesserit, nec ne. Si antiqua lex statuens homicidas esse irregulares, certò, aut summè probabiliter comprehendebat homicidas casuales, quando præter omnem expectationem mors contingebat ex actione per se licita, sed ex quodam excessu illicita, tunc dicendum est, obligationem gravem præcessisse hanc constitutionem: secus autem, si lex antiqua nec certò, nec summè probabiliter comprehenderet tales, dicendum est constitutionem illam esse legem novam, & non præsupposuisse, sed ex æquitate quadam talem obligationem induxisse.

Textus à Celladeo citatus nō probat ejus intentum.

Quinta Celladei replica.

84. Opponit 5. Quod dicitur in dubio facti esse causam certam, scilicet jus, non autem in dubio juris, nil probat, & nimium probat. Inprimis nil probat, quia solvendum est ab omnibus in conscientia practicè dubia de jure. Deinde nimis probat, quia sublatâ causâ non maneret obligatio ne quidem consilii. Itaque dicendum est, jus dubium se solo esse causam certam peccati. Præterea adest præceptum certum universale de parte tutiore. Ita Celladeus §. 5. qui addit, forum internum esse quidem mitius quoad pœnas, sed simul exactius foro externo; & hac ratione putat se satisfecisse argumentis Thomæ Sanchez supra relatis; parvi enim facit ultimum illius argumentum fundatum in eo, quòd jus dubium non sit satis promulgatum & applicatum, tum quia hoc antea exploserat, tum quia ratio ista eliditur in conscientia practicè dubia.

Replica Celladei est insufficiens.

Respondeo, rationem illam à Sanchez allatam esse prorsùs efficacem & ineluctabilem; quæ certè nullo modo infringitur istis responsis. Inprimis, qui sectatur partem minùs tutam, stante conscientia practicè dubia de jure, peccat quidem, sed non peccat ex vi juris dubii violati, sed solùm ex violatione legis reflexæ vetantis omne opus, quod non fit ex testimonio conscientiæ, existimantis illud esse licitum, ut supra probatum est, & omnes communiter supponunt ex illo dicto Apostoli, *Quod non est ex fide peccatum est.* Sed hoc nil facit ad quæstionem præsentem, quæ in eo solùm vertitur, utrùm necessariò peccet in dubio legis, etiam quando non dubitat de honestate operis, sed ex rationabilibus principiis format conscientiam de honestate operationis, non obstante illo dubio, idque nominatim ex eo, quòd credat legem dubiam non esse sufficienter promulgatam & applicatam. Debebat Celladeus probare conscientiam non posse sic formari, stante dubio juris, sed illam in tali casu necessariò practicè dubitare, tunc enim rectè argumentatus fuisset. Sed hoc probari nequit. Cæterùm qui habet conscientiam practicè dubiam de lege, non solùm dubitat de lege, sed insuper ita dubitat de honestate operationis hîc & nunc ponendæ, ut non possit habere bonam fidem seu conscientiam rectè facti, si partem minùs tutam eligat. Ergo majori obligationi subjacet, quàm ob merum dubium legis. Immo non ex dubio legis, sed præcipuè ex illo alio titulo obligatur ad tutius. Absurdum proinde est ex obligatione ob istum titulum inferre obligationem in alio casu penitus dissimili, qualis certè est casus dubii speculativi, de quo nos loquimur. Hæc eadem responsio penitus enervat ultimum quod dicit Celladeus, nempe rationem legis non promulgatæ elidi in conscientia practicè dubia, quia non ideo peccat tunc, quia transgreditur legem illam dubiam, sed quia violat aliam certam, ut dictum est scilicet, quia ipsemet omnibus inspectis dubitat an bene operetur. Itaque replicæ istæ nullius prorsùs sunt roboris, cùm verè non tangant difficultatem præsentem.

Quod tollit obligatiōnē legis, non tollit obligationem consilii.

85. Nec minùs fallitur Celladeus in altero, quòd, sublata causa obligante ad tutius, tolleretur etiam obligatio ex consilio. Sit casus istè. Dubito an lex aliqua obliget me ad dandam eleēmosynam. Deinde post diligentem inquisitionem invenio legem illam esse dubiam, & sic video causam obligantem ad tutius auferri, meque ex vi illius non obligari. An ideo ratio consilii aufertur ab eleēmosyna? Nequaquam. Quamdiu aliquid manet in sua natura actus virtutis, & est melius quàm oppositum, non potest non pertinere ad consilium. At cessatio legis obligantis ad tutius non aufert hoc à parte tutiore. Ergo non facit illud non spectare ad consilium, aut etiam *ad obligationem consilii*; sic enim loquitur Celladeus, sed impropriè, quia voces illæ *obligatio consilii* valde impropriè connectuntur, cùm perinde significent, ac si diceres, *obligatio, ubi non est obligatio*; sed ille nomine *obligationis ex consilio* non intelligit veram obligationem, sed majorem honestatem & laudabilitatem. Itaque ex remotione causæ obligantis ad tutius, non aufertur ratio consilii à parte tutiori.

Pars tutior non semper tenenda est ex consilio.

86. Cæterùm quia quod melius est in se quàm oppositum, aliquando prohibetur in hisce circumstantiis (sic sumptio Eucharistiæ prohibetur non jejuno) ideo fieri etiam poterit aliquando, ut causa prohibitionis sufficienter ablata à parte minùs tuta, auferatur etiam ratio consilii à sequenda parte tutiore, quia prohibitione sufficienter ablata, melius est facere illud opus, etsi minùs tutum, quàm illud omittere. Ergo consilium erit illud facere, quamvis pars opposita sit tutior, eò quòd nulli legi vel leviter apparenti repugnet. Fieri ergo poterit in aliquo casu, ut, causâ illâ ablatâ, pars tutior non sit amplius de consilio, quod certè non repugnat nostræ doctrinæ, cùm nullibi dixerimus semper, & in omni eventu partem tutiorem ex consilio esse tenendam. Plerumque quidem verum est, partem tutiorem spectare ad consilium, quia plerumque pars tutior est etiam melior, honestior, & congruentior.

gruentior. Atque hinc factum est, ut communiter dicatur, partem tutiorem vel ex præcepto, vel ex consilio sectandam esse. Sed propositio illa indefinitè sumenda est, sicut sumi solent propositiones, quæ ut plurimum veræ sunt, cùm non sint propriè universales, nec absque exceptione intelligi possint de omnibus. Jam verò do Celladeo, quod in materia præsenti ratio consilii separari possit à parte tutiori. Quid inde sequitur contra doctrinam allatam, quòd jus dubium non obliget?

Replica quædam.

87. Dices nil quidem sequitur contra eam doctrinam, sed sequitur, falsum esse quod antea dictum & suppositum est, nempe rationabile esse, quòd in dubio pars tutior teneatur, quodque hoc sit saltem de consilio; jam enim oppositum conceditur. Unde ulteriùs sequitur, falsum esse, quod Pontifices ex prætensa illa æquitate dictas leges tulerint.

Solvitur replica.

Respondeo, me nunquam dixisse quòd semper & in omni casu consultius sit sequi partem tutiorem, sed solùm quod ex genere suo & ut plurimùm hoc sit melius, & ut tale consulendum. Quando autem dixi, Pontificem ex æquitate hujus effati dictasse *caput, ad audientiam*, & prohibuisse, ne Sacerdos ille in dubio homicidii casualis celebraret, hoc expressè dictum est ex suppositione, quòd lex constituens homicidam hujusmodi irregularem esset dubia, alioquin non essemus in casu præsenti de dubio juris, sed loqueremur de dubio facti contra jus certum. Posita ergo dicta suppositione, multa erant, quæ ex dicto principio per modum consilii movere poterant Pontificem ad legem illam condendam: quamvis enim, lege obligante sufficienter remotâ, non fuisset consultius in illo dubio Sacerdoti non celebrare, quàm celebrare, si res consideraretur in ordine ad ipsum solum celebrantem; tamen, omnibus inspectis, melius erat illum abstinere, quia tam pro intrinseca sacrificii dignitate ac sanctitate, quàm pro majori ejusdem apud fideles existimatione, reverentia, pietate, ac affectu, expedientius est, ut omnes tales homicidæ, etiam dubii, arceantur, quàm non arceantur à celebratione divinorum. Itaque Pontifex, qui ad universale Ecclesiæ bonum potissimè reflexit, ex æquitate & consilio dictæ regulæ rationabiliter statuere poterat hanc legem in casu dicti dubii, etsi dubium illud processisset de jure, quia, omnibus inspectis, melius erat talem hominem arceri ab altaris ministerio; ideoque pars tutior ex æquitate tenenda erat. Itaque hîc dicta non contrariantur iis, quæ superiùs tradita sunt.

88. Atqui, inquit Celladeus, jus dubium se solo est certa causa peccati. Præterea adest præceptum certum universale de parte tutiore.

Celladeus certum putat pro quo nullum est vestigium certitudinis.

Respondeo, tolerari fortè potuisse Celladeum, si dixisset, jus dubium esse causam probabilem peccati, darique præceptum probabile universale de parte tutiore. At intolerandum prorsùs est, quod dicat, causas refusivas malitiæ in electionem partis minùs tutæ in omni dubio esse certas. Unde enim hæc certitudo habetur? Non ab Ecclesia, quæ hoc definivit. Non ex Sacris Litteris, cùm illæ hoc nullibi tradant. Non ex Sanctis Patribus, qui quæstionem istam in ista universalitate, ac sub distinctionibus, quibus utimur, non tractarunt. Non à consensu omnium Theologorum, dicentium hoc esse certum, & oppositum indubitanter falsum; nam è contrario certissimum est, plerosque illorum expressè tradere, quòd sæpe licitum sit operari in dubio speculativo, & nominatim quod ubi lex est dubia, nulla sit obligatio illam sectandi, &c. Non à rationibus, quia nemo hactenus tales protulit, & illæ, quas Celladeus congessit, exigui prorsùs momenti sunt, ut vidimus, nec rem certam faciunt. Quod si Celladeus adeo suis illis rationibus affectus sit, ut illæ ipsi certæ videantur, miseret me hominis nimio ad sua affectu excæcati; qui præterea utcumque ita existimaret, non tam facilè debebat rem istam ut simpliciter certam pronunciare, quia alloquitur alios, quorum plurimos benè sciebat oppositum prorsùs sentire, nec verba hæc sua, nisi efficacissimis argumentis, quibus carent, confirmarentur, fidem apud illos inventura.

89. Sed non admitto illi, quod causæ istæ vel probabiliter inferant obligationem universalem sectandi tutiora in omni dubio. Inprimis improbabile est, quod ipsum jus dubium se solò possit esse certa causa peccati, quia sæpe jus dubium non datur. Certum autem est, quod jus non existens non possit quemquam verè obligare. Et quia jus dubium, si fortè existat, non magis applicatur, quàm jus dubium non existens, ideo, sive existat sive non existat, se solo neminem obligare potest. *Prætensum illud certò non est probabile.*

90. Quod ad præceptum universale sectandi partem tutiorem attinet, illud ab ipso Celladeo negatur extra casum dubii; sed loquendo pro casu dubii, illud nullibi expressè traditum est; imò tantum abest, ut tale jus notum sit, ut omnes fermè Theologi expressè dicant, nullum dari jus ejusmodi, & rationes allatæ prorsùs evincunt, sæpe licitum esse operari, dubio non obstante. Hæ rationes & auctoritates ita prævalent omnibus in contrarium allatis, ut meritò dubitari possit, an opinio universaliter obligans ad tutiora in omni dubio sit probabilis.

SOLVITUR II. OBJECTIO,

Et mens Vasquii explicatur.

91. OBJICITUR secundò. Vasquez *1. 2. disputat. 65. cap. 3.* hæc habet *Ego verò non solùm existimo absque controversia esse debere, quoties dubitatur, an sit lex aliqua, an non, & solùm agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua peccatum esse non potest, sed etiam quando dubitatur an votum fuerit emissum. Et sanè in priori casu nullum hactenus ex scriptoribus scholasticis inveni, qui oppositum asserat.* Hæc Vasquez, ad quem Celladeus §. 3. Lectorem remittit, ut apud illum videat, dubium juris æquiparari dubio facti, simulque legat rationes validissimas, quibus id Vasquez confirmat. Hæc autem ita proposita sunt, ac si omnes scholastici in hac doctrina cum Celladeo convenirent; hoc enim ex eo sequi videtur, quòd Vasquez dicat, neminem sibi notum fuisse, qui oppositum docuerit. At talis Theologorum consensio in re ejusmodi, quæ ad jus naturæ pertinet, facit rem certam. Ergo doctrina Celladei in præsenti quæstione videtur certa.

Respondeo verba allata reperiri quidem apud Vasquium, cui tamen, si in materia dubii standum esset, Celladeus causâ caderet, quia Vasquez expressè tradit, in multis casibus licitum esse sequi partem minùs tutam in dubio. Immediatè enim post verba citata, signatè reflectens ad limitationem, quam ante proposuerat, hæc habet. *Dixi, quando in illo dubio solùm agitur de periculo peccandi,* *Vasquez expressè tenet, quod pars minùs tuta sæpe sit licita in dubio.*

peccandi, nam si præterea adsint alia etiam circumstantiæ, ut in materia justitiæ, & in aliis, alia erit ratio, sicut inferiùs videbimus. Ergo Vasquez non tenet universaliter, quod in omni dubio pars tutior sit tenenda, cùm expresè asserat quòd in materia justitiæ, & in aliis, liceat sequi partem minùs tutam, non obstante dubio. Juvat autem casus ponere, in quibus Vasquez judicat partem tutiorem non esse necessariò tenendam in dubio. Primus casus est in materia justitiæ, quando possessor bonæ fidei, etiam post diligentiam adhibitam, dubitat an res, quam possidet, spectet ad alium, an ad se; potest enim eam retinere, illaque uti, eamque etiam alienare, modò habeat animum reddendi verum dominum indemnem, casu quo inventum fuerit, rem ad illum verè pertinuisse. Atque in hoc contrariatur iis, qui volunt rem illam esse dividendam, aut in certis casibus partim pauperibus distribuendam. Imo hoc ipsum tenet, etiam si rationes alteri faventes sint validiores, quamdiu non sunt tam efficaces ut assensum generent. Legatur *1. 2. disp. 66. cap. 7.* ubi fusè hæc tradit.

Primò id tenet in materia justitiæ.

Secundò tenet id ipsum in dubio, an filius sit illegitimus?

92. Rursus in dubio an filius sit legitimus vel illegitimus, tradit filium censendum esse legitimum, etiamsi alii fratres patiantur aliquod detrimentum in sua legitima parte, quam possident. Et sic concludit. *Quare quod attinet ad jus hæreditatis, non obstante tali dubio facti, potest ille filius succedere, aut tanquam legitimus, si dubitetur utrùm sit legitimus, an illegitimus; aut tanquam naturalis, si dubitetur utrùm sit spurius, an naturalis.* Nihilominùs certum est, quòd talis hæres sectetur partem minùs tutam, quia tutius illi esset aut toti hæreditati renunciare, aut certè parte aliqua juxta rationem dubii contentum manere. Cæterùm valde notandum est, quod Vasquez doceat hoc verum esse, quamvis alii fratres legitimas suas partes jam possideant, illisque privari debeant, ut dubio hæredi hæreditas, aut pars legitima tribuatur. *Nec obstat*, inquit, *regula illa superiùs explicata, in dubiis & pari causa melior est conditio possidentis, eò quòd si in tali dubio judicandus esset filius legitimus aut naturalis, posset sequi damnum aliis filiis legitimis possidentibus jam suas legitimas portiones, dum cogerentur ex illis partem extrahere. Pro illo tamen, hac regula non obstante, est alia regula juris majoris quidem obligationis; nempe cùm sunt obscura jura partium, favendum est potiùs reo, quàm actori. de reg. juris in 6.* Hactenus, ille, qui subdit, id verum esse non solùm in jure civili, sed etiam in naturali. His dictis, proponit tres regulas, illasque inter se comparat. Prima est: *In dubiis tutior pars est eligenda. Huic*, inquit, *in materia Iustitiæ derogat secunda. In pari causa melior est conditio possidentis. Huic autem præferenda est etiam in materia Iustitiæ tertia alia regula, cùm sunt obscura jura partium, favendum est potiùs reo, quàm actori.* Ecce Vasquez expresè sentit regulam illam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, non esse universaliter veram, sed habere exceptionem & limitationem per alias regulas, aut rationes.

Illegitimus dubius an Jus ad hæreditatem habeat?

Alii casus in quibus Vasquez docet partem tutiorem non esse tenendã ex obligatione in dubio.

93. Similia tradit *dicta disputat. 66. cap. 6.* de aliquibus impedimentis matrimonii. Nominatim autem vult id locum habere in impedimento frigiditatis, aut maleficii, citatque *caput, Laudabilem, de frigidis & maleficiatis*, atque id ipsum *ex illo cap.* efficaciter probat. Similiter *cap. 5.* alios ejusmodi casus ponderat, ubi docet, conjugem dubium de servili conditione uxoris, posse reddere debitum, etsi non consentiat de novo in matrimonium cum serva, sed relinquat illud ut prius, ne sibi præjudicet. Et tamen clarum est, quòd in hoc casu non sequitur partem tutiorem, cùm tutius esset de novo in matrimonium consentire, tunc enim & petere posset, & deberet reddere debitum, quia impedimentum illud ampliùs non obstaret. Ita ille: vult tamen Vasquez, quòd in plerisque aliis dubiis de valore matrimonii, pars dubitans non licitè exigat debitum, quod tamen conjugi bona fide petenti ex eo præcisè capite, per illum, reddere tenetur, quia in dubio tutior pars est eligenda. Existimat enim, partem tutiorem esse, non incurrere periculum violandi justitiam, si fortè negetur debitum vero conjugi illud petenti, quàm incurrere periculum fornicationis, si fortè reddatur non conjugi. Immò hoc vult esse verum, quamvis in reddendo plura sint pericula, nempe periculum non solùm fornicationis, sed etiam incestûs, si dubitetur de impedimento consanguinitatis vel affinitatis, immò & injustitiæ, si simul dubitetur de impedimento ob vitam prioris conjugis qui credebatur mortuus. Verùm difficile est probare ex hoc capite, quod majus malum sit in tali casu negare debitum marito, quàm illud reddere non marito, etiam fratri, etiam contra jus mariti vivi. Incredibile enim videtur, hæc tria non prævalere illi uni, maximè quando valde probabile est, quod singula ex impedimentis existant, & consequenter exigua aut nulla probabilitas est, quòd debitum negetur vero marito. Et tamen etiam in hoc casu debitum reddendum est petenti, quamvis pars tutior, ut ita dicam, sit non reddere, si solùm considerentur mala, quæ timentur ex periculo nullitatis aut valoris matrimonii.

Debitum conjugale cur sit reddendum in dubio?

94. Dicendum ergo est, quod obligatio reddendi debitum non proveniat ex illo principio, *in dubio tutior pars tenenda*, sed ex aliquo alio, nempe ex ipso statu civiliter contracto, atque ex pacifica possessione alterius partis exigentis rem, quam bona fide putat esse suam. Præterea si in hoc casu uxor teneretur ad partem tutiorem, obligaretur ad omnes occasiones quærendas, quibus licitè removeri posset à mariti consortio, impetrando ab ipso occasionem invisendi suos consanguineos, suadendo marito bellum aut aliam occupationem, qua à debito petendo arceretur, hoc enim illi esset tutius, ut patet. At non videtur uxor obligata ad ista, nec quisquam, quod sciam, has illi obligationes asseruit. Ergo uxor in omni dubio non tenetur ad tutiora.

Vasquez certò tenet contra Celladeum, & nobiscũ in principali puncto sentit.

95. Ex his attentè consideratis evidens est, Vasquium in præsenti quæstione, prout generaliter proponitur, nobiscum sentire; expresè enim tenet, regulam illam, *in dubiis tutior via tenenda est*, non esse universalem, sed admittere plures exceptiones, quibus limitatur. Itaque mens Vasquii est, quòd regula illa habeat locum etiam præcepti, quamdiu non adest aliundè aliqua regula, per quam conscientia de honestate actionis hîc & nunc ponendæ debitè formetur, non obstante illo dubio. Quod hæc sit mens Vasquii evidens est, tum ex toto ejus discursu in *citatis quæst 65. & 66.* tum ex apertis ejus verbis. Nam *quæst. 66. cap. 4.* agens de licita redditione debiti conjugalis in dubio de valore matrimonii, hæc habet. *Inprimis certum est, Ecclesiæ definitionem* (alludit *ad caput, Inquisitioni, de sent. excom.* & ad *cap. Dominus de secundis nuptiis*) *in hac parte rectè intellectam sufficere, ut permanente dubio, saltem per extrinseca principia, si alia non suppetant, rectum conscientiæ judicium formari possit.* Et paulò

post. *Definitio Ecclesiæ talem fidem facit, ut contra dubium illud speculativum rectum conscientiæ judicium formari possit.* Porro ut ulteriùs constet, quòd loquatur in sensu composito dubii, in sequenti numero agens contra Navarrum, qui dixit, conjugem, ut licitè reddat debitum, debere dubium de valore matrimonii deponere, hæc habet. *Hæc ratio mihi non probatur: primò quia ut conjux, antea dubius, sana conscientia reddat debitum, non opus est credere validum esse matrimonium, & dubium de firmitate illius deponere, sed perseveranté dubio de facto ipso rectum conscientiæ judicium habere potest, ut reddat debitum, sicut expressè definitur in capitibus allegatis. Neque enim ibi præcipitur, ut credat ad reddendum debitum, sed ut reddat, etiamsi dubitet.* Hactenus Vasquez, qui antea in prioribus quæstionibus docuerat, non solùm subditum posse obedire in dubio, quando superior jubet secundùm opinionem probabilem; sed etiam Confessarium debere non solùm in dubio, sed etiam contra propriam opinionem absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam; & quòd plus est, virum doctum operari posse contra propriam opinionem, sequendo partem minùs tutam minusque probabilem, & quidem in sensu composito suæ opinionis. Nam ut ait *disp. 62. cap. 4. num. 15. Hæc sententia ita intelligenda est, retenta adhuc propria opinione ut probabili, & assensu illius per intrinseca principia; ita tamen, ut per extrinseca principia existimans vir doctus contrariam opinionem esse probabilem, in universum consideratam, formet sibi judicium conscientiæ singulare, quo judicet licitum sibi esse sic operari.* At plus est agere contra propriam sententiam actu dictantem aliquid esse malum secundùm se consideratum, quàm operari in dubio. Ergo Vasquez indubiè tenet, hominem toties licitè operari, etiam stante dubio actuali, sectando partem minùs tutam, quoties, dubio illo speculativo & remoto non obstante, adsunt sufficientes rationes ad formandam cõscientiam quod opus hîc & nunc sit licitum, non obstante dubio, aut etiam opinione in oppositum. Asserit autem expresè, hoc sæpe contingere tam in dubiis quàm in opinionibus. At nos aliud non docemus in hac quæstione generaliter proposita. Ergo certum est, Vasquium nobiscum stare circa veritatem hujus quæstionis, prout hoc loco proponitur in universali.

96. Interim concludendum est, Celladeum dupliciter in hac citatione Vasquii errasse. Erravit primò, quia textum diminutum citavit, eo omisso, ex quo constat, Vasquium ipsi contradicere in quæstione, de qua agitur; illud autem omitti non debuit, maximè cùm immediatè sequatur verba, quæ ipse allegaverat. Erravit secundò, quia ita Vasquium citavit, ac si ex ejus verbis probare vellet, suam sententiam esse non solùm communem, sed fermè omnium Scholasticorum nominatorum, cùm tamen certum sit, illum neminem assignare posse, qui in universalitate suæ sententiæ, de qua universalitate solùm agitur in præsenti, cum ipso consentiat.

Error duplex Celladeii in Vasquio citando.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-QUINTA.

Quomodo regula de tutiori, de reo, & de interpretando dubia in meliorem partem, inter se concordent?

Regulæ juris videntur sibi contrariæ.

1. CELLADEUS, supposita universali obligatione sectandi tutius in omni dubio, quam *lib. 4. quæst. 10.* tradiderat, pergit *quæstione 11.* illamque regulam: *In dubiis tutior via tenenda est:* comparat cum duabus aliis, nempe cum *regula illa iuris in 6. cùm sunt jura partium obscura, favendum est potiùs reo, quàm actori.* Et cum illa, quam ex Evangelio, ut ait, & ratione ipsa accepimus, *dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* Videntur autem istæ regulæ inter se pugnare, quia si favendum est reo in dubiis, ergo in dubiis reus est absolvendus. At in omni foro una partium semper est reus, & in foro conscientiæ homo semper est hæc pars, quam lex vult obligare ad aliquid. Regula autem est universalis; in omni quippe dubio favendum est reo: ergo per hoc solvitur omne dubium: ergo tutior via nunquam tenenda erit ex præcepto. Ergo istæ regulæ videntur sibi contrariæ.

Rursus juxta aliam regulam, *dubia in meliorem partem interpretanda sunt.* Hæc regula videtur prorsùs elidere regulam de tutiori parte sectanda in dubio, quia si semel sit rationabile interpretari dubia in meliorem partem, idem erit rationabile etiam in conscientia. Ergo in omni dubio facti (regula enim procedit de dubio facti non de dubio juris) debeo res meas in meliorem partem interpretari. Ergo nunquam debeo me habere pro reo in tali dubio. Ergo nunquam teneor ad tutiorem partem in dubio ejusmodi. His præmissis, Celladeus harum regularum concordiam ostendere conatur. Ego inprimis concordiam ab illo propositam examinabo, post cujus insufficientiam declaratam, veram & sufficientem concordiam Deo favente assignabo.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit concordiam harum regularum à Celladeo traditam proponere, ejusq; insufficientiam declarare.

Regula favendi reo, utrum fundetur in regula sectandi tutiora in dubio?

2. REGULA illa de favendo reis in dubio, (inquit Celladeus §. 2.) non solùm non repugnat regulæ sectandi tutius in dubio, sed illi prorsùs subordinatur; ideo enim reo favendum est in dubio, quia hoc est tutius, & oppositum minùs tutum, seu magis periculosum. Inprimis judex tenetur ex justitia Reipublicæ, actori, & reo; debet enim jus suum unicuique servare. At in omni dubio est periculum negandi alterutris jus suum. Ergo tunc tenetur ad partem tutiorem. Sed favere reo est pars tutior. Ergo tenetur favere reo. Minorem sic probat. Imprimis, in civilibus pars tutior est reus, propter possessionem, præscriptionem, & alia, de quibus mox agendum erit in sequentibus; quia ista favent reo non actori. Ergo reus præferendus est, cùm uterque in cæteris parem conditionem habeat. Ideo autem præferendus est, quia propter hunc excessum id tutius est.

Concordia regularum Juris à Celladeo proposita.

Idipsum clariùs patet in criminalibus, multis de causis. Inprimis utrumque jus in eo convenit, quòd melius sit & sanctius nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. Damnare innocentem est intrinsecè malum; ideoque nec à Deo, nec à Principe potest fieri. At reum liberare non est intrinsecè malum sed bonum; Deus enim, & supremi principes, Deum imitati, nocentes liberare solent. Itaque in dubio reus liberandus est, quia hoc tutius; quando enim utrinque est dubium hinc de re intrinsecè mala, inde de re non intrinsecè mala, & alterutrum eligendum est, expedit minus malum eligere, quia hoc tutius est.

Deinde hoc ita fieri & toti reipublicæ, & singulis ejus membris expedit; unusquisque enim casuum suorum futurorum inscius vellet hanc legem servari cum omnibus. Quod si nocens absolvatur malum est reparabile, tum quia veritas decursu temporis sciri potest, tum quia relinquitur tandem Deo judicandus, apud quem nullum est dubium, nulla ignorantia. At è contrà damnatio innocentis est malum, saltem de lege ordinaria, irreparabile.

Tertiò, sententia condemnatoria affirmat delictum, scilicet damnari reum propter hoc & hoc. Hæc affirmatio in re divina est mendax. At sententia liberatoria non affirmat reum esse innocentem, sed solùm esse liberandum, quia nil contra eum probatum est, quod est verissimum.

Quartò demum, reus per hoc ipsum patitur, quòd constituatur & sistatur reus. Per hoc ergo inæqualitas aliqua posita est inter actorem & reum. Ergo in dubio reus habet hanc inæqualitatem manifestam. Cùm ergo sit justitiæ æquare, debet illa reo potiùs adesse. Ex hisce constat tutius esse favere reo quàm actori, ideoque dicendum est, quod ideo reo favendum sit in dubiis, quia in dubio tutior pars tenenda est. Ita Celladeus *loco citato.*

Concordia Celladei insufficiens.

3. Verùm hæc regulas istas conciliandi ratio non satisfacit multis de causis. Inprimis supponit Celladeus, regulam sectandi tutiora in dubio nullam pati exceptionem, sed in omnibus certam obligationem habere. At ex dictis constat hoc esse falsum. Præterea ipso Celladeo fatente, extra casum dubii tutior pars non semper tenenda est; nam per illum licet sequi opinionem positivè probabilem, etiam minùs tutam. At hoc admisso, non est cur in aliquo dubio pars minùs tuta licitè eligi non possit, quia eadem utrobique ratio militat; ideo enim licitum est sequi partem minùs tutam in casu opinionis probabilis, quia ratio minùs tuti non obstat, quò minùs per alia principia conscientia debitè formetur per judicium rationabile, quo opus illud credatur licitum, licèt simul sciatur minùs tutum. At eadem ratio valet in multis dubiis, quia dubium remotum ac speculativum non obstat, quò minùs dictamen conscientiæ debitè formetur de honestate operis hîc & nunc ponendi. Ergo regula illa, *in dubiis tutior pars est eligenda*, non est universaliter de præcepto: ergo ut habeatur tanquam præceptum, limitanda est; limitationem Celladeus non attulit; qui proinde ex eo principio generaliter sumpto non minùs perperam infert obligationem favendi reo in dubio, quia hoc est tutius; quàm si inferret, animal à longè visum esse hominem, quia est animal; æquè enim in utroque casu prædicatum inferius infertur ex prædicato superiori, quia sequi partem tutiorem in dubio est prædicatum commune rebus, quæ ex præcepto, quæque ex consilio tantùm debentur, ut ostensum est.

Celladeus ex prædicato generico infert specificum.

4. Itaque ex illo principio, *tutiora tenenda sunt in dubio*, generaliter sumpto, inferri nequit obligatio favendi reo in dubio: sed neque proficuè inferri potest ex eadem regula limitata; quia ante omnia ostendenda est exceptio illius regulæ, & clarè proponendum, quando præcisè obligationem annexam habet, & quando non; quod Celladeus non præstitit, quodque cùm falsum illud reputet, præstari non posse existimat. Deinde hoc præstito, enucleatè ostendendam erit, easdem limitationes, per quas obligatio inducitur, reperiri in omni casu rei, quando accusatio rem dubiam relinquit, quod vix aut nunquam ostendetur; & si ostenderetur, eo ipso, pro declaratione regulæ de favendo reo in dubiis, frustra recurretur ad regulam sectandi tutiora, quia jam independenter ab illa regula sciremus obligationem favendi reo, nempe per eademmet principia, per quæ probatur obligatio sectandi tutiora in tali dubio. Ergo frustra recurreremus ad regulam de sectandis tutioribus tanquam ad principium notius, ex quo inferremus obligationem favendi reo.

Regula sectãdi tutiora in dubio, non probat regulam de favendo reo in dubio,

5. Secundò non solùm favendum est reo in perfecto dubio, sed sæpe etiam quando accusatio est probabilis, & nulla pro defensione probabilitas existit. Regula enim non dicit, in dubiis potiùs favendum est reo, quàm actori; sed universaliùs loquitur dicens: *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori*; at partium jura sunt obscura non solùm in dubio propriè dicto, sed etiam quando delictum non plenè probatur, etsi actor reddat illud probabile: in quo casu adhuc reo favendum est; neque enim ob talem probationem quemquam capitis condemnare licet; sed is liber dimittendus est, nisi fortiores probationes afferantur, *quia in obscuris reo favendum est.* Atqui regula de sectando tutiora non habet locum nisi in dubio propriè dicto, quia ex mente etiam Celladei licitè sequimur partem minùs tutam, quando illa probabiliter creditur esse honesta. Ergo generalis necessitas favendi reo

Regula favendi reo locũ habet extra casũ dubii.

reo in obscuris absurdissimè probatur ex obligatione sectandi tutiora in dubio, cùm regula favendi reo locum habeat extra casum dubii, ad quem solum regula sectandi tutiora extenditur. Imò è contrario, si regula favendi reo subordinaretur regulæ sequendi tutiora, sequeretur, reo ex necessitate favendum non esse, quando crimen illius est probabile; quia in simili casu non tenemur ad tutiora, & sic regula de favendo reo destrueretur per regulam sectandi tutiora, à qua sola Celladeus eam confirmandam esse putat. Et quidem hæc locum habent, etiam concesso, quòd favere reo semper sit tutius quàm favere actori. Quod tamen falsum est, maximè si universaliter loquamur, ut nunc loquimur.

Non semper est tutius favere reo.

6. Tertiò Cellàdeus errat in supposito, scilicet quòd *semper sit tutius favere reo in obscuris*, cùm id falsum sit, & rationibus ipsius non probetur, sed potiùs contrarium evincatur. Inprimis si Vasquio, quem *quæstione decima* citaverat, fidem præbeat, videbit falsum esse quod supponit. Vasquez enim *1. 2. disputatione 66. cap. 8.* fusè probat, filium, in dubio an sit illegitimus, habendum esse pro legitimo ex vi illius regulæ, *in obscuris favendum est reo*: idque adeo verum esse putat, ut locum habeat, quamvis aliis filiis legitimis, suas legitimas partes possidentibus, aliquid sit detrahendum, ut pars legitima filio illi donetur. Rursus probat hoc verum esse non solùm in jure positivo, sed etiam in jure naturali; idque non solùm in ordine ad partem, sed etiam in ordine ad integram portionem legitimam. Et tamen in hoc casu obstat illa alia regula, *in dubiis & pari causa melior est conditio possidentis*, quæ favet filiis legitimis actu possidentibus portiones suas. Jam in hoc casu non est tutius favere reo quàm fratribus, & possessoribus & actoribus contra illegitimos ad se indemnes reddendos. In quo enim apparet tutius esse judici, condemnare filios legitimos, actu suorum bonorum possessores, ut ex damno illorum provideat filio, de quo dubitatur an sit legitimus? Certè si aliud non afferatur pro illegitimo, quàm quòd pars tutior in dubio tenenda sit, judex ex illo principio moveri non potest ad favendum illegitimo; si enim alio principio non gubernaretur, rationabilissimè diceret, tutius esse relinquere fratres legitimos in sua possessione, & declarare reum non probari legitimum, ideoque illum non posse justè exigere partem legitimam, donec probaverit se esse legitimum. Præterea dum in hoc casu favet reo, pluribus fratribus certò legitimis & possessoribus graviter nocet. At si illi non faveat, uni tantùm nocet. Et quidem uni, qui nec possidet, nec potest probare se habere titulum ad possidendum, præter regulam illam *in obscuris favendum est reo*. Ergo si sermo sit de objecto hujus regulæ, & illud secundùm se consideretur, ut considerari debet in præsenti quæstione, non illud sed oppositum invenietur esse tutius, si ratio tuti præcisè consideretur, nec aliundè probetur necessitas favendi reo, quàm quia pars tutior tenenda est in dubio. Et tamen, hoc non obstante, locum habet illa regula, *in obscuris favendum est reo*, quæ proinde vim non habet ab illa alia *in dubiis tutior pars est tenenda*; tunc enim non reo, sed potiùs actoribus favendum esset.

Favor rei nō est pars tutior respectu ipsius rei.

Sed quidquid sit de judice, profectò non est tutius ipsi reo bona fratrum legitimorum possidere. Et tamen ille ea exigere & retinere potest ex hoc solùm titulo (nam alium non habet) quòd *in obscuris favendum sit reo potiùs quàm actori*. Ergo regula de favendo reo non subordinatur regulæ de sectanda parte tutiori, sed aliquando illi adversatur, & prævalet.

Celladei contradictio.

7. Atque hinc apparet, Celladeum in hac ipsa materia, ac in harum regularum explicatione sibi contradicere. Vult enim judicem debere favere possessori in dubio, quia universaliter hoc tutius est, & tutiora in dubiis sunt tenenda. Rursus eadem de causa vult judicem favere reo in obscuris, quia hoc etiam universaliter tutius est. At hæc sibi contraria sunt; quia in casu præsenti tutius esset favere filiis legitimis possessoribus, & iterum tutius esset favere dubio illegitimo, & sic esset & non esset tutius eidem favere in eadem prorsùs causa. Quòd si dicat, regulas has non esse universales, sed suas pati exceptiones, atque unam esse alterius exceptionem, iterum contradicit sibi, quia operosissimè contendit, illas nullo modo inter se contrariari, sed sine ulla limitationis aut repugnantiæ umbra inter se cohærere.

Celladei rationes sunt insufficientes.

8. Rationes istæ sunt validæ exceptiones contra hanc interpretationem Celladei; sed & rationes, quibus utitur ad probandum debitum favendi reo in dubiis fundari in eo, quòd hoc sit tutius, sunt prorsùs invalidæ; imò probant oppositum, ut mox videbimus. Inprimis quod dicit, reum in civilibus esse semper partem tutiorem, est falsum, cùm oppositum constet in exemplo proximè allato. Fateor quidem tutius esse judici favere reo pro omni casu pro quo scitur eum obligari ad favendum reo. Sed hoc non est ad rem, quia quæritur, unde proveniat obligatio favendi reo? Et an illa ex eo præcisè titulo probetur, quòd hoc sit & appareat tutius, adeo ut titulus sectandi tutiora præcedat ut principium, ex quo probetur necessitas favendi reo in dubio? Verùm longè aliter se res habet, quia regula illa, *in obscuris favendum est reo*, debet præcedere ut probetur necessitas favendi reo, & sic demum probetur id esse tutius. Ergo regula favendi reo non subordinatur regulæ sectandi tutiora in dubio.

An & quando constet meliùs esse nocentem liberare, quàm damnare innocentem?

9. Minùs urgent quæ affert in casu rei de criminalibus. Præstat quidem nocentem liberare, quàm innocentem damnare, quando de unius innocentia & alterius crimine constat; at si res dubia sit, nondum constat, quæ pars sit melior in se, & Reipublicæ conducibilior, maximè quando probabile est, etsi non certum, reum verè esse nocentem. Est quidem intrinsecè malum damnare innocentem legitimè & certò cognitum talem; at non est certò intrinsecè malum damnare innocentem probatum nocentem. Plurimi enim gravissimique Theologi, cum S. Thoma, putant non solùm licitum, sed obligatorium esse damnare innocentem certò cognitum innocentem per privatam sententiam, modò in foro externo legitimè convincatur nocens. Unde ergo scis, esse intrinsecè malum damnare innocentem, si probabiliter probetur nocens? Ego fateor id non licere; sed dico illud innotescere ex regula, *quòd in obscuris reo favendum sit*, non autem ex eo, quòd illud ex objecto, & per se, ac pro priori ad hanc regulam sit, & reperiatur esse tutius, cùm tutius esset & melius pro reipublicæ incolumitate, si omnes, qui per sua facta dederunt causam probabilem existimandi se reos, plecterentur ut rei, & delerentur è republica. Certè rarò caderet innocens, nocentes autem ingenti numero tollerentur, omnesque timerent vel probabilia criminis signa edere. Inde magna reipublicæ quies consequeretur. Unde ergo constat

stat

stat tutius esse talem reum liberare, quàm condemnare?

An sit intrinsecè malum dānare innocentem, & non sit liberare nocentem?

10. Constat, inquit, ex eo, quòd innocentem condemnare sit intrinsecè malum, cùm Deus ipse hoc nequeat facere; at reum liberare non est intrinsecè malum, cùm Deus & supremi principes hoc soleant facere. Sed exempla ista non sunt ad rem, & præterea falsam doctrinam continent, quæ etsi vera esset, non probaret intentum. Non sunt ad rem, quia procedunt de innocente & nocente certò notis (Deo enim nil obscurum aut dubium esse potest) Quod si loquamur de hominibus quibuscunque, quibus innocens nocens apparet, probandum est, quòd sit intrinsecè malum damnare innocentem probabiliter nocentem, & non sit liberare nocentem, cujus innocentia non est probabilis.

Non punire nocētes per se est intrinsecè malū, nisi corrigātur.

11. Deinde exempla ista falsam doctrinam continent, Deus enim potest quidem non punire nocentem, si illum emendet & à peccato liberet, sed si illum à peccato non liberet, non potest eum non punire; non enim minùs repugnat justitiæ Dei relinquere nocentem sine pœna, quàm ipsius misericordiæ repugnet damnare innocentem ad pœnam. Utrumque ergo ex æquo est intrinsecè malum. Idem dicendum de judicibus humanis, maximè de secundariis & subordinatis, illi enim peccant & rem intrinsecè malam faciunt, si liberent nocentem. Potest quidem supremus reipublicæ judex aliquando justis de causis nocentem liberare, maximè si probabiliter speret, illum emendandum, vel medium opponat, quo ulteriùs reipublicæ aut concivibus nocere non possit; at frequenter & sine urgenti causa ac cautione data nocentes liberare malum est, & quidem intrinsecè malum, quia est omittere exercitium gladii, quem Deus in manus eorum posuit ad solamen bonorum, & exterminium malorum. Jam homines non possunt corrigere nocentes, nec cor eorum mutare, sed potiùs præsumunt hominem, semel inventum malum; semper manere malum. Unde ergò constare potest exemplo Dei aut proborum principum, quod sit intrinsecè malum damnare innocentem, & non sit intrinsecè malum parcere nocenti? maximè verò quando res ita est dubia, ut sit probabile quòd reus sit nocens, & non sit probabile quòd sit innocens, & sermo restringitur ad judices humanos inferiores.

Quod est intrinsecè malum non est deterius eo, quod nō est malū intrinsecè.

12. Demum etsi exempla illa essent vera, non probarent intentum; non enim valet hæc consequentia, A est intrinsecè malum, B. non est intrinsecè malum. Ergo A est deterius B. Certè mendacium officiosum est intrinsecè malum, comedere carnes die Veneris non est intrinsecè malum; & tamen longè gravius malum est violare jejunium Ecclesiasticum, quàm leviter mentiri. Ergo quamvis sit intrinsecè malum damnare innocentem, & non sit intrinsecè malum liberare nocentem, non sequitur primum non esse deterius secundo. Ergo non sequitur primum esse tutius secundo, quando ita versamur inter utrumque, ut periculo alterutrum incurrendi exponere nos debeamus. Hoc maximè verum apparet, quando noxa est probabilis, & innocentia non est probabilis. Deus in lege Mosaïca præcepit homicidas & alios criminosos occidi. Hoc posito, peccassent gravissimè judices si eos liberassent. Jam vero, fingamus aliquem apud judicem illius populi ita accusatum fuisse de homicidio, ut probabile esset, sed non certum, illum fuisse homicidam; versatur judex inter duo pericula, aut liberandi nocentem, aut interficiendi innocentem; utrumque est contra legem Dei; utrumque noxium Reipublicæ; & quidem respectu reipublicæ magis expediens est talem hominem de medio tolli, quàm liberari. Quare ergo tutius est reum dimittere? Certè quamvis fortasse, cæteris paribus, sit majus malum occidere innocentem, quàm nocentem liberare; tamen, cæteris imparibus, hoc verum non est; nam minus malum est exponere se exiguo & improbabili periculo occidendi innocentem, quàm probabili & magno periculo non condemnandi nocentem. Ergo in tali casu tutior pars non est liberare reum, qui tamen vel tunc liberandus est, quia *cùm partium jura sunt obscura favendum est reo*, & ex quo principio consequenter rectè probatur id esse tutius, & non è contra.

Illatio Celladei est penitus nulla.

Judicem inferiorem liberare reū est intrinsecè malum, & cur?

13. Præterea, quamvis ex tuo præcisè conceptu non sit intrinsecè malum liberare nocentem, tamen respectu judicis humani, saltem inferioris & subordinati, est intrinsecè malum illum liberare, quando Deus absolutè præcipit illius damnationem; quia sicut actus liberans talem hominem in tali casu est intrinsecè malus, non ob modum tendendi ipsius, sed præcisè ob objectum sub hisce circumstantiis constitutum, in quod actus ille tendit, ita objectum illud, prout substat talibus circumstantiis, est intrinsecè malum; ergo prout substat istis circumstantiis non est cur dicatur minùs malum quàm damnatio innocentis. Ergo liberatio innocentis non est pars tutior, saltem respectu judicis inferioris, maximè si crimen sit probabile, & innocentia sit improbabilis. Et tamen reus etiam in hoc casu absolvendus est ob illam regulam, *favendum est reo in incertis*. Ergo regula illa non habet vim ex eo, quòd in dubio tutiora sint tenenda, sed consequenter ad malitiam objecti, per priorem regulam favendi reo in obscuris cognitam, rectè inferimus, tutius esse in tali casu liberare reum. Tantùm ergo abest, ut regula favendi reo in hoc casu fundetur in regula sequendi tutiora, ut è contrario locus esse non possit regulæ sequendi tutiora, nisi altera regula præsupponatur, per quam sciamus liberationem rei esse præceptam, & consequenter tutius esse illum liberare, quàm condemnare.

Secunda ratio Celladei undique deficit.

14. Secunda ratio Celladei habet duas partes; prima dicit expediens esse, quòd ita se res habeat, quódque unusquisque, casuum suorum in futuro inscius, vellet hanc legem cum omnibus servari. Hoc verum est, & constat per ipsam regulam dictantem, quòd reo favendum sit. Sed non videtur facere ad intentum, scilicet ad ostendendum, hoc ex se & pro priori esse tutius quàm oppositum, aut ad probandum, quòd ideo sit obligatorium, quia tutius. Secunda pars in eo fundatur, quòd damnatio innocentis sit malum de lege ordinaria irreparabile, at liberatio nocentis sit malum reparabile; tum quia decursu temporis veritas sciri poterit; tum quia relinquitur ideo judicandus, apud quem nullum dubium, nulla ignorantia.

Verùm hæc ratio non est universalis, quia solùm procedit de damnatione ad mortem, vel ad eam pœnam, quæ aufert usum membrorum: nam in reliquis, malum ex damnatione innocentis proveniens non est minùs, sed magis reparabile, quàm malum ortum ex liberatione nocentis; nam quamvis nocens decursu temporis, post veritatem detectam, plecti possit ob crimen præteritum, interim tamen novis & occultis criminibus plurimum nocere poterit reipublicæ, cui

proinde tempestiva ejusdem mors, aut carcer perpetuus, multum commodi attulisset, non solùm removendo mala, quæ postea fecit, sed etiam exemplo sui supplicii alios à malefactis deterrendo. Ergo hæc ratio æquè probat oppositum, ac id, pro quo affertur; id est verè probat neutrum, quia non est universalis, sed in aliquibus certò certiùs non habet locum, cùm fortè habeat locum in aliis.

Æquè applicatur ad probandum oppositum.

15. Quod additur, de nocente à Deo tandem judicando, non est ad rem, quia æquè valet ad contrarium; sicut enim nocens, à nobis non damnatus, puniendus est à Deo pro suo crimine, sic etiam innocens, à nobis damnatus, remunerandus erit à Deo pro sua innocentia & patientia: & sicut nostra indulgentia nil prodest reo apud Deum, ita noster rigor nil nocet innocenti apud Deum. Et sine dubio plerumque evenit, ut damnatio innocentis simpliciter plus boni illi afferat apud Deum pro correctione vitæ in præsenti, & merito apud Deum pro futuro, quàm liberatio nocentis, ex qua nempe scelestus homo raró emendatur, sed plerumque novam ad majora facinora audaciam arripit. Itaque ex hoc capite non apparet, quomodo favere reo sit tutius, quàm damnare innocentem, maximè quando crimen est probabile, & innocentia non est probabilis.

Tertia ratio seipsam destruit.

16. Tertia ratio, ritè intellecta, seipsam destruit: nam sicut sententia liberatoria non est mendax, quia non affirmat reum esse innocentem, sed solùm esse liberandum, eò quòd nil contra eum sit sufficienter probatum; ita etiam sententia condemnatoria non erit mendax, si solùm dicat reum esse damnandum, quia edidit signa suæ malitiæ, quæ etsi crimen non convincant, illud tamen reddunt probabile: jam si sententia damnans hoc modo ferretur, nullum esset in eo mendacium, sicut nullum est in sententia liberante, quando illa (sicut plerumque evenit) non declarat reum esse innocentem, sed solùm non esse damnandum.

Quarta ratio plerumque locum non habet, & probat oppositum.

17. Quarta ratio aliquid fortè valeret, si reus, in jus vocatus, semper injustè gravaretur; tunc enim aliqua induceretur inæqualitas, quæ postea per justitiam tolli deberet. At plerumque, qui sistitur reus, non injustè sed justissimè reus constituitur. Ergo vel nulla inæqualitas inducitur, vel si aliqua inducatur, illa est justa, & propterea si eo titulo favendum esset reo, justitia manifestè violaretur, quia actor, propter actionem justam, repulsam pateretur, & favor reo tribueretur quasi passus esset injustitiam, cùm nullam sit passus. Tantùm ergo abest, ut ex hoc capite probetur tutius esse favere reo, ut ex illo potiùs sequeretur violatio justitiæ, si ea de causa vel minimus favor reo præstaretur contra actorem. Ergo si res ita se haberet, ut vult Celladeus, judex per hoc ipsum in plerisque sequeretur partem minùs tutam, in quibus Celladeus vult illum sequi partem tutiorem. Ex his constat, Celladei interpretationem & reconciliationem harum regularum esse prorsùs insufficientem ac falsam; rationesque illius esse invalidas, & efficaciores ad oppositum, quàm ad intentum ipsius probandum.

An & cur dubia in meliorem partem sint interpretanda?

18. Quod attinet ad concordiam alterius regulæ, dictantis dubia in meliorem partem interpretanda esse, cum regula de tutiori parte sectanda in dubio, Celladeus existimat illam quoque huic subordinari; ac ideo dubia in meliorem partem interpretanda esse, quia hoc est tutius quàm oppositum; sic enim discurrit §. 3. Quoties sumus in dubio, an proximus hoc vel illud crimen commiserit, versamur in periculo erroris vel injustitiæ; erroris, si eum liberemus; injustitiæ, si eum damnemus. Rursus versamur in periculo habendi nocentem pro innocente, vel è contra. In hoc periculo minus malum est falli, & habere nocentem pro innoxio. Ergo per regulam sequendi tutiora tenemur interpretari dubia in meliorem partem.

Concordia hujus regulæ à Celladeo allata.

Adde præceptum illud à Christo Domino inculcatum, *Luca 6. 37. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* At non judicare, item non condemnare proximum, est mala dubia in meliorem partem, saltem negativè, interpretari. Ergo ad hoc tenemur, quod certè tutius est, cùm ex hoc nullum, ex altero verò magnum malum immineat. Sed hæc interpretatio negativa in meliorem partem non sufficit, tenemur enim positivè ea in meliorem partem interpretari, quia tenemur animum à dubitatione avertere, & rationes proximo faventes quærere, atque causam dubitandi, quæ est mala animi affectio, tollere, ex qua oriri solent dubitationes & suspiciones: hac ratione bene afficimur erga proximum, & facilè rationes invenimus, quibus de illo benè judicemus, & dubia in meliorem partem interpretemur. In his autem omnibus tutiorem partem sectamur, & ideo ad illam tenemur, quia tutior est.

Concordia hæc non subsistit.

19. Verùm hæc interpretatio nullo modo satisfacit: primò quia ex principio generaliter sumpto nullam continente obligationem probat aliud, in quo est obligatio. Ergo quamvis verum esset, semper tutius esse interpretari dubia in meliorem partem; necessitas tamen ea sic interpretandi non infertur ex eo, quòd id sit tutius. Quod si regula sectandi tutiora in dubiis restringatur, ut ex illa inferatur obligatio interpretandi dubia in meliorem partem, eo ipso regula illa inutiliter adhiberetur, ut proximè ostensum est in examine concordiæ prioris regulæ.

Universaliter non est tutius interpretari dubia in meliorem partem.

20. Secundò rejicitur, quia universaliter loquendo hoc non est tutius. Ponamus exempli causa dubium oriri an Petrus sit Hæreticus, vel Sodomita, &c. Inprimis neutra pars respectu intellectûs est tutior, quia æquale est periculum erroris sive eum damnet sive liberet: & fortasse minus est periculum erroris in damnando, eò quòd plerumque homines rei sint criminis, quod ab indiciis ab iis datis in dubium venit. Jam verò quamvis eum non damnare tutius sit quàm è contrà, hoc tamen non sufficit per Celladeum, quia per hoc non interpretamur dubia in meliorem partem, sed relinquimus dubia ut erant. At secundùm illum, debeo interpretari in meliorem partem; sed hoc non est tutius, quia pauciora mala imminent reipublicæ, si quis, salva lege charitatis, & se & suos liberos à talis viri consortio ac institutione removeat, quàm se aut illos ipsi æquè ac alii permittere ac sociare. At si omnia dubia positivè interpretanda essent in meliorem partem, deberemus utique habere illum pro probo viro, atque ita nos erga eum in opere gerere, ac si nullum de illius malitia dubium ortum fuisset, & consequenter in nullo ab illo magis quàm ab aliis cavere deberemus. At ex hoc agendi modo periculum ingentis mali in republica immineret, quòd certè non imminet ex eo, quòd dubia illa in meliorem partem non explicentur, sed relinquantur ut dubia. Ergo non videtur tutius interpretari dubia in meliorem partem.

21. Ter-

Ratio Celladei probat oppositũ ejus ad quod assertur.

21. Tertiò demum rationes illius non probant intentum. Inprimis falsum est, quod, dubio orto, versamur in periculo erroris aut injustitiæ; nam si relinquamus ea ut dubia, nec illis nos immisceamus, nec errabit intellectus, nec peccabit voluntas; & ex omnibus hoc solum est tutius. Ergo ex doctrina Celladei tenemur nos hoc modo gerere, quia tutiora in omni dubio sunt tenenda; ergo tenemur etiam non interpretari dubia in meliorem partem, quia per talem interpretationem sine necessitate conjicimus nos in varia pericula, ut patet. Ergo ratio, quam adhibet, probat oppositum ejus, quod intendit; quod reipsa aliud non est, quam sibi contradicere.

Celladei cõtradictio.

Alia ejusdẽ cõtradictio.

22. Rursus in ipsa argumenti propositione alteri suæ doctrinæ contradicit; docet enim, quæstionem solvi non posse in dubio per rationes dubitandi. Quod si sit verum, nullum profectò est periculum erroris in dubio, quia quoties omne judicium est impossibile, omnis error redditur pariter impossibilis. Ergo, stante dubio, nullum est periculum erroris, quia voluntas non potest flectere intellectum in assensum. Advertit quidem ad hæc ipse Celladeus paulò pòst, atque ea frustra mitigare conatur, quia ponit alia præcepta, quibus tenemur non male offici erga proximum sine causa, & non curiosè scrutari ejus defectus, &c. quæ non faciunt ad rem præsentem; quia nullo modo probant quòd tutius sit interpretari dubia in meliorem partem, quod unicè probandum erat. Itaque non debebat in ipso sui argumenti initio talia tam crudè proponere, cùm sumpta ut jacent, aliis ejus opinionibus expresè contradicant.

23. Displicet etiam indecora argumenti propositio; dicit enim sub distinctione, *quod quando sumus in dubio an proximus sit malus, sumus in periculo vel erroris vel injustitiæ*, cùm simus in periculo utriusque collectim; nullatenus enim vitatur periculum erroris quodcunque judicetur. Ergo ita versamur in periculo injustitiæ, ut simul versemur in periculo erroris. Ergo argumentum indecorè propositum fuit. Sed hæc utpote minora, quibus omnes subjacemus, non ultrà perstringo.

Æquivocatio Celladei.

24 Hoc solùm addo, Celladeum in omnibus istis argumentis apertam æquivocationem passum esse; aliud enim est dubia debere non interpretari in malam, aliud verò ea in bonam partem interpretari debere. At hæc duo in unum idemque confudit; argumenta enim ipsius benè probant primum, quia in eo est periculum injustitiæ ac damni proximi; item id est expresè à Christo prohibitum. At nullum tale periculum est, si relinquamus rem dubiam, ut est, atque illam in neutram partem interpretemur. Neque enim Christus dixit: *interpretamini dubia in meliorem partem*: sed solùm, *nolite judicare*, *nolite condemnare*, quod solùm involvit præceptum non interpretandi ea in malam partem. Ex his constat, Celladeum insufficienter interpretatum esse has regulas, suumque intentum non probasse.

ASSERTIO II.

Propositum sit regulas illas exponere, & eas inter se ab apparente contrarietate vindicare.

Regula sectãdi tutius respicit homines in ordine ad gubernandos seipsos.

25. INPRIMIS regula illa, *in dubiis tutior via tenenda est*, propriè respicit obligationem hominis erga seipsum, quatenus servit tanquàm principium, ex quo vel ipse se, vel alii benè informati de statu conscientiæ ipsius debent illum regulare ac dirigere, definiendo quomodo possit aut debeat se gerere in dubio. Dico ergo inprimis, regulam illam, universaliter sumptam, non exprimere præceptum, sed ad summum consilium. Dico secundò hanc regulam restringi debere ad dubium practicum seu proximum, & non extendi ad remotum & speculativum, nisi illud adeo conjunctum sit cum proximo & practico, ut citra temeritatem ab eo separari non possit. In hoc sensu regula hæc continet universale præceptum sectandi partem tutiorem in dubio tali, quia necesse est, omnem sic dubitantem peccare, si partem minùs tutam sectetur, eò quòd operans aut nullam prorsùs, aut certè non nisi temerariam habeat conscientiã de honestate suæ operationis. At neutrum excusat à peccato. In reliquis omnibus casibus regula illa ad summum est consilium, quia reliqua omnia dubia admittunt probabile dictamen conscientiæ de honestate operationis, non obstante dubio. Hoc autem sufficit ut pars minùs tuta sit licitè eligibilis. Hæc omnia fusè probata sunt *in quæstione præcedente.*

Jam nulla est contrarietas inter alias regulas & istam. Aliæ regulæ solùm dant fundamentum debitè formandi consciẽntiam de honestate operationis, stante dubio aliquo remoto & speculativo. Hoc autem non opponitur priori regulæ, sed solùm ostendit casum aliquem particularem non comprehendi sub illa. Et sanè in omni casu hujus regulæ certò constat nos esse reos sectandi partem tutiorem, quia versamur in aliquo dubio quod non determinamus, & ex quo habemus fundamentum inferendi hanc certam obligationem. Sed hæc concordia meliùs patebit explicatione aliarum regularum.

Regula favendi reo dirigit judicem in ordine ad alios, inter quos sentẽtiam ferre debet.

26. Regula illa *juris in 6. cùm partium jura sunt obscura favendum est potiùs reo, quàm actori*, potissimè respicit judicem, illumque regulat in ordine ad alios, inter quos sententiam ferre debet, neque aliter applicari potest ad hominem respectu sui, nisi quando ipse instar judicis fert sententiam inter seipsum & alium contra se agentem. Hæc regula respectu aliorum includit præceptum; at respectu sui universaliter saltem non includit præceptum, quia unusquisque in plerisque casibus potest proprio juri renuntiare, & illo sponte se privare, quod judex externus pro libitu suo facere non potest.

Regula favendi reo in quo fundatur?

27. Quòd si quæras, in quo fundetur hoc præceptum? Respondeo inprimis, illud fundari in ipso lumine naturæ expresso per hanc ipsam regulam. Respondeo secundò, fundari in omni jure scripto, quia ut supra visum est, omnia jura clamant in dubio reum esse absolvendum. Quòd si hæc minùs satisfaciant, & velis obligationem hanc adhuc probari ex jure universaliori ac notiori, Respondeo tertiò, obligationem istam fundari ac probari ex universalissimo illo præcepto

naturæ,

naturæ. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Unusquisque enim constitutus reus rationabiliter nollet condemnari in dubio, ideoque ex vi dicti principii tenetur in tali casu alium non condemnare. Præterea unusquisque inscius eorum, quæ sibi eventura sunt, præsumitur velle legem hanc servari cum omnibus; hæc autem præsumpta consensio omnium apertè convincit, rem illam lege naturæ debitam esse, in quam ut lege debitam omnes conspirare præsumuntur.

Favendum est reo in dubio tantū in iis, quæ dubia sunt.

28. Cæterùm quando dicimus reo favendum esse in dubio, sensus est favendum esse in eo, quod dubium est, non autem in eo, quod certum aut probabilissimum est: v. g. Titius Presbiter vulneravit Caïum; sed postea dubitatur, an Caïus mortuus sit ex vulnere illo, an ex alia ægritudine superveniente? in hoc casu dubium est, an Titius sit homicida, sed non est dubium an sit irregularis; quia non est dubium, an lex prohibens homicidam celebrare extendatur ad casum hunc dubium, atque ideo talis homo judicandus est irregularis, sed non est condemnandus ad ullas alias pœnas subeundas, de quibus dubium est, an ad illas subeundas teneatur. Sic quamvis mors statuta sit pro homicidio, tamen qui alium vulneravit non est plectendus capite, si dubium sit, an alter mortuus sit ex vulnere illo, an ex ægritudine aliundè superveniente, quia aut certum est, quòd lex statuens mortem in pœnam homicidii non extendatur ad casum dubii homicidii; aut certè dubium est, an lex illa ad talem pœnam extendatur; atque ideo talis pœna, ordinariè statuta contra homicidas, non est infligenda ob delictum, quamdiu dubium est, an mors ex illo subsecuta fuerit, quia *in obscuris reo favendum est*, & quia *odia sunt restringenda.* Quod si constaret, legem illam æquè extendi ad casum dubii homicidii, sicut constat legem irregularitatis ad casum homicidii dubii extendi, in utroque casu pœna illa ex æquo esset infligenda.

Opinio Vasquii de lege dubia?

29. Atque hic occasio postulat, ut illis respondeam, quæ Vasquius affert ad probandum, quòd in dubio juris ac voti teneamur ad partem tutiorem, quia Celladeus locum illum ita citavit, ac si Vasquius argumentis suis illud prorsùs evicisset. Itaque Vasquius *1. 2. disputatione 65. cap. 3.* pro lege dubia sic arguit. In dubio facti, puta in dubio homicidii tutior pars tenenda est, ut omnes fatentur, & habetur per expressam Pontificis definitionem. Hinc sic arguit: Tota causa, ob quam in dubio facti eligi debeat pars tutior ea est, nè fortè fiat illud, quod revera malum & peccatum est. Idem autem periculum est in dubio juris. Ergo in eo etiam tutior pars est eligenda. Præterea adversarii, inquit Vasquez, videntur fateri, quod aliquando teneamur ad tutiorem partem in dubio juris, non autem assignant, nec assignare possunt, quando sit, & quando non sit ea obligatio. Ergo semper est. Aliud Vasquius non affert ad hoc probandum.

In dubio juris non tenemur ad tutius, licèt aliquādo teneamur in dubio facti.

30. Respondeo inprimis, nos in dubio facti non semper teneri ad partem tutiorem, quod & ipse Vasquez fatetur; tunc scilicet quando, stante dubio, datur aliquod principium, ex quo conscientia formari possit de honestate operationis; quod quia semper non potest fieri, ideo aliquando tenemur, aliquando non tenemur ad partem tutiorem in dubio facti. Sed esto, verum sit antecedens universaliter sumptum, negatur consequentia: disparitas est evidentissima. In dubio facti datur lex certa, cujus obligatio extenditur tam ad actionem dubiam, quàm ad certam vetandam; & ideo tenemur abstinere ab eo, de quo dubitamus an sit opus, quod prohibetur per talem legem, quæ habet vim reddendi talem operationem, de qua dubitatur, malam & peccaminosam. At in dubio juris nil est quod obligationem possit inducere, unde licèt sit periculum ponendi illud, quod jus dubium vetat, & in hoc æquetur dubium juris cum dubio facti; in dubio tamen juris non est dubium, an illud opus sit malum & peccatum, quia non dubitatur an sit contra legem, quæ obligare & vim legis exercere possit, quia constat, legem dubiam talem vim non habere. Et sanè eodem modo respondere debet Vasquez ipse, si assignare velit rationem, cur aliquando in dubio facti teneamur, aliquando non teneamur ad partem tutiorem. Alia enim ratio non est, nisi quia in uno casu datur certa & indubitata lex, quæ æquè vetat actionem dubiam ac certam; at in alio casu non constat, legem extendi ad casum dubium, eò quòd detur motivum ad rationabiliter credendum, nos posse licitè sectari partem minùs tutam, non obstante tali dubio facti. In utroque enim casu sit illud, de quo dubitatur an sit contra legem; sed in primo casu id est contra legem certam, quam constat ad talem casum dubium extendi; in alio verò casu non constat legem ad talem casum extendi, ideoque in secundo casu nullum est periculum peccati formalis, cujus tamen periculum est in primo.

31. Alterum argumentum est ad hominem contra eos, qui aliquando admittunt, aliquando non admittunt obligationem sectandi tutius in dubio juris; sed non tangit nos, qui universaliter dicimus, nullam dari obligationem sectandi tutius in dubio juris. Cæterùm si qui doceant nos aliquando obligari ad tutius in tali dubio, non puto quod reipsa à nobis discrepent; intelligendi enim sunt in aliquo casu particulari, verbi gratia, quòd ante examen veritatis teneamur ad tutius tam in dubio juris quàm in dubio facti, quod nos cum omnibus admittimus. Cæterùm si in alio aliquo casu idem admittant, id erit, quia in tali casu conscientia de honestate operationis rationabiliter formari non potest, in quo casu nos etiam consentientes habent; sed tunc lex, aut extensio legis non est propriè dubia, sed ita probabilis ut oppositum non sit probabile. Fieri etiam potuit, ut illud jus vocaverint dubium, eò quòd omne illud dubium appellarent quod non est certum. Sed in hoc etiam nobiscum consentiunt, quamvis dissentire videantur, eò quòd usurpent vocem *dubium* in latiore significatione, quàm nos. Cæterùm si qui illorum, quos Vasquez sub termino generali nominat, verè à nobis dissentiant (quod non existimo) viderint ipsi, quomodo argumento illi ad hominem facto satisfaciant. Cui certè facillimè satisfit, si doctrinæ hoc loco tactæ adhibeantur, quia per illas facillimè assignatur, quando præcisè teneamur ad tutius in dubio, ut patet.

Quid Vasquez teneat in dubio voti?

32. Quòd in dubio voti ad tutius teneamur, sic probat Vasquez loco citato: Si quis in dubio voti licitè posset non servare votum, posset similiter in dubio de valore matrimonii petere debitum. At consequens est falsum & absurdum. Ergo & antecedens. Probatur sequela. Inprimis utrumque dubium est dubium facti; non enim est cur dubium de voto dicatur dubium juris, cùm dubium hoc primariò sit circa factum, quamvis ex ipso facto deinde dubium juris oriatur, nempe utrùm teneatur ad votum in dubio? hoc enim ex æquo evenit in omni dubio facti. Deinde

de uterque habet legem certam contra se. Dubius de Matrimonio, *ne accedat ad non suam*, dubius verò de voto, *ne transgrediatur votum.* Sicut enim lex non accedendi ad non suam obligat, ne petatur debitum in dubio de Matrimonio, ne fortè dicta lex violetur; ita pariter lex jubens votum non violari obligat ad servandum votum in dubio, ne fortè aliter ipsa etiam violetur. Ergo in utroque casu par est obligatio.

Respōsio 1. 33. Respondeo inprimis, me nil jam determinare circa consequens, quod Vasquez habet pro absurdo; multi enim docent, illud absurdum non esse, quando qui dubitat est possessor bonæ fidei, secus si sit possessor malæ fidei. Nec hoc obstat sæpe citatis capitulis: nam *in capite Inquisitioni* non agitur de casu dubij, & *in capite Dominus*, solùm agitur de possessore malæ fidei. Unde ex istis capitibus nec infertur contra possessorem bonæ fidei. Sed quidquid sit de hoc,

Ante votũ nulla datur lex obligans ad servandũ votum. 34. Respondeo secundò, admisso antecedente, consequentiam esse nullam. Ratio est, quia dubium de voto meritò revocatur ad dubium juris; nam lex illa prætensa non violandi votum, non est lex absolutè obligans ante votum; si enim nil voveam, ad nil obligor ex vi illius. Ergo lex illa ad nil serviret, si nemo voto se obstringeret. At non est ita in aliis legibus, illæ enim habent determinatum objectum, ad quod obligant, aut à quo arcent independenter à libera voluntate ejus, qui legem servat. Hinc est, quod nemo liberetur ab onere talium legum ex eo, quòd dubitet an opus faciendum sit contra legem, quia constat dubia æquè ac certa vetari per talem legem. Verùm in dubio voti omnia contrario modo se habent, omnis enim vis legis obligantis ad servandum votum dependet à voto ipso, & ad ipsum consequitur. Itaque votum est lex privata, quam nobis ipsis imponimus, quamque Deus consequenter acceptat: neque est alia lex distincta à voto acceptato, qua absolutè obligamur ad votum implendum. Quòd si recurras ad legem priorem conditionatam, qua Deus dicit, *si quis voverit, volo ut servet votum*, inprimis ponis leges merè conditionatas in Deo, quæ non videntur Deo dignæ; non enim est cur de merè conditionatis quidquam actu absolutè statuat, nisi aliquem effectum aut obligationem absolutam simul inducat. Deinde hoc, etiam admissum, nil facit ad rem præsentem: adhuc enim nulla datur obligatio absoluta nisi dependenter à voto, & consequenter ad votum. Ergo dubitare de voto est dubitare de absoluta obligatione legis; atque ideo dubium voti reducitur ad dubium juris absolutè obligantis, & cum illo necessariò connectitur. Hinc est, quod eodem modo loqui debeamus de dubio voti ac de dubio juris. At in dubio juris nulla datur obligatio sectandi tutius. Ergo nec in dubio voti.

In dubio voti nemo tenetur ad votum. 35. Præterea sunt duæ aliæ rationes validissimæ, quibus probamus, nullam esse obligationem sectandi tutius in dubio voti. Prima est, quia eo ipso quod post diligens examen votum maneat dubium, rationabiliter præsumitur non emissum. Secunda est, quòd in tali casu sumus in possessione nostræ libertatis. In dubio autem melior est conditio possidentis; non enim æquum est, ut qui hactenus possedi meam libertatem, jam illa priver ob dubium de voto; maximè cùm in tali dubio possessio legis, aut Dei me per legem arctantis, opponi non possit, eò quòd omnis ejusmodi lex sit tam dubia, quàm est ipsum votum. Neque verum est, quod Vasquez dicit, regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*, solùm habere locum in materia justitiæ, cùm ad alias materias extendatur, ut latè ostendi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 27.* & ex professo iterum probabo hic, *quæst. 57.* Porro tam hæ rationes, quàm etiam prima, ita appropriantur voto dubio, ut ad alia dubia facti non extendantur. Prima locum non habet in factis dubiis, quæ non inferunt dubium legis absolutè obligantis, sicut infert dubium voti, ut patet ex dictis. Secunda etiam ratio locum non habet in factis dubiis; non enim ex eo quòd quis dubitet an uxor sit mortua, præsumere potest quod verè sit mortua. Tertia demum ratio extra dubium voti non favet libertati, sed eam gravat, quia possessio stat pro lege, seu pro Deo per legem certam gravante libertatem, ideoque omnia opposito modo se habent in dubio voti, & in plerisque meris dubiis facti. Hæc ergo non solùm solvunt, quæ Vasquez toto illo capite ponderat, sed etiam probant, neminem in dubio voti ad tutius obligari.

36. Quod attinet ad illam aliam regulam, *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*, illa non adeo difficilè explicatur. Inprimis hæc regula declaratur per illam aliam regulam juris, *Odiosa sunt restringenda, favores convenit ampliari.* Si enim dubium oriatur, an pœna aliqua, vel lex onerosa extendenda sit ad casus similes, qui non exprimuntur in lege; dicimus illam non extendi, sed dubium hoc debere interpretari in sensum favorabiliorem; quia odiosa sunt restringenda. E contra, si dubitetur an gratia & privilegium extendatur ad casus similes; interpretamur dubium in partem favorabiliorem, & dicimus, gratiam ad talem casum extendi, quia *favores sunt ampliandi.* Sensus regulæ *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.*

Rursus si dubium sit de jure, illud in meliorem ac favorabiliorem partem semper interpretandum est, quia libertas non est gravanda, nec sua possessione privanda sine urgente necessitate; qualis nulla est in dubio juris.

37. Similiter in dubio facti, illud etiam interpretandum est in meliorem partem, quantum rationabiliter fieri potest; id est ad omnem effectum, quem non satis constat comprehendi sub aliqua lege. v. g. Dubium est, an aliquis sit homicida? Hoc dubium eousque solùm interpretandum est in deteriorem partem, quousque constat leges obligare reum ad se gerendum instar homicidæ. Porro quia non est dubium, sed certum, eum ad talia obligari, ideo non sumus in casu faciendi favorabilem interpretationem circa obligationem subeundi talem pœnam. At si sermo sit de aliis pœnis, ad quas non constat leges extendi, dicimus talia dubia in meliorem partem esse interpretanda; hominemque illum in ordine ad illas habendum pro non homicida, quia *odiosa sunt restringenda*, quia *in obscuris reo favendum est potiùs quàm actori*, & demum, quia *dubia*, ubi verè est dubium de obligatione, *in meliorem partem sunt interpretanda.* Dubium facti an & quando in meliorem partem interpretandum?

38. Quòd si velimus, regulam hanc tunc præsertim ad proximos dirigere, quando illorum probitas aut honor in dubium vocatur; dicendum est primò, quòd nemo in tali dubio sit absolutè condemnandus; non quòd hoc sit dubia negativè interpretari in meliorem partem, quatenus non accipiuntur in partem deteriorem; quia hoc non est ea in meliorem, sed solùm non in deteriorem partem interpretari, quæ duo toto cœlo differunt, & à Celladeo incongruè confunduntur; sed quia præcipimur alios temerè non judicare aut condemnare.

demnare. Quod præceptum prorsùs diversum est à regula interpretandi dubia in meliorem partem.

Dubia orta ob solâ difficultatem virtutis in meliorem parté interpretanda.

39. Dicendum secundò, omnia dubia de proximi probitate, orta ex sola difficultate virtutis, aut ex majori multitudine peccantium in tali materia, vel ex speculativa probabilitate quòd hic homo sit reus talis peccati, eò quòd longè plerique in illud labantur; omnia, inquam, ista dubia quoad praxim & modum agendi cum proximo interpretanda sunt in meliorem partem, quia ob talia motiva non solùm non licet judicare hunc hominem in particulari esse malum, sed neque licitum est ob tales rationes nos ab ejus consortio, aut à fidendo ipsi, prout negotia postulant, deterreri, sed cum illo agendum est ac si judicaretur probus. Ratio est, quia nemo sine sua culpa condemnandus est, aut in suspicionem trahendus, vel communibus vitæ socialis necessitudinibus privandus. Neque tamen tenemur in tali dubio caput nobis frangere, ut absolutè judicemus talem hominem esse probum; quia tale judicium plerumque esset falsum, & consequenter speculativè loquendo semper temerarium. Solùm ergo obligamur dubia talia contemnere, & ita nos gerere erga proximum, ac si illa menti non obversarentur, & hoc modo quoad praxim & vitæ civilis usum ita cum eo agere, ac si probus haberetur. Hoc modo omnia ejusmodi dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

Quomodo dubia interpretãda sint, quando homo prodit signa nequitiæ?

40. At si homo prodat signa suæ nequitiæ, & per illa dubiam reddat suam probitatem, tenemur quidem eum non temerè judicare, nec eum ex mala affectione leviter condemnare, sed judicium absolutum suspendendum est, donec, re sufficienter considerata, constiterit, signa illa esse aut certa aut probabilia nequitiæ indicia; quo habito, non tenemur ea absolutè interpretari in meliorem partem, sed licitè judicamus eum esse malum, per adhæsionem judicii proportionalem motivo, cui innititur. Quòd si indicia illa non reddant malitiam probabilem, sed solùm suspectam, non tenemur ita fidere tali homini, sicut aliis; sed prudentiæ est cautè cum illo agere, & cautè nos aut alios illi fidere, ne fortè malus sit, suaque malitia nobis nocumentum spirituale vel corporale afferat. Cæterùm nemo conqueri potest, si alii in tali casu dicta ratione cum ipso agant, cùm ipse, per opera sua minùs honesta minùsque prudentia, signa suæ malitiæ ac imprudentiæ dederit.

Opera bona & indifferétia in meliorem, sed opera mala in malam partẽ sunt interpretãda.

41. Hæc explicatio multum affinitatis habet cum doctrina Angeli, Silvestri, aliorumque veterum Summistarum docentium, omnia opera ex se bona vel indifferentia semper in meliorem partem esse interpretanda, scilicet ea esse rectè facta. E contra verò, opera ex se mala non in meliorem partem interpretanda esse, sed habenda pro malis. Ratio est, quia opera bona & indifferentia plerumque fiunt benè & ex motivo aliquo honesto. E contra opera ex se mala plerumque fiunt sine titulo sufficientis excusationis. Unde sicut esset imprudentiæ priora interpretari in deteriorem partem, ita pariter esset imprudentiæ posteriora in bonam partem interpretari.

Exceptio Celladei male fundata.

42. Doctrinam hanc, optimam sanè ac planè rationabilem, Celladeus carpit, tum quia Summistæ non explicant quid faciendum, quando dubium est, an quis talem actionem fecerit? tum quia non teneor ad actionem indifferentem in meliorem partem interpretandam; nam si videam aliquem facientem actum indifferentem, possum sanctè dicere, illum facere actum indifferentem.

Verùm Summistæ immeritò carpuntur, quia non tenentur in omni sua resolutione omnem imaginabilem difficultatem de re proposita exhaurire; sed dicunt quæ sciunt, tacent quæ nesciunt. Itaque eo loco non loquuntur de interpretatione eorum, de quibus dubitatur an sint facta, sed declarant quid judicandum sit de iis, quæ constat esse facta, quando vocatur in dubium, an benè vel malè sint facta? quam quæstionem adæquatè & prorsùs rationabiliter resolvunt. Cæterùm secũda impugnatio Celladei est prorsùs falsa; quamvis enim videam hominem ponere operationem indifferentem in specie, tamen nec prudenter nec sanctè possum interpretari illam actionem esse indifferentem in individuo, quia tale judicium imprudens est, cùm oppositum plerumque contingat. Adeo enim facile & obvium est finem bonum actioni indifferenti applicare, ut rarò contingat talem operationem non esse bonum in individuo.

Quæ præsumuntur non facta, aut benè facta, in meliorem partem sunt interpretãda.

43. Demum omnia prorsùs dubia interpretanda sunt in meliorem partem, quando rationabiliter præsumi potest, quod aut non sint facta, aut certè quod non sint malè facta. Sic Auctores communiter docent, omnia hominis valde scrupulosi dubia in meliorem partem esse interpretanda, sive dubium sit de præteritis & factis, v. g. an dederit consensum? an conscientiam formaverit? an Psalmum talem recitaverit? &c. sive de futuris & faciendis, an hoc vel illud sit peccatum? &c. quia in his omnibus ex ipso dubio præsumere potest, se non errasse in præteritis, nec erraturum in futuris, quamdiu non scit se peccasse, aut peccaturum esse in tali opere. Ratio est, quia scrupulosi, ob morbum animi, ita affecti sunt, ut, quoties errant, certò sciant se errasse, & sæpe credant se malè fecisse, quando partes suas benè egerunt. Similiter de agendis, satis sciunt quæ sint mala. Unde ex ipso dubio probabiliter judicare possunt, illud, de quo dubitant, non esse malum. Cæterùm per hanc interpretationem hujus regulæ, sicut per aliquam ex aliis quas attulimus, dubium solvitur, ideoque non manemus in casu dubii propriè sumpti. Verùm hoc ideo evenit, quia regula hæc non merè extenditur ad dubia quæ manent dubia, sed eò tendit, ut dubitationem tollat per interpretationem favorabilem in meliorem partem. Quod hîc quoque factum vides. Itaque regula ista minùs opportuna est ad quæstionem præsentem, in qua supponimus dubium manere. Sed ad hoc etiam in aliquibus casibus deservit, ut constat ex dictis.

Radix hujus regulæ quæ?

44. Quòd si quæras, in quo principio fundetur obligatio interpretandi dubia in meliorem partem, quando agitur de proximo? Respondeo, illam fundari in eadem illa regula juris naturalis, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Unusquisque enim vellet dubia de se favorabiliter interpretari. Justum ergo est, ut similia aliorum dubia & ipse in partem meliorem interpretetur.

Regulæ istæ conciliantur.

45. Ex his infertur, regulas istas sibi non contradicere, quia prima regula, de tutiori parte sectanda in dubio, respicit ipsum operantem: reliquæ duæ directè loquendo solùm respiciunt alios. Præterea prima regula agit de dubio practico, in quo nulla est dubitatio de obligatione sectandi tutiora, sed in utroque foro constat de obligatione taliter dubitantis. At quando

quando constat de tali obligatione, non est locus pro aliis regulis; quæ proinde huic non contradicunt, nec possunt contradicere. Jam duæ posteriores regulæ nullam inter se repugnantiam habent, sed una potius juvat ad confirmandam alteram, ut satis constat ex dictis.

ASSERTIO III.

Duæ posteriores regulæ sæpe inserviunt ad dirigendum ipsum operantem, ut conscientiam debitè formet. Propositum autem sit declarare, quandò ad hoc conducant.

Regulæ favendi reo, & dubia in meliorem partem interpretandi sæpe inserviunt ad cõscientiã rite formãdam.

46. PROBATUR assertio contra Celladeum, qui tenet, istas regulas ad conscientiam applicari non posse. Probatur, inquam, quia sæpe versamur in tali dubio, in quo judex ex vi dictarum regularum nos liberare deberet, etsi omnia, quæ sunt in conscientia nostra, illi manifestarentur. At in tali casu regulæ illæ æquè serviunt nobis ac judici ad formandam conscientiam; quòd non teneamur subire talem pœnam, aut privare nos tali re; &c. Ratio est, quia forum externum & internum non differunt, nisi quando externum nititur præsumptione, quæ in foro interno scitur esse falsa. At extra talem casum nulla est diversitas in utroque foro, nisi quòd judex externus teneatur sententiam ferre in favorem rei; in foro autem interno reus potest cedere jure suo, qui proinde non tenetur, potest tamen in proprium favorem sententiam dicere, atque ita se ab onere liberare. Et sanè, quando perspicuum alicui est, se in tali dubio constitutum esse, ut judex omnium, quæ sunt in conscientia ipsius, conscius, sententiam favorabilem pronunciaret, eidem pariter perspicuum est, se eodem fundamento nixum, posse simile judicium formare. At judex movetur dictis regulis. Ergo & privatus homo eisdem moveri potest ad conscientiam suam debitè formandam. Ergo regulæ illæ utiles sunt non solùm pro foro externo, sed etiam aliquando pro interno; & quidem in omni casu, in quo forum externum reum liberaret, si omnia, quæ habet in conscientia, certè constarent in foro externo. E contra verò, si judex me damnaret ad partem tutiorem, si omnia quæ habeo in conscientia essent manifesta, tunc per se loquendo teneor ad sectandam partem tutiorem, nec ab hoc onere alia ratione liberari possum, nisi quia in aliquibus casibus jus positivum aut ratio naturalis dictat, me non teneri ad me ipsum condemnandum ad talem pœnam, donec damner ad illum per sententiam judicis.

47. Ex his infertur 1. difficultates, in quæstionis introductione propositas, nullius esse momenti, cùm regulæ istæ versentur circa diversa objecta, diversasque circumstantias. Itaque manifestum est, difficultates illas per dicta esse solutas.

48. Infertur 2. Celladeum non solùm concordiam, sed etiam sensum harum regularum insufficienter explicuisse; ac proinde cum fine sufficiente fundamento jactasse, nos nostram de illarum concordia nescientiam prodere, nec posse eas in nostris principiis concordare, cùm omnia è contrario se habeant; omnes enim facillimè conciliantur, nec ulla invenitur umbra repugnantiæ inter illas. Interim judicet Lector, an ipse reus sit censuræ, quàm aliis inussit, cùm nec sensum illarum, nedum earum concordiam sufficienter declaraverit.

Celladeus reus est censuræ, quàm nobis objecit.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm, & cur in dubio melior sit conditio possidentis, saltem in materia Iustitiæ?

Quid teneat Celladeus.

1. UÆSTIONEM hanc ex professo tractat Celladeus *lib. 4. quæst. 12.* in qua, communi Theologorum sententiæ subscribens, asserit titulum possessionis ita prævalere in materia Justitiæ, ut ratione illius possessor præferendus sit, nec ullatenus teneatur se re sua privare ob dubium ortum, utrùm spectet ad alium. Verùm contendit, id ideo præcisè licere, quia ipse titulus possessionis tollit dubium, & reddit probabile, quod res ad possessorem pertineat. Ego quæstionem etiam excutiam, & veritatem, ut potuero, elucidabo, atque hac occasione convellam Celladeum, ubi illum à communi veraque sententia recedentem invenero.

ASSERTIO PRIMA.

Possessor bonæ fidei licitè retinet rem suam sibi integram, nec eam tenetur dividere, quamvis postea dubitet, an ad alium spectet; modò post ortum dubium sufficientem diligentiam adhibuerit ad inveniendam veritatem, & post diligentiam præmissam res adhuc maneat dubia.

2. HÆC est communis Theologorum sententia, cui paucis demptis, reliqui subscribunt. Loquuntur autem expressè de possessore bonæ fidei, quia sola possessio bonæ fidei titulum trahit. Exigunt autem ut, orto dubio, sufficientem pro scienda veritate diligentiam adhibeat,

habeat, quia alioquin temerè faceret retinendo rem, quam fortè sciret ad alium pertinere, si veritatem investigaret. His positis, probatur multipliciter. Primò, hoc traditur in *65. regula Iuris in 6.* ubi sic habetur. *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.* Causa dubii expositi est par causa respectu possidentis, & alterius de cujus dominio in rem illam dubitatur. Ergò potior erit conditio possidentis, quæ certè potior non esset, si re illa seipsum privare, aut illam dividere teneretur. Ergò licitè eam retinet, nec eam tenetur dividere. Secundò, talis possessor in nullo foro externo spoliaretur sua possessione ob dubiũ, utrùm res ad illum an ad alium pertineat. Ergò non est spoliandus eâdem in foro interno, quia idem servandum est in utroque foro, quando forum externum non nititur falsa præsumptione, quali certè in hoc casu non nititur, cùm supponamus eadem omnia constare in utroque foro. Adde judicem fori externi in hoc casu rectum & justum judicare, jus suum cuique tribuendo, hoc enim facit, quoties officio suo non deest. Ergò justum & rectum est, ut possessor retineat rem suam in dubio. Ergò ipse ita judicans & faciens, rectum judicat, & justum facit. Tertiò. Quando partium jura sunt obscura, reo potiùs favendum est quàm actori. At possessor est reus, & non possessor prætendens est actor, & in dubio hoc jura sunt obscura. Ergò possessori favendum est contrà actorem. Et sanè in criminalibus certum est, quòd reo in tali casu favendum sit. Ergò etiam in civilibus, quia regula juris æqualiter pronunciat de omnibus. Hæc sufficienter probant rem ita se habere; verùm Celladeus illis satisfieri noluit, nisi etiam ulteriùs indagaret causam, ob quam res ita se habeat. Sit ergò

Possessor bonæ fidei omnibus præfertur in dubio.

ASSERTIO II.

Propositum sit exponere rationes, ob quas in pari causa melior sit conditio possidentis.

Cur cõditio possidẽtis sit melior in dubio?

3. PRIMA & potissima ratio à priori hujus rei ex eõ desumitur, quòd in casu præsenti possessor simpliciter habeat jus majus ad rem illam, quàm non possessor. Quamvis enim titulus dominii ex æquo utrique faveat, cùm pro utroque par sit ratio dubitandi, tamen titulus ac jus possessionis favet soli possessori. Non est autem æquum, illum privari hoc titulo ob exceptionem dubiam, quæ æquè favet ipsi, ac competitori, ut contingit in casu dubii. Hinc fit, ut in omni foro conditio possidentis, cæteris paribus, melior sit conditione non possidentis.

Ratio 1.

4. Secunda ratio, quæ Celladeo mirè arridet, desumitur à Cardinali Pallavicino *de Act. humi. disp. 9. quæst. 4. art. 3.* & à Bressero *lib. 4. cap. 3. num. 22.* & sic se habet. Expedit reipublicæ, ut possessor in dubio non privetur re possessa, quæ in casu dubii non potest transferri in non possessorem sine turbatione quietis publicæ. Hinc est, quòd, cæteris paribus, leges semper faveant possessori & consuetudini. Præterea nunquam eligitur aliquid in republica, si non existimetur esse melius eo, quod antea erat in usu; frustra enim immò noxiè, & cum turbatione pacis, mutatio fieret, si non fieret in melius. At non est meliùs possessorem privari re sua ob dubium, quod non favet magis alteri quàm ipsi. Imò meliùs est, ut maneat sicut est, cùm possessor habeat titulum, quo alter caret. Hæc & hisce similia dicti Auctores afferunt. Quæ certè congruè afferuntur, & aliquid lucis afferunt, quamvis, si omnia bene inspiciantur, ratio hæc videatur fundari in priori.

Ratio 2.

5. Celladeus hisce addit primò, quòd plus requiratur ad auferendum aliquid ab alio, quàm ut ille eam sibi retineat, & alteri non det. Ergò nil potest auferri à possidente propter dubium, ut alteri detur; alioquin non plus requireretur ad auferendum, quàm ad retinendum, seu ad alteri non dandum. Addit secundò, quòd talis mutatio non habeat causam finalem, quódque ideo fieri non debeat.

Aliæ rationes.

6. Hæ rationes Celladei bene procederent, si ageretur de re, quam constaret ad aliquem pertinere ut propriam; quia in tali casu plus requiritur ad rem illam à Domino auferendam, quàm ut ipse eam retineat, & alteri non det. At si agatur de non auferenda sed retinenda, seu non danda re, de qua dubitatur, an ad hunc vel illum pertineat ut propria, oportet aliundè probare, quod plus requiratur ad illam auferendam à possessore, quàm ad illam non dandam actori, sed sibi retinendam. Alioquin contendet quis, ipsum jus dubium postulare, ut partes inter se conveniant, & rem inter se partiantur. Similiter contendet, quòd tantum sufficiat ad auferendam rem à prætenso Domino, quantum sufficit ut illam non det. Nam ratio illam non dandi fundari debet in carentia juris alieni ad illam; similiter & ratio illam non auferendi fundari debet in eadem carentia, alioquin dari debet alteri, & à priori auferri. Cur autem idem non contingit in dubio? Certè nisi hoc aliundè probetur, non apparet esse verum. Ergò hæc ratio insufficiens est, nisi resolvatur in aliam. Secunda autem Celladei ratio minùs valet, quia statim apparet causa finalis talis mutationis, nempè ut vitetur periculum violandi juris alieni, quòd vitari non potest in tali dubio, nisi partes inter se conveniant, & quisque partem valoris accipiat.

7. Tertia ratio elicitur ex dictis, quia jus cujusque completur per legem absolutè faventem uni, & gravantem alium, ut traditur, ubi agitur de natura juris. At jus dubium, seu lex dubia, nullam habet vim obligandi, ac proinde non obligat. Ergò in hoc casu neuter ad quidquam tenetur præcisè ex vi juris dubii alteri faventis. Ergò ex eo capite non tenetur possessor ad quidquam dandum actori. Itaque in hoc casu absolutum jus dominii directè obligans neutri parti favet. Ergò recurrendum est ad jus reflexum. At hoc tamdiu solùm æquè favet utrique parti, quamdiu cætera sunt paria, quo in casu res dividenda est inter eos, si neutra pars possideat, ut omnes fatentur. Verùm si cætera non sint paria, sed una pars sit possessor bonæ fidei, pars illa habet directum & absolutum titulum, seu jus possessionis ad rem illam, ac proinde jus reflexum debet illi favere, & gravare alterum, quia jus reflexum non potest onerare illum, qui ex vi juris directi præfertur. Ergò possessor ex nullo jure directo aut reflexo obligatur ad se privandum re possessa. E contrà, tam jus possessionis directum, quàm jus reflexum, directo illo jure subnixum, dat illi prælationem & potestatem ad rem illam retinendam, eaque utendum, atque etiam ad ipsam alienandum, eo modo, eaque restrictione, quam Auctores communiter requirunt ad usum & alienationem rei possessæ, stante dubio circa legitimum rei dominium.

Ratio 3.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 8. OBJICIT primò. In dubio tutior pars est tenenda. At tutior pars est, si res restituatur, aut certè per conventionem vel sententiam judicis dividatur; quia alioquin homo exponitur periculo habendi alienum, & prorsùs casualiter se habet ad violandum & non violandum præceptum.

Tutius est Judici & actori relinquere rẽ in manu possessoris, in casu dubii. Respondeo, argumentum procedere posse vel de judice, vel de actore, vel de reo, seu possessore. Si de prioribus procedat, tutius est, ut relinquatur res in manu possessoris, qui sine manifesta juris possessorii violatione adigi nequit ad cedendum sua possessione. Itaque tam judex quàm actor peccaret, si rem à possessore in casu dubio exigeret. Præterea si judex cogeret rem dividi, haud dubiè privaret alterutrum jure suo, cùm res supponatur integrè ad alterutrum spectare. At hoc inconveniens (si tamen sit inconveniens, ut prætendit objectio) non incurritur, si res relinquatur in manu possessoris, quia fortè nemo privabitur jure suo; & certum est, quòd possessor non privetur sua possessione, & jure ad eam, quo, & ipse privaretur, si ad alienandam rem adigeretur, & alteruter etiam sui dominii jacturam certè pateretur, si res divideretur.

Possessori tutius est rẽ dividere aut alienare. 9. Quod si loquamur de ipso possessore, esset quidem tutius respectu illius aut totam rem alienare, aut cum actore pacisci, remque in contractu dividere. Verùm ad hoc non tenetur, quia tutius solùm ex necessitate tenendum est in dubio practico, non autem in dubio speculativo, quando scilicet adest rationabilis causa formandi conscientiam, quòd liceat rem sibi retinere, non obstante dubio remoto. At in casu nostro adest talis ratio fundata in titulo possessionis, ut dictum est, & ex eo probatur, quòd judex, totius rei conscius, nec debeat, nec possit possessorem privare re illa. Unde sequitur, possessorem non obligari ad se illâ privandum, quia si ille ad hoc teneretur, deberet judex ad hoc illum obligare, quia utrumque forum in tali casu eodem modo judicat.

Casualitas possidendi alienum vel suum non obstat possessori in dubio. 10. Demum, etsi in hoc casu casuale sit homini habere alienum vel suum, non tamen per hoc exponitur periculo violandi ullam legem absolutè obligantem, vel habentem vim legis; cùm hîc & nunc nulla detur ejusmodi lex respectu hominum versantium in tali dubio, ideoque citra periculum peccati homo se tali casui exponit; quia satis constat, nullam dari legem obligantem possessorem pro ista circumstantia dubii, in qua proinde constat, retentionem rei esse licitam.

Non obligatio legis dubiæ manifestè apparet in dubio possessoris. 11. Et sanè vel hinc colligere potest Celladeus, quàm longè à vero recesserit, quando negavit, conscientiam formari posse, in casu dubii vel probabilitatis paris, per legem non sufficienter promulgatam vel applicatam. Profectò nil clariùs, quàm legem faventem vero Domino in hoc casu non esse sufficienter applicatam ut quemquam obliget. Lex enim illa in hoc casu non magis favet vero Domino, quàm falso, quia post omnem diligentiam adhibitam, dubium manet, an huic vel illi faveat, an hunc vel illum gravet. Ergò non potest magis favere vero Domino, quàm falso. At falso non favet, cùm ex sua essentia illum gravet, nec possit illi favere, aut ullam obligationem in favorem illius inducere. Ergò neque potest vero Domino favere, aut quemquam obligare in favorem ipsius; non ex defectu legis (datur enim lex vero Domino favens, & omnes alios gravans) sed defectu promulgationis & applicationis debitæ. Et quidem hoc quoque notandum est contra Celladeũ, quòd doctrina ista locum habeat in materia juris naturalis, quia præsens quæstio ad jus naturæ pertinet, cùm jure naturæ suum cuique reddere teneamur.

Lex absolutè obligans ad non cõtrectãdum alienũ consequitur ad jus acquisitum. 12. Porrò, si loquamur de lege vel jure absolutè favente Domino, & absolutè gravante alios, idem de illa dicendum est, quod *quæst. superiore* in fine diximus de voto, scilicet, omnem absolutam obligationem talis legis dependere à jure acquisito, ac ad illud consequi. fingamus enim neminem habere jus acquisitum ad quidquam; profectò in tali casu lex illa, ***Alienum nec auferas, nec retineas non consentiente Domino***, futilis esset, & de subjecto non supponente, si sumeretur ut lex absoluta, quia nil absolutè vetaret, cùm nemo esset Dominus ullius rei, nec quisquam impediretur à capienda & retinenda re quavis illi obvia. Itaque talis lex ad summum esset conditionata, ideoque nullam ex se obligationem absolutam afferret, sicut lex solvendi votum per se nullam affert obligationem. Verùm si homo semel acquisivit jus, quocunque tandem modo illud acquisivit, consequenter ad illud Deus absolutè obligat omnes ad non utendum re ulla, invito Domino. Et hæc est voluntas Dei, à qua omnis absoluta obligatio non contrectandi alienum invito Domino dependet. Verùm sicut hæc lex supponit jus acquisitum, ita subit omnes exceptiones & variationes, quibus jus ipsum subjacet. Si enim jus sit certum, certum pariter erit, legem hanc dari & favere Domino: si jus sit dubium, dubium etiam erit, an talis lex existat. Itaque dubium facti in hoc casu, non aliter quàm in casu voti reducitur ad dubium juris. At jus dubium non obligat; nullum proinde periculum est peccandi seu violandi legem obligantem, etsi sit periculum retinendi id, quod verè est sub dominio alterius, & sit prorsùs casuale, an res ex vi dominii acquisiti spectet ad possessorem potiùs quàm actorem. Et sanè hæc videtur esse ratio maximè fundamentalis, ob quam in istis omnibus aliisque similibus nullum sit periculum peccati, seu offensæ divinæ, quia nullum est periculum transgrediendi ullam legem obligantem, seu exercentem vim legis.

Objectio 2. 13. Objicit secundò. Titulus possessionis non sufficit conjugi ad petendum debitum in dubio matrimonii, ut constat *ex cap. Inquisition. de sent. excom. & ex cap. Dominus de secundis nuptiis.* Ergò neque sufficit ad retinendam rem possessam in dubio an spectet ad alium.

Titulus possessionis nõ tantùm facit in ordine ad usum matrimonii, sicut in ordine ad usum aliarum rerum. Respondeo, quidquid sit de antecedente (quod negatur à multis expressè docentibus, possessorem bonæ fidei posse licitè petere debitum in dubio de valore Matrimonii, si post debitam diligentiam dubium solvi non possit) negatur consequentia. Disparitas est, quia ante omnem nostrum contractum datur lex absolutè vetans omnem copulam, donec contractus matrimonialis legitimè initus fuerit. Hæc lex est in possessione ante omnem omnino contractum, & semper obligat ne copula exigatur, donec sufficienter constiterit, debitum peti à legitimo conjuge. Hoc autem non constat in dubio. Ergò in dubio obligatur conjux ad non petendum debitum. Nec mirum, quia hæc lex certò existens, certoque obligans, eodem prorsùs modo extenditur ad non exigendum debitum in dubio, ac in persuasione quod Matrimonium sit nullum. At omnia contra-

contrario se habent in casu præsenti, quia quando agitur de dominio rerum, non constat quòd detur ulla lex absolutè favens actori, & gravans possessorem bonæ fidei, ne rem illam retineat, cùm omnis ejusmodi lex sit æquè dubia, ac est ipsum jus seu dominium. Ergò nulla datur obligatio in hoc casu, licèt detur in alio.

Objectio 3. 14. Objicit tertiò. In casu opinionis hinc inde probabilis de dominio rei, possessio non favet possessori, quia licet uti opinione probabili contra possessorem, saltem in foro interno, & quod consequens est, etiam in foro externo, quod non discriminatur ab interno, nisi quando forum externum nititur præsumptione aliqua, quæ in foro interno scitur esse falsa. Ergò possessio non favet in dubio, quia vix ullum aut omnino nullum dubium est, in quo desint opiniones, Advocati, allegationes, & textus; sicut in foro interno non desunt confessarii, probabilitates, & opiniones.

Respondeo, regulam juris expresè tradere, quòd in pari causa melior sit conditio possidentis. Par autem causa est non solùm quando res dubia, sed quando rationes, auctoritates, & opiniones utrique parti faventes, sunt hinc inde æquales. Eædem enim rationes æqualiter procedunt pro hoc casu, ac pro casu dubii. Quòd si opinio aliqua alicui videatur probabilior opinione opposita, causa non est omnino par; ac proinde regula juris, prout jacet in terminis, non ita servit in hoc casu, sicut in casu dubii, aut causæ paris. Cæterùm cùm antecedens sit falsum, consequentia est nulla. Præterea doctrina consequentis est falsa, quia etsi in omni fermè dubio inveniri possint advocati, qui textus allegent, &c. certissimum tamen est, non omnes ejusmodi advocatos cum suis allegationibus reddere partem illam probabilem cui student, sed rem, omnibus illis conatibus præmissis, adhuc apud æquum rei æstimatorem manere dubiam. Itaque certum est, regulam hanc frequentissimè locum habere in utroque foro; nos autem non loquimur nisi de casibus, in quibus regula locum habet.

Favendum est possessori non minùs in æquè probabilibusquàm in dubio.

ASSERTIO III.

Possessio bonæ fidei non solvit dubium de dominio rei, nec reddit possessorem certum, aut probabiliter securum, quòd dominium rei sit penes ipsum.

15. Assertio hæc est expresè contra Celladeum, qui *in hac quæst.* ex professo contendit, quòd possessio ideò præcisè faveat possessori, quia solvit dubium; adeo ut regula de sequenda parte tutiori procedat in sensu composito dubii; regula verò de meliori conditione possessoris, intelligenda sit in sensu diviso dubii. Hoc præmisso.

Titulus possessionis non sufficienter probat, rem ad possessorem pertinere in casu dubii.

Probatur 1. Titulus, in cujus sensu composito dubium supervenit, non solvit dubium; quia si solus ille titulus solveret dubium, idem solus dubium arceret. Et sanè hæc propositio certa est apud Celladeum, qui supra *quæst. 51.* omni nisu contendit, solam rationem dubitandi non sufficere ad solvendum dubium. Atqui possessio est titulus, in cujus sensu composito supervenit dubium de dominio rei possessæ; nam loquimur solùm de dubio apud possessorem bonæ fidei; nemo autem possidet bona fide, si ab initio dubitet, an res, quam possidet, sit aliena. Itaque

Ratio 2.

loquimur de eo, qui possedit rem bona fide, antequam dubium de dominio orirerur; & consequenter sermo est de dubio, quod supervenit possessioni, sine ulla dubitatione inchoatæ. Ergò possessio non est titulus, qui dubitationem illam solvat, aut solvere possit, idque verum est ex mente expressa Celladei, qui proinde in his assertis inconsequenter locutus est. Celladei cõtradictio.

16. Probatur 2. Si possessio se sola solveret dubium, eo ipso quòd quis possideret rem, probabiliter crederetur verus Dominus illius, & consequenter absque ullo examine præsumendus esset habere verum dominium in rem illam. Ergò non teneretur ulteriùs rem examinare, quia non est cur quisquam, qui rationabiliter præsumitur Dominus, teneatur ulteriùs examinare suum titulum ob merum dubium, quod nullam secum probabilitatem affert pro illa parte, nec ullam partis contrariæ probabilitatem aufert. At in omnium sententia possessor, si dubium oriatur, tenetur veritatem investigare. Unde duo inferuntur. Primum, quòd titulus possessionis in tali casu nil faciat ad jus, quod quæritur. Jus enim quæritur non solùm independenter à possessione, sed etiam contra ipsam possessionem, quæ supponitur, non quæritur. Alterum, quòd titulus possessionis non sufficiat ad probabiliter æstimandum, verum rei dominium ad possessorem pertinere, & consequenter, quòd possessio non sit argumentum sufficiens ad solvendum dubium de dominio. Ratio 2.

17. Probatur 3. Possessio est prorsùs indifferens, ut conjungatur vel non conjungatur cum dominio; constat enim nos sæpe possidere quæ nostra non sunt, & multa esse nostra, quæ non possidemus. Ergo titulus possessionis nil prorsùs facit ad credendum, quòd dominium sit penes possessorem. Generalis enim regula est, quòd prædicatum, ex se prorsùs indifferens ad utramque partem contradictionis, nil conferat ad quæstionis decisionem; sicut si quæramus, utrùm Petrus sit in foro, ad hoc nil confert quòd sit armatus, quia esse armatum nullam habet connexionem cum esse in foro, nec esse in foro cum esse armatum. At talis est casus noster. Imò quamvis prædicatum possessionis esset genus ad jus & dominium, quod tamen verum non est, adhuc tale prædicatum nil prorsùs conduceret ad inferendum dominium, sicut animal, quod est prædicatum genericum, nil prorsùs conducit ad determinandum, an animal, quod à longè video, sit homo vel brutum, quia tota illa notio ob suam universalitatem est prorsùs indifferens ad utramque partem contradictionis. Ratio 3.

18. Sed ut res extra omne dubium fiat. Titius absens instituatur à Sempronio hæres. Veniat Titius, ut possessionem hæreditatis capiat; capiat autem eam legitimè hac hora determinata. In hoc casu sic arguo. Evidens est, possessionem initam hac hora nil prorsùs conducere, ut verum jus ac dominium rerum possessarum certiùs credatur ad illum pertinere, quàm credi poterat unâ horâ antè, priusquam possessionem inierat. Ratio est, quia omnis titulus, ex quo probari ac præsumi possit verum jus, præcessit possessionem bona fide initam, ut patet. Sicut ergò possessio primùm inita nil ad hoc conducit, sic nec possessio continuata quidquam juvat ad ipsum probandum, nisi eousque continuata fuerit, ut novus titulus usucapionis vel præscriptionis post diuturnam possessionem accesserit. Possessio ab initio non probat jus.

Merus titulus possessionis etiam continuatæ non probat jus.

cesserit. Jam regula possessionis favet huic homini statim à possessione, quæ tamen illi non favisset, si dubium ortum fuisset ante possessionem; tunc enim relatè ad talem rem non esset possessor bonæ fidei, ut patet. Rursus sic arguo. Si duo moveant simile dubium huic possessori de duabus rebus similibus, unus horâ ante initam, alter horâ post possessionem initam, non est, cur primum dubium sit potentius, quàm secundum, ad persuadendum, quòd jus ad possessorem non pertineat. Primum autem dubium, ante possessionem motum, impedit, quò minùs possessor probabiliter credatur Dominus. Ergò secundum dubium, motum post possessionem, impedit idem judicium. Ergò possessio non est medium aptum ad solvendum dubium de dominio. Ergò falsum est, quòd regula possessionis intelligatur in sensu diviso dubii; indubiè enim intelligitur in sensu composito ipsius.

Ratio 4.

Possessio nō est probabile argumentum juris.

19. Demum sic arguo. Mera possessio, etiam bona fide inita, nec reddit dominium rei possessæ certum, nec probabile. Ergò possessio bonæ fidei non est fundamentum sufficiens ad solvendum dubium, quod rationabiliter solvi non potest, nisi vel per certitudinem, vel per probabilitatem. Probatur antecedens. Inprimis non reddit dominium certum, alioquin nemo unquam possideret alienum. Deinde non reddit illud probabile, quia quamvis possessio integræ hæreditatis, ab antecessoribus pacificè eam possidentibus acceptæ, probabilissimè supponat, plura ex illis bonis pertinere ad jus testatoris & possessoris; & sic in universum magnam præbeat præsumptionem legitimi juris universaliter sumpti circa bona ex hæreditate accepta; nulla tamen datur ejusmodi præsumptio circa bona, de quibus controvertitur, utrùm ad possessorem pertineant, an ad alios? In istis enim frequentissimè invenitur, quòd ad alios pertineant, in aliis utraque pars relinquitur probabilis, & in aliis post omne examen res manet dubia, ut erat ab initio. Ergò titulus possessionis non reddit probabile, quòd talia spectent aut non spectent ad possessorem, sed relinquit totum in eo statu, quo fuisset, si possessio nondum fuisset inita, id est, in statu dubii; quia sicut possessio non obstat, quò minùs alii reclament, & motiva sua urgeant contra possessorem; imò sicut possessio non obstat, quò minùs argumenta habeant eandem vim, quam habuissent, si proposita fuissent unâ horâ vel die ante possessionem initam, aut si possessio inita non fuisset, nisi unâ horâ ante hoc tempus; ita pariter scitur, quòd merus titulus possessionis adjectus nil prorsùs faciat ad probandum, quòd verum jus resideat apud possessorem. Imò si præsumptionibus agendum sit, contrarium potiùs præsumendum est, quia moraliter impossibile est, quin in magna hæreditate hominis divitis & negotiosi plurima ad alios spectantia reperiantur. Ergò præsumendum est ita contingere. At ea sunt, de quibus datur ratio dubitandi, non ea, de quibus nulla talis ratio datur. Ergò possessio nil prorsùs facit ad solvendum dubium, ad quem rei dominium spectat, sed id totum independenter à titulo possessionis probandum est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

20. OBJICIES primò. Omnes fatentur possessionem in casu dubii prævalere, præponderare, ac inæqualitatem facere. At hoc non faceret, nisi solveret dubium, & ad conscientiam debitè formandam juvaret.

Possessio nō probat, sed dat jus retinendi rem in dubio.

Respondeo, possessionem prævalere in dubio de dominio, quod certè arguit prævalentiam possessionis reperiri, stante non sublato dubio. Prævalet ergò non quia probat possessorem esse verum Dominum rei, sed quia ipsamet est novus titulus, qui tribuit jus possessori, ne privetur re semel bona fide possessa, (sive illa sit sive non sit sub suo vero dominio) donec plus afferatur contra se, quàm ipse habeat pro se. Itaque in isto casu duo dubia sunt solvenda; primum est dubium speculativum de dominio, ad quem spectet; secundum est dubium practicum conscientiæ, utrùm scilicet liceat possessori retinere rem possessam, non obstante dubio, an dominium ad se vel ad alium pertineat. Possessio nil facit ad solutionem primi dubii, juvat tamen ad solutionem secundi, & ideo titulus possessionis prævalet omni titulo, qui competit non possessori in casu dubii.

Objectio 2.

21. Objicitur secundò. Possessio aliquid facit ad suitatem, ac ad dominium rei, quia diuturna possessio juvat ad acquirendum dominium perfectum, titulo præscriptionis, vel usucapionis, quod totum fit, quia diuturnitas illa est continuata quædam adjectio priori dominio quasi quasi in ipsa possessione fundata. Ita Celladeus §. *ultimo*.

Possessio juvat ad novum jus acquirēdum, sed non juvat ad probandum jus antecedens.

Respondeo, possessionem multùm facere ad acquirendum dominium in posterum per usucapionem vel præscriptionem; æquum enim fuit leges condi, per quas dominium rerum transferretur in possessorem post tantum temporis legitimæ possessionis; alioquin rerum dominia fuissent nimis incerta. Jam ad dominium hac ratione acquirendum, multum conducit possessio, cùm sine illa dominium tali via acquiri nequeat. Cæterùm, nisi tales leges exstarent, possessio nulla ratione juvaret ad dominium, sicut ante illas non juvabat. Ex quo infertur contra Celladeum, possessionem ex se nil facere ad habendum rerum dominium, quia tunc non opus fuisset præscriptione, cùm, independenter ab omnibus legibus statuentibus præscriptionem, sola possessio continuata contulisset dominium. At nos non loquimur de hoc dominio; hoc enim totum simul acquiritur, expleto tempore à legibus statuto, & ante illud nil illius acquiritur; sed loquimur de jure ac dominio ab ipso possessore acquisito ante possessionem initam; constat autem possessionem ad hoc probandum nil prorsùs conducere. Itaque falsum est, quod ipsa continuatio possessionis sit quotidiana novi juris adjectio ad jus qualecumque antecedens; continuatio enim ad hoc solùm juvat, ut tempus præscriptioni faciendæ statutum impleatur; sed ante illius impletionem nullum jus tribuit, vel auget. At post tempus elapsum, rerum dominium novum vi legum acquiritur, & illud tunc adjicitur priori *quasi quasi dominio*; quod non erat jus ad rem ipsam, sed solùm jus possessionis à vero jure ac dominio rei prorsùs distinctum; cùm sæpe, non obstante possessione, inveniamus jus ac dominium rei ad alium pertinere, cui proinde possessor eam restituere tenetur.

Objectio 3.

22. Objicitur tertiò, Possessio, ut ait Sanchez, affert præsumptionem juris; præsumitur enim aliquam rationem fuisse, cùm quis bona fide, nemine reclamante, cœpit possidere. Ita Celladeus.

Respondeo, jus quidem præsumi antequam possessio

Poss. ssio an æqua ratione afferat præsūptionem juris? possessio pacifica ineatur, ut acutè & verè dixit Sanchez. Verùm ipsa possessio nullo modo auget hanc præsumptionem, sed sicut eam comitem habuit ab initio, & eandem tamdiu servat, quamdiu nil affertur in contrarium. Cæterùm sicut quodvis dubium præcedens possessionem hanc præsumptionem elisisset, sic etiam quodvis dubium post possessionem exortum eandem elidit; quia præsumptio illa in eo solùm fundatur, quòd cùm pleraque bonorum, quæ possidentur, spectent ad possessorem, præsumendum est quodvis particulare ad eum pertinere, quamdiu nil affertur in contrarium. At ubi aliquid affertur in contrarium, cessat ista præsumptio; quia optimè scimus, plurima sæpe ad alios spectare, ac proinde, orto dubio, non possumus ampliùs præsumere, ut ab initio præsumebamus. Sed res examinanda est; quòd si remaneat dubia, tunc possessor titulo possessionis præfertur, sive illa res spectet sive non spectet ad alium.

Objectio 4. 23. Objicitur quartò. Possessio aliquando conjungitur cum præscriptione; tunc autem certum facit dominium. Ita Celladeus.

Merus titulus poss. ssionis nil juvat ad probandū jus. Respondeo, quid hoc ad rem? Præscriptio quidem efficit, ut jus de novo acquiratur, & sic tollit omne dubium in posterum. Unde non ampliùs tenetur homo solicitus esse, etsi dubia exoriantur de aliquo jure. Verùm præscriptio nec supponit, nec probat jus antiquum fuisse verum. Verùm quidem est, quòd si nemo longissimo tempore reclamet, eo ipso probabilis est apparentia ac præsumptio, quòd jus ad alios non pertineat; quia homines non solent tamdiu negligere sua jura: verùm hoc nulla ratione infertur titulo possessionis, quia si hæres abfuisset in India toto illo tempore, & hodiè injisset possessionem, tota illa apparentia & præsumptio refusa fuisset in longitudinem temporis, non in possessionem, ut patet. Ergò possessio ipsa nil prorsùs ad hoc conducit.

SOLVITUR PRINCIPALIS OBJECTIO,

Ac Reflexio Celladei circa hanc regulam.

Obj. ctio 5. 24. OBJICITUR quintò. Regula ista nihil valeret, si usus opinionis æquè ac minùs probabilis esset licitus. Imprimis regula videtur esse de subjecto non supponente; quia in pari causa per nos liberum est opinari. Ergò liberum est æqualem causam inæqualem reddere, & solvere dubium per opiniones; dubio autem soluto, regula locum non habet.

Secundò, unusquisque in pari causa habet in manu sua bonam fidem, seu prudentem assensum, vi cujus ante omnem possessionem potest bona fide incipere possidere. Ad quid ergo juvat possessio?

Tertiò. Possessio ex alio capite nil juvat, quia etsi ponat inæqualitatem, non tamen reddit rem certam. At liberum est opinari minus. Ergò non obstante possessione faciente causam possessoris majorem, tam judex quàm privatus, potest judicare rem pertinere ad actorem. At per hoc cessat regula, quæ non procedit de prudenter opinante rem esse suam.

Quartò, demum hac ratione omnia relinquuntur arbitrio, quia sicut quando sunt quatuor doctores pro hac parte, & quatuor pro illa, utraque est probabilis, & quivis potest prudenter credere cui placuerit; ita pariter erit in causa octo testium æqualium, quorum quatuor aliis quatuor contradicunt; liberum enim erit judici prudenter credere his, rejectis illis. Ergò non est cur in paritate causæ faveatur reo vel possessori, sed omnia arbitrio erunt relinquenda. Ita Celladeus §. 3. postquam in fine §. 2. monuisset, se istam reflexionem iterum atque iterum facere, ut omni diligentia refellat opinionem benignam, docentem usum cujuslibet ex opinionibus contradictoriis æquè probabilibus esse licitum?

Regula favens poss. sori per licitū probabiliū usum non eliditur. Respondeo, Celladeum verè iterum iterumque fatigare Lectorem, sæpiùs eadem repetendo; timeo autem ne & ipse eundem fatigem responsiones easdem iterando; sed venia danda est respondenti, si arguens ad replicandum repetita argumenti propositione urgeat. Sed jam paulatim ad singula. Ad primum, nemo dicit, quòd usus omnis opinionis probabilis sit licitus, sed solùm quod usus cujusvis opinionis practicè probabilis sit licitus, etsi contraria opinio sit æquè probabilis. Hoc stante, etsi sit probabile, rem à Titio possessam esse meam, idque æquè probabile ac oppositum, imò & probabilius, non ideo est probabile, quod liceat eam privata autoritate mihi vendicare. At si æquè probabile sit, dominium rei spectare ad possessorem, poterit ille eam sibi retinere, non præcisè propter hanc speculativam probabilitatem, sed quia simul etiam est probabile, quòd hoc ipsi liceat; quod ex titulo possessionis constat ipsi esse licitum. Hoc posito non tollitur dicta regula, sed stabilitur, cùm per ipsam regulam efficacissimè probemus, quòd ubi intervenit titulus possessionis, liceat sequi opinionem minùs tutam, etsi opposita tutior sit æquè probabilis, quia hic titulus additus illi opinioni non solùm facit illam practicè probabilem, sed aut certam aut longè probabiliorem, & consequenter etiam tutam in conscientia.

In multis casibus paribus nō est liberum opinari. 25. Rursus regula non est de subjecto non supponente, neque enim semper liberum est nobis opinari in causa pari. Non est hoc liberum, quando adest causa dubitandi, sed non adest causa opinandi; quod frequenter accidit, maximè in dubio negativo. Non est liberum in sensu composito judicii comparantis & agnoscentis utramque partem esse æquè probabilem, quod frequenter evenit, maximè quando agimus per testes, & auctoritatem extrinsecam. Tertiò, hoc sæpe non est liberum homini ratione non passione ducto, quia sæpe non adsunt motiva sufficientia ad rationabiliter solvendum dubium, etsi homo per temeritatem uni parti assentiri possit, & quæstionem solvere. At qui taliter solvit dubitationem, non est tutus in conscientia, nisi ad statum dubii redeat, & per ea, quæ talem statum comitantur, se reguler. Porro quamvis in aliis innumeris casibus, simpliciter loquendo, liberum sit quæstionem solvere, tamen liberum etiam est, & sæpenumerò longè facilius illam non solvere. Ergò, stante variabilitate libertatis humanæ, moraliter loquendo, necesse est, nos in istis etiam casibus sæpe hærere dubios. Pro istis ergò casibus, qui profectò sunt innumeri & quotidiè obvii, hæc regula deservit.

Mira & vix intelligibilis Celladei dictio & allusio. 26. In secundo nulla est difficultas, nisi intelligendi, quid sibi velit Celladeus, qui ludit, seu potiùs se intricat terminis apertè repugnantibus. Quomodò enim possibile est incipere possidere ante omnem possessionem? Non dixerit hoc Oedipus, nisi cum Philosophis ad inceptionem & desitionem extrinsecam & intrinsecam recurrat. Tales autem subtilitates ad res morales non deser-

deserviunt. Præterea si ad hanc distinctionem recurrat, sensus erit, possumus extrinsecè incipere possidere rem, antequam verè possideamus eam intrinsecè; eò quòd possessio nullam habeat inceptionem intrinsecâ, sed solùm extrinsecam. Similia alia ex intricatissima quæstione de natura continui addi poterunt, quibus insistere nolo, quia non sunt ad rem. Et sanè nil juvaret Celladeum hæc objectio, tametsi propositio sensum haberet, & veritatem contineret; quia possessio, undecumque tandem eveniat, inchoanda est bona fide, ut regula locum habeat. Quid ergò refert, quod possit quis incipere possidere ante omnem possessionem? Incipiat vel non incipiat possidere ante possessionem, id nil refert; sed requiritur ut bona fide possidere incipiat. At qui sic incipit possidere, rarò aut nunquam versatur in pari causa cum aliis, quia putat rem possessam ad se solum pertinere. Verùm sæpe post possessionem initam dubium oritur, & aliorum jus apparet tam verum quàm suum. Jam possessio bona fide inita servit pro hoc casu consequente possessionem. Quæ sunt omnibus adeo obvia, ut mirandum sit, Celladeum ad ea non reflexisse. Cæterùm falsum est, quod assumit, scilicet semper nobis liberum esse in pari causa solvere dubium per prudentem assensum; nam oppositum constat ex dictis ad primum. Unde iterum, labente fundamento, totus discursus ruinam patitur.

Possessio reddit titulum possessionis certum, sed dominium relinquit incertum.

27. Tertium argumentum procedit de subjecto non supponente, supponitur enim, quòd possessio juvet ad probandam veritatem dominii, de quo dubitatur, quod est falsum. Hoc posito, possessio reddit jus seu titulum possessionis certum, sed dubium relinquit dominium. Jam verò si contingat, vel judicem vel privatum existimare, dominium non pertinere ad possessorem, aut longè probabilius esse, quòd ad eum non pertineat, tunc quidem regula ista locum non habet; verùm si causa dominii vel apud judicem vel apud privatum sit par, quod frequentissimè contingit, tum locum habet regula; nec est in potestate ullius tollere inæqualitatem, quam possessio ponit, quia, posita æqualitate prætensionis ad dominium, excessus & præponderantia tituli pro possessore est indubia, & evidens. Ergò nemo in isto casu prudenter existimare potest, rem pertinere ad actorem.


28. Ad quartum. Ex nostra doctrina non sequitur, omnia relinqui arbitrio judicum & aliorum; quia si judices, & alii etiam, non ex indebita passione, sed ex ratione, ut obligantur, procedant, non possunt non sæpe dubitare de veritate dominii; & tunc tenentur uti hac regula. Porrò quamvis quivis simpliciter possit fidem dare cuivis ex opinionibus probabilibus, sæpe tamen facta aliqua suppositione non potest, ut dictum est *ad 2.* Præterea moraliter necessarium est, tales suppositiones frequenter intervenire; ideo etiam in opinionibus probabilibus res non ita arbitrio geritur, ut casus paris causæ sæpissimè non interveniat; tunc autem regula locum habet. Cæterùm nemo prudenter operans, absque motivo rationabili, dubium deponere potest; quod tamen motivum sæpe non datur, ut proximè dictum est. Quomodo ergò geruntur omnia ex arbitrio? Verum quidem est, affectum judicis multùm facere, ut pars, in quam propendet, videatur probabilior; sed huic malo obviari non potest, quamdiu judicia hominibus diversæ naturæ, complexionis, & morum committuntur.

Nil arbitrio, sed solùm ratione regulatur, juxta benignam sententiam.

Interim judices tenentur, quantum possunt, ab omni partialitate abstinere, & non ex passione, sed ex sola ratione sententiam proferre. Hoc autem est, sententiam non arbitrio, sed legibus & ratione regulandam esse.

Error, & mala Celladei illatio.

29. Cæterùm errat Celladeus, comparando testes opposita deponentes cum Auctoribus contraria docentibus: quia testes in tali casu nil probant, nec reddunt dictum suum probabile. At Auctores probant, & probabiliter concludunt, non obstante pari aliorum auctoritate, ut ostensum est hîc *quæst. 50. 51. & 52.* Sed quidquid sit de hoc, ultima Celladei illatio, quòd non sit ratio, cur in pari causa faveatur reo vel possessori, est nulla; quia sæpe oritur dubium, & paritas causæ aut evidenter innotescit, aut certè tanta verisimilitudine apparet, ut judex causam habeat parem; tunc autem regula locum habet. Itaque tantum abest, ut reflexio ista aliquid detrimenti afferat benignæ sententiæ, ut argumentum, ex regula favendi possessori desumptum, efficacissimè eam confirmet, &, ni fallor, in dubio ac paritate causæ moraliter certam reddat, idque ex paritate judicis, ut latè probatum est *quæst. 24. de Conscientia probabili.*



QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-SEPTIMA.

Vtrùm in pari causa conditio possidentis melior sit in aliis materiis præter justitiam?

Status quæstionis.

1. N hac parte schola divisa est, aliis affirmantibus, aliis negantibus, titulum possessionis, ejusque privilegium extra materiam justitiæ extendi. Celladeus *lib. 4. quæst. 13.* parti neganti adhæret. Ego *quæst. 23. de Consc. prob.* affirmativam tenui, quam hîc iterum confirmandam, & à Celladei objectionibus vindicandam accipio. Sit ergò

ASSERTIO UNICA.

Privilegiũ possessionis locũ habet extra materiam justitiæ.

Titulus possessionis, ejusq. privilegium in dicta juris regula contentum, non restringitur ad solam materiam justitiæ, sed ad materias aliarum virtutum extenditur.

2. PROBATUR. Inprimis certum est, quòd non in sola materia justitiæ, sed in aliis etiam materiis detur verissima possessio. Sic Beati possident Deum; Superior legitimus possidet jurisdictionem; & unusquisque possidet suam libertatem ad liberè operandum in quavis materia, quæ ipsi non est prohibita. Et sanè qui illegitimè alios hac possessione privaret, peccaret etiam contra justitiam, cùm talis possessio debeatur titulo justitiæ, quamvis objectum, ad quod facultas possessa extenditur, spectet ad alias virtutes. Hæc suppono *ex quæst. 23. de Consc. prob.* tum quia illa ibi sufficienter probata sunt; tum quia Celladeus in hoc difficultatem non habet, sed solùm contendit, possessionem in aliis materiis non obtinere privilegium & vim, quam habet in materia justitiæ. Hoc ergò supposito.

Ratio 1.

Possessio, ejusque privilegiũ locũ habent in materia obedientiæ.

3. Prima probatio sumitur ex materia obedientiæ; quia cives licitè sequuntur regem eos ad bellum vocantem, etsi dubium sit, an bellum sit justum, ut expressè traditur in *cap. quid culpatur.* Quod caput sumptum ex Aug. sæpe citatum est in hoc opere. Eodem modo subditus religiosus licitè obedit Prælato quando dubium est, an opus præceptum sit malum; nec alia est hujus rei ratio, quàm quia nec rex nec superior privandus est possessione suæ potestatis dominativæ ac directivæ ob incertã & dubiam exceptionem subditi; quia titulus ac jus possessionis prævalet. Neque excogitari potest umbra disparitatis inter debitum ad obediendum, & debitum ad non auferendam rem à possessore; utrobique enim potestas jurisdictionis ejusque possessio ita se habet ad exigendam obedientiam, sicut dominium seu jus hæreditatis & titulus possessionis ad conservandam rem suo possessori. Certè si nec judex nec actor potest licitè auferre rem à possessore ob dubium exortum, an res ad alium spectet, eò quòd in pari causa melior sit conditio possidentis; neque poterit subditus negare obedientiam hactenus præstitam, eò quòd dubitare incipiat, an res illa sit subjecta potestati ac jurisdictioni sui superioris, quia in pari causa melior est conditio possidentis suam jurisdictionem, quam hactenus in illa ipsa materia exercuit. Idem valet in aliis materiis dubiis.

4. Rursus quidquid allegari potest pro superiore contra suum subditum, allegatur eodem modo pro possessore contra judicem & actorem. Nam si dicas, obediendum esse in dubio, quia illud est tutius; etiam res possessa conservanda est possessori in dubio, quia illud est tutius. Si dicas obediendum, quia è duobus malis minimum est eligendum, idem clarissimè locum habet in conservanda re possessori suo. Similiter quidquid dici potest contra superiorem, potest pariter dici contra possessorem; si enim superior committat se periculo excedendi suam facultatem, jubendo quòd reverà est malum; ita possessor exponit se periculo excedendi suam facultatem retinendo alienum invito Domino. E contra, quidquid dici potest pro possessore vel contra possessorem in ordine ad retinendam rem possessam, & ad disponendum de illa titulo domini prætensi, & possessionis bonæ fidei, illud idem dici potest, pro superiore vel contra superiorem titulo jurisdictionis seu potestatis dominativæ & possessionis bonæ fidei. Nominatim autem, si possessor post diligentiam adhibitam disponere potest de re possessa, quia per hoc non exponit se periculo violandi legem habentem vim legis, quia juxta dicta nulla est lex absolutè obligans, quæ faveat actori; ita pariter superior, si post diligentiam debitam inveniat honestatem rei præceptæ esse dubiam, poterit illud præcipere, quia per hoc scit se nullam legem absolutè obligantem violare, cùm jus dubium non obliget, ideoque scit suam facultatem ac possessionem non magis arctandam ob tale periculum, quàm arctetur in possessore facultas disponendi de re possessa. Uno verbo eadem prorsùs est ratio de titulo possessionis in materia obedientiæ & jurisdictionis, quæ est in materia justitiæ ac dominii. Itaque negari non potest, quin privilegium possessionis extendatur ad alias materias, quàm ad materiam justitiæ. Exemplum hoc est longè efficacissimum; eadem autem ratio valet in aliis casibus, maximè in materia religionis, quando votum est dubium; tunc enim titulus possessionis prævalet pro libertate, quia tota obligatio reducitur ad casum juris dubii, quod nullam obligandi vim continet, ut ostensum est. Et sanè eadem prorsùs argumenta eademque reflexiones

eodem

eodem prorsùs modo procedunt in materia voti dubii, sicut in materia justitiæ ac obedientiæ; maximè in ordine ad non arctandam libertatem humanam in dubio juris, quia titulus possessionis favens libertati prævalet, sicut idem titulus in simili favet in materia justitiæ particularis.

Ratio 2. 5. Probatur 2. Ratio ob quam possessio prævalet in materia justitiæ est, quia eo ipso, quod quis bona fide possessionem inierit, habet jus ne illâ spolietur, nisi aliquid afferatur, quod magis urgeat contra eum, quàm quod ipsi favet. Alioquin homo spoliaretur jure certo ac re certò sua ob exceptionem incertam, quæ non magis alteri quàm ipsi faveret. Hoc autem ipso lumine naturæ patet esse absurdum. At eadem prorsùs ratio valet in quavis alia possessione extra materiam justitiæ; nam ipsa possessio, ac jus possessionis in quavis materia, æquè pertinet ad possessorem tanquam res propria illius, ac possessio in materia justitiæ; neque enim ex parte possessionis & juris ad eam conservandam ulla est diversitas, etsi diversitas sit ex parte rei possessæ; illa enim non semper ad justitiam, sed sæpe ad alias virtutes pertinet. Ergo nemo spoliandus est ea possessione, ac jure ad illam continuandam, ob exceptiones incertas ac dubias, quæ non magis favent aliis, quàm ipsi possessori; proinde titulus possessionis æquè valet in aliis materiis, ac in materia justitiæ. Ergo sicut in materia justitiæ, ita & in aliis materiis, quoties causa est par, melior est conditio possidentis. Hæc est fundamentalis ratio, ad quam aliæ reduci posse videntur.

Possessio in omni materia æquale privilegium obtinet.

Ratio 3. 6. Probatur 3. Ideo in materia justitiæ titulus ac jus possessionis prævalet in casu dubio circa dominium rei possessæ, quia nulla est lex absolutè obligans, quæ faveat actori, & vim legis exercere valeat; ex hoc enim sequitur, nullum esse periculum peccati, si res possessa retineatur, ut in superioribus fusè probatum est, quia in tali casu omnis lex ejusmodi est prorsùs dubia & incerta, quæ proinde vim nullam obligandi habet. Hinc autem sequitur, neminem privandum esse possessione legitimè acquisita ob tale periculum, quia nemo subdi debet magno certo ac vero malo, ut vitet malum tantùm nomine tenus, illudque non certum, sed dubium. At hæc ratio locum habet in materia religionis, & in casu voti dubii, ut ostensum est quæst. superiore; quia qui hactenus pacificè possedit suam libertatem hoc & illud faciendi, non debet illâ privari, & pati onus gravis obligationis, eò quòd repente oriatur dubium, an votum emiserit; quia si post omnem diligentiam adhibitam votum maneat dubium, utique omnis lex absolutè obligans ad abstinendum à tali opere est dubia, & proinde non habet vim obligandi. Ergo nullum est periculum peccati veri contra talem legem, si opus omittatur; quia peccatum verum repugnat, ubi non est lex verè & absolutè obligans. Itaque videndum superest, an homines teneantur agnoscere obligationem, & sequi partem tutiorem ex vi legis reflexæ, sicut idipsum quærimus in materia justitiæ: respondetur autem nos in neutro casu teneri, si habeamus possessionem rei, de qua quæritur an teneamur nos eâ privare, quia in tali casu jus possessionis facit conditionem possidentis meliorem; non enim est æquum, ut quis subeat tantum malum, quantum est jactura libertatis, ob solum periculum faciendi id quod non prohibetur ulla lege vim legis habente, quodque præsumi non potest debitum ex vi legis reflexæ, quamdiu est peculiaris ratio possessionis favens libertati, ut est in casu nostro; quia homo est in possessione suæ libertatis, à qua proinde detrudi non debet ob titulum reflexum non magis faventem alteri, quàm sibi. Et sanè privari possessione libertatis tantum malum est, quantum bonum est ipsa libertas. At *libertas omnibus rebus favorabilior est*, ut habetur *reg. 122. ff. de regulis juris*. Porro quod dictum est in casu voti dubii, eodem modo valet in omni dubio juris, in quæ proinde titulus possessionis non minùs obtinet privilegium, quàm in materia justitiæ.

Possessio cur prævaleat in materia justitiæ?

7. Probatur 4. Titulus possessionis, & jus illum retinendi tanti est, ut conjux, probabiliter credens matrimonium esse nullum, nihilominus teneatur reddere debitum consorti petenti, merè ne violet jus possessionis; quia periculum violandi dominium in corpus, ex titulo matrimonii obtentum, est valdè exiguum, cùm probabile sit, tale dominium non dari; & utcunque illud periculum non est comparandum cum periculo fornicationis, incestûs, & adulterii, quod probabiliter imminet. Ergo solus titulus possessionis prævalet, & favet conjugi bona fide possidenti facultatem petendi debitum. Tanti autem est ut non privetur hoc jure, seu hac possessione, ut potiùs quàm conjux tali jure privet consortem, debeat se exponere periculo materialis fornicationis adulteræ & incestuosæ, si probabiliter credat matrimonium esse nullum, tam ob vitam prioris mariti, quàm ob affinitatem vel consanguinitatem cum marito contractam. Similiter tanti est possessio bona fide inita ad petendum debitum in dubio de impedimento impotentiæ, ut liberum sit illi exponere se probabili periculo fornicationis, potiùs quàm agnoscere se obligatum ad abstinendum ab usu juris acquisiti per possessionem matrimonii bona fide initi; non enim tenetur quis abstinere à petendo debito donec certò constiterit illud impedimentum esse perpetuum, quod certè non constat, quamvis perpetuitas impedimenti sit probabilis.

Magnitudo tituli, seu juris possessorii, quanta sit?

8. Hinc sic arguo: Tanti est titulus possessionis, & jus ne quis ea privetur, ut probabile periculum peccati materialis gravissimi non sufficiat ad liberum ejus usum impediendum, idque non solùm quando redditio debiti reducitur ad materiam justitiæ, sed etiam, quando petitio debiti procedit in dubio probabili de impedimento impotentiæ; quæ petitio non spectat ad justitiam, sed refertur ad solum petentem, à quo omitti potest absque ullo periculo injustitiæ vel peccati materialis, ut patet. Ergo à fortiori idem universaliter valet in possessione libertatis (qua privari maximum malum est) quando causa est par, & dubium juris non est probabile, sed purè dubium, quod æquè favet uni parti ac alteri.

Periculum peccati materialis extra materiã justitiæ non infringit jus possessionis.

9. Probatur 5. Tanti est in exemplis allatis titulus ac jus possessionis, ut nemo judex in foro externo rationabiliter posset quemquam damnare ad subeundam jacturam tanti boni ob exceptiones incertas, non magis actori quàm reo faventes; quia ubi partium jura sunt obscura, favendum potiùs est reo, quàm actori. At eadem ratio manifestè valet non solùm in casibus allatis ex materia obedientiæ ac religionis, sed universaliter in possessione libertatis. Ergo privilegium possessionis universaliter locum habet in foro externo pro omni materia, quæ cadit sub veram possessionem. Ergo etiam in foro interno, quod, juxta

Judex in nulla materia cõdemnare potest ad cedendũ possessioni in causa pari.

juxta communem Theologorum sententiam, quam Celladeus *lib. 4. quæst. 12. §. 1.* veram appellat, semper concordat cum foro interno, nisi quando forum externum fundatur in præsumptione, quæ in foro interno scitur esse falsa. At nulla est ejusmodi præsumptio in casu præsenti, quia supponimus eadem omnia constare in utroque foro. Ergo sicut privilegium possessionis in casu dubii generaliter prævalet in foro externo, ita in simili casu universaliter prævalet in foro interno.

Inæqualitas, quam possessio tribuit possessori, est par ac similis in omni materia.

10. Probatur 6. ex iis, quæ Celladeus ipse admittit. Privilegium possessionis ideo locum habet in materia justitiæ, quia facit aliquam inæqualitatem, seu præponderantiam in favorem possessoris, ex qua inæqualitate habetur fundamentum formandi conscientiam, quod liceat possessori rem sibi retinere. Fundamentum autem hoc consistit in titulo possessionis ac in jure illud retinendi, nisi plus afferatur contra possessorem, quàm pro possessore; imò nisi aliquid afferatur magis urgens contra possessorem, quàm possessio ipsi faveat. Hæc omnia verissima sunt; sed perspicuè locum habent in omni possessione, quia necesse est, titulum possessionis in omni causa cæteroquin pari præponderare in favorem possessoris, cùm necessariò inducat aliquam inæqualitatem manifestè faventem possessori. Hæc autem inæqualitas non minùs conducit ad formandam conscientiam in aliis materiis, quàm in materia justitiæ, quia fundamentum taliter formandi conscientiam non consistit in alio, quàm in ipsa hac inæqualitate ac præponderantia, ut patet. Neque verum est, possessionem, ut Celladeus contendit, conducere ad solvendum dubium de dominio; contrarium enim in multis est evidens, ut in casu dubii de matrimonio ob impotentiam, & in prima hora post possessionem hæreditatis bona fide inchoatæ, &c. tales enim possessiones nullatenus juvant ad solvendum dubium sive de matrimonio, sive de jure ac dominio possessoris, ut ostensum est. Itaque possessio aliud non probat, in materia justitiæ, quàm quòd possessor ob ipsum titulum possessionis, cæteris paribus, sit præferendus aliis in usu ac dispositione rei possessæ; quódque per consequens possessio juvet ad rationabiliter existimandum, possessorem licitè posse retinere rem possessam non obstante dubio, an verum jus ac dominium illius ad se an ad alium spectet. At possessio in aliis materiis, quando cætera sunt paria, probat prorsùs idem; idque ex iisdem penitus fundamentis. Ergò privilegium possessionis æquè locum habet in aliis materiis, ac in justitia, ubi cætera sunt paria.

Error Celladei refutatur.

11. Atque hinc infertur, Celladeum fuisse deceptum, distinguendo possessionem in probantem, & non probantem. Probantem vocat possessionem in materia justitiæ; non probantem vult esse possessionem in quavis alia materia. Deceptus, inquam, fuit, quia revera omnis possessio probat, quicquid ulla determinata probat, & nulla probat solutionem dubii post illam ortam. Hæc omnia jam fusè probata sunt *quæst. superiore* contra Celladeum; quarè solùm superest, ut argumentis ipsius satisfaciamus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

12. OBJICIT primò. Si quæ esset possessio in aliis materiis, cui possessionis in materia justitiæ privilegium competeret, maximè esset possessio libertatis. Sed hæc possessio nihil probat, nec per se ac titulo sui facit meliorem conditionem eam habentis; si enim aliquando probaret, semper probaret, & in omni causa dubia & pari redderet causam inæqualem, quia in omni dubio adest possessio libertatis. At non semper probat, ut omnes fatentur, alioquin pars tutior in nullo unquam dubio esset tenenda. Ergò possessio extra materiam justitiæ nunquam probat per se loquendo, nec conditionem possidentis reddit meliorem. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo 1. negando majorem, quia possessio jurisdictionis ac subditi eodem modo procedit in materia obedientiæ, sicut possessio dominii & rei in materia justitiæ. Porrò in hoc casu nullus datur specialis titulus de possessione libertatis, magis quàm in materia justitiæ. Idem dico de aliis exemplis, ut in possidente conjugem, & potestatem petendi debitum in dubio de impedimento impotentiæ perpetuæ, &c. in casibus enim hujusmodi maximè elucet vis possessionis, ejusque comparatio cum possessione in materia justitiæ per omnia subsistit. Falsa ergò est major, ut à Celladeo hoc loco profertur. Responsio 1.

Possessio libertatis semper affert privilegiũ, quando datur, si causa sit par.

13. Respondeo 2. possessionem libertatis, ubi datur, semper locum habere in omni causa dubia ac pari; sed in hoc errat Celladeus, quòd putet possessionem libertatis ex æquo locum habere in omni dubio, quod verum non est; nam quando practicè dubitatur, nemo possidet, aut unquam possedit libertatem faciendi quod vult, cùm unusquisque indubiè gravetur lege reflexa obligante ad partem tutiorem. In tali enim casu, sicut in multis dubiis facti, possessio non stat pro libertate, sed pro lege, seu potiùs pro superiore nos gravante per legem, per quam pro sua potestate arctat terminos nostræ libertatis, obligatque ne operemur illud de quo dubitamus, an sit illud, quod scimus ab ipso esse prohibitum; quia lex certa & certò existens extendi potest ad prohibendum dubium, ut ostensum est. Itaque sæpe non licet sectari minùs tuta in dubio, quando scilicet possessio non favet libertati; sæpe licet, quia sæpe libertas gaudet possessione suæ libertatis.

Possessio nõ favet libertati in omni dubio.

14. Objicit secundò. Magna & multiplex est disparitas inter possessionem in materia justitiæ, & possessionem in aliis materiis. Inprimis in materia justitiæ semper standum est pro possessione, quando causa est par. Hoc locum non habet in aliis materiis, ut omnes fatentur. Secundò in aliis materiis tenemur saltem de consilio ad partem tutiorem. At in materia justitiæ possessor non tenetur ne quidem de consilio. Tertiò, possessor in materia justitiæ non tenetur ad totam rem alienandam, alioquin daretur motus sine quiete cum processu in infinitum. Qui enim acciperet rem, iterum teneretur eam reddere, & sic sine ullo fine. At nihil simile est in aliis possessionibus. Quartò, in materia justitiæ possessio facit ad suitatem, & ex voluntate Reipublicæ eam inducit; quia divisio rerum subjecta est voluntati Reipublicæ. At nihil simile est, quando dubitatur an sit aliqua Dei lex obligans ad aliquid; quia homines nil disponere aut alterare possunt circa talia. Hæ disparitates ostendunt argumentum à possessione in materia justitiæ, ad possessionem in aliis materiis non valere. Ita Celladeus §. 4. Objectio 2.

Respondeo, omnia hæc absque delectu, & contra veritatem objecta esse. Primum est falsum, nam non semper in materia justitiæ standum est pro possessore. Inprimis petere debitum conjugale est materia justitiæ; & tamen sæpissimè possessor

Possessio nõ semper tutũ facit possessorẽ in materia justitiæ.

sessor non licitè petit debitum, si dubitet an matrimonium sit validum. Rursus in dubio, an filius aliquis sit legitimus, providendum illi est de portione legitima, quamvis fratres cogendi sint tribuere aliquid ex rebus, quas possident, ut fusè probat Vasquez *1. 2. disp. 66. cap. 8.* idque verum esse contendit non solùm ex jure civili, sed etiam ex jure naturali. Tenetur ergo Celladeus determinare, quando possessio etiam in materia justitiæ affert, & quando non affert obligationem sectandi partem tutiorem. Nos *quæst. superiore* hoc explicavimus. Itaque antecedens est falsum; sed, illo admisso, consequentia non sequitur; possessio enim æquè universaliter favet superiori in materia obedientiæ, ac in materia justitiæ, quia semper obediendum est in dubio, quando causa cæteroquin est par. Eodem modo in materia religionis semper favendum est libertati, quando votum est dubium: demum in omni dubio standum est pro possessione libertatis, quando causa est verè par, & nil affertur contra possessorem, quod ex æquo non faciat pro possessore, prorsùs sicut in materia justitiæ. Hæc sola diversitas intervenit, quòd in dubio practico, aliisque cum dubitatione practica connexis, causa non sit par; ideoque regula possessionis ad eam non extendatur.

Illatio Celladei non sequitur ex antecedente.

15. Iidem errores clarè apparent in secundo etiam argumento. Inprimis antecedens est falsum, quia subditus in materia obedientiæ non tenetur ne quidem de consilio ad partem tutiorem: v. g. subditus non tenetur se abscondere, aut statum Ecclesiasticum inire, quando vocatur à rege ad bellum, de quo dubitat an sit justum. Et tamen tutius illi esset dicta ratione bellum illud vitare. Idem universaliter verum est de subdito Religioso; de consilio enim est, ut obediat, quamvis abstinere ab illo opere esset tutius, si superior illud non præciperet. Neque obstat, quòd, stante præcepto superioris suam jurisdictionem legitimè possidentis, tutius sit obedire; quia hoc etiam locum habet in materia justitiæ; stantibus enim possessione & voluntate possessoris ad retinendam rem suam, tutius est tam actori quàm judici favere possessori. At quando agitur de parte tutiore in præsenti quæstione, agitur de eo quod tutius est independenter à titulo possessionis, non de eo quod tutius est considerato etiam titulo possessionis, aliisque ab illa provenientibus. Deinde quod ex opposito dicit est falsissimum; tam certum enim est, possessorem teneri ex consilio ad partem tutiorem in materia justitiæ, quàm in aliis materiis; pars enim tutior est illa, quam sequendo nullum est periculum peccati ne quidem materialis. At si possessor restituat rem in dubio nullum imminet periculum peccati; imminet verò periculum peccati, saltem materialis, seu detentionis rei alienæ invito domino, si non restituat. Imò secundùm aliquos imminet periculum peccati formalis; Adrianus enim & Sotus apud Vasquium *1. 2. disp. 66. cap. 7.* docent, possessorem, si dubium perseveret, debere rem restituere vel in totum, vel saltem in partem, quia hoc est tutius. Deinde quis non videt consilium esse, in dubio de impedimento impotentiæ abstinere à petendo debito, & habere uxorem loco sororis? Si hoc non sit consilium, quid tandem erit? Hoc tamen est in materia justitiæ. Ergò possessor in materia justitiæ tenetur, ut cum Celladeo loquar, de consilio sequi partem tutiorem.

In materia justitiæ sæpe de consilio est, ut possessor sequatur partem tutiorem.

In aliis materiis pars tutior non semper est de consilio

16. Tertium argumentum similibus vitiis laborat. Inprimis motus ille perpetuus æquè haberetur in materia justitiæ extra casum possessionis, ac stante possessione, si unusquisque in dubio teneretur ad cedendum totum alteri. Ponamus enim duos esse, quorum neuter possidet rem, de qua dubitant, ad quem illorum pertineat. In hoc casu uterque æquè deberet cedere alteri possessionem sine fine, ac in casu possessionis, si propter merum possidendi & habendi alienum, uterque deberet se privare tota re in favorem alterius. Ergò extra casum possessionis nemo in casu pari teneri potest ad cedendum tota re. Ergò hæc instantia malè appropriatur possessori, quasi verò id ex titulo possessionis oriretur, cùm certum sit, quod potestas non cedendi tota re non oriatur à possessione, sed à titulo juris independenter à possessione. Ad quid ergò applicatur possessori, quasi verò id ex possessione proveniret?

Nullitas argumenti tertii.

17. Deinde similis motus perpetuus daretur in materia fidelitatis, si quis eo ipso deberet totam rem alteri dare, quòd dubitaret an illam promisisset. Deberet enim alteri dare, nè forte violaret promissum, & alter deberet eam restituere, ne fortè retineret alienum; quia dans non absolutè transferret dominium illius rei, sed solùm ex suppositione quòd eam promisisset. Ergò alter non esset certus, sed maneret dubius an posset rem illam sibi retinere. Ecce similis motus sequeretur non solùm in materia justitiæ, sed etiam in materia fidelitatis; imò totus circulus esset in materia fidelitatis, si alter promisisset, se nil retenturum alterius, quamdiu dubitaret, an illud ad ipsum pertineret. Ergò ista perperam proferuntur tamquam spectantia ad solam justitiam, cùm eodem prorsùs modo spectent ad aliam materiam.

Nullus processus sequitur ex titulo possessionis, qui ex aliis titulis non sequitur.

18. Demum admisso antecedente in toto sensu, quem Celladeus intendit, simulque admisso quòd nil ejusmodi contingat in aliis possessionibus, quid inde ad præsens intentum? Aliquid quidem inferretur, si vim faceremus in illo ipso, in quo non datur paritas. At nemo ex illo argumentum sumit. Nos enim in solo titulo possessionis vim facimus, & sic argumentamur. Si duo dubitent de suo jure, & neuter possideat, neuter potest totam rem vendicare, sed debebunt inter se pacisci, & ex æquo rem dividere, quia in tali casu tutior pars est tenenda; totum autem retineri non potest ab ullo illorum, sine periculo habendi rem alienam, invito domino, quod periculum tollitur, si ex conventione rem dividant inter se. At si alteri accedat titulus possessionis, ille, tametsi semper versetur in materia justitiæ, licitè retinet sibi rem totam, nec tenetur, ut antè, eam dividere, aut partem tutiorem sequi paciscendo cum actore; aut in defectu actoris pretium pauperibus erogare. Ratio horum omnium fundatur præcisè in excessu, quem titulus possessionis, reliquis similiter se habentibus, inducit, quia in pari casu melior est conditio possidentis, ut latè probatum est. Hinc arguimus ad alias materias, & dicimus, titulum possessionis semper prævalere in illis, si causa ita sit utrimque par, ut nil afferatur contra possessorem, quod ipsi ex æquo non faveat; quia eædem rationes æqualiter valent in omni materia. In hoc solo paritas, ac rationum non tam paritas quàm identitas, consistit. Neque obstat, quòd in aliquibus aliis huic non contrariantibus detur disparitas. Talia sunt quæ afferuntur in argumento, ut constat ex dictis.

Nullitas argumenti tertii.

19. Ad 4. Patet ex dictis, tum hac tum superiore

Multiplex insufficiẽtia argumẽti 4.

riore quæstione, ubi probatum est, quòd titulus possessionis præcisè ex se nil prorsùs faciat ad suitatem, seu ad verum dominium rei, sed aliundè possessori tribuat facultatem retinendi rem. Porrò omnes illi tituli æquè reperiuntur in aliis materiis, ac in materia justitiæ, ut ostensum est. Quod additur, de potestate reipublicæ ad domimia rerum transferenda, non autem ad alterandas leges Dei, non est ad rem; quia non loquimur pro casu dictæ translationis, per usucapionem vel præscriptionem factæ, sed pro casu, quando aut certum est, rempublicam non fecisse ejusmodi translationem, aut certè est dubium, an illam fecerit. Præterea, quod objicitur, est insufficiens ad intentum, quia dantur innumeræ leges humanæ extra materiam justitiæ, in quas respublica æquè amplum dominium habet, ac in bona ac jura subditorum. Cur ergò privilegium possessionis non æquè extenditur ad illas materias, ac ad bona temporalia? Itaque argumentum non probat privilegium possessionis extra materiam justitiæ non extendi, sed ad summum urget in legibus divinis, quæ ab hominibus alterari non possunt.

Sed neque sufficit ad hoc probandum, quia titulus & privilegium possessionis locum habet in materia justitiæ pro priore ad omnem legem humanam; regula enim illa, *in causa pari melior est conditio possidentis*, est axioma lumine naturæ notum, per quod homines diriguntur in lege naturali, antecedenter ad omnem legem positivam. Ergò veritas illius non dependet à lege aut conventione humana, sed omnia ejusmodi statuta præcedit, quamvis fortasse fieri potuisset per conventionem subsequentem, ut possessio in omnibus materiis reipublicæ subjectis nullum privilegium haberet. Verùm non obstante tali lege humana, adhuc possessio libertatis in aliis materiis humanæ legi non subjectis locum haberet, quia jure naturæ ab hominibus inalterabili meretur dictum privilegium, ut ostensum est. Demum titulus possessionis locum habet in materia justitiæ humanis legibus non subjectæ; qui enim bona fide contraxit matrimonium, licitè petit debitum in dubio impotentiæ, idque ex titulo possessionis bonæ fidei; si enim per longam impotentiæ experientiam ante contractum initum dubitasset de hoc impedimento, sicut illicitè contraxisset, ita contractus subsecutus, & sequens possessio nil privilegii attulisset; tum quia fuisset possessio malæ fidei, quæ nemini suffragatur, ne quidem in ordine ad petendum debitum conjugale, ut apparet in contrahentibus cum dubio aliorum impedimentorum; tum quia nemo debet emolumentum ex suo scelere reportare. Ergo facultas licitè petendi debitum oritur præcisè ex titulo possessionis bonæ fidei. Ergo privilegium possessionis etiam in materia justitiæ locum habet in jure naturæ, quod ab humanis legibus non dependet. Unde iterum nullitas argumenti apparet.

Possessio favet in materia justitiæ humanis legibus non subjectæ.

Objectio 3.

20. Objicit tertiò. In materia justitiæ lis est inter æquales, nisi partium aliqua ex ipso jure privilegium habeat. Deus autem æqualiter adest utrique parti, jubens ut unaquæque habeat quod suum est. At in aliis materiis lis est inter superiorem & subditum, inter Deum & hominem. Ergò in illis potiùs standum est pro lege & Deo; quia sicut in pari causa melior est conditio Ecclesiæ, causæ piæ, dotis, & matrimonii; sic si has regulas extra materiam justitiæ transferre liceret, ex hoc solo melior esset conditio legis ac superioris, & præsertim Dei. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, quid hoc ad rem? Deus aderat æqualiter utrique litiganti in dubio juris ante possessionem. Peto, an adsit æqualiter utrique etiam post possessionem? Si affirmes: ergò res possessa debebit dividi, sicut debuisset dividi, si non fuisset possessa. Si neges: ergò titulus possessionis facit, ut personæ illæ non sint amplius æquales, & ut Deus magis faveat possessori. Ergò idem erit in aliis materiis; quia titulus possessionis æquè reperitur in illis, ac in materia justitiæ, ac proinde Deus non ampliùs respicit illas personas ut æquales. Hoc maximè apparet in materia obedientiæ humanæ, in qua Deus respicit superiorem & subditum ut inæquales, quia respicit superiorem ut habentem jurisdictionem, & legitimam illius exercendæ possessionem; subditum verò ut alteri subjectum, nec habentem rationem excipiendi contra certam alterius possessionem, ob titulum non magis faventem ipsi quàm superiori. Ergò si argumentum valeret, sequeretur à fortiori, quòd privilegium possessionis magis haberet locum in materia obedientiæ humanæ, quàm in materia justitiæ. Itaque fatemur, cæteris paribus, semper favendum esse superiori humano contra subditum in ordine ad debitum obedientiæ, idque propter titulum possessionis. At non ita dicendum de lege, si dubium sit an lex existat, quia radix obligationis est ipsa lex, quæ eo ipso quod sit dubia nequit obligare. At si constaret de lege, seu de voluntate legitimi superioris, tunc quidem lex præferenda esset, quia lex & superior non solùm essent in possessione contra libertatem subditi, sed etiam causa non est par, sed magis faveret superiori ac legi, ut patet. E contra, quando lex est dubia, non est par causa legis & libertatis, quia libertas etiam ob titulum possessionis est præferenda. Nec obstat, quod in causa pari melior sit conditio Ecclesiæ causæ piæ, dotis, &c. quia hoc non est ex natura rei, sed solùm ex lege positiva idipsum volente. At nulla est lex id statuens pro jure dubio. Ergò tunc non est, quòd melior sit conditio juris; imò illa semper est deterior, quia libertas est in possessione contra tale jus dubium.

Justitia ità est inter æquales, ut jus ac possessio reddat illos inæquales.

Superioritas humana est inter æquales, sed facit inæquales.

21. Demum, quamvis Deus ipse sit semper melioris conditionis in seipso quàm creatura, tamen motivum suadens nos obligari Deo, non semper est melioris conditionis, quàm motivum suadens nos non obligari. In hoc Celladeus omnibus aliis consentit, quando ex judicio solùm probabili sequimur partem minùs tutam; tunc enim motivum libertati favens plus valet ad obligationem auferendam, quàm motivum favens legi ad eam inducendam. In hoc ergò sensu dici potest, quòd efficacior sit conditio creaturæ in ordine ad obligationem hîc & nunc arcendam, quàm Dei ad illam inducendam. Hoc posito, idem dico evenire in casu legis dubiæ, quia inter reliqua possessio libertatis inæqualitatem inducit; non enim æquum est, ut priver certa possessione meæ libertatis ob incertam ac dubiam legis propositionem, utpote quæ non magis gravat me, quàm par propositio non legis mihi favet. Ergò ipsa possessio constituit inæqualitatem, facitque conditionem possessoris meliorem in ordine ad arcendam obligationem, quàm sit conditio Dei, seu potiùs motivorum faventium legi, ad obligationem inducendam. Et sanè per hoc ipsum conditio Dei simpliciter melior est, quòd velit motiva illa in pari causa possessioni cedere; Deus enim in

Melior Dei cõditio probat libertati favendũ esse in casu legis dubiæ, idque titulo possessionis, quæ libertati favet.

in hoc maximè misericordiam ac bonitatem suam erga nos commendat, quòd non tam rigidè cum hominibus agat, ut propter quodvis dubium velit eos ad onus tutiora sequendi adigere; sed ita se gerit erga nos sicut in simili causa vult homines inter se habere. At in humanis vult subditum non teneri lege dubia, quia possessio libertatis stat pro subdito in causa cæteroquin pari. Eodem modo proinde vult judicari in ordine ad obedientiam sibimet à nobis ex obligatione præstandam, quia in tali casu titulus possessionis prævalet. Hoc autem est Deo magis gloriosum, illumque magis benignum ostendit, quàm si in istiusmodi casibus ageret strictissimè, ubique aggravando onera, & nil rationabili ex causa remitteret.

Possessio dat titulum agendi cōtra legem Dei dubiam, etiam quando possessio non conducit ad probandum titulum.

22. Demum, ut videas hæc omnia esse verissima, in mentem revoca conjugem, qui dubius de impedimento impotentiæ petit debitum. Hic homo in petendo debito contra neminem agit, nisi contra solum Deum prohibentem accedere ad non suam; nemo enim alius illum à petendo debito impedit, aut deterret. Hoc tamen non obstante, licitè petit debitum. Unde hoc? Nónne Deo & legi favendum? Nónne melior est conditio Dei & legis? Respondeat huic instantiæ Celladeus, & proprium argumentum solvet; inveniet enim, quòd in hoc casu sola possessio bonæ fidei meliorem faciat conditionem possidentis etiam contra legem & Deum in ordine ad debitum liberrimè exigendum. Ex hoc exemplo iterum efficaciter refellitur id, in quo Celladeus maximè inhæret, nempe possessionem, quæ nil facit ad deponendum dubium de veritate rei, nullum privilegium habere, nec meliorem facere conditionem possessoris. Certè possessio in hoc casu nil prorsùs facit in ordine ad decidendum dubium de impotentia, ut patet, & tamen possessio hæc bona fide inita plurimùm conducit ad debitum licitè exigendum.

Objectio 4.

23. Objicit quartò. Si valeret arguere à possessione in materia justitiæ ad possessionem in aliis virtutibus, induci possent usucapiones ac præscriptiones in possessione libertatis adversus legem Dei, etiam naturalis. Ita Celladeus §. 4.

Præscriptio cur inducatur contra humana, nō contra divina?

Respondeo, mirari me, tam inania objici à viro gravi ac ingenioso. Usucapiones ac præscriptiones non inducuntur titulo possessionis, nec unquam inductæ fuissent vi illius, nisi dominium post tantum tempus possessionis pacificæ per leges expressas translatum fuisset in possessorem, ne alioquin processu temporis omnia vera dominia redderentur incerta. Sequitúrne hinc, nos posse præscribere contra Deum? Minimè, ne apparenter quidem. Si tamen Deus legem ferret in favorem nostrum, ut, post tantum temporis pacificæ possessionis, vel ignorantiæ invincibilis lex aliqua positiva cessaret, possemus tunc contra illam præscribere. At sine hujusmodi lege à Deo singulariter constituta (quam non constituit) omnis usucapio aut præscriptio est manifestè impossibilis.

Objectio 5.

24. Objicit quintò. Possessio in materia justitiæ privilegium habet, quando causa est par, quia certò constat, quis possideat, quis non possideat rem. At in aliis materiis hoc locum non habet, quia vel sermo est de libertate physica ejusque possessione; & hæc nec tollitur nec læditur, ne quidem per obligationem præcepti, cùm homo æquè liber sit ad utrumque, posito præcepto, ac erat antè. Et tamen certum est, possessionem libertatis non habere privilegium, quando constat de præcepto. Vel loquimur de possessione morali, qua quis licitè potest rem facere & non facere. At hujus libertatis nulla est possessio, quin de hoc ipso lis est & dubium. Ergò dispar est ratio. Immo è contrario sic arguitur. Si non solùm dominium, sed etiam possessio rei revocaretur in dubium, non esset locus regulæ, ne quidem in materia justitiæ, sed res esset dividenda. Ergò cùm possessio moralis sit dubia in aliis materiis, nullum secum fert privilegium, sed tutior pars est tenenda. Ita Celladeus §. 4. ubi rationem hanc vocat ostensivam & manifestam.

Nullitas prætēsæ demonstrationis.

Respondeo inprimis retorquendo argumentum. Possessio in materia justitiæ, de qua loquimur, vel est possessio physica, qua homo rem sub sua potestate ac libertate physica retinet; vel est moralis, qua licitè retinet & non retinet. Si primum: illa manet etiam quando certum est, quòd res ad alium pertineat; & tamen possessio tunc nullum affert privilegium. Si secundum: de illa lis est ac dubium, quia Adrianus, Sotus, Arragonius, & Barnabas de Rosalibus apud Bresserum *lib. 4. cap. 3.* expressè docent, rem in tali casu vel restituendam, vel dividendam esse; quorum opinionem Corduba *lib. 3. quæst. 6. ad 3.* docet esse probabilem. Rursus sic arguo. Etiam in materia justitiæ sola possessio bonæ fidei fert secum privilegium regulæ. At illa, orto dubio, cessat, quia qui possidet in dubio, non credit rem esse suam, ideoque non ampliùs possidet illam bona fide. Certè talis possessio ab initio non fuisset moralis & bonæ fidei. Ergò neque nunc videtur talis, quia Major, Adrianus, & Sotus apud Cardinalem de Lugo *disp. 7. de just. sect. 3.* docent, possessionem bona fide inchoatam, sed postea in dubio continuatam, non sufficere ad faciendam præscriptionem, ad quam tamen haud dubiè sufficeret, si indubiè esset possessio bonæ fidei. Nil ergò facit possessio in dubio, ne quidem in materia justitiæ. Ergò nulla est disparitas inter possessionem in materia justitiæ, & possessionem in aliis materiis. Respondeat Celladeus huic objectioni, & proprium argumentum solvet.

Possessio physica, justa bona fidei, est titulus præferens possessorē in pari causa.

25 Respondeo ergò secundò, quòd in ipsa materia justitiæ sermo sit de possessione physica, cui bona fides & moralitas, à tali fide derivata, conjuncta fuit ab initio, licèt illa bona fides, & moralitas ab illa derivata hîc & nunc cessent, durante dubio; neque enim de alia possessione loqui possumus, quia post ortum dubium alia non datur. Sensus ergò regulæ etiam in materia justitiæ est iste. Qui nunc physicè possidet rem, quam ab initio bona fide possedit, non debet perdere possessionem suam nec se privare bonis ab initio bona fide possessis, quando oritur causa favens alteri, si causa illa sit par, & ex æquo faveat possessori ac actori. Non enim est æquum, ut possessor bonæ fidei privetur possessione physica rei, aut ullam suæ possessionis arctationem patiatur, ob titulum non magis alteri faventem quàm sibi. Ipsa enim possessio bona fide inita tribuit jus, ne quis Physica possessione ejusque emolumentis privetur, ob incertas exceptiones non uni magis quàm alteri faventes. Itaque præsens physica possessio, prout bona fide inchoata, tribuit novam moralitatem, ratione cujus, tam in dubio quàm in quavis causa pari, physicus possessor præferendus est. Verùm hæc moralitas, seu bona fides consequens est diversa à bona fide & moralitate, quam possessor habuit ab initio, quia

dependet ab illa ut præterita, etsi nec illa, nec similis illi nunc existat. Itaque physicus possessor de præsenti præferendus nunc est ob bonam fidem priorem, quatenus possessio physica hactenus continuata, eo ipso quòd bona fide inchoata fuerit, postulet continuari donec plus afferatur contra possessorem quàm pro ipso. Cæterùm possessio illa physica, prout substans huic persuasioni novæ in illa priore bona fide fundatæ, appellari etiam potest, & communiter ab Auctoribus appellatur possessio bonæ fidei; quia per illam persuasionem homo videt, se præferendum, & ideo bona fide possidet, sed bona fide alterius rationis à bona fide, per quam possessio inchoata fuit, quia hæc est bona fides quodammodo reflexa & consequens, cùm prior bona fides esset directa & antecedens.

Non minus scitur ad quē possessio pertineat in aliis materiis, quàm in materia justitiæ.

26. Hæc omnia locum habent, non solùm in possessione jurisdictionis & subditorum in materia obedientiæ, (in qua nulla prorsùs est diversitas excogitabilis ex parte possessionis aut modi possidendi, cùm tam compertum sit ad quem talium rerum possessio pertineat, ac in materia justitiæ) sed etiam in possessione libertatis in quavis materia, quia homo non minùs physicè possidet suam libertatem, quàm quamvis rem corpoream. Rursus ante dubium ortum de lege, homo non minùs moraliter possidebat libertatem suam, quàm res alias. Jam hæc duo non minùs fundant titulum, & tribuunt jus, ne possessio physica libertatis ullatenus minuatur ob titulum, non magis faventem legi quàm homini, quàm similia præstent in materia justitiæ; & consequenter æquè in hoc casu ac in materia justitiæ constituunt novum titulum possessionis moralis, expressum in regula allata, ratione cujus homo scit, se esse melioris conditionis, ac præferri debere ob titulum possessionis explicatæ.

Præceptum certum verè arctat, ac restringit physicā possessionē libertatis.

27. Dixi, possessionem physicam, bona fide inchoatam, tribuere titulum ac jus, ne physica possessio restringatur in posterum, ob causam non magis gravantem libertatem, quàm illi faventem; gravaretur autem libertas, & physica ejus possessio arctaretur, si teneremur sequi partem tutiorem in dubio. Falsum enim est, quod dicit Celladeus, physicam possessionem libertatis non solùm non tolli, sed nec lædi per præceptum etiam certum; absque dubio enim læditur & restringitur; quia nemo, stante præcepto, ponere potest rem vetitam citra reatum culpæ & pœnæ. At hoc est libertatem ejusque possessionem physicam restringi ac lædi, quia non possumus ampliùs, ne quidem physicè, operari tanta libertate & facilitate pro libito sicut antè, quia difficile & amarum est incurrere reatum culpæ & pœnæ. Itaque præceptum certum verè arctat libertatem, & possessionem etiam physicam illius alterat, quod ex æquitate fieri non debet ob præceptum dubium, quia in tali casu melior est conditio possidentis.

Prætensa Celladei demonstratio probat nostram sententiam.

28. Demum ex dictis patet responsio ad ultimam partem argumenti; non enim cessat privilegium possessionis in materia justitiæ, quamvis prior possessio moralis ac bonæ fidei cessat, dummodò possessio physica remaneat, illique ob priorem bonam fidem nova moralitas accedat, ut dictum est. At privilegium cessaret, si physica possessio & novus ille titulus moralis deficerent, quia tunc regula locum non haberet. Verùm hoc eodem modo locum habet in aliis materiis, in quibus nec physica nec moralis possessiò aliam alterationem habet, quàm in materia justitiæ. Itaque tantum abest, ut hæc objectio ostensivè ac manifestè falsitatis convincat nostram sententiam, at eandem efficacissimè corroboret.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

Vtrùm, & quando difficultas servandi legem reddat partem minùs tutam nobis licitam in dubio?

Consilium de tractanda quæstione ista.

1. QUÆSTIO ista ejusque solutio non est necessaria ad intentum principale præsentis controversiæ; illa enim magis spectat ad tractatum de legibus, quàm de conscientia. Verùm quia Auctores sæpe recurrunt ad difficultatem & incommodum, tamquam ad rationes, propter quas excusamur in dubiis, ideo, ad complementum doctrinæ de dubiis, nonnihil ad hujus quæstionis determinationem afferemus.

Celladeus *lib. 4. quæst. 14. & 15.* hanc rem fusè tractat; sed eam ita versat, ita omnia in dubium vocat, ut nil fermè certi statuat, sed Lectorem valdè perplexum relinquat, quid quæstioni sit respondendum. Immò ipsemet in præcipuo puncto hæret dubius, nec sufficienter explicat sententiam suam. Ego quid in hac re dicendum sit, paulatim ac ordinatè exponere conabor.

ASSERTIO PRIMA.

Aliqua præcepta obligant contra omnè difficultatè occurrentem.

Aliqua præcepta semper tam strictè obligant, ut nulla difficultas quemquam ab observatione rei præceptæ excuset.

2. TALIA sunt præcepta non blasphemandi, non colendi plures Deos, & alia similia, quæ prohibent res ita intrinsecè malas, ut nulla ratione honestari possint. Tenemur enim potiùs mortem & omnia tormenta subire, quàm ea violare. Idem valet in nonnullis aliis præceptis divinis, quamvis non sint de objecto essentialiter malo. Deus Judæis poligamiam olim indulsit, eam Christianis tam absolutè prohibuit, ut nulli liceat duas uxores simul habere, quamvis ob fugam, vel raptum prioris cogatur cum summa difficultate castitatem servare. Dantur ergò præcepta, à quorum observatione nullum incommodum, nulla difficultas excusat.

ASSERTIO II.

Dantur præcepta à quorũ observatione gravis difficultas excusat.

Dantur præcepta non solùm juris humani, sed etiam juris naturalis ac divini, à quorum observatione gravis difficultas excusat.

3. HÆC etiam assertio extra dubium est posita. Inprimis excusatur à lege jejunandi, recitandi horas, &c. qui citra grave incommodum nequit ea observare. Rursus lege naturali ac divina prohibitum est quidquam accipere propter mutuum ultra sortem; & tamen licet aliquid accipere ob damnum emergens, ut omnes communiter tradunt. Dantur ergò præcepta etiam juris Divini ac naturalis, à quorum observatione gravis difficultas & incommodum grave excusat. Porro cum difficultates occurrentes aliquando excusent, aliquando non excusent, superest, ut tradatur regula aliqua, unde incommoda quæ excusant, dignoscantur ab incommodis quæ non excusant.

ASSERTIO III.

Ea omnia & sola incommoda ac difficultates excusant ab observatione legis, quæ ita alterant rem alioquin certò præceptam, ut prudenter credibile faciant, legem ad illam pro tali circumstantia non extendi; aut certè post omnia considerata dubium relinquunt, utrùm lex pro tali circumstantia extendatur ad rem illam.

4. PROBATUR. Inprimis omnes istiusmodi difficultates excusant, quippe quæ directè, vel indirectè sufficiunt ad conscientiam debitè formandam de honestate operis. Directè quidem, si reddant certum aut probabile, quòd lex ad rem talibus circumstantiis affectam non extendatur. Indirectè verò, si post omnia debitè considerata idipsum relinquatur dubium, quia lex dubia non obligat, sed standum est pro possessione libertatis, maximè si lex observari non possit citra grave detrimentum. Rursus istæ solæ difficultates excusant, quia nullæ aliæ vi sua sufficiunt ad conscientiam ritè formandam de honestate operis, cùm ne quidem dubium reddant, an lex ad talem casum extendatur. Ergò extenditur ad illam; cùm absque dubio omnes teneantur ad ea præstanda, quæ aut certò scimus, aut ita probabiliter credimus esse actu præcepta, ut post debitam diligentiam adhibitam non possimus prudenter dubitare, utrùm sint permissa. Hactenus in eo solùm Celladeus à nobis discrepat, quòd putet incommodum non excusare, nisi reddat certum, aut directè probabile, quòd lex non detur; in quo loquitur quidem consequenter ad sua principia de jure dubio, quod vult esse obligatorium; sed quia ostensum est, jus dubium non obligare, ideo illud quoque incommodum excusat, quod sufficit ad ipsum jus reddendum dubium.

Incõmoda & difficultates quæ reddunt legem dubiã excusant ab obligatione legis.

ASSRTIO IV.

Difficultas ſervandi legē frequentiùs tollit obligationē in legibus humanis, quàm in divinis.

Difficultates, ab obſervatione legum excuſantes, longè frequentiùs locum habent in humanis legibus, quàm in Divinis.

5. PROBATUR. Solus Deus eſt perfectus legiſlator, quippe qui ſolus novit omnes circumſtantias, quæ poſſunt occurrere; ſolusque perfectè novit vires, quas ſubditis ſuis largitur. Ille proinde ſolus eſt, qui poteſt leges condere, aut nullis aut pauciſſimis exceptionibus obnoxias. Hinc ita leges ac onera viribus ſubditorum aptat, ut rarò ob difficultates intercurrentes eos excuſari velit. Hoc enim ad bonitatem, prudentiam, ac majeſtatem Dei ſpectat. Atque hinc eſt, quòd in legibus Divinis rarò excuſemur ob difficultates intercurrentes; & quidem rariſſimè in jure naturali, in quo ſi obligatio videatur ceſſare, ideo eſt, quia materia illa ad aliam ſpeciem quodammodò extrahitur. Unde quando aliquid ultra ſortem accipitur pro mutuo, titulo damni emergentis, tunc preſsè loquendo lucrum non datur propter mutuum (hoc enim lege naturali prohibitum eſt, quia præcisè ob titulum mutui nil licet accipere) ſed ſolùm propter damnum, quod hìc & nunc accidit ratione mutui. Itaque tunc damnum imminens fundat titulum novum, & transfert actionem ad aliam ſpeciem. Æquum autem non eſt, nos obligari ad damnum ſubeundum, quia favorem alteri præſtamus, niſi is conſentire velit in compenſationem. Atque hinc non ob mutuum, ſed ſolùm occaſione mutui licet aliquid accipere ultra ſortem ob damnum emergens.

Solus Deus leges ſubditis debitè aptat.

Legiſlator humanus in multis deficit ad leges conſtituendas.

6. At legiſlatores humani nec omnes difficultates intercurrentes provident, nec vires ſingulorum metiri poſſunt. Præterea aliqui aliquando deficiunt nimis dura præcipiendo, de quibus Chriſtus ipſe *Matth. 23.* conqueſtus eſt, quòd *alligent onera gravia, & importabilia*, & imponant in humeros hominum. Quamvis autem duris iſtis & iniquis legiſlatoribus obtemperandum ſit, quando conſtat, eos velle nos ad iſta obligare; nihilominùs loquendo de aliis, de quibus meritò præſumimus, eos nolle ſuos ſubditos nimium gravare, ſæpe magna difficultas interveniens ſufficit ad exiſtimandum, quòd non intenderint ſubditos tanto oneri ſubjicere. Hoc autem frequentiùs longè intervenit in lege humana, quàm in Divina, ut rationes allatæ evincunt.

ASSERTIO V.

Difficultas conſueta, per ſe connexa cum re præcepta, non tollit obligationem legis.

Quando res, quæ præcipitur, eſt per ſe valdè difficilis, conſueta difficultas, per ſe connexa cum obſervatione præcepti, non excuſat.

7. RATIO eſt, quia legiſlator ſciens & volens obligat ad iſtam difficultatem ſubeundam. Ergò illa non excuſat. Sic difficilè eſt jejunare per totam quadrageſimam. Hæc difficultas non excuſat à jejunando, ut patet, quia ipſa directè præcipitur. Et ſanè in tali caſu, niſi aliud aliquod incommodum interveniat præter ipſam difficultatem rei præceptæ, rarò excuſantur homines à præcepti illius obſervatione.

8. Ab his etiam Celladeus non multum videtur diſſentire; in eo tamen prorsùs diſplicet, quòd humanas leges quoad rigorem quodammodò æquet Divinis; eò quòd, ſi Eccleſia ſit mater benigna, etiam Deus ſit miſericors Pater. Præterea Eccleſia mater, inquit, regitur à Deo Patre. Unde videtur inſinuare, ac inferre, Eccleſiam quoad rigorem ac indiſpenſabilitatem ſuarum legum Deum imitari; niſi enim ad hoc inſinuandum dicta illa afferrentur, ad præſens inſtitutum non facerent. Verùm in his eſt ingens diſparitas ob rationes allatas, ut patet. Nec deſunt aliæ plures graviſſimæque, petitæ à juſtitia Dei, qua ipſe ut ſupremus Judex opera miſericordiæ contemperat rigore juſtitiæ, & quidem in alio longè gradu, quàm ullus ſuperior creatus.

Celladeus rigorem legum divinarum ac humanarū æquat.

Propria difficultas rei præceptæ, ſi notabiliter augeatur, aliquādo excuſat ab obligatione ſervandi legem.

9. Petes, an umquam excuſemur ob propriam difficultatem rei præceptæ, ſi illa multum augeatur in ſuo genere?

Reſpondet Celladeus §. 3. quod talis difficultas, utcumque aucta, numquam excuſet, alioquin ſi excuſatio induceretur per plus in eodem genere, vigor legum flacceſſeret, nec ullius obligatio eſſet fixa, & ſtabilis: & hoc tradit tamquam certum. Verùm fallitur, quia id nec certum, nec univerſaliter verum eſt; imò oppoſitum videtur certum, ut mox oſtendam.

10. Reſpondeo ergò, difficultatem in uno genere rarò valde augeri, quin per illud augmentum difficultas alterius generis ex accidente accreſcat. Sic ſi homo ex propria conſtitutione jejunare nequeat, quin ob exceſſum famis ingentem ſpirituum evacuationem ad deliquium uſque patiatur, haud dubiè non tenebitur jejunare. Non tamen certum eſt, ex quo capite excuſetur, an ob ſolum famis exceſſum? an ob deliquium animi, & alia incommoda, quæ communiter non connectuntur cum jejunio? Contendit Celladeus, nullam dari excuſationem ob ſolam difficultatem famis utcumque auctam, quia ſi alia incommoda non annecterentur, utique homo teneretur ad jejunium. Verùm hoc dictum, tametſi eſſet verum, parum ad praxim conduceret; quia quamvis difficultas jejunandi, ſi magnopere creſcat, fere ſemper inducat alia incommoda; illa tamen relatè ad hunc hominem fundantur in jejunio, & ſic difficultas jejunii aucta eſt propria illorum origo. Unde meritò dicitur, quod difficultas illa aucta excuſet, quia ut aucta eſt radix aliorum incommodorum, ut patet. Cæterùm reſtrictio Celladei non eſt admittenda; ſupponamus enim, hominem ex propria conſtitutione majorem longè ex jejunio & fame dolorem ac difficultatem pati, quàm pateretur ex gravi flagellatione, vel vehementi dolore capitis; adeo ut utrumlibet, immo illorum utrumque libenter præeligeret mero tormento famis. Quis dicet, talem hominem obligari ad jejunium? Certè non eſt credibile, moderatos legiſlatores voluiſſe peculiarem ſubditum ad tantum onus obligare. Hoc inde colligitur, quòd ſi omnes tantam difficultatem paterentur in jejunando, haud dubiè legiſlatores, talem legem nunquam tuliſſent. Hac ratione qui fame canina, ſeu morbo illo, quem lupum appellant, laborant, excuſantur à lege jejunii, quia difficultas illorum tantùm excreſcit ſupra difficultatem ordinariam, ut ſit moraliter alia res. Et hoc verum eſt, etſi nil prorsùs patiantur præter plus in eadem ſpecie phyſica, ſive ob dolorem, ſive ob defectum ſpirituum, & languorem ex inedia conceptum. Neque hinc magis tollitur vigor legum, quàm tollatur ex eo, quòd

quód cesset obligatio ob difficultatem alterius generis per accidens connexam; quia universaliter verum est, legem ad illos extraordinarios casus non extendi, quos legislator excepisset, si de illis expresè cogitâsset. Hoc autem locum habet in ingenti augmento difficultatis accidentaliter connexæ cum opere præcepto, sive illa difficultas sit in eadem, sive in diversa specie, cum difficultate operis præcepti.

Idipsum exemplis confirmatur.

11. Nec desunt alia exempla. Multa peccata ita reservantur, ut pro obtinenda absolutione Sedes Apostolica sit adeunda. Jam communis Theologorum opinio est, plures in particulari excusari ab hoc onere. Numerant autem non solùm infirmos, qui physicè non possunt, sed etiam debiles, senes, fœminas, & pauperes, quòd absque valde magno incommodo & periculo nequeant legi illi obedire: & sanè incommodum istorum non consistit in nova specie incommodi, sed solùm in augmento incommodi ab omnibus ferendi, qui legi obediunt. Quod ut clariùs appareat, dicamus, incommodum, expensas, & periculum hîc & nunc necessariò subeundum in itinere ex Sicilia Romam non excusare; at duplo majores, ex Syria Romam excusabunt. Si nec hoc: at certè difficultates subeundæ in itinere Romam ex Indiis, vel Japonia excusabunt. Nemo enim, ni fallor, dixerit Indos Japoniosque hac lege teneri, quamdiu sunt in Japonia; non enim est credibile, legislatorem voluisse eos comprehendere in sua lege; & tamen evidens est, difficultatem ab istis subeundam, solùm excedere difficultates ab aliis subeundas in eadem specie. Verùm in rebus moralibus purus excessus physicus in eadem specie sæpe inducit quandam diversitatem specificam moralem in ordine ac obligationem & liberationem ab obligatione. Itaque certum videtur, quod propria difficultas rei præceptæ aliquando excuset, si illa valdè multum augeatur in suo genere. Ficta ergò est certitudo oppositi, à Celladeo prætensa.

ASSERTIO VI.

Difficultas & incommodum accidentaliter adveniens rei præceptæ, si sit valde magnum, sæpe tollit obligationem.

Difficultas magna per accidens adveniens sæpe excusat ab obligatione legis.

12. PROBATUR assertio, quæ ex æquo procedit de omnibus rebus præceptis, sive illæ de se faciles fuerint, sive difficiles; quia utrisque æquè accidentale est, quòd nova & insueta difficultas adveniat. Probatur, inquam, quia quando legislator, maximè humanus, simpliciter jubet aliquid, non solet attendere nisi ad rem illam secundùm se spectatam, & ad difficultatem per se cum illa connexam. Ergò intentio illius non fertur in rem illam prout affectam gravissimo incommodo per accidens connexo; qualia sunt illa, quæ à legislatore humano solent non prævideri. In talibus enim Deus ipse, nisi aliud aliquo modo exprimat, solet aliud non exigere, quàm quod prudens legislator humanus eandem legem eisdem verbis condens exigeret. Humanus autem legislator, & humana prudentia non solent respicere ad ea, quæ sunt per accidens, sed solùm quæ sunt per se. Ergò ea sola aliquando respiciuntur. Ratio est, quia materia tali difficultate affecta sæpe est moraliter alia ab illa, quæ præcipitur, saltem respectu intentionis in legislatore. Ergò res taliter affecta sæpe est præter intentionem legislatoris. Ergò præter legem. Sic valdè ægroti non tenentur recitare horas canonicas, aut jejunare, &c. quia, præter intrinsecam difficultatem talium operum, accedit illis nova difficultas, ratione magnæ ac valdè molestæ infirmitatis, ad quam subeundam intentio legislatoris, simpliciter præcipientis recitationem horarum aut jejunium, non extenditur. Et sanè assertio hæc adeo certa est, ut sit regula juris, *Necessitatem facere licitum, quod aliàs non esset*, ut bene advertit Suarez *de legibus lib. 3. cap. 30. num. 12.*

Id locum habet etiã in legibus Divinis.

13. Eadem assertio locum habet etiam in jure Divino ac naturali. Integritas Confessionis, & sumptio Eucharistiæ sunt res præceptæ jure Divino; & tamen omnes admittunt, homines aliquando excusari ab utraque propter maximam aliquam difficultatem, aut ingens incommodum, sine quibus illæ leges hîc & nunc observari non possunt. Non enim est credibile, Christum voluisse ea in talibus circumstantiis à nobis sub præcepto exigere. Et sanè Christus ipse apertè insinuavit, leges etiam Divinas aliquando ob difficultatem accidentaliter annexam non obligare. David *1. Reg. 21.* propter necessitatem manducavit panes Propositionis, quos lex à Laicis comedi prohibebat. Factum hoc Christus *Mathæi 12.* defendit, ubi hoc exemplo adducto excusat suos discipulos, qui die Sabbati spicas vellebant. Hoc etiam ita exposuit S. Thomas *3 parte quæst. 40. art. 4. ad 13.* & eodem modo declarat factum Machabæorum pugnantium die Sabbati, *2. 2. quæst. 100. art. 8.* Itaque cùm veritas asserti locum habeat in lege positiva Divina, utique à potiori admittenda est in lege humana. Idem videre est in jure naturali. Clerici beneficiati tenentur ad horas canonicas ex justitia; & tamen illi non minùs quàm non beneficiati excusantur ob gravem infirmitatem. Non teneor restituere ensem Domino illum repetenti, si sit furiosus, aut præ iracundia ipsius sit valde probabile, quòd sit me vel alium vulneraturus. Immo videtur quòd non tenear illum restituere, si sit sibi ipsi, aut aliis præ iracundia nociturus in temporalibus, animalia propria aut aliena occidendo, &c. Extrema etiam necessitas, ex debitorum restitutione inevitabiliter incurrenda, suspendit obligationem restituendi, saltem quando creditor, qui solutionem exigit, ex dilatione parvum aut nullum detrimentum patitur. Itaque indubiè conclusio locum habet in omni genere legum, quamvis exceptio ista sæpiùs locum habeat in legibus ac præceptis purè humanis, quàm in aliis.

Immo & in lege naturali.

Replica.

14. Dices: Adam peccavit edendo pomum vetitum, quamvis per accidens non exigua difficultas servandi legem illam accesserit, postquam Eva pomum illi comedendum obtulit; quia jam debebat resistere Uxori, quam plurimùm amabat, quòd illi videtur arduum fuisse. Rursus multa incommoda videntur sequi in multis materiis, ut in delationibus in materia fidei faciendis, in casibus reservatis, &c. & tamen ob has difficultates nec Adam excusatus fuit, nec nos excusamur; non enim videtur esse realis differentia inter leges divinas & humanas. Quòd si ægrotus non teneatur ad jejunandum & ad similia, id ideo est, quia constat nobis positivè de mente legislatoris, nolentis tales sub lege comprehendere. At quando de hoc non constat, tutior pars tenenda est. Ita Celladeus § 3.

Respondeo, Celladeum supponere, Adamum valde

valde magnam difficultatem habuisse in abstinendo à pomo vetito, postquam Eva commederat, illique pomum obtulerat, &c. verùm hoc illi probandum erat, cùm sciamus, passiones in statu illo integritatis rationi perfectè subjectas fuisse. Hinc autem sequi videtur, difficultatem Adami non fuisse valde magnam, cùm ex una parte per rationem sciret longè deterius esse Deum offendere, quàm uxorem; & ex altera parte passiones non illum impellerent, nisi juxta motum rationis. Sed quidquid sit de hoc, argumentum nos non urget; non enim dicimus gravem difficultatem adventitiam semper, sed solùm aliquando excusare; nominatim autem non excusat, quando non est probabile, legislatorem noluisse pro tali casu obligare. Atqui hoc non poterat esse probabile Adamo, quia noverat Deum utrique præceptum illud injunxisse; adeoque seipsos non solùm ut personas peculiares, sed ut in vitam individuam conjunctos esse obligatos ad servandam legem. Unde sequitur, unumquemque illorum, non obstante pravo exemplo ac suasione alterius, à pomo illo edendo abstinere debuisse. Idem ex eo etiam colligitur, quòd Deus disertè postulasset hoc præceptum illibatum servari in testimonium subjectionis & obedientiæ primorum Parentum. Ergò constabat, Deum, ob nullam difficultatem in illo statu intercurrentem, voluisse primos homines ab illius obedientiâ liberare. Idem à posteriori colligitur, quia si Adam putasset se ob hanc difficultatem fuisse liberatum à lege, hanc utique excusationem attulisset. Non attulit autem, sed solùm dixit mulier dedit mihi, & comedi. Ergò vel difficultas, quam patiebatur, non erat magna, vel certè satis sciebat, & credebat, Deum exegisse obedientiam, non obstante illa difficultate.

Adam non habuit magnam difficultatē abstinendi ab esu pomi vetiti, postquam Eva illud ei edēdū obtulit.

Si habuisset magnā difficultatem nō ideo excusatus fuisset.

15. Ad exempla juris humani dicendum est, illa communiter & ex se juxta ordinarium rerum cursum esse observatu difficilia: hæc difficultas bene nota, & à legislatoribus considerata fuit, qui tamen, ea non obstante, voluerunt legem observari. Cæterùm in his etiam materiis maxima aliqua difficultas extraordinaria excusat, ut constat ex dictis.

16. Ad ultimum, constat quidem graviter ægrotantes excusari à lege recitandi horas, jejunii, &c. quia omnes in id consentiunt. Sed unde quæso in hanc consentionem conspirant? non ab ulla lege aut declaratione superioris, ut patet. Quamvis enim Innocentius III. *in cap. Concilium de observatione jejuniorum* expresè definiat, esum carnium infirmis, illum petentibus, indulgeri posse ac debere, tamen ita loquitur, ac si id satis constaret ante talem declarationem, & rationem dat, per quam assertionem probamus, quia scilicet *necessitas legi non subjacet*. Nihilominus in aliquibus legibus nulla ejusmodi constitutio invenitur, à quibus tamen constat magnam necessitatem sæpe obligationem auferre. Itaque Autores ideo solùm in hoc universaliter consensere, quia videbant, legislatorem aut expressè aut tacitè noluisse talem casum comprehendere, ob nimiam difficultatem per accidens intervenientem. At hoc æquè valet in multis aliis casibus, in quibus proinde ob solam difficultatem non minùs excusamur, quàm in casu jejunii.

Difficultas rei, non declaratio legislatoris aufert obligationē in legibus humanis.

ASSERTIO VII.

Difficile & periculosum est in determinatis materiis exactè definire ultimam, seu infimam mensuram difficultatis ac nocumenti, ab observatione legum nos excusantis.

17. EST difficile, quia, quando res non consistit in indivisibili, sed ita suscipit magis & minùs, ut paulatim crescendo transeamus à quantitate certò obligante, ad quantitatem certò non obligantem. Arduum prorsùs est exactè determinare maximum obligans, & minimum deobligans, ut patet in omnibus, quæ per continuum augmentum transeunt à peccato veniali ad mortale, aut à parvo ad magnum; quod locum habet tam in moralibus, quàm in physicis. Sic in moralibus difficile est determinare ultimum seu infimum furtum, quod est graviter prohibitum. Similiter in physicis difficile est determinare molem præcisam, per quam puer mutatur in adolescentem, adolescens in virum, seu qua fit transitus à non magno ad magnum. At hic est casus noster. Est etiam periculosum, quia cùm veritas non possit certò sciri, timendum est ex una parte, ne legem evacuemus, & ex altera verendum, ne legem astruendo ultra debitum proximorum humeris onus imponamus. Ratio à priori hujus difficultatis oritur à defectu mensuræ certæ, per quam parvum distinguatur à magno, quia quod est magnum respectu unius, respectu alterius est parvum. Similiter quæ magna sunt respectu minorum eadem parva sunt respectu majorum. Sic magna Formica, exiguum quid est respectu equi parvi, &c. Præterea ubi est magnum & parvum, est etiam medium; quod plerumque est prorsùs dubium, quia nescitur an ad magnum pertineat, an ad parvum.

Exacta mēsura magni & parui difficulter determinatur.

18. Hoc est generale periculum, quod in omni casuum resolutione intervenit, quando quæstio non est certa, nec aliter quàm probabili conjectura determinari potest. Verùm Celladeus *lib. 4. quæst. 15.* plura alia pericula enumerat quasi propria illorum, qui difficultates ac dubia moralia, maximè in particularibus materiis, per difficultates intervenientes resolvunt. Primum est, quòd sic resolvens induat personam legislatoris, assumendo ipsius munus, mentemque illius declarando. Judicat enim, quid in hac re absolutè, quid in hisce circumstantiis, quid quoad hanc personam illi visum fuerit. Probat autem hoc ei visum fuisse, quia hoc debuit illi visum esse, occurrente ista difficultate vel incommodo. Hoc autem est munus legislatoris quodammodò sibi tribuere, & sufficientiam quandam ad leges ferendas usurpare. Certè nisi hanc sufficientiam habeat, non potest tutò judicare, sic vel sic debuisse videri legislatori. At hæc sufficientia paucorum est, quia pauci sunt, quibus respublica legum ferendarum sufficientiam tribueret, si ad tale munus se offerrent.

Resolvens casum, an inducat personam legislatoris?

19. Secundò in casibus particularibus locum habet amor & odium, spes & metus, quibus passionibus intellectus à munere rectè judicandi plerumque deflectitur, ut Arist. *1. Rhet. 1.* benè observavit; ubi ostendit, munus senatoris ac judicis esse difficilius munere legislatoris. Primò, quia facilius est invenire unum vel paucos prudentes, qui leges ferant, quàm multos. Deinde

Quæ reddūt casuum resolutionem difficilem?

leges

leges post longam consultationem feruntur, judicia verò brevissimo tempore conficiuntur. Præterea, & hoc maximum est, legislator de universalibus atque de futuris disponit; senator verò & judex de præsentibus & particularibus rebus judicant. Unde fit, ut cùm ament & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas vel dolor judicia obumbret. Unde infert Philosophus, minimum judici relinquendum esse, sed omnia quantum fieri potest, à legibus ipsis explicari ac determinari debere. Ita Aristoteles loco citato. Hæc autem omnia à fortiori dici possunt de iis, qui casus resolvunt; qui certè multi sunt; facilius autem est invenire unum vel paucos legislatores prudentes, qui omnia explicent, quàm plures doctores sapientes, qui dubia resolvant. Deinde casus breviori tempore quàm Judicia confici solent. Tertiò amor & odium, spes & metus, objectorum ac personarum præsentia non minùs doctorum, quàm judicum mentem obfuscant. Accedit bonum spirituale, ad quod casuum conscientiæ resolutiones ordinantur esse difficilius cognitu, quàm bonum temporale, quod à legibus humanis potissimùm respicitur. Si ergò ob istas rationes periculosum sit judici ac senatori rectè judicare de rebus civilibus, multò magis periculosum erit Doctori de rebus conscientiæ judicium facere, & dicere, hoc legislator voluit, quia hoc velle debuit. Quod si non de humana, sed de divina ac naturali lege agatur, quis tutò dicere valet, hoc non illud Deus voluit, quia velle debuit; hoc vel illud illi visum est, quia videri debuit?

Aliæ difficultates ob ignorantiã termini, respectu cujus incommodum dicitur magnum.

20. Rursus quamvis haberetur mensura certa ad dignoscendum magnum & parvum, adhuc difficile & periculosum esset hæc distinguere; quia nesciremus, an incommodum quasi absolutè mensurandum esset, an comparativè tum ad Personas, tum ad alia incommoda magna & parva. Rursus nesciremus, an mensurandum esset in ordine ad finem ultimum, in ordine ad quem omnia, etiam gravissima, vocantur ab Apostolo momentaneum & leve tribulationis nostræ, & Christus ipse eadem vocavit modicum. Et sanè à Prudentibus & Sanctis viris videmur doceri, quòd omnia incommoda vitæ hujus mensuranda sint in ordine ad finem ultimum.

Aliæ, ob periculum nõ debitè applicãdi mẽsuram.

21. Demum periculum esset, ne mensura debitè applicaretur. Sic accidit nonnunquam, ut quis magnum incommodum passurus sit, si solvat debita. Jam si dicas, illum non teneri ad restitutionem, quia restituere nequit sine gravi incommodo, malè applicas mensuram; quia videndum etiam est, quale sit incommodum creditoris, qui fortasse non minùs incommodi patitur ob carentiam restitutionis, quàm debitor pateretur, si omnia restitueret. Ita Celladeus, qui in particulari materia justitiæ benè observat, multas esse difficultates ac pericula mensurandi omnia hæc exactè, tam absolutè quam relativè, tam respectu restitutionis faciendæ à Principibus quàm à privatis, quæ meum non est investigare. Tandem concludit pro regula generali, quòd unusquisque in conscientia teneatur ad solutionem, ac cæteros actus justitiæ in omnibus casibus, in quibus in foro externo ad illos jure obligaretur à judicibus, si omnia illis paterent, sicut patent in foro interno. In tali enim casu idem est judicium utriusque fori. At in foro externo non videtur attendi difficile, sed impossibile; quòd si quis non sit solvendo, cogunt domos & alia vendere. Hæc ille.

Dura Celladei opinio de obligatione restituendi.

Objectiones istæ malè appropriatur præsenti materiæ.

22. Quæ ex istis spectant ad probandam difficultatem rectè judicandi in casu præsenti, verissima sunt; sed malè appropriatur huic materiæ, quasi illi soli convenirent; omnia enim æquè urgent in solutione casuum, quando titulus incommodi ac difficultatis gravis locum non habet: v. g. difficile est distinguere omnia facta magna à parvis, & exactè determinare quòd hæc sit quantitas præcisè sufficiens ad peccatum mortale, adeo ut omnis quantitas infra illam solùm fundet peccatum veniale. Certè spes & metus, amor & odium, & reliqua à Philosopho ponderata, non minùs in hujus quàm aliarum quæstionum resolutione locum habent, ut patet. Sed & in hac quoque materia, quæ utique est juris naturalis ac Divini, declarare debet Theologus mentem legislatoris, etiam Dei ipsius, & dicere, quid absolutè, quid in hisce circumstantiis, ac in ordine ad istas personas voluerit Deus graviter, quid leviter prohibere. Neque tamen hoc est sufficientiam ad leges ferendas usurpare, aut munus legislatoris assumere, sed humiliter atque submissè sensum legum factarum investigare, quando legislator mentem suam sufficienter non explicuit. Cùm enim constet, aliqua furta esse gravia, alia levia, nec Deus satis declaraverit, quæ præcisè quantitas sit gravis, quæ levis, sive res consideretur absolutè sive relativè, superest, ut cum debita submissione voluntas ejus investigetur, & declaretur. Investigatur autem à doctis & probis subditis ope rationis, quæ, ex variis circumstantiis firmata, non concludit, Deum debuisse (ut non minùs immeritò quàm nimis crudè enunciat Celladeus) sed voluisse hæc facere, quia iis omnibus in quibus certò scimus quid voluerit rectè inspectis, aliisque circumstantiis bene perpensis, congruum est existimare, eum de facto talem mensuram statuisse, &c. Ita tamen ut pro sua sapientia ac providentia longè aliter statuere potuisset. Idem dicendum proportionaliter de aliis legibus in casu simili.

Qui leges interpretatur, non assumit munus legislatoris.

Nec dicit quid Deus debuit, sed quid voluit præcipere.

23. Cæterùm non apparet, quod ad præsentem quæstionem doctrina illa Philosophi, ejusque ad Theologos applicatio conducat. Desiderandum quidem esset, omnia à legislatoribus ita determinata fuisse, ut nihil judicibus, nisi doctorum opinionibus determinandum relinqueretur. Verùm cùm hoc non sit factum, quid agendum? Nónne veritas optimo quo potest modo est investiganda? At quis modus superest, nisi ut periti & probi eam quærant, inventamque aliis proponant? Parum autem interest, an hoc munus sit facilius vel difficilius munere legislatoris, quia qualecunque est, necessarium est, & in necessariis optimum, quod haberi potest, eligendum est, etsi illud non sit perfectum, sed variis exceptionibus subjaceat. Sed & eadem comparatio ipsum Celladeum impetit, utpote qui contra communem fermè omnium opinionem valdè resolutè docet, Deum noluisse hæc & illa, quæ tamen alii communiter putant Deum voluisse. Quis quæso horum majori periculo subjacet? Quis magis legum ferendarum sufficientiam arrogat? Quis potiùs legislatoris sibi munus assumit? Viderit Celladeus, & cùm se propriis argumentis irretitum viderit, aut nostræ solutioni acquiescat, aut meliorem tam pro se quàm pro nobis afferat.

Argumentum Celladei nil conducit ad intentum.

Celladeus propriis argumentis urgetur.

24. Præterea immeritò sugillat Theologos, eò quòd minorem diligentiam quàm judices ac legislatores adhibeant. Certè si sermo sit de quæstionibus multùm agitatis, nominatim autem de præsenti

Theologi majorẽ adhibent diligentiam ad solvendas quæstiones cõmunes, quam legislatores ad condendas leges.

præsenti quæstione reflexa circa licitum usum opinionum, ausim affirmare, nullum humanum legislatorem aut judicem tantum studii, temporis, ac laboris assumpsisse pro ulla causa determinanda, aut lege ferenda, quantum Theologi assumpserunt ad hanc stabiliendam. Cur ergò queritur Celladeus? Sed & de aliis quæstionibus agitatis eadem est ratio, quia causæ istæ semper de novo ad incudem revocantur, dum omnium priorum informationes, argumenta, & exceptiones denuo examinantur, quibus alia subinde adjunguntur, donec veritas magis ac magis stabiliatur.

Mēsura certa magni & parvi multū juvaret, si haberetur.

25. Sed inter reliqua, illud etiam apertè falsum est, quod etsi haberemus mensuram certam ad dignoscendum magnum & parvum, adhuc nesciremus an parvum & magnum sumendum esset absolutè, an comparativè? an ad finem ultimum vel non ultimum? Inprimis de facto certò scimus, mensuram hanc non debere sumi in ordine ad finem ultimum, quia constat, nullum incommodum temporale aut esse, aut dici posse grave relatè ad finem ultimum. Et tamen certum est, homines sæpe excusari à lege servanda ob incommoda gravia, quæ per accidens interveniunt. Ergò scimus gravitatem incommodi non esse mensurandam in ordine ad finem ultimum. Præterea, si haberemus certam mensuram dignoscendi parvum & magnum, illa vel esset mensura magni absolutè, vel magni relativè; quomodocunque autem sumeretur, multùm prodesset ad determinationem ejus, quod quæritur, quia per illam certò sciremus, quid judicandum esset in ordine ad rem sumptam in sensu, cujus certam mensuram haberemus; inde autem procul dubio multùm juvaremur ad sciendum quid esset magnum & parvum in altero genere. Immò hæc duo sunt ita connexa, ut vix sciri possit unum, quin & alterum sciatur. Si enim aliquid certò sit grave detrimentum uni, quia tantum illi nocet; rectè infertur, ergò illud quod communiter tantundem nocet, est simpliciter grave, quia eadem est ratio utriusque; & è contrario, si aliquid sit simpliciter grave, quia communiter & universaliter tantum mali secum vehit, utique & illud erit grave respectu peculiaris Personæ, quod tantundem mali ipsi affert. Sunt enim hæ notiones ita connexæ, ut una mutuò inferat aliam.

Incommodum grave quod excusat, non dicitur tale respectu finis ultimi.

Celladeus immeritò suggillat casuistas, & cōfessarios.

26. Cæterùm valdè cavendum est, ne mensura, qualemcunque habemus, indebitè applicetur. Casuistæ & prudentes confessarii valdè solliciti sunt, ut suum cuique restituatur, nec reflectunt solùm ad damnum debitoris, sed etiam ad creditoris incommodum respiciunt; quamvis Celladeus rem ita proponat, ac si ad ista nullatenus respicerent, sed statim absolverent debitorem, si dicat, se citra grave incommodum non posse restituere. Verùm fallitur, plurimi enim in istis rebus sunt exactissimi, quos ille ex generali modo loquendi depingit ut incurios, & quidlibet sub prætextu probabilitatis permittentes. Sed, laus Deo, omnia aliter se habent, ut plurimi pœnitentes ære alieno gravati benè norunt.

Absurda, & æquivocationes Celladei.

27. Demum in regula generali, quam proponit, latet æquivocatio: admitto quidem forum internum & externum non discrepare, quando eadem prorsùs constant in utroque foro; unde toties asseritur obligatio in foro interno, quoties assereretur in foro externo, si eadem in externo paterent, quæ patent in interno. Sed in eo æquivocat Celladeus, quòd ab ista hypothesi statim transeat ad id, quod fit absolutè in foro externo, in quo debitores sæpe coguntur domos & alia vendere. Sic enim rem proponit, ac si statim homo in foro interno teneretur omnia vendere, & seipsum prorsùs nudum in extrema necessitate constituere; quod certè verum non est, cùm æquitati naturali repugnet. Neque exemplum fori externi hoc probat, quia forum externum præsumit, debitorem posse per se, aut amicos media invenire, quibus solvat. Quòd si in foro externo constaret, eum non posse omnia solvere, nisi se omnibus nudet, ac in gravissima & extrema necessitate constituat, justus judex fortassis damnaret quidem illum ad aliqua de præsenti alienanda, sed ad omnia de præsenti vendenda, seque omnibus omnino privandum non damnaret. Quod si aliquis judex ad ista aliquem damnaret, videretur summo jure, ideoque & summâ injuriâ agere. Est & alia æquivocatio, quia forum externum numquam agit, nisi actor exigat totum suum jus, & quidem quàm citissimè solvi. At in foro interno plerumque aliæ longè sunt circumstantiæ, quia sæpe est præsumptio, quòd creditor contentus sit dilatione aliqua, & solutionem per partes accipere, quando debitor sine ingenti incommodo non potest totum, aut quidquam de præsenti solvere. Itaque Celladeus hac in re aliud mihi videtur non fecisse, quàm rem ita proponere, ut lector in varia dubia incidat, credatque eundem semper rigorem servandum esse in foro interno, qui de facto servatur in foro externo; quo nihil absurdius dici potest. Cæterùm hæc inconvenientia facilè vitata fuissent, si rem, ut oportebat, exactè distinxisset. Vidisset enim easdem circumstantias in casu præsenti rarò aut nunquam intervenire in utroque foro, ideoque rigorem, quem de facto videmus in foro externo, non esse regulam ad procedendum in foro interno.

Forum internum nō est regulandum per id, quod de facto fit in foro externo.

ASSERTIO VIII.

Optima Regula dignoscendi magnum & parvum in re præsenti est judicium ac consensus prudentum.

28. PROBATUR assertio, quam omnes ferè, Celladeo fatente, amplectuntur, quamvis ille §. 2. eandem vehementer aversetur. Probatur, inquam, quia maxima pars hominum est incapax ad discernendum, quid sit parvum, quid magnum, seu ad taxandam magnitudinem incommodi quod excusat à lege. Ergò maxima hominum pars non potest aliam regulam habere, quàm consilium peritorum. Eadem autem regula valet respectu omnium, quia in re incerta (qualis est illa, de qua loquimur) unusquisque in propria causa prudentiùs fidit alieno judicio, quàm proprio. Neque alia ulla regula melior, rationabilior, aut universalior afferri potest.

Judicium prudentum est optima regula dignoscendi magnum & parvum in re morali.

29. Confirmatur. Lex ex S. Isidoro, *lib. 5. Etymol. cap. 21.* quam omnes sequuntur, debet esse possibilis, id est, ut exponit S. Thomas, *1. 2. quæst. 96. art. 3.* debet esse observabilis juxta possibilitatem naturæ: *Non enim*, inquit, *eadem imponenda sunt pueris, quæ imponuntur viris perfectis.* Hinc sic arguo: Pueri eximuntur ab aliquibus legibus, eò quòd observatio talium legum sit nimis difficilis pueris. Ponamus puerum, adolescere incipientem, movere quæstionem, an de facto obligetur? Aut certè, quando dictis legibus

Idem cōfirmatur exēplo & auctoritate.

gibus obligabitur? Quid juxta leges prudentiæ facere debet adolescens iste, ut tutus sit in conscientia? Non aliud profectò, quàm prudentes consulere, & eorum resolutioni se accommodare. Eadem autem est ratio de omnibus, qui per seipsos talia dubia resolvere nequeunt. Immo & quivis in propria causa, ut jam notatum est, prudentiùs facit, si aliorum peritorum consilio, quàm propriæ directioni se permittat. Ergò judicium, opinio, & consensus peritorum est optima regula dignoscendi magnum & parvum in præsenti materia.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Celladei.

Objectio 1. 30. OBJICIT primò. Si res hæc judicio prudentum relinquatur, magna tam rerum quàm opinionum confusio orietur, quia quod uni magnum, id alteri parvum videbitur. Præterea per hoc magno errandi periculo exponimur. Demum sic incidimus in æquitatem cerebrinam, quam Juristæ meritò judicant esse valdè periculosam.

Auctores solum discrepãt circa mensurã mediocrem inter parvũ & magnum certò cognitum.

Respondeo, ex usu hujus regulæ futuram quidem aliquam, sed non adeo magnam, ut Celladeus imaginatur, opinionum varietatem, ut de facto videre est inter Autores, qui de hac re non usque adeo discrepant. Deinde tota varietas versatur circa quantitatem mediocrem, quæ mediat inter magnum & parvum certò cognitum. In hac autem discernenda necessariò exponimur periculo errandi; quia Deus non dedit media, quibus possimus veritatem ipsam certò assequi. Itaque si post diligentiam debitam erremus, error nobis tribuendus non erit. Ideoque nemini vitio verti potest, quòd talis erroris periculo se exponat; maximè cùm versemur in re, quam legislator sufficienter non declaravit; in talibus enim ex ipsa legislatoris mente æquum est, totam rem hanc, & absolutam obligationem legis circa ea, quæ ipse sufficienter non expressit, in prudentem tandem resolutionem devolvi. Demum hæc non est illa æquitas cerebrina, quam Juristæ damnant; loquuntur enim de illis, qui omnia suo Judicio definire volunt, etiam quando quæstio per leges determinari potest; vel certè de illis, qui indebitè suis opinionibus addicti, eas quodammodò adorant, & alios omnes sibi comparatos contemnunt, quique propterea verè sunt homines duri capitis, & meritò appellantur cerebrosi. At utrumque horum valdè perniciosum est. Verùm quando quæstio per leges ipsas determinari nequit, Juristæ non reprehendunt eos, qui post debitum examen ope rationis resolvunt dubia; hoc enim laude non reprehensione dignum est, & ab illis, non minùs quàm à Theologis, quotidiè in praxim reducitur.

Æquitas cerebrina, quid significet?

Objectio 2. 31. Objicit secundò, tam difficile est verè prudentes à verè non prudentibus, quàm magnum à parvo, vel grave à levi discernere. Ergò judicium prudentum non est medium aptum ad discernendum parvum & magnum.

Prudentes facilè sciuntur.

Respondeo, prudentes alios esse tales quoad se, alios quoad nos. Illi sunt prudentes quoad se, qui sunt sufficientes ad rationabiliter judicandum de re proposita, secundùm rei ipsius qualitatem, relatè ad capacitatem humanam. Illi sunt prudentes quoad nos, qui meritò præsumuntur habere talem sufficientiam, quamvis fortassis aliquando illâ careant. Porrò facilè est utrosque discernere, ut latè ostensum est, *quæst. 24.* & *quæst. 41.* Per hos ergò facilè scire possumus magnum & parvum, grave & leve.

32. Objicit tertiò. In aliquibus legibus mensura incommodi excusantis admittitur ab ipso legislatore; sic nec senes, nec pueri obligantur ad jejunium: aliquando magnitudo mali est manifesta & omnibus indubitata; sic febris à jejunio, officio, aliisque liberat. At quando non sumus in rebus ita manifestis, tutior pars tenenda est. Objectio 3.

Confirmatur. Superiores Societatis JESU, & aliorum Ordinum, habent privilegium commutandi officium. At privilegium probat obligationem in non privilegiatis. Et S. Thomas *in 3. dist. 37. quæst. 1. art. 4.* tradit, necessariam esse dispensationem, etiam quando cessat intentio & ratio legis. Ergò à fortiori in dubio. Hæc sunt quæ Celladeus contra positam assertionem objecit.

Respondeo inprimis, doctrinam hujus objectionis apertè contradicere toti intento, ac potissimo asserto Celladei. Contendit ille, verum ac positivum probabile sufficere ad conscientiam rectè formandam. Hoc probabile locum habet, quando deest certitudo. Ergò sufficit, absente certitudine. Ergò apertè sibi contradicit Celladeus, dum hîc dicit, tutiorem partem tenendam esse, ubi deest certitudo.

Celladei contradictio.

33 Respondeo 2. Objectionem continere doctrinam undequaque insufficientem, & falsam. Peto enim, quis legislator præscribens jejunium excepit pueros & senes? Rursus si quis eos exceperit, peto, quos nomine puerorum & senum intellexerit. Profectò si hæc per ipsum legislatorem determinata fuissent, leges illæ seu exceptiones legales citatæ fuissent ab Autoribus, quas tamen, ni fallor, à nemine citatas invenies. Præterea si legislator ista determinasset, nulla esset lis inter Doctores, quinam, & in qua ætate homines sint reputandi senes? & tamen de hoc ipso disputant, aliis hanc, aliis illam ætatem pro senecta statuentibus. Stat ergò, legislatorem ista non determinasse, sed communi prudentum judicio ea reliquisse. Idem dicendum de aliis etiam titulis, ob quos homines à jejunando excusantur. Insufficiens ergò est, & falsum, quod de jejunio expressit Celladeus.

Legislator præcipiens jejunium, non declaravit, qui sint à lege exempti.

34. Sed magis insufficiens apertiúsque falsum est, quod ait, febrim à jejunio, officio, aliisque ejusmodi, absque omni dubio excusare. Profectò hæc expressio valdè periculosa est, quia communis opinio docet, quod aliquando febris terțiana, aut quartana non excuset à recitatione horarum, si officium citra magnum incommodum anticipari possit. Uno verbo non omnis febris reddit recitationem horarum adeo difficilem & noxiam, ut titulo illius detur sufficiens excusatio. At qui legit Celladeum putabit, oppositum non solùm esse verum sed certum. Et tamen is est, qui alios periculi arguit ob laxitatem, qui tamen longè accuratiùs loquuntur, quàm ipse, & ita mentem exponunt, ut ex verbis ipsorum nemo facilè erret. At ipse sæpe ita loquitur, ut Lector facillimè erraturus sit, & conclusiones certò falsas pro certò veris illaturus.

Alius Celladei error.

Inaccuratè loquitur & ansam errandi, Lectori præbet.

35. Quod additur circa privilegium commutandi horas in leviorem orationem, nil facit ad rem; quia privilegium illud ideo datum est, ut, mediante superioris voluntate, certò excusentur subditi, non solum in dubio de sufficientia difficultatis, sed etiam quando constat, causam parte non

Aliquando, nõ semper, privilegium supponit obligationẽ in non privilegiatis.

non esse absolutè sufficientem. Cæterùm, privilegium aliquando quidem supponit obligationem in non privilegiatis, sed non semper eam supponit; quia dari potest ad scrupulos arcendos. Sæpe enim homines scrupulosè timent, an causa sit verè sufficiens, qualis apparet; ad tales autem scrupulos sedandos congruum fuit, dari privilegiam superioribus ad liberandos subditos à tali vexatione, & ad illos certificandos, quòd liberi sint, saltem ex vi privilegii ipsis concessi. Itaque hinc est, quòd Auctores communiter doceant, privilegium concessum non semper supponere obligationem; quasi verò certum sit, quòd obligatio vigeret, si privilegium abesset. Demum quod affertur ex S. Thoma non urget, quia dictum S. Thomæ intelligi debet, quando finis legis solùm cessat in aliquo particulari; hoc enim non obstante, singularis ille homo obligatur lege; nec sine dispensatione liberatur ejus onere. At quando finis & ratio legis cessat generaliter, cessat etiam lex, ut docent Auctores, qui ex professo doctrinam de legibus tradunt.

ASSERTIO IX.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legũ, non est una & eadem in omnibus legibus.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legum non est una eademq́ in omnibus legibus, sed aliquam varietatem subit, quam sub generalitate aliqua explicandam assumo.

36. PROBATUR. Leges positivæ, ut bene arguit Bresserus *lib. 4. cap. 17. num. 185.* non obligant æqualiter, sed una graviùs, una leviùs juxta exigentiam materiæ. Hoc ex eo patet, quòd superiores faciliùs, & ob minora incommoda dispensent in una, quàm in alia. Ergò minora incommoda sufficiunt ad dispensationem rationabilem in una, quàm in alia lege. Ergò similiter minora incommoda sufficiunt ad penitus evacuandam obligationem unius, quàm alterius; in quo Theologi etiam conveniunt. Ergò quantitas incommodi excusantis non est una eademque in omnibus legibus, sed aliquam variationem subit.

Unde diversitas hæc determinari possit.

Porro ad tractatum de materiis particularibus pertinet determinare, quæ sit quantitas incommodi excusantis ab observatione legum, materias illas præcipientium. Illud solùm dici potest hîc in genere, quòd quantitas illa colligenda sit ex natura rei præceptæ, ex doctorum explicatione, atque ex praxi sensuque subditorum. Ex his enim optimè colligitur intentio legislatoris, & rectè determinatur, quòd per unam legem obligare voluit ad majus incommodum subeundum, quàm per aliam.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-NONA.

Vtrùm Epiikia locum habeat in dubiis?

Ratio quæstionis institutæ.

1. QUÆSTIO hæc consectanea est ad præcedentem, à qua magna ex parte dependet. De hac quæstione agit Celladeus *lib. 4. quæst. 16.* ubi contendit, Epiikiam locum non habere, nisi quandò tutiùs est agere contra verba legis, quàm juxta illa operari. Inde autem infert, omnes eos errare, qui putant, Epiikiam tunc intervenire, quandò vel ob difficultatem intervenientem, vel præsumptam superioris voluntatem, aut aliam interpretationem leges non servantur; plerumque enim in istis casibus constat, eum, qui legem non servat, sectari partem minùs tutam, ac proindè constat, etiam eum ex Epiikia non operari. Hæc & hujusmodi plura habet in ista quæstione, in quibus à vero non parum deflectit, ut ex sequentibus assertionibus patebit.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare propriam essentiam Epiikiæ.

Epiikia quid sit?

2. EPIIKIA, seu ἐπιείκεια, est vox Græca; derivatur ab ἐπὶ, quod significat supra, quodque in compositione augendi vim habet, & εἰκὸς, quod significat æquum, consentaneum, ac decens; adeo ut ἐπιείκεια idem sit quod latinè excellens quædam æquitas. Aristoteles agit de Epiikia, seu æquitate *1. Rhet. cap. 13.* & potissimè *5. Eth. cap. 14.* ubi dicit, Epiikiam esse meliorem quandam ac sublimiorem justitiam, utpotè quæ non ex legibus, sed ex æquo & bono regulam sumit, & quid sit agendum determinat. Rursus *lib. 6. cap. 11.* definit Epiikiam esse rectum judicium æqui & boni. Et sine dubio Epiikia propriissimè accipitur pro dictamine intellectûs, ideoque Aristoteles eam recensuit inter partes Prudentiæ, & Γνώμην appellavit. Cæterùm æquum & bonum

& bonum hoc loco accipitur, prout est rectum quoddam non præscriptum à lege, sed per quod lex corrigitur, & emendatur; adeo ut Epiikia aliud non sit, quàm judicium, per quod leges corriguntur & emendantur, ut fusè tradit Arist. *5. Eth. c. 13.* & post eum S. Thomas *2. 2. quæst. 120. art. 1. in corpore*, quos alii sequuntur.

Quid senserit Aristoteles de Epiikia?

3. Audiatur inprimis Aristoteles dicto *cap. 14.* ubi hæc habet. *In quibus enim necesse est, ut in universum dicatur, rectè autem id non potest, lex id sumit quod ut plurimùm fit, non ignorans sanè quòd peccatur. Et nihilominus tamen rectè sese habet: quippè cum peccatum in lege minimè sit, neque in legislatore, sed in rei ipsius natura consistat. Statim enim rerum agendarum materia ejusmodi est. Quando igitur lex in universum dixerit, & præter universale postea quicquam contigerit: tunc rectè se habet, si qua legislator omisit, absolutéque & simpliciter, loquendo peccavit, corrigatur defectus: id quod legislator etiam ipse, si adesset, dixisset; & si scivisset, ita præscribentem legem instituisset. Idcirco jus quidem est, & melius quodam jure, non eo tamen quod absolutè est, & simpliciter, sed eo quod absolutè loquendo peccat. Estque ea æqui & boni natura, ut legis, qua parte deficit ob universale, emendatio fit.* Hæc Arist.

Epiikia est correctio legis propter verba universalia exorbitantis.

4. Audiatur etiam S. Thomas *2. 2. quæst. 120. art. 1. corpore*, ubi præclarè explicat, quæ ex Philosopho attulimus. *Quia*, inquit, *humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile, aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret. Sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundùm hoc legem ferentes, quàm tamen in aliquibus casibus servare est contra æqualitatem justitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex instituit, quòd deposita reddantur, quia hoc, ut in pluribus, justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat, dum est in furia: vel si aliquis reposcat depositum ad patriæ impugnationem. In his ergo & similibus casibus malum est sequi legem positam. Bonum autem est, prætermissis verbis legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur Epiikia, quæ apud nos dicitur Æquitas.* Ex hisce habemus propriam Epiikiæ naturam in eo consistere, quòd sit judicium, quo intellectus ex æquo & bono emendat defectum legis, & dictat verba legis non esse hic & nunc servanda, sed potiùs faciendum esse, quod legislator, si adesset, & circumstantias præsentes inspiceret, fieri vellet. Et hæc quidem est natura Epiikiæ, si sumatur pro dictamine intellectûs; est enim particularis prudentiæ, qua intellectus dictat legem, aliàs universalem, hîc & nunc ob aliquam peculiarem rationem non esse servandam. Cæterùm si Epiikia sumatur, sicut sumi potest, pro actu voluntatis, seu pro volitione id exequendi quod intellectus proponit, spectat ad varias virtutes juxta naturam materiæ quæ sit, & motivi ob quod fit.

ASSERTIO II.

Epiikia non habet locum in lege naturali aut divina, sed tantùm in lege humana, si lex sumatur, prout se tenet ex parte legislatoris. At aliqua, sed non omnis lex divina, & naturalis admittit Epiikiam, si leges sumantur prout promulgatæ, seu prout à nobis apprehenduntur, & intelliguntur.

Lex Divina prout se tenet ex parte legislatoris nō est capax Epiikiæ.

5. PROBATUR prima pars. Epiikia est emendatio, & correctio legis, quæ ob universale exorbitat, & peccat. At lex divina, prout se tenet ex parte Dei legem ferentis, nec exorbitat, nec peccat: ergò lex divina, taliter accepta, non est capax emendationis, aut correctionis. Ratio est, quia Deus perfectissimè novit omnes omninò circumstantias, in quibus actiones humanæ versaturæ sunt, aut versari possunt. Vel ergò præceptum extenditur ad omnes omninò circumstantias, in quibus actio versari potest, vel ad aliquas tantùm restringitur: si ad omnes extenditur, in omnibus obediendum erit, nec locus erit correctioni: si autem restringatur ad aliquas tantùm, lex illa, prout est in mente Dei, non est prorsùs universalis, sed limitata & restricta. At prout restricta est ad tales circumstantias, nullam patitur exceptionem aut correctionem, ergò nulla lex divina, prout se tenet ex parte Dei, legem ferentis, capax est Epiikiæ.

Lex humana ut est in mēte legislatoris sæpe capax est Epiikiæ.

6. E contra se res habet in lege humana; quia humanus legislator ob imperfectionem sui intellectûs non potest in particulari prævidere, & cognoscere omnes circumstantias, in quibus actio versari potest: undè sub notione confusa & generali concipit legem, quæ revera juxta expressionem, in mente legislatoris conceptam, complectitur circumstantias, ad quas si legislator explicitè attendisset, non sub hac sed sub alia expressione legem tulisset. Atque hinc est, quòd leges humanæ, etiam prout sunt in mente legislatoris, aliquo modo peccent, & exorbitent; & consequenter per æquum & bonum corrigendæ sint. Dixi, *aliquo modo peccent, &c.* quia prout sunt in mente sapientis legislatoris simpliciter non peccant. Ratio est, quia prudens legislator in universali benè noscit defectus plures interventuros in particulari, quos ipse in particulari nunc non prævidet; ideoque non habet animum absolutè obligandi in omnibus circumstantiis, quæ hic & nunc sub mentis suæ expressione comprehenduntur, sed expressionem illam per æquum corrigendam relinquit. Itaque lex, utpotè quæ actum intellectûs & voluntatis indivisim involvit, simpliciter & absolutè non peccat, quamdiu voluntas legislatoris non exorbitat, & peccat. At illa bona est, & nulla correctione indiget.

Nec legislator, nec lex simpliciter peccat, quāvis verba legis exorbitent, & peccent.

7. Et hoc est quod Aristoteles supra dixit, legem esse rectam, quamvis peccatum illius non ignoratur; quia intentio legislatoris, quæ est anima legis, solùm fertur in id, quod plerumque accidit, quamvis, ob defectum cognitionis perfectæ, hanc suam intentionem sub notione nimis universali exprimat; & ideo dicit peccatum non esse neque in lege, neque in legislatore, sed solùm in ipsa re, quæ ex necessitate quadam sub terminis universalibus explicari debuit. Sumpta autem secundùm illam universalitatem exorbitat, seu

seu peccat, quia comprehendit ea, ad quæ intentio legislatoris non extenditur. Itaque lex ex una parte est & dicitur recta, ob rectam & minimè corrigendam intentionem legislatoris; & ex altera parte ratione expressionis peccat, & deficit ab æquo, ob nimiam universalitatem. Peccatum ergò non est in lege formaliter sumpta, seu qua parte lex obligat; & ideo tam legislator, quàm lex simpliciter dicta non peccat, quia ut peccatum tribui posset alterutri, intentio legislatoris deberet à recto deviare. Eadem tamen lex materialiter sumpta peccat, quia pro materiali dicit expressionem, quam legislator habet in mente, quæ est nimis universalis. Hæc doctrina Philosophi planè coïncidit cum ratione à nobis allata, quia intentio legislatoris, seu voluntas obligans semper est recta, nec ulla indiget correctione. At actus intellectûs, per quem concipit legem & fertur in materiam præcepti, exorbitat, quia est nimis universalis, & propterea subjacet correctioni, & corrigi debet, quatenus peccat, seu deficit ex illa parte, qui tamen defectus seu peccatum non est defectus, & peccatum simpliciter ex parte legis, qua lex est, seu qua obligat; sed solùm secundùm quid. Ecce illa ipsa ratio, quæ probat, legem humanam, prout est in mente legislatoris, esse capacem emendationis & correctionis, evincit legem divinam talis correctionis esse incapacem, quia intellectus divinus legem dictans ad nil prorsùs extenditur, ad quod ejusdem voluntas strictè non obligat. Proinde nulla lex Divina ullius exceptionis, aut correctionis capax est, quia in nullo ab æquo & recto exorbitat, sive spectes actum intellectûs dictantem, sive actum voluntatis obligantem. Itaque sola lex humana, prout existit in mente legislatoris, Epiikiam admittit.

Lex Divina, ut à nobis intellecta, capax est Epiikiæ.

8. Probatur secunda pars, quæ videtur esse contra Celladeum. Leges divinæ, tam naturales quàm positivæ, promulgantur & explicantur nobis per terminos universales, qui aliquando extenduntur ad plures circumstantias, quàm mens & voluntas Dei legislatoris. Sic conjux tenetur consorti debitum reddere. Hæc lex universali expressione nobis intimatur, & ideo universaliter intellecta exorbitat; quia in multis casibus à reddendo debito excusatur, ut constat. Idem valet in exemplis à S. Thoma supra allatis. Ergò lex etiam Divina, prout nobis explicata, & prout à nobis intellecta, non minùs deficit ob universale, quàm lex humana. Ergò utraque ex æquo debet corrigi, quia quod deficit, quà deficit, emendari debet. Nec hoc ullo modo in dedecus Dei cedit, quia defectus iste non tribuitur Deo, aut legi, prout illa in mente ac voluntate Dei existit, sed solùm nobis, qui ob nostram imperfectionem non sumus dispositi ad intelligendam legem Dei, quæ secundùm se ad peculiares circumstantias restringitur, nisi per conceptum nimis universalem, qui propterea ab æquo exorbitat, & per æquum corrigi debet. Nec tamen hoc locum habet in omni prorsùs lege, quia sunt plures leges prorsùs universales, quæ nullam omnino exceptionem patiuntur. Talis est lex non odiendi, non blasphemandi Deum, non operandi contra conscientiam; & universim omnes, quæ prohibent objecta ita intrinsecè mala, ut per nullam circumstantiam honestari possint. Quia in his lex existens in mente Dei complectitur omnia prorsùs, ad quæ eadem in mente nostra extenditur.

9. Hinc Celladeus immeritò carpit Cordubam, aliosque, quòd Epiikiam admittant in lege Divina; quia eodem jure reprehendere potuisset S. Thomam, qui expressè tractans hanc materiam, rationem suam quibusdam exemplis confirmat, in quibus Epiikia locum indubitatum habet: illa autem exempla ex materia legis Divinæ ac naturalis desumpta sunt, quia depositum lege naturæ reddendum est; & tamen in casibus à S. Thoma allatis non est reddendum, sed expressio universalis, sub qua lex naturalis à nobis apprehenditur, corrigenda est, & per Epiikiam limitanda. Est quidem nefas dicere, nos aliquam Dei legem emendare, si lex illa accipiatur prout est in mente Dei, seu prout ad ea præcisè terminatur, quæ mens divina complectitur. At non nefas, sed æquum, & excellens æquum est, expressiones nostras nimis universales, quibus legem Dei intelligere ac exprimere solemus, corrigere ac emendare, quod fit per Epiikiam. Porrò si Celladeus ad hanc distinctionem attendisset, fortasse Cordubam non reprehendisset, sed existimasset eum loqui juxta secundam partem hujus assertionis. Cæterùm per hanc assertionem facilè conciliantur Authores circa præsentem materiam; nam qui negant Epiikiam locum habere in lege Divina ac naturali, intelligendi sunt juxta primam partem assertionis; qui verò eam admittunt in lege Divina, in sensu secundæ partis ejusdem assertionis loqui censendi sunt.

Conciliantur Authores, qui cedunt, & negant Epiikiam in lege Divina.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

10. OBJICIES primò. Epiikia, & legis emendatio tunc propriè dicitur, cùm defectus legis particularis fiunt præter mentem ac voluntatem legislatoris, nec ipso legislatore authore. Unde nec in humanis est Epiikia legem universalem per particularem dirigere, & emendare, quia totum hoc est opus ipsius legis & legislatoris non æqui & boni. At nulla emendatio legis Divinæ contingere potest præter mentem & voluntatem Dei, sed fit, ipso auctore, & dirigente per legem vel externam, vel internam. Itaque nulla contingit emendatio legis Divinæ naturalis, quæ fit contra vel præter totam legem naturalem; quia ipsa emendatio præscribitur à lege naturæ. Ergò Epiikia propriè non habet locum in illa lege Divina. Ita Celladeus §. 2. Objectio 1.

Respondeo inprimis, quæstionem hanc, juxta rationem objectionis intellectam, evadere posse quæstionem de nomine, quia nos omnem legis correctionem, quæ fit per æquum & bonum naturaliter nobis insitum, vocamus Epiikiam, quamvis illa fit à Deo tanquam ab auctore illam volente & dirigente; in quo loquimur cùm D. Thoma, qui non alia Epiikiæ exempla tulit, quàm ea, in quibus lex naturæ per aliam legem naturæ corrigitur, & limitatur. Alii verò non omnem correctionem, sed illam solùm, quæ fit absque legislatoris voluntate & directione, Epiikiam nominant. Porrò si correctio admittatur æquè in uno casu, ac in alio, totum intentum habetur quoad rem ipsam, & parum interest, utrùm illa correctio vocetur Epiikia, nec ne.

S. Thomas admittit Epiikiam in lege Divina.

11. Respondeo secundò, doctrinam objectionis evertere omnem prorsùs Epiikiam; quia nulla est lex humana, quæ etiam non sit à Deo approbata, non solùm, quia Deus universaliter jussit nos obedire præpositis nostris, eorumque mandata servare; sed etiam, quia lex humana totam vim obligandi in conscientia habet à Divina voluntate illam approbante. Ergò in omni lege,

Celladei doctrina omnem Epiikiam evertit.

lege, etiam humana, potissimum quod in illa est, est voluntas Divina illam approbans, & ad obedientiam obligans. Ergò nulla legis interpretatio est propriè Epiikia, quia omnis interpretatio est à Deo, qui est præcipuus auctor omnis legis & solus auctor omnis veræ ac strictæ obligationis in conscientia.

Correctio legis exorbitātis semper est Epiikia, quamvis fiat ex lege, vel præscripto legislatoris.

12. Confirmatur. Si vera esset hæc doctrina, tolleretur Epiikia etiam in lege humana; prudentes enim legislatores optimè norunt, universales suas expressiones esse absurdas, nisi emendentur; & consequenter volunt suas leges corrigi, quando occasio tulerit. Itaque correctio legum non fit contra, nec præter, sed juxta eorum voluntatem atque intentionem. Et quidem quamvis in universali præscriberent correctionem esse faciendam, hoc non tolleret Epiikiam, sed eam potiùs imperaret, ut patet. Undè in contrarium argumenti, sic arguo. Non tollitur Epiikia per hoc, quòd lex particularis corrigatur per generalem legem præscribentem correctionem, ubi lex exorbitat. Ergò neque tollitur quando lex particularis corrigit universalem. Ratio est, quia leges istæ solùm præcipiunt id, quod antea jure naturæ præceptum erat, & fieri debuisset, quamvis leges istæ correctrices ab homine latæ non fuissent. At quod hoc fiat dependenter à lege humana, vel solùm dependenter à lege naturali, non alterat opus ipsum. Ergò illud semper erit idem eodem modo factum, dummodò semper fiat ex æquo & bono. Ergò semper erit Epiikia. Ergò sicut non est absurdum, quòd una lex sit alterius correctio, aut alterius correctionem præscribat; ita non est absurdum, quòd una sit alterius Epiikia, aut eam præscribat, quia Epiikia non est nisi correctio legis ex æquo & bono. At talis correctio consistere potest in alia lege, aut per aliam præscribi ac præcipi. Ergò & Epiikia. Ergò impertinens est ad Epiikiam, quod fiat, vel non fiat ex præscripto legislatoris, qui legem ob universale peccantem tulit. Itaque nil obstat, quò minùs lex divina ac naturalis patiatur Epiikiam, quia si una corrigat aliam, aut alterius correctionem præscribat, una erit alterius Epiikia, vel certè alterius Epiikiam præscribet.

13. Cæterùm locutio Celladei mihi valde displicet; loquitur enim ita, ac si supponeret, Deum condere leges ob universale peccantes, easque deindè per alias leges corrigere, & has per alias minùs universales emendare. At hoc Deo indignum est. Immò evidenter repugnat, legem Dei ullatenus exorbitare posse, si sumatur ut lex est. Verùm Celladeus ad hæc dicenda adductus est, quia non distinxit inter legem, ut est lex se tenens ex parte legislatoris, & inter legem, prout promulgatur, & applicatur nobis. Distinguat hæc, & congruè loquetur, videbitque argumenta sua nil valere.

Objectio 2.

14. Objicit secundò. Nulla lex naturalis, quæ versatur circa probabilia, in quibus potest intervenire defectus, est universalis; quia in talibus nulla est propositio universalis nisi ex ignorantia. Omnis enim propositio rectè universalis est falsa, & erronea. Natura autem nec ignorat nec errat, ut patet. Ergò nulla lex, naturalis peccat vel exorbitat; quia ad hoc deberet esse universalis. Ergò nulla lex naturalis patitur Epiikiam, seu correctionem; quia ubi non est defectus, seu peccatum, non est locus correctioni. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo 1. doctrinam hujus objectionis contrariari doctrinæ objectionis primæ, quia ibi lex divina ponitur esse universalis & corrigenda, hîc autem oppositum traditur. Ergò rationes & fundamenta Celladei sibi contradicunt. Respondeo 2. Hæc omnia confirmant primam, sed non impetunt secundam partem assertionis, cùm certò constet, legem Dei à nobis sæpè apprehendi per species nimis universales. Sic uxor, audiens debitum viro reddendum, putat illud semper reddendum esse, & ex vi hujus universalis expressionis putat se obligatam ad reddendum debitum viro, etiam notoriè adultero. Sed errat, & propterea universalis illa legis naturalis expressio limitanda, ac corrigenda est. Verum quidem est, legem divinam, ne quidem, ut à nobis intellectam, quando intelligitur ut restricta cum omni limitatione quam habet in mente Dei, pati ullam correctionem, quia tunc non peccat: sed hoc æquè valet de lege humana, quæ debitè restricta non peccat, & consequenter non indiget correctione. Nihilominùs sicut hoc non tollit, quò minùs lex humana universaliter prolata ac intellecta corrigi debeat, ita neque impedit correctionem legis Divinæ ac naturalis, quando illa per expressionem nimis universalem apprehenditur, & intelligitur.

Celladei contradictio.

15. Objicit tertiò. Ad Epiikiam requiritur, ut lex positivè peccet, & in malum ducat, nisi emendetur. At lex Dei nec peccat, nec in malum ducit. Ergò nec admittit Epiikiam. Ita Celladeus. Objectio 3.

Respondeo ut antè, hæc confirmare quidem primam, sed non impetere secundam partem assertionis; quia quamvis lex Divina, prout est in mente Dei, non peccet, nec ad malum ducat, attamen eadem ut à nobis intellecta aliquando ducit ad malum, nisi corrigatur, ut videre est in exemplis à S. Thoma allatis, & aliis non paucis. Cæterùm ad Epiikiam non est necesse, legem non correctam ad malum ducere, ut ex dicendis mox constabit.

ASSERTIO III.

Epiikia locum habet non solùm quando tenemur, sed etiam quando non tenemur contra verba legis facere.

Epiikia locum habet, etiam quādo nō tenemur facere cōtra verba legis.

16. PROBATUR assertio, quæ est contra Celladeum. Epiikia intervenit, quoties lex, ob universale peccans, ex æquo & bono corrigitur. At hoc intervenit, etiam quando non tenemur legem corrigere, & contra verba legis facere. Sic lex reddendi debitum conjugale, generaliter intellecta, ex æquo & bono corrigi potest, & declarari quòd non extendatur ad reddendum debitum marito notoriè adultero, quia non est æquum, quòd uxor teneatur debitum reddere consorti, qui notoriè fidem conjugalem violavit. Et tamen potest uxor debitum reddere, & pro arbitratu facere juxta vel contra verba legis de reddendo debito conjugali. Idem videre est in legibus ac mandatis humanis. Præcipiat superior suo subdito iter facturo, ne quidquam emat, nec pecuniam expendat, nisi in res itineri necessarias. Contingat autem subditum incidere in librum exiguo sibi pretio oblatum, quem novit suum superiorem diu frustra quæsivisse, & magno etiam pretio emere desiderare, eò quòd libro illo ad peculiaria sua studia magnoperè indigeat, omnesque etiam ejus subditi ejusdem libri desi-

desiderio teneantur, quibus etiam superior gratificari cupiat. In hoc casu, subditus ille ex æquo & bono corrigere potest defectum mandati sua universalitate exorbitantis; quia æquum & bonum est ut corrigatur: imò idipsum est juxta voluntatem superioris, qui si adesset, idipsum vellet; & si scivisset, mandatum adjecisset. Hæc autem sunt argumenta, quibus cognoscimus legem ex æquo & bono corrigendam esse. Præterea, ut clariùs appareat, mandatum hoc exorbitare ab æquo & bono, attendendum est, superiorem intuitu communis boni prohibuisse subdito, ne quidquam emeret. At hîc & nunc mandatum opponitur bono communi, ideóque exorbitat & peccat contra id, quod superior intendebat. Ergò æquum est ut corrigatur à subdito, qui certò novit hanc exorbitantiam, quique clarè videt, quod superior, si adesset, oppositum statuisset, & si scivisset præsentem circumstantiam oppositum in mandatis dedisset, idque intuitu boni communis, ad quod potissimùm in suo mandato respiciebat. Ergò in hoc casu datur locus Epiikiæ, seu correctioni mandati, cùm æquum sit & conveniens, ut qua parte deficit contra intentionem mandantis, emendetur & corrigatur. Ergò subditus in hoc casu per Epiikiam emere potest talem librum; sed ad hoc non tenetur, cùm citra peccatum possit talem emptionem evitare. Ergò tam in lege divina quàm humana datur locus Epiikiæ ad faciendum contra verba legis, etsi licitum sit verbis legis inhærere, &c. quod erat probandum.

Lex peccat non solùm quando iniqua, sed etiam quando iniquè præcipit.

17. Ratio à priori est, quam affert Suarez *lib. 6. de legib. cap. 7.* Intentio legislatoris est non solùm recta, sed etiam rectè præcipere. Ergò qui servat legem, tanquam illi obnoxius, quandò verè non obligatur propter occurrentem causam excusantem, ab intentione legislatoris discrepat, etiamsi actus, quem facit, non sit malus. Nec obstat, Epiikiam esse partem justitiæ; quia hîc etiam ex parte legislatoris intervenit justitia, exigens ne subditus in eo casu obligetur. Undè si ad legislatorem fieret recursus, juxta justitiam deberet interpretari suam legem & dicere, eam non obligare. Itaque Epiikia non solùm locum habet, quando res iniqua præcipitur, sed quandò res nimis acerba & difficilis præcipitur, quia lex in utroque casu peccat; in primo præcipiendo iniqua, in secundo iniquè, & inhumanè, seu immoderatè, aut etiam ultra potestatem legislatoris præcipiendo, quamvis res præcepta non sit mala. Ergo in utroque hoc casu prudentiæ, ac justitiæ est, ut lex exorbitans per æquum & justum corrigatur. Jam præter hos duos casus, in quibus lex universaliter accepta est injusta & correctione indiget, est alius casus, in quo datur locus Epiikiæ, quando lex universaliter accepta non est injusta: tunc scilicet, quando etsi datur potestas in legislatore ad obligandum in aliquo casu, tamen ex circumstantiis ab illo non præmissis constat, hanc ejus mentem non fuisse. Hic modus videtur ab Aristotele expressus, cùm dixit, Epiikiam emendare legem, quòd & ipse legislator, si adesset, hoc modo dixisset, id est, hoc modo suam mentem explicasset. Sic etiam S. Thomas dixit, munus Epiikiæ esse, prætermissis verbis legis, intentionem legislatoris sequi. Ergò ad Epiikiam non est necesse interpretari casum non cõprehendi sub lege, quia legislator non potuit eum sua lege comprehendere; sed sufficit, si interpretemur, eum noluisse illum comprehendere, licèt potuerit. Nec mirum, quia sæpè contingit aliam esse legislatoris voluntatem ab ea, quam nuda verba præ se ferunt. Ergò ibi etiam intervenit emendatio legis, quia illa plus verbis comprehendit, quàm legislator sua voluntate complectitur. Æquum ergò est & justum, ac prorsùs prudens, ut hâc etiam viâ legem interpretemur, ac corrigamus. Itaque triplex est causa seu ratio utendi Epiikia. Prima, ad cavendum malum & iniquum, sub verbis legis comprehensum. Secunda, ad vitandam acerbam, inhumanam, & injustam obligationem. Tertia, propter cognitam legislatoris voluntatem, non obstante potestate illud jubendi, quod omittitur. Qui plura volet, legat Suarium loco citato.

Epiikia triplex.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

18. OBJICIT primò. Ad Epiikiam requiritur, ut lex positivè peccet, & consequenter ducat ad malum, nisi emendetur. Hoc colligitur ex Aristotele, qui disertis verbis dicit, Epiikiam ordinari ad corrigendam legem, qua parte peccat, & deficit. Similiter S. Thomas dicit, malum esse sequi legem in casibus à se allatis, aliisque similibus; bonum autem, prætermissis verbis legis, sequi quod dictat justitiæ ratio, & communis utilitas; & ad hoc, inquit, ordinatur Epiikia, scilicet ad vitandum malum, & faciendum bonum. At quando non tenemur corrigere legem, lex non peccat, nec ducit ad malum; neque malum est sequi legem, ut constat ex suppositione. Ergò quando non tenemur corrigere legem, non datur locus Epiikiæ. Ita Celladeus §. 2.

Peccatum legis exorbitantis est multiplex.

Respondeo Philosophum, ut evidenter patet ex contextu, nomine peccati non intelligere peccatum morale propriè dictum, sed solùm defectum & errorem, quod est universale ad peccatum morale, & quodvis aliud malum & inconveniens physicum. Porrò quoties lex ob universale exorbitat ab æquo & bono, toties æquum est ut corrigatur; sive universalitas illa ducat ad malum morale, sive solùm ad malum physicum, bono communi, & intentioni legislatoris contrarium. Jam in utroque casu, juxta phrasim Philosophi, datur *Epiikia*; sed usus illius non est necessarius nisi in primo casu. Et sanè ipse terminus Epiikia, seu æquum & bonum, non indicat necessarium, sed solùm decens, conveniens, seu consentaneum. Ergò absurdum est existimare, quòd semper afferat absolutam necessitatem, cùm ex vi sua solùm significet congruentiam, decentiam, seu convenientiam. Similiter S. Thomas, Philosophum hac in re sequutus, nomine mali solùm intelligit defectum, cùm formalis ratio mali generaliter sumpta in defectu consistat. Nec obstat, quòd in exemplis ab illo allatis peccaret, qui verba legis servaret; quia exindè non sequitur, quòd in omni alio casu peccaret, sed solùm quòd à decenti, & consentaneo, ac à bono communi deficeret. Cæterùm dici potest, quod correctio legis semper sit necessaria in omni casu, in quo Epiikia locum habet, etiam in illis casibus, quos ego assignavi; quia stultum est, & contra æqualitatem justitiæ ac bonum commune existimare, quòd uxor teneatur debitum reddere marito notoriè adultero, aut quòd subditus teneatur librum non emere in illis circumstantiis; stultè ergò ageret, & peccaret, qui legem non corrigeret, sed eam in sua universalitate tanquam legem ad eas circumstantias extensam acciperet. Porrò Epiikia in hac præcisè correctione consistit;

Epiikia propria semper est necessaria ad prudenter operandum, quando lex exorbitat.

sistit; illa autem necessaria est saltem quoad operationem intellectûs, ne stultè & contra prudentiam agnoscamus obligationem, ubi illa certò non est, quamvis non sit necessaria quoad usum voluntatis, eò quòd, qui per Epiikiam novit se liberum à lege, seque libertatem suam possidere, possit nihilominùs ea facere, quæ verba legis præscribunt, non ex vi legis, quæ scitur vim non habere, sed ex propria potestate, qua homo sæpè ea licitè facit, ad quorum contraria agenda jus habet. Non enim semper homo tenetur uti jure suo, ut patet.

Objectio 2. 19. Objicit secundò. Epiikia est quædam justitia, & est virtus, & laudatur, & est necessaria. Ergò strictè obligat ad faciendum contra verba legis, quæ si servari possint sine culpa, nec justum, nec virtus specialis, nec necessarium esset ea omittere. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo Epiikiam, sumptam pro objecto, esse justum quoddam, & quidem præcipuum: in hoc autem sensu non est virtus specialis, sed spectat ad varias virtutes pro qualitate materiæ, & motivorum, ut dictum est. At Epiikia, prout est judicium intellectûs, est virtus particularis, & spectat ad prudentiam, per quam homo disponitur ad corrigendam legem, quando lex exorbitat ob universale. Itaque totum munus Epiikiæ, prout est virtus intellectûs, est corrigere legem peccantem, quod abundè præstat manifestando, quòd non obliget, eò quòd indecens, iniquum, & inconsentaneum foret hominem tunc obligari ad verba legis. Qui autem contrarium crederet, aut doceret, careret virtute Epiikiæ. Jam Prudentia (cujus Epiikia pars est) ex propria sua ratione determinat ad istam interpretationem, seu correctionem, quam proinde per seipsam inducit, quæque abesse non potest, nisi per stultitiam, seu carentiam Epiikiæ. Porrò Epiikia aliam necessitatem vel obligationem per se non inducit; sed si post Epiikiam obligemur aliquando agere contra verba legis, ea obligatio spectat ad voluntatem, & est multiplex juxta varietatem motivi & materiæ circa quam operamur, ut dictum est. Cæterùm ex notione virtutis, justi, ac laudabilis, perperam infertur necessitas, quia multa sunt laudabilia, ad virtutem spectantia, & legaliter justa, quæ sicut laudabiliter fieri, ita licitè omitti possunt, ut dare eleëmosynam, aliaque innumera; non enim virtutis est semper necessitatem inducere, ut patet. Unde Epiikia in se nullam inducit necessitatem faciendi contra verba legis, sed solùm necessariò ostendit, quòd lex non extendatur ad talem casum, quia non est æquum, & bonum, quod ad illum obliget. Hoc autem stante, aliquando non est necesse facere contra verba legis. Verùm hoc non aliter contingit post legem correctam, quàm contigisset, si nulla lex lata fuisset. Sit lex humana præscribens redditionem depositi. Dico, me non aliter obligari ad non reddendum depositum, quando Epiikia corrigit hanc legem in casu allato à S. Thoma, quàm fuissem, si lex illa humana lata non fuisset: ex æquo enim in tali casu depositum non est reddendum. Itaque obligatio oritur ex rebus ipsis, non ab Epiikia: Epiikia enim solùm dicit, æquum non esse, quod lex obliget: & ad hoc solùm est utilis, & necessaria. At hoc posito, obligatio faciendi contra verba legis, vel permissio faciendi juxta illa aliundè provenit; ad quod si Celladeus advertisset, fortasse aliter judicasset.

Epiikia est virtus specialis, & ad Prudentiam pertinet.

Objectio 3. 20. Objicies tertiò. Quando pars legis est tuta, id est, quando facere juxta verba legis non est peccatum, lex non peccat, quia sine peccato impleri potest. Ergò nisi sit peccatum facere juxta verba legis, nullus est locus Epiikiæ. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo legem sæpè exorbitare ab æquo & peccare, etiam quando non est peccatum facere contra verba legis; scilicet tunc, quando legislator acerbè, & inhumaniter excedit suam potestatem; aut etiam quando non est æquum hominem obligari ad verba legis, eò quòd obligari ad illud sit contra bonum commune, & intentionem legislatoris, quamvis non sit absolutè malum facere juxta verba legis justas ob causas. Porrò in istis casibus lex peccat, quia universalis illa obligatio, si extenderetur etiam ad istas circumstantias, peccaret; esset enim malum contra æquum & bonum, & contra voluntatem legislatoris; & ideò lex illa corrigenda est per Epiikiam, quæ ex æquo, & bono pronunciat, legem ad hunc casum non extendi.

Lex peccat etsi facere juxta verba legis non sit peccatum.

COROLLARIA.

21. HINC infertur, Celladeum plura falsa in hac materia enuntiasse. Inprimis dicit nullum esse locum Epiikiæ, quando sequi verba legis est tutum, seu minimè peccaminosum. Hujus asserti falsitas constat ex dictis.

Plures Celladei errores notantur. Error 1.

22. Secundò contendit, tunc solùm Epiikiam locum habere; quando leges contradicentes sibi occurrunt, quia Epiikia est ad vitandum peccatum legis. Imminet ergò peccatum, si juxta legem fiat. Ergò est obligatio & lex aliqua non sectandi verba legis, quia sine lege & obligatione nullus est locus peccato. *Error 2.*

23. Verùm hic Celladei discursus omni ex parte mancus est. Inprimis, supponit dari leges sibi contradicentes, quod est Chymæricum, quia nec Deus, nec respublica obligat ad contradictoria: imò tam repugnat nos ad contradictoria obligari, quàm repugnat illud peccatum esse quod nulla ratione à nobis vitari potest. At contradictoria evitari nequeunt. Ergò nulla ad ea evitanda esse potest obligatio. Itaque leges verè contradictoriæ nunquam sibi occurrunt; sed ad summum aliquandò reperiuntur leges, quæ apparenter & verbaliter contradicunt. Cæterùm falsum est, quòd istæ debeant necessariò intervenire, quando utimur Epiikia, quippe quæ per hoc solùm præcisè corrigit leges, quòd ostendat obligationem ad hanc circumstantiam non extendi, eò quòd lex deficeret, seu peccaret contra æquum & bonum, si ad illam extenderetur. Itaque peccatum legis non in eo solùm consistit, ut falsò sibi persuasit Celladeus, quòd præcipere videatur rem malam, sed in eo, quòd videatur obligare ad id, ad quod obligari non est æquum, quamvis illud facere sponte & non ex obligatione non sit malum. Itaque lex evidenter potest corrigi, etsi nullum immineat peccatum ex operatione à lege præscripta.

Leges sibi contradicentes repugnant.

24. Tertiò tradit, quòd regula de sectanda parte tutiori & Epiikia sese communiant, eò quòd nunquam liceat quicquam ex Epiikia facere, nisi quando id tutius est, & oppositum minùs tutum. Hæc doctrina ritè sequitur ex prioribus ejus assertis, sed eædem rationes, quæ probant illas esse falsas, hanc etiam falsitatis convincunt. *Error 3.*

25. Quartò vult, exemplum S. Thomæ de non *Error 4.*

non reddendo deposito non esse effectum Epiikiæ, prout restitutio depositi præcipitur à lege naturali, sed solùm prout jubetur à lege humana. Verùm hoc & falsum est, & dicitur inconsequenter. Est falsum, si sermo sit de lege naturali ac divina, prout illa à nobis apprehenditur; ut ostensum est. Dicitur etiam inconsequenter, quia cùm utraque lex eisdem verbis explicetur, & utraque, prout à nobis apprehenditur, ad eadem prorsùs extendatur, atque per similem conceptum intimetur, impossibile est, quòd una exorbitet propter universale, & altera non exorbitet. Ergò utraque ex æquo deficit. Ergò utraque ex æquo per Epiikiam corrigenda est.

Celladei inconsequentia.

ASSRTIO IV.

Sæpè datur locus Epiikiæ ex titulo difficultatis, per accidens occurrentis in observatione legis.

Difficultas per accidens intercurrens in observatione legis sæpe fundat Epiikiam.

26. PROBATUR. Sæpe difficultas interveniens tanta est, ut certum sit, aut potestatem, aut intentionem legislatoris ad eum casum extensam non fuisse. Impotentia legislatoris variis modis innotescere potest. Voluntas ejus ex eo sæpe scitur, quòd non sit æquum & bonum homines ad tam ardua ab hominibus obligari. Talis enim obligatio acerba, & inhumana est, pacique ac bono publico repugnat. Præterea ex similibus principiis scitur, quòd si legislator adesset, diceret, se nolle hominem ad talia obligare, sed potiùs juberet oppositum, si opus esset tali præcepto. Hinc sic argio. Hæc scientia, seu hæc doctrina est formalissima Epiikia; quia est ipsamet correctio legis deficientis ob universale. At fit præcisè titulo difficultatis per accidens intercurrentis, & eorum, quæ ex tali difficultate, ac incommodo consequuntur. Porro difficultas & incommodum sæpè eousque excrescunt, ut correctionem hanc certam faciant. Ergò sæpe datur locus Epikiæ ex titulo difficultatis, per accidens intercurrentis in observatione legis. Et sanè nulla rationabilis explicatio Epiikiæ, ex Aristotele & D. Thoma accepta, fingi potest, quæ sæpe non habeat locum in terminis assertionis; quia certum est, quòd prudens lex humana ab æquo deficeret, si ad tales casus extenderetur. Similiter scitur, quòd legislator, si ad hunc casum attendisset, aliter loquutus fuisset, illumque aut explicitè, aut implicitè excepisset. Præterea, si adesset, oppositum diceret. Demum si interrogetur quis, unde certò sciat, legem ad hunc casum non extendi: aliud non potest respondere, quàm aliquid eorum, quæ jam indicata sunt, scilicet quod esset lex nimis ardua, & consequenter ab æquo exorbitaret, vel quod voluntas legislatoris, semper tendens ad bonum commune, tales casus non involveret. At certum est ex Aristotele, & S. Thoma, quòd Epiikia aliud non sit, quàm correctio & limitatio legis nimis universalis, ex istiusmodi capitibus ritè illata & declarata.

Corollarium 1.

27. Hinc infertur primò, verissimum esse, quòd ab initio quæstionis diximus, quæstionem præsentem de Epiikia esse connexam cum præcedenti, atque ex illa magna ex parte stabiliri.

Corollarium 2.

28. Infertur 2. Celladeum in hoc etiam errasse, quòd asserat, Epiikiam nunquam ex solo titulo difficultatis & incōmodi intervenientis exsurgere. Sed contra: quia perspicuum est, neminem obligari ad Missam audiendam, quando, si hîc & nunc illam audiat, perditurus est occasionem, quàm si arripuisset, infallibiliter lucratus fuisset decem millia aureorum. Porrò excusatio ista non reducitur ad alium titulum quàm ad purum incommodum; non enim peccaret, si huic jacturæ sese exponeret, sed actum longè generosissimum virtutis heroicæ exerceret. Ergò Epiikia ista non fundatur in eo, quòd malum sit sequi verba legis; sed in eo, quòd non sit æquum homines ad tam ardua obligari, quódque constet, voluntatem legislatoris ad istum casum non extendi.

Celladei error.

ASSERTIO V.

Dubium de malo, ex observatione legis juxta litteram sumptæ sequuturo, aliquando fundat, aliquando non fundat Epiikiam. Propositum autem sit exponere quando hoc contingat.

Dubiū mali incurrendi aliquãdo fundat Epiikiam.

29. PROBATUR. Aliquando observatio legis ad litteram est, aliquandò non est pars minùs tuta. Est pars minùs tuta, quando observatio legis ad litteram est peccatum; sic esset peccatum restituere ensem furibundo, quem sciremus paratum ad alios ense interficiendos, &c. Non est pars minùs tuta, quando sine omni peccati periculo lex ad litteram observari potest. Jam quando dubium est, an sequi legem sit peccatum, videndum est, an malum, quod ex legis observatione imminet, excedat malum ex non observatione legis oriturum. Si excedat, ut in exemplo allato, aliisque non paucis evenit, tunc locus datur Epiikiæ; quia est contra æquum, communique bono ac legislatoris intentioni repugnat, quòd homo ex duobus malis collectivè inevitabilibus teneatur ad eligendum majus. Ergò Epiikia dictat, legem in hac parte deficere, & ob nimiam universalitatem debere corrigi. Verùm in hoc casu peccatum legis non est dubium sed certum, quamvis dubium sit, an malum illud majus sit eventurum: quod observandum est contra Celladeum, qui licèt in hac parte benè sentiat, malè tamen loquitur, quia supponit sermonem esse, quando dubitatur de peccato legis. Verùm, cum bona ejus venia, de hoc non dubitatur, cùm certò sciamus, legem jubentem majus malum dubium, quàm sit non observatio talis legis, deficere à natura legis rectæ, ac justæ, quæ veram secum obligationem trahit. Quod si dubium esset, utrùm lex deficeret, id est, si nulla esset ratio magis dicendi quod deficeret, quàm quod non deficeret, nulla utique esse posset Epiikia, quippe quæ est correctio legis errantis, & ob nimiam universalitatem peccantis. At hîc nulla esset ratio, quæ hoc diceret, ergò nulla esset Epiikia.

Simile dubiū aliquando non fundat Epiikiā.

30. Atque hinc secunda pars conclusionis evincitur; quia quando observatio legis ex se est licita, si constet æquum non esse ad illam obligari, datur locus Epiikiæ; quia per hoc ipsum constat legem peccare, ut ostensum est. At si dubium sit, an expediat subditos ad illam observationem obligari, nulla potest esse Epiikia, quia cùm nil mali aut inconsentanei sequatur ex obedientia, & certum sit legem latam esse, utique tum obediendum est, quia nulla est exceptio æquivalens auctoritati atque possessioni jubentis per

per legem certò latam, quam subditus exorbitantiæ accusare non potest. Exemplum sume à subdito, cui superior mandavit, ne quidquam pecuniæ in rebus emendis consumat; hic non potest per Epikiam hoc mandatum corrigere, si dubitet, an sit juxta bonum commune & intentionem superioris, quòd librum emat: quia motivum sic dubitandi non est sufficiens ad corrigendam jussionem superioris, utpote quæ in nullo probatur deficere. Stat ergò conclusio, quòd nempe dubium de malo sequuturo ex observatione legis aliquando fundet, aliquando non fundet Epiikiam.

31. Porro ex dictis constat, quando uterque casus conclusionis contingit. Tum enim malum dubiè imminens fundat Epiikiam, quando illius periculum ostendit æquum non esse, ut lex ad illud etiam dubiè propositum extendatur, quia Epiikia in hoc ipso judicio consistit. At quandò malum, de quo dubitatur, hoc non arguit, utique nullus datur locus Epikiæ, ut patet.

ASSERTIO VI.

Probabilis correctio legis an, & quando sit sufficiens regula conscientiæ?

Correctio legis seu Epiikia, quando non est certa sed solùm probabilis, non est sufficiens regula conscientiæ, si superior consuli possit, & res moram patiatur, secus est sufficiens regula.

32. PROBATUR prima pars primò ex legibus; in quibus statuitur, quòd ejusdem sit legem condere, & interpretari. *leg. inter. Cod. de leg.* ubi hæc habentur. *Inter æquitatem jusque, interpositam interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere.* Ecce Imperator sibi reservat interpretationem suæ legis, scilicet in casu conclusionis, quia cujusvis est eam corrigere, quando defectus legis est certus, & evidens. Ad idem probandum facit etiam *lex Placuit, Cod. de Iudiciis.*

Quandò superior consuli potest nō est locus Epikiæ pro regula conscientiæ.

33. Probatur 2. ratione. Omnes tenemur operari ex certitudine, quando certitudo haberi potest. At quando superior consuli potest, certitudo haberi potest. Ergò ante illam non licet contra verba legis operari. Ergò quamvis tunc liceat interpretari legem speculativè, & probabiliter dicere, quòd sit corrigenda, non tamen possumus eam interpretationem pro regula conscientiæ adhibere; quia hic & nunc non est practicè probabile, quòd absque recursu ad superiorem liceat contra verba legis facere. Videatur Suarez *lib. 6. de leg. cap. 8.* ubi hoc ipsum egregiè probat. Legatur etiam Bresserus.

34. Probatur 2. pars. Quando res non patitur moram, aut superior consuli non potest, tunc judicium illud speculativum fundat aliud practicum, quo conscientia prudenter regulatur; quia veritas scitur optimo modo, quo sciri potest à nobis, nempe probabiliter. At in tali casu irreprehensibiliter, & rationabiliter operatur, qui sequitur veritatem, quam non potest certiùs, aut meliùs cognoscere, quàm de facto cognoscit. Ergò in tali casu Epikia probabilis est sufficiens regula conscientiæ.

35. Confirmatur. In tali casu probabile est, quod lex non detur, nec superest modus certiùs cognoscendi veritatem. Ergò lex illa vel non existit, vel certè non est sufficienter promulgata, & applicata. Ergò non obligat. Et sanè si lex dubia non obligat, multò minùs lex probabiliter non existens obligationem inducit.

36. Nec dicas, legem existere, ejusque verba casum istum complecti. Nam contrà, quia verba legis non sunt nisi cadaver legis, cujus anima est sola voluntas legislatoris; sine qua verba nullam obligandi vim habent. Ergò si probabile sit, voluntatem legislatoris abesse, utique probabile est, legem obligantem non existere. Unde rectè infertur, quod aut non detur talis lex, aut quod non sit sufficienter promulgata, seu applicata, ut obliget.

37. Demum, si hæc probabilitas in casu allato non sufficeret, nulla unquam sufficeret; quia non est potior ratio de ulla alia quàm de ista. Ergò hæc sufficit. Et hæc est communissima opinio. Vide Suarium *loc. cit.*

ASSERTIO VII.

Licentia interpretativa nō est Epikia propriè dicta.

Licentia merè interpretativa, quæ non infrequenter sufficit ad conscientiam debitè formandam, non est Epiikia propriè dicta; licèt aliquo modo dici etiam possit Epiikia.

38. PROBATUR. Licentia merè interpretativa non est correctio legis, aut mandati, quippe quod in nullo peccaret, etsi ad illum ipsum casum extenderetur; sed est interpretativa dispensatio & concessio superioris, qui tamen absque ullo defectu vel reprehensione posset talem facultatem denegare, quamvis à subdito peteretur. Ergò talis licentia non est propriè Epiikia, utpote quæ aliud non est, quàm legis vel mandati peccantis emendatio, & correctio. Nihilominùs sæpe interpretari possumus voluntatem superioris absentis, quando non solùm probabile est, quòd contentus sit, ut aliquid fiat contra regulam, vel præscriptionem ipsius, sed etiam est probabile, quod contentus sit id fieri hîc & nunc ex præsumpta dispensatione, ac voluntate ipsius. Cæterùm æquitas & obedientia postulat, ut superior postea de re gesta certior fiat, & ut subditus rescindat factum, si rescindi possit, & superior illud rescindi voluerit, quòd benè notatum est à Celladeo §. 3. qui quoad priorem partem assertionis nobiscum sentit: sed quoad secundam aut dissentit, aut certè nullatenus ostendit se assentire.

Interpretativa licentia nō omnino impropriè dicitur Epiikia.

39. Probatur ergò secunda pars ex S. Thoma *2. 2. quæst. 120. art. 2.* In quo postquàm objecisset sibi, quòd Epiikia videretur esse idem ac modestia, eò quòd ubi Apostolus *ad Philip. 4.* dicit. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, in Græco habeatur Epiikia; respondet, quòd terminus *Epiikia* propriè quidem significet moderationem circa observantiam verborum legis, ob universale peccantis, ut dixerat in Corpore, possit tamen, juxta phrasim Græcam, per quandam similitudinem extendi ad significandas omnes moderationes, & consequenter etiam modestiam, quæ moderatur exteriorem hominis vitam, & cultum, puta in habitu, incessu, motu, &c. Ergò multò magis ostendi potest ad significandam moderationem legum ex interpretativa dispensatione superiorum; quia hæc longè magis accedit ad rigorosam Epiikiam, quàm modestia, aut moderationes aliæ, quæ circa leges & mandata non versantur. Itaque licentia merè interpretativa aliquo modo, & quidem non impropriè, dici potest Epiikia, & satis communiter sic vocatur; quæ locutio non rigidè reprehendenda est, quia reprehensionem non meretur; sed benignè inter-

interpretanda, cùm non violentam, sed commodam interpretationem admittat.

Judicium probabile, quod lex nõ extendatur ad aliquid, est Epiikia.

40. Cæterùm si probabile esset, quòd lex, aut voluntas legislatoris ad talem casum non extenderetur, tunc locus esset Epiikiæ juxta *Assertionem 6.* quia tunc verba legis probabiliter exorbitarent à voluntate legislatoris, & consequenter corrigi ac restringi possent per judicium probabile. Sed non loquimur de hoc casu in præsenti assertione, sed solùm de interpretativa dispensatione circa legem, quæ scitur comprehendere casum, quem ex interpretativa dispensatione omittimus.

QUÆSTIO SEXAGESIMA.

Vtrùm, & quantum malum sit ignorantia; & error?

Aliquæ quæstiones secundæ Partis Celladei sumũtur examinandæ.

1. PRIMAM *de recta doctrina morum* partem, quam quatuor libris comprehensam Celladeus nobis exhibuit, unà cum aliquot quæstionibus in appendicem conjectis, hactenus examinavi, &, ni fallor, perspicuè ostendi, Auctorem illum per omnia invalidè contra benignam sententiam egisse. Ejusdem enim æquivocationes detexi, contradictiones & inconsequentias notavi, prætensarum demonstrationum sophismata aperui, nilque eorum, quæ ad plenam objectorum refutationem, atque ad efficax benignæ sententiæ stabilimentum facere videbantur, omisi. Nec tamen hìc scribendi finem facio, nonnullæ enim quæstiones ex secunda *de recta doctrina morum* parte, quam idem Auctor in sex libros digessit, ad manus meas pervenerunt. Has autem vel ideo unà cum prioribus examinandas judicavi, quòd Celladeus plurimum roboris in illis ponat, doctrinamque de licito probabilium usu per illa funditùs convelli, omniaque aut potissima *Partis 1.* asserta ex eisdem validè confirmari existimat. Verùm quàm inania ejus tela, quamque invalido brachio in nos contorta sint, paulatim ostendam, si tamen antea universim admonuero, quod in decursu disputationis singillatim ostensurus sum, argumenta omnia, quæ vim facere videntur, in apertis æquivocationibus, ac terminorum confusionibus fundari, quibus detectis, sponte labuntur universa.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare, quid sit ignorantia & error, de quorum mali magnitudine quæstionem præsentem instituimus.

Ignorantiæ definitio.

2. IGNORANTIA, latissimè sumpta, idem importat ac nescientiam intellectûs, seu carentiam cognitionis rei alicujus. Hujusmodi ignorantia omnibus creaturis rationalibus inest, etiam spiritibus illis, qui beatitudinem adepti Deo fruuntur, & beatissimi sunt, ideoque & ab omni malo simpliciter dicto remotissimi. Nemo enim ex omnibus est, qui omnia etiam possibilia novit, sed plurima singulos latent; qui proinde talium rerum ignorantiam latè dictam habent. In præsenti quæstione non loquimur in hac universalitate, sed nomen ignorantiæ pressiùs sumimus pro carentia cognitionis earum rerum, quarum sciendarum quivis intellectus juxta statum suum est capax; quia sola carentia talis cognitionis est privatio respectu talis subjecti, ut patet. Reliquarum cognitionum carentia potiùs comparatur ut pura negatio, quàm ut privatio, quia subjectum illis carens non est aptum illas recipere, cùm excedant facultatem illi concessam. Ignorantia ergò strictè sumpta est nescientia, seu privatio cognitionis earum rerum, quarum sciendarum homo est capax juxta statum, in quo constituitur; unicuique enim intellectui Deus terminos constituit, ultra quos ferri non potest. Porro ex rebus, quarum cognoscendarum capaces sumus, alias scire jubemur, alias nosse consulimur, & de aliis permissum est ut illarum notitiam nobis comparemus, aut citra ullum detrimentum finis adipiscendi in illarum ignoratione maneamus. Prima classis illa complectitur, quarum notitia necessaria est ad vitam æternam. Porro ex illis alia sunt necessaria necessitate medii, ut, si ignorentur, beatitudo acquiri non possit, sed æterna miseria necessariò incurratur. Alia sunt necessaria solùm necessitate præcepti, quorum scilicet ignorantia, si sit invincibilis, finis ultimi adeptionem non impedit. Res secundæ classis sunt majoris perfectionis, & juvant ad beatitudinem faciliùs acquirendam; sed ad illam simpliciter obtinendam necessaria non sunt, quamvis necessaria sint ad altiorem beatitudinis gradum consequendum. Res tertiæ classis sunt indifferentes, quarum proinde ignorantia per se loquendo nec prodest nec obest in ordine ad finem ultimum, aut amplum beatitudinis augmentum acquirendum.

Vitium curiositatis in rebus sciendis quandonam interveniat?

3. Porrò studiositatis est ad ea scienda incumbere, quæ in prima & secunda classe continentur, sicut est negligentiæ in illis addiscendis torpere. In rebus tertiæ classis cognoscendis nimium insudare, cum detrimento scientiæ ad salutem necessariæ aut valde proficuæ, curiositati tribuitur, ut ex S. Thom. 2. 2. bene observat Celladeus *quæst. 1. §. 1.* ubi, ut homines ad negligentiam & curiositatem vitandam excitet, citat S. Paulum hortantem, ne plus sapiamus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem. Rectè etiam ponderat illud *Ecclesiastici 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*

Quæ

Quæ certè sunt documenta sapientiæ plena, utilissimaque hominibus, quorum plurimi negligentiâ, plurimi curiositate peccant, dum ea, quæ obligantur scire, nosse negligunt.

Erroris definitio.

4. Error involvit ignorantiam veri, & præterea figit intellectum in persuasione falsi; ac proinde error deterior est ignorantia, quia ignorantia solùm privativè opponitur scientiæ ac veritati cujus homo est capax, cùm error eidem scientiæ ac veritatis adeptioni contrariè opponatur. His stabilitis, de ignorantiæ strictè sumptæ & erroris malo agendum superest.

ASSERTIO II.

Ignorantia & error eorum, quæ ad adeptionem finis sunt necessaria, est maximum malum hominis.

Ignorantia & error necessariorum est maximū malum.

5. PROBATUR. Malum privationis agnoscitur ex magnitudine boni, quod removet. Hoc posito sic. Error & ignorantia talium rerum privant hominem maximo suo bono, nempe beatitudine æterna, mediisque ad illam obtinendam necessariis. Ergò privant hominem maximo suo bono. Ergò talis error & ignorantia est maximum hominis malum. Maximum, inquam, malum physicum, quia jam non loquimur de malo morali, seu de peccato, de quo tamen postea agendum erit. Præterea talis ignorantia & error sunt dispositiones, quæ, nisi removeantur, infallibiliter inductura sunt miseriam æternam. Ergò sunt dispositivè maximum hominis malum, quia necessariò privant summo bono, eademque necessitate maximum malum inducunt. Porrò quò res ignorata magis necessaria est ad beatitudinem obtinendum, damnationemque vitandam, eò deterior est illius ignorantia. Unde ignorantia eorum, quæ sunt necessaria necessitate medii, majus malum est, quàm ignorantia eorum, quæ solùm sunt necessaria necessitate præcepti; quia illa ex absoluta necessitate privat summo bono, & inducit summum malum; hæc verò non item, quia fieri poterit aliquando, ut talium rerum ignorantia sit invincibilis; in quo casu nil dictorum malorum inducit; sed si sit vincibilis, ea omnia non minori vi inducit, quàm ignorantia rei necessariæ necessitate medii. In re clara ulteriùs immorari non libet.

ASSERTIO III.

Error & ignorantia eorum, quæ ad consilia pertinent, simpliciter loquendo est magnum hominis malum.

Ignorantia cōsiliorum est magnū malum.

6. PROBATUR. Ignorantia eorum, quæ ad consilia pertinent, præcipuarum virtutum exercitio, & consequenter magno beatitudinis æternæ augmento privat. Ergò privat magno bono. Ergò est magnum hominis malum. Et sanè cùm sola æterna sint absolutè magna, magnique momenti, haud dubiè quidquid privat bonis æternis simpliciter loquendo est magnum malum, maximè si privet beatitudine quoad substantiam, cùm sine illa nemo bene esse possit, sed necessariò sit miser.

ASSERTIO IV.

Ignorantia & error eorum, quæ necessaria sunt ad finem vitæ vel privatæ, vel œconomicæ, vel civilis, simpliciter loquendo, est magnum hominis malum. Idem proportionaliter dicendum de ignorantia eorum, quæ ad finem illum augendum, aut completè possidendum aut necessaria sunt aut valde utilia.

7. PROBATUR. Finis vitæ sive privatæ sive œconomicæ, sive civilis est beatitudo tali statui competens, qua qui caret, miserrimus est in illo statu. Ergò error & ignorantia circa ea, quæ ad talem finem sunt necessaria, est magnum hominis malum, cùm privet beatitudine propria talis statûs. Nónne homini doloribus afflicto magnum malum est, ignorare ea sine quibus dolor leniri non potest, & quibus habitis dolor omnis abigeretur? Sanè talis ignorantia censetur causa talis tormenti, & propterea non solùm inducit malum illud positivum, sed eo mediante privat quiete, sanitate, & honesta delectatione corporum, & bonorum corporalium. Ergò talis ignorantia est magnum malum. Sed error aggravare potest malum hoc. Talis esset error, quo homo ille crederet proficuum, quod nocivum est; quia usus talis remedii malum non leniret, sed aggravaret. Idem dicendum de ignorantia & errore eorum, quæ necessaria sunt ad finem vitæ œconomicæ domi, & civilis fori cum contribulibus. Miserum enim est talem vitam degere sine pace, amicitia & subordinatione inferiorum ad superiores, &c. Ergò ignorantia eorum sine quibus hæc haberi non possunt magnum malum est, cùm privet magno bono, magnamque miseriam inducat. Porro eadem ratio proportionaliter procedit de ignorantia & errore eorum, sine quibus perfectio & augmentum horum bonorum haberi nequit. Quæ cùm clara sint, non amplius in illis morandum censeo.

Ignorantia necessariorum ac utilium ad finem vitæ socialis est magnum malum.

ASSERTIO V.

Ignorantia & error circa alia, simpliciter loquendo, non est magnum hominis viatoris malum, sed aliquando, saltem per accidens, utilis est ad felicitatem propriam talis statûs, ideoq; rationem boni induit.

8. PROBATUR primò. Quod non solùm non privat hominem fine ultimo, aut fine vitæ privatæ, vel socialis, sed insuper nullum affert impedimentum ad incrementum felicitatis propriæ talium statuum, simpliciter loquendo, non est magnum malum, cùm non impediat completam beatitudinem statûs in quo homo versatur. Nil enim magnum meritò reputatur, sine quo beatitudo completa acquiri potest, cùm omnia media sive proficua sive nociva suam magnitudinem, si sint pura media (qualia sunt de quibus nunc agimus) à conducibilitate aut contrarietate ad finem assequendum desumant. At ignorantia & error eorum, de quibus Thesis procedit, non privat hominem viatorem suo fine, nec ullum impedimentum affert ad perfectionem illius acquirendam, ut constat ex hypothesi.

Multorum ignorantia non est magnum hominis malum.

Ergò ignorantia & error talium non est magnum hominis viatoris malum. *Viatoris*, inquam, quia status perfectæ beatitudinis in patria omnem errorem, omnemque ignorantiam propriè dictam excludit.

Probatur 2. exemplis clarissimis. Non est magnum malum rustici, qui ad privatam & œconomicam felicitatem tendit, quòd ignoret subtilitates Algebræ, vel Geometriæ, nec quisquam meritò reputat talem ignorantiam esse magnum ejus malum. Similiter non est magnum Regis aut Theologi malum, quòd ignoret multa, quæ rustico illi scitu sunt necessaria. Ratio est, quia per talem ignorantiam non impediuntur à completa consecutione finis, ad quem tendunt. Similia exempla clarissima quivis excogitare potest in omni statu utriusque sexûs, ideoque alia addere supervacaneum censeo.

Nonnullorum ignorantia aliquando est bona homini.

9. Probatur secunda pars. Multa sunt, etiam ad privatos homines spectantia, quæ si scirentur, tranquillitatem ac imperfectam beatitudinem illorum turbarent, invincibiliter autem ignorata eandem fovent & custodiunt. Nec quidquam mali particularis affert illorum ignorantia. Talis est ignorantia mariti de pristina uxoris fornicatione. Talis est ignorantia malevolentiæ ac invidiæ aliorum erga nos; maximè quando invidia illa est merè interna, & nullum malum effectum nobis afferre potest. Expedit enim ista ignorari, cùm illorum ignorantia nil nocumenti afferat, scientia autem eorundem plurimùm nobis noceret in ordine ad finem proprium statûs, in quo vitam degimus. Ergò aliqua ignorantia non solùm non est magnum malum hominis, sed habet speciem boni, & ab amicissimis illius potest desiderari, immo & procurari; quod certè ab amico fieri non posset, nisi aliquam boni rationem haberet. Idem prorsùs dicendum est de errore; quia ad vitam socialem & civilem utile est si maritus optimam opinionem de præterita uxoris integritate habeat, maximè si judicium illud non temerè, sed ex validis ac rationabilibus fundamentis eliciatur. Certè error iste, omnibus inspectis, plus boni affert quàm mali in ordine ad finem vitæ socialis. Ergò habet speciem boni, & secundùm quid bonus reputari debet. Alia ejusmodi exempla sunt obvia.

ASSERTIO VI.

In ordine ad vitam privatam & socialem, error invincibilis aliquando utilior est ac melior, quàm omnimoda nescientia seu ignorantia objecti erroneè crediti.

Error aliquando utilior est quā omnimoda nescientia.

10. PROBATUR. Sit filius, qui invincibiliter putet hunc esse suum patrem. Similiter & pater invincibiliter putet hunc esse suum filium. In hoc casu utilior est filio hic error, quàm si omnimodam ignorantiam seu nescientiam sui patris haberet. Generica enim notio quòd habuerit, aut etiam quòd habeat patrem vivum non suffragatur illi in ordine ad vitam privatam aut socialem, cùm ad neminem habere possit refugium pro necessaria vitæ sustentatione, &c. At, stante errore illo habet ad quem confugiat, & à quo necessaria accipiat. Rursus error patris multis de causis potest illi esse utilior, quàm ignorantia aut dubitatio an iste sit filius. Ratio à priori sumitur à fine vitæ privatæ ac socialis, ad quem quisque ordinatur juxta statum suum. Quia illud, sine quo talis finis obtineri non potest est melius illo, quod tali fini obtinendo obstaculum ponit. At finis talis obtineri non potest sine tali errore, qui supponitur esse invincibilis, & illo mediante obtinetur. Rursus omnimoda objecti illius ignorantia finis dicti acquisitionem impediret. Ergò simpliciter loquendo talis error utilior est ac melior, quàm omnimoda ignorantia objecti erroneè crediti.

ASSERTIO VII.

Ignorantia & error semper sunt mala intellectûs, si ad illum præcisè respiciamus. Et quidem error in plerisq; est majus malum, quàm omnimoda rei ignorantia. Sed in multis error est minus malum intellectûs, quàm omnimoda ignorantia.

11. PROBATUR prima pars. Finis intellectûs est scire verum: ergò scientia veri est finis, ad quem intellectus directè & per se ordinatur. Porro universalis ejus finis & perfectio est nosse omne verum, cujus est capax; finis vero partialis seu particularis est scire quodlibet verum particulare, cujus cognoscendi est capax. Ergò quod privat intellectum scientia veri est malum ipsius, cùm privet ejus fine, ejus bono, imò ejus optimo. At omnis ignorantia & error privat intellectum scientia ejus veri, quod ignoratur. Ergò omnis ignorantia & error est malum potentiæ intellectivæ, si ad illam solùm ejusque perfectionem ac finem respiciamus, neque de hoc ullum esse potest dubium.

Error & ignorantia semper sunt mala intellectûs.

12. Probatur secunda pars. Plurima objecta sunt talia, ut de illis certam scientiam habere possimus si diligentiam adhibeamus. Jam deterius est errare circa talia, quàm illa merè ignorare; intellectus enim per errorem deteriùs disponitur ad veritatem illam cognoscendam, quàm per simplicem ignorantiam, quia hæc est mera privatio, illa autem est forma contraria, quæ absque difficultate expelli non potest, & absque eo, quòd intellectus fateatur se errasse, quod difficulter facit. Præterea omnes turpiùs existimant, hominem errasse in talibus, quàm ea ignorare; quia ignorantia potest esse invincibilis, propter omnimodam incogitantiam, &c. cùm error de illis semper sit vincibilis, cùm per debitam diligentiam superari potuisset. Hoc autem apertè indicat errorem in talibus esse majus malum intellectûs, quàm meram ignorantiam.

Error plerisque deterior est ignorantia.

13. Probatur tertia pars. Multa sunt de quibus non possumus certam cognitionem habere, nec ultra probabilitatem ascendere. Interim multis de causis juvat veritatem illorum investigare, ac quæstionem ipsam post inquisitionem determinare. De istis ergò pronuntio, quòd meliùs sit de illis probabilem cognitionem habere, quàm plenam talium objectorum nescientiam habere, quamvis in illorum cognitione præter spem nos falli contingat. Idque affirmo etiam relatè ad bonum intellectûs præcisè consideratum, nam simpliciter loquendo talis error sæpe melior est, quàm ignorantia, ut in superiore assertione dictum est.

Aliquando error est minus malū intellectûs, quàm omnimoda ignorantia.

Probatur ergò primò, quia melius est de talibus rationabilem discursum texere, quàm instar stipitis hærere, & nil prorsùs de talibus affirmare posse. Hoc & per se patet, & ex communi omnium persuasione verum reputatur; omnes enim suspi-

suspicimus hominem de talibus aptè & solidè discurrentem, quamvis bene sciamus illum in suo judicio decipi posse, & fortè de facto falli. Ratio à priori est, quia ubi certitudo & infallibilitas veritatis non est possibilis, intellectus impeditur à fine suo primario, in quo absque sollicitudine quiescat. Ideoque extendi debuit ad finem secundarium, quæ est veritas non temerè, sed rationabili quamvis fallibili judicio percepta. Hic autem finis non minùs obtinetur per judicium falsum, quàm per verum, cùm intellectus nequeat discernere cognitionem veram à falsa, sed ex æquo quiescat in utraque, quando illas reflexè considerat. Præterea intellectûs est posse solidè ac rationabiliter respondere de quæstione proposita, etiam extra casum certitudinis ac evidentiæ. Similiter illius est posse alios dubitantes dirigere, ac eorum dubia rationabiliter ac probabiliter solvere. Quique hoc præstare potest censetur perfectior in cognoscendo, quàm qui non potest. Præterea error, maximè probabilis & invincibilis, plurima prædicata scientiæ participat; nempe rationem intellectionis, judicii, apparentiæ rationabilis de rei veritate. Illa autem prædicata sunt proprii effectus potentiæ intellectivæ, atque in illa continentur, unde sunt finis secundarius ejusdem, ubi melior cognitio haberi non possit. At pura ignorantia facit hominem hærere instar stipitis, nec ullum prædicatum scientiæ continet, ideoque non est finis, ne quidem secundarius potentiæ intellectivæ. Itaque ignorantia deterior est quàm ejusmodi cognitio per accidens falsa; quia ignorantia non solùm privat scientiâ secundùm prædicatum certitudinis, sed etiam secundùm omnia alia prædicata generica, quibus error invincibilis non privat, sed plurima eorum in se continet, quæ certè, quando melior notitia haberi nequit, spectato fine & inclinatione intellectûs, meritò appetuntur, cùm ignorantia nulla ratione ad finem intellectûs deserviat, sed illi undique & adæquatè opponatur.

13 Probatur secundò. Finis saltem secundarius intellectûs practici est dirigere actus humanos. Ergò cognitio apta ad actus humanos dirigendos continetur sub fine intellectûs practici. At error invincibilis sufficit ad dirigendos actus humanos, cùm illos & humanos, & innocuos citra controversiam efficiat. Immo bonitatem moralem eisdem confert. Ergò error ejusmodi est partialis finis intellectûs. Ergò simpliciter est bonum & non malum illius. *Ejusdē rei confirmationes variæ.*

Confirmatur: Optimum, ad quod potentia post omnem conatum pertingere potest, non potest esse simpliciter malum talis potentiæ, sed debet esse bonum illius; alioquin potentia fuisset malè constituta, cùm post omnem conatum non possit nisi ad suum malum pertingere, sibique suo maximo conatu nocere. At resolutio probabilis, etsi erronea, sæpe est optimum, ad quod intellectus omni suo conatu pervenire potest, ut certum est in casibus innumeris. Ergò talis cognitio non est malum sed bonum intellectûs.

Confirmatur 2. Veritas ipsa objectiva, præcisè sumpta, non respicitur ut bonum, sed potiùs comparatur ut malum intellectûs, quando temerè & absque rationabili fundamento contra argumenta probabilissima affirmatur; nemo enim propter tale judicium laudatur ut sagax, aut prudens, sed contemnitur ut imprudens & stultus. Et ratio est, quia licèt veritas objectiva sit potissimum objectum intellectûs, illud tamen, cùm sit intellectui extrinsecum, non potest esse propria illius perfectio, quæ necessariò est ipsi intrinseca. Finis ergo & perfectio intellectûs consistit in ipsa vitali apprehensione veritatis objectivæ. Si hæc sit certa & evidens, habetur finis ultimus seu primarius intellectûs. Si verò apprehensio vitalis veri apparentis sit rationabilis & invincibilis, illa est etiam bonum intellectûs, sed secundarium. Quod si apprehensio vitalis veri apparentis sit temeraria, illa non perficit intellectum, nec continetur in fine ad quem ordinatur, cùm præstet carere tali judicio quàm illud habere. Et quidem hoc verum est, quamvis tale judicium per accidens sit logicè verum, quia veritas illa logica est denominatio extrinseca, quæ proinde nullam intellectui perfectionem tribuit. Atque hinc.

14. Probatur tertiò. Cognitio probabilis vera est bonum intellectûs, & spectat ad finem illius secundarium. Ergò & cognitio probabilis falsa. Tenet consequentia, quia nil perfectionis est in cognitione probabili vera, quod non reperitur in cognitione probabili falsa, si utraque ab æquali motivo procedat, & à simili voluntatis motu imperetur. Ratio est, quia hæc ipsa, quæ est logicè falsa, potuisset esse vera & è contra? Ergò utraque est æquè perfecta. Ergo utraque æquè perficit intellectum, qui certè à nulla re extrinseca perfici potest. Ergò utraque ex æquo est bonum intellectûs. At certum est quòd judicium probabile verum sit bonum intellectûs, & contineatur in adæquato illius fine. Ergò pariter judicium probabile falsum est bonum ejusdem, & sub adæquato illius fine comprehenditur. *Omne judicium probabile est bonum intellectûs.*

15 Qui hæc ritè ponderaverit, adverteritque ad distinctiones positas, statim perspiciet, Celladeum *in Introductione quæst. 1.* immeritò conqueri, quòd Recentiores in hac materia de ignorantia plurimùm discrepent ab Antiquis. Certè doctrina, quam ego sex istis assertionibus explicui, aut est ipsissima Recentiorum de hac re doctrina, aut certè per omnia illi conformis. At eadem in nullo Antiquorum doctrinæ opponitur, nec Celladeus assignare potest, in quo à communi Antiquorum opinione discrepemus, ut infra apertiùs constabit, cùm ea, quæ ipse contra nos ex illis affert, ponderabuntur. Interim Celladeus ita loquitur in hac quæstione, ut quamvis approbet doctrinam in quatuor prioribus assertionibus contentam, duas tamen posteriores prorsùs rejicere videatur. Ita enim utitur universali ac indefinita loquutione, ut ingens malum in omni ignorantia ac errore latère insinuet. Quare operæ pretium erit singula examinare; quod meo judicio rectè fiet, si doctrinæ illius per modum objectionum contra assertiones stabilitas exponantur. *Recentiores in hac materia non discrepant ab Antiquis.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

16. OBJICIT primò. Inprimis ignorantia & error sunt malum hominis secundùm se considerati, quia privativè vel contrariè privant illum perfectione debita, ad quam naturali appetitu vehementer fertur, quia omnis homo naturaliter scire desiderat. Deinde sunt maximum hominis malum, & cæteris paribus majus malis aliarum potentiarum (præscindimus jam à peccato & malitia morali) quia privant sapientiâ, qua homo discernit inter bonum & malum. Sapientia autem majus bonum est, quàm ea, quibus mala aliarum potentiarum privant. *Sapientiæ 7. Optavi & datus est mihi sensus, & invocavi,* *Malū ignorantiæ & erroris latè exponitur.*

vocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus. & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, super salutem & speciem dilexi illam, &c. Ergò ignorantia & error sunt majus malum, quàm aliarum potentiarum defectus, quia privant majore bono. Præterea visio beatifica est tota merces & beatitudo hominis, ut SS. Aug. & Thomas expresè tradunt. Sed ignorantia & error circa Deum privant hac visione. Ergò sunt maximum hominis malum. Tertiò intellectus est omnium potentiarum nobilissima. Per illum supereminemus brutis, Angelis appropinquamus, Deoque ipsi similes evadimus. Ergò malum intellectûs, scilicet error & ignorantia, est majus malis aliarum potentiarum, nempe malo sensuum exteriorum, virium & salutis, imò & privatione omnium bonorum exteriorum; quia corruptio optimi est pessima. Quartò qui cadit in amentiam majus bonum perdit, quàm quando postea amens moritur, quia amentem mori magis felicitatis est, quàm miseriæ. At amentia, per quam integra vita intellectualis perit, sæpe uno errore contrahitur, ut dicetur in sequenti objectione. Ergò amentia, seu totum malum intellectûs est majus toto malo aliarum potentiarum. Ergò & dimidium illius dimidio horum, & sic de reliquis partibus proportione servata. Ergò ignorantia, per quam intellectus privatur suis actibus, & error, per quem contrariè disponitur, invertiturque, sunt maximum malum hominis in se, & secundùm se. Et sanè si malum hoc videri posset, magis misereremur ignorantium & errantium, quàm pauperum, cæcorum, claudorum, &c. Ita Celladeus §. 1.

Malum intellectûs secundùm quid est minus malo aliarum potentiarum.

Respondeo, hæc omnia sub nimia generalitate exponi, ideoque parùm aut nil conducere ad intentum principale de ignorantia & errore invincibili eorum, quæ per omnem industriam à nobis certò sciri non possunt. Itaque fateor, malum intellectûs esse simpliciter deterius malo potentiarum exteriorum, quamvis secundùm quid à malo illarum excedatur; quia error & ignorantia cruciatum & tristitiam non continent; tristitia autem & cruciatus peculiari ratione excedunt alia mala, quamvis simpliciter possint ab illis superari. His in genere dictis, ad argumenta respondeo. Inprimis sapientia vera, quæ versatur circa media necessaria aut valdè utilia ad vitam æternam, est melior aliis bonis, ideoque, cæteris paribus, ejus privatio est majus malum, quàm aliorum bonorum carentia. Ex hoc autem & aliis in argumento ponderatis veritas primæ & secundæ assertionis optimè stabilitur, sed nil contra duas ultimas affertur. Certè Salomon ipse *Ecclesiastæ 1.* studium scientiæ vocat occupationem pessimam, simulque agnoscit, quòd in illis sit labor & afflictio spiritûs, *eò quod in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam addit & laborem.* Rursus ibidem *cap. 2.* eximium suum sapientiæ & scientiæ studium vanitatem reputat, & laborem inutilem; quod certè relatè ad finem ultimum verissimum est, quia scientia illa, quæ magis inflat quàm ædificat, quæque ad vitam sanctiùs dirigendam non deservit, & est, & meritò reputatur vanitas. Quòd si hoc verum sit de scientiis, quæ sine dubio nobilissima sunt hominis ornamenta, multò magis id verum est de notitia plurium rerum particularium, quarum ignorantia parum aut nil refert, sed aliquando multùm homini prodest, ut ostensum est. Jam licèt non solùm sapientia, moralitatis directrix, sed etiam scientiæ speculativæ, & mathematicæ v. g. meliores sint in se, quàm sanitas corporis, aut exteriora sensuum bona, nihilominus relatè ad hominem anima & corpore constantem, qui proinde multis rebus ad benè se habendum indiget, haud dubiè alia bona simpliciter præferenda sunt: melius enim est hominem corpore sanum esse, atque sensuum exteriorum usum habere sine tali scientia, quàm peritum esse in illa cum sensuum privatione atque continuis valetudinis incommodis. Unusquisque certè meo judicio primum statum secundo prudenter præferret.

Quod præstat in ratione finis postponi debet illi; quod est melius in ratione medii.

17. Ratio est, quia quod in se est alio præstantius in ratione finis, sæpe multum illi cedit in ratione medii; ideoque meritò postponitur rei utiliori, sed minùs præstanti: Sic quia usus sensuum, & indolentia ac valetudo corporis multò utiliora sunt ad benè beateque vivendum, quàm scientia mathematica, ideoque illa huic meritò præferuntur, quamvis hæc illis longè perfectior sit in seipsa. Unde perspicuè sequitur, contra Celladeum, quòd qui videret malum talis ignorantiæ & erroris, non magis misereretur ignorantis talia, quàm cæcorum, languentium, dolentium, &c. sed his præ illis misericordiam impenderet. Si enim in manu alicujus esset alterū solùm illorum sublevare, posteriori potius subveniret quàm priori. Nec dubito, quin Celladeus ipse, si talibus corporis malis vexaretur, præoptaret illis liberari, quàm mathesim adipisci, libentiúsque totâ vitâ mathesi careret cum perfecto sani corporis usu, quàm mathesim callere cum sensuum privatione, & continua corporis dolentia & intemperie.

Qui circa Deū errat, meritò amens reputatur.

18. Objicit secundò. Amentia & stultitia sæpe uno errore contrahitur. Credat quis se regem, & ob hunc errorem amens habetur ac illuditur. Ergò à fortiori amens est & stultus, qui credit se esse Deum. Hæc stultitia & amentia augetur in eo, qui credit Deum esse saxum, quod homine deterius est. Et sanè error iste gentium idolis servientiū in Sacris Literis frequentissimè stultitia appellatur. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, inquit Propheta; & Paulus expresè dicit, *obscuratum fuisse insipiens cor eorum.* Rursus frequenter sapientia hujus mundi vocatur stultitia apud Deum. Insipiens ergò est stultus & amens, qui Deum ignorat. Immo stultior esset qui erraret circa Deum, dicendo non Deum esse Deum, quàm qui diceret seipsum esse alium à se; quia Deus plus est cuique quàm ipse sibi; sine Deo enim miser est; sed si Deum habeat, seipsum & omnia habet, & est beatus. Et sanè primus ac primarius respectus hominis non est sui ad se, aut ad sua, vel ad proximum, sed ad Deum; ideoque potissimum bonum vel malum hominis est, quòd benè vel malè ordinetur ad Deum, à quo solo omnia bona procedunt. Jam homo ordinatur ad Deum in patria per visionem, in via per veram fidem, & veram cognitionem Dei. Et in hac ordinatione totum bonum hominis consistit, saltem ut in radice, sine qua ad Deum rectè ordinari non potest. Ergò ignorantia & error circa Deum, quibus homo privatur vera fide ac cognitione Dei, est maximum malum hominis. Ita Celladeus §. 2 ubi pluribus comparationibus miseriam hominis Deum ignorantis, & circa Deum errantis declarat, & tandem acriter carpit Theologiam cujusdam (quem *opiniosissimum* vocat) eò quòd Deum ejusque visionem non inter

ter bona hominis necessaria, sed delitiosa numeraret.

Respondeo, hæc omnia nil probare contra posteriores assertiones, sed validè confirmare priores, ut per se patet. Cæterùm verissima sunt, quæ Sacra Scriptura contra Idololatras enunciat; verè enim stulti sunt & insipientes, qui Deum verum non norunt, sed honorem illi debitum Idolis tribuunt; errant enim circa finem ultimum, idque culpabiliter, quo major insipientia seu stultitia esse non potest in sensu, quo sacer textus has voces usurpat. Neque tamen sequitur, eos esse amentes in sensu Celladei, qui in eo palam deceptus est, quòd dixerit, amentiam sæpe contrahi per unum errorem, quia causam cum effectu confudit. Non est error, qui facit amentem, alioquin omnis errans esset amens, sed aliquis error arguit amentiam; eò quòd veritates nonnullæ adeo patentes sint, ut à nemine ratione utente negari possint. Talis est error, quo miser mendicus se regem reputaret; nemo enim nisi amens in talem errorem cadere potest. Itaque amentia consistit in cerebri intemperie, ratione cujus homo ad ratiocinandum & debitè intelligendum ineptus redditur. In hac intemperie, major est vel minor, & ad absurdiora aut minus absurda dicenda extenditur, prout cerebri intemperies major est vel minor. Præterea error logicus in hoc casu impertinenter se habet ad amentiam indicandam; non enim minùs amens esset ille pauper, quamvis jus regni ad illum verè pertineret, modò potiorem ad illud affirmandum rationem non haberet, quàm alter, qui omni ad illud jure & juris apparentiâ careret. Ergò & falsum dixit Celladeus, & illud ut proprium errori attribuit, quod ex æquo propositioni logicè veræ competit. Competit inquam, modò dicamus amentes revera propositiones & judicia formare; quia nisi hoc concedatur, nullus errori tali locus datur.

Celladeus erroris arguitur.

Ex hoc patet, Idololatras ita esse stultos ac insipientes juxta sensum Sacræ Scripturæ, ut tamen non sint amentes in sensu, quem Celladeus exprimit, quia error circa Deum non est talis, qui elici non possit, nisi post eam cerebri intemperiem, quæ hominem ad ritè discurrendum & intelligendum reddit ineptum.

Excusatur Theologus, quem Celladeus carpit.

19. Quantum ad Theologum illum attinet, haud credo, illum simpliciter docuisse, Deum non esse bonum absolutè homini necessarium; nimis enim patens est, hominem sine Deo creatore, conservatore, & cooperatore nec esse, nec operari, & multò minùs benè esse posse. Immò puto eum non negasse Deum, etiam in ratione objecti cogniti, numinis culti ac amati, esse homini simpliciter necessarium, cùm sine tali cognitione & amore nulla hominis beatitudo, ne quidem naturalis, possit consistere. Existimo ergò, eum aliud non dixisse, quàm claram Dei visionem, non esse bonum homini simpliciter necessarium, sed solùm delitiosum, quod sine dubio verissimum est, quia absque tali visione dari potest naturalis beatitudo ordinis longè inferioris, qua homo simpliciter felix esset & benè se haberet, sine summo illo gaudio, quod ex clara Dei intuitione procedit.

Civitas quid sit?

20. Objicit tertiò. Homo ex natura rei est animal sociale, cùm sibi non sufficiat, sed plurium civitatem constituentium consortio indigeat. Civitas autem est collectio hominum vita sociali conjunctorum sibi sufficiens, cùm unus alterius indigentiam sublevare possit. Ex hoc respectu hominis ad proximum & ad rempublicam colligitur, quantum malum sit ignorantia & error. Melius enim esset solitarium vivere, quàm socios habere ignorantes, qui opem ferre non possent, & multò magis quàm errantes, qui loco proficuorum noxia præberent. Nónne præstaret nullum, quàm malum medicum habere? Idem dicas de aliis artificibus. Ergò ignorantia & error est maximum homini malum, cùm privet bono sociali, sine quo homo nequit subsistere. Hæc & hisce similia fusè, & concionatoriè magis quàm Theologicè prosequitur Celladeus §. 3.

Complexũ errorũ sæpe impedit cõmoda vitæ socialis.

Respondeo, suppositionem aliquam fieri posse de ignorantia & errore, per quam omnia necessariò inverterentur, & longè præstaret hominem solitarium quàm sociatum vivere. Unde sequitur, talem ignorantiam & errorem, adæquatè sumptum, esse magnum hominis malum. Cæterùm ex natura rei fieri non potest, ut detur in republica talis ignorantia & error, alioquin respublica eo ipso non esset respublica, cùm non esset congregatio hominum sibi sufficiens, ut patet. Itaque tales suppositiones ad ignorantiæ & erroris nobis inevitabilis malum probandum nil conducunt. Itaque si homo comparetur ad proximos, ut pars ad totam rempublicam, fateor, errores & ignorantias circa media necessaria ad finem & perfectionem talis vitæ esse malum simpliciter magnum; sed cum hoc stat, alias ignorantias & errores non esse magnum hominis malum. Itaque contenta in objectione rectè confirmant assertionem quartam, sed non improbant, & ne quidem tangunt sequentes.

Errores aliqui non impedirent cõmodum vitæ civilis.

21. Cæterùm quamvis errores, aliqui determinatè assignabiles huic hominis fini de facto plurimùm obsint, fingi tamen potest errorum ordo, qui nulla ratione reipublicæ statum turbaret. Quid stultius & magis improportionatum, quàm si calceos crederet esse galeam, & galeam calceos? finge tamen omnes existimare, galeam calceos esse, & calceos galeam; sed simul finge omnes pariter existimare, caput esse pedes, & pedes caput. In hoc casu errores isti, etsi maximè absoni, ad vitam civilem nil impedimenti afferrent; qui enim putaret se indigere calceis, non calceis sed galeâ indigeret, idemque petens calceos galeam acciperet, atque illo, ut verè indiget, caput defenderet. Quod ergò mala maxima in ordine ad finem istum ex ignorantia & errore proveniant, non oritur præcisè ex vi ignorantiæ & erroris, quia errore aucto nil tale eveniet. Ex eo ergò oriuntur, quòd aliqui errent & alii non errent, ideoque fieri nequit, ut sciens errantis petitionem impleat, quin magna deordinatio & partium reipublicæ nocumentum sequatur. Et sanè ut videas errorem, qui de facto nocet, nullo modo nocere, si universalis fiat, conjice oculos in monetam falsam. Si privatus homo putet illam esse legitimam, multum sibi nocet res suas pro tali moneta commutando, quia æquivalentia recipere non poterit ab aliis, qui monetam falsam esse sciunt. Sed si omnes omninò fallerentur, nil detrimenti ex universali illo errore in vitam civilem proveniret, in quam certè nullis in casibus plurima commoda ex peculiaribus ignorantiis & erroribus proveniunt, ut ostensum est *assert. 5. 6. & 7.*

Error aliquis, qui nocet, non noceret, si esset universalis.

Ignorantia quomodo mater omnium malorũ dicatur.

22. Objicit quartò. Ignorantia, *distinct. 38. cap. ignorantia*, quod *ex Concil. Tolet. 4.* desumptum est, cunctorum malorum mater appellatur. Nec mirum, quia ignorantia & error virtutibus privat, & cuncta vitia inducit. Privat virtutibus, quia

quia voluntas rationi erranti concordans non est bona, ut cum S. Thoma probatum est, inquit Celladeus, *in prima parte*, inducit mala, quæ dum ignorantur, facilè patrantur; & quod plus est liberrimè fiunt, quando creduntur bona. Constat autem omnia fermè mala ab hominibus, etiam qui sapientes habebantur, proposita fuisse ut licita. Quin & Deos falsos pro vero Deo colendos totus fere mundus est arbitratus. Ergò ignorantia & error est maximum hominis malum. Ita Celladeus § 4.

Respondeo, hæc eodem vitio, quo reliqua laborare. Probant quidem priores assertiones, sed tres posteriores, de quibus solis difficultas procedit, non tangunt. Admittitur ergò, quod ex Concilio Toletano affertur, quia omnis peccans est ignorans, ideoque nil mali moralis umquam patratum fuit, quod aliquo modo ab ignorantia non processit. Quod autem additur, distinctione indiget: si ignorantia & error sit vincibilis, & virtute privat, & peccatum inducit; si verò error sit invincibilis, non solùm excludit peccatum, sed etiam virtutem fundat, ut *quæst. 3.* ex Sancto Thoma aliisque contra Celladeum efficacissimè probatum est.

Ignorantia rectè cohæret cû maxima gravitate peccati.

23. Objicit quintò. Primum protoplastorum peccatum, quo totus mundus miseriis impletus est, ex ignorantia & errore ortum traxit. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, teste Paulo, *1. ad Timoth. 2.* Deinde Eva se excusavit *dicens, serpens decepit me.* Nec mendacii à Deo redarguta fuit. Auctores *in 2. dist. 22. & 23.* hanc seductionem non tam de culpa, quàm de errore, quo verum credidit quod dæmon suggesserat, exponunt. Sed & Magister ex Augustino docet; Adamum deceptum fuisse circa culpam, *eò quòd commissum veniale putaverit, quod peremptorium erat*, quamvis S. Thomas *2 2. quæst. 164. art. 4. ad 3.* veniale de facilè remissibili interpretetur: sed sic etiam magnitudinem culpæ ignoravit, credens illam minorem, quàm fuit. *Cohorrui*, inquit Celladeus, *etiam ipse, harum inscius rerum, ubi quendam textum Augustini perlegi: tantum quippe, quantum existimatur, & nil plus peccari, arbitrabar.*

Christus ex ignorantia crucifixus est.

Sed & qui Christum Crucifixerunt, ingens scelus patrarunt; cùm tamen ignorantes id fecerint. Christus de cruce hoc testatus est. *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Similiter S. Petrus *Act. 3. & nunc fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.* Et Paulus *1. ad Corinth. 2. si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Persecutiones Ecclesiæ ab ignorantia sunt ortæ.

Omnis ferme Ecclesiæ persecutio ex ignorantia & errore orta est. Paulus testatur, se ex ignorantia persecutorem fuisse; & Christus *Ioan. 16.* similia prædixit dicens. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Gesta Martyrum memorant, Christianos pro Magis habitos, illorumque legem pro superstitione & stultitia deprædicatam fuisse. Ecce quantam cladem Ecclesiæ intulit ignorantia & error! Crevit tamen inter mortes Ecclesia, sed inter hæreses adeo decrevit, ut ingens pars mundi ad errores hæreticorum, & Mahumetis deflexerit quàm deplorandos erroris effectus!

An ignorātia sit bellorum causa?

Magnum dictu est, tamen verum, nullum aut vix ullum saltem inter fideles bellum futurum, si nulla foret ignorantia & error. Potest Princeps, etiam fidelis, contra exploratum jus bellum movere, sed id aut numquam aut rarò contingit. Sed contingere nequiret, si subditis belli injustitia esset perspecta. Sicut enim constat, subditos militantes non teneri belli causas ac justitiam nosse, sed Principi suo credere & parere posse ac etiam teneri; ita certum est, eos licitè bellare non posse, si de belli injustitia certò constaret. Difficile autem est & moraliter impossibile, quòd exercitus Christianorum reperiri possit, qui contra conscientiam bello notoriè injusto militaret. Eadem doctrina, proportione servatâ, extenditur ad aliorum bella, quæ rarissimè contingerent, & diù non durarent, si omnibus de aperta belli injustitia constaret. Bellum autem est malum non unius personæ, sed omnium, & totius reipublicæ eversivum. Hoc ingens malum ex ignorantia & errore aut semper aut plerumque illatum est. Ita Celladeus §. 5. ubi terminat *quæst. 1.* quæ certè magis Concionatorem, quàm Theologum decuisset, cùm res ad pompam, sine debita distinctione, non ad exactam veritatem proponantur.

Respondeo. Seductio Evæ, error Adami, si quem ante peccatum incurrit, sicut & ignorantia crucifigentium Christum, ob singulares planè ac peculiarissimas circumstantias cuique docto obvias, singulari nomine maximè culpabilis erat, ideoque peccata verè horrenda, ab illis commissa, excusationem nullam ex hoc capite, sed potiùs gravamen accipiunt, cùm ignorantia eorum in omnibus aut in multis non solùm crassa & supina, sed quodammodò affectata fuisse videatur. Idem dicendum proportionaliter de iis, qui Ecclesiam persecuti sunt, & multò magis locum habet in Hæresiarchis, qui olim fideles, & Ecclesiæ, lucis, ac veritatis filii fuerant, sed in tenebras impetu prorsùs miserando se conjecerunt. Cæterùm quidquid de istis dicitur, optimè probat priores, sed posteriores assertiones non impetit, ut patet.

24. Cæterùm miror ego prætensum Celladei horrorem; dicit enim se existimasse (alludit autem non ad adolescentiæ annos, sed ad tempus etiam maturæ ætatis, quando consummatus jam Theologus benignæ sententiæ ita inhærebat, ut, sicut expressè declarat in prima parte, nil contra eam dici pati posset) *tantum peccari, & non amplius, quantum quis se peccare existimat*; verùm tantum abest, ut tunc ita existimaret, ut probè sciret, conscientiam vincibilem non excusare, ideoque cum omnibus teneret, operationes creditas bonas, sæpe bonas non esse, sed malas. Rursus sciebat, quòd duæ essent opiniones contradictoriæ, quarum altera affirmat, altera negat malitiam peccati esse infinitam; alterutram harum opinionum veram, alterutram autem falsam esse sciebat; unde latère illum non poterat, quod magnitudo peccati suam ab opinione operantis mensuram non semper acciperet, quia alteruter taliter opinantium, & stante illa sua opinione actuali operantium, plus aut minus peccat, quàm putat se peccare. Hæc & hisce similia tunc bene sciebat Celladeus; & quidem ita de illis loquitur, atque illa in prima parte tanta vi objicit, ut nemo non judicet illa ab ipso ut notissima haberi, sicut haud dubiè doctis omnibus sunt obvia. Aliud proinde dicere non possum, quàm quòd hoc loco oblitus eorum, quæ *in prima parte* dixit, sibi ex oblivione contradixerit. Nec à contradictione se tutari potest, nisi dicat, se jam Theologum maturum aut doctrinas à me positas ignorasse, quod non est credibile, aut eas ut notorias contra benignam sententiam non objecisse, quod est apertè falsum.

Celladeus impugnatur.

Celladei contradictio.

Stet

Stet ergò eum in hac parte contradictionis reum esse.

Præterea non erat cur ad illud Augustini dictum horreret, ille enim nil ibi aut dicit aut insinuat, quòd notoriis, & universaliter receptis doctrinis non sit conforme, ut patet.

Genuina bellorum causa nō est error, aut ignorantia.

25. Mala reipublicæ bello illata absurdè tribuuntur errori & ignorantiæ, tamquam genuinæ illorum causæ, cùm certò constet, ea non præcisè ab errore, sed opinionum ac affectionum diversitate pendêre; dum enim utraque pars putat se jus habere, ac utraque omni conatu jus suum sibi vendicare studet, bellum indicitur, & cum reipublicæ nocumento geritur. Sanè si omnes circa jus prætensum uniformiter errarent, & sicut hi falsò credunt jus ad se non ad alios pertinere, sic alii falsò judicarent non sibi sed aliis jus favere, per hoc ipsum bella non minùs cessarent, quàm si omnes in veritate scienda convenirent. Ergò non est cur bella magis tribuantur errori quàm veritati. Et sanè neutri ut causæ totali, sed utrique ut causæ partiali tribuuntur. Itaque per hujusmodi exempla Celladeus suæ causæ malè consuluit.

26. Nec tantùm malè consuluit causæ suæ, sed eam prorsùs pessumdedit, sibique ac principali suo intento apertè contradixit. Ait enim, & rectè, subditos in dubio & posse & debere suo Regi obedire, & ad bellum procedere. Unde sic infero. Ergò ignorantia plurimùm emolumenti subditis militantibus affert. Per illos enim bellum geritur, & omnia belli mala per illorum operam inducuntur. Ignorantia autem facit, ut illa quamvis mala sint & injusta, à militibus non solùm sine peccato, sed etiam honestè patrentur. Ergò talis ignorantia de facto multum prodest, cùm maximam reipublicæ partem in rebus materialiter malis à peccato excuset, & quod plus est honestam obedientiam fundet, quia obligationem ad eam præstandam inducit; quod autem fit ad exigentiam obligationis, sicut absque peccato omitti nequit, sic cum honestate & merito exhibetur. At hoc toti intento principali, atque etiam expressæ Celladei doctrinæ in hac ipsa quæstione contradicit. Quia intendit probare nil boni sed plurimum mali per ignorantiam & errorem induci, hîc autem per unius tantùm rei ignorantiam maxima & universalissima reipublicæ mala excusat & honestat; quia omnes fermè milites, in causa etiam injusta, & excusantur & bellando benè faciunt. Ergò quod tradit de militum excusatione intento principali ipsius, & doctrinæ hujus quæstionis contradicit. Celladei contradictio.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-PRIMA.

Vtrùm necesse fuerit, ignorantias & errores à Deo prohiberi.

1. De hoc argumento tractat Celladeus *parte 2. lib. 1. quæst. 2.* Eum ego comitari decrevi, ut quæ vera sunt approbem, & quæ à vero deflectunt rejiciam; idque facio, non quòd quæstio aut peculiarem difficultatem habeat, aut multùm ad præsens institutum faciat, sed quia ipse magnum in ea, ut in principio ad suum contra nos intentum maximè conducibili, vim ponit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

Plena & absoluta ignorantia nulla lege prohiberi potest.

Plena ignorantia non potest prohiberi.

2. Probatur. Lex, ut vim habeat, promulgari, intimari, subditisque applicari debet, alioquin neminem dirigere ac obligare potest. Ergò nulla lex plenam & absolutam ignorantiam prohibere potest. Alioquin ligaret, & dirigeret antequam promulgaretur, subditisque intimaretur ac applicaretur, quia ipsa promulgatio, intimatio ac applicatio legis, est aliqua notitia, quæ vi legis obligantis non inducitur, sed aliundè habetur. Ergò plena ignorantia prohiberi non potest.

Præterea plena ignorantia significat carentiam omnis omnino cognitionis. At homo carens omni cognitione non est liber, & consequenter non est capax præcepti. Ergò nemo capax est præcepti prohibentis plenam ignorantiam.

ASSERTIO II.

Nulla lex potest directè prohibere plenam ignorantiam aut sui, aut objecti quod prohibet.

3. Probatur. Plena ignorantia legis, aut objecti per legem prohibiti, evidenter tollit omnem promulgationem, intimationem, & applicationem legis; hæ enim in aliqua legis & objecti prohibiti notitia consistunt, nec inducuntur vi legis antecedenter obligantis, ut patet. Ergò non possunt directè præcipi per legem, qua ad ipsam legem implendam obligamur. Nulla lex prohibet plenam sui ignorantiā.

Confirmatur. Nulla lex directè reflectit supra seipsam, sed solùm fertur in objectum à se distinctum. Ergò nulla lex directè præcipit cognitionem sui ipsius, seu directè prohibet ignorantiam sui,

sui, quia illud solùm directè prohibetur per legem, quod lex in mente legislatoris repræsentat, & ad quod voluntas ipsius extenditur.

ASSERTIO III.

Nulla lex potest directè præcipere cognitionem, aut sui, aut objecti sui, absolutè necessariam ad subditum proximè obligandum.

Lex nō potest directè præcipere cognitionē sui.

4. PROBATUR eodem modo. Notitia legis, & objecti quod lex exigit, absolutè necessaria ad subditum obligandum non sequitur obligationem subditi, sed vel ad illam præsupponitur, vel certè eam constituit. Ergò talis notitia non potest inferri vi legis ad illam obligantis; alioquin obligatio ad illam ex obedientia ponendam præcederet. Ergò ante talem cognitionem haberetur notitia legis & objecti præcepti sufficiens ad subditum obligandum; quod est contra suppositum.

ASSERTIO IV.

Ignorantia aliqua, & error, circa res à lege obligante distinctas, possunt directè prohiberi per legem.

Aliqua ignorantia directè prohiberi potest.

5. PROBATUR. Idem est ignorantiam aliquam & errorem circa talia prohiberi, ac scientiam seu cognitionem vel fidem de illis præcipi. At cognitio seu fides multorum præcipitur. Sic de facto obligamur credere iis, quæ Christus revelavit. Ergò ignorantia aliqua & error circa illa prohibetur. Dixi *ignorantia aliqua*, non omnis, quia plena ignorantia seu incogitantia de lege & ejus objecto præcipi nequit per illam ipsam legem, ut ostensum est. Itaque aliqua saltem apprehensio legis & rei præceptæ non est effectus obligationis. Talis autem apprehensio rei præceptæ opponitur plenæ ejusdem ignorantiæ, ut patet.

Errores prohiberi possunt.

6. Cæterùm si de errore loquamur, res est clarior, quia Ecclesia anathema dicit contra omnes, qui erroribus ab illa damnatis assensum præbent. Ergò Ecclesia prohibet tales errores. Sed & Christus ipse jussit nos falsis Prophetis non credere. Ergò Christus manifestè prohibuit fidem falsam, seu errorem.

Exemplum S. Pauli rem totam ob oculos ponet. Christus apparens illi propè Damascum, jussit illum ingredi civitatem, prædixitque ibidem dicendum ipsi, quid illum facere oporteret. Vi hujus mandati Paulus obligabatur illis credere, quæ ipsi dicenda erant, quæque in particulari ignorabat, quamvis in generali jam sciret aliqua ipsi dicenda, & se debere illis fidem dare. Ergò vi hujus mandati tenebatur ignorantiam illam particularem depellere, & media ad illam depellendam adhibere, quia fides eorum erat res per mandatum illud directè præcepta. Cæterùm generalis notitia rerum dicendarum, quæ opponebatur ignorantiæ talis notitiæ, non poterat præcipi per illud mandatum, sed antecedenter ad ejus obligationem inducebatur. Ergò mandatum illud ità directè prohibebat ignorantiam rerum ipsi dicendarum, ut tamen nullo modo prohiberet ignorantiam sui, aut plenam ignorantiam objecti præcepti, incompossibilem cum instructione sufficiente ad sciendum, se obligari ad fidem rebus dicendis præbendam. Ecce uno exemplo veritas omnium harum assertionum redditur clarissima.

7. Atque hinc sequitur, legem aliquam sufficienter proponi posse per cognitionem, quæ ab illa lege præcipi non potest, vi cujus obliget ad clariorem sui cognitionem, eaque mediante ad totius operis executionem. Hoc enim manifestum est in exemplo allato; quia Deus per voluntatem suam Paulo intimatam obligabat eum, & ad audiendum dicenda, & ad illis obediendum. Ergò mandatum illud obligabat ad clariorem sui notitiam, & ad omnia clarè scita executioni mandanda. Sed prima hujus legis notitia sub obligationem cadere non poterat; constat enim ex dictis, primam legis notitiam sub talis legis obligationem cadere non posse.

Positâ notitiâ confusâ, obligari possumus ad clariorē procurandam.

ASSERTIO V.

Congruum fuit, & moraliter saltem necessarium, ut Deus homini lapso ignorantias aliquas & errores prohiberet.

8. PROBATUR. Idem est cognitiones veras præcipi, ac ignorantias aliquas & aliquos errores prohiberi. Sed congruum, immò moraliter necessarium fuit aliquas cognitiones veras homini lapso præcipi. Ergò & ignorantias ac errores illi prohiberi. Probatur minor. Non debuit homo lapsus sine lege dimitti. Ergò obligari debuit, saltem ad Deum colendum, & ad ea scienda, quæ ipsi absolutè necessaria erant ad salutem, modò absoluta eorum notitia non esset illi indita independenter à lege obligante. At certum est, quòd absoluta & clara eorum notitia illi indita non fuerit. Ergò necesse fuit, ut, mediante confusa aliqua & prævia cognitione eorum, obligaretur ad ea scienda; & consequenter ad depellendam ignorantiam & errorem tali scientiæ contrariam; quia sine illis, nec Deum debitè colere, nec ad finem suum pervenire poterat.

Aliæ ignorantiæ debuerūt prohiberi.

Hæc tamen omnia ita intelligenda sunt, ut prima legis aut objecti præcepti notitia per nullam legem præcipi potuerit; ignorantia enim aliqua auferenda est, seu aliqua, & quidem sufficiens legis notitia ponenda est priùs quàm lex quemquam obligare possit.

9. Hæc videntur satis perspicua, & abundè sufficiunt ad resolutionem quæstionis generaliter propositæ, quia non est hujus loci quærere in particulari, quæ ignorantiæ, & qui errores aut possint aut debeant prohiberi. Cæterùm Celladeus adeo in abstracto, ac in universali hoc loco discurrit, ut difficile sit discernere, quid velit. Eò tamen, quantum colligere potui, collimat, ut plenam legis ignorantiam per legem prohiberi velit; nisi enim hoc probet, quæstiones istæ ad illius intentum nil conducunt. Ut autem hoc probet, generalissima ignorantiæ & erroris notione usus, contendit aliquas ignorantias & errores & potuisse & debuisse prohiberi; unde infert, ignorantiam & errores circa legem esse etiam per legem prohibitos. Sed doctrinam ejus promamus.

Quid Celladeus in hac quæstione prætendit?

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Quæ legis ignorantia prohibeatur, per legē juxta Celladeum.

10. OBJICIT primò. Ignorantiæ & errores sunt majus malum hominis tam quoad se, quàm quoad Deum, & proximum, quàm furta, homicidia, mendacia, ut satis constat ex quæstione superiore. Sed illa mala minora ad rectum hominum regimen prohiberi debuerunt. Ergò à fortiori necesse fuit errores & ignorantias prohiberi.

Confirmatur. Prohibitio reliquorum vim & effectum habere nequit, non prohibitâ ignorantiâ & errore; lex enim & prohibitio media sui cognitione effectum & finem suum consequitur, nempe vitationem mali prohibiti. Ergò lex prohibens mala, jubet sanè sui cognitionem, prohibetque proinde ignorantiam, qua effectus impeditur, & multò magis errorem, quo mala illa tamquam bona & præcepta perpetrantur. *Nam in debito faciendi (ut rectè Suarez de Censuris disp. 4. sect. 8. num. 15.) intrinsecè includitur debitum sciendi.*

Ratio est, quia sicut intentio finis est virtualis saltem amor mediorum, & odium impedimentorum; ita voluntas præceptiva vel intentiva boni virtutis est voluntas eorum, quæ sunt necessaria ad virtutem, & odium impedimentorum. Nam voluntas jubens bonum, & permittens impedimentum stulta esset, & secum pugnaret. Sic si quis obligetur ad Sacrum audiendum, non potest illi permitti, ut maneat domi, ubi Sacrum non peragitur. At ita se habet ignorantia & error ad omnia præcepta. Ergò eorum ignorantia & error licita esse nequeunt; alioquin optimum ad innocentiam compendium omnium ignoratio foret; & ad hoc nitendum esset, ut lex omnis ignoraretur, omnisque ejus memoria à corde nostro raderetur.

Fieri quidem potest, ut malum prohibitum citra legis notitiam vitetur. Sed illud casuale erit, & præter providentiam legislativam, cujus est subditos dirigere. Ergò ut mala illa tum certiùs, tum sæpiùs, tum etiam ex legis directione vitentur, ignorantia & error prohiberi debet, sicut reliqua impedientia. Atque hinc est, quòd magna pericula violandi legem, legis ipsius extinctio, ac similia per legem ipsam prohibeantur.

Miranda proinde inscitia illius, qui fidentissimè ausus est quærere, quonam Decalogi præcepto opinionum probabilium usus prohibeatur? Obvium enim est, omnes falsas opiniones in unaquaque materia esse prohibitas, præcepto circa illam materiam lato, tamquam impedientes & frustrantes finem & effectum præcepti. Dicat Theologus iste quo Decalogi præcepto prohibitum sit, ne quis ex omnibus libris radat quod scriptum est, *non Mœchaberis?* Hæc sanè lex non dicit, *Ne me deleas*, sed dicit, *non Mœchaberis*. Leges latæ sunt, ut serventur. Hoc autem impeditur falsa opinione & errore, qui aliquando totam civitatem, aut regnum pervadit. Ita Celladeus *quæst. 2. §. 1.*

Nullitas argumenti ostenditur.

Respondeo, consequens argumenti ex antecedente non inferri: mala enim illa, etsi minora, prohiberi debuerunt, quia aliter vitari non potuissent; at ignorantia & error de lege illa vetante independenter à lege removeri potuit, ac debuit. Ergò quamvis ignorantia & error sit majus malum, quàm furta, & homicidia, non sequitur illa prohiberi debuisse sicut ista, aut etiam potuisse. Sufficit enim ad intentum legislatoris & ad finem legis, si impediantur, quamvis ex obligatione legis non arceantur. Hæc quidem verissima sunt, si sermo sit de omnimoda ignorantia legis, & rei per illam vetitæ, quibus tamen non obstantibus, verum est, multas ignorantias & errores per leges prohiberi; verùm illæ ignorantiæ sunt materia seu objectum legis, à lege vetante distinctum, alioquin per illam directè prohiberi non possent, sicut absoluta legis ignorantia per ipsam legem prohiberi nequit.

An & quomodo debitum sciendi involvatur in debito faciendi?

11. Unde respondetur ad confirmationem, legem habere vim & effectum, etsi sui ignorantiam non prohibeat, quia legislatoris est providere & efficere, ut notitia legis aliâ viâ inducatur, quàm per ipsius legis obligationem, cùm per hanc induci nequeat. Itaque lex prohibens mala non prohibet sui ignorantiam, sed præsupponit sui cognitionem alia vi esse inductam. Dictum illud Suaris est verissimum, sed ille ibi expressè loquitur, juxta sensum *Assertionis quartæ*, de homine aliquod officium aut statum suscipiente, cui multa onera sunt annexa; manifestum enim est, neminem tali statui satisfacere posse, nisi suas obligationes noscat. Cùm ergò antecedenter generaliter sciat, se multa debere facere, utique in tali debito faciendi intrinsecè involvitur debitum sciendi, quia ex eadem lege, qua scit se ea debere facere, quæ nondum explicitè novit, obligatur ad ea discenda, ut sic suam obligationem impleat. Cæterùm si ante statum initum de omnibus claram cognitionem haberet, debitum sciendi non involveretur in debito faciendi, sed absoluta omnium scientia præsupponeretur ad omne debitum faciendi. Cæterùm nec Suarez, nec ullus loquitur in sensu priorum assertionum, ideoque nemo favet Celladeo, qui sine sufficienti fundamento illas impugnare videtur.

Nullitas confirmationis Celladei.

12. Eadem æquivocatio latet in ratione, quam confirmationi subjunxit; nam legislator & lex prohibens malum non permittit impedimentum finis, sed illud removet per intimationem legis. Verùm illa intimatio per obligationem legis induci nequit, ut patet. Unde nulla est paritas in exemplo; nam qui præcipit auditionem Sacri, dum manifestat præceptum, manifestat se velle impedimenta audiendi Sacri amoveri, ideoque non permittit illa, sed ea vetat. At si sermo sit de ipsa legis notione, illius ignorantia per legem prohiberi non potest, sed est impedimentum aliâ viâ auferendum, & aliis viis semper aufertur.

Defenditur Theologus, quem Celladeus inscitiæ arguit.

13. His positis sequitur Theologum illum, quem Celladeus mirandæ inscitiæ arguit, non inscitè, sed non minus sapienter quàm confidenter petiisse, quo Decalogi præcepto opinionum probabilium usus prohiberetur? Noverat ille primò, benignam sententiam esse reflexam, & considerare res opinioni probabili substantes in ordine ad circumstantias diversas ab eis, quas opinio directa contemplatur; ideoque noverat res illas non esse hic & nunc prohibitas vi ullius legis Decalogi, quamvis contingat, opinionem directam esse falsam. Unde acutè & efficaciter quæstionem illam movet, cui certè Celladeus non respondet, & ne quidem tangit id, in quo præcipua difficultas vertitur.

Noverat secundò, errores invincibiles, saltem quà tales, nullo Decalogi præcepto esse prohibitos. Et hoc ipsum Celladeus fatetur; quia cùm peccata nec sint nec esse possint, nullo præcepto prohibentur. Rursus noverat omnem opinionem certò practicæ probabilem actu animam informantem, aut veram esse, aut esse invincibiliter

liter erroneam. Unde rectè intulit, usum illius non repugnare Decalogo, & meritò petiit, cui illius præcepto repugnaret. Atque hîc inconsequentia & contradictio Celladei notanda est. Mala contra intentum legis æquè patrantur per errorem invincibilem, ac per alium quemvis. Et tamen lex, quæ prohibet illa mala non prohibet errorem invincibilem. Ergò non prohibet omne medium inferens mala, quæ vetat. Ergò inconsequenter loquitur, & propria argumenta solvere tenetur. Præterea sibi contradicit, dum multis in locis expresse asserit, errorem invincibilem non esse peccatum, nec prohiberi à lege; hic autem contendit, omnem errorem per quem rei præceptæ positio impeditur, esse prohibitum per illam ipsam legem, & esse peccatum.

Celladei cōtradictio.

Noverat 3. ille Theologus, magnam diversitatem esse inter legem certam & dubiam; illam obligare, hanc non obligare noverat. Noverat etiam, omnem legem probabiliter non existentem dubiam esse, & non sufficienter promulgatam. Unde meritò petiit, qua lege usus probabilium prohiberetur? Nec satisfacit Celladeus dicendo, unamquamque legem prohibere omnes opiniones falsas de illius materia, sive strictas sive laxas; quia etsi hoc verum esse concedatur pro casu, quando veritas certò sciri potest, eò quòd, lege semel sufficienter intimata, obligemur ad dubia de lege diligenter excutienda, ideoque teneamur veritatem invenire, quantum humano modo inveniri potest. At si veritas non possit certò inveniri, sed lex maneat incerta, nullum est jus prohibens decisionem probabilem, etsi fortasse contingat illam esse falsam; quia jus dubium nullam obligationem inducere potest, ut in superioribus fusè ostensum est. Hæc noverat Theologus ille, qui citò respondisset Celladeo, legem naturæ dictare Deum nolle, leges à se latas per nostram industriam ab hominum cordibus, aut è Sacris Libris eradi, sed velle, ut quisque juxta suum statum alios illas doceat. Nec de hac lege quisquam dubitat, sive illa sit peculiaris lex reflexa, sive ipsa directa lex à Deo lata. Jam quòd legis certæ impletio opinione & errore impediatur, magnum malum est; sed quòd legis incertæ observatio non vigeat, quando certò probabile est legem non dari, malum non est, quod ulla lege prohibeatur, aut prohiberi mereatur, ut ostensum est *quæst. 3.* Itaque in priori casu ignorantia & error non sunt licita, nec adhiberi possunt ut media ad innocentiam, cùm sint media absolutè prohibita & certò mala. At error & ignorantia in secundo casu, cùm sint invincibiles, à peccato excusant, innocentiam servant, & opus bonum fundant.

Deus exigit, ut notitia legum suarū in mentibus nostris vigeat.

14. Objicit secundò. Præcipuum, quod hîc intenditur, est probare, quòd leges omnes sui ignorantiam, & multò magis sui errorem prohibeant. Hoc autem ex eo probatur, quòd Deus tantopere in lege veteri memoriam legis commendaverit. *Deuter. 11. Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut illa meditentur, &c.* Et *cap. 4.* præceptum est, ne quid addatur aut detrahatur verbis legis. At ignorantiâ fit ablatio, errore autem tam additio quàm detractio fieri potest. Demum Psalmi pleni sunt laude eorum, qui memores sunt mandatorum, qui ea intelligunt, meditantur, & in corde retinent. Horum finis est, ut lex sciatur, quia nisi sciatur, nequit observari. Unde sicut scimus legem conditam nil prodesse, nisi promulgetur, & ita in hominum notitiam veniat, ita scimus eos, qui lege promulgata ad aliquid tenentur, teneri etiam ad ejus cognitionem. Ergò ignorantia & error legis sunt prohibita. Hinc inter Christianos sanctum est, singulos, cùm ad usum rationis pervenerint, teneri aliqua scire, nec licere ignorare. Inde Parentes filios, Parochi subditos instruere tenentur. Quod si ignorantia & error licerent, omnes istæ obligationes cessarent. Præterea *væ* interminatum est dicentibus malum bonum, & bonum malum, hoc est errantibus in rebus præceptis; vel si activè accipiatur, dictum est contra facientes errare. Hoc idem *væ* Christus Doctoribus legis cæcis cæcorum ducibus denunciavit. Demum quæcumque de legum necessitate, utilitate, ac fine traduntur, vana sunt, si impunè liceat ignorare legem & errare; lex enim ignorata est sicut non lex; non regulat, non inducit bona, non impedit mala. Similiter lex ignorata in parte, vel ab aliquo, quoad hunc, & in ea parte frustratur. At legem cassare aut frustrare, & bona legis tollere non licet. Ergò neque illam ignorare. Ergò multò minùs errare, quia per errorem cuncta inversè ordinantur, & fiunt. Hinc omnes Theologi ad aliquam sciendæ legis diligentiam obligant. Ergò ignorantia & error legis prohibita sunt & prohiberi debuerunt. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus ex iis, quæ tradit, refellitur.

Respondeo hæc omnia validissimè confirmare *assert. 4.* sed priores non attingere. Et sanè quidquid ex Sacra Scriptura affertur, supponit notitiam legis præcessisse, per quam homines satis sciebant, se obligari ad legem memorandam, eamque suos subditos docendam, &c. Unde non infertur, quod lex plenam sui ignorantiam prohibere valeat, cùm tamen de hoc solo procedat quæstio. Cæterùm non solùm constat ex dictis, quòd nulla lex talem sui ignorantiam prohibere possit, sed idipsum ex eo, quod Celladeus de legis promulgatione ponderat, clarissimè convincitur. Peto enim, cur lex condita, sed non promulgata, non possit obligare homines. Certè si posset præcipere sui notitiam, aut plenam sui ignorantiam prohibere, non minùs posset obligare ante promulgationem, ut sciretur, quàm potest post promulgationem obligare eos, qui nullam umquam de lege tali mentionem audierunt, aut cogitationem habuerunt. Quia notitia aliorum, & promulgatio aliis facta, non magis juvat, ut lex me dirigat, nisi aliqua illius notitia ad me derivetur independenter à directione legis, quàm lex condita poterat alios juvare & dirigere, antequam promulgaretur. Itaque dicere, legem penitus ignoratam posse obligare ad sui notitiam, & negare legem conditam sed non promulgatam posse ad sui notitiam obligare, aliud non est, quàm inconsequenter loqui, & reipsa contradictoria docere. Celladeus utrumque expressè tradit. Ergò & inconsequentiæ & contradictionis reus est.

Celladei inconsequentia & cōtradictio.

15. Est etiam aliud, in quo & nostram opinionem confirmat, & sibi etiam contradicit. Contendit hîc, legem prohibentem mala, sui etiam ignorantiam prohibere, ideoque legis ignorantiam non excusare, nec impedire, quò minùs mala per legem prohibita, si patrentur, sint mala. At contrarium prorsùs docuit hîc *quæst. 1. §. 5.* ubi tradit, ignorantiam de belli injustitia excusare subditos milites, etiam quando bellum est injustum; nec eos obligari ad justitiam belli inquirendam. Et tamen illi sunt qui mortem & bono-

bonorum spoliationem aliis contra legem Dei inferunt, quando bellum est injustum. Lex ergò non occidendi, non auferendi alienum, &c. non semper prohibet sui ignorantiam, saltem prout refertur ad praxim in bello, sed ita respicit majorem hominum bellantium partem, ut ne quidem ad diligentiam sciendi veritatem obliget. Et tamen eadem in hoc casu mala eveniunt, quæ evenirent, si nulla ejusmodi lex extaret. Hoc autem contradicit doctrinæ præsentis objectionis, ut patet, & nostram sententiam confirmat, quia inde apertè sequitur, legem prohibentem mala non semper prohibere sui ignorantiam, alioquin semper malum esset, illam ignorare, & ad veritatem sciendam aut certè quærendam semper teneremur.

Celladei contradictio.

16. Eadem doctrina Celladei ex alio capite contradicit illis, quæ tradit, *in hac quæst.* Contendit enim, legem ideo obligare ad sui notitiam, quia si ignoretur, maxima mala proveniunt, quæ impedirentur, si esset scita, ut constat ex prima objectione. Hoc si verum esset, utique lex vetans homicidia & rapinas injustas obligaret milites ad sui notitiam, quia per illam notitiam ingentia mala, quæ in bellis contra justitiam fiunt, non evenirent, ut benè probat Celladeus. At per ipsum lex illa non obligat milites ad sui cognitionem, quamvis ex illius ignorantia & errore omnia illa mala eorum ope ac manu proveniant. Ergò doctrinæ istæ sibi contradicunt. Sed missis istis contradictionibus, ad reliqua in objectione contenta respondeamus.

Alia Celladei contradictio.

17. Quod omnes dicamus, pueros, cùm ad usum rationis pervenerint, obligari ad aliqua scienda, verissimum est, quia lumen rationis, educatio, ac aliorum exempla talem obligationem manifestant, quatenus illis notam faciunt legem generalem, per quam obligantur ad leges particulares sciendas, & servandas. Verùm leges illæ particulares earumque notitia sunt materia circa quam versatur lex generalis; ideoque numquam est verum, quod ulla lex plenam sui ignorantiam prohibeat, quia si nulla umquam puero cogitatio legis aut obligationis incidisset, ille utique nulla lege ad quidquam obligari potuisset. Verùm suppositio est falsa, quia ipsum naturæ lumen multa ostendit, & alia docet esse inquirenda. Deinde pro puerorum instructione satis cautum est, eò quòd Parentes & Magistri eos instituere teneantur, adeo ut rarò aut numquam eveniat, quin pueri (saltem apud fideles) non exiguam instructionem habeant, per quam plura sciant, & ad alia scienda se obligatos sentiant. Verùm primæ legum notitiæ non à legum directione & obligatione, sed aliunde proveniunt.

Prima notitia legis in pueris non oritur ab obligatione legis.

18. In superioribus responsum est ad illud *va*, quod certè supponit legem latam & applicatam fuisse, & quod plus est, procedit de lege certa & certò obligante; nam de incertis, & quæ hinc inde post omnem diligentiam manent certò probabilia intelligi non potest, nisi sibi contradicat, ut ostensum est.

19. Demum non sequitur leges frustra fore, si in aliquo casu impunè ignorari possint; frustra quidem fierent, nisi independenter ab illarum obligatione nobis innotescerent, quia alioquin nos omnino laterent. At cùm providentia Dei effecerit, ut aliunde leges scirentur, quàm per illarum obligationem, utique leges utilissimæ sunt, sicut erant prorsùs necessariæ, quamvis multæ in particulari aliquo casu ab aliquo penitus ignorentur. Itaque ita lex per accidens impunè ignorari potest, ut non liceat hoc post legem scitam procurare, cùm ad oppositum teneamur. Tota ergò ignorantia ex eo oritur, quòd nemo nobis talem legem manifestarit, lex enim ipsa primam sui manifestationem vi suæ directionis inducere nequit. Ergò licet licitè non possimus conari ad cassandam legem, licitè tamen possumus legem ignorare, non illam ignorantiam intendendo & procurando, sed inculpabiliter nullam legis informationem à quoquam accipiendo. Porro obligatio ad diligentiam adhibendam non præcedit omnem legis notitiam, sed eam sequitur, ut omnes fatentur; si enim nulla legis & obligationis talis notitia animum informaret, nemo ad ullam diligentiam teneretur. Verùm fieri nequit, quin lumen naturæ talem obligationem proponat.

Leges non sunt frustra, quàvis aliquando impunè ignorentur.

20. Objicit tertiò. Ex eo, quòd aliquæ ignorantiæ & errores sint magnum malum hominis, considerati sive ad se, sive ad Deum, sive ad proximum, intulimus illa necessariò prohiberi; sicut furta & homicidia prohibentur: ex hoc autem sequitur, aliquas ignorantias & errores prohiberi in se & propter se, alias verò in alio & propter aliud. Inprimis intellectus humanus secundùm se debet rectè ordinari ad Deum, ad se, & ad proximum, & maximum malum est privari hac ordinatione, idque considerando illud in se & merè propter se. Ergò ignorantia, & error contrarius huic ordini prohiberi debuit in se & propter se. At si sermo sit de ordinatione aliarum potentiarum ad Deum, ad se, & ad proximum, illa etiam debuit præcipi, & consequenter prohiberi debuit ignorantia & error circa talia, & legem ipsa præcipientem. Verùm ignorantia hæc non prohibetur in se & propter se, sed solùm in alio & propter aliud, nempe in malo & propter malum deordinationis aliarum potentiarum evitandum. Exemplum sume in ignorantia legis de restituendo, illa enim solùm prohibetur propter malum non restitutionis, quia si solutio aut restitutio numquam pertineret ad aliquem, ignorantia talis legis in eo esset, sicut ignorantia geometriæ, nullum malum. Fixum ergò maneat, ignorantias & errores aliquando prohiberi in se & propter se, aliquando in alio tantùm & propter aliud. Ita Celladeus §. 3.

Aliquæ ignorantiæ prohibêtur propter se, aliæ solùm propter aliud.

Respondeo totum hoc illatum concedi posse ac debere juxta sensum *Assert. 4.* sed nullius momenti esse, si priores assertiones impetantur; ostendi enim, illationem illam, *furta & homicidia, etsi mala minora, debuerunt prohiberi, ergò ignorantia & error, utpote mala illis majora, prohiberi debuerunt*, nullam esse. Ratio est, quia illa caveri non poterant nisi per legem; at ignorantia & error, maximè circa Deum & generales obligationes ad nos & ad proximum, vitari potuerunt ac etiam debuerunt aliâ viâ, quàm per vim legum, cùm per illam removeri non possint. Hinc autem sequitur, plenam Dei & legum ignorantiam, quamvis sit maximum malum, nec debuisse nec potuisse prohiberi sive in se & propter se, sive in alio & propter aliud. At ignorantia & error, quæ opponuntur notitiæ clariori, aut scientiæ alterius legis, bene prohiberi possunt, idque tam propter se, quàm propter aliud.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-SECUNDA.

Vtrùm ignorantia & error aliquando sint peccatum? aliquando causa peccati?

1\. SI aliquæ ignorantiæ & errores prohibeantur, & ex natura rei postulent prohiberi, ut probatum est quæstione superiori, utique consectarium est, ignorantias aliquas & errores esse peccata; quia quod ponitur, aut non removetur contra legem prohibentem peccatum est. Notissimum enim est, unumquodque catenus esse peccatum, quatenus est prohibitum. Ergò cùm ignorantia & error aliquando sint prohibita, sunt utique aliquando peccata; tunc scilicet, quando leges illa prohibentes violantur. Hæc vera sunt, sicut etiam verissimum est, ignorantiam & errorem sæpe esse causam peccati, saltem per accidens & removendo prohibens, ut Theologi docent cum S. Thoma *1. 2. quæst. 76. art. 1.* & cum eodem *ibidem art. 2.* expressè docent, ignorantiam etiam esse peccatum. Quæ cùm à nemine sub ista notione negentur, nec in dubium revocentur, non erat, cur Celladeus tanto molimine rem istam confirmaret; nam *quæst. 3. & 4.* Patrum auctoritates ad hoc probandum ultra modum accumulat, cùm sine ulla necessitate eas promat. Vellet quidem per illas persuadere lectori, omnimodam legis ignorantiam esse peccatum, & per ipsam legem prohiberi, sed hoc falsissimum est, nec à SS. Patribus ulla ratione aut docetur, aut insinuatur, sed oppositum ex illorum dictis apertè colligitur, ut ex dicendis constabit, si tamen priùs veram de quæstione propositam doctrinam per quasdam assertiones proposuero.

ASSERTIO PRIMA.

Ignorantia & error sunt peccata, quando sunt objectum legis illa prohibentis, & illa non obstante aut ponuntur, aut non removentur.

2\. PROBATUR. Quidquid voluntariè ac liberè ponitur contra præscriptum legis est peccatum, quia est dictum factum aut concupitum contra legem. Sed judicium erroneum & ignorantia affectata aliquando ponuntur contra legem illa prohibentem, ut patet in hæreticis contra veritatem sufficienter propositam pertinaciter errantibus, & in omnibus, qui per crassam aut affectatam negligentiam scire negligunt, aut etiam nolunt, ea quæ scire tenentur, & ad quæ quærenda & scienda se obligatos norunt. Ergò ignorantia & error sunt peccata quando sunt objectum legis illa prohibentis juxta dicta in assertione. Nec de hoc ullum esse potest dubium, nec abnuo illud esse certissimum, in sensu, de quo nunc agimus. Hoc enim haud dubiè verum est, quamvis Auctores apud Vasq. *1. 2. quæst. ult.* variè loquantur de peccato ignorantiæ; aliqui enim volunt, ignorantiam esse per se peccatum, sicut est furtum; alii autem, quibus Vasquez S. Thomæ inhærens subscribit, tradunt ignorantiam secundùm se non esse peccatum, sed effectum peccati, quòd in sola negligentia sciendi compleri volunt. Has subtilitates nunc missas facio, quia ad præsens institutum parum refert, utrùm ignorantia sit ipsum peccatum formaliter & primariò, an solùm secundariò & effectus peccati, dummodò verè imputetur ad culpam, & ut est effectus negligentiæ dicatur & sit malum, ac prohibitum.

Ignorantia & error sūt peccata, quādo prohibentur.

3\. Cæterùm dum peccatum ignorantiæ hoc modo incurritur, totum pravum exercitium libertatis completur aut in voluntate non sciendi, aut in negligentia debiti conatûs ad sciendum; adeoque tota formalis ac vitalis ratio malitiæ moralis in illis consistit, à quibus proinde ignorantia volita denominatur peccatum; nec enim talem denominationem aliunde habere potest, cùm ratio formalis peccati in ipsa ignorantia secundùm se accepta non consistat; quod ex eo patet, tum quia ignorantia eadem, si fuisset invincibilis, peccatum non fuisset; tum quia quamvis ab initio fuerit vincibilis, adhuc, illa remanente, peccatum deleri potest, ut perspicuum est, & omnes omninò fatentur. Ergò ratio peccati non est denominatio essentialis & intrinseca ignorantiæ. Ergò ignorantia accipit illam denominationem à pravo libertatis exercitio, seu à negligentia culpabili, per quam homo liberè determinat se ad non sciendum id, quod scire tenebatur.

Ignorantiæ malitiā sumit à negligentia, per quā incurritur.

ASSERTIO II.

Plena ignorantia legis, & rei per legem vetitæ, non est peccatum contra legem taliter ignoratam.

4\. PROBATUR. Quod non prohibetur à lege non potest esse peccatum contra legem. Sed plena legis cujusvis ignorantia non prohibetur à tali lege, nec ab illa prohiberi potest, ut constat ex *quæst. præcedente.* Ergò plena ignorantia legis nec est, nec esse potest peccatum contra legem taliter ignoratam.

Plena legis ignorantia non est peccatum contra illam legem.

ASSER-

ASSERTIO III.

Ignorantia & error, quem homo in rebus verè incertis & hinc inde certò probabilibus post diligentem veritatis investigationem incurrit, non est peccatum, nec prohibetur sive à lege ignorata, sive à lege generali, præcipiente diligentiam ad veritatem indagandam. Seu quod in idem recidit: Opiniones Theologorum de bono & malo, quas post diligens veritatis examen de rebus incertis & hinc inde probabilibus in mente sua formant, & foris proferunt, non sunt peccata, quamvis sint erroneæ & falsa.

5. HÆC assertio continet veritatem maximè principalem in hac materia, & ex diametro toti Celladei intento opponitur; omnis enim ejus labor eò tendit, ut oppositum persuadeat. Itaque diligenter probanda est veritas tanti momenti, quâ habitâ, totus adversarii conatus evertitur. Cæterùm sermo non est de peccato purè materiali, sed de peccato formali, ac imputabili, quod ideo incurritur, quia lex hîc & nunc obligans ad oppositum, verè violatur.

Ignorantia & error in rebus incertis & hinc inde certò probabilibus non est peccatum.

6. Probatur ergò primò à priori. Ignorantia & error non aliter possunt esse peccata imputabilia, quàm vel ratione sui præcisè, vel ratione modi, quo à libertate dependent. At in casu assertionis neutro modo imputari possunt ad culpam & pœnam. Ergò in casu assertionis non sunt peccata imputabilia. Major est certa, quia non est alius modus excogitabilis, per quem aliquid esse possit imputabile. Probatur minor. Ignorantia & error talium, non est objectum ejusmodi, ut in nullo eventu dependere possit à libero voluntatis exercitio absque peccato, quia talis ignorantia & error aliquando saltem esse potest invincibilis. Ergò non est peccatum præcisè ratione sui imputabile, alioquin in nullo casu liberè admitti posset absque reatu & culpa. Sed neque imputari potest ob modum, quo à libertate dependet, quia ad hoc modus procedendi potentiarum deberet esse reprehensibilis, eò quòd intellectus temerè, & absque diligentia & examine, quale decet hominem præmittere, præcipitaretur in assensum erroneum. At hoc certò non evenit, quia ponimus rem fuisse diligenter examinatam, & quidem non minori cura ab eo, qui errat, quàm ab eo, qui oppositum tenens non errat. Ergò sicut ille, qui post tale examen non errat, reprehendi non potest propter assensum, quem elicit, ita nec ille qui errat. Ergò error ille nec ratione sui præcisè, nec ratione modi, quo à libertate dependet, imputari potest ad culpam. Ergò non est peccatum.

Confirmatur. Ignorantia & error non potest esse culpabilis & imputabilis, quando illa desunt, in quibus solis malitia peccati ignorantiæ consistit, aut à quibus præcisè omnis illius malitia imputabilis dependet. Sed omnia hæc desunt in casu nostro, quia sola negligentia est illud, in quo tota imputabilis malitia peccati ignorantiæ consistit, aut à quo totaliter dependet, ut constat *ex Assert. 1.* In casu autem præsenti hæc negligentia abest, quia diligens ac debitum examen præcessisse supponitur. Ergò in casu assertionis ignorantia & error non potest esse culpabilis, & consequenter non est peccatum.

7. Probatur 2. Ignorantia & error, de quo loquimur, non est culpabilis transgressio legis, quæ ignoratur, aut legis generalis quæ scitur, & præcipit homines scire, quæ ab ipsis scienda sunt. Ergò non est peccatum; quia haud dubiè nulla alia lex per ignorantiam & errorem ejusmodi violatur, cùm leges aliæ talem ignorantiam non prohibeant. Probatur antecedens. Inprimis lex ignorata, vel totaliter ignoratur, vel scitur quidem existere & præcipere aliquid, sed nescitur an extendatur ad aliquid, quod nondum scitur, sed dubium est, an sub lege comprehendatur. Si primum, lex illa nondum obligat, quia non sufficienter applicatur ut obliget; non enim magis applicatur, quàm si non existeret, in quo casu non obligaret. Si secundum, hoc non aliter evenire potest, quàm ad eum modum, quo lex generalis certò existens obligat ad scienda, quæ quis scire tenetur, quia lex illa particularis directa, prout refertur ad objectum dubium est dubia, & consequenter non magis obligat quando verè extenditur, quàm quando non extenditur ad tale objectum. Ergò obligatio fundatur in eo, quòd lex hæc, cùm sciatur existere & prohibere aliqua, eo ipso habeat vim quasi reflexam, qua obligat ad sciendum quod debemus scire, sicut generalis quasi reflexa, de qua loquuti sumus, obligat. Sed neutra harum legum, nec generalis reflexa, nec particularis directa absolutè obligat ad non errandum, sed solùm ad adhibendam diligentiam debitam, quâ positâ permittit homini id judicare quod ipsi probabilius ac rationabilius apparet: si enim aliter aut ad alia obligaret, obligaret ad impossibile, & ad temerè procedendum; quia omnis alia via procedendi temeraria est, immo & impossibilis, cùm nemo judicare possit illud esse verum, quod ipsi non apparet probabilius opposito. Ergò cùm in casu præsenti intentum legis sit, ut ignorantia removeatur, & quæstio per absolutum judicium terminetur, non potest absolutè obligare ad assensum verum, sed solùm ad ponendum medium optimum quod potest ad veritatem inveniendam; eo autem posito, si error contingat, is vi talium legum imputari non potest. Ergò nullo modo est imputabilis. Ergò non est peccatum.

Error judicii certò probabilis non est imputabilis violatio legis generalis, aut particularis.

8. Probatur 3. ab absurdo. Si error in casibus hujusmodi esset peccatum, Ecclesia & Ecclesiæ superiores essent culpabiles & peccarent, quando, quæstione aliqua valde agitata, illisque proposita, aut aliunde nota, illam non determinarent, sed contrariis Doctorum interpretationibus, & oppositis sententiis determinandam relinquerent. Probatur sequela. Superior ille non providet subditis, qui sciens & volens permittit illos in ruinam currere, cùm possit si velit, ruinam impedire. At permittendo libertatem opinandi, permitteret illos in ruinam currere, quia permitteret illis libertatem opinandi, quâ permissâ futurum scit, ut plurimi errent, quamvis re diligenter considerata sententiam ferant. Omnes autem errantes peccarent, si vera esset Celladei sententia, & præsens assertio non esset vera. Ergò Ecclesia, apud quam est clavis scientiæ (& ut Celladeus vult eo fine data, ut malum ignorantiæ & erroris tollatur) per quam certò nos potest dirigere, esset culpabilis & peccaret, quando quæstionem propositam, aut aliunde notam, in qua Doctores dissentiunt, non determinaret, sed liberæ omnium opinationi relinqueret, quia certò sciret plurimos peccaturos etiam post diligentiam adhibitam, quorum peccatum impedi-

Si error probabilis esset peccatum, Ecclesia peccaret, relinquẽdo libertatem opinandi in rebus utrimque probabilibus.

visset, si quæstionem per scientiæ clavem determinasset. At vel tunc vel numquam clavis scientiæ adhibenda est, quando per ejus usum moraliter certò constat, innumera peccata vitanda esse, quæ quæstione non determinata haud dubiè sunt committenda. Quis enim non videt, animas taliter peccantium & pereuntium è manu Ecclesiæ & supremi Pastoris esse requirendas, si perirent. At absurdissimum est, & planè intolerandum dicere, Ecclesiam & Pastores Ecclesiæ in hoc peccare. Ergò sententia Celladei absurdissima est, & prorsùs intoleranda, ex qua tantum absurdum inevitabiliter sequitur. Applica doctrinam hujus argumenti ad quæstiones illas, in quibus Ecclesia prohibet censuram cujusvis partis, liberamque cuilibet opinandi licentiam permittit; & videbis, quod irrefragabiliter concludat intentum, nisi quis velit os suum in cœlum mittere, Ecclesiamque & supremos Ecclesiæ Pastores sceleris damnare in eo, quòd post maturam deliberationem, ad fidelium bonum, & Ecclesiæ pacem ac concordiam utile, & quodammodò necessarium arbitrantur, quodque pro tali ab illis & habetur, & omnibus sub gravissimis pœnis in praxi habendum proponitur.

Omnes Doctores peccarent, si error probabilis esset peccatum.

9. Probatur 4 & assumo, quod Celladeus hìc *quæst. 4. §. 4.* ad aliud intentum his verbis proponit. *In oratione habita in Concil. Basil. contra necessitatem communionis sub utraque specie; inter alia arguitur, damnatos alioquin fuisse Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Gregorium, & omnes per multa sæcula Christianos, qui ea communione usi non sunt, sed in una dumtaxat specie populos communicarunt.* Ita ille: hinc sic arguo. Doctrina illa est absurdissima & falsissima, ex qua sequitur, Sanctissimos, doctissimosque Ecclesiæ Scriptores, & omnes per multa sæcula Ecclesiæ Doctores damnabiliter peccasse, etiam in eo, in quo omnes hactenus censuerunt eos magnum meritum apud Deum consecutos esse, sicut apud homines magnam laudem meruerunt. At hoc sequitur ex opinione Celladei, & nisi assertio posita sit vera vitari non potest, quia SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardinus, & alii omnes Doctores in multis errarunt, cùm contradictoria doceant. Nec ullus aut vix ullus inter omnes invenitur (excipio Summos Ecclesiæ Pastores ex cathedra definientes) de quo quis dicere possit, hic homo circa res incertas & solùm probabiles ad mores & fidem spectantes multa scripsit, & in nullo erravit. Omnes enim in multis, si plurima scripserunt, à veritate deflexerunt, licèt in particulari nesciamus, in quibus decepti fuerint. Nec ullos illorum aliter de se, & suis scriptis sensit. Ergò si error in talibus sit peccatum, omnes isti peccarunt, & quidem in re propter quam omnes existimant, eos multum apud Deum meruisse, & de Ecclesia optimè meritos fuisse. Immò, quod plus est, per hæc sua scripta aliis, eos & in speculatione & in praxi sequentibus, scandalum præbuerunt, atque in peccati laqueum induxerunt. Unde ut benè arguit Conrardus *de Contractibus quæst. ult.* ulteriùs sequitur, eos etiam in peccato sorduisse in eoque mortuos esse & damnatos, quia falsam illam ac noxiam suam doctrinam numquam retractarunt. At sequela est falsissima & absurdissima. Ergò non peccarunt, saltem qui diligentiam adhibuerunt, & post diligens examen in rebus incertis nil nisi probabile bona fide protulerunt. Ergò errores ejusmodi non sunt peccata, nec ulla lege obligante prohibentur.

10. Confirmatur. Si assertio non esset vera, nemo nisi stultè moralia scriberet, aut civilibus rebus ad justitiam spectantibus se immisceret, quia moraliter certus esset, se multoties, etiam quando minùs cogitaret, & maximam diligentiam adhiberet, graviter offensurum, eò quòd omnis error foret peccatum. Sciret autem se in pluribus ex morali necessitate lapsurum. Ergò sciens & volens se in peccandi necessitatem conjiceret. Ergò munus ejusmodi à nemine nisi stultè admitteretur, cùm à nemine citra plura peccata administrari posset. Idem valet de Causidico, de Judice, de Medico, Chirurgo aliisque officiis & artibus, sine quibus respublica administrari non potest; quicumque enim talia officia administraret, ex necessitate frequenter peccaret, non obstante magna diligentia adhibita. Ergò nemo, nisi temerè & stultè talibus officiis administrandis se immisceret, ideoque probi omnes ab illis abstinerent. Quid autem magis luctuosum, ac nocivum reipublicæ accidere potest, quàm si talia munera negligantur, aut non nisi ab improbis administrentur?

Si error probabilis esset peccatum, respublica administrari non posset.

11. Ex his demum probatur 5. Ignorantia & error, de quibus assertio loquitur, non sunt malum, quod prohiberi mereatur. Ergò non sunt prohibita. Probatur antecedens. Si mererentur prohiberi & ideo prohiberentur, ideo esset quia sunt magna mala in se, & aliorum malorum causæ, ad quæ vitanda lex valde utilis esset, vel necessaria; quia stante lege vitarentur, & lege remota remanerent. At hoc est patenter falsum; sive enim dicamus legem illam dari, sive non dari, non ideo Doctores majorem diligentiam adhiberent, quia vix possunt majorem adhibere. Præterea, ea lege non obstante, adhuc diligentissimi sibi contradicerent, ut de facto videmus contigisse in viris Sanctissimis, qui certè in suis resolutionibus diligentissimi fuerunt. Ergò lex illa, si daretur, mala prætensa non minueret, ideoque ad aliud non serviret, quàm ad multiplicanda peccata, quæ illâ non positâ absque dubio patrata non fuissent. Ergò talis lex esset stulta, & fine legis careret.

Error probabilis non meretur prohiberi.

Nec solùm fine legis careret lex illa, sed necessariò induceret augmentum mali, ad quod vitandum imponeretur. Eo ipso enim quòd lex talis daretur, nemo sapiens periculo quidquam determinandi, aut de talibus scribendi se exponeret; sed quisque conscientiæ timoratæ in omnibus tutiora sequeretur, & aliis non timoratis talia pericula permitteret. Hinc autem rerum & præceptorum ignorantia necessariò cresceret, erroresque innumerabiles ex morali necessitate inducerentur, quæ omnia vitata fuissent, si singulis permissum fuisset in rebus incertis post diligens examen ex motivo probabili sententiam proferre. Ergò lex talia prohibens secum pugnaret, & mala necessariò inferret, ad quæ impedienda tamquam necessaria proponitur; immò mala illa in immensum augeret, atque res alioquin certò sciendas ignorari faceret. Ergò sibi ipsi repugnaret, atque seipsam everteret. Ergò ignorantia & error, de quibus loquimur, non sunt malum, quod prohiberi mereatur; immò, stante hac hominis conditione, postulant non prohiberi. Ergò non sunt prohibita, sed sunt, & debuerunt esse permissa.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Celladeus culpat Theologiã recentem.

12. OBJICIT primò. Recens Theologia de subjectis & causis peccatorum ordine non disserit, sed uni libertati intenta, quidquid extra voluntatem est, vix peccatum esse intelligit. Inde homicidia, furta, aliaque scelera solùm denominativè mala esse & peccata, id est non verè ac propriè talia, edocet; inde laborat, cur ea confiteri teneamur, & dicit mirabilia. Et quòd summum est, hominem ipsum solùm denominativè, hoc est impropriè non propriè & verè peccatorem esse, & homicidam, & furem arbitratur. Tanta prætermissis principiis subnascuntur. Unde quæstiones istæ de ignorantia & errore, vix apud eos locum habent, quia ignorantia & error, cùm non sint actus, neque omissiones voluntatis, peccata esse nequeunt; & ista tam explorata habent, ut ne dubitent quidem. Ita Cellad. *quæst. 3. §. 3.* sed quò hæc tendant, ut intentum probent, vix apparet; suspicor eum significare velle, hanc Theologiam ex eo ortam esse, quòd ignorantiam & errorem peccata esse neget, ideoque falsam reputari debere, quia constat, ignorantiam & errorem esse prohibita & peccata. Certè *in tota quæst.* aliud, quod objici mereatur, non inveni.

Theologia, quàm carpere videtur, exponitur, & ratio nabilis ostẽditur.

Respondeo, Celladeum ubique accusationes in alios eorumque doctrinam aggerere, cùm tamen illa rectè intellecta nulli exceptioni pateat. Illi ergò, quos arguit, optimè intelligunt, quid sit, quid non sit peccatum. Non negant, furtum esse propriè peccatum, sed solùm dicunt, actionem illam externam non esse essentialiter & intrinsecè peccaminosam, sed illam denominationem ab alio accipere, nempe à libera sed prava voluntatis determinatione, quàm rectè dicunt esse intrinsecè & essentialiter malam & peccaminosam. Aliud est rem esse propriè, aliud esse essentialiter talem. Aqua calefacta est propriè calida, nec tamen naturaliter, & multò minùs essentialiter, est talis. Ad hoc moventur, quia apud omnes constat, unam eandemque esse malitiam actûs interni & externi. Unde existimant, denominationem tribui ab ea parte, quæ est essentialiter talis. Nec obstat aliquos aliter opinari de peccatis externis, & docere, quòd, sæpe saltem, malitia ab actu externo in internum refundatur. Quia hæc diversitas opinionum facilè conciliari potest, ut quoad substantiam non discrepent. Ita ergò illi de peccatis externis loquuntur, ad quæ duo requiruntur; primum est operatio externa, quæ prohibetur; alterum est, libera voluntatis determinatio ad opus ponendum, non obstante prohibitione legis. Hæc voluntatis determinatio habet secum indentificatam totam malitiam moralem, quæ in tali opere reperitur, ideoque actus ille ex sua essentia est malus, determinatumque malitiæ gradum obtinet. Hujus actûs malitia non tollitur aut minuitur per hoc, quòd operatio externa consequatur aut impediatur, quia tantum peccat, qui vult ponere actionem externam, quam Deus miraculosè impediret, quantum peccasset, si Deus cursum causarum non impedivisset. Jam actio externa verè est peccatum, quia talem denominationem accipit ab actu interno, à quo procedit, & cum quo componit conflatum morale, quod verè est, & propriè dicitur peccatum. Porro quòd malitia & ratio peccati non sit intrinseca actioni externæ, ex eo patet, quòd, eadem actio liberè poni possit ex errore invincibili. In tali autem casu certum est, quòd operatio externa non sit peccatum, nec imputari possit ad culpam, aut pœnam. Similiter de homine loquuntur; dicunt enim eum esse propriissimè peccatorem, sed aiunt, denominationem hanc esse ipsi accidentalem, & à peccato desumi, sive peccatum sit purè internum, sive externum. Verùm in his denominationibus prima & radicalis forma denominationum in sola prava voluntatis determinatione consistit.

Hæc est Theologia non recens, sed antiqua, & probabilissima, nec quisquam in ea quoad substantiam nævum inveniet. Quòd si aliqui agentes de peccato non tam exactè agant de causis & subjectis peccatorum, non ideo laudandi sunt, nec statim culpandi; quia fortasse habuerunt optimas rationes, cur ita facerent. Quod ad confessionem peccatorum attinet, illa clarè sunt aperienda; quòd si aliqui aliter sentiant, & probabiles rationes pro se afferant, fortasè errant, nec tamen error ille est peccatum, aut meretur prohiberi, ut ostensum est. Cæterùm ex hac Theologia non sequitur, ignorantiam & errorem non esse peccatum, sed contrarium infertur, quia si ignorantia prohibita sit volita, & affectata, item si error prohibitus sit voluntarius ut sæpe sunt, tam ignorantia, quàm error ejusmodi est propriè peccatum.

13. Objicit secundò. Quamvis nemo sub istis terminis audeat dicere ignorantiam & errorem nec peccatum esse, nec causam peccati, eò quòd hæc de ignorantiis doctrina sit certa, & à multis sapientibus tradatur esse de fide; doctrina tamen ista per usum & per alias opiniones inconsequentes videtur prorsùs abrogata. Multi enim infideles & hæreticos de facili à peccato excusant, & salvant etiam aliqui, si leges suas custodierint. Rursus nil referre arbitrantur, si rustici à Parochis audiant, unam tantùm, aut duas, vel quatuor personas esse in Deo. Quòd si à pœnis contra hæreticos constitutis probemus, hæreticos peccare, dicunt pœnas has respectu multorum, maximè indoctorum, non habere locum in foro interno, & sic eos absolvunt à peccatis aliis, non ab excommunicatione. — Celladeus plures doctrinas sugillat.

Quòd si quis se polluat, aut aliud scelus perpetret, & ignoret ea esse peccata, eum non peccasse quasi indubitatum habent. Quod si nullus eum umquam pupugit scrupulus, ignorantiam ipsam invincibilem fuisse concludunt. Similiter aiunt non peccari credendo Parocho, quamvis ille in maximè essentialibus fidei decipiat. *Idem ergò à fortiori erit*, infert Celladeus, *si in moribus decipiat, & persuadeat puellæ, nihil esse, si ob necessitatem gravissimam, vel ob tentationem urgentissimam, cui vix par est resistere, aliquando, & saltem si rarò labatur.*

Confessarii quærere consueverunt, an pœnitens existimarit esse peccatum, quod fecit? An mortale, an veniale? Si respondeat, se non existimasse esse peccatum, aut solùm veniale, per hoc judicium causa terminatur, & pœnitens aut innoxius, aut venialis tantùm peccati reus pronunciatur. Hinc opiniones multæ docent, pœnitentes in suis ignorantiis relinquendos. Si die Veneris carnes comedas immemor diei, felix etiam censeris.

Horum origo est opinio, jam latè propagata, quæ docet, neminem peccare, nisi actu advertat se peccare. Ergò qui non advertit peccatum esse, non peccat. At hoc est dicere, ignorantiam, oblivionem, & inconsiderationem nec peccatum — Peccatur in eo quod nẽ scitur esse peccatum juxta Celladeum.

esse,

esse, nec causam peccati. Similiter aiunt, errantem non solùm non peccare, sed etiam benè facere, si putet bonum esse quod facit, & omnis peccati advertentia absit. Hæc Celladeus; qui mox arguit quendam, qui hujus sui operis Censor fuit, quòd ex hoc principio fidenter pronunciaverit, Celladeum non peccasse, quamvis minùs reverentem se contra illum scribendo ostenderat, eò quòd in hoc existimaverit, se Deo obsequium præstare. Et tamen S. Thomas pluries utitur hoc textu ad contrarium probandum.

Plurimi Catholici damnantur ob peccata ignorantiæ.

Quid plura? videtur, quod plurimi ex Catholicis, qui damnantur, (damnantur autem plurimi, & communis SS. & præstantissimorum Theologorum sententia fert, plures ex adultis damnari, quàm salvari) non aliam ob causam damnentur, quàm ob ignorantiam affectatum vel crassam. At plerique susceptis Sacramentis obeunt, & licèt aliqui postea peccent, hoc frequens esse nullo fundamento persuadetur. Avarus confitetur: si furtum commisit fatetur; de avaritia parùm curat, & obit. Sed avari regnum Dei non possidebunt. Obit similiter superbus, usurarius, simoniacus; sunt autem tales ob ignorantiam, sæpe voluntariam. Similiter amicus mundi, & inimicus crucis Christi moritur. Quò isti eant, Scriptura loquitur. At plurimi sunt, saltem provectioris ætatis, qui in iis, quæ in confesso sunt peccata mortalia, delinquere non solent, qui interea totam pauperum substantiam corrodunt, non furto sub hoc nomine, sed officio. Unde ergò tot pereunt? Omnium sensus est, nos in alio mundo, non ut hîc, sed strictiùs ac tremendè judicandos. Sunt ergò multa, ob quæ homines damnantur, quæ mala esse nesciebantur. Ita Celladeus *quæst. 4. §. 1.*

Objectio nō facit ad rē.

14. Respondeo, multas hic sententias promiscuè, dimidiatè, & consequenter nimis invidiosè proponi, quas in particulari explicare non est hujus loci, aut controversiæ. Cæterùm si aliqui in aliquibus istarum opinionum excesserint, culpandi sunt. Nos loquimur tantùm de opinionibus certò probabilibus. Quæ tales non sunt, ad controversiæ hujus materiam non pertinent. Jam sistendo in illis, quod objicitur nil facit ad rem; jam enim non quæritur, an verum dixerint vel falsum, sed supposito, quòd in rebus incertis certò probabiliter concluserint, quæritur, an si erraverint, eo ipso peccarint. Egò efficaciter probavi, quòd non. Celladeus oppositum probandum assumpserat, loquitur enim de peccato erroris & ignorantiæ, prout sunt mala in se, & prohibita; verùm ad id probandum, nec verbum affert; sed relicto intento, ad falsitatem talium opinionum deflectit. Dicit, aut certè supponit, illas esse falsas, & credibile est, aliquas ex multis non esse veras. Interim loquendo de singulis, alii Auctores, ipsi in doctrina ac diligentia non inferiores, non minùs confidenter dicunt oppositum. Cui credendum? Quis errat? Solus Deus novit. Interim qui alterum peccati accusat, eo ipso seipsum accusat, & si erret, condemnat; sed alterum, aliis principiis regulatum, reum non facit; quia verissimum est, eum non peccare, quamvis præter opinionem deceptus in sua sententia erret. Et hæc quidem ad objectionis nullitatem abundè ostendendam sufficiunt; nihilominùs ad majorem lectoris satisfactionem nonnulla ex dictis in particulari examinare congruum judicavi.

15. Respondeo ergò 2. & peto à Celladeo, an nullum in materia fidei errorem à peccato immunem putet? Et ut restringam me ad materiam fidei jam certò determinatam, peto, an existimet, nullum inter omnes hæreticos (etiam quos materiales vocamus) in ullo articulo sine peccato errare? Si dicat, omnes omnino peccare, solus est, & sicut contra omnes opinatur, sic facilè erroris convincitur. Sed non puto illum hoc asserere. Ergò tenet aliquos aliquando non peccare. Cogitet hæc, & determinet, si possit, qui sint, &c. & videbit, se in illam sententiam labi, quàm hic ut absurdissimam rejicit. Quare sciendum est, aliquas esse veritates jam adeo notorias in Ecclesia, quæ à Catholicis cum ipso lacte discuntur, ut fieri vix possit, quin ab ipsis pueris evidenter sciantur esse doctrina Ecclesiæ. Tales sunt articuli in Symbolo contenti, de mysterio Trinitatis & Incarnationis, de cœlo & inferno, item de Ecclesia & Sacramentis. Jam ergò in hisce non est credendum Parocho, aut cuique contrarium docenti; nec potest vel puer sic instructus opposito errori nisi vincibiliter & peccaminosè assensum præbere, quamvis aliter dicendum esset de parvulo, etiam baptizato, qui extra gremium Ecclesiæ educatus, inter oppositos errores educatus fuisset. Jam objectio de prioribus procedere debet, ut vim habeat; in illis autem procedit de subjecto non supponente, quia tales non excusantur, si errent. Nec tamen sequitur, errorem posterioribus non nocere; quamvis enim error ille peccato non imputetur, nocet tamen, quia tollit exercitium fidei, quæ valde meritoria est.

Celladeus proprio argumento premitur.

Pueri an & quādo peccent, si à Parocho decipiantur?

Quod ad materiam censurarum contra hæreticos attinet, ipse Celladeus proprio argumento urgetur in iis, quicumque tandem illi sint, qui sine peccato hæreticorum errori assentiuntur. Itaque in hac materia Auctores graves nil nisi exactè verum tradunt. Nempe excommunicationem non incurri nisi per peccatum. Errorem autem in materia fidei non esse peccatum, quando est invincibilis; an autem invincibilis fuerit nec ne, ex variis determinandum est.

16. Sed ut Celladeus proprio argumento efficaciùs urgeatur, sic arguo. Non solùm error, sed etiam ignorantia in materia fidei est peccatum. Peto jam, an non sint plurima fidei dogmata, quæ absque peccato à Catholicis, non solùm pueris, sed etiam adultis, maximè à fœminis & rudibus, sine peccato ignorantur? Certè ex tota multitudine Catholicorum, paucissimi sunt, qui omnia fidei dogmata ab Ecclesia absolutè declarata norunt. Reliqui omnes in multorum dogmatum ignorantia & vivunt & moriuntur. An ideo hoc nomine omnes pereunt? Non hoc dixerit Celladeus. Unde infero. Ergò ignorantia valde universalis innumerabilium dogmatum non est prohibita rudibus; nec malum talis ignorantiæ postulat eam prohiberi. Ergò neque error de illis, saltem de magis illorū reconditis, est peccatū respectu rudium, qui talium rerū vix sunt capaces, easque, maximè quando inter hæreticos ab omni Catholicorum consortio remoti educantur, à viris quoad illos gravissimis ut verissimas, ac à Deo revelatas constanter proponi audiunt. Ponat Celladeus duos taliter educatos, quorum alter solùm ignoret omnia illa mysteria, alter etiam erret circa illa; & non ostendet ex suis principiis, cur iste potiùs peccet, quàm ille. At ille haud dubiè non peccat, cùm eadem apud Catholicos ipsos impunè ignorentur. Ergò nec primus. Ecce principia Celladei contraria probant ejus, quod docet. Consideret hæc, & videbit errorem

Ignorantia multorū de fide non est peccatum.

errorem merè materialem in fide esse valde frequentem apud eos, qui in media hæresi educantur; atque idipsum ex ipsius principiis ritè deduci.

Prohibita jure naturæ rarò ignoratur invincibiliter.

17. De excusatione eorum, qui pollutionem & alia jure naturæ prohibita licita esse existimant, longè moderatiùs Auctores loquuntur; rarò enim admittunt tales ignorantias esse invincibiles. Cæterùm si aliquando sit invincibilis, rectè dicunt, opus illud, à taliter ignorante patratum, ad culpam imputari non posse. Et sanè si nullus umquam scrupulus animum alicujus pupugit de malitia pollutionis, maximè si sit persona Deum timens, seque à peccatis scitis diligenter custodiat, non est, cur Celladeus ægrè ferat, talem ignorantiam dici invincibilem; quia quamvis fortè potuit, non tamen debuit vinci; cùm persona illa obligata numquam fuerit ad illam ignorantiam removendam, eò quòd plenissimam haberet ignorantiam de omni lege ad talem ignorantiam depellendam obligante. Si enim vel suspicionem de tali lege habuisset, statim naturæ lumen aut absolutè dictasset illud esse malum, aut certè illud non esse faciendum, donec sufficientem informationem de rei veritate habuerit.

Quod ad me attinet, existimo talem ignorantiam esse rarissimam, quia vix invenies, quos talium vehementer non pudeat; adeo ut summopere verecundentur apud homines graves & probos detegere, quod talia fecerint. Hoc autem indicio est, eos mali latentis conscios fuisse, alioquin non est cur talium eos magis puderet, quàm eorum, quæ certò norunt peccata non esse.

Illatio Celladei ostenditur esse nulla.

18. De decepto à Parocho in materia fidei, an & quomodò sit reprehensibilis, satis dictum est in initio responsionis hujus. Sed illatio illa propria Celladei, quòd à fortiori excusaretur puella credens Parocho dicenti, quòd propter gravem tentationem licitum sit fornicari, est prorsùs nulla; quia quæ sunt obvia in materia juris naturalis, à fidelibus invincibiliter ignorari non possunt. At quæ sunt de jure solùm positivo, qualia sunt articuli revelati, maximè qui magis à communi rudium cognitione remoti sunt, sæpe ignorantur invincibiliter. Saltem longè faciliùs est hæc ignorari quàm illa; quia illa ex ipsa natura, hæc non nisi ab aliorum instructione in mentem venire possunt. Ergò quod probat, hæc invincibiliter ignorari, non solùm non probat à fortiori, sed nullo modo probat, illa posse invincibiliter ignorari.

Confessarii est petere à pœnitente, an putaverit se peccare?

19. Mirandum sanè, quid Celladeo venerit in mentem, quando culpat Confessarios, qui quærunt à pœnitentibus, an & quale peccatum existimaverint se patrasse? Quid enim? Nónne quæstio hæc in omnium etiam in Celladei sententia valde pertinens est? Profectò omnes fatentur errorem, etiam vincibilem, excusare à tanto, quamvis non excuset à toto. At spectat ad Confessarium de tantitate peccati judicium formare. Ergò talis quæstio est valde pertinens, cùm sine illa judicium rectè formare nequeat. Præterea aliquandò accusant se de eo, quod non est malum ex parte objecti. Annè tunc etiam talis interrogatio est impertinens? Immò verò nulla alia opportunior aut magis congrua moveri potest. Porrò non est verum, quod dicit Celladeus, totam causam juxta illud pœnitentis dictamen decidi; sæpe enim, illo dictamine non obstante, judicamus pœnitentem esse reum, maximè quando satis intelligimus errorem fuisse vincibilem, aliquando de hoc dubitamus. Cæterùm quando homo absolutè & sine formidine quamvis vincibiliter judicat rem esse bonam, solùm dicunt, electionem talis objecti non continere malitiam peculiarem, sed solùm communem cum culpa, à qua ignorantia culpabilis processit; quod verum est, nec Celladeus probare potest oppositum. Atque hinc aliquæ opiniones permittentes pœnitentem manere in sua ignorãtia, & veræ sunt, & valdè rationabiles, ut in superioribus ostensum est. Quòd si invincibiliter & innoxiè comedens carnes in die vetito felix ab aliquibus existimetur, id est ab imperitis carnisque commodo addictis; nam sapientes ejus miserentur, cùm melioris virtutis actum omiserit, & minùs benè operatus sit, quàm si juxta legis præscriptum abstinuisset.

Celladeus non rectè proponit opinionem, quã impugnat.

20. Sed quid? Annè tantorum malorum origo illi tribuenda est opinioni, quæ docet, neminem peccare, nisi, aliquo modo advertat se peccatum admittere? Inprimis mala ista & absurda prætensa nulla sunt, sed omnia, ut oportet, rectè se habent. Deinde opinio illa non rectè proponitur; illa enim solùm docet, nullum actum esse peccatum imputabile ratione sui, qui non sit cum aliqua advertentia mali, quod est verum. Verùm, hoc non obstante, si dictamen conscientiæ permittentis sit vincibile, utique qui sequitur tale dictamen, non facit opus bonum, sed peccat, & opus, quod facit, illi imputatur ut peccaminosum. Cæterùm hoc ita asseritur ab illa opinione, ut tamen dicat, hanc imputabilitatem non fundari in ipso opere secundùm se, prout hîc & nunc egreditur à libertate, quia hac ratione præcisè nullam malitiam moralem continet. Ratio est, quia malum quod non est voluntarium non est imputabile. At malum hoc hîc & nunc est penitus ignotum, cùm operans illud nec directè cognoscat, nec indirectè advertat ad obligationem quærendi veritatem, &c. Ergò malum illud, prout connectitur cum actibus à quibus hîc & nunc oritur, non est voluntarium, & consequenter non est peccatum ratione sui. Malè tamen operatur homo ille, & opus illi imputatur ob vincibilitatem ignorantiæ, seu ob peccatum, per quod ignorantiam & errorem incurrit. Opus ergò illud est imputabile non ad peculiarem culpam & pœnam, sed solùm ad illam eandem, quæ debetur culpæ, à qua error iste suam originem sumit. Hæc est summa hujus sententiæ, quam Celladeus non impugnat, & si eam impugnare velit, deficientem se sentiet, cùm perspicuum sit malum illius operis non esse voluntarium præcisè ratione istorum actuum, qui hîc & nunc eliciuntur; si enim illi soli eliciti fuissent, & sine ulla culpa in animum inducti, malum illud non magis voluntarium fuisset, quàm est in eo, qui illud invincibiliter ignorat.

Illegitima Celladei illatio.

21. Hoc posito, absona prorsùs est illatio illa, quòd hoc sit dicere, ignorantiam & errorem non esse peccatum, nec causam peccati. Quid vis, Celladee? Est ne hoc idem ac dicere, nullam omnino vel solam aliquam ignorantiam & errorem nec esse peccatum, nec causam peccati? Si primum, evidenter erras, quia hinc non sequitur, ignorantiam affectatam & cognitam non esse voluntariam & peccaminosam. Præterea tu ipse fateris, aliquam ignorantiam esse invincibilem, eamque nec esse peccatum, nec causam peccati. Ergò ex hoc non sequitur, nullam, sed solùm aliquam ignorantiam & errorem esse peccatum vel causam peccati. At hoc nil absurdi continet,

cùm

cùm & per se, & per omnes id fit verissimum. Cur ergò talia objicis? cur illationem tam apertè nullam facis?

Celladeus censoré suũ immeritò impugnat.

22. Sed & redargutio illius librorum censoris, qui tuam irreverentiam erga ipsum ex hoc confidenter à peccato excusabat, quòd in eo putares, te Deo obsequium præstare, erat actus charitatis, qui laudandus non reprehendendus erat. Sciebat ille bonam fidem, & Zelum boni publici sæpe multa à peccato excusare, maximè quando Zelus ille inculpabilis est, & bona fides invincibilis. Talem ille tuum Zelum, & talem tuam fidem judicavit, quia talia de proximo præsumere, & omnia dubia in favorem ejus interpretari charitatis est; similemque interpretationem de aliis vicissim fieri postulat. Quid hîc reprehensione dignum invenisti, Celladee? Laudare illum propterea debueras, ac de illo honorificentiùs loqui; immo & priora dicta, si in aliquo excesseras, in favorem tam favorabilis judicis mitigare.

Falsum S. Thomæ affingit.

23. At, inquies, In suo principio erravit, malamque illationem intulit, proptereaque erroris hujus redarguendus erat, ut suum errorem agnosceret. Verùm in quo principio erravit? an in eo, quòd per bonam fidem, & Zelum honoris Dei te excusatum fuisse asseruerit? Ita videris dicere, quia aliud per umbram non objectas; rectéque te hoc objicere ex eo probas, quòd S. Thomas hoc ipso principio sæpiùs usus sit ad oppositum inferendum. Sed hac in re apertè falleris. Numquam S. Thomas adeo desipuit, ut ex eo probaret opus esse malum, quia fit ex bona fide; cùm enim fides bona ad omne opus bonum requiratur, atque in illud influat, non magis ex hoc inferri potest, opus non esse bonum, quàm inferri possit lignum non comburi, quia est calidum. Id quod S. Thomas docuit, & quod omnes cum illo dicimus, est, hanc bonam fidem non semper influere bonitatem in actum, quia bonitas actûs aliunde impeditur; nempe à culpa, ratione cujus fides illa est culpabilis & vincibilis, ut erat in persequentibus Christum & Apostolos. Hoc non aliud docet S. Thomas. At hoc non est oppositum inferre ex illo principio, ut patet. Jam Censor ille, ex charitate, atque ex opinione magna de tua probitate, præsumpsit Zelum tuum fuisse inculpabilem, & fidem bonam invincibilem, in quo laudandus est, debesque ideo illi gratus existere. Hoc autem posito, S. Thomas, non minùs quàm ille, si in eisdem circumstantiis extitisset, ex eo te excusasset, quòd bona fide te obsequium Deo præstare putares.

Major Catholicorum damnatorũ pars non perit ob peccata ignorãtiæ.

24. Quod additur de numero prædestinatorum, est valdè incertum, & quamvis admittatur, nil facit ad rem. Nemo enim negat peccata ignorantiæ esse etiam frequentia. Unde si homo de illis non doleat cum emendationis proposito, ab illis absolvi nequit. Esto ergò multi ex hoc capite damnentur; sed quòd major Catholicorum damnatorum pars ex eo pereat, videtur incredibile; quia, ut tu fateris, maxima pars sine Sacramentis non decedit. Plerique illorum non mediocrem diligentiam in conscientia exponenda & examinanda ponunt, maximè cùm à Confessariis juventur. Hi autem in genere de occultis etiam & ignoratis peccatis se accusant, atque ex universali motivo omnia detestantur. Unde dicere, majorem illorum partem damnari propter defectum confessionis, aut propter peccata ignorantiæ, gratis & sine fundamento, immo contra rationem asseritur. Ergò aliunde multitudo pereuntium sumenda est. Multi in peccatis vivunt & moriuntur. Quot in mari, quot in bello, quot ex improviso sine ullo spirituali adjutorio vitâ excedunt? Quot in continuis quodammodo peccatis & relapsibus vitam transigunt? Frequentissimè verum est, eorum dolorem non esse sufficientem. Qui in morte solùm pœnitentiam agunt, eorum pœnitentia ex mente omnium cum August. *in cap. si quis dist. 7. de pœnit.* est valdè dubia, cùm peccata illos deserant, non illi peccata. Multi etiam habituati in malo post absolutionem legitimam iterum peccant, & pereunt. Ex his caussis ingens multitudo perit, nec opus est ad caussas illas occultas ac dubias à Celladeo propositas confugere; quia sine illis reliquæ caussæ plus quàm abundè sufficiunt, ad magnam illam pereuntium multitudinem inferendam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES reliquæ.

25. OBJICIT tertiò. Error erat Pelagianorum, ignorantiam semper excusare à peccato, nec sine conscientia peccati peccari posse. Errorem hunc latè obruit S. Hieronymus innumeris textibus S. Scripturæ, qui videri possunt in Dialogis ipsius cõtra Pelagianos. Hieronymo Celladeus adjungit SS. Bernardum, Thomam, Chrysostomum, Augustinum & alios, qui omnes ex Sacræ Scripturæ textibus probant, ignoranter & nescienter peccari, & peccata ignorantiæ imputari peccantibus. Hoc omne fusè prosequitur tota *quæst. 4.* quibus addit primò *cap. ex tuarum de sortilegiis*, in quo, Gregorius IX. inquit, hæc habet. *Ex tuarum tenore literarum accepimus, quod V. Presbiter cum quodam infami ad privatum locum accessit, non ea intentione, ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verùm licèt hoc ex bono Zelo, & simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit, &c. Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quòd per annum & amplius, si tibi visum fuerit, cum ab altaris Ministerio præcipias abstinere.* Mox de suo hæc subiungit. *Ha sunt tua ignorantiæ invincibiles: pænitens ait, bono Zelo feci, nihil adverti; tu innoxium, & culpæ immunem pronuncias: contra verò Romanus Pontifex; contra Sancti Patres & Scripturæ: quid ergò resistitur.*

Error & bona fides non semper excusat.

Addit secundò S. Theresiam *lib. 7. Mansionum cap. 4.* supponere, magnas animas, quæ in eam mansionem pervenêre, advertenter & scienter nullum grave peccatum admittere, ignoranter tamen & inadvertenter incurrere posse.

Addit tertiò, in oratione habita in Concilio Basil. contra necessitatem communionis sub utraque specie hæc haberi. *Nullus excusatur per ignorantiam alicujus, quod scire de necessitate tenetur, &c. ignorans ignorabitur. Et sequeretur, quòd eadem de causa pagani & infideles essent salvandi. Patet quia ignorant, baptismum esse de necessitate salutis, &c. Item omnes persequentes & occidentes Christianos propter nomen Christi, putantes se obsequium præstare Deo, essent immunes à peccato; quia propter ignorantiam putant se benè agere, de quorum numero fuit Paulus, &c.* quibus aliqua alia similia subduntur. Ita Celladeus *quæst. 4. §. 2. 3. & 4.* ex quibus videtur rectè inferri, quod §. 2. dixerat, incongruè ipsi ab aliquibus objici tamquam absurdum, quòd

quòd ex ipsius sententia sequatur, Sanctorum aliquem incurrisse peccatum ignorantiæ. Hoc enim absurdum non est, cùm nemo Sanctorum non dicat. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*, & similia. Præterea multi putant, vel ex S. Aug. timent, S. Cyprianum ex ignorantia peccasse, in illa nimia sua reprehensione S. Stephani Papæ.

Multis viis ex ignorantia peccatur.

26. Respondeo omnia, quæ Patres ex Sacris litteris contra Pelagianos objiciunt, esse verissima, sed ad præsentem quæstionem nil facere. Hoc ut clariùs appareat, nolo sub una notione confusè proponere, quæ de ignorantiæ peccatis dicenda sunt; sed ea, ut oportet, in varias classes reducere conabor. Inprimis qui operantur in dubio peccant ex ignorantia, maximè si ita dispositi sint, ut si veritatem scivissent, aliter operati fuissent. Sic dubius an in feram vel hominem sagittam emittat, ignoranter homicidium committere potest, quia si scivisset, se hominem occisurum, sagittam non fuisset ejaculatus. Et hic casus esse potest multiplex: primò si dubius sit de homicidio; secundò si judicet feram in vepribus latêre, non hominem, ideoque arbitretur, se opus bonum facere, & animal reipublicæ valdè noxium, non hominem interimere; modò ad eam certitudinem non pertingat, quæ requiritur, ut sagittam licitè emittat. In his enim casibus haud dubiè peccat, quamvis ignoranter hominem occidat. Verùm talis homo dubius non est de inhonestate suæ operationis, sed eam benè discernit. Tertiò si non sciat se malè operari in tali casu, sed de eo dubitet. Ecce quot viis homicidium ignoranter committi potest, quamvis operans non habeat ignorantiam, sed scientiam vel opinionem aut dubium de inhonestate suæ actionis, & in omnium sententia indubitanter peccet.

Primus modus peccandi ex ignorantia.

Secundus modus peccandi ex ignorantia.

27. Secundò multa dicuntur fieri ex ignorantiâ quoties clara & specialis rei malitia ignoratur, aut creditur abesse, quamvis adsit generalis notio mali latentis in opere. Sic illi, qui per pravam doctrinam & consuetudinem eò cæcitatis venerunt (si tamen eò venerint) ut existimaverint, homicidium aut adulterium non esse malum & peccatum, ideoque ignoraverint & errârint circa specificam talis actionis turpitudinem, non tamen ignorabant actionem illam simpliciter esse malam, cùm non possent non advertere, illam esse contrariam synderisi dicenti, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quod principium adeo evidens est & generale, ut à nullius mente obliterari possit.

Tertius modus peccandi ex ignorantia.

28. Tertiò apud Ethnicos, immò apud sapientiores eorum, etiam apud Philosophos nonnullos, quædam in se turpissima dicuntur permissa fuisse; ut vagus concubitus: aut, quod plus est, habebantur homine liberali digna, ut puerorum amores, qui liberis tantùm non servis permittebantur per eorum leges. De his enim aliisque ejusmodi existimo, eos solùm locutos fuisse de bonitate, quæ civile reipublicæ bonum respiceret, si talia opera permitterentur; ideoque errores illos tam tetros: non de alio licito & illicito, quàm de permisso & non permisso per leges reipublicæ congruentes & proficuas, intelligendos esse; quia de hoc solo genere honesti, externi & plausibilis, & ab eorum legislatoribus præscripti, rationem habebant homines illi. Jam errores isti non auferunt à mente omnem notitiam, etiam confusam, de turpitudine talium operationum in ordine ad naturam rationalem, quà talis est, ideoque illis non obstantibus satis advertebant, tales actiones impedire bonitatem, qua homo redditur bonus in se, & in ordine ad futuram vitam, quamvis in ordine ad rempublicam legibus determinatis stabilitam tales operationes essent permissæ, & haberentur bonæ ac laudabiles. Ratio cur ita existimem est, quia Philosophi qui de honesto & inhonesto secundùm se, & in ordine ad naturam rationalem, quà rationalis, est tractarunt, in nullos ejusmodi errores inciderunt, sed omnia talia, ut intoleranda rejecerunt. Jam qui ex istiusmodi errore operati sunt, redargui quidem non poterant à civili illo magistratu, sed tamen intus in corde rei erant coram Deo, quia ad turpitudinem magis latentem satis advertebant.

Quartus modus peccandi ex ignorantia.

29. Quartò, ignorantia & error potest esse omninò absolutus, per quem omnis prorsùs suspicio de malitia objecti removetur, immò illud absolutè creditur bonum, absque eò quòd malum actionis ponentis illud, ullatenus hîc & nunc cognoscatur. Talis ignorantia aliquando est invincibilis, quando scilicet aut non potuit, aut non debuit vitari; & tunc nullus nec de præsenti, nec de præterito, nec proximè nec remotè apparuit timor turpitudinis in tali opere; aut si apparuit, post debitam diligentiam adhibitam opus rationabiliter & irreprehensibiliter creditur honestum. Aliquando talis error est vincibilis, eò quòd potuerit ac debuerit evitari. Talis ignorantia incurritur, quando ab initio advertens ad periculum mali, illud levibus de causis & temerè ex passione aliqua contemnit, & sine debita veritatis indagatione, aut mali apparentis, tandem obliviscitur, aut absolutè credit illud esse bonum. Prior error citra cujusvis legis obligationem contrahitur, secundus non sine transgressione incurritur.

Quintus modus peccandi ex ignorantia.

30. Quintò, qui errore proximè explicato deceptus aliquid bona fide & ex bono zelo facit, dupliciter peccare potest; primò ratione operis positi; secundò ratione modi, quo opus ponitur. Peccat ratione operis, qui vincibiliter errat, quia cùm positio operis oriatur ab errore, quem culpabiliter contraxit, opus ipsum illi tribuitur ad culpam, & verè denominatur peccatum à negligentia, per quam error contractus fuit. Hoc modo non peccat, qui invincibiliter errat, quia non est unde opus aut error ipsi imputetur ad culpam. Peccat ratione modi, quando tam opus creditur bonum, quàm ipsius etiam positio existimatur congrua & necessaria; homo tamen non movetur ad opus illud ponendum ex hoc præcisè motivo; sed vel ex invidia, aut ex aversione & odio, vel etiam ex nimio & indiscreto impetu. Uno verbo defectus isti possunt esse prorsùs iidem in casu erroris, ac quando non erratur circa rem & meritum rei. Ergò sicut ex istis aliisque ejusmodi capitibus homines aliquando peccant, etsi ponant, & sciant se bonum opus ponere, eò quòd indebitè, & modo non bene regulato illud ponant, ita pariter eadem ratione peccare possunt, qui ex errore operantur. Hic modus malè operandi ex æquo convenit illi, qui ex invincibili, & qui ex vincibili errore dirigitur. Sic tam errantes quàm non errantes aliquando peccant ob zelum nimium, aut passiones alias, quæ quandoque magis quandoque minùs se produnt; & hac ratione multi peccant, qui Christianos & Catholicos persequuntur, sicut etiam Catholici peccare possunt, dum hæreticos insectantur. Hoc posito.

Quid Celladeus facere debuisset, ut suam sententiam ritè probaret?

31. Ut argumentum, ab auctoritate PP. & S. Scripturæ desumptum, valeret ad intentum præsens, debuisset Celladeus casum ponere de ignorantia & errore vincibili, & de operatione per illum directa, in quam nullus ex prædictis defectibus, nec alius ullus (nam ego omnes non numeravi) præter meram vincibilitatem cadit; adeo ut in hoc instanti operationis homo non solùm putet se bene operari, sed non advertat aut dubitet quòd teneatur abstinere donec informationem meliorem accipiat, &c. ita tamen ut propter præcedentem negligentiam culpabilem, cum advertentia contractam, præsens error sit vincibilis, & imputabilis propter culpam à qua processit. Hoc strictè declarato & stabilito, debebat, ut nos facimus, duo quærere. Primum, an operatio à tali errore regulata sit peccatum, & verè imputetur homini ad culpam & pœnam. Secundum, an sit imputabile ad peculiarem culpam & pœnam, distinctam à culpa & pœna, quæ erroris vincibilitati debetur. Nos primum admittimus, & dicimus, illud efficaciter probari ex multis textibus Sacræ Scripturæ. At quod secundum ex illis textibus inferatur, unde, quæso, vel per umbram probatur? Cogitet hæc Celladeus, & si velit suam sententiam ex Sacris Scripturis Sanctisque PP. probare, proponat illam exactè, prout discriminatur ab opinione contraria. & probet illam, si possit. Ostendere enim debebit primò, quòd textus Scripturæ, & argumentatio Patrum procedat juxta præcisum hunc sensum, & nihil involvat reprehensibile ex ullo alio capite. Deinde si constiterit, PP. in aliquo saltem casu ad hunc se sensum restrinxisse, ostendere debet, eos loquutos esse de peculiari malitia morali, & de pœna peculiari propria talis operationis secundùm se, distincta penitùs à malitia negligentiæ, per quam error contractus fuit. Sed cùm hoc factu impossibile invenerit, discat absurdum esse existimare, quòd communis Theologorum sententia tam notoriis fidei principiis, tamque communibus Scripturæ ac PP. dictis contrariatur.

Presbyter ille non ex mera ignorantia, sed ex malitia peccasse videtur.

32. Caput, quod ex Decretalibus citat, non à Gregorio IX. sed ab Alexandro III. dictatum fuit; Gregorius enim fuit solùm Collector Canonum, quos pro legibus fixis haberi voluit, inter quos nonnullos à se etiam conditos proposuit. Cæterùm vix existimo Celladeum credere, Presbyterum illum ex rigorosa omnis peccati ignorantia operatum fuisse; sic enim eum conscientia non momordisset, nec pro absolutione institisset. Profectò peccatum superstitionis nimis clarè se prodit in tali actu; quod proinde à viro non vulgari, sed à Presbytero ignorari non potuit. Nec obstat quod bono Zelo fecerit, quia mala non sunt facienda, ut eveniant bona. Nec refert, quòd proposuerit se id fecisse ex simplicitate, quia hoc solùm indicat, eum non tantum malum apprehendisse, quantum alii apprehendebant; nec probat, eum non habuisse advertentiam sufficientem ad peccatum malitiæ, & non solius ignorantiæ incurrendum. Non enim dubium mihi est quin peccatum malitiæ intervenerit, nec oppositum probabiliter ostendi potest, & hac de causa Pontifex eum tam severè damnat. Sed esto, omne peccatum malitiæ abfuerit in illo casu. Adhuc dicendum est, ignorantiam fuisse vincibilem, alioquin nullo modo peccasset. At negligentia, per quam talis ignorantia incurritur, est peccatum gravissimum ut patet; ideoque factum illud Presbyteri erat peccatum gravissimum, quamvis macula illius peccati præcesserat, antequam ad hunc actum contraheretur, illumque denominaret malum & peccaminosum.

Illatio & redargutio absona.

33. Cæterùm absona prorsùs est illa Celladei illatio & redargutio. *Hæ sunt tuæ ignorantiæ invincibiles.* Peto enim ut vel unum afferat, qui dicat, aut Presbyterum hunc, aut eos, quos textus Sacræ Scripturæ & Sancti Patres peccati redarguunt, invincibili ignorantia laborasse. Quòd si in peculiari casu dicamus aliquem invincibiliter ignorare & excusari, casus ille longè alius est ab illis, in quibus Sacra Scriptura, Pontifices, & SS. Patres homines peccati damnant. Itaque dicere quod illis contradicamus, vel resistamus, est loqui de subjecto, ut aiunt, non supponente.

Quomodò homines magnæ virtutis labantur in peccatum?

34. Quod tradit S. Theresia multis modis potest verificari; primò si nomine inadvertentiæ & ignorantiæ, intelligat claram & perspicuam notionem peccati latentis in opere. Talia enim homines, de quibus loquitur, non solent committere. Quo non obstante, aliquando, quamvis rarò, contingit eos in lapsum ruere, quando mali advertentia non est tam clara, sed sufficiens tamen ad malitiam refundendam. Secundò intelligi potest de peccato ex plena deliberatione & consideratione facto. Qui enim talia non faciunt, aliquando ex subreptione labuntur. Et hi quidem aliquo modo dicuntur ex ignorantia & inadvertentia labi. Tertiò demum, si velis eam in omni rigore loqui de peccato perfectæ ignorantiæ & inadvertentiæ, in eo etiam casu quod dicit aliquando, quamvis rarò, contingit. Fieri enim poterit, ut talis homo aliquo ex modis proximè dictis, aut etiam cum clariori cognitione negligat scire quod tenebatur; postea autem obliviscatur hujus peccati advertenter commissi, neque illud sufficienter retractet, perseveret tamen in aliis suis bonis habitibus peccatumque apparens vitet. Hic homo ex ignorantia peccare poterit, quia opus ignoranter commissum potest illi imputari tamquam peccatum ob culpabilem mali latentis ignorantiam.

Oratio in Concilio Basileensi non favet Celladeo.

35. Quæ ex oratione habita in Concilio Basileensi afferuntur, procedunt de ignorantia vincibili, aut certè de ignorantia eorum, quorum scientia est necessaria necessitate medii. Prima ignorantia non excusat à peccato; secunda, etiamsi sit invincibilis, à damno incurrendo non liberat. Itaque ex ibi dictis nil inferri potest, cui jam sufficienter responsum non sit.

Celladeus omnes Doctores, etiã Sanctissimos, peccati condemnat.

36. Nec benè avertit Celladeus ictum eorum, qui objiciunt, sequi ex illius sententia, Sanctorum aliquem incurrisse peccatum ignorantiæ; inprimis exemplum S. Cypriani non est ad rem, si enim peccavit (de quo S. Augustinus nil definire audet, sed potiùs ad eum excusandum inclinat) peccatum illius non videtur fuisse meræ ignorantiæ, cùm ex historia rei gestæ appareat, non exiguam rerum advertentiam intervenisse. Itaque ictum certum, per exemplum ex omni parte incertum haud declinat. Præterea non objicimus, unum aliquem sanctum, sed innumeros, immo ex doctioribus omnes fere graviter peccasse idque in eo, in quo censentur laude digni, & benè de Ecclesia meriti. Et sanè hoc admittere habetur ut notorium & non ferendum absurdum in hac ipsa oratione, quam hic contra nos citat. Demum objicimus SS. illos in malo statu diu vixisse, immo & in eodem mortuos esse; quæ sunt absurda non toleranda, sed in illius sententia prorsùs inevitabilia.

37. Sancti

Sancti meritò petunt veniam delictorũ occultorum.

37. Sancti quidem omnes rectè dicunt. *Delicta quis intelligit?* & quotidiè orant, *ab occultis meis munda me*: idque multas ob causas. Inprimis post opera patrata non benè recordantur omnium, quæ in instanti operationis & antea gesta fuerunt; unde aliquando concludunt se benè vel malè fecisse, quando Deus oppositum novit. Sæpe errant in judicio de qualitate operis; unde rectè dicunt, *Delicta quis intelligit?* & benè respondent, solum Deum hæc perfectè nosse & intelligere. Secundò non rarò obliviscuntur actionum factarum, quarum aliquæ malæ fuerunt; & quidem si loquamur de tota vita, multorum etiam gravium peccatorum oblivisci possunt. Nónne ergò rectè dicunt, *ab occultis meis munda me?* sed & eandem orationem rectè applicant peccatis puræ ignorantiæ, quæ à priori negligentia orta sunt; illa enim sæpe sunt occulta, & tamen à Deo illis imputantur, de quibus proinde venia à Deo petenda est. Cæterùm respectu sanctorum, hæc peccata occulta, quæ tempore vitæ melioris contrahunt, rarò sunt mortalia, frequenter venialia.

38. Demum adverto, quod antè insinuatum fuit, omnia quæ hîc objecta sunt de peccatis ignorantiæ & erroris nil facere ad præsentem quæstionem, quæ in eo præcisè vertitur, utrùm opinio certò probabilis, si sit falsa, sit peccatum erroris nec ne? Ad hoc autem probandum argumenta allata non deserviunt.

Objectiones ad intentum principale non deserviunt.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-TERTIA.

Vtrùm peccare possit homo, quin se peccare advertat?

1. QUÆSTIO hæc est valdè affinis præcedenti. De ea Celladeus fusè agit *lib. 1. quæst.* 5. & in ea plurimum triumphat. Eandem ego disputationi subjiciam, ut veritas sciatur, & Celladei triumphus inanis ostendatur.

ASSERTIO PRIMA.

Ad omne peccatum, etiam ad peccatum ignorantiæ & ex ignorantia, præcedere debet aliqua demum cognitio, & actualis cogitatio malitiæ vel in se, vel in alio; vel in particulari vel in generali.

Aliqua mali advertentia ad omne peccatum requiritur.

2. PROBATUR assertio, in qua omnes omnino Theologi, Celladeo etiam id expressè fatente, conveniunt. Ratio convincens est, quia quando malitia non est voluntaria non datur peccatum. Sed malitia omnino incognita (qualis est malitia, de qua nulla umquam habita fuit cognitio, scrupulus, aut dubium nec in se nec in alio, nec in particulari nec in universali) non est voluntaria, quia omne voluntarium est præcognitum. Ergò quando malitia est omninò incognita, nullum est peccatum. Ergò aliqua demum cognitio & apprehensio malitiæ omnino prærequiritur ad peccatum.

ASSERTIO II.

Qui legem, cujus actualiter conscius est, ex vehementi passione violat, & liberè prosequitur opus inchoatum, toto tempore peccat imputabiliter, quamvis singulis instantibus libertatis actu non advertat se peccare.

Libera prosecutio operis mali scienter inchoati est imputabilis, etsi operans non actu reflectat ad legem.

3. PROBATUR. Toto illo tempore homo liberè ponit actionem, quam antequam illam inciperet sciebat esse prohibitam. Ergò & actio & ejus continuatio culpabilis est, cùm utraque liberè ponatur contra legem, quam operans, immediatè antequam operaretur, sciebat vetare utramque. Præterea continuatio actionis malæ in hoc casu est connaturalis, & quidem implicitè saltem prævisus effectus legis scienter contemptæ. Ergò est culpabilis, & vitio vertitur, sicut ejusdem inchoatio; series enim malorum ex primo aliquo malo contexta, tribuitur illi, qui scienter primum posuit, ex quo novit reliqua contexta aut connaturaliter, aut etiam ex non interrupta illius libertate sequutura. Tertiò subsequens incogitantia aut inconsideratio legis in hoc casu est culpabilis, quia proximè potuit ac debuit vitari; homo enim qui non solùm habitualiter novit legem, sed actualiter ad eam reflectebat in initio actionis, vi illius & poterat & debebat ab omni ista sequela operationis malæ abstinere. Similiter poterat & debebat media apponere, quibus & ab actione, & ab ejus prosequutione arceretur; horum unum erat advertentia ad legem, & ad offensam Dei. Ergò aliquo modo poterat & debebat ad legem advertere, sicut etiam poterat & debebat actionem inchoatam abrumpere. At nemo excusatur per id, quod proximè poterat & debebat vitare. Ergò homo ille per dictam inconsiderationem non excusatur.

Probatur multipliciter.

de Verit. quæst. 15. art. 4. ad 10. Henricum *quodlibeto 6. quæst. 32.* Gersonem *2. p. in Compend. Theol. Alph. 30. lit. D.* Sylvestrum *V. delectatio. quæst. 1. dict. 4.* Cordubam *in quæstionar. lib. 1. quæst. 23. dub. 10.* quibus addit Suarium *de Censur. disp. 4. sect. 8. num. 18.* Vasquez eandem sententiam latè probat *1. 2. disp. 107. cap. 3.* ubi hæc habet. *Hanc sententiam disertis verbis, quæ non est opus referre, tradiderunt Alexander 2. part. quæst. 108. Membro 7. & 11. Bonav. in 2. dist. 24. super secundam partem textûs, & 2. part. distinct. art. 2. quæst. 2. Albertus eadem dist. art. 13. Henricus quodl. 6. quæst. 32. Immò etiam Gerson (qui pro opposita sententia alio loco allegatus est) idem docuit Alph. 30. ab initio præsertim, lit. D. Anton. 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 5. qui etiam refert Petrum de Tarantasia. Angelus V. cogitatio. num. 2. Sylvester verbo delectatio quæst. 1. part. 4. Caietanus 2. 2. quæst. 88. art. 1. & in summa, verbo Delectatio, & Armilla ibidem nu. 1.* Hactenus Vasquez, qui ibidem pro eadem sententia citat Conrardum *in art. 4. quæst. 74.* Almainum, Angestum, Nider, Petrum à Soto, & Cordubam; quibus consentire ait Paludanum *in 4. dist. 18 quæst. 6. art. 2 num. 5.* Gabriëlem *in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 3. dub. 3.* Demum eandem sententiam tribuit S. Thomæ *quæst. 15. de verit. art. 4. ad 10.*

Ex S. Thoma. 7. Et quidem quod ad S. Thomam attinet, ille *quæst. 15. de verit. art. 4. ad 10.* hæc habet. *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat: sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente & de nocumento consequente, utpote cùm percipit homo, se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire.* Hunc textum Sylvester ponderat, & in eodem sensu loquitur, loco à Sanchez citato. Idemque expressè traditur ab Angelo, loco quem Vasquez citavit.

8. S. Antoninus parte 2 tit. 5. cap. 1. §. 5. loquens de delectatione morosa, docet qualiter sit & non sit peccatum, & in fine hæc habet. *Complacentiam surgentem in sensualitate circa luxuriam, vel aliud quod est mortale ex genere suo, aut ratio superior ex consideratione divini præcepti vel offensæ Dei statim reprimit, & tunc non est nisi veniale. Aut non statim reprimit: & tunc aut expressè consensit, & sic est mortale, &c. Aut non expressè, sed negligit reprimere. Aut ergò manet talis complacentia post sufficientem deliberationem & animadversionem periculi, & tunc est mortale. Aut non manet, & sic est veniale.*

Ex Henrico. 9. Henricus, loco quem Sanchez & Vasquez citant, loquens de consensu in delectationem, ex August. docet, illum esse peccatum mortale, & hæc habet. *Debet ista consensio, in qua consistit peccatum mortale, quod meretur damnationem, talis esse, quod sit deliberativa, non subreptitia. Tunc autem est deliberativa, quando postquam ratio percipit delectationem, & advertit judicando eam esse illicitam, adhuc voluntas se tenet in ea, & non cohibet eam, &c. In tali ergò consensione deliberativa consistit primò peccatum mortale. Et quidquid præcedit in actu voluntatis, aut appetitûs sensibilis, aut carnis, aut non est peccatum, aut solummodo peccatum veniale est.* Ita Henricus, nec dubium quin requirat expressam advertentiam ad rationem illiciti, quamvis, ut postea se explicat, non sit necesse quod rationis judicium præcedat, sed sufficit, si debuerit præcessisse; *quia, inquit, planè consentire continget in delectationem, vel verè, vel interpretativè. Verè, quando verè præcessit judicium rationis. Interpretativè, quando interpretativè præcessit judicium rationis. Quod fit, quando ex delectatione voluntatis in tantum absorbetur ratio, ut non posset intendere judicio, & negligit voluntas movere rationem ad judicandum, & permittit transire tempus, quo posset deliberare, quod cùm pertransierit, etsi non verè consentit ex liberi arbitrii electione, quæ non fit sine judicii præcedentis discretione, consentit tamen interpretativè, hoc est regulativè, quia non tantùm est contemptus mortalis ex electione delectans, sed etiam propter delectationem negligere movere rationem ad judicandum, ut possit eligere repellere delectationem, & refrænare appetitum sensibilem.* Hæc ille, quæ haud dubiè requirunt advertentiam, saltem dubitationem, aut scrupulum de malitia delectationis, cùm sine illis voluntas nequeat movere intellectum ad judicium rationis.

10 S. Bonaventura primo loco quem Vasquez citat hæc habet. *Tunc mora temporis (in delectatione) inducit consensum verum, quando ex diuturnitate delectationis crescit libido, adeo ut homo velit omnino in vitiorum delectatione persistere, & morari. Tunc verò inducit consensum interpretativum, quando homo advertens periculum delectationis retentæ, negligit eam reprimere: hoc enim non est absque contemptu salutis propriæ, pro eo quod discrimini se exponit.* Idque explicat exemplo eius qui serpentem juxta se scienter permitteret, aut collocaret: sicut enim ille salutem corporis negligeret; *Sic qui in tali delectatione, advertens periculum, vel debens advertere, voluntariè versatur, exponit se discrimini, quando negligit repellere.* Idipsum mox fusiùs explicat citato *art. 2. quæst 2.* ubi hæc habet. *Aut advertit periculum, aut non advertit. Si non advertit periculum delectationis, nec repellit eam, peccat, sed non mortaliter: gravius tamen peccat, quàm si statim & vincibiliter repulisset. Aut advertit periculum, & delectationem illam non repellit, sed mentem in talibus cogitationibus revolvi sinit: & tunc dicunt Magistri, quod peccat mortaliter, quia quamvis non sit ibi consensus verus, est tamen ibi consensus interpretativus. Hoc tamen quod nunc ultimò dictum est, non est usquequaque certum. Negant enim aliqui esse mortale in negligentia reprimendi, ubi est displicentia, quantumcumque quis periculum advertat: sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Et si cui hoc contingat, sanum est consilium, quod de ipso ut de mortali pœniteat, in dubiis enim securior via eligenda est.* Ex S. Bonaventura.

11. Idem quoque habet Gerson *parte 2. in Compendio Theologiæ, ubi agit de delectatione:* sed verba ejus non recenseo, quia sunt longiora, & sensus cum jam dictis coïncidit. Sed dubitatur, an liber ille sit legitimus Gersonis partus. Certè itaque dubitandum non est, quin reliquæ citationes Vasquii quas non examinavi, sint veræ, cùm has invenerim esse verissimas. Jam verò etsi S. Thomas, & reliqui, quos citavi, solùm loquantur in particulari materia de delectatione morosa, nihilominus cùm illa sit res spectans ad jus naturæ, & peculiarem præ aliis rebus turpitudinem ac notiorem malitiam præ se ferat, haud dubiè quod de illa traditur, à potiori de aliis dicendum erit. Itaque constans Antiquorum Theologorum, & quidem præcipuorum opinio est, quod absque aliqua actuali advertentia de malitia peccati nullum committatur peccatum mortale, non solùm per consensum verum & absolutum, sed ne quidem per interpretativum, in quo discrepant ab aliquibus paucis, qui tenent, talem advertentiam actualem non esse necessariam ad con- Suffragatur Gerson.

sensum interpretativum, sed sufficere advertentiam virtualem & interpretativam, quam tunc intervenire aiunt, quando ratio actu non considerat objectum, in quod fertur voluntas, esse malum; potuit tamen morali potentia, & debuit illud considerare. Pro hac sententia Vasquez, & Sanchez locis jam indicatis, citant paucos aliquos ex antiquioribus Theologis, & nonnullos recentiores, sed non multos. Cæterùm S. Thomas, & Theologi antiqui, quos citavi, longè plus requirunt, quàm assertio posita requirit: illi enim requirunt aut judicium rationis, aut perceptionem, & sufficientem deliberationem ac animadversionem periculi, &c. cùm per nos solùm requiratur dubitatio aliqua vel scrupulus; unde, assertio, eo modo ut jacet intellecta, videtur esse unanimis omnium opinio, quia sine tali scrupulo aut dubitatione, homo non habet hîc & nunc moralem potestatem deliberandi de malitia objecti, nec potest ad illam adhibendam teneri, ut patebit ex rationibus quas afferemus: quod & ipsi adversarii verè concedunt, quia talem inconsiderationem vitio non vertunt, sed illam innoxiam putant, alioquin in nostram sententiam inciderent. Unde solùm loquuntur de potestate morali remota, non de proxima, quæ præsentem incogitantiam reddit illicitam. Quare existimo paucissimos, aut potiùs nullos esse, qui à thesi posita dissentiant. Quod si sermo sit de peccato ratione sui imputabili, nemo quod sciam, præter Celladeum, dissentit; quia si præsens inconsideratio sit effectus negligentiæ prioris, tunc quidem non negamus, tam ipsam inconsiderantiam, quàm opus ex illa causatum esse effectus peccati, & si velis, esse & denominari peccata; sed nullam propriam imputabilitatem habent, ut dictum est *assert.* 3. Itaque quod ad auctoritatem pertinet, assertio præsens haud dubiè præferenda est opinioni contrariæ, & simpliciter habenda verissima.

Sensus S. Thomæ & antiquorũ Theologorum.

12. Sed antequam ulteriùs progrediar: accurata reflexio facienda est ad illam S. Bonaventuræ supra citati particulam. *Hoc tamen non est usquequaque certum. Negant enim aliqui esse mortale in negligentia reprimendi, ubi est displicentia, quantumcumque quis periculum advertat: sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Et si cui hoc contingat, sanum est consilium, quod de ipso ut de mortali pœniteat. In dubiis enim securior via eligenda est.* Hîc S. Doctor loquitur de duabus opinionibus contradictoriis praxi pœnitentiam deservientibus. Ipse tutiorem sequitur, eamque veram reputat, & ut ex modo loquendi apparet, eam ut longè probabiliorem & quodammodo certam habet. Sed quia non erat, *usquequaque*, ut ait, certa, cùm aliqui docerent oppositum, ita pro praxi casum resolvit, ut *sanum sit consilium* in rebus ejusmodi securiorem partem tenere. Ergò S. Bonaventura existimavit nullam esse obligationem sectandi partem aut tutiorem aut probabiliorem, sed hoc ad consilium pertinere; ideoque cuique licitum esse sequi in praxi partem minùs tutam, minùsque probabilem; nec ipse tamquam Theologus aut Confessarius quemquã obligandum censebat ad conformandum se opinioni sui Confessarii, modò bona fide alicui opinioni probabili inhæreat. Porro, quia S. Bonaventura in tali re nil temerè contra communem Doctorum opinionem & fidelium praxim effutiit, rectè colligitur, communem tam fidelium praxim, quàm Auctorum sententiam fuisse, quod cuique liceret sequi quamcumque opinionem practicè probabilem, etiam minùs tutam, modò bona fide eam veram esse reputaret.

Ulteriùs explanatur mens S. Bonaventuræ.

13. Hactenus citavi Auctores antiquos, de una particulari materia loquentes, ex qua tamen apertè infertur eandem fuisse eorum opinionem circa alias materias. Quare quamvis hoc abundè sufficiat intento nostro, ad pleniorem tamen assertionis probationem legendus est S. Thomas *1. 2. quæst. 76. art. 3. in cap.* ubi hæc habet. *Potest contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur à peccando, sive illa circumstantia faciat ad rationem peccati, sive non, & tamen adhuc remanet ejus scientia per aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati: puta, si aliquis percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem (quod sufficit ad rationem peccati) non tamen scit eum esse patrem, quod est circumstantia constituens novam speciem peccati: vel fortè nescit, quod ille se defendens repercutiat eum, quod si sciret, non percuteret: quod non pertinet ad rationem peccati, unde licèt talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excusatur à peccato, quia adhuc remanet ei cognitio.* Hîc S. Thomas expresè docet ignorantiam & omnimodam incogitantiam circumstantiæ transferentis ad aliam speciem, excusare à malitia quam circumstantia illa specificat, quamvis homo peccet in illo opere. In quo complectitur omnia, quæ alii hac de re docent, cùm aliqui strictiùs loquantur, & dicant advertendum esse, an ignorans talem circumstantiam det operam rei licitæ, vel illicitæ. Si illicitæ, volunt ignorantiam non excusare, secus si operam det rei licitæ. At S. Thomas ex æquo omnes complectitur, etiam eos, qui dant operam rei illicitæ. Et sanè dubium non est, quin hæc sit expressa ejus mens, quando ignorantia & inconsideratio aut non potuit, aut non debuit superari, quia totus scopus articuli ad hoc probandum collimat. Ergò cùm in casu nostro inconsideratio malitiæ aut non potuerit, aut non debuerit superari, utique perspicuum est S. Thomam per omnia nobiscum sentire.

Luculentur ex S. Thoma probatio.

14. Hæc de auctoritate nobis favente dicta sunto, quæ certè non ideo tam expresè citavi, quia dubitabam de exacta fidelitate Sanchez, aut de exactissima Vasquii diligentia, maximè cùm expresè dicat, Auctores, quos citat, tradere assertionem positam in terminis expressis, & ideo verba eorum non esse necessariò referenda. Quis enim tale tanti viri testimonium in dubium vocaret? sed necessitate compulsus hanc diligentiam adhibere debui, ut occurrerem periculo, quod Lector Celladei vix aliter evitare posset; ipse enim ita loquitur, ac si omnino supponeret Sanchez hallicinatum fuisse, omnesque Antiquos citra controversiam secum contra nos stare. Jam verò ipsa Antiquorum verba ante oculos legentium posita, ipsum, non Sanchez fuisse deceptum apertè convincunt.

Hallucinatur Celladeus, vindicatur Sanchez.

PROBATIO A RATIONE.

15. **P**ROBATUR secundò rationibus, quas Vasquez & Sanchez locis citatis afferunt. Illæ sic se habent. Ex doctrina S. Thomæ *1. 2. quæst. 14. art. 6.* consultatio non procedit in infinitum versus finem in mediorum inquisitione; alioquin numquam inciperemus operari; nec versus principium, quia numquam inciperemus consultare: sed necesse est venire ad unam primam cogitationem naturalem, quæ non sit ex consultatione, sed sit consultationis initium. Hanc primam

Sine propria aliqua cognitione malitiæ nõ datur principium sufficiens consultationis, adeoq; nec voluntarietatis.

primam cogitationem Aristoteles 7. *Eth. ad Eudemum*, fortunæ tribuit, eò quòd homini sine ejus industria & solicitudine occurrat. Ut ergò aliquis circa operis bonitatem aut malitiam moralem consultare possit, primò occurrere debet aliqua cogitatio naturalis, in nostra potestate non existens, quæ talis consultationis principium esse possit. Neque enim in nostra potestate est hanc primam cogitationem excitare. At quando nulla cogitatio, dubitatio, aut scrupulus, de malitia operationis, aut de periculo mali in ea contenti menti occurrit, non datur sufficiens principium consultandi ac deliberandi de malitia morali talis operationis. Ergò non est in nostra potestate de illa consultare; ac proinde talis objecti malitia non est voluntaria; siquidem ablata eo modo potestate consultandi, eo modo malitia & peccatum non solùm non est voluntarium, sed ne quidem spontaneum, quod teste Aristotele 2. *Eth. cap. 1.* est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio.

Practicæ cōsultationi non sufficit cogitatio cōmoditatis objecti.

16. Dices occurrit saltem cogitatio aliqua de commoditate aut utilitate rei illius, alioquin illam amare & eligere non possemus. At hæc cogitatio est sufficiens principium consultandi de malitia ejusdem. Ita objiciunt, qui oppositam sententiam sectantur. Sed Vasquez & Sanchez rectè respondent, talem cogitationem sufficere quidem ad deliberandum de commodo & incommodo, non autem de malitia morali, quia sunt res diversi generis, nec unum ex alio infertur. Sic consultatio de re aliqua ut utili ad studium, non est sufficiens principium consultandi de illa re in ordine ad bellum aut aliud alterius ordinis, nisi circa quodlibet negotium diversum prima aliqua cogitatio naturalis se offerat. Ergò similiter consultatio de re aliqua ut utili ad finem temporalem, non est sufficiens principium ad consultandum de malitia morali; quia est res diversi generis. Ergò ut de illa consultare possimus, naturalis aliqua cogitatio aut dubitatio circa illam occurrere debet.

17. Confirmatur responsio, quia non solùm utilitas rei cognita non est sufficiens principium consultandi de malitia morali, sed neque consideratio malitiæ aut honestatis secundùm jus naturale sæpe est sufficiens principium consultandi de præcepto positivo, eò quòd non sit sufficiens connexio inter illa; immo certa notitia de malo in una specie, ut de homicidio, non est sufficiens principium consultandi de malitia alterius speciei in eodem opere contenta, ut de parricidio, quod est exemplum S. Thomæ paulò antè allatum; quia si nulla de parricidio naturalis cogitatio oriatur, cognitio homicidii non est sufficiens principium consultandi de parricidio. Ergò à fortiori consultatio de utilitate rei, non est ne interpretativa quidem consideratio malitiæ.

Sæpe deest sufficiens connectio inter utilitatem rei ejusque malitiam.

18. Probatur 2. exemplis. Sciat quis præceptum Ecclesiæ de jejunando tali die. Contingat hunc hominem nil prorsùs cogitare aut de præcepto, aut de die illo. Ponamus autem, quod in hac dispositione materialiter faciat contra præceptum edendo quod est vetitum. Hic homo poterit consultare de utilitate ciborum illorum, immo & secundùm regulas temperantiæ naturalis modum & quantitatem eorum præscribere. Nemo tamen eum peccati mortalis aut venialis condemnabit, si nulla prorsùs cogitatio præcepti ipsi occurrat. Ex priori enim illa cogitatione non poterat consultare de præcepto Ecclesiæ. Plurima istiusmodi exempla sunt obvia, maximè in materiis jure tantùm positivo prohibitis, quia cùm ex natura rei nulla sit connexio inter rem & præceptum; cogitatio de re non sufficit ut cogitare possimus de præcepto, nisi naturalis aliqua cogitatio de præcepto aliunde se prodat. At in rebus per se malis, aliter se res habet; quia etiam illi, qui talibus peccatis addicti sunt, statim ac occasio operis illius se prodit, aliquam de illius malitia apprehensionem habent, quamvis eam facilè contemnant, & in peccata ex habitu ruant. Ratio est, quia cùm res sit mala secundùm se, eo ipso, quod cognoscitur, malum ejus se prodit, & sufficit ut de illius malitia consultare possimus. Quod si in aliquo casu raro contingeret nullam talem cogitationem excitari, nec operantem habere sufficiens principium illam excitandi, idem de illo dicendum esset, ac in casu præcepti positivi; quia opus illud non esset ratione sui imputabile, quia malitia illius non esset voluntaria ratione sui.

Quomodò dignoscendum an opus, inconsideratè factum, sit peccatum?

19. Porrò ut sciamus, an opus, ex dicta inconsideratione factum, sit peccatum imputabile ratione alterius, videndum est, an præsens inconsideratio fuerit culpabilis nec ne? Si fuerit culpabilis, non excusat; & opus ab illa factum imputatur, sicut causa, à qua oritur. At si non fuerit culpabilis, ut frequentissimè non est, nullum prorsùs erit peccatum in opere, sed censendum est illud ex naturali ac invincibili oblivione, vel inconsideratione esse factum.

Conclusio firmatur multiplici ratione.

20. Probatur 3. Superat humanam diligentiam expellere ignorantiam vel inadvertentiam malitiæ objecti, cujus nullà prorsùs incidit cogitatio; usus enim libertatis circa rem aliquam nititur cognitione aliqua illius rei, tamquam radice, cùm voluntas ferri nequeat in incognitum. Ergò si nulla prorsùs sit suspicio talis malitiæ, necesse est eam esse hic & nunc incognitam, & consequenter non voluntariam, adeoque ratione sui omnino imputabilem.

21. Probatur 4. Suavitas divinæ legis idipsum persuadet, præsertim in peccatis mortalibus; quæ cùm tanti nocumenti sint, non est credibile Deum legem statuisse, ut ille sit tanti criminis reus, qui nullum de malitia rei dubium aut scrupulum concipit, sed circa illam se habet sicut naturaliter operans. Hæ sunt rationes, quas Vasquez & Sanchez afferunt, quibus addo ego sequentes.

22. Probatur 5. Incogitantia prohibitionis de esu carnis in die Veneris in homine bonæ vitæ, qui tale præceptum diligenter observare solet, & libentissimè observaret etiam nunc si vel per umbram de illo cogitaret, non est peccatum, nec vitio verti potest. Non est peccatum in se hic & nunc, quia cùm nullo modo sit cognita, non est voluntaria in se. Rursus homo ejusmodi non peccat per hoc, quòd talis incogitantia illi obrepat, quia nullam occasionem incurrendi illam dedit, quam vitare tenebatur, quamque ponendo peccavit. Quod adeo manifestum est, ut videatur rationabiliter in dubium venire non posse. Nónne misera foret hominis etiam justificati conditio, si tales incogitantiæ sine peccato mortali non incurrerentur? Omnes enim continuò cruciarentur, ne tali incogitantiæ causam darent. Deinde talis lex ex eo scitur non dari, quia dici nequit, quid expressè præcipiat. Neque enim ullus gradus diligentiæ determinari potest, ad quam obliget, quia tali diligentia non obstante, hæc oblivio & inconsideratio sæpe obrepit. Præterea, qualis demum est illa lex, quam

quam ne quidem diligentissimi aut observant, aut moraliter observare possunt? Ergò illa inconsideratio non est peccatum saltem in homine tali. Ergò esus carnis ex illa causatus non est peccatum, cùm malitia talis comestionis nec in se nec in sua causa sit voluntaria & imputabilis.

23. Hinc autem sequitur, quod eadem certitudine ac probabilitate concludere possimus, hominem, omni actuali consideratione malitiæ carentem, non peccare ponendo opus prohibitum, qua cognoscimus illum non peccasse illam inconsiderationem incurrendo. At respectu proborum, & eorum qui vitæ novæ seriò incumbunt, aut semper aut plerumque præsumendum est hanc inconsiderationem non esse voluntariam & imputabilem. Ergò per illam omnes ejusmodi præsumuntur excusari. Quod si homo sit valde incurius sui, & ex negligentia culpabili tales inconsiderationes & oblivionès incurrat, tunc de illo aliter ratiocinandum est. Ille enim præsumitur peccare in tali esu, quamvis fortasse non peccet; si enim contingat illam oblivionem esse prorsùs naturalem, nullius peccati reus erit, ut patet. At si ex peccatis illius non retractatis, ut ob notoriam illius negligentiam præsumitur, originem sumat, culpæ vertitur, & consequenter esus etiam ipse imputabitur ad culpam; at nullam ratione sui imputabilitatem habebit, sed eam solùm quam culpabilis ignorantia ipsi tribuit. Ratio autem est, quia esus præsens, omnisque præsens dispositio intellectûs & voluntatis circa esum est planè similis in eo qui culpabiliter, & in eo qui inculpabiliter ignorantiam contraxit. Ergò impossibile est, quod unus ex illis sit culpabilis præcisè propter tale opus, & alter sit innocens. Ergò neuter ratione illius turpiter agit. Ergò si unus malè agat, tota malitia aliunde desumenda est, nempe à culpa, per quam tam oblivio, quàm opus ipsum inductum fuit.

Qua certitudine constat inconsiderationem esse involuntariam, eadem cõstat actionem prædictam nõ esse peccatum.

24. Probatur 6. In casu omnimodæ incogitantiæ de lege carnium esum vetante, homo illas bona fide edens, hîc & nunc nullam legem transgreditur. Ergò hîc & nunc non peccat. Consequentia tenet. Probatur antecedens. Nulla lex hîc & nunc illi magis applicatur, quàm si nulla ejusmodi lex existeret. Ergò nulla lex hîc & nunc illum obligat, cùm lex non applicata obligare nequeat. Legis enim est dirigere operantem, idque per modum imperii à superiore profecti, cui obtemperandum est. At nisi voluntas & imperium superioris applicetur, & aliquo modo apprehendatur, neminem dirigere potest, cùm legis directio non sit physicus influxus huc illuc impellens, sed moralis & rationalis manuductio, quæ sine aliqua legis cognitione haberi non potest. Hinc constat legem non edendi carnes non applicari huic homini; ideoque hominem illum hîc & nunc illam non violare. Sed neque ulla alia lex illi applicatur, per cujus directionem tenetur diligentiam adhibere, aut abstinere donec diligentiam adhibeat, &c. quia eo ipso essemus extra casum assertionis; operans enim aliquam mali latentis suspicionem ac dubitationem haberet. Ergò stante suppositione assertionis, nulla lex hîc & nunc sufficienter applicatur, per quam homo dirigi possit ac obligari circa carnium esum. Ergò talis homo carnes edens hîc & nunc nullam legem actu eum obligantem ac dirigentem transgreditur. Ergò si de peccato imputabili sit sermo, nullum ejusmodi peccatum inveniri potest in hoc opere secundùm se, si sumatur præcisè prout oritur à præsenti operantis dispositione; cùm illa secundum se sit eadem cum dispositione ejus, qui invincibiliter legem ignorat; de quo certum est apud omnes, quod lex illi non sufficienter applicetur, ut illum hîc & nunc dirigere ac obligare valeat. Ergò taliter operans non aliter peccat, quàm si inadvertentia fuerit vincibilis. At vincibilis non est propter præsentem dispositionem ut patet, quia si alia dispositio numquam informasset animum operantis, haud dubiè invincibiliter ignorasset legem. Ergò quod illam vincibiliter jam ignoret, à præterita negligentia desumendum est, à qua sola omnis denominatio mali ac peccati, quæ ignorantiæ aut esui ipsi tribuitur, desumenda est. At hoc est quod expresè docemus. Itaque integra totius assertionis veritas sufficienter probata est.

Ubi nulla legis est applicatio, nulla legis datur transgressio seu peccatum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Celladei.

25. OBJICIT primò. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 16.* citat plures Auctores tam pro quàm contra necessitatem cogitationis actualis de malitia operis particularis, quod ponitur, ut peccatum mortale incurratur. Refert vir, alioqui doctus, multos antiquos pro necessitate cognitionis actualis de malitia particularis illius operis: verùm nisi ego prorsùs deliro, nil tale Doctores illi requirunt, sed id solum, quod ex concordi omnium Theologorum sententia præmisimus. Ita Cellad. *quæst. 5. §. 1.*

26. Respondeo. Non deliras Celladee, turpiter tamen deciperis, quia certum est, Auctores illos antiquos in terminis docere, quod à Sanchez illis tribuitur, idque tu ipse videre ac legere poteras, si ad loca ab illo citata respexisses; & ne copia Lectori desit, ego eorum verba superiùs ponderavi. Crede mihi, Celladee, aliud est ex opinione præconcepta de mente Auctorum disserere, aliud ex rei veritate, & sincera illorum inspectione quid teneant cognoscere. Quod cùm tibi satis notum erat, cur loca à Sanchez citata non inspexisti, ut sic debitam de re tanta sententiam proferres? Mirandum etiam est, quod cùm Sanchez Vasquium citet, dicatque illum plurimos pro hac sententia citare, nulli illorum fidem dederis, sed ex violenta oppositi persuasione credideris, Auctores ab illis citatos longè alia tradere, quàm quæ à tantis viris illis tribuuntur.

Undicatur Sanchez à calumniis Celladei.

27. Sed quid sibi vult tuum illud dictum *Sanchez, vir alioqui doctus, refert multos, &c.* Profectò verba sonant, æstimare te quod Sanchez in hac citatione à munere viri docti deflexerit, eò quòd vel non intellexerit Auctores, quos citat, vel falsò illos citaverit, cùm illi talem materiam non tractarint. At hoc viro tanto apte seriam locorum citatorum inspectionem imponere, debita moderatione caret. Præterea eodem jure idem crimen Vasquio inferre poteras, & ut consequenter procederes, debebas. Sed absit talia de tantis viris suspicari. Legerunt illi, quos citant, eos intellexerunt, ac proinde habendi sunt Auctores, non solùm *alioquin docti*, sed in hoc ipso exacti, eruditi, ac docti: sciasque velim, Celladee, Mundum Literarium semper habiturum eorum citationes pro veracibus contra tuam exceptionem, nisi plus afferas in contrarium, quàm contrariam imaginationem tuam ut hîc attulisti.

28. Quod si Antiquos illos legisses, non solùm vidisses opinionem nostram apud antiquos fuisse

fuisse communem, sed insuper S. Bonaventura & alii te docuissent, plures ad peccatum mortale non solùm advertentiam & quidem plenam de malitia & periculo rei postulasse, sed insuper tradidisse absolutum voluntatis consensum in delectationem ad culpam lethalem esse necessarium. Horum ego sententiam cum Vasquio *1. 2 disp. 108.* prorsùs rejicio; ex illa tamen infero, deceptum te fuisse circa opinionem Antiquorum, qui de peccatis ignorantiæ & inconsiderationis prorsùs aliter opinati sunt, quàm tu arbitraris, tuæque sententiæ sua auctoritate obstant, & semper obstabunt.

29. Objicit secundò. Eò venerunt Auctores, ut dicerent, edentem carnes die prohibito non peccare, si nulla præcepti suspicio in mentem venerit. Et similia multa resolvunt. Unde inferunt, Confessarium, à pœnitente talia audientem, debere judicare illum nullius peccati mortalis reum. Ecce qua de causa *quæst. præced.* tam multi extitimus in probando ex ipsis Dei verbis oblivionem & ignorantiam posse esse peccata, vel causas peccati. Non ostentandæ eruditioni, sed saluti animarum id laboris datum est. Nam si in hoc erraretur periculum esset ingens.

30. Nec desunt, qui asserant cogitationem de malitia debere actu adesse, quando peccatur. Unde utuntur hac doctrina in illis etiam peccatis, quæ inter peccata ignorantiæ numeravit nemo; qualia sunt peccata ex iracundia, ut maledictiones, juramenta, &c. Quæritur enim à pœnitente, an adverterit se peccare? Si non advertit, eum à peccato immunem pronunciant.

31. Hanc doctrinam arripiunt illi, qui in usu probabilium fundant evidentia conscientiæ dictamina de honestate vel malitia operationis; formant enim hunc syllogismum. *Quoties & de quo non habeo cogitationem de peccato, non pecco. Sed hic & nunc non habeo cogitationem de peccato in hoc. Ergò non pecco.* Ecce quam majorem non opinabilem modo, sed etiam evidentem statuant! Et, ô Deus, ubi sunt peccata ignorantiæ? Ubi iracundiæ & furoris? Certe si hæc ita se haberent, in quo delinquebant Pelagiani, quando apud S. Hieronymum interrogabant? *Quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse; & ejus rei, quam nescio, pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Quorsum Hieronymus interrogationem hanc ut stultam repellit, eam Sacræ Scripturæ sententiis non minùs fulminat, quàm falsitatis convincit, si nemo sine actuali cogitatione malitiæ peccat? Ita Celladeus *loco citato.*

Non minùs mali ex falsitate sententiæ Celladei, quàm nostra?

32. Respondeo, nil aut falsi in doctrina illa, aut mali in illa praxi contineri, si accipiatur, & intelligatur, prout à nobis traditur, & exponitur in assertione. Non ergò necesse erat tantum laborem assumere ad probandum ignorantiam esse posse peccatum & causam peccati, si contra hanc doctrinam collimatum est, quia ex doctrina illa de peccatis ignorantiæ nil contra istam assertionem inferri potest. Laudo quidem Zelum Celladei, & fateor magnum esse periculum si in hoc erretur; sed periculum ex æquo utrimque imminet. Malum quidem esset, si nos erraremus, quia peccati reos à culpa liberaremus: sed non minus malum est, si adversarii errent, quia illi culpæ & sceleris damnarent innocentes. Præterea Celladeus solùm supponit doctrinam illam communem esse falsam, cùm illius falsitatem probare debuisset.

33. Qui dicunt neminem umquam peccare in ullo instanti in quo non habet actualem cognitionem peccati, citandi erant, ut impugnarentur. Ego certè tales nullos novi, nec existimo ullos esse, qui ita crudè sentiant de omnibus, etiam de illis, qui scientes volentesque in scelera consentiunt. Quis enim eos à peccato immunes facit, eò quòd pro aliquo instanti actionis pravæ de malitia illius actu non cogitent? Citentur, ut sciantur, & repudientur. Sed libet Celladeo sub eisdem terminis plura sine distinctione complecti, ut Lector nil illorum rectum putet, eò quòd perspiciat universa sub expressione contenta non posse esse honesta.

Merito inquirit Confessarius an Pœnitens adverterit ad operationis malitiam inter peccandum.

34. Cæterùm non apparet, cur Celladeus eos reprehendat, qui ea doctrina in peccatis ex iracundia patratis utuntur. Quid enim? Nónne ad judicium de qualitate facti ferendum utile est scire, an operans adverterit nec ne ad malitiam suæ operationis? Si advertit, graviùs peccat, quàm si non advertat. Si non advertat, non solùm ea peccata sunt peccata inconsiderationis, sed nemo meritò potest ea aliter vocare, cùm verè fiant ex inconsideratione, modò operans taliter dispositus sit, ut si advertisset ea non commisisset. Cur ergò doctrina de peccatis inconsiderationis pro peccatis ejusmodi non est adhibenda? Rectè ergò interrogatur pœnitens, an adverterit nec ne? Nec tamen si non adverterit, statim pronunciatur innocens; peccat enim si inadvertentia culpabilis fuerit & voluntaria; sed quia varii gradus sunt in negligentia, à qua talis incogitantia procedit, ideo fieri potest, ut talis inconsideratio grave sit peccatum in uno, veniale in alio. Prudentes autem confessarii ad hæc omnia aliaque similia advertere solent, quidquid Celladeus in contrarium dicat, qui certè contrarium solùm imaginatur, cùm illud scire non possit.

35. Ad ultimum dico Celladeum errare aut in formando, aut in applicando syllogismo, quem proponit. Errat in illo formando, si dicat illum adhiberi ad dirigendam operationem futuram, quia nemo tam stultus est, aut esse potest, ut eum ad talem finem adhibeat; minor enim majori conjungi nequit, quia minor expressam supponit cogitationem mali & peccati adesse, quàm Major abesse supponit. Unde stante tali cogitatione nemo uti potest majori illa ad conscientiam dirigendam, sed ad alia principia recurrere debet, ut per se patet. Itaque Auctores benignæ sententiæ solùm utuntur illo syllogismo ad indagandum, an quis in aliquo opere peccârit, nec ne. Jam si Celladeus syllogismum ad hoc applicet, dupliciter errat in eo applicando. Primò errat, quia syllogismus ille non ponitur ut demonstratio, non tam ob defectum majoris ritè intellectæ, quàm ob defectum minoris, quæ sæpe est incerta; nam etsi hic & nunc putemus nullam mali latentis suspicionem animum subiisse, de eo tamen raro certi sumus, cùm talium sæpe obliviscamur. Ergò minor sæpe est incerta. Quod si minor sit certa, ut aliquando evenit, tunc syllogismus moralem demonstrationem continet, ut secundo Celladei errore detecto mox constabit.

Hallucinatur adversarius.

36. Errat ergò 2. quia majorem proponit in sensu universali, in quo illam non adhibemus. Si enim incogitantia culpabilis fuerit, major est falsa; est autem vera si fuerit inculpabilis; & quidem veritas illius tam patens est, ut neminem, etiam rudem, lateat. Omnes enim talem inadvertentiam ad se excusandos afferunt, & meritò putant secum iniquè agi, si probent talem inadvertentiam fuisse naturalem & inculpabilem. Sed & in

Dantur peccata incogitantiæ ubi hæc culpabilis fuerit: secus ubi naturalis & inculpabilis.

in humanis nemo meritò irascitur, vel alieniorem se exhibet, eò quòd alter ex incogitantia malum aliquod ipsi intulerit, modò certò constiterit inadvertentiam omni culpâ caruisse. Unde hac certitudine stante, judex justus neminem pro tali opere puniendum censet. Hæc autem apertè probant veritatem majoris sic intellectæ esse certam & evidentem.

37. Cæterùm quamvis major, ut jacet, sit falsa si sumatur in sensu universali, veritatem tamen continet si hac ratione efferatur. *Liberè operans, qui nullam de operis malitia suspicionem habet, non peccat peccato per se imputabili ponendo illud.* Et quidem rationes allatæ in hac ipsa quæstione veritatem illius convincunt. Quod si dicas eas non esse absolutè demonstrativas, saltem meritò negare non potes, quod sint longè probabilissimæ & quodammodo moraliter certæ. Vide *quæst. 17. de Consc. prob. num. 31. & seqq.* ubi multa invenies, quibus veritas hujus propositionis validè stabilitur.

38. Ubi ergò sunt peccata ignorantiæ? In quo ergò errarunt Pelagiani à SS. PP. reprehensi? Peccata erroris & ignorantiæ nimis frequentia sunt, & ab illis committuntur, qui vincibiliter ignorant & errant, ut dictum est *quæst. præcedente.* Pelagiani in eo errabant, quòd docerent, nil ex ignorantia aut errore factum esse malum, aut ad culpam imputari debere. Quod falsum est, quia error & ignorantia vincibilis non excusat. Deinde negabant peccatum originale, adeoque volebant ignorantiam omnem & difficultatem quam ex nativitate contraximus, nobis in nullo nocere, nec esse mala, aut ulla ratione justificationi obsistere, aut operum ex ignorantia illa factorum bonitati morali obsistere. Quæ omnia sunt hæretica & errores enormes continent, ideoque à SS. PP. Sacrarum Scripturarum auctoritate efficacissimè rejici debuere, sicut reipsa fuerunt rejecta; eademque ex nostra etiam sententia, immo ex doctrina præsenti de peccatis ignorantiæ clarè refelluntur ut patet.

Quo sensu Pelagiani negantes peccata ignorantiæ à SS Patribus damnati sunt.

39. Objicit tertiò. Si vera esset doctrina assertionis, aut omnino, aut maxima ex parte peccata iræ & amoris tollerentur. Inprimis homines per iracundiam passim jurant, maledicunt, & sæpe blasphemant. At vix unus ex quinquaginta, aut veriùs nullus tunc actu advertit se peccare; eoque minùs id advertit, quò majori rabie abripitur. Ergò vix ullus eorum peccat. Idem dicendum de homicidiis in calore iracundiæ patratis; plerumque enim deest actualis advertentia peccati, maximè in non timentibus Deum. Pleraque autem homicidia hoc modò patrantur. Cur ergò homicidæ severissimè, etiam morte ipsa puniuntur? Sciant Judices semel hanc Theologiam, & morte non puniant homicidas, qui in rixa alium interficiunt, quia præsumptio innocentiæ stat pro homicida, cùm præsumptio formari debeat ex iis quæ plerumque contingunt. Nec dicas eos peccasse ob iracundiam, & multo magis ob majorem iracundiam. Nam contra: quia tunc puniri deberent ob iracundiam non ob homicidium. At leges non ob negligentiam, aut iracundiam, sed ob homicidium mortem decernunt. Ergò homicidium, etiam cum non advertentia legis patratum, est peccatum. Ergò quamvis illa non advertentia, sicut passio, minuat, non tamen tollit peccatum, alioquin Judices non culpam pro culpa æstimantes, ac morte mulctantes, gravissimè peccarent. Quod si quis dixerit, hæc non esse peccata, numquam id credent Christiani, sed semper ad forum pœnitentiæ sua maledicta & juramenta afferent, quia sua eos conscientia semper remordet. Rursus omnia istiusmodi ab omnibus vituperantur, & pœnâ digna habentur. Ergò sunt peccata.

40. Sed quid dicemus de amore, quem Plato brevem amentiam appellat, quemque alii dixerunt extasim facere, & extra se rapere amantem. Qui aliquam deperit, eam semper in corde & in consensu habet; mira facit, & promittit, ut eam obtineat. At hæc sunt peccata. An hi etiam semper cogitant legem, quando hæc faciunt? Etiam quando amicam amplexantur & fortissima voluptate fruuntur? Profectò hoc esset dicere, eos, quod Sanctissimorum est, continuam Dei legisque memoriam habere. At hoc absurdum est. Ergò tunc non cogitant de lege. At peccant. Peccatur ergò, quin tunc advertatur peccari. Alioquin quærant Confessarii, sicut in juramentis faciunt, an actualem peccati advertentiam tunc habuerint.

41. Similiter ex hac doctrina sequeretur, peccata ex consuetudine magna ex parte tolli; constat enim peccandi consuetudine legis memoriam aboleri, & excæcationem induci. Rursus constat culpam non diminui nedum tolli ob habitum peccandi. Jobi 15. *Quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Et tamen hi in quandam legis oblivionem abierunt. Ergò non semper legem cogitant, nec conscientiæ remorsus habent, sed obstupuerunt.

42. Demum, superbia, quæ tot animas perdit, adeo ignotum malum est ipsis superbis, ut proverbium sit, Deum sæpe punire occultam superbiam, manifesta luxuria. Pharisæus in Evangelio est egregius typus in se confidentium, qui superbiam suam, ejusque malitiam non agnoscunt; si enim eam agnoscerent, non adeo confiderent, cùm sua ipsos remorderet conscientia. Habemus *Apocal. 3.* Episcopum Laodiciæ, cæcum sanè miserandum: *Quia dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus, &c. Collyrio inunge oculos tuos.* Adeo superbiam nostram non videmus, quin bonos nos existimamus. Concludit Joannes. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Ita Celladeus §. 2.

43. Respondeo, hæc & omnia ejusmodi abs re objici, quia proculdubio nec sunt, nec spectant ad peccata ignorantiæ, & inconsiderationis perfectæ, de quibus solis nunc agitur. Præterea ex *Assert. 2.* constat, omnia ista esse peccata imputabilia, etsi in prosequutione operis mali homo aliquando actualiter non advertat ad legem prohibentem. Porrò quamvis hæc ad horum solutionem abundè sufficiant, lubet aliquid ad singula reponere, ut argumentum, in quo Celladeus magnam vim ponit, undique infirmum esse demonstretur.

Aberrat Adversarius à quæstionis Scopo.

44. Et quidem inprimis ex eo colligitur, Christianos ad omnium istorum peccatorum malitiam sufficienter attendere, quòd raro aut numquam de istis se ob ignorantiã aut incogitantiam excusent; cùm tamen si ex incogitantia carnes comedant die prohibito, id ad sui excusationem distertè afferant. Quid est, Celladee, quod per incogitantiam ex æquo se non excusent, si ex æquo, ut tu arbitraris inconsideratione laborant? Reflecte ad hoc, & incogitantiam excusationi aptam in istis locum non habere perspicies; quia aut

Virtualis & interpretativa advertentia ad legem sæpe sufficit ad peccatum.

aut actualiter, aut certè virtualiter & interpretativè ad legem reflectunt, illamque contemnunt, ut dictum est in probatione assertionis secundæ.

45. Sed quid? verúmne est, vix unum ex quinquaginta qui in ira jurant, pejerant, & blasphemant, actu advertere ad malitiam operis, quod patrat? Celladeus hoc audacter dicit, sed nullam probationem affert, aut afferre potest. Nec mirum, quia moraliter certum videtur, plerosque Christianos tenuem saltem aliquam peccati notitiam habere; malitia enim talium operum adeo obvia est ut in talibus circumstantiis non possit se non prodere, quamvis homo in decursu actionis non semper actu explicitè ad illam reflectat, ad quam tamen virtualiter semper reflectit, legemque contemnit; ideoque non excusatur.

46. Idem à fortiori locum habet in homicidiis, etiam in rixa factis: incredibile enim est injustos aggressores ad malitiam seu peccatum homicidii plerumque non advertere; imò non est credibile eos ad illud initio saltem operis intenti non advertere. Unde etiam ex hoc capite semper præsumuntur culpabiles. Non ergò solùm peccant propter iracundiam, sed etiam propter homicidium: primò quia satis advertunt ad malitiam homicidii: secundò quia saltem satis advertunt ad ejus periculum; hoc autem sufficit, ut ipsius homicidii & sint & censeantur rei; qui proinde meritò ut tales juxta leges puniuntur. Quod si aliquis in rixa, nil cogitans de homicidio, ex ira subitanea ita excandescat, ut nec ad homicidium, nec ad homicidii periculum advertat, difficile erit Celladeo probare, illum homicidii reum esse coram Deo, aut etiam ab hominibus habendum homicidam, si illis demonstraret se tali modo præter intentionem homicidium perpetrasse. Ego dico illum in eo casu homicidii reum non esse, & cum Antiquis Theologis ac S. Thoma id probo, quia ob similem incogitantiam non est reus parricidii casu quo parentem interficeret. Ergò nec homicidii. Utrumque enim involuntarium est, cùm utrumque sit incognitum. Quod si ad homicidium, aut ad parricidium advertat, incredibile est, quod ad malitiam talis actionis sufficienter non advertat, aut ad obligationem ab illa abstinendi, propter malitiam illius, &c. quia hæ notiones ita sunt connexæ, ut cùm venitur ad praxim vix aut ne vix quidem separari possint.

Rarissimè cõmittitur homicidiũ sine aliqua advertentia ad malitiam peccati.

47. Similis responsio locum habet in iis, qui vehementi amoris stimulo agitati, qui sæpe actualiter, & semper aut fere semper virtualiter de malo cogitant, quando liberè operantur. Quando inquam liberè operantur, quia aliquando videntur non frui libertate saltem pro singulis temporibus, quod etiam suo modo, etsi minùs frequenter, in iracundiæ peccatis evenit. Atque hinc est, quod in istiusmodi casibus Confessarii interrogare non solent, an animadverterint se peccare; quia benè norunt eos ad hoc sufficienter advertisse, & pœnitentes ipsi firmam de eadem veritate persuasionem habent. At aliter se res habet, quando homo iracundiâ incitatus jurat; tunc enim nulla adest occasio cogitandi de malo juramenti, antequam illud ipsum jamjam prolaturus est; tunc autem ex subito motu fieri poterit, ut aut nullo modo, aut valde imperfectè & tenuiter de illius malitia cogitet, quia juramentum ex se malum non est. At de perjurio & blasphemia aliter dicendum est, illa enim per se propriam malitiam produnt. Unde rarò aut numquam excusantur à peccato, qui talia in iracundia faciunt, quamvis defectus deliberationis, & imperfectior apprehensio mali, atque etiam passionis vehementia malitiam minuant, & fortasse aliquando veniale reddant quod aliàs fuisset mortale. Cæterùm qui norunt se ad ista rapi in iracundia, eo ipso graviùs peccant, quando irâ excandescunt, quia satis advertunt ad horum omnium periculum, quorum proinde malitia illis tribuitur. Non ergò frustra interrogant Confessarii de advertentia mali quando juratur ex iracundia, quamvis in peccatis luxuriæ talem interrogationem rarò aut numquam adhibeant, quia sciunt ista ex sufficienti notione malitiæ patrari solere, quamvis illa non rarò sine tali advertentia committantur.

Defectus deliberationis & apprehensionis imperfectio malitiam actionis imminuunt.

48. Circa peccata ex consuetudine & habitu patrata, dico ea frequentissimè fieri sine remorsu conscientiæ, id est sine timore & dolore quo voluntas timorata ex advertentia peccati concutitur; sed quòd ea fiant sine advertentia mali, quatenus illa se tenet ex parte intellectûs, falsum est; quod ex duobus colligitur, scilicet ex talium testimonio & ex ratione. Ex illorum testimonio, quia illi rarò aut numquam se excusant per inadvertentiam mali, quando ex mero habitu contracto operantur, satis enim advertunt se male agere, saltem dum opus aggrediuntur; quod non impedit quo minus per suam malitiam excæcentur; excæcatio enim non omnem legis memoriam abolet, sed solùm practicam illam advertentiam, qua homo terretur, & retrahitur à malo, illudque ut valde damnosum vivaciter apprehendit. Nec mirum, quia excæcatio potissimè consistit in duritia cordis, ratione cujus homo nec admonitionibus & inspirationibus movetur, non quòd non videat malum, sed quòd illud non æstimet, nec propter illius debilem propositionem moveatur, sed ita se habet ac si nil apprehenderet; adeo ut de illis dicere possimus videntes non vident, & audientes non intelligunt. Non ergò carent omni notitia mali & legis prohibentis, sed sicut ab initio lex proponebatur, & cum aliquo remorsu & tristitia contemnebatur, ita etiam postea proponitur, sed paulatim remorsus minuitur, donec habitualiter & cum quadam voluptate contemnatur, eò quòd conscientiæ morsus, timor mali imminentis, & præsentis peccati dolor non sentiatur in voluntate.

Peccata ex consuetudine orta, sũt quidè subinde sine remorsu, sed non sine advertentia.

49. Quod si malitia peccati ex habitu commissi non minuatur, nos non urget, sed Celladeum. Non nos, qui dicimus notitiam legis per habitum pravum non tolli, sed legem facilè & cum quadam voluptate contemni. Itaque cum ex una parte cognitio prohibens non desit, & ex alia voluntas majori vi, majoreque quadam voluntarietate sese effundat, fit ut opus, omnibus inspectis, sit tam voluntarium ac turpe, quàm erat ab initio, idque verum est, quamvis clarior cognitio mali haberetur in initio; tunc enim ex parte voluntatis aliquid involuntarii aderat, quia malitia actus aliquo modo displicebat; & quidem multo magis, quàm postea, quando homo ex habituali legis contemptu illam cum voluptate & facilitate negligit. Itaque nos clarè explicamus, quomodo malitia operationis ob habitum non minuatur; sed Celladeus hoc explicare nequit, si omnis legis advertentia absit, quando ex habitu peccatur, quia haud dubiè minus peccat, qui legem sciens prævaricatur, quàm qui nil de illa cogitans in illam impingit.

50. Confirmatur, quod de excæcatione, & habitu pravo dictum est. Contemnat aliquis legem

gem apparentem non semel sed sæpe, ita ut habitum & facilitatem contemnendi legem apparentem acquirat. Profectò is æquè excæcatur, aut magis, quàm ille qui habitum peccandi sine ulla legis advertentia contraxit; habet enim cor durius altero, cùm legis vetantis & offensæ divinæ notitia actualis illum non stimulet, nec possit illum à malo deterrere, quæ tamen alium aut emendaret, aut terreret. Sanè de hujusmodi homine verissimè dicitur, quod videns non videat, & quod audiens non intelligat. Itaque ex titulo excæcationis non infertur, quod excæcatus, dum peccat, actualem legis notitiam non habeat, cùm maximè obcæcati ac indurati contra actualem legis notitiam cum magna voluptate, & sine difficultate peccent, & iniquitatem etiam notam bibant sicut aquam.

Excæcatio non obest malitiæ operationis.

51. Superbia non ita latet superbos, ut Celladeus autumat; si enim lateret, eam sub humilitatis & moderationis pallio studiosè non tegerent. At experimur eos nolle videri superbos, sed sollicitos esse ut habeantur moderati, &c. Ergò superbiam norunt esse vituperabilem, malam, & prohibitam. Ergò quando elatis excellentiæ suæ cogitationibus ac affectionibus, aliorumque contemptu inflantur, satis bene norunt, & advertunt ea esse mala, quia aut actualiter, aut virtualiter timent, ne talem suum animum prodant, & habitualiter saltem dispositi sunt ad eam omni conatu, sub demissi animi specie occultandam. Itaque superbi satis advertunt se male agere, quando amore propriæ excellentiæ abrepti, seipsos magni faciunt, atque in donis suis indebitè gloriantur. Nec in hoc magna apparet diversitas, inter superbum, & gulosum, vel iracundum. Non enim ostendi potest exemplum peccati mortalis in materia superbiæ, in quo ratio mali magis lateat, quàm in aliis materiis.

Superbum non latêre turpitudinê superbiæ, suadet ipsa experientia.

52. Deus quidem sæpe punit latentem superbiam manifestâ luxuriâ; verùm superbia illa non ideo dicitur latêre, quòd homo non satis adverterit ad malum superbiæ, quando mortaliter peccavit; sed vel quia alios latet, vel quia ipse superbus postea parvi æstimat suum fastum, illumque pro exiguo defectu habeat, quamvis Deum graviter offendat. Hac ratione superbia occulta dicitur, quia illius magnitudo superbum latet. Est & alia ratio, ob quam superbia latet superbum. Superbia est peccatum capitale, atque sæpe in tantum est mortale, in quantum alia peccata inducit. Jam sæpe homo labitur in aliquod peccatum occasione superbiæ, cùm tamen ipse lapsum illum aliis causis tribuat, ideoque sollicitus non sit ad superbiam reprimendam, quia illam sibi parum noxiam arbitratur; ideoque nec ab aliis peccatis emendatur. Deus autem ut oculos ejus aperiat, permittit illum in ea labi, quæ numquam cogitasset se patraturum, ut sic tandem cognoscat latentem superbiam suæ ruinæ causam præbuisse. Præterea sicut ille qui peccata venialia non curat, & quasi modica spernit, facilè labitur ad mortalia, Deo tantam incuriam puniente; ita pariter ob venialia superbiæ peccata, quæ homo superbus parvi facit, Deus aliquando permittit lapsum in mortale, ut homo discat se non efferre, nec in se gloriari, sed omne bonum soli Deo ascribere, & in illo solo omnem spem & fiduciam collocare, &c. Hac ratione superbia latet, & Deus latentem superbiam patentiore lapsu aliquando punit.

Quo sensu superbia dicatur occulta.

53. Porrò sicut luxuriosi ac gulosi plurimum gaudent, sibique blandiuntur in bonis sensibilibus, etsi satis advertant ea esse peccata; ita pariter superbi se efferunt, ac in suis dotibus gloriantur, etsi id esse malum discernant: nec in hoc ulla est diversitas inter superbos & alios, nisi quòd superbi ad propriam excellentiam, alii ad alia bona indebitè & contra legem afficiantur, quodque in materiâ superbiæ difficilè sit discernere quodnam sit peccatum mortale, cùm illud in aliis materiis certò innotescat. Sed ut omnes videant superbiam maximam, suique æstimationem ac confidentiam maximam, non excludere notitiam legis illam vetantis, consideretur Lucifer superbiæ pater, & dicatur, an ille dum superbè se extulit, legis divinæ nullam notionem habuerit? Nemo certè hoc dixerit, qui conditionem naturæ Angelicæ novit, & ad singularem dispositionem naturæ & gratiæ Angelis antè lapsum collatam aspexerit. Ergò quòd superbi in se confidant, quòd se efferant, &c. non probat eos legis prohibentis aliqualem saltem advertentiam non habere, quando actu peccant peccato per se imputabili, quamvis postea illius obliviscantur, aut putent se non errasse. Quod si actu de malitia superbiæ nullo modo cogitent, tunc temporis aut non peccant si invincibiliter non cogitent de rei malitia, aut solùm peccant peccato imputabili non ad peculiarem pœnam, sed tantùm propter negligentiam, ex qua talis inconsideratio ortum traxit.

Differentia inter peccatum superbiæ & alia peccata.

54. Episcopus Laodiciæ reprehenditur à Sacra Scriptura ob tepiditatem, magis quàm ob superbiam; videtur autem divitiis abundasse, atque ob illarum copiam & commoditates in spiritualibus exercitiis, atque aliis muniis suo officio debitis valdè intepuisse. Excitatur ergò, & commonetur ut fervore spiritûs teporem excitet, seque bonis operibus divitem faciat, &c. Quod si in superbiam etiam inciderit, nil inde inferri potest contra nostram assertionem, cùm inde non probetur, quòd sine ulla actuali advertentia ad malitiam peccaret peccato per se præcisè imputabili, de quo tamen solo præsens quæstio procedit. Quæ cùm ita sint, mirandum est, quod Celladeus illo S. Scripturæ dicto concludat: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis;* ita enim loquitur, ac si insinuare vellet, S. Joannem eò allusisse, ut approbaret sententiam illius, nostram verò condemnaret. Verùm quàm debiles & inanes sint istiusmodi conjecturæ satis colligitur ex dictis.

Exemplum Episcopi Laodiciæ inefficax.

SOLUTIO ULTIMÆ OBJECTIONIS Celladei.

55. OBJICIT quartò. Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia: sed qui actu advertit se peccare, non peccat per ignorantiam aut ex ignorantia. Ergò peccatur, quin advertatur peccari. Major censetur certa de fide, ut ostensum est quæst. præcedente. Minor patet ex terminis, quia peccare per ignorantiam, & ex ignorantia, est ignorando peccare, sicut peccare cognoscendo est scienter & advertenter peccare. Ergò peccare per ignorantiam & ex ignorantia opponitur peccare cognoscendo & advertendo, sicut scientia & ignorantia opponuntur. Ergò peccatur quin advertatur peccari.

56. Confirmatur. Ignorantia est causa peccati solùm per accidens, quatenus removet cognitionem peccati, quæ si adesset, peccatum non commit-

committeretur. Ergò quando peccatur ex ignorantia, cognitio peccati abest, alioquin non solùm non peccaretur ex ignorantia, sed ipsa ignorantia non esset, cùm per cognitionem peccati excluderetur. Et sanè hoc verum est, sive peccetur ex ignorantia simpliciter dicta, seu ex privatione notitiæ & scientiæ habitualis, sive ex carentia seu absentia actualis considerationis in eo, qui scientiam habitualem obtinet, utroque enim modo peccatur. Ergò peccatur, quin hoc in particulari sciatur esse peccatum. Ergò quin ulla cogitatio de hoc malo in particulari, sive in specie, sive in singulari in mentem venerit.

57. Secundò sic arguo. Quando homo sub gravi, vel levi peccato tenetur attendere, quando orat, aut consecrat, &c. peccat quando non attendit, quia peccatum in non attentione consistit. At non advertens, & non attendens, tunc saltem actu non advertit se non advertere; alioquin adverteret & non adverteret; attenderet simul & non attenderet. Peccatur ergò saltem, quin actu advertatur peccari. Ratio à priori est, quia Deus præcipere potest attentionem actualem: in eo autem casu non attendere potest esse peccatum, sicut potest esse voluntarium, sicut est, quando poterat & debebat attendere, sed vel ex affectatione, vel negligentia non vult attendere.

58. Iterum sic tertiò instatur. Tu dicis, nisi actu advertas te peccare non peccas: At Deus dicit, *num. 15. Si anima nesciens peccaverit, afferet capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino, impetrabitq́, ei veniam, & demittetur ei.* Tu dicis, si diei oblitus (quomodolibet oblitus fueris) die Veneris carne vescaris, aut oblitus horas non recitas, non peccas. At Deus *Levit. 5.* dicit, *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, &c. & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit.* At Deus non fallitur. Ergò tu falleris, & fallis. Tu dicis: non pecco, si non cognosco me peccare. Augustinus in libris Confess. dicit: *Eo insanabilius peccabam, quo me peccare nesciebam.* Cui standum? Cum Augustino. S. Thomas, *in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* & S. Bonaventura *art. 2. quæst. 3.* hoc Augustini dictum accipiunt, ut jacet. Tu negas vel alteras. Hi fuerunt amatores legis & Sancti. Ergò quando agitur de lege, ut nunc agitur, stultum est meliores testes quærere.

58. Demum omnes Theologi ponunt conscientiam erroneam, nemo tamen dicit omnem conscientiam excusare. Ergò aliqua non excusat. At illa dictat illud esse bonum quod est malum. Ergò peccatur, quando actu non advertitur peccari. Ita Celladeus §. 3.

60. Respondeo Celladeum triumphare non solùm ante victoriam, sed etiam ante prælium, quia neminem contradicentem habet, cùm putet se ex Sacra Scriptura & PP. fatale in nos telum torquere; sed aërem verberat, neminem ferit. Et sanè mirum est, si putet, se communem Theologorum opinionem his argumentis impetere; eo ipso enim judicare debet, eos in rebus ad finem sat clarè pertinentibus turpissimè errasse. Nónne ad hoc argumenta hæc tua collimant, Celladee? Cur ergò hoc clarè non objicis? Si te puderet hæc clarè objicere; pudeat eadem sub tegumento nimis pellucido, ut facis, contra eos proponere. Itaque uno verbo respondeo, sæpe peccatur quando non advertitur peccari, tunc scilicet, quando ignorantia aut inadvertentia est culpabilis, seu quando & poterat & debebat vitari. Hoc probavimus nos, hoc omnes admittunt, nec aliud probant quæ tu attulisti. Sed in hoc versatur tua æquivocatio, tu semper vis peccatum puræ ignorantiæ novam distinctamque ab aliis omnibus peccatis malitiam continere. Hoc nos negamus, & dicimus, tam absolutam & integram ignorantiam & incogitantiam mali, etsi vincibilem, quàm opus à tali ignorantia directum ab una eademque negligentia sciendi verè esse & denominari peccatum, nec aliam peculiarem maculam, aut reatum pœnæ afferre, quàm quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur. Si quid contra hoc habuisses afferre debueras, quia quæ dixisti hoc non impugnant, ut satis patet. Sicut nec probant, nos tunc peccare, quando præsens inadvertentia est inculpabilis. Ergò nil probant contra Auctores, quos impugnare prætendis, quia illi solùm docent eos actu non peccare, qui inculpabiliter actu non cogitant de peccato. Si verò quis de præsenti non cogitet, sed ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, sed non novâ malitiâ, & imputabilitate; sed eadem malitia & imputabilitas culpæ prioris applicatur huic operi, illudque constituit imputabile. Atque ex his, atque doctrina in assertionibus asserta, patet responsio ad argumentum, quod per positam distinctionem sponte ruit, cùm umbram difficultatis non habeat.

Usitata adversarii Hallucinatio.

61. Cæterùm multis modis homo dicitur peccare per ignorantiam & inadvertentiam, ut dictum est, quorum aliqui verè continent peccatum malitiæ, ideoque non spectant ad præsentem quæstionem, quæ procedit de integra & absoluta inconsideratione peccati. Hanc dicimus impedire omne peccatum si non sit imputabilis; si verò sit imputabilis, & actu imputetur, solùm impedit omnem novam malitiam & culpam, sed non facit quo minus à priori culpa inficiatur, & communi imputabilitate constituatur peccatum. Hoc solo genere peccati peccatur, quando non cogitatur peccari. Et hoc solùm probat argumentum primo loco propositum, nec aliud ex confirmatione inferri potest.

Quando incõsideratio impediat malitiam, quãdo non?

62. Ad secundum lex obligans ad attentionem solùm obligat ad diligentem conatum: si hic adhibeatur lex non violatur, quamvis actus non attendatur. Cæterùm lex ista violari potest, etiam ab eo, qui advertit se non attendere, sed ad alia distrahi. Profectò homines sæpe reflectunt se distractos esse, nec tamen ideo attendunt, ut lex requirit; unde si semper talem reflexionem haberent, nec aliud cogitarent, quàm tunc cogitant, legem violarent, nec attentionem debitam haberent. Unde perperam intulit Celladeus, quod non attendens non possit actu advertere ad suam non attentionem. Verùm si explicasset, quæ sit attentio, quam lex præcipit, clarè vidisset eam nec poni, nec posse poni per hoc, quòd advertam, me illam non ponere. Inanis ergò est illatio secundi argumenti.

Ad quid obliget lex præcipiens attentionẽ, & quomodo violetur?

63. Ad tertium, totum admittimus, quod ex Sacra Scriptura affertur, sed & locum illum Augustini, ut sonat admittimus; quia nil clarius, quàm peccatum quodvis eò esse insanabilius, quò magis est ignotum. Cæterùm nos nil eorum, quæ Celladeus objectat, tam crudè accipimus, ut ille proponit; immo simpliciter loquendo falsa dicimus esse, quæ ille asserit nos pro veris docere. Quod si cum distinctione accipiantur, nil est, in quo vel apparenter nos Deo, aut sanctis contraria tradere appareat. Sed illi lubitum est ex termi-

terminorum indistinctione ac æquivocatione latente imperito lectori fucum facere. Cæterùm mirandum est, quod tam fidenter dixerit, nos affirmare, *quod si oblitus fueris, quomodocumque fueris oblitus diei, non pecces, si die veneris carne vesceris.* At quis quæso hoc dixit? Nec unum inveniet, qui tam absurdè loquatur; quia omnes, ut benè advertit in ultimo argumento, expressè docent conscientiam vincibiliter erroneam non excusare. Ergò per omnes peccant aliqui, qui errant & non cogitant, quando poterant & debebant cogitare & non errare. Ergò non dicunt, *quod quomodolibet non cogitet aut erret, non peccet*, sed talem propositionem sine debita limitatione non admittunt. Quid hoc aliud est quàm absurdas opiniones gravissimis viris imponere? Cave, Celladee, à talibus, quia causæ tuæ non prosunt, sed tibi maximè obsunt.

Adversarius Lectori incauto imponit.

64. Demum quod attinet ad S. Thomam & S. Bonaventuram, ex dictis constat, eos in terminis præsenti nostræ opinioni subscribere, ideóque nos talibus testibus libenter stare, nec meliores eo fine quærere, quasi putaremus illorum suffragium non sufficere. Hæc sunt, quæ Celladeus objecit, quæ certè, & modicam vim habent, & meo judicio difficultatem vix tangunt. Quare videndum est, quid Auctores nostræ sententiæ sibiipsis objiciant, & perpendendum, qui magis ad debitum scopum collimient, qui validiora argumenta objiciant, illi an Celladeus?

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Communes.

65. OBJICIT primò. Quando homo tenetur aliquid scire, & ad illud advertere, scientia & advertentia talis rei est in ejus potestate, quia nemo tenetur ad impossibile. Ergò talis ignorantia est vincibilis, & indirectè saltem voluntaria. Ergò non excusat. Unde *cap. si culpa de, injuriis*, dicitur ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire. Et *Instit. de lege Aquilia*, §. *Præterea*, dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare. Quare jura clamant, paria esse scire & debere scire. *L. Quod se mihi, ff. de rebus cred.* Ita Sanchez sibi objicit, & in particulari casu non advertentis ad præceptum jejunii sic urget. Talis homo tenebatur scire & advertere, quia tenebatur ad jejunandum. Ergò poterat illud scire & ad illud advertere. Ergò illi imputatur si non advertat.

66. Respondeo, cùm Suario de censuris *disp. 4. sect. 8. num. 18.* & cum Sanchez loco citato, hunc hominem per se teneri ad hanc scientiam & advertentiam; ad quam sufficit, ut sit per se loquendo in homine potestas sciendi. At per accidens hic & nunc non teneri, sed suspendi illam obligationem, seu potiùs ab illa excusari ob impotentiam proximam ac moralem, quæ ex naturali ac necessaria ignorantia aut incogitantia oritur. Itaque argumentum solùm procedit de potentia & obligatione proxima ac morali, de qua optimè concludit. At si sermo sit de potentia & obligatione remota, falsum est, quod æquiparentur scire & debere scire. Itaque & jura, & Doctores de hac materia loquentes intelligendi sunt de potentia proxima, & morali, quæ certè non adest, quando datur plena inadvertentia; quia tunc non est proximè in nostra potestate talem ignorantiam aut inconsiderationem expellere. Unde sequitur, ad aliud non esse reflectendum quàm ut videamus, an ista incogitantia & ignorantia fuerit culpabilis, & ideo culpæ vertatur, quod ex negligentia culpabili inducta fuerit. Si fuerit non excusat, sed & ipsa & opus ab illa directum imputabitur ad peccatum, eadem imputabilitate cum ipsa negligentia præcedente. Si non fuerit culpabilis, sed aliunde non à negligentia illa ortum habuerit, penitus excusabit. Itaque Argumentum hoc debitè acceptum totam nostram assertionem validissimè confirmat. Porro in viris timoratæ conscientiæ, quique diligentiam probis consuetam adhibent, maximè autem in iis, qui firmum non peccandi propositum habent, omnis ejusmodi inadvertentia præsumitur naturalis & inculpabilis. In reliquis autem res est diligentiùs perscrutanda.

Quomodo æquiparentur scire & debere scire in ordine ad moralitatem.

67. Objicit secundò. Si ad peccatum expressa consideratio malitiæ aut periculi esset necessaria, sequeretur primò quod omnes ferme excusarentur ab innumeris peccatis exterioribus, quæ sine tali consideratione fiunt. Verbi gratia ille excusaretur qui subito motu alium percuteret, non considerata rei malitiâ. At hoc videtur absurdum. Ergò circa opera exteriora non requiritur illa expressa consideratio, ut sint peccata mortalia. Ergò neque requiritur circa affectiones internas, sed utrobique sufficit interpretativa consideratio vel deliberatio.

68. Sequeretur 2. neminem peccare mortaliter, nisi actu consideret illud esse mortale, & offensam Dei: nam si hæc conditio actûs, & malitia non consideretur, non potest esse libera, & voluntaria, si expressa cogitatio ad libertatem requiratur. Quod si ratio offensæ mortalis non sit voluntaria, fit, ut nullus peccet mortaliter, nisi actu consideret malitiam offensæ mortalis. Excusarentur ergò Gentiles, qui de differentia peccati mortalis & venialis nil hactenus noverunt. Similiter nemo venialiter peccaret, nisi qui actu consideraret opus quod facit, malitiam habere venialem: quæ videntur absurda.

69. Sequeretur 3. quòd numquam peccaretur sine expressa conscientiæ reprehensione; nam cùm ratio actu considerat aliquid esse malum, semper reprehendit voluntatem, si illud amet. Consequens autem est contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quem locum tractans Hieronymus *Dial. 2. contra Pelag.* docet contra eos aliqua esse peccata ex ignorantia: *Sæpe enim (ait) aliqua malitia nos latet, ubi bene egisse arbitramur.* Atqui credibile non est, Paulo ignorationem aliquam contigisse, sed solùm inconsiderantiam. Demum SS. PP. monent, ut opera virtutum magna consideratione fiant, ne fortè sit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Sed & Sacra Scriptura testatur, homines aliquos sceleratos ex nimia peccandi consuetudine absque ulla conscientiæ reprehensione in peccata prolabi, & quasi aquam ea bibere. Ita Vasquez *1. 2. disp. 107. cap. 2.*

70. Respondeo cum eodem, & ex eodem Vasquio ibidem *cap. 5.* Ad primum respondet Corduba, eodem modo judicandum esse de actionibus externis, atque de internis, ut si nihil appareat mali, vel periculi, sed simpliciter fiant, excusetur homo. Hac de causa quoties aliquis non servat jejunium, nil cogitans de eo, nec in universum nec in particulari, nullus est, qui eum condemnet, nec Confessarii interrogant (communiter saltem, quia quæ in raris casibus fiunt in regulam non veniunt) an potuerit advertere ad præceptum,

Incogitãtia facilius excusat operã tem in re mala quia prohibita, quã in prohibita quia mala.

præceptum, sed statim judicant illum contra tale præceptum non peccasse. Idipsum frequenter accidit in iis, quæ solùm sunt mala, quia prohibita. In peccatis verò externis, quæ ex se mala sunt, quis non videt, numquam hanc inconsiderantiam contingere? Nam quantumvis aliquis sit obfirmato animo in malo, & iis peccatis addictus, statim ac occurrit occasio operis, & exteriùs operatur, non potest non cogitare aliquo modo malitiam illius, nisi in iis, quæ subito quodam motu fiunt, ut fatetur Corduba. Quod si ita aliquando fieret, non esset peccatum; ut si quis subitò irâ commotus nulla præmissa consideratione alium percuteret. In morosis autem cogitationibus, & affectibus internis, hoc passim evenit, sicut quotidiè experimur.


Quo pacto peccent Gentiles, ignari differentiæ inter mortale & veniale.

71. Ad secundum Vasquez juxta sua principia respondet, ut alicui imputetur peccatum mortale non esse necessarium considerare rationem mortalis offensæ Dei: hæc enim ratio non est de essentia peccati in genere moris, sed quid consequens illam. Quare respectu illius voluntarium non est necessarium, sed satis est, voluntarium versari circa malitiam moralem, quâ suppositâ, ex natura rei cætera consequuntur. Quare etsi Gentiles non cognoscerent differentiam inter mortale & veniale, nihilominùs peccant mortaliter & venialiter, si sciant distinguere inter grave & leve peccatum; quia pœna, & id, quod ratione peccati consequitur, non debet esse voluntarium. Atque eodem exemplo adversarios possemus urgere; nam Gentiles non possunt considerare rationem mortalis & venialis, quia nullum habent ad hoc principium. Ergò adversarii coguntur dicere Gentiles non ideo peccare mortaliter, quia potuerunt considerare rationem mortalis. Porro eos non esse reos mortalis, quia potuerunt considerare rationem mortalis, patet, quia sicut illi non sunt rei infidelitatis, sed ob alia peccata damnabuntur (ut docet S. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 1.*) quibus mysteria fidei non sunt ullo modo proposita, nec de illis aliquid audierunt; ita etiam non est dicendum ipsis imputari mortale, quia potuerunt rationem mortalis distinctam à veniali considerare, sed quia malitiam moralem cognoverunt, cui necessariò conjuncta est mors animæ, & pœna.

72. Ad tertium concedimus numquam fieri peccatum, ratione sui imputabile, sine conscientiæ reprehensione; ex parte cognitionis, quæ consistit in cognitione mali, aut periculi: sæpiùs tamen fieri sine illo timore, & cruciatu ex parte voluntatis, quando videlicet quis ex prava consuetudine peccans non terretur à peccato. Quod autem Paulus dicit: *Nihil mihi conscius sum*: nullus interpretum explicat dictum à Paulo propter peccata ex defectu considerationis commissa. Respondeo ergò juxta communem expositionem, ideo Paulum dixisse, *Nihil mihi conscius sum, &c.* quia licèt sua eum conscientia non accusaret de aliquo peccato, poterat nihilominus revera reus esse alicujus peccati præteriti, quod ipsum tunc lateret, non quia ex defectu considerationis commissum esset, sed quia factum cum consideratione poterat oblivioni traditum esse; cumque Deus nullius obliviscatur, rectè subjunxit. *Qui autem judicat me Dominus est.* Quamvis ergò nec Paulus, nec nos, dum actu peccamus, (intellige peccato per se imputabili) dicere possimus: *Nihil mihi conscius sum*: quia tunc actu conscientia nos reprehendit ipsa saltem consideratione; post tamen peccata quisque rectè dicere potest, *Nihil mihi conscius sum, &c.* Porro Paulum in illo cap. non loqui de conscientia mortalis, sed venialis in se ipso, ostendemus infra (inquit Vasquez) *disp. 206. cap. 5.* Meritò etiam Patres docent, ut opera virtutis magna cum cautela fiant, quia accidere potest, ut ex subreptione, & parva attentione veniali aliquo peccato inficiantur, cumque venialia nos facilè lateant propter legum considerationem, ideò admonent, ut cum cautela, & attentione opera virtutis fiant, non quia sine ulla attentione ad malum possimus contrahere peccatum. Hactenus Vasquez de verbo fermè ad verbum.

Quo sensu Paulus dixit: *nil mihi conscius sum, &c.*

73. Ex his constat, Celladeum nil attulisse contrà nostram opinionem, quod ab ejus assertoribus objectum & solutum non fuerit. Immò illi plura & difficiliora objecerunt quàm ipse, tamen, hæc omnia dissimulat, & quod absurdius est absque ulla ad eorum responsiones advertentia aut earum impugnatione, argumenta, à gravissimis viris diu antè soluta, agglomerat, atque in illis tamquam insolubilibus gloriatur. Porro eandem methodum in sequenti etiam quæstione servat, ut mox videbimus.



QUÆSTIO SEXAGESIMA-QUARTA.

Vtrùm ille aliquando peccet, qui putat se obsequium præstare Deo?

1. HIC iterum conqueri cogor de Celladeo, quòd, cùm Zelum animarum præ se ferat, adeo confusè materiam hanc *quæst. 6. & 7.* pertractet, ut legentibus periculum afferat, non auxilium. Sub notione enim generali absque ulla distinctione rem proponit, de qua apud omnes constat, quod malum aliquando interveniat. Ex hac autem generali & indistincta locutione Lector facilè accipiet ansam periculosè extendendi doctrinam illam extra terminos debitos, nisi proprius quæstionis sensus dilucidè proponatur & exactè stabiliatur. Quod si hoc præstetur, eo ipso montes, quos Celladeus insuperabiles existimat, solo æquantur, & totius quæstionis veritas legentibus plana & perspicua fiet.

ASSERTIO PRIMA.

Error, etiam ille, quo quis putat se obsequium præstare Deo, potest esse voluntarius & culpabilis.

2. PROBATUR. Notorium est, lectionem librorum hæresim & errores continentium sanctissimè prohiberi, ne lectores in errores incidant, &c. Constat tamen plures, curiositate ductos, tales libros legere, & in errores prolabi. His errores illi sunt voluntarii & culpabiles, ut patet. Rursus error & ignorantia sæpe prohibentur, quia merentur prohiberi, ut dictum est. Jam qui scienter tales leges violant, culpabiliter errant. Ergò error illis est voluntarius, & culpabilis. Ex his erroribus illi potissimi censentur, quibus homines decepti dicunt bonum malum, & malum bonum; propter quod à Sacra Scriptura reprehenduntur. Jam inter errores istos, ille eminet, quo quidam errantes putant se Deo obsequium præstare in eo, quod malum est, & Deo displicet, ut etiam ex Sacra Scriptura constat. Hic enim, non minùs quàm alii, esse potest voluntarius & culpabilis, ut patet.

ASSERTIO II.

Qui vincibiliter putat se Deo obsequium præstare in eo, quod malum est & Deo displicet, multipliciter peccare potest in opere, & magis quàm peccarit incurrendo errorem.

3. PROBATUR. Inprimis talis homo peccat ponendo opus; error enim non excusat operantem, quando ipse error vitio vertitur, & ad peccatum imputatur, ut supponitur imputari in casu præsenti. Ergò tam error, quàm opus ab errore regulatum in casu assertionis peccato vertitur, & ad culpam ac pœnam imputatur. Et hac quidem ratione æquè peccatur in errore ac in opere. Secundò taliter operans peccare potest ex zelo indiscreto, ac passione non benè regulata, eò quòd ex invidia, odio, aut alia perversa intentione opus illud ponat. Et hoc contingere potest etiam in eo, qui invincibiliter, immo in eo qui verè putaret opus à se positum Deo placere, atque etiam à Deo præcipi. Ergò haud dubiè eadem ratione peccare potest, qui vincibiliter errat in tali judicio. Ergò homo multis modis peccare potest in opere, quod credit Deo placere. Nec dubium, quin talis homo graviùs peccet, quàm si nullo alio titulo quàm opere ab errore illo regulato deliquisset. *Quomodo putā se obsequiū præstare Deo, peccare potest?*

ASSERTIO III.

Qui invincibiliter, aut inculpabiliter credit se Deo obsequium præstare in opere per se malo, non peccat, modò ex alio titulo indebitè non operetur. *Error invincibilis excusat putantē se obsequiū præstare Deo in opere malo.*

4. ASSERTIO est certissima, quia secundùm omnes error invincibilis & inculpabilis excusat operantem ex illo errore. Vide. *quæst. 16. de Consc. prob.* ubi hoc ex professo probatur.

5. Hinc autem sequitur, errorem istum, si ex invincibili evadat vincibilis, eo ipso non amplius excusare, quia titulus excusationis aufertur. Similiter si error ille ex vincibili evadat invincibilis, eo ipso excusabit operantem; quia titulus ob quem opus imputabatur aufertur, & titulus ob quem operans excusatur inducitur.

ASSER-

ASSRTIO IV.

Qui absolutè arbitratur se obsequium Deo præstare in opere malo, & undique bona fide, ac sine alia indebita dispositione operatur simpliciter peccat, si vincibiliter erret. Non tamen peccat peccato per se, ac ratione sui imputabili ad peculiarem pœnam & culpam.

Præcipua assertio contra Adversarium.

6. ASSERTIO hæc, quæ, ni fallor, directè opponitur intento Celladei, ex iis efficaciter probatur, quibus *quæst. præced.* idem probatum est de ignorantia vincibili, quæ certè repetenda non sunt, maximè cùm satis pateat præsentem talis hominis dispositionem secundùm se in nullo diversam esse ab ea, quam habet alius, qui eundem errorem invincibiliter incurrisset. Ergò malum ex æquo neutri est voluntarium in se, cùm ex æquo ab utroque ignoretur. Ergò alia ratione imputari non potest, quàm ratione vincibilitatis, per quam solam, & in qua sola est voluntarium. Vide etiam *quæst. 16. de Conscientia prob. à num. 31. usque ad finem*, quia hoc ipsum ibi fusè probatum invenies, quæ hîc sine necessitate repetenda non sunt. Atque hæc sufficiunt, ut quæstio clarè proponatur, habeaturque occasio respondendi ad ea quæ Celladeus plurimi facit, & contra nobiscum sentientes objectat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò. Verba Christi Joan. 16. clara sunt. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Et sanè ex istis verbis unanimis Patrum & omnium sensus est, occisores Apostolorum arbitratos se Deo obsequium præstasse. At, hac persuasione non obstante, haud dubiè peccarunt, idque S. Thomas diversis in locis expressè supponit, atque ad hoc probandum hæc ipsa Christi verba ponderat. Rursus qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, arbitrantur se rectè agere. Et tamen peccant. Ita Celladeus *quæst. 6. §. 1. & 2.* ubi plures adducit, qui dicta illa Sacræ Scripturæ in eundem sensum exponunt. Ibidem refricat dictum Magistri cujusdam (gravissimum appellat) qui eum in aliqua re culpæ immunem pronunciaverat, eò quòd omnino crederet ipsum existimasse, se in eo Deo obsequium præstare. Ideo autem eum citare videtur, ut ex hoc ipso dicto ipsius convincat eum prorsùs incongruè loquutum fuisse, & non causam pro causa attulisse. *Quid ergò*, concludit, *tam ultrò, quàm falsò assumitur, eos, qui se bene agere putant, ita existimando, & arbitrando non peccare? Annè, qui arbitratur obsequium se præstare Deo & Sacrificium, putat & arbitratur se in eo peccare?* Ita Celladeus.

8. Respondeo, quid hæc ad rem? Quis negat eos, de quibus Christus loquitur, persequendo & occidendo Apostolos peccasse? Sed quid inde? Sequitúrne eos nullam ob aliam causam quam ob merum illum errorem peccatum incurrisse? Nullo modo, immo non sequitur, errorem illum non fuisse affectatum: quia sicut hæretici pertinaces actu adhærent suis erroribus ut veris, contra obligationem satis patentem, eò quòd contra legem Dei satis illis manifestatam Ecclesiæ propositioni stare detrectant; ita similiter ex malitia & errore credere poterant, se Deo obsequium præstare in tali opere, & quod plus est, opus illud à Deo strictè præceptum esse. Sed quidquid sit de hoc, omnes dicere debent, errorem illum fuisse vincibilem. Jam vincibilitas illius consistit in peccato aliquo non ex errore, sed ex malitia contracto. Quantum autem scimus, peccatum illud toties repetitum est, quoties taliter opinati sunt: in quo casu omnis ille error, & opus ab errore directum ad peccata malitiæ magis, quàm ad peccata ignorantiæ spectarent. Porrò si nullum peccatum malitiæ aderat, sed error ille solùm in causa præterita imputabilitatem habebat, tunc peccabant quidem, sed non peccato imputabili ratione sui, ut ostensum est. Sed hæc & hisce similia Celladeus non distinguit, & ideo non est mirum, quòd hæc ut valida argumenta objiciat, quæ nullam difficultatem habent.

Peccari potest in eo quod bonâ erroneè creditur si error fuerit vincibilis.

9. Dictum porro Magistri illius in circumstantiis expressis valdè prudens ac rationabile fuit, ut ostensum est suprà, pro quo proinde gratiæ agendæ erant, ut ibidem probavi. Absurdum ergò est, talia viro benemerenti objici, & ut absurda sæpiùs refricari. Errat proinde Celladeus in conclusione argumenti, & ex falsa suppositione procedit, quia nemo ex eo præcisè, quòd quis putet se bene facere, infert illum sic opinando & operando à peccato excusari, sed multa alia requiruntur, & post omnia dicitur eum peccare in tali opere, si error sit vincibilis & opus malum, quamvis non sit necesse, opus illud esse peccatum imputabile ratione sui. Adde ipsum errorem illum esse posse supinum aut affectatum, in quo casu taliter errans, non existimaret se peccare materialiter in eo quod facit, bene tamen perciperet se in errore admittendo, & juxta eum operando formaliter peccare, & Deo displicere, ut dictum est.

Hallucinatio Adversarii.

10. Objicit tertiò. Tyranni qui persequebantur Christianos, putabant eos esse magos, & legem stultam prædicare, ut ex gestis Martyrum constat. Judæi præsentes quid non in Christum & sacras ejus Imagines perpetrant? An in Deum notum ita furunt? Et tamen peccant, & ideo à Deo & hominibus puniuntur. Idem dicendum de Mahumetanis & hæreticis, qui Ecclesiam persequendo arbitrantur se obsequium præstare Deo, & tamen Deum offendunt. Tu eos excusas, quia zelum Dei in se habent: At Paulus aliter loquitur; dicit quidem eos zelum habere, *sed non secundùm scientiam*, & expertus loquitur.

11. Deinde omnibus Ecclesiæ Doctoribus, ac Spiritualibus animarum Doctoribus semper persuasum fuit, peccari posse per seductionem & deceptionem, nec homines per hoc excusari quòd decepti fuerint, & bonum existimaverint quod fecerunt. Quoties S. Paulus inculcat fidelibus, ut vigilent, ne doctrinis & verbis inanibus seducantur? Quod si decipi malum non est, si opera, quæ decepti bona putamus, honesta evadant, & tam honesta, quàm si non fuissemus decepti, quorsum seductio, ac malæ doctrinæ tantopere cavendæ sunt? Præterea *Væ* scriptum est dicentibus bonum malum, & malum bonum. Item & cæcis ducibus cæcorum. At cæci suam cæcitatem non vident, nec in quo quis cæcus est, se cæcum esse cognoscit. Sed & omnes persuasum habemus, Dei judicium fore strictissimum, & aliter ab illo, quàm à nobis de rebus judicandum. Viri Sancti qui nullum peccatum grave scienter admittunt, meritò formidant, & dicunt

cum Apostolo. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: Qui autem judicat me Dominus est.* Delicta enim quis intelligit. Ita Celladeus §. 3.

12. Respondeo, his omnibus jam abundè satisfactum esse, quia peccata malitiæ frequentissimè adjuncta fuere peccatis ignorantiæ. Quod si peccatum ex sola ignorantia olim tantùm vincibili, nunc autem invincibili ortum habeat, non habet propriam, sed solùm communem imputabilitatem, contra quod ex omnibus hîc objectis formari nequit syllogismus, qui ullam vim præ se ferat, aut in se habeat. Sed qua quæso specie veritatis audet Celladeus dicere, nos eos excusare, qui zelum Dei habent, quamvis mala operentur? Neminem excusamus, nisi invincibiliter erret, in quo casu ab omnibus excusatur. Alios magis aut minùs reprehendendos dicimus, prout ex sola ignorantia aut etiam ex adjuncta malitia operantur malum, quod bonum credunt.

Nemo malum operãs excusatur nisi invincibiliter erret.

13. Qui deceptionem cavendam docent, æquè prohibent deceptionem qua bonum creditur malum, ac qua malum dicitur bonum; unde tam hoc documentum, quam *va* illud S. Scripturæ ex æquo locum habet in omnibus errantibus, sive tutiora doceant sive minùs tuta. Cæterùm minæ istæ & documenta obligationem tantùm habent in rebus certis, non autem in rebus utrimque probabilibus, ut sæpe dictum est. Atque ideo magnum prorsùs malum est decipi in illis, quamvis decipi in istis malum sit non adeo magnum, ut contendit Celladeus, qui hîc etiam in antiquo suo errore progreditur, supponendo nos docere errorem nullius esse momenti, sed reddere opus tam bonum quàm certa scientia redderet. Verùm nos nil tale docemus, sed totam rem per varias distinctiones proponimus, juxta quas dicimus, quis, quando, qualiter peccet aut excusetur, magis vel minùs rectè operetur. Facilè autem est in communi exclamare contra tales assertiones, quasi verò nos ita sentiremus de rebus in communi sine ulla earum distinctione, sicut Celladeus eas in communi ad invidiam opinionis nostræ, nec sine periculo noxiæ deceptionis in Lectore proponit. Distinguat singula, & videbit, se nullum argumentum contra ullam ex assertionibus nostris attulisse.

14. Demum ad illud de tremendo Dei judicio, justoque omnium proborum metu satis responsum est ex Vasquio *quæst. præcedente.* Præterea Sancti ipsi, qui nullum peccatum, ne quidem veniale deliberatè committunt, adhuc meritò formidant, ne aliquando ex subreptione, aut tentatione non statim suppressa succumbant, & fortè mortaliter peccent. Nec desunt alii justissimi timoris tituli, ob quos se humilient sub potenti manu Dei, atque sibi diffidentes totam suam spem in mera ejus misericordia collocent.

15. Objicit tertiò. Qui tenent incogitantiam & errorem excusare à peccato, & bonitatem in actum inducere, in eo fundantur potissimè, quod bonum & malum, solùm ut apprehensum, constituant mensuram bonitatis & malitiæ. Unde sic discurrunt. Qui agit contra suam conscientiam actualem peccat, ut certum est ex fide. Ergò qui agit juxta suam conscientiam actualem rectè agit. Verùm hæc illatio non subsistit, quia qui agit contra conscientiam voluntariè violat legem, quam dari existimat: at qui operatur juxta conscientiam erroneam non ideo involuntariè violat legem, quia error & ignorantia esse possunt voluntaria, & in eo casu juxta omnes non excusant. Præterea S. Thomas 1. 2. *quæst. 19. art. 6.* proponit hanc ipsam rationem adversariorum contra suam resolutionem, dicentem, quod voluntas concordans rationi erranti non semper sit bona, & eandem solvit, dicens consequens non sequi ex antecedente, cùm bonum sit ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu. Quod cùm ita sit, miranda est oscitantia Theologi cujusdam, qui ratione & auctoritate S. Thomæ probat, voluntatem discordantem à ratione errante esse malam, & mox subsumit, eadem auctoritate constare, voluntatem conformem rationi erranti esse bonam, cùm tamen certum sit S. Thomam in illo loco ex professo probare voluntatem rationi erranti conformem esse posse malam.

16. Respondeo, Celladeum non posse assignare ullum Auctorem ullius nominis, qui suam assertionem probet argumento in objectione posito, cùm omnes dicant errorem vincibilem non excusare. Sed hunc Celladei defectum circa hoc ipsum argumentum latè impugnatum habes *quæst. 3.* Verum quidem est quod bonitas & malitia moralis actibus intrinseca non desumatur nisi à bonitate & malitia ut apprehensa; verùm hoc non tollit, quo minus actus aliquis in specie physica virtutis constitutus careat bonitate meritoria; quia actus ille ab alio actu infici potest, ne vim habeat movendi ad præmium, quamvis intrinsecè sit actus virtutis. Sic qui ex motivo malo imperaret sibi actum virtutis, eliceret quidem actum virtutis, sed impediret quo minùs ille movere posset Deum ad præmium conferendum unde actus ille esset potiùs physicè quàm Ethicè actus virtutis. Idem valet in casu conscientiæ errantis; elicitur enim actus contentus in specie illius virtutis, quæ menti objicitur, inde tamen non sequitur, quod actus ille sit simpliciter ethicè bonus, ad hoc enim à nullo alio infici debet. At quando conscientia vincibiliter errat, datur peccatum, à quo actus ille inficitur, & constituitur imputabilis & peccatum. At si error sit invincibilis, tunc actus est moraliter bonus, quia nil est quod impediat, quo minùs intrinseca bonitas actûs totam vim suam exerat, &c. Hæc autem omnia fusè explicata sunt *quæst.* 3.

Alius est actus virtutis physicè, alius ethicè, & in ordine ad præmiũ.

17. Quod ad Theologum illum attinet, non habeo quod dicam, quia non novi quid teneat. Suspicor autem eum, aliud noluisse, quàm quod voluntas concordans rationi invincibiliter erranti sit simpliciter bona, quia hoc est quod S. Thomas expresiè docet in illo articulo, ut ostensum est *quæst. 3.* Quod si loquatur etiam de errore vincibili, suspicor eum aliud significare non voluisse, quàm quod voluntas à puro errore regulata, nec ullo actuali peccato malitiæ infecta, sit actus veræ virtutis, seu actus intrinsecè & essentialiter bonus, bonitate physica ejus virtutis in cujus motivum fertur. Hoc enim verum est, & efficaciter probatur ex argumento à Celladeo allato. Inde autem intulit quod actus ille non sit peccatum ratione sui imputabile, quia hoc repugnat actui habenti specificationem physicam virtutis, ut patet. Verùm non docuit actum illum esse simpliciter bonum ethicè, cùm si error fuerit vincibilis extrinsecè denominetur malus & sit peccatum imputabilitate non intrinseca & essentiali, sed intrinseca & accidentali. Quæ omnia confirmari possunt ex illo S. Thomæ dicto. Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. In hoc autem nil est, aut contra S. Thomam, aut cõmunem opinionem, sed omnia veritati consonant,

nant: quod si Theologus ille alia ab istis docuerit, non sum qui ejus patrocinium suscipere velim, quia ego communem tantùm causam defendendam suscepi. Cæterùm argumentum Celladei contra quæstionem juxta nostras assertiones propositam nil probat.

18. Objicit quartò. Opponunt mihi, inquit Celladeus §. 5. quod mea opinio incidat in errorem Novatorum, qui tenent ignorantiam nobis in statu lapso invincibilem, & solùm vincibilem in Adamo, non excusare à peccato. Subsumunt mox de suo adversarii: sed quoties non adest actualis cogitatio peccati, est ignorantia invincibilis; multò verò magis, si existimamus nos Deo obsequium præstare. Ergò si nihilominus peccemus, ignorantia invincibilis non excusabit. Sic illi: sed contrà primo, quia hæc nova ignorantiæ invincibilis explicatio omnia ignorantiæ & ex ignorantia peccata convellit, & plura alia tollit, ut in superioribus ostensum fuit. Præterea ideo, actualis advertentia ad ignorantiam vincibilem requiritur, ut cùm ex ignorantia peccamus possimus ignorantiam tollere. At hoc vanum est, nam in illo instanti, in quo urget operatio, ignorantia tolli nequit, sed antea potuit, & postea poterit.

19. Contra secundò, quia adversariorum opinio plurimum favet Novatorum errori, assumunt enim dictam ignorantiæ invincibilis explicationem, & sic arguunt. Quoties actu non advertitur peccari adest ignorantia invincibilis. At non quoties actu non advertitur peccari excusamur. Ergò non quoties adest ignorantia invincibilis excusamur. Et quidem Novator pro sua minori confirmanda habebit Sacram Scripturam, Sanctos Patres, & omnes antiquos Theologos. At Adversarii nihil auctoritatis hactenus attulerunt, nec afferre, credo, possunt, qua probent, non peccari nisi actu advertatur peccari. Ita Celladeus *loco citato*.

Affinitas inter sententiã Adversarii & Novatorum.

20. Respondeo, opinionem Celladei haud dubiè reipsa accedere ad errorem Novatorum, quia sicut illi volunt omnem ignorantiam esse vincibilem in Adamo, atque ideo non excusare quamvis in hoc statu vinci nequeat; ita ille vult incogitantiam præsentem esse vincibilem, quamvis in tota præsenti operatione humana consideratio legis non sit in nostra potestate, & quod plus est videtur hoc dicere, tam universaliter, ut innumeros casus includat, in quibus ostendere non potest, quomodo ea inconsideratio fuerit voluntaria & imputabilis, nisi ad Adamum recurrat. Rursus sicut illi dicunt opera ex ignorantia facta, non solùm tribui culpæ & imputari imputabilitate peccati originalis, quamdiu non est remissum (in quo dicto nil mali est) sed volunt illa habere imputabilitatem & malitiam specialem non solùm ante sed etiam post deletum originale; ita ille Celladeus videtur velle, opera ex plena inconsideratione mali facta habere imputabilitatem propriam, distinctã ab imputabilitate causæ per quam inconsideratio & ignorantia contracta est, idque non solùm ante, sed etiam post negligentiam retractatam. At hæ duæ opiniones reipsa non differunt, nec ovum videtur ovo similius, quàm una ex istis sententiis alteri, sudabitque Celladeus antequam dederit realem diversitatem inter utramque. Nec refert, quod verbis discrepet, dicatque ore aperto ignorantiam invincibilem excusare, quia vix admittit ullam ignorantiam esse absolutè invincibilem; illa autem, quam dicit esse invincibilem, erat vincibilis in causa, & consequenter æquè imputari debet ac illæ, quas vocat vincibiles. Uno verbo quidquid Novatores vocant invincibile, apud illum est vincibile, & quidquid ille vocat invincibile, est apud Novatores simpliciter vincibile in causa, sicut reliqua, quæ ipse vincibilia appellat. Ergò in re nulla videtur diversitas inter sententiam utramque. Meritò ergò objectum contra ipsum est, quod in Novatorum opinionem incideret.

21. Cæterùm Celladeus errat in proponendo argumento contra se; quamvis enim dicamus absolutam & omnimodam incogitantiam mali pro toto tempore operationis humanæ durantem, esse hîc & nunc humano modo insuperabilem, non tamen universaliter negamus, eam esse simpliciter vincibilem, quia scimus, quod à priori negligentia oriri potuerit. Itaque solùm dicimus opus puræ ignorantiæ & incogitantiæ, maximè si etiam credamus illud Deo placere, nullam habere propriam, nec aliam posse habere malitiam, quàm quæ negligentiæ priori convenit; sed nec illam participabit, si culpæ illius remissionem obtinuerimus. Hæc est substantia nostræ sententiæ, quam Celladeus non solùm non impugnavit, sed ne quidem explicavit. Præterea in eo falsus est, quòd dicat nos definire ignorantiam invincibilem per actualem incogitantiam; nemo enim per eam definit talem ignorantiam, sed omnes communem ejus definitionem afferimus, quamvis verum est, omnimodam incogitantiam de præcepto toties esse invincibilem, quoties non peccamus in talem incogitantiam incidendo, ut dictum est.

Summa sententiæ nostræ quã Adversarius nõ impugnat.

22. Prima replica fundatur in falsa suppositione, quia nostra sententia non tollit peccata ignorantiæ, sed explicat quæ & qualia sint ejusmodi peccata, ut patet ex dictis. Similiter repugnat, ignorationem legis esse hîc & nunc vincibilem in eo, qui toto tempore operationis humanæ nullam de lege apprehensionem, aut suspicionem habuit, quia de tali homine verum est, quod eam ignorationem expellere non possit. Jam hoc vanum non est, quia hoc efficaciter probat, opus illud non esse imputabile ratione sui, cùm malum illius hominis hîc & nunc non sit voluntarium per actum quem elicit; quamvis hoc non obstet, quo minùs sit voluntarium in alio, & sic imputetur ad culpam imputabilitate causæ à qua processit.

Quando ignorantia legis est invincibilis quando vincibilis?

23. Secunda replica retorquet argumentum in nos, sed prorsùs invalidè, quia non sincerè proponit sensum nostræ sententiæ. Nos enim solùm dicimus, quod quoties in toto operationis humanæ decursu nullam habemus apprehensionem mali, toties illam hîc & nunc invincibiliter ignoremus, ac proinde quod non ponamus opus ratione sui imputabile, quidquid sit, an præsens incogitantia sit vel non sit culpabilis ob negligentiam priorem, quia aliquando est aliquando non est culpabilis. Si non sit culpabilis, nullum committitur peccatum; si sit culpabilis committitur quidem peccatum, sed quod aliam non habet imputabilitatem, quàm quæ competit causæ, ob quam est & dicitur culpabilis. Jam hæc doctrina nullo modo favet Novatoribus, sed in omni apice illis diametraliter opponitur. Quando enim subsumunt: Non excusamur, quoties non advertitur peccari; distinguendum est: non excusamur à peccato per se imputabili, negatur, & in hoc ab ipsis dissentimus: non semper sed solùm aliquando excusamur à peccato imputabili solùm in alio, conceditur. Sed illi in hoc etiam dissentiunt, quia volunt semper peccari, & quidem per pro-

Adversarius minùs sincerus.

Sententia nostra minimè favet Novatoribus.

priam imputabilitatem. Jam Auctoritates quas Novator affert pro illa minori nullo modo improbant nostram sententiam, ut patet ex dictis. Ergò verum est, quod coïncidentia cum opinione Novatorum rectè objiciatur Celladeo, & quod in nostra opinione nulla sit umbra talis coïncidentiæ, quodque demum ex nostra sententia nullum argumentum ad suo errori suffragandum formari possit.

24. Sed quid? nullámne afferimus nos, aut afferre possumus auctoritatem pro nostra sententia? sic arbitratur Celladeus, sed in utroque fallitur. Sanè *quæst. præced.* potissimos ex antiquis Auctoribus, nominatim S. Thomam, Sanctum Bonaventuram, & S. Antoninum attulimus, qui expressis terminis actualem considerationem mali ad peccatum mortale requirunt. Et quidem sermo est de peccato præcisè contento in opere malo, quod ex inconsideratione ponitur. Nec dubium, quin auctoritates illæ disertissimè hoc probent & convincant. At aliud non contendimus, in præsenti quæstione, quia alterius investigationis est, an habeat generalem aliquam imputabilitatem in alio. Quid ais, Celladee? Estne hoc omni auctoritate carere? Sed fortasse velles aliquam ex Sacra Scriptura; en dabo tibi disertissimam, quam latè prosequutus sum contra Sinnichium *quæst. 25. de Consc. prob. à num. 41. usque ad num. 45.* Textus Sacræ Scripturæ habetur in Psalmo 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Unde hoc argumentum formavi. Omnis prævaricator est agnitæ legis temerator, ut constat ex S. Paulo, & propria termini illius significatione. At omnis peccator est prævaricator. Ergò omnis peccator est agnitæ legis temerator. Ergò qui nullo modo advertit ad legem non peccat contra illam legem, quia illam non prævaricatur. Adduxi etiam Augustinum, qui in dictum *Psalm. 118. conc. 25.* ex hoc loco probat omnes peccatores, etiam parvulos, esse prævaricatores. Verùm *lib. 16. de Civit. cap. 27.* idipsum clariùs exponit his verbis. *Cùm dicat Apostolus, ubi non est lex, nec prævaricatio, quo pacto quod est in Psalmo verum est, prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, nisi quia omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, unde ipsis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut verum sit utrumque quod scriptum est, & prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, & ubi lex non est, nec prævaricatio.*

Hallucinatur Adversarius asserens nostrā sententiam auctoritate destitutam esse.

Favet Augustinus.

25. Ex his auctoritatibus loco citato efficaciter probavi contra Sinnichium, quod peccatum puræ ignorantiæ, nullam peculiarem imputabilitatem & malitiam habeat, alioquin inveniretur ratio peccati & peccatoris sine ulla ratione prævaricationis & prævaricatoris, quod ex mente Augustini Psalmo repugnat. Præterea alioquin verum non esset, quod dixit August. *Omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti.* Neque verum esset quod postea subjungit. *Profectò eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores agnoscuntur.* Quod ultimum licèt dicat de parvulis, illud tamen eodem modo intelligit de omnibus, ut patet ex contextu. Desinat ergò Celladeus jactare nos nec afferre, nec posse afferre auctoritatem pro nostra sententia; validissimas enim attulimus, & alias afferre possemus, si opus esset. Qui plura velit adeat dictam *quæst. 25. de Consc. prob.* ubi argumentum hoc fusiùs tractatum reperiet. Jam si Celladeus contendat has auctoritates, ut jacent, contrariari illis, quas ipse attulit, ideoque debere per illas explicari; contrà est primò, quia æquo jure nos possumus contendere oppositum, quia sine dubio auctoritates, quas allegavi, sunt clarissimæ, cùm illæ de peccatis ignorantiæ multis de causis non sint adeo claræ. Contra 2. quia nulla in istis auctoritatibus est contrarietas, omnes verum dicunt & rectè cohærent; immo omnes ad litteram veræ sunt in nostra sententia, quæ distinguit peccatum imputabile ratione sui, à peccato solùm imputabili ratione alterius. Auctoritates à me allatæ probant nullum opus à pura ignorantia aut incogitantia causatum esse posse peccatum ratione sui imputabile, tum quia ratione sui non est prævaricatio, tum quia malum operis ratione talis actûs non est voluntarium, cùm tamen utrumque tum ratione, tum auctoritate irrefragabili sciatur esse necessarium ad peccatum ratione sui imputabile. At opus puræ ignorantiæ & incogitantiæ potest esse peccatum ratione alterius, scilicet ratione illius per quod & voluntarium dici potest, & rectè appellari prævaricatio. Ecce nostra sententia adæquatè sumpta alia non est, quàm duplex veritas ex rationibus & auctoritatibus efficacissimis stabilita, ideoque nil mirum si in illa auctoritates istæ omnes admittantur ut jacent. At Celladeus, nisi mutet opinionem, & fateatur opus puræ ignorantiæ (quando datur) nullam habere propriam imputabilitatem, numquam conciliare poterit has auctoritates, sed alterutras violentis falsisque interpretationibus à proprio sensu detorquere cogetur.

Aliud est peccatū imputabile ratione sui, aliud imputabile ratione alterius.

SOLVITUR ALIA OBJECTIO,

Et quæritur, an rudes peccent contra fidem quando credunt Parocho errores docenti?

26. OBJICIT quintò. Consideretur syllogismus, quem hic appono, quia demonstrat homines in eo posse peccare, in quo putant se Deo obsequium præstare. Syllogismus ita se habet. *Peccatur aliquando per interiorem infidelitatem & hæresim. At quando sic peccatur, non actu advertitur, nec cognoscitur peccari, quin existimatur obsequium Deo præstari. Peccatur ergò, quin actu advertatur, & cognoscatur peccari, quin existimando obsequium præstari Deo.* Major ex omnium consensu est certissima. Præterea Sacra Scriptura hæreticos animas decipientes frequenter vocat lupos perdentes & mactantes gregem. Ergò mactant & perdunt animas non ferro, sed errore. In eandem rem ultra varios Sacræ Scripturæ textus affert Celladeus plures Summos Pontifices, qui hæreticos aut lupis gregem discerpentibus comparant, aut expressè dicunt animas per errores ex simplicitate deceptas in diaboli foveam incidere. Uno verbo multis adductis testimoniis rectè probat Ecclesiam, & Summos Ecclesiæ Pastores palam professos esse se ideo ad surgentium hæresum errores comprimendos omni nisu incumbere debuisse, ac incubuisse, ne grex fidelium in ruinam ac damnationem incideret. *Erubesco*, inquit, *de rebus tam manifestis, &c. tractare. Sed quid faciam, si tenetur, si propagatur, peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscat ipsa actu se peccare?*

si

si lupum non lupum putas sed ovem, &c. nil inde mali, non peccas non raperis neque mactaris. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 7. §. 1. & 2.* Et paulò antè in præfatione ad quæstionem hæc habet. *Adeo in moribus invaluit existimatio ista de necessitate actualis cogitationis, & tot, nisi totus ineptio, infert præjudicia, ut modis omnibus eam convellere necessarium arbitratus sum; atque totius literarii laboris mei pretium futurum amplissimum, si hoc unum consequerer.*

27. Mox §. 3. totus est in probanda minori, quam evidentem esse jactat, quia intellectus semper existimat veram esse partem cui assensum præbet. At hæreticus assensum præbet errori, quem docet. Ergò hæreticus veram credit hæresim, cui assensum præbet. Sed nemo actu putat se peccare præstando assensum rei, quam actu credit esse veram. Ergò nullus hæreticus actu putat se peccare præstando assensum hæresi, quam tenet. Et sanè hæreticus non se credit esse hæreticum, sed verum dogma tenere, atque in eo tenendo se obsequium Deo præstare. Et sanè si opposita via adhuc teneatur, in id absurdi prolabimur, quod argumento hæresis diminuatur peccatum, & tunc demum tollatur prorsùs, cùm ad summam obstinationem & cæcitatem excreverit; tunc enim omnis umbra scrupuli arcetur, & Lutherus redditus fuisset in sua hæresi jam impeccabilis, ex quo, ut dixisse fertur, vermem conscientiæ omnino extinxit. Quid verò absurdius, quàm augmento vitii, ut est hæresis, culpam diminui, ac tolli demum eo ad summum excrescente?

28. Demum §. 4. totus incumbit ad probandum, quod rusticus credens suo Parocho hæresim docenti non excusetur. Sic enim arguit. Creditur, & fidenter dicitur nil esse mali, nil culpæ, si fidelis sed simplex rusticus Parocho suo credat, personas Trinitatis esse duas, aut unam earum esse Virginem Sanctissimam. Ratio redditur, quòd is ignorans sit, nec plus sciat, nec aliud facere valet, quàm Pastori suo credere: nec in quo peccet, ipse cognoscit. Verùm hæc ratio ex eo falsitatis arguitur, quòd hac ratione omnia peccata ignorantiæ & ex ignorantia tollantur. Præterea Nestorius Constantinopoli celebris Episcopus plus erat quàm Parochus, & tamen oves ipsi credentes duas personas esse in Christo peccabant, & peribant, ut expressè dicit Cælestinus Pontifex in Epistola ad ipsum dicens. *Quid hìc tu Pastor acturus es, qui dominicum gregem pro lupis ipse discerpis? ille promittit alias adducere, tibi pereunt quas habebas.* Nec alia de causa congregata fuit Synodus Ephesina, nisi ut lupus rapax, & mactans arceretur, ejiceretur, & oves illæsæ servarentur. Idem dicendum de Eutychianis, aliisque hæreticis, à quibus plebs decepta in perniciem animarum, fuit; alioquin frustra hæreticis tantum negotium facessèrent Pastores Ecclesiæ, & non fuisset cur Christus ipse tam seriò juberet attendere à falsis Prophetis, &c. quia maxima pars fidelium, nempe rustici, rudes, ac Fœminæ sine periculo ab illis seducerentur. At Ecclesia maximè sedulò invigilat contra Hæreticos errores seminantes, ne populi etiam rudes inficiantur & pereant. Censet ergò illos non sine peccato ab illis seduci.

29. Jam eadem ratio valet in moribus: si enim error in fide non excusat, nec error in moribus excusare poterit. Quis dixerit eos excusari, qui fornicationem crederent licitam pro tuenda vita, eò quòd hoc à Parocho audierunt? Sanè Gentiles ipsi in similibus fuere inexcusabiles, ut S. Paulus *1. ad Rom.* docet, & S. Thomas optimè commentatur. Ergò multò minùs excusabuntur Fideles, quia veritas talium faciliùs sciri potest in Ecclesia, quàm in infidelium cæcitate. Et sanè quando talia in Ecclesia acciderunt, nihil dubitatum est de culpa, sed punita sunt scelera. Epicurei credebant beatitudinem sitam esse in voluptate. Anne ideo qui benè Epicurei erant, & firmiter sine scrupulo suæ sectæ adhærebant, minimè peccabant? Aut Christiani similia credentes & facientes non peccant?

30. Nec sufficit, quòd Pastor aut Doctor hoc dixerit, nam Hæresiarchæ erant Pastores, Episcopi ac literati, & tamen erroribus suis mactabant, quos fallebant. Similiter non sufficit probabile, aut certum purè existimatum, quia nemo hæresim credidit, quam veram non existimavit. Ergò quoad ipsos probabilis erat; sin minùs assentire non potuissent. Plurimi tamen hæresim credendo peccarunt. Ergò non excusat probabile, aut certum existimatum. Sic nec Arriani excusabantur à peccato hæresis, quamvis haberent fortissimas, ut putabant, rationes & auctoritates; nec Nicolaitæ à peccato luxuriæ, quamvis sectarentur dictum Nicolai, qui ab Apostolis ipsis Diaconus fuerat constitutus. Et sanè Deus *Apocal. 2.* graviter reprehendit Episcopum Pergami, quod toleraret tenentes doctrinam Nicolaitarum. Ergò & isti errantes peccabant. Ita Celladeus §. 4.

31. Respondeo me multas in prioribus, sed nullibi tot terminorum æquivocationes, & confusiones simul observasse quot in hac septima Celladei quæstione reperi. Eas paulatim evolvam, prout singulis in objectione contentis responsionem dedero.

32. Inprimis quod ad syllogismum attinet, ille frustra urgetur contra nos, qui consequens illius numquam negavimus; Celladeus tamen in eo urgendo plurimum gloriatur; atque illum pro irrefragabili demonstratione proponit. Sed ut omnes videant quàm inane telum torserit, concesso consequente, quod nil à nobis expressè non assertum continet, consequentia negatur, quia minor propositio est apertè falsa. Et sanè peto à Celladeo, an nemo ex omnibus temerè judicantibus contra conscientiam peccet? Estne credibile, neminem illorum hac in re contra conscientiam, aut certè contra aliquem saltem conscientiæ scrupulum operari? Nil certius, quàm plurima ejusmodi judicia esse peccata ex malitia, non ex mera ignorantia patrata. Nos autem hìc loquimur de peccatis puræ ignorantiæ & incogitantiæ, quando nulla cognitio, nullum dubium, nullus scrupulus de malo intervenit. Idem valet de plurimis hæreticis, saltem de illis qui ab initio definitioni Ecclesiæ, quam antea pro regula infallibili habuerunt, stare noluerunt; fieri enim nequit quin aliquo modo adverterint se male facere, proprium judicium illius auctoritati præferendo. Nec obstat, eos putare, se verum credere, ac existimare illud ipsum à Deo revelatum esse, quia hoc non excludit scrupulum antecedentem, quo à tali judicio eliciendo terreantur, quoque satis ostenditur, eos judicio Ecclesiæ, proprio contempto, stare debuisse. Cæterùm ad hæresim non requiritur, ut homo existimet errorem suum esse à Deo revelatum, sed sufficit si pervicaciter neget illud esse verum, quod scit ab Ecclesia proponi tamquam à Deo revelatum. Hoc autem stante, argumentum nostrum fortiùs urget, Inanis ostenditur adversarii jactantia.

get, quia quod opponitur vim non habet. Immo argumentum nostrum locum habet in eo, qui putat se obsequium præstare Deo, quia hoc judicium consequens non tollit scrupulum antecedentem, quo homo sufficienter advertit, imo cognoscit se Deo displicere eliciendo illud judicium, quamvis objectum talis judicii, prout repræsentatur intellectui, Deo placere videatur. Sic subditus, cui superior prohibuit ne quidquam in itinere emeret, judicare potest gratum fore superiori talem rem, si ematur, quamvis dubitet an ipsum emere sit ipsi gratum. Ideoque peccare potest etiam contra conscientiam in faciendo eo, quod gratum superiori futurum arbitratur. Itaque certum est, peccatum hæresis ita esse peccatum erroris & ignorantiæ, ut non ex pura ignorantia & errore, sed hic & nunc ex malitia & contra antecedentem conscientiæ stimulum sæpissimè incurratur, quamvis aliter dicendum sit de illo, qui omnia circumspiciendo hic & nunc nullam mali suspicionem sive in opere, sive in operatione cerneret, sed in omnibus se Deo placiturum crederet. Ille enim aut nullo modo, aut certè ex mera ignorantia, & non ex malitia peccaret.

Peccatum hæresis ita est peccatū erroris & ignorantiæ, ut non ex pura ignorantia, sed hic & nunc ex malitia, incurratur.

33. Sed & Celladeus ipse hoc ipsum satis clarè advertit dum opponit, sequi ex nostra sententia Lutherum impeccabilem futurum fuisse, postquam omnem scrupulum, & conscientiæ vermem extinxerat. Ergò credit eum, saltem ab initio suæ hæresis, non omni scrupulo caruisse. Nec dubium est, quin ab initio Lutherus frequentes habuerit, sicut ipsemet abundè testatur de seipso. Hoc ergò scit & admittit Celladeus. Ergò simul concedit, hæresim Lutheri, saltem ab initio, fuisse peccatum malitiæ, ad quod mens operantis satis advertebat, sicut in aliis peccatis ex malitia patratis advertere solet. Ergò inconsequenter loquitur, sibique ac apertæ veritati contradicit, quando contendit, minorem illam: *Quando peccatur per hæresim, non advertitur & cognoscitur peccari:* esse evidentem.

Celladei inconsequentia & contradictio.

34. Cæterùm quamvis Lutherus, si tamen verum dixerit, omnem conscientiæ vermem extinxisset, non ideo simpliciter loquendo minùs graviter peccasset, quia non ideo intellectus illius, non sufficienter advertebat ad malum, quatenus clarè sciebat se contra Ecclesiæ definitionem suis erroribus inhærere, quamvis voluntas ipsius non cruciaretur. Verùm hoc pertinaciam ipsius magis voluntariam reddebat, ideoque ex hoc capite peccatum augebatur; nec defectus advertentiæ pristinæ eum excusabat, quia non erat causa erroris, cùm mansisset in errore, quamvis eam advertentiam habuisset. Non ergò sequitur, ut arbitratur Celladeus, accessione vitii culpam minui, & multo minùs tolli, cùm ad summum excreverit; sed oppositum ex nostra sententia legitimè deducitur.

Quomodo peccare potuerit Lutherus contra fidem, post omnē conscientiæ vermem extinctum, uti ipsemet jactitabat.

35. Cæterùm, quamvis prætensam Celladei demonstrationem exploserim, ejus tamen zelum laudo; sed vereor, ut sit secundùm scientiam. Laudabile est temerarias, nimis laxas, & erroneas tam in materia fidei quàm morum opiniones convellere; sed hoc scitè non præstatur, nisi opiniones ritè proponantur, atque objecta opinata in suas classes distribuantur. Hæc si præstitisset Celladeus, atque peccatum puræ ignorantiæ à peccato malitiæ, opusque ratione sui imputabile ab opere tantùm imputabili in causa distinxisset, non habuisset causam dicendi, communem gravissimorum Auctorum opinionem de actualis cogitationis ad peccatum ratione sui imputabile necessitate tot secum præjudicia ferre, ut aliud suorum studiorum præmium non desideret, quàm eam labefactare. Erras Celladee, non illa secum ulla fert præjudicia; sed totum præjudicium in eo vertitur, quòd in confuso rem proponas, quòd in confuso eam intelligas, quòd in confusa ac generali terminorum acceptione eam impugnes, dum omnibus tribuis, quod uni tantùm parti tribuendum esse vides. Negare peccata ignorantiæ & erroris absurdum est, quia certò constat quod dantur peccata ejusmodi. At contendere in particulari quod omne id quod fit ex plena mali inadvertentia sit peccatum, & quidem ratione sui imputabile, est absurdissimum. Distingue res, mediâ viâ incedes, & eos tecum sentientes habebis, quos tamquam adversarios insectaris.

Laudandus foret Celladei zelus in cōvellendis laxitatibus, si cum sciētia esset cōjunctus.

36. Sed quid? Nónne docemus nos, *peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscat ipsa actu se peccare?* Nónne eò tendit doctrina nostra ut statuatur hæc propositio, *si lupum non lupum putas sed ovem, nil inde mali, non peccas, non raperis, neque mactaris?* At hæc sunt intoleranda.

37. Respondemus, nil tale à nobis doceri. Dicimus enim peccari per ignorantiam, etiam quando non advertitur peccari; sed tunc dicimus peccatum illud, si sit peccatum puræ ignorantiæ, & nullum malitiæ peccatum interveniat (quod tamen aut semper, aut fere semper in omnibus generalibus Celladei exemplis intervenit) non habere imputabilitatem ratione sui, sed solùm imputari propter causam, à qua provenit, & à qua sola est & denominatur peccatum. Rursus dicimus, incogitantiam sæpe esse inculpabilem, & à natura non culpa provenire, ideoque asserimus nullum in tali casu peccatum intervenire. Cur hæc in propriis terminis non impugnas, Celladee? Cur semper in generali loqueris? Si adversarium quæras, ad manum habes; sed vide an illum in eo, in quo à te discrepat, impugnes. Hactenus certè hoc non præstitisti. Unde si zelum adhibuisti, non adeo scitè eo usus es, sicut Theologum oportebat.

Declaratio nostræ assertionis.

38. Quod autem ad secundam propositionem attinet, illa undique falsa est, nec apud ullum gravem Auctorem Catholicum invenitur. Nónne stultè, temerè, ac contra scrupulum conscientiæ, & consequenter ex peccato malitiæ credere possum lupum non esse lupum sed pastorem? Annè nil inde mali? Non rapitur, non mactatur, qui sic sponte & temerè in errorem ruit? Sic in errorem ruunt omnes, qui ab initio hæresiarchis ab Ecclesia damnatis credunt, ut mox dicetur uberiùs. Præterea quamvis verum esset, quod homines sine peccato illis fidem præberent, sequiturne inde, nil mali ipsis evenire? Sic arbitratur Celladeus, sed duabus de causis apertè fallitur. Primò si errent circa necessaria necessitate medii, damnatio æquè sequetur, sive peccent, sive non peccent qui illis fidem præbent. Mactabuntur ergò, & peribunt, etiamsi errando non peccent. Secundò error ille impedit exercitium fidei, saltem circa talia objecta. Ergò impedit opus maximè meritorium, tum in se, tum propter effectus ab illa dependentes. At hoc magnum damnum est, ut patet. Nec dicas opinionem erroneam, & actus ab ea regulatos esse bonos, & tam bonos, quàm sint ipsa fides, & actus à fide regulati. Ita sæpe objectat Celladeus, sed in utroque fallitur. Nec error, nec actus ab errore

Error multiplex Celladei.

errore regulatus est bonus, nisi error sit invincibilis. Quamvis autem sit invincibilis, nec error est tam bonus quàm fides, nec actus ab errore regulatus tantam bonitatem habet, quantam actus, quem certissima ac supernaturalis fides dirigit. Itaque semper cavendi sunt lupi, quia semper gregi nocent, semper mactant & perdunt.

39. Atque hinc non minùs perspicuum, quàm efficax argumentum ducitur, ad ea infirmanda, quæ Celladeus §. 4. congerit, ad ostendendum, quod etiam rudes verè peccent quando Parocho, vel cuivis alteri, etiam doctissimo ac nominatissimo Episcopo errorem contra fidem docenti fidem præbeant. Inprimis constat, omnem planè errorem contra fidem, sive vincibilis ille fuerit sive invincibilis, multum obesse, cùm fidem supernaturalem, atque opera in tali fide fundata impediat, illorumque loco, aut mala, aut non bona, aut certè longè minùs bona substituat. Constat 2. omnem errorem, etiam invincibilem circa ea, quæ simpliciter necessaria sunt ad salutem, seu quæ communiter appellanlantur necessaria necessitate medii, mortem æternam indubitanter afferre, atque idcirco omnino cavendum esse, cùm certò certiùs damnationem inducat. Constat 3. omnem errorem, qui à fidelibus, de fide & Ecclesia modicè instructis, contra expressam Ecclesiæ definitionem cum pertinacia incurritur, esse verissimam hæresim, gravissimumque peccatum ratione sui imputabile. Ratio est, quia fides vera adeo nos Deo per Ecclesiam loquenti subjicit, ut sciamus nos à fide, semel acceptata, nulla de causa, ne quidem quamvis Angelus de cœlo contrarium annunciaret, recedere debere, aut citra peccatum posse. Ratio est perspicua, quia qui auctoritati vel rationi contra Ecclesiam Dei nomine loquentem aures & fidem præbet, Deum mendacem facit; cùm summam auctoritatem, satis manifestè se prodentem, fallacissimæ rationi ac auctoritati creatæ contradicenti postponat. Hæc tria in se verissima sunt, ab optimis Theologis approbata, atque ex dictis satis dilucidè inferuntur: in iis autem totum intentum efficaciter stabilitur.

Error, licèt invincibilis, sæpe multū obest.

40. Inprimis omnes hæreses, nullâ demptâ, summo nisu à Pastoribus Ecclesiæ insectandæ, ac si fieri potest, exterminandæ essent ab Ecclesia, quamvis aliud malum secum non ferrent, quàm defectum boni, & meriti in ordine ad vitam æternam: Christus enim, qui Ecclesiæ suæ & gloriam, & gloriæ cumulum desiderat, apud Pastores Ecclesiæ depositum, (nempe rectam de credendis fidem ac doctrinam) reliquit, quo omnes sine impedimento, ad magnam gloriæ coronam pervenire possent. Injunxit porrò Pastoribus Ecclesiæ, ut hoc depositum illibatum servarent, ne per illorum negligentiam medium tanti momenti ab ipso relictum frustretur. Itaque vel ex hoc solo capite contra fures & lupos clamare tenentur, & eos à grege arcere, ne illi suis erroribus hujusmodi nocumentum creent. Porrò quamvis talis error ex se præcisè gloriæ tantùm diminutionem, non autem jacturam inferret, haud dubiè tamen multis ruinæ causa existeret, quia multis tepidis plurium bonorum & meliorum operum omittendorum ansam præberet, illaque de causâ Deus juxta providentiæ suæ leges abundantiora gratiæ auxilia illis negaret; ex quo tandem, indirectè saltem, lapsus in peccatum, & peccantium damnatio sequeretur. Unde de talium errorum satoribus verum est, non solùm quod suis doctrinis bona impediant, sed etiam quod oves perdant & mactent. Hæc est generalissima ratio, ob quam Pastores Ecclesiæ contra hæreticos, tamquam contra lupos gregem invadentes, clamare, atque insurgere obligantur, ne alioquin oves illorum doctrinis seductæ, & gloriæ diminutionem, atque multæ etiam ejusdem jacturam patiantur.

Multis nominibus invigilandum Pastoribus Ecclesiæ contra hæreses.

41. Huic primò adde secundum caput nocumenti ab hæreticis imminentis, statimque videbis obligationem eis resistendi in Pastoribus crescere. Potissimæ enim hæreses expressè in illis errarunt, quorum explicita fides necessaria est ad salutem necessitate medii. Quòd cùm certum sit, mirandum planè est Celladeum in tota isto tractatu nullam de hujusmodi differentia mentionem fecisse, sed de omnibus fidei articulis, ac de erroribus illis oppositis, eodem modo fuisse loquutum, ac si idem de singulis dicendum esset, quod ulli eorum convenit. At Theologi, quando tractant an & qualiter error in materia fidei noceat, aut ad peccatum imputetur, nil antiquius habent, quàm ut ista distinguant. Sciendum ergò est, potissima Sanctissimæ Trinitatis ac Incarnationis Mysteria, aliaque nonnulla ex necessitate medii ab omnibus esse credenda, adeoque homines sine illorum fide necessariò perire, sive qui illa ignorant, aut circa illa errent peccent, vel non peccent. Jam nulla est hæresis primaria, quæ circa aliquem saltem ex istis articulis non errarit. Unde Christus rectè admonuit, cavendum esse ab illis, quia doctrinis suis mactant oves & animas perdunt. Sed & Pastores Ecclesiæ contra eos tamquam contra lupos gregem invadentes insurgere debent, ut oves ab eorum faucibus seu falsis doctrinis tueantur: nec refert quod Pastor, aut Episcopus, aut Doctor nominatissimus talem errorem proferat, quia in ordine ad impediendum salutem perinde est à quo error inducatur, quamvis in ordine ad peccatum arcendum multum refert, quis, quomodo, & à quo errorem audivit, cui fidem dedit.

Vix ulla hæresis primaria quin impegerit in articulū necessitate medii omnibus credendum.

42. Demum nemo Catholicorum errori ab Ecclesia damnato fidem præstat, nisi eo ipso fidem abjiciat, & graviter peccet, non ex ignorantia, sed ex malitia, saltem ab initio. Itaque omnes Heresiarchæ gravissimè peccarunt contra fidem: nec à peccato populus ab iis seductus immunis fuit; nemo enim fidelis sine manifesto peccato, eoque non ex ignorantia sed ex malitia profectò, ab illis articulis resilire potest, quos ab Ecclesia ut fidei dogmata teneri novit. Itaque Pontifices ex hoc etiam capite contra lupos seducentes, & oves seductas insurgere debent, ut illis clariùs ob oculos ponant errores ac peccata, eo fine, ut & ipsi resipiscant, & ne alii in eorum laqueos jam clariùs detectos peccaminosè incidant.

43. His præmissis, quæ videntur esse satis certa, argumentum Celladei sponte ruit. Si enim rusticus adeo rudis sit, & incapax, ut post debitam diligentiam sufficienter capere aut scire nequeat, quid in Ecclesia & ab Ecclesia certò teneatur, aut si cupidus sciendi quæ non novit, adeat eos, qui ipsi præpositi sunt, quique publicam sufficientiæ famam adepti sunt; talis homo si ab uno vel altero ejusmodi audiat aliquid credendum esse de fide, nec quemquam reclamantem audiat, non videtur peccaturus si illis fidem adhibeat, quia pertinax non est, sed paratus omnes illos errores respuere, cùm sciverit illos ut tales ab Ecclesia respui. Nihilominus peribit miser, & verè mactabitur, si error sit circa ea, quæ necessitate medii cre-

Non omnis in fide error rudioribus imputabitur.

dii credenda sunt. Itaque in exemplis à Celladeo adductis aut numquam aut raro valde contingit errantes, non peccare, quia nimis notorium & obvium est, illa ab Ecclesia ut falsa ac hæretica rejici. Nec refert quis sit, qui hæc doceat, an Pastor, an Episcopus, an Patriarcha, quia vel ipsis rudibus nimis apertè constat, Ecclesiam omnibus esse præferendam.

44. At si loquamur de rebus magis reconditis, quarum explicita fides non est omnibus necessaria, ne quidem necessitate præcepti, absque ratione dicitur, quod error circa illas sit peccatum in eis, qui orto de illis dubio Pastores sibi præpositos consulunt, quamvis ab illis decepti errori fidem præbeant. Idipsum multò magis verum est in illis, qui ab infantia inter hæreticos educati sunt; in illis enim errores etiam circa credenda ex necessitate medii, longè faciliùs quàm in fidelibus sunt invincibiles, & inculpabiles; quia cum illi numquam habuerint, æstimationem debitam de auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, sed potiùs semper contra eam exclamantes audierint, ab initio illis vitio verti non potest, si viris apud eos gravissimis de illis, quæ contra lumen naturæ non sunt, fidem dederint. Idque longè frequentiùs ac diutiùs, & sæpe per totam vitam locum habet in rudibus, qui numquam cum Catholicis conversati sunt, sed semper de illis pessima audierunt. Nihilominus miseri illi peribunt, nisi Deus eos tandem illuminaverit, & ad fidem necessariam reduxerit. At si solùm errent, circa ea quæ citra animæ periculum à fidelibus ignorari possunt, non ideo peribunt, si fidem de necessariis habeant, quia non est cur aut illi, aut rudes Christiani, qui talia à suis Præpositis constanter audierunt, criminis accusentur; illi enim fecerunt quantum humano modo potuerunt, ideoque si errent, invincibiliter errare censendi sunt.

Præsertim si versetur circa articulos, ac quidem necessitate præcepti credendum explicitè.

45. Sed & Celladeus ipse in hoc inconsequentiæ arguendus est, nisi omnes fermè Catholicos totâ vitâ contra fidem peccare dicat. Ratio est, quia in materia fidei malum ignorantiæ & erroris per illum maxima ex parte æquiparantur, quamvis error sit deterior ignorantiâ. Omni enim nisu ostendere conatur malum utriusque esse magnum, & consequenter debuisse prohiberi. Et sanè ignorantia circa credenda, sive necessitate medii sive necessitate præcepti, non minùs infert peccatum & damnationem quàm error, ut patet. Hoc tamen non obstante ignorantia plurimorum de fide dogmatum non est tantùm malum quod universaliter prohiberi debuit, alioquin nemo absque peccato ignorare posset, quidquam quod à Deo revelatum est. At hoc est falsum, quia maxima fidelium pars plurima eorum, quæ Ecclesia tamquam dogmata revelavit, ignorat, & pauci valde sunt, qui singula norint; nec ideo peccant, modò ea credant quæ necessaria sunt tam necessitate medii, quàm necessitate præcepti. Jam quamvis omnes teneantur singula credere, quando sufficienter proponuntur ut asserta ab Ecclesia, licitè tamen ignorantur, quando ignorantia nec affectata est nec supina, nec hæc ignorantia tantùm malum est, ut prohiberi debuerit. Ergò idem dicendum est de errore, quando error ille non est culpabilis, sed incurritur etiam ab iis, qui in rebus ad animam spectantibus diligentes sunt, maximè si ita dispositi sint, ut in omnibus Ecclesiæ obedire parati sint, ubi constiterit illam oppositum tenere. Ergò error in rebus istiusmodi absque peccato incurri potest, non solùm ab iis qui in hæresi educantur, sed etiam ab ipsis fidelibus, quando à Pastoribus suis ita docentur, nec ulla illis apparet ratio cur illorum dictis non credant.

Celladei inconsequentia.

46. Hæc de errore citra peccatum in materia fidei, & de Celladei æquivocationibus hac in parte dicta sufficient: superest ut ejusdem æquivocationem magis adhuc palpabilem in materia morum convellamus. Inprimis quantum spectat ad ea quæ prohibita sunt quia mala, pauca tantùm invincibiliter ignorantur etiam ab infidelibus, qui non possunt non satis percipere ea esse mala, quamvis non tam clarè videant eorum malitiam, quàm qui de illis meliùs instructi sunt. Porrò hoc ipsum à fortiori locum habet apud fideles, qui expressam Decalogi aliorumque prohibitorum notitiam habent. Itaque exemplum fornicationis & similium non est ad rem, quia fideles citra peccatum malitiæ ignorare nequeunt id non esse malum & vetitum. Nec refert, quod Pastor aliquis aut Episcopus vel Doctor doceat oppositum, quia cùm Ecclesia doceat fornicationem esse illicitam, omnis privatorum auctoritas contemnenda est, ut Deus audiatur, qui nos per Ecclesiam docet; cùm qui Ecclesiæ in talibus contradicit, Deum mendacem faciat. Quare in his ultrò concedimus non sufficere, quod Pastor aut Episcopus, vel etiam Angelus dixerit id esse licitum, quia nemo nisi temerè & cum hæresi illis fidem dare potest contra Ecclesiam contrarium docentem, ut patet.

Ulteriùs detegitur Celladei æquivocatio, in malitia morum.

47. Sed quod inde transeat Celladeus ad probabile, quasi verò id ad excusandum à peccato non sufficeret, atque id ex paritate fidei comprobet, undique à veritate propter multiplicem æquivocationem deficit. Inprimis supponit hæreses fuisse verè probabiles, saltem ipsis hæreticis, qui illas approbarunt ut veras; hoc autem apertæ veritati repugnat, quia de essentia probabilitatis est, ut nil certi in oppositum afferratur. At Auctoritas Ecclesiæ damnantis hæreses definitionem suam certam reddit. Nulla proinde hæresis probabilis esse potest nec quoad se, nec quoad illos, qui aut Ecclesiæ auctoritatem norunt, aut nosse possunt ac debent. Unde omnes qui ab initio contra Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, eo ipso sunt inexcusabiles, cùm vincibiliter & ex malitia errare convincantur. At si sermo sit de seductis, ac ab infantia in hæresi educatis, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate æstimationem nec habent nec habere potuerunt, eò quòd sinistram de illa informationem semper acceperint, illi invincibiliter errare possunt in materia fidei, in quo casu error illis hîc & nunc evadit extrinsecè probabilis, quia magnam habent auctoritatem pro eo, quòd credunt, & invincibiliter ignorant omne prævalens, quod in oppositum afferri potest.

Hæresis Hæresiarchæ ipsi rerum probabilis non est.

Secus sæpe de educatis in hæresi.

48. Nec obstat, Hæreticos, etiam formales, existimare sua dogmata esse vera ac etiam certa, quia inde solùm sequitur, quòd consequenter ad indebitum animi affectum, apparentem apud illos probabilitatem habeant, quod nemo negat. Verùm talis probabilitas, affectum indebitum consequens, neminem excusat, nec à nobis pro regula conscientiæ ponitur. Mirum proinde est talia objici potuisse.

49. Deinde paritas inter errores de fide & moribus crassam æquivocationem continet, quia multipliciter institui potest. Error enim circa mores potest simul esse error circa fidem; sic qui adulterium licitum esse crederet, & contra fidem & contra mores erraret. Et quidem in hujusmodi casu

Ulterior adversarii æquivocatio crassa.

casu paritas rectè procedit, sed Celladeo non favet, quia in istis non dubitatur de culpa, cum fideles Ecclesiæ auctoritatem scientes circa talia sine peccato ratione sui imputabili haud errent. Immò quòd plus est, infideles circa talia vincibiliter errant, quia ipsum naturæ lumen nisi malitiosè tegatur, talia turpia esse convincit. Ergò in talibus satis constat de peccato. Quod si nulla sit certitudo fidei de aliquo puncto, sed post omnem diligentiam res maneat dubia, ut tam in fidei, quàm in morum materia sæpe evenit, tunc etiam paritas rectè se habet. Verùm in hoc casu error si probabili fundamento nitatur, in utraque materia à peccato excusat. Verùm excusatio paulò immediatiùs apparet in materia fidei, ut constat ex dictis *quæst. 11.* ubi ex paritate probabilitatis excusantis in materia fidei, probabilitatem etiam in materia morum excusare intulimus.

Aliter institui potest paritas.

50. Verùm si paritas instituatur inter errorem de moribus verè insuperabilem, eò quòd post omnem diligentiam adhibitam res maneat incerta, & ob grave motivum vera credatur, & errorem circa fidem in rebus jam clarè decisis, argumentum in tali paritate fundatum sponte ruit, quia evidens disparitas se prodit, eò quòd ejusmodi error circa fidem sit vincibilis, omniqùe probabilitate careat, cùm error circa mores sit invincibilis, ac motivo verè probabili nitatur. Jam si Celladeus, ut oportebat, hæc distinxisset, & plura dissimillima sub generali eorundem terminorum notione contenta æquivocè non confudisset, nullum ex hoc capite pro se, sed validissimum contra suam opinationem argumentum invenisset.

Sed Celladeo non favet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Quæstione 8. contentæ, & quæritur, an absolutio Ecclesiæ probet, quod homines errore circa fidem laborantes in ipso peccent & excommunicationem incurrant.

Objectio ab auctoritate S. Thomæ.

51. OBJICIT sextò. S. Thomas *2. 2. quæstion. 10. art. 12.* ut probet filios Judæorum & infidelium invitis parentibus non esse baptizandos, sic arguit. *Maximam auctoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesia usus numquam habuit, quod Iudæorum filii, invitis parentibus baptizarentur.* Ecce quantæ auctoritatis apud omnes esse debet praxis Ecclesiæ, cùm illi omnes rationes & auctoritates S. Thomas postponat. Hinc autem ad præsens intentum sic arguitur. Consuetudo Ecclesiæ est, ut populos integros, etiam rudes ipsos, ac fæminas, propter errores & hæresim à se abscindat, ut redeuntes hæreticos ab excommunicatione absolvat, nec omnibus eos absolvendi potestatem committit, sed personis certis reservat. Ergò Ecclesia censet, tales propter suos errores, esse peccati ac hæresis reos, quia excommunicatio in hæreticos lata non nisi per peccatum incurritur, ut patet. Hæretici ergò, quos Ecclesia absolvit, peccatum hæresis & pœnas hæreticorum incurrunt. At non solùm privatæ personæ, sed integræ nationes absolvuntur. Ergò integræ nationes sunt veri hæretici. Et tamen in integris illis nationibus aut omnes aut plerique putant se rectam viam tenere, nec de hoc vel minimum formidant, immo, propter educationem in hæresi, pessimam de Catholicis opinionem cum lacte sugunt. Ergò sæpe peccant etiam illi, qui putant se non peccare, sed rectè agere. Ita fermè Celladeus *quæst. 8.* ubi vehementer invehitur in aliquos, quos tamen haud nominat, qui per doctrinam de actuali advertentia mali ad peccatum requisitam innumeros ab hæresi, & excommunicatione hæreticis inflicta liberant, quia dicunt eos non peccare, quoties actu non advertunt peccatum latère in opere. Hac ratione eos ab excommunicatione liberos esse decernunt, qui se excommunicationem incurrisse ignorant, eosque privata sua auctoritate Ecclesiæ reconciliant, seu à peccatis citra reconciliationem absolvunt. Mox addit, nonnullos à proprio hæresis peccato, & consequenter ab omni hæreticorum pœna liberare omnes ignorantes, nisi affectata sit eorum ignorantia; qui in eo se fundant, quòd excommunicatio sine contumacia & contemptu non incurratur. Ad contumaciam autem & contemptum cognitio necessaria est, qui enim excommunicationem ignorat contumax esse nequit. Ergò excommunicationem ignorans, eam non incurrit. Ergò ignorantia nisi affectata sit, excusat.

Contendit ignorantiam invincibilē non excusare ab excommunicatione.

52. Tandem in eos invehitur, qui simplicem hæreticorum populum propter invincibilem eorum ignorantiam à culpa & pœna hæresis liberant. Opponit autem praxim Ecclesiæ, quæ eos in suum gremium non admittit, nisi ab excommunicatione primùm absolvat.

Imo neque ab hæresi.

53. Nec dicas, inquit, absolutionem illam impertiri quidem in foro externo justis de causis, cùm in foro interno non sit necessaria: contra enim est, quia forum externum non differt ab interno, nisi quando ignorantia, error, vel falsa præsumptio reperitur in foro externo, quod in interno locum non habet. At in casu præsenti simplicitas, ignorantia, & ineptitudo rudium hominum, sicut & eorundem educatio, id est omnes tituli in quibus invincibilitas ignorantiæ fundari potest, æquè innotescunt in utroque foro. Ergò judicium utriusque fori debet esse idem. Præterea si capita illa fundarent ignorantiam invincibilem, utique facerent præsumptionem de ignorantia invincibili rudium, qui ab hæreticis seducuntur, quia præsumptio fundatur in eo quod plerumque contingit; nec umquam id præsumitur, quod rarò & in gravioribus evenit, quia rarò contingentia præsumenda non sunt, sed probanda. Ergò Ecclesia neminem præsumere deberet esse hæreticum, sed positiva ratione opus esset. At hæc omnia falsa sunt & absurda, cùm praxis Ecclesiæ ostendat hujusmodi homines esse reos, quia illos non sine reconciliatione & absolutione ab excommunicatione in suum gremium recipit. Ergò rei sunt. Ergò peccant, & hæreseos rei sunt, quia suis dogmatibus putant se non peccare, sed bene agere, dum eis fidem præbent, atque fidem Catholicam aversantur. Ita Celladeus dicta *quæst. 8.*

Replica.

54. Respondeo inprimis me nullatenus iis favere, qui de incursu pœnarum nimis laxè sentiunt. Scio ignorantiam non solùm affectatam, sed etiam crassam seu supinam ad peccatū, & consequenter ad pœnas peccato debitas ex se ac suo conceptu abundè sufficere: laudo proinde Celladeum, qui §. 2. hac in parte communi sententiæ adhæret, eamque ex Azorio aliisque rectè probat. Cæterùm modus discurrendi, quo utitur, non

Responsio.

non placet, quia doctrinam hanc veram ita proponit, ac si ignorantia culpabilis ad quamvis excommunicationem incurrendam sufficeret; cùm tamen hoc non minùs absurdum sit, quàm negare quod excommunicatio per ignorantiam non affectatam umquam incurri possit. Sciendum ergò est, jura excommunicationem interminantia diversimodè loqui. Aliqua simpliciter prohibent opus, idque sub pœna excommunicationis: alia eos tantùm excommunicant, qui aliquid scienter agunt. Quædam censuram iis inurunt, qui præsumptuosè, aut temeritate præsumptuosa aliquid patrare audent, &c. Jam sicut certum est, leges istas non frustra, & sine effectu, diversis phrasibus uti; ita pariter certum est plus requiri ad posteriorum, quàm priorum pœnas incurrendas. Juvat autem credere, Auctores, quos nomine suppresso Celladeus citat, juxta hanc legum & verborum diversitatem suas assertiones stabilivisse; quia graves Auctores sensa sua in confuso exponere non solent, sed cuncta rectè distinguere, atque in classes revocare. Verùm si quis à recto aberrârit, citetur nominatim, & non tacito, sed expresso nomine impugnetur; hoc enim legentium utilitati conducibilius est, quàm in confuso Doctores arguere, qui fortè non adeo crudè res proponunt, sicut illis objiciuntur.

Diversimodò ferri solent excómunicationes.

55. Deinde respondeo, praxim Ecclesiæ sine hæsitatione in omnibus æmulandam esse, & ab omnibus plurimi faciendam; necessitatem tamen operis non semper tam efficaciter ab illius praxi probari, quàm probetur inhonestas operis, quod universali praxi omittit vel prohibet. In casu S.Thomæ aliisque similibus praxis Ecclesiæ efficaciter probat opera ejusmodi esse illicita; quia si licerent, eo ipso evaderet necessaria, ideoque Ecclesia in necessariis deficeret, si talia toleraret, quia permitteret suos subditos in talibus peccare, absque eo, quod eos, ut potest, aut corrigeret aut instrueret. At Praxis Ecclesiæ non semper ex æquo probat illud esse necessarium, quod ipsa exercet; quia sæpe facit ad cautelam, quod scit non semper esse necessarium. Sic sæpe ad cautelam dispensat, aut à censuris absolvit, quamvis sciat non omnes quibuscum sic operatur, esse reos. Verùm in ejusmodi casibus dispensatio & absolutio non sunt omnino absolutæ, sed ex mente concedentis, conditionatæ.

Quo sensu praxis Ecclesiæ sit argumentum infallibile moralitatis.

56. Quantum autem attinet ad consuetudinem Ecclesiæ in absolvendis hæreticis ad suum gremium redeuntibus, alia est praxis fori externi, alia interni. Externum forum ad hoc præcipuè respicit, an homo rediens, errore deceptus fuerit? & an se jam Ecclesiæ subjicere velit? Si errorem fateatur, & emendationem spondeat, reconciliatur, illique absolutio à censuris datur, saltem ad cautelam. Nec mirum; quia quamvis homo rediens, dicat, se hactenus non solùm bona fide processisse, sed in nullo umquam dubitasse aut scrupulum habuisse, an suis dogmatibus fidem dando peccârit, non tamen plenam probationem facit, nec ei sine dubitatione creditur, ideoque justum est, ut Ecclesia in foro externo ad cautelam saltem eum absolvat. At in foro interno sola pœnitentis assertio plenam fidem facit; ideo praxis fori interni diversa est à praxi fori externi. Cùm enim ea plenè probentur in foro interno (quæ si plenè probarentur, & certò constarent in foro externo, Ecclesia absolutionem non adhiberet, nisi ad summum conditionatè) utique sequitur, peritos Confessarios aliquando videre hominem reconciliandum invincibiliter errasse, & absque pertinacia ad hæresim & hæreticorum pœnam contrahendam requisita errasse, & in errore permansisse, ideoque nil mirum est, si aliquando hujusmodi à peccatis absolvant, etsi eum ab excommunicatione, si eam propter hæresim contraxisset, absolvere nequeant. Quæ cùm ita sint, mirum est, Celladeum adeo æquivocâsse circa forum externum & internum, ut putaverit eadem prorsùs quoad præsentem materiam in utroque constare; cùm in foro externo solùm constet multos ex educatis ab infantia inter hæreticos à peccato hæresis excusari, quod tamen numquam sufficienter constat de hoc particulari, qui absolvitur; in foro verò interno generaliter constat plures esse peccati reos, plures innocentes, de pluribus etiam dubitatur. At de hoc peculiari homine, qui reconciliatur, satis constat eum innocenter errasse. Eadem quidem argumenta, quibus generaliter scimus aliquos esse, aliquos non esse reos, æqualiter patent in utroque foro. Verùm illa ad neutrum forum regulandum sufficiunt. Pro foro enim interno opus est alia certiore regula, quæ plenam innocentiæ probationem contineat. Similiter nemo in foro externo absolutè damnari potest, aut hæreticus haberi, nisi crimen sufficienter probetur, quod certè ex generalibus illis titulis non sufficienter probatur. Itaque in tali casu falsum est quod absolutio in foro externo absolutè detur ut necessaria, cùm aliter justè dari non possit, quàm conditionatè & ad cautelam.

Ingens differentia inter forū externum & internum in ordine ad absolutionem.

57. Debuisset Celladeus probare forum externum dare absolutionem ut absolutè necessariam omnibus, qui ad Ecclesiæ gremium redeunt, etiam iis qui aliquando reconciliantur in foro interno absque absolutione à censura hæreticis inflicta, quando eadem constant in foro externo; tunc enim ex praxi fori externi rectè intulisset privatos homines errare, qui in foro interno aliter procedunt. Verùm evidens est, eum nec hoc probasse, nec quemquam probare posse; quia eo ipso probaret, externum Ecclesiæ judicium esse exorbitans ac injustum, utpote quòd multos immo plurimos innocentes damnaret ut nocentes, etiamsi nulla sufficiens probatio criminis contra eos afferretur. Undique ergò argumentum labitur.

Absolutio fori externi non semper est absolutè necessaria.

58. Alia etiam æquivocatio latet in argumento, quia arguens non distinguit inter illas nationes, quæ ab initio contra expressam Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, Ecclesiæque auctoritatem priùs satis notam contemnunt; & illas, quæ ab infantia in hæresi educatæ fuerunt, nec ullam umquam sufficientem de Ecclesiæ auctoritate notitiam habuerunt, sed è contra mira contra eam semper declamitari audierunt. Omnes in prima classe contenti peccant peccato hæresis, à quo proinde, sicut & à pœnis tali peccato inflictis, meritò absolvuntur in foro externo, nec absque tali absolutione reconciliari debent in foro interno; Et in hoc sensu admitti potest, integras nationes peccati hæresis reas esse, & ab Ecclesia absolutè absolvi posse. Dubito tamen an talis absolutio umquam integræ nationi impertita fuerit, quia intercurrente tempore plures inter hæreticos ad usum rationis pervenerunt, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate opinionem habere non potuerunt. Itaque respectu talium absolutio non erat absoluta, sed solùm conditionata & ad cautelam, cùm illorum contumacia & peccatum sufficienter non probetur.

Dispar ratio de educatis in hæresi, ac de Catholicis lapsis, quoad absolutionē ab hæresi.

59. Ex iis verò, qui in secunda classè continentur,

Refellitur experientia Missionis nostræ. nentur, magna sanè pars adolescit in erroribus, eosque invincibiliter veros habet, nec Celladeus, ni fallor, id diffiteretur, si apud nos in Anglia educatus fuisset, atque manum hominibus ad fidem reducendis adhibuisset. Invenisset enim plures, qui nullam in vita sua de veritate suæ religionis, aut de nostræ religionis falsitate dubitandi causam habuerunt, quique post conversionem post diligens examen ullum de sua in hac re negligentia scrupulum invenire possunt. Ex his multi, statim ut dubitandi causa apparuit, seriò se ad veritatem indagandam contulerunt. Nec desunt plurimi in sua secta valde religiosi, qui juxta instructionem quam habent, Deo servire satagunt. Hi certè hæretici non sunt, nec umquam fidem in baptismo acceptam perdiderunt, & tamen isti ipsi ad cautelam ab excommunicatione absolvuntur in foro interno ab iis, qui ab hæresi absolvendi facultatem habent; non est autem cur, si justa causa id exigeret, absolvi non possent in foro interno ab eo, qui talem potestatem non haberet, cùm satis constet, eos nec contumaciæ, nec peccati contra fidem reos extitisse. Verùm in regionibus Catholicis pro uniformitate Ecclesiæ, & ad majorem populi fidelis satisfactionem & ædificationem admissio ad gremium Ecclesiæ, & absolutio saltem ad cautelam in foro etiam externo danda est.

Experientiæ suffragatur ratio. 60. Cæterùm non solùm praxis continua cum iis qui reducuntur ad fidem, sed etiam rationes efficacissimæ planè convincunt, plurimos ex rudioribus inter solos hæreticos ab infantia educatos ab hæreseos peccato esse immunes. Hi enim, sine prædicante & annunciante, audire veritatem, illique fidem dare nequeunt. At nemo illis nuntiat veritatem, sed omnes sua dogmata proponunt tamquam à Deo, & Sanctâ ejus Ecclesiâ tradita. Ergò invincibiliter ignorant & errant. Sed ponamus aliquem illis scrupulum ingerere; an ideo statim tenentur suis erroribus renuntiare, & fidem Catholicam amplecti? nullo modo. *Qui citò credit, levis est corde.* Fieri potest, ut qui scrupulum injicit exiguæ auctoritatis sit; fieri potest, ut deteriora proponat, &c. At in re tanti momenti, quanta est fides & salus æterna, prudentis non est auditis statim fidem dare; immo temerarium esset & stultum illi credere, de quo non constaret, quod esset fide dignus. At non statim constat, quod novam proponens fidem sit fide dignus; immo ut sit fide dignus doctrinam suam reddere debet credibilem, quod non statim, nec ab omnibus facilè fieri potest. Rursus si unus unam, & alius ei contradicens aliam fidem proponat, (quod in tali casu ferè semper evenit) infidelis ille, maximè rudis, ignorat, quis aut qualis sit, qui fidem veram proponit, & an sit dignior fide iis, quos ab infantia contrarium docuisse novit.

61. Rursus, infidelis vel hæretici ejusmodi non tenentur credere aliam falsam sectam sic propositam. Ergò neque veram, quia ex modo proponendi scire nequit, quænam sit vera. Unde Dominus ipse *Ioan. 15.* tradit peccatum non habituros, *si signa non fecisset, quæ nemo alius fecit.* Similiter Catholicus etiam indoctus non tenetur credere hæretico dicenti se verum prædicare, idque non solùm quando constat, quod contra Ecclesiæ sensum loquatur, sed etiam in rebus, de quibus rudis ille nil antea audivit in alterutram partem. Ergò vice versa hæreticus rudis non statim tenetur credere veritatem, eo ipso quòd ipsi proponatur.

Imò & rationis Autoritas. 62. Tertiò, ratio à priori sumitur à S. Thoma *2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2.* ubi tradit, credentem debere videre mysteria fidei, non in se, sed prout sunt credibilia; *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Hinc sic arguo. Mysteria fidei non statim ita proponuntur à quovis, ut evadant credibilia, sed ad hoc confirmari debent vel evidentiâ signorum, vel aliquo æquivalenti: sed ad hoc multum requiritur. Ergò hæreticus ille rudis non statim tenetur credere, immo non potest credere, donec videat rem propositam esse credibilem. Ergò debet videre illam esse credibiliorem suâ sectâ. At ad hoc non quævis propositio sufficit, sed valida propositione ac confirmatione opus est. Verùm hoc universaliter verum est, minora motiva sufficere, ut talis hæreticus possit ac debeat de sua fide vacillare ac dubitare, quàm ut fixam ac firmam & immutabilem fidem concipiat. Hæc & alia ejusmodi convincunt, plurimos ex rudibus, apud solos hæreticos educatis, in sua secta invincibiliter errare, & pœnas hæreticorum non incurrere.

Replicat. 63. Sed contra instat Celladeus, & § ultimo sic objicit. Ex hac doctrina sequitur nullum fuisse in mundo hæreticum, nullum infidelitatis peccatum; nemo enim credit, quod sibi credibile, & opposito credibilius non videtur. Ergò nulli hæretico in sua secta manenti umquam sufficienter proposita fuit fides. Ergò nullum fuit aut est peccatum hæresis propriæ, & interioris. Hinc constat rationes allatas in eo solo vim facere, quòd omnia regulent per actualem cujusque existimationem de bono & malo. At constat hoc esse falsum. Teneatur vera doctrina, quod peccari potest operando juxta conscientiam, si vincibiliter erret, & omnia sponte corruunt. Peccat enim hæreticus si fidem præbeat illi, qui nondum sibi fide dignus habetur, quia temerè agit contra conscientiam. Et tamen peccat etiam operando juxta conscientiam non credendo, quia tenetur eam conscientiam, utpote erroneam, deponere, quod locum non habet in casu Catholici, non credentis falsa sibi proposita, quia hic operatur juxta conscientiam rectam, non erroneam. Quod si Christus dixit Judæos peccatum non habituros, nisi ipse signa fecisset quæ nemo alius fecit, non tamen adjunxit, eos non peccaturos, nisi ipsi id ita esse cognoverint, quia multi odio obcæcati id non cognoverunt, qui tamen id negando ac nesciendo peccarunt. Similiter verum est quod S. Thomas dicit, credentem debere videre *mysteria fidei esse credenda vel propter signorum evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi.* Sed ubi dixit S. Doctor, quod quicumque hanc evidentiam non assequitur, hoc ipso excusetur, & hæreseos peccatum non incurrat? Ita Celladeus.

Responsio. 64. Respondeo, Adversarium in eadem æquivocatione, ac rerum indistinctione persistere, atque ex illa ad illationes omni veritatis specie carentes progredi. Ex hæreticis alii scientes & volentes contra Ecclesiæ auctoritatem, quam satis perspectam habent aut habere possunt & debent, pertinaciter suis erroribus inhærent, & hi à formalis hæresis peccato non excusantur, quia testimonium Dei loquentis sufficienter propositum posthabent & contemnunt, quantumque in ipsis est Deum mendacem faciunt. Nec obstat, quod sectas suas mysteriis fidei credibiliores habeant, quia hæc apparentia credibilitatis consequitur ad affectum indebitum, & ad judicium temerè conceptum, uni parti peccaminosè alliga-

tum, ideoque error ille est ipsis imputabilis, quia fundatur in ignorantia voluntaria, supina scilicet, vel fortè etiam affectata. Alii aut nullam umquam de Ecclesia Catholica mentionem fieri audierunt, aut non nisi pessima de illa perceperunt; ideoque nec habent, nec debitam de illius auctoritate opinionem habere debuerunt, aut etiam potuerunt. Jam de his tantùm rationes nostræ procedunt, quia error istorum est prorsùs invincibilis, cùm apparentia de illius veritate antecedat omnem indebitum affectum voluntatis, sitque talis, ut hic & nunc, aut non possit, aut non debeat deponi. Peto jam, an ex eo quod isti non peccent peccato hæresis, sequatur nullum in mundo hæreticum formalem extitisse? Ita infert Celladeus, sed qua veritatis specie judicet Lector, imò contentus sum, ut ipse hæc legens judicet.

Hallucinatio Celladei. 65. Falsum similiter est, quod dicit, argumenti nostri vim in eo sitam esse, quòd supponat propriam cujusque existimationem de bono & malo esse sufficientem conscientiæ regulam; non enim hoc supponit, sed directè probat ignorantiam & errorem ejusmodi idiotarum esse invincibilem, ac ipsis inimputabilem; talis autem existimatio boni est regula sufficiens, ut ostensum est *quæst. 3.* quamvis constet errorem vincibilem ad conscientiam regulandam non sufficere. Itaque communis illa ac verissima doctrina, quod necessariò peccet, qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam, argumento non officit, quia solùm probat hæreticos primæ classis stante sua persuasione in eo peccare quòd Ecclesiam contemnant, &c. quia illi & possunt & debent conscientiam suam erroneam deponere, cùm sit vincibilis; pro priori enim adsunt motiva sufficientia ad eam deponendam, utpote quæ obligant ad eam non formandam. At rudes, in secunda classe contenti, aut non possunt aut non debent conscientiam suam deponere, cùm antecedenter ad omnem affectum uni parti alligatum, motiva ad talem obligationem inducendam sufficientia non habeant, sed, nisi temerè agere velint, suis erroribus fidem dare debent.

Explicantur verba Christi, à Celladeo objecta. 66. Quod addit de Christo non solvit argumentum, quia quamvis Christus non dixerit, neminem ex Judæis, qui non agnoverit eum talia fecisse signa, peccasse non credendo, tamen satis luculenter asserit neminem eorum peccaturum fuisse non credendo, nisi potuissent idipsum scire, atque per ipsos, eorumque culpâ stetisset, quò minùs id scirent. At hoc abundè sufficit ad intentum nostrum, cùm argumentum procedat de iis, qui talem de mysteriis fidei informationem habere nequeant. Idem proculdubio est sensus S. Thomæ: nulla proinde est hæc Celladei replica.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

Quæstione nona contenta.

Objectio 7. 67. OBJICIT septimò. Absurdissima ac perniciosissima hæresis non ita pridem pervulgata docet, unumquemque salvari in sua religione, modò credat in Christum, atque juxta suæ religionis præscriptum vitam instituat, nec quidquam contra lumen naturæ operetur. Error hujus hæresis in eo consistit, quòd dicat, Deum alligasse salutem æternam omni credenti in Christum, modò juxta religionem suam vivat, & contra lumen rationis non operetur; quasi verò tota substantia Religionis, quam Deus exigit ad salutem, in eo solo puncto vertatur, quòd in Christum credamus, reliquæ verò de religione dissensiones sint res parvi momenti, & velut diversarum Scholarum opiniones, in quibus unicuique impunè permittitur in suo sensu abundare. At idem absurdum reipsa sequeretur si verum esset, quod omnis, qui sine scrupulo operatur, juxta conscientiam suam non peccaret. Inprimis sequi videtur, hæreticos omnes juxta errores suos atque formatam ex iis conscientiam non peccare, quia sine scrupulo fidem suam veram habent, & de veritate conscientiæ juxta illam formatæ securi sunt. Quod si deinde dicatur, bonum esse juxta conscientiam sic formatam operari, sicut turpe est contra agere, eo ipso hæreticorum & infidelium operationes, erroribus suis consentientes, evadent honestæ. Inde autem sequitur ulteriùs, easdem operationes esse ordinis supernaturalis, quia ex verâ Theologiâ gratia supernaturalis & auxilium sufficiens nulli deest ad suas honestas operationes, ut ordinis supernaturalis fieri possint. Erunt ergo operationes illæ meritoriæ vitæ æternæ, saltem de congruo, quin etiam & de condigno in hæreticis baptizatis, qui grave aliquid contra lumen naturæ, & suam sectam committendo gratiam baptismalem non amiserunt. Habebitur ergò, unumquemque salvari in sua secta, modò juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit.

68. Idem sequitur ex eo præcisè, quòd homo dicatur non peccare, si illud faciat, quod conscientia ipsius sine scrupulo & remorsu bonum esse dictat. Hinc enim sequitur, unumquemque salvari in sua secta, saltem Christiana, si juxta eam, ac lumen naturæ vivat. Inprimis hi baptizati sunt, & gratiam baptismi non perdunt nisi peccando. At non peccant, ut ponimus, si juxta suam sectam & naturæ lumen operentur. Ergò salvantur. Cæteri verò, quibus eo dilectionis Dei remedio provisum non fuerit, salvari nequibunt, sed non damnabuntur, sed ad lymbum puerorum sine baptismo decedentium mittentur, vel ad alium locum ubi leviorum pœnarum culpas luant. At sequela absurda est. Ergò falsissimum est, quod conscientia scrupuli & ambiguitatis expers, sive ex veritate, sive ex errore formetur, à peccato liberet, & operationem honestam inducat. Ita Celladeus *quæst. 9.* ubi asserit se non capere, in quo hæc opinio quoad praxim, & effectum salvandi omnes in suis sectis, discrepet ab errore hæreticorum dicentium, unumquemque salvari in sua secta, & lege saltem Christiana, si juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit. Confirmatio.

69 Respondeo hæc omnia abs re objici, cùm præsentem quæstionem non tangant, nemo enim Catholicorum asserit, omnem operationem juxta conscientiam factam esse bonam, aut certè non malam; sed omnes rem distinguunt, ut ex assertionibus positis constat, & expressè dicunt plurimos sectando conscientiam peccare, operaque ejusmodi, vel ratione sui, vel ratione alterius, ad peccatum & pœnam frequenter imputari. Itaque doctrina objectionis procedit de subjecto non supponente, si sumatur ut medium ad improbandam doctrinam communem, quam initio quæstionis proposuimus. Nec hoc diffitetur Celladeus, qui dicit se hanc quæstionem instituisse de opinionibus, quæ sunt, aut esse possunt, nec litigare an sint. Quæstionem tamen instituere voluit, eamque instituit, ac si indicare vellet, Responsio. A quæstionis scopo aberrat Celladeus.

opinionem

opinionem communem, quæ actualem mali advertentiam ad peccandum requirit, quoad absurdum salvandi omnes in sua secta, non discrepare ab errore hæreticorum dicentium, omnes in Christum credentes salvari in sua religione, si juxta illam vivant, & nil contra naturæ lumen agant. Sed si hoc intendat, injurius est gravissimis Auctoribus Vasquio & Sanchez, aliisque innumeris, cum eorum opinionem absurdissimæ hæresi comparet, pariaque absurda ex utraque inferri dicat. Hanc notam ut abstergam, opus erit doctrinam objectionis evolvere, demonstrareque communem opinionem nil commune cum dicta hæresi habere, ne quidem in absurdo illo prætenso salvandi omnes, qui juxta sectam ac conscientiam suam vivunt.

Ulterior objectionis solutio.

70. Inprimis ergò dico, materiales hæreticos salvandos esse, etsi moriantur in suis erroribus, modò ab infantia baptizati fuerint, & postea nil unquam egerint contra lumen rationis, aut dictamen suæ conscientiæ. Ratio est perspicua, quia tales justificati sunt, & numquam graviter peccarunt. Inprimis non peccant credendo, quia hæresis illorum supponitur invincibilis; non etiam peccant in operando, quia nullum malum illis voluntarium fuit, cùm supponamus eos nil umquam fecisse, in quo ulla ratio mali ipsis fuit repræsentata. Verùm hi salvantur non titulo errorum etsi invincibilium, & quia non peccarunt, sed potissimè, quia sanctitatem veram in baptismo receperunt, & illam non perdiderunt. Hi ergò non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia moriuntur, à qua per contumaciam numquam coram Deo separati fuerunt. At si adultus converteretur ab hæreticis, atque erraret in iis, quæ sunt necessariò credenda necessitate medii, ille utique, stante tali errore, justificari non posset, & consequenter nec salvari, quamvis invincibiliter erraret, & post conversionem juxta sectam suam viveret, & nil contra lumen naturæ ageret. Ratio est, quia careret dispositione, quam Deus ad gratiæ infusionem absolutè requirit. Ergò justificari & salvari non posset. Et hoc quidem verum est, si stemus in præcisis terminis suppositionis factæ, nam qui sic ageret, salvaretur haud dubiè, quia facienti quod in se est Deus gratiam non denegat: at iste homo qui invincibiliter erraret, legemque totam naturalem, atque etiam positivam, quam invincibiliter credit à Deo latam, servat, facit quod in se est. Ergò Deus tandem illum illuminabit, ita ut crediturus sit, & mediante fide tandem justificandus, aut certè restiturus est vocationi Divinæ, & sic tandem peccaturus, & damnandus. Idem proportionaliter dicendum de hæretico materiali ab infantia baptizato, si erret circa ea, quæ ab adultis credenda sunt necessitate medii: Deus enim ex sua providentia illum tandem illuminabit, &c. Si illuminationi correspondeat salvabitur, secus peccabit & damnabitur. Cæterùm necesse est, stante nostra hypothesi, ut ista tandem illuminatio & vocatio ad fidem talium illi detur, alioquin admitti deberent duæ in Deo voluntates absolutæ sibi contrariæ; altera qua non vult perire justificatum per baptismum, qui à justitia per peccatum non recedit. Ille autem non recederet, ut supponimus, & Celladeus ipse non negat, si supponamus eum in omnibus invincibiliter errare, quia tunc non peccaret sectando dictamen suæ conscientiæ. Altera, qua non vult adultos salvari, nisi per actualem talium mysteriorum fidem ad ipsum accedant. Jam alterutra harum voluntatum frustraretur, si hæreticus materialis ab infantia baptizatus, in casu præsentis quæstionis ad fidem talium articulorum non vocaretur. Quia ex vi prioris decreti deberet salvari, cùm tamen ex vi secundi salvari non posset.

Lata disparitas inter nostram sententiam & hæresim à Celladeo objectam.

71. Hinc apparet, ingentem esse diversitatem inter hæresim dicentem, unumquemque, qui in Christum credit, salvari in sua religione, si juxta eam vivat, & opinionem jam relatam, quæ dicit hæreticum materialem invincibiliter errantem, & juxta dictamen suæ conscientiæ operantem, si in nullo umquam habuerit ullam apparentiam aut scrupulum mali sibi repræsentati, sic operando esse salvandum, maximè si non erret in articulis necessitate medii credendis. Diversitas in eo consistit, quòd error ille sit propositio universalis complectens aliquam particularem veram, & alias multas particulares falsas. Complectitur enim omnes juxta suam sectam operantes, ex quibus multi in amplectenda sua secta vincibiliter errant, quos proinde haud dubiè damnandos scimus, nisi tandem resipiscant. Quod si dicas, Hæreticos dictos non loqui de illis, qui vincibiliter errant, profectò eo ipso non loquuntur universaliter, sed restrictè, & sic illorum propositio non ampliùs esset falsa & hæretica. Verùm haud dubiè loquuntur universaliter, & dicunt nullum errorem in fide esse culpabilem, modò credant in Christum, quia reliqua omnia dogmata ut res minoris momenti respiciunt, in quibus error non magis damnabilis est, quàm sit opinio quævis Scholastica inter Catholicos diversa sentientes. Itaque sicut propositio hæc hæretica, *omnis homo salvari potest in sua religione, si juxta eam vivat*, immensum differt ab illa propositione Catholica & certissima, *Aliquis homo salvari potest in sua religione*, nempè Catholicus, *si juxta eam vivat*: ita pariter & illa propositio hæretica, quam Celladeus urget in argumento, immensùm discrepat ab ea quam nos veram esse asserimus, utraque scilicet ab hæreticis proposita est universalis affirmativa, utraque verò à Catholicis usurpata est particularis affirmativa. Uno verbo tantùm discrepant illæ hæreticæ à veris, quantum hæc propositio universalis falsa, *omnis fidelis est Deo gratus*, differt ab hac particulari vera; *Aliquis fidelis est Deo gratus.*

72. Est & alius error, quem universalis illa hæretica affirmat, nempè omnes salvandos esse in sua religione, quamvis in multis peccaverint, si juxta suæ sectæ præscriptum pœnitentiam agant. At hoc est falsissimum, quia aliquæ sectæ vanam & præsumptuosam confidentiam, aliæ exiguam aut nullam pœnitentiam, aliæ alia pro remedio assignant, & pleræque errant in medio citra quod, Deo sic statuente, nemo justificari potest. Hi ergò etsi vivant juxta præscriptum suæ sectæ, atque ita vivendo non peccent damnabuntur, quia sic faciendo non adhibent medium absolutè necessarium ad justificationem. Peribunt ergò in peccatis suis, & damnabuntur.

73. Atque hinc constat dictam propositionem hæreticam plurimum discrepare ab hac alia universali etiam falsa, *Nemo peccat in eo, quod facit juxta suam conscientiam*, quia quamvis hæc esset vera, non ideo sequeretur, hominem operantem juxta suam conscientiam aut salvandum esse, aut à prioribus peccatis liberandum; quia si talis homo erret circa absolutè necessariò credenda, atque circa media ad justificationem absolutè necessaria, circa quæ errare potest, nunquam salvabitur, quamvis operetur juxta sectam suam, & in eo

in eo non peccet, nec ulla nova peccata prioribus superaddat. Quod cùm perspicuum sit, miror Celladeum in hoc adeo deceptum fuisse, ut dixerit se non videre diversitatem ullam inter illas propositiones quantum attinet ad hoc, ut taliter operantes absolutè salvandi essent, si juxta illas vitam suam regularent. Prima enim, si vera esset, suos sequaces salvaret; non item secunda, utpote cujus veritas non involvit usum medii sufficientis ad salutem, quem certè prioris veritas aut includit aut supponit. Verùm secunda illa propositio est absolutè falsa, & à nemine ferenda, ut constat ex dictis.

Mira Celladei hallucinatio.

74. Falsò ergò supponit Celladeus, hæreticos universaliter non peccare operando juxta suos errores; hoc enim duntaxat verum est de iis, qui invincibiliter errant, reliqui à peccato non excusantur. Nec dicat se in argumento supponere, neminem peccare faciendo id quod bonum judicat, & ex illa tantùm suppositione arguere; nam adhuc falsum supponit, quia si ipsa conscientia dictans rem esse licitam à prava voluntate imperetur (quod certè evenit in hæreticis, qui à fide deficiunt, quos satis constat non ex ignorantia, sed ex malitia peccare, quamvis eorum peccatum elicitum in ipso errore, seu ignorantia pravæ dispositionis consistat, & illi cõsequenter ad suum hoc peccatũ se minimè peccasse existiment) adhuc iterum ex hoc capite errat in supposito.

Errat denuo Celladeus in argumẽti sui supposito.

75. Sed admittamus jam, ut locus detur argumento, eos nec in ipso errore contrahendo peccasse, sed excusari, quia juxta suam conscientiam operati sunt. Non ideo salvabuntur si circa necessaria necessitate medii errent, ut dictum est. Nec obstaret, quamvis contra veritatem admitteremus talia opera esse bona, quia adhuc non essent supernaturalia, quia per fidem, utpote qua hæretici illi carerent, non regularentur. Quod autem dicitur, gratiam non deesse, qua bona opera evadant supernaturalia, admitti non debet nisi cum limitatione, scilicet quando opera illa per veram fidem supernaturalem regulantur, quia ordo gratiæ hoc postulat, ut bona opera supernatulia per fidem supernaturalem regulentur. Deinde quamvis illa opera essent supernaturalia, non ideo taliter operans salvaretur, si stemus in terminis præcisis suppositionis præsentis, quia hoc non obstante errare potest circa media, quæ Deus statuit ut absolutè necessaria. Ergò si ea omitteret non salvaretur, nec ullatenus à peccatis contractis liberari posset. Non ergò ex hoc sequitur unumquemque salvari in sua secta, si juxta eam ac naturæ lumen vixerit.

Non omnis invincibiliter in fide errans continuò salvabitur.

76. Absurdum porro est, quod dicit Celladeus, eos, qui peccato per baptismum liberati non fuissent, non salvandos quidem, sed nec damnandos, verùm ad lymbum parvulorum, aut ad alium locum, ubi leviores culpas luant, detrudendos. Quid sibi vult hoc dictum? Nónne pueri sine peccati originalis remedio decedentes verè damnantur? Damnantur utique, cùm Deo odibiles existant, atque ideo vitam miseram in æterno ac horrendo carcere traducent, quamvis pœna sensûs torquendi non sint. Quod si huic malo æternam sensûs pœnam pro delictis venialibus inflictam adjungas, quid ad damnationem desit nemo dixerit. Libuit tamen Celladeo aliter loqui, & ex suo capite tertium locum æternum fabricare, de quo nec sacra eloquia nos instruunt, nec Ecclesia quidquam docet, sed ex opposito satis apertè indicant nullum ejusmodi locum à Deo institutum fuisse.

77. Denuum omittere non possum patentem, Celladei in ista quæstione inconsequentiam, seu contradictionem. Prope finem quæstionis invehitur in eos, qui dicunt, Hæresiarchas & Idololatras omni vitiorum genere abominabiles, non eò cæcitatis devenisse, quin mente sua satis adverterent, se in multis male facere, quamvis nullo doloris remorsu conscientiæ eorum torqueretur, & consequenter quamvis ad judicium uni parti affixum, in aliquo sensu putarent se benè facere. Qui ita sentiunt, hanc rationem afferunt, *quod in rebus adeo perspicuis nemo errare posit, quin satis advertat ea esse mala*, quidquid dicat aut protestetur in oppositum. *Probatio* (inquit) *in hanc absurdam propositionem tota resolvitur, quod homo errare nequeat in rebus perspicuis. Sciatur, quid est homo, & hoc non dicetur, &c. simulacra gentium Deos non esse haud minùs existit conspicuum, & tamen fallebatur non una natio, sed mundus universus, &c.* Ita de hac re, ubi alios sibi contradicentes arguit, censuit Celladeus; qui tamen paulò antè prope initium secundi §. ut sensum hæreticorum, dicentium unumquemque salvari in sua secta, in proprium favorem proponeret, hæc habet. *Hæresis proposita non hoc dicit, servari quemque in sua secta, vel lege, vel religione, quam aut falsam putat, aut quam veram esse subdubitat. Nihil hujus additionis aut hæresis ipsa meminit, aut illius oppugnatores Orthodoxi de additione disputant, sed de hæresi ipsa in se. Est scilicet contra lumen ipsum conspicuum naturæ, servari quem in sua secta, vel lege, quam aut falsam habet, aut veram esse dubitat.* Est ita fateor, Celladee, & quidem adeo perspicuum, ut hæretici, quamvis inter omnes maximè obcæcati, hoc nec dixerint, nec credere, etiam te fatente, potuerint. Inconsequenter ergò loqueris, tibique contradicis, cùm paulò pòst tam contentiosè probare conaris, nil adeo conspicuum esse, circa quod homo errare non possit. Si hoc verum, ergò & Hæretici, qui certè homines cæci, superbi, sibique præfidentes sunt, in illo, etsi maximè perspicuo, errare potuerunt. Si autem hæretici cæci in hoc tam conspicuo errare nequiverint, ideoque id non ignoraverint, profectò similes hæretici, aliique Idololatræ circa multa alia æquè conspicua errare non potuerunt, ideoque verè non ignorârunt ea, quæ faciebant, esse mala, quia eorum malitia non minùs conspicua est, quàm quod nemo salvari possit in secta, quam aut falsam putat, aut veram esse, dubitat. Dicendum itaque scintillam rationis semper manere in homine, per quam semper satis discernat talia esse mala, quamvis aut per consuetudinem, aut pravam institutionem ea parvi faciat, nec remorsum conscientiæ sentiat, sed ea in aliquo sensu, & in ordine ad aliquem finem aut verum aut fictum dicat esse bona.


Celladei inconsequentia.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXAGESIMA-QUINTA.

Quid requiratur & sufficiat ut ignorantia, & opus ab ignorantia causatum sit & dicatur voluntarium, ac liberum?

Status quæstionis præsentis.

1. UÆSTIO hæc ab omnibus fermè fusè tractatur ad 1. 2. S. Thomæ, nec in ea quidquam speciale occurrit, quod peculiarem discussionem mereatur, quia omnes quoad hanc materiam in omnibus fermè consentiunt. Quæstio tamen proponi debuit, quia Celladeus *parte 2. lib. 1. quæst. 10. & 11.* vehementer contendit, suam doctrinam ex communi de voluntario Theologia quodammodò demonstrari, communemque sententiam hactenus explicatam falsitatis redargui. Verùm quantum fallatur, ex dicendis constabit. Interim quia duo ad peccatum requiruntur, nempè voluntarietas & libertas, quarum neutra absque repræsentatione & cognitione rei, quæ imputatur, haberi potest, ideo difficile videtur explicare, quomodò illa, quorum malitia ignoratur, imputari possint, cùm malitia illa videatur non esse voluntaria, nec sæpe liberè omitti potuisse. Ut hoc explicaret Celladeus, duas has quæstiones proposuit, etsi nil singularis difficultatis in illis eluceat. Ego quæstiones has, utpote ab omnibus fermè fusè explicatas, ad examen iterum revocandas non judico: abundè enim sufficiet doctrinam Celladei proponere; sic enim Lector faciliùs videbit in quo verum dicat, & in quo à veritate discedat, & an rectè impugnetur rectiùs judicabit. Post propositam autem & correctam doctrinam illius, facillimum erit quæstioni satisfacere, atque quid ad voluntarietatem ac libertatem eorum, quæ ex ignorantia fiunt, requiratur determinare.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit breviter exponere doctrinam de voluntarietate peccatorum ignorantiæ, quam Celladeus quæst. 10. lib. 1. Partis 2. *complectitur, atque errores in ea contentos redarguere.*

EJUS DOCTRINA PROPONITUR.

Sensus Celladei.

2. INPRIMIS rectè contendit omnes omnino debere ostendere quomodo peccata ignorantia sint voluntaria, quamvis verum sit, quod nil sit voluntarium nisi præcognitum. Ratio id convincens est, quia omnes tenentur admittere peccata ignorantiæ, quæ certè scienter & advertenter non committuntur. Sunt tamen voluntaria, quia omne peccatum est voluntarium, & si ratio voluntarii auferatur, eo ipso omnis ratio peccati tollitur. Ergò omnes ostendere debent, quomodo peccata ignoranter commissa sint voluntaria. Hoc videre est in hæreticis. Nemo salvâ fide negare potest quod detur peccatum hæresis, etiam internæ. Et tamen qui sic peccat, veram putat hæresim quam credit; ac proinde in ea credenda non agnoscit peccatum. Ergò peccatum ignoratum est voluntarium. Sed quomodò hoc?

3. Rem sic declarat. S. Thomas *1. 2. quæst. 6.* & cum eo Theologi omnes expresè docent, ignorantiam non semper causare involuntarium, quamvis præsens ignorantia auferat non solùm considerationem, sed etiam ipsam scientiam mali. Idem docent de concupiscentia, quamvis illa rationem perturbet & considerationem peccati sæpo adimat. Idem valet de iracundia. Si enim tales passiones & inconsideratio mali ab illis inducta voluntarium tollerent, omnia fermè peccata tollerentur.

4. Rursus omnes diligentiam aliquam pro veritate addiscenda postulant. Hanc diligentiam qui omittit, non excusatur, sed peccat, quando ex ignorantia munus suum indebitè implet; ut videre est in Medicis, Judicibus, Confessariis, aliisque qui debitam diligentiam omittunt, per quam apti ad suum munus implendum evasissent. Haud dubiè enim mala talium munerum administratio est illis voluntaria, quamvis versa in naturam consuetudine, nullis scrupulis vexentur. Tantum ergò abest, ut actualis consideratio mali requiratur ad peccatum, ut sapientiores Theologi actualem cogitationem peccati in ipsis etiam scienter admissis peccatis planè denegent. Sed difficultas est, quomodo talia opera mala sint illis voluntaria, cùm quando ea ponunt, bona illa esse, non mala, arbitrentur? — Urgetur difficultas quæstionis præsentis.

5. Respondetur ergò cùm S. Thoma, omnem ignorantiam, quæ est peccatum vel causa peccati, esse voluntariam, sicut etiam malitia peccati scienter admissi est voluntaria, eo scilicet modo, quo voluntaria esse potest. Unde sicut ut malitia sit voluntaria, non sufficit quod actus malus sub ratione actûs repræsentetur, nisi etiam ratio mali aliquo modo appareat, alioquin ipsa malitia non posset esse voluntaria, quia nullo modo esset præcognita; ita pariter nisi ignorantia ipsa, & mala per ipsam facienda, aliqua ratione præcognoscantur, non possunt esse voluntaria; repugnat enim primum peccatum ex ignorantia procedere, quia ignorantia antecedens, & ab actibus voluntatis independens est prorsùs invincibilis. ideòque omne illud à toto excusat, quod à tali ignorantia procedit. Atque hinc apparet, quomodo ignorantia, & mala per illam facienda evadere possint voluntaria; primò directè, quando ignorantia — Celladei resolutio.

rantia affectatur, ut homo sine remorsu liberiùs peccet; & hæc ignorantia non minuit sed auget voluntarium. Secundò indirectè, quando per negligentiam quærendi veritatem, quam quisque ex suo officio scire poterat & debebat, ignorantia incurritur. Homo enim præsciens se debere ignorantiam expellere, ut illâ expulsâ quæ mala vitanda, & quæ bona sibi facienda essent sciret, voluntariè & imputabiliter ignorantiam incurrit, quando negligit veritatem quærere; ideoque tam ignorantia quàm mala per illam causanda sunt indirectè voluntaria, ad quod certè in dicto casu sufficiens cognitio prævia non defuit, ut patet. Porrò ignorantiam hujusmodi indirectè tantùm volitam, quatenus potuit ac debuit impediri, non tollere sed solùm minuere malitiam eorum, quæ ab ipsa causantur, est constans omnium Theologorum opinio.

6. Neque tamen opus est, ignorantias istas, aut mala per ignorantiam causanda, præcognosci in individuo aut in specie, sed sufficit si cognoscantur in genere. Sic Judex, aut Medicus prævidens solùm in genere multa à se ignorari, sine quorum notitia muneri suo satisfacere nequit, peccat haud dubiè negligendo ea scire, adeo ut ignorantiæ illæ, & mala ab illis proventura sint illis voluntaria, atque imputabilia, quamvis nesciant in individuo aut in specie, quæ quot & qualia ipsi desint. Ergò non requiritur ut malitia actûs, aut ignorantia in individuo aut in specie præcognoscantur, sed sufficit, si præcognoscantur in genere. Hoc etiam ex eo convincitur, quòd ignorantia & malitia in genere, non minùs quàm in specie ac individuo cognita, affectari potest, & ex negligentia incurri. Ergò utroque modo tam ignorantia, quàm mala ignorata, solùm genericè proposita esse possunt voluntaria, & consequenter ad culpam imputari.

7. Itaque tota res ad hoc devolvitur, an quis scire potuerit ac debuerit nec ne? Si non potuerit, aut non debuerit, ignorantia est illi aut simpliciter invincibilis, aut certè inimputabilis; si potuerit ac debuerit, & tamen noluerit, aut omiserit, ignorantia & mala ab illa provenientia illi imputantur, sive in genere, sive in specie illi repræsentata fuerint, quia fuerunt illi voluntaria saltem indirectè, & sic imputantur, quia verè sunt voluntaria moraliter & interpretativè. Porrò hoc voluntarium interpretativum manet, quamdiu quod peccatum est per pœnitentiam non retractatur.

8. Ex his concluditur falsam esse doctrinam, quæ ad actuale peccatum actualem mali advertentiam requirit, quia ignorantia, & mala ex ignorantia, sive affectata sive crassa ac supina, provenientia, sunt peccata. Illa autem sæpe fiunt sine ulla actuali advertentia ad malum. Quinimmo id quod ex errore fit, bonum esse, Deoque placere creditur, ut constat in iis qui Apostolos persecuti sunt, & videre est in hæreticis, maximè iis, qui suis erroribus innutriti fuerunt, illi enim plerique peccant, ut ostensum est, quamvis satis constet, eos numquam fictæ suæ pravitatem ac malitiam nosse. Et sanè Hæretici qui ab initio forte dubitabant, postea meliùs, ut ipsis apparet, instructi, non dubitant, & tamen iidem, quò immobiliùs & pertinaciùs hærent sectis, quas ut verissimas & ut sanctissimas religiones putant, eò scelestiores evadunt & graviùs peccant. Idem dicendum de Ethnicis, qui falsos Deos venerabantur, & ipsas turpitudines tamquam res verè religiosas habebant. An isti actu advertebant se male facere? Idem dico de Ethnicis Christianorum persecutoribus, qui religionem Christianam habebant pro stultitia, eorum asseclas oderant tamquam Magos qui ex commercio cum dæmonibus mira patrabant ad plebem decipiendam. Et tamen isti peccabant. Peccatur ergò quando malitia actu non repræsentatur. Immo peccatur sæpe, quando opus quod fit creditur esse bonum, Deoque gratum. Hactenus Celladeus, qui in fine quæstionis ex S. Thoma respondet iis, quæ in initio quæstionis contra voluntarietatem eorum quæ fiunt ex ignorantia ex S. Thoma proposuerat. Verùm de his, utpote quæ omnibus notoria sunt, quæque ut principia in tota hac materia ab omnibus admittuntur, non est quod quidquam dicatur. Solùm ergò superest, ut hæc Celladei doctrina discutiatur, ut sic aurum à scoria separetur.

Moderno̅s perstringit Theologos.

DOCTRINA ALLATA EXCUTITUR.

9. INPRIMIS universaliter dicendum est, totam hanc doctrinam nil prorsùs conducere ad intentum principale de licito probabilium usu, aut de ignorantia & errore circa res tam incertas, ut diligentissimi quique ac optimi de illis directè sumptis discrepent, atque omnes (præter paucos) de eisdem reflexè consideratis uno ore enuncient, eorum usum esse licitum. Ratio est perspicua, quia talium ignorantia non potest non esse invincibilis, cùm ea ab optimis & diligentissimis superari nequeat. Præterea error & ignorantia eorum, quæ aut non possunt aut non debent sciri, non est imputabilis, ut Celladeus ipse ex S. Thoma fatetur. At ignorantia talium objectorum, & error circa illa aut non potuit, aut non debuit vetari; omne enim ejusmodi præceptum absurdum esset & noxium, cùm nemo illud servare, aut post conatum scire posset, an illud explevisset, nec ne. Ergò nullum datur tale præceptum. Ergò qui post diligentiam debitam talia ignorat, ea ignorat, quæ aut non possunt aut non debent sciri. Ergò talis ignorantia aut est simpliciter invincibilis & involuntaria; aut certè est prorsùs inimputabilis, quod solùm contendimus. At totus hic discursus nil facit contra hoc ut patet. Ergò ad præsentis controversiæ scopum nil conducit. Nihilominus ad pleniorem legentium satisfactionem singula inspicienda sunt.

Discussio præcedentis doctrinæ.

10. Inprimis ergò absolutissimè amplectimur, duas illas doctrinas, quas ex S. Thoma approbat Celladeus; quarum prima dicit, ignorantiam & mala per ignorantiam causata, evadere voluntaria, modò directè, modò indirectè, prout ignorantia affectata fuerit, vel per crassam aut supinam negligentiam incursa. Totum ergò negotium de imputabilitate ignorantiæ ad hoc solùm devolvitur, utrùm quis potuerit, ac debuerit ea scire quæ ignorat: si enim ex peccaminosa negligentia ignoret quæ scire poterat ac debebat, ignorantia evadit imputabilis; secus non est imputabilis, nec in ordine ad peccatum contrahendum censetur voluntaria. Altera dicit, ignorantiam ac mala per illam causata aliquo modo præcognosci ac prævideri debere, ut evadant voluntaria; quia si nullo modo prævideantur, non possunt esse voluntaria, quia nil volitum nisi præcognitum; scitur enim illud solùm esse voluntarium quod fit à cognoscente singula in quibus est actio. Neque tamen semper necesse est, ut cognoscantur in individuo aut in specie, sed satis est, ut in genere cognoscantur, quia haud dubiè turpiter ageret,

Quæ usque approbanda aut improbanda præcedens Celladei doctrina.

quia

quia ignorantiam taliter propositam aut affectaret, aut ejus remotionem, tunc negligeret, quando posset ac deberet ignorantiam deponere.

Ignorantia quandoque peccatum minuit licèt non tollat.

Cæterùm fieri potest, ut minùs peccet, qui solùm in genere videt malum aliquod ex ignorantia imminere, quàm qui illud videt in specie; quia notio generica præscindit à gravitate specierum subjectarum, ideoque non ita afficit animum sicut malitia gravior in sua specie repræsentata; unde fieri potest, ut generica ratio mali solùm apprehendatur tamquam levem secum obligationem afferens, eò quòd homo reflectens supra rem hîc & nunc, rationabiliter concludat, nil grave timeri saltem hîc & nunc ob ignorantiam, si negligat veritatem quærere, &c. In quo casu ignorans ex negligentiâ aut solùm venialiter peccabit, aut certè peccati minoris reus erit, quàm si mala imminentia in specie ipsi repræsentata fuissent.

Quãdoque tamẽ tollit.

11. Præterea non quævis repræsentatio mali ex ignorantia sequuturi, sive in genere sive in specie inducit obligationem ad scientiam acquirendam, quia sæpe tales repræsentationes sunt male fundatæ; vel quia ex scrupulositate procedunt, vel quia mala repræsentata rarissimè, casualiter, ac præter ordinarium cursum proveniunt, ideoque non nisi imprudenter timentur futura. In talibus autem casibus sæpe tales timores meritò contemnuntur, ideoque nec ignorantia ipsa, nec mala ab ignorantia causanda, censentur voluntaria, quia aut non poterant, aut non debebant ex peculiari industria præcaveri.

12. Hæc ergò in genere vera sunt, eademque Celladeo cõcedo. Nec tamen ex toto illi subscribo, loquitur enim absque sufficienti rerum distinctione, quo nil periculosius fieri potest in moralibus; quia loquens in genere ita magnificat pericula & obligationes, ac si istæ ex æquo nos arctarent, quomodocumque tandem præcognoscantur. Verùm Theologi cautiùs procedunt, singula exactè distinguunt, atque ita demum de qualitate obligationum ac peccatorum ex ignorantia procedentium pro rerum ac circumstantiarum diversitate aliter atque aliter pronunciant. Meum non est hæc singillatim explicare, sed solùm insinuare talia non absque delectu in sua universalitate accipienda, ne Lector imprudens in re tanti momenti à generali ac magnifica Celladei loquutione decipiatur. Interim tamen omnibus istis, quæ cupit, datis, superest ostendere, argumenta illius, quæ eò collimant, ut actualem mali apparentiam ad peccatum non requiri probent, nil prorsùs ad intentum conducere.

Theologo accurratè distinguenda singula in re morali: quo nomine peccat Celladeus.

Quomodo ignorantia possit esse voluntaria?

13. Fatemur ergò cum S. Thoma, ignorantiam sæpe esse voluntariam, ideoque etiam imputabilem; sed eam non aliter voluntariam esse admittimus, quàm si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit, per cujus obligationis contemptum vel neglectum ignorantia culpabiliter incurritur. Jam fieri potest ut homo diu versetur in actuali hac negligentia, quia semper videt se obligari ad aliqua scienda, quæ tamen continuò negligit scire, quæque scire posset si diligentiam adhiberet. Fieri etiam potest, ut olim potuerit, nunc autem non possit ignorantiam vitare. In hoc autem casu, sicut etiam in priori, si aliquid eorum fiat, quæ fieri non debebant, quæque facta non fuissent si operans debitam scientiam acquisivisset, illud erit peccatum ex ignorantia, modò operans nullam mali latentis suspicionem habeat, & absque hæsitatione absolutè credat se benè operari. Opus nihilominus juxta communem opinionem propriè est & dicitur peccatum, sed non habet ullam propriam ac particularem malitiam & imputabilitatem, sed dicitur & verè constituitur malum per negligentiam, à qua processit, & à qua informatur. Informatur autem à priori negligentia, quandiu illa retractata non fuerit. Si enim culpa illa per pœnitentiam retractata & abolita fuerit, effectus sequens non ampliùs imputatur, quia operatio illa ex se nullam mali voluntarietatem aut imputabilitatem habet, ut patet. Ergò malum ignoratum non est voluntarium & imputabile nisi in causa. Ergò eo ipso quòd voluntarietas causæ ablata fuerit, malum postea ignoranter patratum ampliùs imputari non potest. Et sanè Auctores gravissimi admodum asseveranter dicunt hujusmodi peccata nullum novum addere malitiæ gradum supra actum voluntatis in quo directè vel indirectè volita sunt. Videatur Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 16. num. 45.* ubi pro hac opinione citat S. Thomam, Suarium, & Vasquium dicentem hoc absque controversia esse verum.

14. Jam Celladeus probare debebat, hujusmodi operationes esse peccata ratione sui imputabilia, eaque novam malitiam moralem continere, atque ad novam & peculiarem pœnam imputari, sed hoc probare non potest; exempla enim quæ profert id non probant; quia procedunt de peccatis, quæ fiunt vel ex continuata, ac replicata negligentia culpabili, vel certè quæ non omnem mali suspicionem, aut etiam notitiam excludunt, ideoque ex actuali malitia & pravitate eliciuntur, idque vel actualiter vel virtualiter, ut supra dictum est. Et talia sunt peccata eorum qui hæresibus pertinaciter adhærent, saltem in illis qui sufficientem de Auctoritate Ecclesiæ notitiam habent; illi enim ex actuali malitia peccant, quia antecedenter sàtis advertunt se non debere, Ecclesiæ auctoritate contemptâ, proprio judicio inhærere. Itaque exemplum ab hæresi desumptum Celladeo non favet, sicut nec exempla idololatrarum, ac eorum qui obvia naturæ præcepta transgrediuntur; isti enim non carent sufficienti mali advertentia, quamvis remorsum conscientiæ vexantis non sentiant; idque verum est, quamvis illi jactarent se hæc pro honestis ac sanctis habere; quia nec externa illa protestatio, nec judicium protestationi conforme excludit omnem mali latentis advertentiam, quamvis opus illud in ordine ad peculiarem aliquem finem bonum judicent.

Quò collimare debuisset Celladeus?

15. Quòd si supponat Celladeus, opera talia fieri hîc & nunc ex plena deliberatione humana, eoque non obstante nil penitus mali apparere nullamque mali suspicionem aut dubium intervenire, sed nec ullam præsentem negligentiam culpabilem adesse; si, inquam, hæc supponat, & adhuc contendat omnia ejusmodi esse peccata, fatemur id verum esse, etiam propriè loquendo, quia sunt mala, & ad pœnam imputantur, quatenus moraliter informantur à peccato malitiæ per quod ignorantia turpiter contracta fuit, & dependenter à qua ista mala fuere patrata. Sed negamus illa, in tali suppositione, (quæ proculdubio in praxi aut numquam, aut rarissimè locum habet) habere malitiam ac imputabilitatem peculiarem. Idemque dicendum de iis, quæ fiunt ex iracundia, ac passione omnem prorsùs mali suspicionem auferente; quia talis passio sufficientem ad peccandum libertatem & deliberationem impedit. Verùm hoc rarò contigit, saltem extra impetum iræ, quia in aliis materiis passio

passio non tam citò accenditur, nec omnem latentis mali suspicionem, aut etiam notitiam excludit. Nulla ergò est illa Celladei conclusio, quòd non semper requiratur actualis advertentia mali, aut scrupulus vel dubium peccati latentis, ut opus evadat actù peccaminosum, quia persecutores Christianorum putabant obsequium se Deo præstare & tamen peccabant. Similiter hæretici ab infantia suis erroribus innutriti, saltem plerique, peccant peccato hæresis, qui tamen suæ sectæ pravitatem numquam nôrunt. Sed & hæretici qui ab initio fortè dubitabant, postea meliùs ut ipsis videtur instructi, non dubitant, & tamen eò scelestiores evadunt, & graviùs peccant, &c. Nulla, inquam, est illatio, quia nos solùm dicimus advertentiam aliquam, aut dubium requiri ut actus sit peculiariter ratione sui imputabilis, non autem ut ratione alterius imputetur. Jam argumenta contra hoc nil probant. Jam Ethnici, & alii Christianorum persecutores, sicut & hæretici ab initio non potuerunt carere notitiâ mali, ideoque haud dubiè in actibus illis peccabant. Similiter dubitandum non est, quin hæretici & alii Ecclesiæ persecutores sæpissimè advertant se meliorem rei informationem adhibere debere; dum autem rectum hunc mentis motum, aut contemnunt aut negligunt, magis rei evadunt, quia novo contemptu, aut certè novâ negligentiâ culpabiliores evadunt, & fiunt obstinatiores, ideoque nullam excusationem habent. Quòd si fingamus, eos nullam prorsùs suspicionem mali, aut obligationis veritatem quærendi, &c. habere, sed undique bona fide procedere, atque revera existimare opus suum esse bonum ac Deo placens, nec esse unde hîc & nunc possint aut debeant errorem illum deponere, probandum erit Celladeo, talia opera esse in se peccaminosa, ac novam malitiam moralem continere, distinctam ab ea, per quam homo tales errores incurrit. Scio suppositionem aut numquam aut rarò esse admittendam, ideoque quæstionem procedere de subjecto non supponente; sed eâ in casu raro admissâ, dicimus nullum in ea peccatum intervenire quod ratione sui sit imputabile propter peculiarem malitiam moralem, nec quidquam, quo id improbetur, hactenus allatum est.

Celladei illatio ostenditur illegitima.

Ubi fide undequaque bona proceditur, nullū peccandi periculum.

16. Laudo quidem, & valdè laudo zelum Celladei contra hæreticos, quia meritò putat eos eò esse sceleratiores, quò pertinaciùs suis erroribus adhærent; sed meo judicio dupliciter errat verissimam suam persuasionem illis applicando. Inprimis nimis favet Hæresiarchis, omnibusque hæreticis, qui pertinaciter & peccaminosè ab Ecclesia recedunt, illiusque auctoritatem contemnunt, quasi verò illi tandem in sua secta tenenda omni actuali remorsu, omnique peccato malitiæ carerent. Verùm non est ita, Celladee; sunt illi homines superbi, ac scelesti, qui conscientiam parum curant, quique contra sufficientia & sæpe ac fermè semper occurrentia motiva oculos claudunt, & nolunt intelligere, ut bene agant. Nec dubitandum, quin ex putidissima hypocrisi, plerique saltem operentur. Non ergò laborandum est, ut ostendatur in quo malitia eorum ob actualem mali advertentiam fundetur, aut ut illa per peccata ex pura inadvertentia & ignorantia explicetur, cùm error illorum sit peccatum malitiæ, quòd per alia multa ac repetita peccata malitiæ radicatur, atque ad immobilem quodammodo pertinaciam pertingat.

Laudandus Celladei zelus; sed erroris ipse arguendus.

17. Secundò, hæreticos qui in media hæresi ab infantia educati sunt, nimis rigidè & sine sufficienti fundamento peccati damnat; plerosque enimverò peccato hæresis infici existimat: verùm argumenta, quæ ad hoc probandum attulit, quæstione superiori expensa & soluta sunt, ubi oppositum satis superque probatum est. Et sanè, quamvis in aliquibus errores essent peccata, non tamen essent per se imputabilia, si hîc & nunc ex sola ignorantia, atque errore hîc & nunc insuperabili, absque ulla mali umbra, sed ex plena de eorum rectitudine persuasione provenirent, ut ostensum est. Hoc autem ad intentum nostrum sufficit.

Nimis in hæreticos materiales rigidus.

18. Ex his constat, quid ad voluntarietatem, atque ad imputabilitatem ignorantiæ, & malorum ab illa causatorum requiratur & sufficiat. Requiritur sufficiens talium malorum imminentium, saltem in genere propositorum, advertentia, per quam scilicet, homo potest ac debet ea vitare. Jam si, stante hac advertentia, ista non vitet, peccat per malitiam, vel affectando ignorantiam, vel negligendo scientiæ adeptionem. In primo casu omnia illa sunt directè, in secundo solùm indirectè voluntaria. Utrumque autem sufficit ad peccatum. Quòd si postea ignorantia aut error evadat invincibilis, & homo sine omni malitiæ advertentententia, &c. operetur, opus illud erit malum & peccatum, si informetur à voluntario, per quod ignorantia inducta est, non tamen habebit novam malitiam, ut ostensum est. At si ab illo moraliter non informetur non erit peccatum, nec culpæ aut pœnæ imputabitur. Porrò ut sciamus quamdiu informetur ab illo voluntario, nihil peculiare dicendum occurrit circa peccata ignorantiæ, quod non ab omnibus admittitur in peccatis ac malis scienter admissis. Sicut enim omissio horarum tamdiu solùm imputatur Sacerdoti, qui in navigatione longa eo fine Breviarium in mare projicit, ut non possit horas recitare, quamdiu non retractat priorem voluntatem; postquam enim illam sufficienter retractavit, nonrecitatio non ampliùs ei imputatur, nec censetur voluntaria: ita pariter dicendum est de ignorantia, malisque ab ea causatis; tamdiu enim sunt voluntaria, & imputantur, quamdiu prava voluntas, per quam fuerunt inducta, sufficienter retractata non fuerit, & abolita. At si illa retractetur & aboleatur, non est unde ampliùs denominentur mala, & evadant voluntaria & imputabilia.

Quid requiratur ad ignorantiæ imputabilitatem malorumque inde ortorum?

ASSERTIO II.

Propositum sit breviter exponere aliam de voluntarietate peccatorum ignorantiæ doctrinam, quam Celladeus Parte 2. lib. 1. quæstion. 11. *complectitur, atque errores in ea contentos redarguere.*

DOCTRINA EJUS PROPONITUR.

19. NON hîc quæritur, inquit Celladeus, utrùm sint voluntaria illi, cui pro vitæ suæ instituto in genere saltem occurrerat, multa ad se pertinere, quæ scire aut noluit, aut neglexit. De hoc enim satis constat ex proximè dictis: sed id potissimùm quæritur, an ad voluntarietatem ignorantiæ & actuum ab illa causatorum sufficiat, illam à peccato fuisse inductam, quamvis de ignorantia per peccatum inducenda nulla, cùm peccaretur cogitatio præcessit? Huic quæstioni respondet, se audacter affirmare, plurimas esse igno-

Status Controversiæ.

ignorantias, à peccato & propter peccatum inductas, quæ à culpâ non excusant, quamvis nulla de talibus ignorantiis incurrendis cogitatio præcesserit. Præscindere tamen vult, an hoc locum habeat in omni casu, quando ignorantia per culpam inducitur, quia propendet ad existimandum, quod ignorantia censenda sit invincibilis, & à peccato excuset, quando merè per accidens connectitur cum peccato, à quo inducta fuit. Sic qui culpabiliter non audiret Missam in die Festo, videretur invincibiliter ignorare legem, quæ tempore Missæ illius promulgabatur, quia talis promulgatio merè accidentaliter exhibetur tempore Missæ; secus autem existimat de iis, quæ sub Missam indici solent, ut sunt festa & jejunia intercurrentia. Itaque ponit assertionem solùm ad aliquas ignorantias limitatam, & quidem expressè præscindit, ab ea etiam quæstione, an nulla prorsus ignorantia etiam per se à peccato inducta excuset, quia solus Deus delicta, eorumque mensuram & meritum, intelligit.

Probatio Celladei.

20. Doctrinam hanc probat primò *ex 1. ad Rom.* ubi Apostolus expressè ait Gentes in suis peccatis ac sceleribus, quæ ibi numerantur, fuisse inexcusabiles; constat autem ea non solùm ex ignorantia & errore processisse, sed habita fuisse bona, ac in religionem evasisse. Ratio horum omnium ad hoc à S. Paulo reducitur, quòd cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes; stulti facti sunt. Mox in pœnam traditi sunt in reprobum sensum ac in immunditias, &c. *Et non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Porro S. Thomas, dum locum hunc *lect. 7.* exponit, totus est in ostendendo, quod primum peccatum Gentium non fuerit ex ignorantia, sed in eo positum, quòd scientes Deum, non sicut Deum glorificaverunt neque gratias egerunt, sed evanuerunt in suis cogitationibus. Et hoc satis fuit, ut ne in reliquis illis forent excusabiles. *Ignorantia aliquem excusat*, inquit S. Thomas loco citato, *quando sic præcedit & causat culpam, quod non causatur à culpa, &c. si verò ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare.* Hinc docet, Gentes ob peccatum malitiæ, quo gratias Deo, ut debebant, non dederunt, incidisse in ignorantiam & errorem, ac lumine sapientiæ privatos fuisse, atque ita demum in malis subsequentibus excusationem non habuisse.

Ejusdem illationes.

21. Hæc doctrina, inquit Celladeus, est clavis regia, qua aperiente intelliguntur, & qua non aperiente non intelliguntur, sed clausa manent omnia fermè, quæ hactenus ab ipso fuere tradita. Nempè quomodò Infidelitas, Judaïsmus, & hæresis sint peccatum, etsi scienter, & intelligendo, dubitandove committi nequeant, saltem positivè. Item quomodò populi in erroribus ac hæresibus innutriti peccent, & sint infideles ac hæretici, atque in sectis suis pereant, etsi nulla dubitandi ratio eos subierit aliquando. Item quomodò persecutores Ecclesiæ peccaverint, quamvis se Magos, stultos, ac turbatores reipublicæ persequi, atque illos mactando obsequium Deo præstare crederent.

Prosecutio superioris discursus.

22. Demum ex eadem doctrina cernitur, quomodo orthodoxi peccent ea ignorando, quæ de necessitate sunt credenda, aut circa fidem, aut mores errando saltem in expressis in decalogo. Unde tutus non esset, qui à dæmone se transformante in Angelum lucis deciperetur, quamvis nullum scrupulum aut dubium mali ac deceptionis experiretur. Imo si quis, sive à dæmone per illusionem, sive à discursu per sophisma, quæ videtur demonstratio, fortissimè deceptus credat fornicationem aut usuram non esse peccatum, non ideo non peccaret talia credendo & agendo; quin hæreticus fieret, ac vivus etiam combureretur, si magnitudine sui erroris pertinax redderetur. Constat ergò tales peccare, atque preces & praxis Ecclesiæ idipsum confirmant. Sanè si non peccarent, non opus esset, ut præcones Evangelici pericula & mortem ipsam adirent, ut taliter deceptos ad Ecclesiam & fidem reducerent. Nec Sancta Ecclesia tanta contentione oraret, & ingemisceret, ut eos tandem Christo instar parturientis dolore oppressæ generaret, ac in lucem Evangelii ederet. Stat ergò ad voluntarietatem ac imputabilitatem ignorantiæ sufficere, quod illa aut in genere prævisa fuerit, potueritque ac debuerit impediri, aut certè quod per aliquod peccatum contrahatur aut conservetur. Unde quamvis error non sit peccatum in illis qui erroribus innutriti sunt, modò de veritate suorum errorum nullam dubitandi rationem habeant, idem tamen error postea evadit peccatum & fit voluntarius, quando per aliquod aliud peccatum aut inducitur aut conservatur, quatenus non posito illo peccato error ille impeditus fuisset. Hac ratione peccata ignorantibus, & nil tale suspicantibus, irrepunt.

23. Secundò idipsum probat ex Sancto Thoma, qui *2. 2. quæst. 15.* ex professo probat, cæcitatem mentis, ejusque hebetudinem esse peccatum. Cæcitas autem in hoc ab hebetudine discriminatur, quòd hebetudo rerum spiritualium intelligentiam impediat, vigoremque mentis obtundat, ut non discernat nisi res magnas & propinquas; cæcitas autem ipso visionis intellectualis principio privat, ita ut nec magna nec propinqua discernat. Porro principium visionis intellectualis est triplex. Primum est lumen naturalis rationis; & hoc anima numquam privatur, quamvis ejus usus aliquando impediatur, ut in dormientibus, ebriis, ac furiosis. Secundum principium visionis intellectualis est lumen habituale naturali rationis lumini superadditum. Et hoc lumine aliquando privatur anima. Hæc privatio est cæcitas, in pœnam peccati inflicta. Unde dicitur de quibusdam *Sap. 2. Excæcavit eos malitia eorum.* Tertium principium visionis intellectualis est aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia; cui principio homo potest intendere. Quod autem ei non intendat contingit dupliciter. Primò quia non vult illi intendere, juxta illud Psalmi. Noluit intelligere, ut bene ageret. Secundò quia occupat mentem circa alia quæ magis amat, quibus ab hujus principii inspectione mens avertitur. Unde sic concludit S. Thomas, inquit Celladeus. *Et utroque modo cæcitas mentis est peccatum, nec excusat à peccato.* Similia habet de hebetudine, quam dicit esse peccatum, sicut est cæcitas mentis, prout scilicet *est voluntaria, ut patet in eo, qui affectu circa carnalia, de spiritualibus subtiliter discurrere fastidit, vel negligit.* Confirmatur autoritate S. Th.

24. Istam mentis cæcitatem (idem de hebetudine dicendum est) propter peccata incurri, nec à peccatis consequentibus excusare, ex Sacra Scriptura compertissimum est. Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; quicumque juraverit per templum nihil est; qui autem juraverit in auro templi,* Item autoritate S. Scripturæ.

debet

debet. stulti & caci. Alibi etiam Christus dixit. *Sinite illos: caci sunt & duces cacorum: cacus autem, si caco ducatum prastet, ambo in foveam cadunt.* Rectè Augustinus, *non dixit unus, sed ambo.* Ambo dixit & credendum est. Et sermo est de opinionibus moralibus. Ubi ergò illud. Magister aliquis dixit. Ergò tutus sum. Certè falsæ opiniones Pharisæorum de juramentis, de parentum defraudatione, & de usuris nummalariorum communes erant, nec noviter inventæ, sed per traditionem à senioribus acceptæ: in quibus proinde Doctores illi cæci non dubitabant, & tamen peccabant, eorumque peccatum Evangelium non dubitationi aut scientiæ, sed cæcitati attribuit. Porro radicem hujus cæcitatis Sacra Scriptura attribuit peccatis Doctorum & populi, sicut Christus ipse expressit dicens. *Benè prophetavit de vobis Isaias, dicens: populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me.* At, inquies, durum hoc videtur. Sed esto, sit durum, est tamen verum, quia Magistrum habemus infallibilem. Jam quot Christiani Deum ore colunt, quorum cor longè est à Deo? Nónne ergò illis etiam videndum est, an cæcitatem, hebetudinem aut ignorantiam per hæc sua peccata contraxerint? Hoc dico, si contraxerint, (sæpe autem contrahunt) nec error, nec mala ab errore & cæcitate provenientia excusantur, sed in eis peccant & in foveam cadunt. Deus bone! Quid dicunt homines? Nihil mali tunc operanti occurrit. Ergò non peccat. Immò dictamina etiam infallibilia ac evidentia formari volunt de non peccato. At Sacra Scriptura contrarium dicit, si peccatis suis homo cæcitatem incurrat.

25. Nec hæc est tota miseria cæcitatis intellectualis: Deus enim propter peccata populi, & Magistrorum, sæpe & hunc & illos excæcat. *Isaia 56.* hæc habentur. *Speculatores ejus caci omnes: nescierunt universi, canes muti non valentes latrare: videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Sic & in Psalmo, *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Caput 14. Ezechielis tremendum est. Inter cætera hæc habentur. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo, &c. & venerit ad Prophetam interrogans per eum me:* Ego Dominus respondebo ei in multitudine *immunditiarum suarum.* Et inferiùs: *Et Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Plurima præscribit S. Petrus *Epist 2. cap. 1.* quæ si nobis præsto non sint, cæci sumus. *Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam,* & sic deinceps pietatem, dilectionem fraternam, charitatem, &c. *Cui enim non prastò sunt hac, cacus est & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Cæcus erat Episcopus Laodiciæ *Apocal. 3.* qui sibi dives, & rectà in cœlum ire videbatur; sed cæcus erat, & collyrio oculos ungere jubetur, ut videat, sin minus periturus. Cæcitas hæc & tenebræ Synagogam, & universum mundum reliquum idololatriæ ac immunditiis deditum, impleverant, quando Christus Sol Justitiæ in hunc mundum venit, & ortus est eis qui in tenebris & umbra mortis sedebant, & ideo venit ut has tenebras dispelleret; sed multi noluerunt lucem hanc videre, & dilexerunt magis tenebras quàm lucem, dixeruntque Christi doctrinam esse stultitiam, &c. Nihilominùs isti omnes, qui in suis tenebris manserunt, perierunt & damnati sunt. Atqui nil tale, nil de peccato cogitabant. Infer tu. Ergò non peccabant. Sed textui Sacræ Scripturæ contradicis. Infer iterum. Magister aut Doctor ita dixit. Ergò tutus sum. Sed recordare quod ex Sacra Scriptura habeamus, gravissima quædam peccata solere à Deo puniri, permittendo ut homo in mentis cæcitatem incidat, ex qua in omne genus vitii præcipitetur. Immo Magister ipse, etiam sine sua culpa, permitti potest male respondere propter peccatum & immunditiam interrogantis; qui propterea semper cæcus manet, & in tenebris ambulat, & gravissimè peccat. Neque enim, ut quidam videntur Philosophari, qui nimis oculatos constituunt omnes, quò quis est cæcior, eò minùs, aut nullum est ejus peccatum, quasi verò cæcitas mentis nos redderet impeccabiles in iis quæ per cæcitatem latent. Quod certè sub his terminis dici nequit.

26. S. Gregorius & S. Thomas, & plerique alii causam cæcitatis ex parte nostra assignant luxuriam, sicut & gulam aiunt esse causam hebetudinis. Sed non excludunt superbiam, avaritiam, & alia peccata. Credi vix potest, quantum peccata, habitus mali, & pravæ affectiones luminis adimunt etiam quoad naturalia. Philosophi ipsi pro axiomatè tradunt, *Qualis unusquisque est, talis ei finis videtur;* & talia etiam media. Verbum obscænum homini pudico monstrum videtur: jocus impudico. Ratio est, quia consuetudo est altera natura. Porrò quòd bona vita & remotio peccati necessaria sit ad illuminationem, satis constat ex Sacris Litteris; nam absoluta sententia est Sap. 1. *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et Christus ipse, qui novam doctrinam mundo attulit, aliud non videtur requirere ex parte nostrâ ad eam intelligendam, atque ad sciendum an ex Deo sit, quàm vitam bonam. Ait enim Joan. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Possunt verò omnes Dei voluntatem facere, corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Et qui hoc non faciunt, voluntariè nolunt. Ex hoc autem hebetudo & cæcitas mentis, immo errores & hæreses incurruntur. Sicut ergò, qui clausis oculis inter præcipitia incedit, voluntaria est ei præcipitatio, & nolenti facere voluntatem Dei, voluntarii sunt errores inde obvenientes, qui proinde imputantur ad peccatum, & manent voluntarii, donec quis ex vero corde resipiscat.

Ulterior prosecutio.

27. Peccantes, ais, de his non cogitant. Quid inde? Potuerunt, ac debuerunt de illo cogitare; nemo enim est, qui Deo servire non potuerit ac non debuerit. Ipsa peccantis præcipitatio excusationi esse nequit. Stat ergò ad voluntarietatem peccatorum ignorantiæ sufficere, quod per alia peccata scienter, ac directè voluntariò admissa incurrantur, quamdiu ista per pœnitentiam, ac veram conversionem non retractantur, nec delentur.

28. Hinc sequitur homines ad conscientiæ emendationem obligari, ut tradunt aliqui, quos Corduba *lib. 2. de ignorant. quæst. 2.* refert, quibus ille subscribit, pro ea saltem circumstantia, quando quis probabiliter timet, quod Deus propter peccata illum excæcari, aut depravari permissurus sit. Probatur. Omnis lex, sicut obligat ad sui adimpletionem, ita etiam obligat ad sui cognitionem. Ergò & ad removenda impedimenta cognitionis. At cœcitas & hebetudo mentis sunt impedimenta sciendi legem; sicut etiam est transmutatio intellectûs per habitus pravos & affectiones malas. Ergò tenemur ista removere.

movere. At removentur per emundationem animæ. Ergò tenemur ad eam.

29. Confirmatur. Lex obligat ad removendam impotentiam, & impedimentum potentiæ, quando eorum remotio est in potestate nostra, sic omnes proximam peccandi occasionem vitare tenentur, & in sacris constituti Breviarium procurare, ut in illo horas recitent, &c. Ergò lex etiam obligat ad removendum impedimentum cognitionis, quia legis observatio utriusque impedimenti remotionem postulat.

30. Confirmatur 2. Ignorantia & error sæpe constituunt errantem in necessitate consequente peccandi, quoties scilicet conscientia erronea dicit aliquid faciendum esse, quod est contra legem, & talis conscientia vincibiliter errat. At juxta omnes tenetur quis tollere occasionem proximam peccandi, quamvis habeat potentiam physicam resistendi. Ergò à fortiori tenetur removere necessitatem consequentem peccandi, qua scilicet stante, est impossibile non peccare. At hæc necessitas tolli nequit, nisi causis ejus sublatis, quæ sunt cæcitas, hebetudo & depravatio mentis ac rationis. Nec hæ causæ tolli possunt, nisi sublatis etiam ipsarum causis, quæ fuerunt peccata alia. Ergò tenemur ad emundandam conscientiam, sine cujus emundatione dicta peccata non tolluntur, &c.

31. Quod si quæras, quis teneatur emundare conscientiam? Facilè respondetur, omnes ad hoc teneri, qui non habent aut certam scientiam, aut positivam probabilitatem, quod nullo ignorantiæ peccato laborent, nullaque ignorantia aut errore teneantur, qui in posterum futurus sit peccatum, vel causa peccati. Talem scientiam se habere quis præsumere audebit? cùm Propheta dicat, *Ab occultis meis munda me?* Et Paulus clamet, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* Probabilitatem positivam, ferè semper veram & rarò deficientem habent de lege communi Sancti Dei, & servi ejus diligentes; alii majorem, alii minorem. Sed quia regula aliquando deficit, Sancti ipsi peccata sua occulta timent, & sæpe clamant, *Ab occultis meis munda me*: Item, *ignorantias meas ne memineris Domine.* Ita Celladeus, qui tota *quæst. 11.* hæc & hisce similia more magis concionatorio, quàm argumento strictè Theologico, multis exaggerat, quæ eò collimant, ut probet ignorantiam & errorem, ac mala ex iis patrata esse voluntaria ac imputabilia, & ad peccatum propriè imputari, quamvis nulla suspicio talium incurrendorum præcesserit, si tamen ignorantia & error à peccato ortum traxerint.

Conclusio discursûs.

ALLATA CELLADEI DOCTRINA

Excutitur, & ubi errat refutatur.

Examen doctrinæ præcedentis.

32. INPRIMIS respondeo, ut in superiori assertione, omnia hæc nil aut valdè parum conducere ad præsens intentum, quia præsens controversia procedit de rebus verè incertis, quæ post omnem diligentiam certò sciri non possunt, certò tamen sciuntur esse probabiliter licita. Talium autem ignorantia est necessaria & invincibilis, non libera & voluntaria, ut patet. Præterea rationes & auctoritates à Celladeo allatæ procedunt de ignorantia veritatum certarum, quas omnes possunt & debent scire, eò quòd nulli desit principium aliquod, per quod talis potentia & obligatio satis manifestetur. Meritò ergò ignorantia ignorantibus imputatur, quia est illis aut directè volita, aut certè indirectè voluntaria, sicut omnes ignorantiæ culpabiles esse solent.

33. Respondeo 2. Doctrinam hanc, penitùs evertere regulam morum, à Celladeo assignatam. Nemo enim tutò sequitur regulam, quam assignat; statim enim multa occurrunt, quæ periculum peccati per se imputabilis secum ferunt. Primum est, ipsa rationum defectibilitas; contingit enim aliquando hominem taliter opinantem errare. At si erret, peccat; nec excusatur, nisi invincibiliter erret. At nescit operans, an error, si interveniat, sit invincibilis, quia fieri potest, ut sit effectus peccati olim commissi, & nondum retractati ac condonati. Hoc autem sufficit, ut error sit imputabilis & actio peccaminosa. Præterea fieri potest, ut Doctores, à quibus consilium petitur, etiam citra suam culpam errare permittantur in pœnam peccati anterioris à consulente commissi. Ergò qui non certus est se Deum non offendisse, scire nequit se invincibiliter erraturum, si erret. Immo scit errorem, ejusdemque voluntarietatem ac imputabilitatem ex multis capitibus imminere, etiam quando ipse de sufficientia suæ diligentiæ, ac de veritate causæ minimè dubitat; quia omnia hæc frequenter connectuntur cum voluntarietate ac imputabilitate ignorantiæ. Quid ergò fiet in rebus apud Auctores controversis, de quibus formido erroris directi superari non potest? Sanè in his, juxta Celladeum, nulla esse potest regula sufficiens; quia numquam evenit, ut qui talia sequitur, aut reipsa, aut etiam in opinione sua prudenter concepta ferè numquam erret. Quia quæ docti post diligens rei examen dicunt esse peccata, sæpe sunt ut dicunt. Ergò pro talibus regula Celladei locum non habet, maximè pro iis, qui de rationibus rectè judicare non possunt; illi enim eo ipso quod sciant, aut dubitent, quod graves Theologi doceant aliquid esse illicitum, non possunt habere regulam ferè numquam fallentem, quam in minùs tuto operando sequantur. Ergò directè loquendo regula Celladei illis applicari nequit. Quod si ea etiam, quæ hîc ponderat adjiciantur, nemo tuta conscientia, & sine evidenti periculo peccati formalis sequi potest partem minùs tutam. Ergò qui talem regulam sequitur periculum amat, & in illo perit, ac peccat. Itaque doctrina Celladei omnes tandem ad partem tutiorem in omnibus tenendam adigit. Et sanè nemo, principiis illius imbutus, tutâ conscientiâ umquam sequi potest partem minùs tutam; quia doctrina illius ita undique conscientias arctat, ut homines ad partem tutiorem in omnibus tenendam, nisi ex persuasione propriæ mentis periculo peccandi se committant, & consequenter peccent. At Celladeus esse absurdum putat, quod in omnibus teneamur ad tutiora, regulamque tradit, qua tutò dirigamur quando sectamur minùs tuta. Verùm regula illa in rebus controversis (omnia autem fermè, quæ occurrunt, sunt & sciuntur esse controversa) locum non habet. Præterea, pericula ita undique imminent ex ejus doctrina, ut nemo in ullo casu tutò sequi possit illam regulam. Ergò non regulam pro regula tradit, & omnes ad tutiora compellit. Quæ adeo vera sunt, ut qui illa maturè consideraverit, videbit Celladeum una manu destruere quod altera struxerat, totumque operis discursum ingenti ac palpabili inconsequentia, fartum esse, ac in ipso primario intento contra-

Celladeus sibi contrarius.

Celladei inconsequentia & contradictio in potissimo totius operis intento.

dictoria doceri. Si enim quæ potissimum in hac secunda parte addensat, locum habeant, nemo sectando partem minùs tutam tutus esse potest, sed inevitabiliter casui se committit, an peccaturus sit, & Deum peccato per se imputabili offendat, etiam quando de hoc nullatenus formidat; quamvis qui juxta illius principia regulatur, non possit, etiam ex propriæ conscientiæ dictamine, non formidare, ac tali casui sciens & volens se committere. His indirectè dictis, antequam directè solvam rationes allatas ponam assertionem contradictoriè oppositam assertioni Celladei, & post eam stabilitam omnibus objectis directè respondebo. Sit ergò

ASSERTIO III.

Ignorantia à peccato inducta non est voluntaria, ne quidem indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda præcesserit.

Assertio Celladeo cōtradictoria.

34. PRobatur primò ratione, quia essentia voluntarii est, ut procedat à cognitione, & sit aliquo modo præcognitum. Ergò ubi nulla præcessit cognitio ignorantiæ ac malitiæ, ignorantia & malitia nequit esse voluntaria, ne quidem indirectè; nam in hoc solùm voluntarium directum ab indirecto discrepat, quòd illud sit & dicatur voluntarium directum, in quod cognitum voluntas fertur directè, expresè volendo illud; illud verò sit & dicatur voluntarium indirectum, in quod cognitum voluntas fertur solùm indirectè, quatenus aut vult aut negligit aliud, ex quo volito aut neglecto prius illud consequitur, absque eò quòd voluntas actu explicito aut directè feratur in illud, volendo, aut desiderando illud. Hæc traduntur à Theologis *ad 1. 2.* Nec de alio voluntario, aut modo voluntarii mentionem faciunt, quia nulli alteri modo definitio voluntarii applicari potest, ut patet. At in casu nostro ignorantia nullo modo repræsentatur menti, ne quidem sub ratione generica aut universalissima, quia hoc supponitur. Ergò repugnat, quod sit voluntaria etiam indirectè.

Quid requiratur ut ignorantia dicatur volūtaria?

35. Probatur secundò. In hoc casu non est excogitabilis alia ratio, ob quam ignorantia dicatur voluntaria, quàm quia consequitur ad volitionem liberam, quamvis nullatenus cognita fuerit. Sed hæc non sufficit ad voluntarium, alioquin mors illi esset voluntaria, qui errore deceptus absque ulla suspicione veneni latentis venenum pro cibo sumeret. At dicere mortem esse vel indirectè voluntariam tali homini, adeo rationi repugnat, ut in mentem venire nequeat; mors enim non aliter est indirectè volita, quàm si aliquid cum periculo apparenti mortis connexum eligatur, ut patet. Ergò ad voluntarium, etiam indirectum, non sufficit quod res aliqua à volitione libera dependeat. Ergò in casu nostro ignorantia non est voluntaria, cùm nil sit, quòd ad talem denominationem tribuendam sufficiat.

Replica.

36. Dices, disparitatem esse, quòd peccans verè debeat causam ignorantiæ omittere; qui verò ignoranter sumit venenum, non debeat illud non sumere.

Impugnatur.

37. Sed contra est, quia actio liberè posita perinde se habet ad voluntarietatem effectus nullo modo præcogniti, sive potuerit, sive etiam debuerit non poni; nisi prohibitio in genere saltem repræsentata fuerit ut fortè illativa aliquorum malorum. Tunc enim mala illa aliquo modo essent voluntaria, & imputabilia; quia homo intuitu illorum & poterat & debebat omittere causam, ex qua ortum traxerunt. Præscindendo enim ab hac repræsentatione, non est unde effectus magis censeatur voluntarius, quando oritur à volitione liberâ malâ, quàm quando causatur à bona. Præterea qui mentitur, ut amicum celet id, à quo magnam tristitiam hauriret, male facit, nec tamen ideo vult propriam mortem indirectè, quamvis amicus ille propter illud mendacium mentientem interficiat. Ergò ad voluntarietatem etiam indirectam alicujus, non sufficit, quòd illud ab actione libera mala, quæ debuit non poni, dependeat. Similiter nil refert, quòd effectus ille per se, vel per accidens sequatur, quia in ordine ad operantem nullatenus apprehendentem ullam connexionem aut sequelam, perinde est quod res sequatur per se vel per accidens. Ergò in ordine ad voluntarietatem, quæ est mera operantis affectio, perinde se habet necessaria ac accidentalis connexio. Ergò neutra sufficit ad voluntarium.

38. Probatur tertiò ex S. Thoma *1. 2. quæst. 76. art. 3. in corp.* ubi expresè tradit, hominem scienter percutientem alium, & ideo peccantem, excusari tamen à parricidio, si penitus ignoret eum esse suum patrem, quòd si scivisset eum non percussisset. Hanc parricidii excusationem dicit sumi ex parte objecti, quod omnino ignoratur; *quia ignorantia in tantum excusat à peccato, in quantum ignoratur aliquid esse peccatum.* Deinde dicit ignorantiam aliquando excusare aliquo modo à peccato ex parte ipsius ignorantiæ, *quia scilicet ignorantia est voluntaria. Vel directè, sicut cùm aliquis studiosè vult nescire ut liberiùs peccet. Vel indirectè, sicut cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, & peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat à peccato. Si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur: talis ignorantia omnino excusat à peccato.* Hinc patet, S. Thomam per omnia nobiscum sentire. Inprimis dicit peculiarem malitiam ignoratam esse involuntariam & ad peccatum non imputari, quamvis identificetur cum opere malo, quod quis scienter patrat, & à quo tenebatur abstinere, à quo si hanc scivisset, abstinuisset, ut debebat, neque posuisset malum, quod ignorans ponebat. Eadem autem ratio æquè valet de ignorantia mali, consequente ad opus ex malitia positum; quia si malum identificatum cum peccato non sit voluntarium, nec imputetur si ignoretur, utique nec malum consequens (quod aliquando saltem per accidens impediri potest etiam non obstante peccato) imputari potest, nec fieri voluntarium, si ignoretur. Deinde non aliam ponit aut agnoscit rationem voluntarii indirecti, quàm quæ oritur à negligentia culpabili. Ergò per omnia nobiscum sentit contra Celladeum.

Ulterior cōclusionis probatio ab autoritate.

39. Probatur quartò ex ipso Celladeo, qui *quæst. 10. immediatè præcedente §. 3. prope finem* ex concordi Theologorum sententia hoc modo concludit. *Necessaria est ergò* (ad peccatum) *aliqua præcognitio tum ignorantiæ, tum culpæ propter ignorantiam sequentis. Hæc omnia, quæ Catholici omnes libenter admittunt, haud prosequor, &c.* Hæc ille, qui tamen §. 4. contendit præcognitionem hanc

Celladei contradictio.

non

non debere explicare ignorantiam aut mala ex ignorantia imminentia in individuo vel in specie, sed satis esse si in genere illa repræsentet, in quo me contradicentem non habet, ut constat ex *Assert. 1.* Ergò ex expressa ipsius mente aliqua ignorantiæ & malorum præcognitio est necessaria ad peccatum, & ad rationem voluntarii; immò expresè ait omnes Catholicos, & se inter eos, libenter hoc admittere. Et tamen statim pòst tota *quæst. 11.* ex professo intendit probare, talem præcognitionem ad rationem voluntarii ac peccati non esse necessariam, sed utrumque frequentissimè haberi absque ulla ejusmodi præcognitione. Ergò & sibi apertè contradicit, & communi omnium Catholicorum doctrinæ, etiam pro tali à se agnitæ, adversatur. Ergò audiendus non est. Itaque hac in quæstione Celladeus confundit malum, quod est merus effectus peccati & voluntarii, cum malo quod est peccatum & voluntarium. Primum quidem habetur, in casu quem expendit, sed secundum locum non habet, quia ob defectum cognitionis ratio voluntarii & peccati est penitus impossibilis.

Ulterior Celladei reprehensio.

40. Est & aliud, quod in hac Celladei doctrina vehementer displicet, scilicet quod nil determinatè proponat. Vult quidem aliquam ignorantiam ortam à peccato esse voluntariam, sed dubitat an omnis ejusmodi ignorantia sit voluntaria, etiam illa, quæ per se connectitur cum peccato; quamvis etiam dubitet, utrùm ignorantia etiam per accidens sequens ex actione peccaminosa, imputetur ad peccatum & sit voluntaria. Ideo autem hac ratione vacillat, quia solus Deus delicta eorumque mensuram & meritum intelligit. Hæc, inquam, mirè displicent, tum quia nil doctrinaliter determinant, per quod regulemur, cùm tamen ad regulam morum determinandam omnia hæc tradantur; tum vel maximè quia inconsequenter traduntur; si enim ad rationem voluntarii sufficiat, ut aliquid aut per accidens, aut saltem per se connexum cum operatione mala, & ab illa proveniens, sit voluntarium, utique ubicumque hoc reperitur, ratio voluntarii invenitur, nec de hoc magis dubitari potest, quàm an detur res, quando constat essentiam rei dari. Inconsequenter etiam loquitur Celladeus in hac re, dum audacter affirmat unum, & mox hæret ac timet in alio, in quo & agnoscit, & supponit eadem cōstitutiva involuntarii intervenire. Reflectat ad hæc, & videbit quàm sine fundamento hæc proposuerit, cùm non audeat assertionem ad ea extendere, quæ eadem prorsùs habent constitutiva; in quo, meo judicio, perinde agit, ac si diceret, Audacter dico Petrum esse hominem, quia est animal rationale quod continet essentiam hominis, sed ut cautè procedam, præscindo ab eo, an omne illud sit homo, quod est animal rationale.

41. Demum recursus ille ad Deum pro explicando merito ac mensura peccatorum laudandus esset, si simpliciter fieret; *delicta* enim *quis intelligit?* Sed prorsùs displicet in sensu, quem Celladeus sibi proponit: loquitur enim ac si accidentale esset operationibus nostris eorumque effectibus, quod hi sint aut non sint voluntarii nobis, quodque omnibus immutatis ex parte nostri, fieri possit, ut quod nunc est voluntarium & peccatum, potuisset non esse voluntarium & peccatum, si Deus aliter statuisset. At hoc est prorsùs absurdum, nam ratio voluntarii ab extrinseco non dependet, sed est prorsùs invariabilis, quando ea in nobis existunt, quibus talis denominatio convenit. Similiter nobis eodem prorsùs modo se habentibus repugnat eundem actum modò esse, modò non esse peccatum per hoc præcisè, quod Deus aliter vel aliter de rebus statuat. Itaque licèt solus Deus merita & mensuram peccatorum rectè intelligat, hoc impertinens est ad dubitandum an aliquid sit peccatum, si habeat ea omnia, per quæ sola aliud constituitur in ratione peccandi. Sed quid? Qui à communi viâ recedit, etiam cùm minimè expectat, in vias dubias incidit, & sæpe in ipso plano ac recto itinere constitutus, ubi minimè formidandum erat, maximè dubitat, seseque torquet. Id planè facit Celladeus in præsenti, ut patet.

Ratio volūtarii non oritur ab extrinseco.

RATIONES CELLADEI

ponderantur, & directè solvuntur.

42. ITAQUE directè respondeo ad singulas, & ultro fateor Gentes, quorum scelera *ad Rom. 1.* Paulus enumerat, fuisse inexcusabiles. Nec tamen in contextu sequitur, peccata illa turpissima, etsi in religionem abjisse & ut religiosum quid habita fuisse dicantur, absque sufficienti advertentia ad eorum malitiam fuisse patrata. Legatur Cornelius à Lapide in totum illud caput, & satis constabit, Philosophos illos, quos Paulus ob Idololatriam arguit, non nescientes, sed scientes peccasse, atque in aliis tolerasse ac probasse, quod malum, & lumini rationis ac Deo ipsi, quem cognoverant, repugnare sciebant. Similiter ostendit eorum ignorantiam fuisse aut affectatam aut crassam, ideoque opera ab ignorantia illa procedentia fuisse imputabilia. Cæterùm non est credibile, eos non satis advertisse turpitudines illas & innaturales luxurias fuisse malas ac detestabiles. Jam verò de hujusmodi operum pravitate ac imputabilitate in præsenti non quæritur; sed solùm, utrùm ignorantia nullo modo prævisa imputetur ad peccatum, & non sit merus effectus peccati, sed verum peccatum, idque ratione sui imputabile, si oriatur à peccato; quod certè ex hoc loco non probatur. Neque commentatio S. Thomæ id probat. Ostendit ille quidem, primum Gentium illarum peccatum contra cultum Deo debitum processisse ex satis clara cognitione mali latentis ac debiti sui, cui non correspondebant; inde autem factum est, ut, Deo gratiam suam copiosam substrahente, turpissimis vitiis se inquinaverint; nec dicit, aut insinuat eos non satis eorum turpitudinem agnovisse. De aliquibus quidem Gentium peccatis videtur supponere, ex ignorantia fuisse patrata, nec tamen ideo eos excusationem habuisse, quia ipsa eorum ignorantia erat culpabilis, quæ proinde non poterat opera ex illa provenientia excusare, sed mala & imputabilia reddere. Porrò quod dicit: *Si ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam excusare:* intelligi debet non de quâvis causalitate physicâ, sed solùm de causalitate morali, ratione cujus ignorantia aut affectatur, aut ex negligentia advertenter contracta incurritur; alia enim ratione ignorantia non est voluntaria & culpabilis, ut ex expressa ipsius doctrina satis constat. Ergò ne sibi contradicat, ita interpretandus est.

Directa solutio argumentorum Celladei.

43. Porrò ex dictis satis constat, quâ ratione opera ex ignorantia & errore patrata, sint aut non sint peccata, & ad pœnam imputentur. Inprimis aliqua dicuntur fieri ex ignorantia, non quia fiant ex absoluta mali inconsideratione, sed quia

Corrolariū ex dictis.

quia vel notitia mali est exigua, cùm antea aut in aliis occasionibus esset longè clarior, & illa claritas vel ob pravum habitum, vel in pœnam peccati ablata est. Secundò, quæ fiunt in dubio dicuntur fieri ex ignorantia, quia malum operationis à dubitante ignoratur. Et de his non est dubium, quin sint peccata ratione sui imputabilia ad peculiarem culpam & pœnam, quia fiunt ex malitia, cum sufficienti advertentia ad malum, ut patet. Jam plurimi textus SS. Patrum & aliorum de ignorantia in hoc sensu intelligendi sunt.

Peccari potest in opere procedente ex ignorantia culpabili, licèt nulla subsit mali in illo opere, suspicio.

44. Sed esto, loquamur de aliquo opere, quod ex ignorantia & errore culpabili procedat, absque eo quòd ulla mali suspicio appareat in opere, quod hîc & nunc ponitur; immò supponamus, illud absolutè bonum reputari; adhuc multipliciter peccari potest in tali opere. Primò si illud ex passione aliqua mala indebitè fiat; tunc enim ignorantia & error non excusant opus à peccato malitiæ, ut patet. Hac ratione Judæi & alii persequentes Christum & Apostolos peccare poterant, & fortè peccabant, etsi putarent se Deo obsequium præstare eos persequendo. Secundò negligentia, ob quam error incurritur & continuatur, sæpe non est unum tantùm numero peccatum; sed homo frequenter peccat, longo tempore debitam diligentiam omittendo; & quidem ob habitum contractum fieri poterit, ut negligentia adeo facilè incurratur & parvi fiat, ut licèt intellectus ad obligationem sufficienter advertat, voluntas tamen nullo saltem notabili remorsu terreatur. Hinc autem duo sequuntur. Primum est, quod homo actu peccet in eo quod bonum putat, & de quo in particulari nullam habet suspicionem mali, sed illud Deo placere credit, idque intelligo non de imputabilitate propter negligentiam olim culpabilem, sed propter novam culpam negligentiæ præsentis, quam homo potest & debet amoliri. Interim tamen ex negligentia ista incidit in errorem, quo credit malum esse bonum, & Deo placere, &c. Hic error, & opus ab illo regulatum, est peccatum, habetque novam imputabilitatem à negligentia præsenti per quam error ille aut inducitur aut continuatur. Porrò culpa illius negligentiæ procedit à cognitione genericè saltem repræsentante ignorantiam esse removendam, quæ cognitio non contrariatur errori circa particulare objectum, ut patet. Hac etiam ratione peccare poterant, & sæpe de novo per novam imputabilitatem peccabant illi, qui persequebantur Christum & Apostolos. Secundum, quod ex hac doctrina sequitur, est, quòd qui diu vincibiliter manent in erroribus suis, ac frequentiùs ex tali errore mala committunt; graviùs peccent, & severiùs puniendi sint in futura vita, quàm qui citiùs moriuntur in illo errore; quamvis quoad alia in nullo sit diversitas. Ratio est, quia negligentia continuata, est peccatum continuatum, quod ratione sui imputabile est, & consequenter, quò magis continuatur, eò graviùs evadit, & ob multiplicitatem ac extensionem omissionum ad novam culpam & pœnam imputatur, atque ita opera etiam sequentia ad novam culpam & ampliorem damnationem imputantur, quia informantur à culpa majore & deteriore, ut patet. Hac ratione verificantur ea, quæ PP. & Theologi asserunt de iis, qui in suis erroribus perseverant; aliquando enim dicunt, eos semper ad ampliorem damnationem sua peccata ignorantiæ multiplicare: quod verum est non solùm ex eo, quòd talia opera ex indebita passione, & mala contra conscientiam fiant; sed ex eo etiam præcisè, quòd fiant ex ignorantia per novam & repetitam negligentiam continuatâ: & sanè vix fieri potest, ut crassa ignorantia, ab initio per negligentiam introducta, diu continuetur, quin eadem negligentia semper remaneat culpabilis, & homo taliter negligens pluries Deum ex advertentia sufficienti offendat.

Peccatū aliquando sensu minùs stricto accipitur.

45. Adde tam Sacram Scripturam, quàm Sanctos PP. mala aliqua sæpe vocare peccata, quæ propriam rationem peccati non habent. Unde Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali sub finem hæc habet, *Concupiscentiam, quàm aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Itaque cùm effectus peccati, maximè si ad peccatum inclinent, sæpe vocentur peccata, quamvis propriè peccata non sint, fieri potest, ut aliqui ex textibus, quos Celladeus profert, non agant de peccatis propriè, sed solùm impropriè dictis. Tales autem auctoritates nec Celladeo favent, nec nostræ opinioni adversantur, ut patet.

Quænā sint peccata puræ ignorantiæ.

46. Demum præter peccata hactenus dicta, admittimus peccata puræ ignorantiæ, quæ in eo sita sunt, quòd oriantur ex ignorantia primitùs culpabili, sed quæ ob novam & continuatam negligentiam imputari nequeunt. In hoc casu, qui poneret malum, quòd absolutè crederet esse bonum, peccaret quidem, quia malum illud imputaretur propter negligentiam culpabilem, per quam ignorantia contracta fuit, quia tam ignorantia, quàm mala illa sunt simpliciter voluntaria, quia in negligentia illa fuere indirectè volita, cùm intellectus proponeret obligationem ad ea per diligentiam avertenda. Itaque opera talia, prout oriuntur ab ignorantia culpabili, atque ab ea informantur, verè sunt peccata, nec quisquam de hoc dubitat. Sed quæstio est, utrùm hæc opera sint peccata peculiaria, utrùm habeant propriam malitiam & imputabilitatem distinctam à tota malitia negligentiæ, per quam ignorantia contracta fuit, ideoque ad propriam & peculiarem pœnam ac damnationem imputentur. Communis opinio negat, modò nulla sit mali latentis suspicio, nec turpitudo aliqua ac indebitus agendi modus eluceat in opere, nec præsens ignorantia novam rationem culpæ habeat, sed opus simpliciter judicetur bonum, bona fide eliciatur, nec aliud ipsi imputari possit, quàm quod ab ignorantia primitùs culpabili oriatur. Ratio efficacissima, & quoad me convincens, est, quòd volitio illius objecti non est ex se & intrinsecè mala, quia si eadem elicita fuisset cum omnibus circumstantiis, in quibus nunc actio versatur, non fuisset peccatum, nec ad culpam imputari potuisset, si culpabilis ignorantia non præcessisset. Malum enim non aliter voluntarium est, quàm in illa ignorantia, quam homo poterat & debebat vitare. Ergò volitio illa non est intrinsecè mala. Ergò malitia omnis est illi extrinseca, nec aliundè habetur, quàm à negligentia culpabili, quia eâ sive in re, sive in mente ablatâ, omnis propria ratio culpæ & in re & in mente tollitur. Ergò talia opera non aliam malitiam moralem, non aliam imputabilitatem, seu propriam rationem peccati habent, nisi quæ communis est dictæ negligentiæ, cùm ab illa sola totam mali imputabilis, seu peccati propriè dicti, denominationem accipiant.

47. Quòd

47. Quòd si loquamur de ignorantia nullatenus prævisa, quæ tamen incurritur per peccatum, & de malis ab illa ignorantia postea absque ulla actuali malitiæ advertentia provenientibus, eadem ratio multò magis locum habet, quia opera sequentia non solùm non sunt præcisè ratione sui mala & imputabilia, ut ex proximè dictis constat, sed vel maximè, quia nec ignorantia illa, nec mala ab illa provenientia ullatenus fuerunt voluntaria, aut volita, ut efficaciter probatum est. Jam ergò absurdum est deserere communem gravissimorum Auctorum opinionem, ratione tam efficaci stabilitam, nisi convincens ratio, aut auctoritas irrefragabilis afferatur. At hæc certè nec allata est, nec umquam, ni fallor, afferetur. Provoco enim Celladeum ut determinatum casum ponat, in quo constet nullum ex assignatis aut aliis assignabilibus malitiæ causis intervenire, præter hoc præcisè, quòd oriatur ab ignorantia primitùs culpabili nondum retractata & abolita, aut quod citra omnem mali imminentis suspicionem ignorantia à peccato aliquo procedat; & hoc posito afferat textum urgentem aut rationem validam, quæ probet talem actum habere propriam imputabilitatem ac malitiam distinctam à malitia peccati, per quam ignorantia contracta fuit, & tunc aliquid ad rem dicet; si hoc præstare nequeat, frustra laborat. Rationem nullam affert: Auctoritates generaliter sumptæ probant quidem majorem damnationem communiter incurri ab illis, qui plura mala ex ignorantia culpabili patrant; sed non ostendunt majorem illam damnationem non provenire ab aliquo peccato malitiæ intervenientis, aut certè ex continuato peccato ignorantiæ, &c. Nec umquam exprimet argumentum, quo, sistendo in terminis quæstionis, peculiaris & propria malitia ac imputabilitas talibus operationibus tribuatur. Ut pateat an verum dicam, rogo Lectorem, ut ex auctoritatibus citatis conetur argumentum formare, quo hoc probet; quòd cùm præstare non potuerit, propriâ experientiâ convictus mecum sentiet.

Celladeus immeritò refragatur torrenti Doctorum.

48. Cæterùm quod ad præsentem controversiam de ignorantia per peccatum sine ulla suspicione mali contracta attinet, nimis perspicuum est, ea quæ Celladeus congerit hoc non probare, cùm non probent ignorantiam, de qua mentionem faciunt, non fuisse aut crassam aut affectatam, atque ex peccato malitiæ scienter ac voluntariò contractam; libenter enim viderem syllogismum formari ex iis quæ adducit, cujus conclusio sit propositio controversa. Verùm, cùm Lector talem syllogismum, qui probabiliter urgeat, ex illis formare nequiverit, concludet, ni fallor, Celladeum intentum suum minimè probare, ac sine fundamento à communi veràque sententia recessisse.

Celladei argumenta à quæstionis scopo aberrant.

49. Præclara prorsùs sunt, quæ S. Thomas de cæcitate atque hebetudine mentis tradit, eaque omnia & singula admitto, sed simul audacter assero, S. Doctorem diametraliter opponi assertis Celladei. Ille probandum assumit, quòd ignorantia nullatenus prævisa sit peccatum, si à peccato inducatur: ut hoc probet affert, S. Thomam dicentem, cæcitatem mentis aliquando esse peccatum. Sed quid inde? Omnes idem dicimus. Subsumi deberet. Sed S. Thomas ait cæcitatem esse peccatum, quando inducitur per peccatum, quamvis nulla ignorantiæ incurrendæ suspicio peccanti occurrit. At ubi S. Thomas hoc tradidit? Nullibi. Certè loco, quem Celladeus citat, expresè tradit oppositum; nam postquam dixit cæcitatem consistere in privatione principii visionis intellectualis; mox dicit illud principium esse triplex. Primum, est ipsum rationis naturalis lumen; sed hoc anima numquam privatur. Ergò cæcitas consistens in carentia hujus principii, non est peccatum, cùm numquam incurratur. Secundum, est lumen habituale, naturali rationis lumini superadditum; *& hoc lumine*, inquit, *anima interdum privatur. Et talis privatio est cæcitas, quæ est pœna, secundùm quod privatio luminis gratiæ quadam pœna ponitur, &c.* Porrò hæc cæcitas non est peccatum, sed pœna peccati, ut S. Thomas expresè tradit in eodem *art. ad 2.* Tertium, *est aliquod principium intelligibile, per quod homo intelligit alia; cui quidem principio intelligibili mens hominis potest intendere, vel non intendere. Et quod ei non intendat, contingit dupliciter. Quandoque quidem ex hoc, quòd habeat voluntatem spontaneè se avertentem à consideratione talis principii, secundùm illud Psal. 35. Noluit intelligere, ut benè ageret. Alio modo, per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur, &c. & utroque modo cæcitas est peccatum.* Hæc S. Thomas, qui ex his scitur non agnovisse rationem peccati nisi in hac tertia classe cæcitatis. Porrò asserit peccatum hoc dupliciter incurri, primò directè affectando ignorantiam, secundò indirectè negligendo scientiam, quatenus animus ab ea inquirenda avertitur ad considerationem eorum, quæ magis amat. At hi modi incurrendi peccatum cæcitatis supponunt advertentiam ad obligationem removendi ignorantiam, ut patet. Ergò S. Thomas aliud hîc non docet, quàm quod 1. 2. docuerat de ignorantia, scilicet ignorantiam tam affectatam, quàm crassam, esse voluntariam, & ad peccatum imputari, quod omnes admittunt. Præterea quòd hîc loquatur ex suppositione ignorantiæ aliquo modo cognitæ, ex eo patet, quòd supponat esse in potestate hominis intendere & non intendere tali principio. At hæc non sunt in potestate hominis nisi circa ea, quæ voluntati repræsentantur per intellectum, ut patet. Uno verbo totus textus, doctrinæque progressus, hoc ipsum apertè ostendit. Similia prorsùs habet de hebetudine *art. 2. Hebetudo*, inquit, *habet rationem peccati, sicut & cæcitas mentis, in quantum scilicet est voluntaria: ut patet in eo, qui affectus circa carnalia, de spiritualibus subtiliter discutere fastidit, vel negligit.* Ecce totam voluntarietatem hebetudinis reducit ad contemptum & fastidium, aut ad neglectum attendendi spiritualibus; asseritque se idem dixisse de cæcitate. At nemo fastidit aut negligit nisi illud quod ipsi aliquo modo proponitur. Ergò S. Thomas his in locis expresè requirit notitiam præviam de obligatione removendi cæcitatem & hebetudinem, ut illæ sint voluntariæ, ac rationem peccati contineant. Et tamen Celladeus citat hunc locum S. Thomæ, ut probet ignorantiam nullo modo prævisam esse peccatum, si ab alia quavis culpa originem trahat: sed nimis clarum est S. Thomam non solùm id non docere, sed expresè tradere oppositum; tum quia discursus illius omnem rationem voluntarii à tali ignorantia excludit; tum quia expresè fatetur, talem ignorantiam, utpote à Deo inflictam, esse pœnam peccati, & non peccatum. Cogitet hæc Celladeus, & agnoscat tandem quàm debilia, immò quàm suo intento contraria argumenta afferat, ut proprias suas opiniones & novas cogitationes stabiliat.

Autoritas S. Thom. allata adeo non favet Celladeo ut maximè adversetur.

50. Porro eodem modo discurrendum est de cæcitate

cæcitate & malis à cæcitate inductis, sicut loquuti sumus de ignorantia, ejusque effectibus, utraque enim eisdem modis esse potest voluntaria, ut patet. Itaque fatemur cæcitatem & esse peccatum, & à peccato non excusare, quando & ipsa, & ejus effectus sunt voluntarii; & hoc ritè probatur ex Sacra Scriptura. Cæterùm id numquam evenit, nisi aliqua eorum imminentium, ac debiti illa avertendi cognitio præcesserit. Cæterùm quæ & qualia sint peccata, quæ fiunt ex cæcitate mentis, & unde omnem suam malitiam habeant, non aliundè determinari potest, quàm ex causis proximè perpensis, quando egimus de peccatis ignorantiæ.

Quando cæcitas sit peccatum.

51. Cæterùm cæcitas, de qua Sacra Scriptura, & SS. PP. loquuntur, non est ignorantia quorumlibet, sed solùm eorum, quæ & possunt & debent ab omnibus sciri, quæque à quovis per diligentiam mediocrem cognosci possunt. Quæ cùm ita sint, stupendum est, Celladeum iterùm comparationem instituere inter opiniones probabiles falsas, & cæcitatem, de qua Sacra Scriptura loquitur. Cæcitas culpatur, quia poterat & debebat vitari, estque in cujusque potestate illam amoliri, quia solùm privat scientia eorum, quæ certa sunt, & ab omnibus diligentiam adhibentibus certò sciri possunt. In his autem error non excusat, quia culpabilis est, ut patet. Quod si alicui per accidens error culpabilis non fuerit, ille pariter per accidens excusabitur. Hinc culpabiles erant tam Magistri cæci, quàm populi excæcati apud Hebræos, qui errabant circa illa, de quibus Celladeus mentionem facit; & in illis non sufficit dicere, Magister dicit, quia veritas ab omnibus certò sciri potest & debet; ideoque omnis error in talibus est vincibilis. At in rebus incertis, de quibus solùm agimus, aliter se res habet; in his enim veritas certò sciri non potest, sed totum relinquitur probabili ac diligenti quæstionis resolutioni, quæ proinde sufficit, ut homo, etsi per accidens erret, excusetur; & in eisdem pro rudibus sufficit, si consilium à peritis petant; si enim illorum se dictis conforment, haud dubiè excusantur, quia faciunt, quod ad veritatem sciendam facere possunt & debent. Ergò si errent, invincibiliter errant & excusantur. Quis hæc cogitans non stupebit, cùm legerit apud Celladeum opiniones probabiles Auctorum Catholicorum si falsæ sint, & scriptores in rebus incertis & utrimque probabilibus errantes, comparari cum cæcitate Judæorum, ac cæcis illis Magistris, qui contra legem naturæ ac Dei certò latam, ac aut notam aut facilè & certò noscibilem, ex errore vincibili operabantur. Pudet me profectò hæc toties proferre; quia indignum est Theologo tales comparationes instituere, utpote quæ viris Sanctissimis gravissimisque Ecclesiæ Doctoribus injuriosæ sunt, & ab omni verisimilitudine remotissimæ.

Inepta Celladei comparatio.

52. Porro cæcitatem mentis, de qua S. Scriptura loquitur, quamque reprehendit, à peccatis induci fatemur, eamque aliquando peccatum esse agnoscimus. Similiter Christus venit, ut cæcitatem ac tenebras, quæ mundum operuerant, dissiparet. Quid inde ad præsens intentum inferet Celladeus? *Peribant*, inquit, *animæ in sua cæcitate. Ergò peccabant. Nil tamen de peccato cogitabant aut suspicabantur.* Sed ubi tradit hoc S. Scriptura? Hoc Celladei commentum est, ab omni veritate alienum. Cogitabant illi, saltem ab initio, de cæcitate, alioquin non fuisset illis voluntaria. Cogitabant sæpe postea, & de novo peccabant per negligentiam continuatam. In multis etiam benè sciebant se malè facere; nec hoc opponitur cæcitati, ut mox uberiùs ostendam. Atque ideo peribant in sua cæcitate. Quòd si aliquis ex mera ignorantia & cæcitate operabatur, illud opus erat quidem peccatum, sed non imputabile ratione sui, ut sæpe ostensum est. Sed quid si perierint in cæcitate illa? Quid hoc ad præsentem quæstionem de usu probabilium, quando veritas oculatissimos ac maximè diligentes latet? Viderit Celladeus, qui hæc objecit, nam alius nemo videt.

De qua cæcitate loquatur S. Scriptura.

53. Dixi advertentiam mali non opponi cæcitati mentis, quia obscurissima & maximè horrenda cæcitas cum hac advertentia cohæret. Quis cæcior illo, qui cùm pericula imminentia videt, ab illis non terretur? Quis surdior illo, qui audiens fulmina divinæ justitiæ, illis non plus movetur, quàm si illa non audiret? Et tamen eò homines deveniunt, ut, oculis apertis, absque ullo remorsu aut conscientiæ terrore plurima peccata committant, nec iis plus moveantur, quàm si malitiam non agnoscerent. Hoc est videntes non videre, & audientes non intelligere; quia est videntes & audientes perinde se habere ac gerere, ac si nec viderent quæ vident, nec audirent quæ audiunt. Nulla cæcitas aut surditas est pejor illâ, quæ illis tantùm convenit, de quibus verissimè dicitur: *Excæcavit illos malitia eorum*; per manifestam enim malitiam, & pessimam peccandi consuetudinem extinguunt lumen gratiæ, quâ à peccando homines deterrentur, nec seriò volunt considerare gravitatem & periculum peccatorum suorum, sed hæc omnia contemnunt, ut suis voluptatibus sine impedimento fruantur? Porro carentia talis luminis est propria cæcitas, quam homines in peccatorum pœnam incurrunt, ut dictum est ex S. Thoma.

Advertentia mali nō opponitur cæcitati mentis.

54. Itaque Celladeus *hic* § 3. propè medium immeritò insurgit in eos, qui advertentiam & scientiam cum cæcitate conjungunt, eosque non solùm profanatores, sed etiam carnifices esse arbitratur, qui dicunt, cæcum ducentem, & cæcum ductum ambos in foveam cadere, si ambo foveam videant. Scio necessarium non esse, ut ambo foveam videant, quia si error sit circa necessaria necessitate medii ruunt in foveam, etsi nec foveam videant, nec in eam cadendo peccent. At ut peccent cadendo in foveam, fovea aliqualiter videri debet. Nec ideo profanator aut carnifex est, qui tales & videntes & cæcos appellat. Tales S. Thomas & videntes & cæcos agnovit, quia lumen rationis ostendit malum, à quo tamen multi non moventur, quia cæci sunt, & carent lumine gratiæ, quo debitè & cum salutari timore à committendo peccato retrahantur. Certè ex mente S. Thomæ cæcitas hæc naturali rationis lumini non opponitur. Ergò rectè cohærent. Ergò ex mente expressa S. Thomæ cæcitas, & quidem maximè horrenda, utpote quæ à Deo in pœnam peccatorum infligitur, cum aliquali & sufficienti advertentia mali, optimè cohæret. Sed & Christus ipse *Matthæi 13.* hoc ipsum satis expressisse videtur, quando loquens de Judæis cæcis, illis applicat prophetiam Isaiæ dicentis, *Auditu audietis & non intelligetis: & videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt, &c.* Certè locutiones istæ supponunt aliqualem notitiam rerum quæ non perfectè videntur & intelliguntur, ut dici de illis possit, quod videantur & non videantur; quod audiantur

Cōtrarium immeritò reprehendit Celladeus.

audiantur & non percipiantur. Certùm autem est sermonem ibi esse de horrenda populi Judaici cæcitate, ut exprimitur in ipso textu. Ergò cæcitas & horrenda cæcitas non excludit omnem actualem advertentiam mali. Ergò Celladeus invalidè arguit, quando ex eò quòd peccantes ex cæcitate non excusentur, infert advertentiam mali non esse necessariam ad peccandum peccato per se ac ratione sui imputabile. Invalidè, inquam, arguit, tum quia terminos cohærentes supponit esse oppositos, tum quia consequens ex antecedenti in sensu ipsius admisso non sequitur, quia talia peccata, quando sunt ex pura ignorantia, non sunt imputabilia ratione sui, ut ostensum est.

55. Causam cæcitatis ex parte nostra Theologi in luxuriam communiter referunt; nec abnuo quin ob alia etiam peccata incurratur: & hoc bene probat Celladeus, qui etiam ex Evangelio rectè ostendit, vitam probam ad fidei doctrinam debitè percipiendam plurimùm conducere, cùm causam cæcitatis tollat. Inde autem perperam infert, quòd omnes teneantur ignorantiam vitare, quia possunt Dei voluntatem facere, & tenentur non peccare. Ex hoc enim non sequitur, quòd homo teneatur ignorantiam vitare, nisi obligatio eam vitandi aliquo modo ei repræsentetur. Si enim absque tali cognitione peccet, & Deus ob peccatum ignorantiam infligat, illa ignorantia erit quidem pœna peccati, sed peccatum non erit, cùm non sit voluntaria, ut ostensum est. Itaque cavendum est ab æquivocatione, quæ facilè incurritur, nisi advertamus aliud esse aliquid esse voluntarium seu volitum, aliud verò illud à voluntario & volito procedere; nisi enim aliquid modo humano & ex vi actûs humani, ut humanus est, seu à cognitione ipsius procedat, non est volitum seu voluntarium, quamvis physicè & mortuo modo à volitione humana dependeat, ut constat ex dictis. Itaque ad voluntarietatem ignorantiæ non sufficit, si illa quomodocumque à peccato oriatur, atque in pœnam peccati infligatur; sed requiritur ut intellectui aliqualiter repræsentetur, atque voluntas saltem indirectè in eam feratur, ut explicatum est.

Quid ad volũtarium requiratur in re præsenti?

56. Nec conducibiliora sunt ad intentum Celladei, quæ de obligatione mundandi conscientiam ponderat. Illa quidem obligatio admittitur, juxta moderatam præscriptionem graviorũ Theologorum; sed absurdum est ponere obligationem, quam Celladeus præscribit, quippe quæ nullam hominibus quietem permitteret; cùm nemo quiescere posset, donec ad probabilitatem rarò aut numquam fallentem de statu suæ gratiæ pertingeret. At quotusquisque est, qui ad hanc se pertigisse tutò ac prudenter confidere potest? Pauci admodum, & qui sanctiores sunt, de hoc magis quàm alii formidant. Ergò Celladeus omnes inquietudine ac scrupulis vexat obligationibusque à se impositis non à Deo institutis inquietat.

Doctrina Celladei conscientias torquet.

57. Nec ea quæ affert, intentum probant. Siquidem nulla lex obligare potest ad sui cognitionem, sicut obligat ad sui impletionem, ut clarè ostensum est in superioribus. Similiter lex quidem obligat ad removenda impedimenta, quæ apparent; ad ea autem quæ latent removenda, neminem dirigere, ac obligare potest; quia quæ planè nesciuntur, vi legis exigi nequeunt, cùm esse voluntaria, & ab actibus humanis attingi non possint. Similiter tenemur vitare occasionem proximam, quia scimus illam esse vitandam, ideoque peccat qui eam non vitat. Inde autem rectè infertur, quod teneamur quantum in nobis est vitare cæcitatem ac ignorantiam, quando lex illam prohibens apparet, idemque valet de vitanda quâvis impotentiâ consequente ad non peccandum, quando illa innotescit; at si ulla ejusmodi detur impotentia nobis penitus ignota, illa exercitè quidem vitari potest, & debet quoties à peccato inducitur ac dependet; at signatè ad illam evitandam ex vi legis dirigentis nos obligari, est prorsùs impossibile, cùm lex hominem non dirigat nec dirigere possit nisi mediante sui cognitione.

Invalidè ipsam probat.

58. Ex his efficaciter constat, Celladeum nullâ ratione probasse intentum suum, scilicet quòd ad voluntarietatem & imputabilitatem ignorantiæ aut alterius mali sufficiat, si illud à peccato procedat, quamvis nulla illius cognitio aut suspicio, vel dubium præcesserit. Constat enim argumenta illius ad hoc probandum aut applicari non posse, aut si applicentur omni vi ac energiâ carere, cùm oppositum per rationes efficacissimas atque per communem gravissimorum Auctorum opinionem sufficienter innotescat & probetur.

59. Unde demum concludo, Celladeum immeritò gloriari de doctrina sua, tamquam de clavi regia, per quam aditus ad præclarissimas, ut ipse putat, veritates aperitur. Verùm veritates illæ præclaræ sunt errores satis patentes, & doctrina, qua ut clavi utitur, non solùm sine fundamento sed contra efficacissimas ac insolubiles rationes traditur. Totum in eo vertitur, utrùm peccatum puræ ignorantiæ sit ratione sui imputabile, nec ne? asserit Celladeus, nos negamus. Sed inter utrosque hæc diversitas intercedit, quòd ille rationibus & auctoritatibus æquivocè, aut præposterè intellectis ad hoc probandum utatur, nos autem ex communibus principiis ab omnibus admissis nostram sententiam stabiliamus.

Inanis Celladei jactantia.

60. Præterea doctrina præsens, quàm clavem regiam appellat, talis quidem est, ut ex illa admissâ plura eorum vera esse, quæ in superioribus tradidit, quæque hic summatim infert, satis efficaciter probari possint. Verùm doctrina hæc falsa est, nec ad alia probanda, etsi illa admittantur esse vera, est necessaria. Peccata enim ignorantiæ, si sint imputabilia, ideo sunt talia, quia ignorantia ipsa fuit volita, saltem indirectè, ideoque cùm homo scienter neglexerit illam removere sicut poterat & debebat, nil mirum si & illa, & mala per illam patrata imputentur ad culpam. At præsens assertio, seu prætensa clavis regia in eo consistit, quòd ignorantia nullo modo repræsentata sit voluntaria & imputetur ad peccatum. At hoc est falsum, ut dictum est. Deinde non est necessarium ad prius probandum, ut patet. Ergò malam & incongruam, non auream aut regiam clavem adhibet Celladeus ad suas sententias comprobandas.

61. Ex his, & iis, quæ in superioribus dicta sunt, habetur clarissima responsio ad omnia & singula, quæ Celladeus in hac quæst. congessit. Ego hic peculiaria ad præsentem controversiam pertinentia explosi, sed præter hæc alia multa repetuntur, quæ in superioribus objecta fuerunt. Ad illa ergò priores responsiones applicari possunt, cùm hic nil peculiare ad eorum confirmationem afferatur.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm ignorans sit necessitatus ad peccandum? aut an habeat instantaneam libertatem non peccandi?

Status quæstionis, & sensus Celladei.

1. ERMO est de vincibiliter errante: constat enim invincibiliter erramtem non solùm non necessitari ad peccandum, sed à toto penitus excusari, si erroneum conscientiæ suæ dictamen sequatur. Quæritur ergò utrùm omnis peccans ex ignorantia habeat libertatem non peccandi in ipso instanti, in quo peccat. Hac de re Celladeus fusè agit *lib. 1. part. 2. quæst. 12.* ubi plura stabilire conatur. Inprimis rejicit eos, qui per varia signa naturæ priora & posteriora in uno eodemque temporis instanti rem hanc explicare conantur; putat enim ea signa, saltem in ordine ad libertatis exercitium, non dari. Secundò statuit, actus humanos esse posse propriè malos & bonos, quamvis necessariò fiant in instanti in quo fiunt. Tertiò demum contendit, necessitatem consequentem, seu necessitatem à voluntate ipsa inductam, non impedire propriam rationem boni & mali moralis in actibus humanis sequentibus. Ex his autem stabiliri putat primarium quoddam suum dogma, in superioribus sæpe expressum, quòd scilicèt opera mala ex ignorantia patrata sint peccata peculiarem malitiam continentia, atque ad pœnam peculiarem imputari mereantur, ac verè imputentur. Ego hac in quæstione statuam, quid de prioribus sentiendum sit, iisque stabilitis, ostendam, primarium illud Celladei dogma ex doctrinis illis nullatenus comprobari.

ASSERTIO PRIMA.

Dantur signa naturæ, priora & posteriora in uno eodemq; instanti temporis, quando voluntas libertatem suam exercet.

Statuuntur prioritas & posterioritas naturæ quo instante libertas voluntatis exercetur.

2. PROBATUR. Causa actu operans non potest non esse naturâ prior suo effectu, ordo enim prioritatis & posterioritatis in respectu causæ ad effectum & effectûs ad causam consistit. Sed voluntas actu exercens suam libertatem comparatur ad suam electionem tamquam causa actu operans ad suum effectum. Ergò voluntas liberè operans est prior naturâ exercitio propriæ libertatis. Ergò in eo ipso instanti, in quo voluntas operatur, dantur signa naturæ priora & posteriora. Nec hoc in dubium vocari potest, nisi certissima Philosophiæ asserta pro incertis habeantur.

Confirmatur.

3. Confirmatur. In eo instanti in quo voluntas liberè operatur, poterat non operari, alioquin liberè operata non fuisset. Porrò hoc in manu voluntatis positum est. At non est in manu voluntatis ut ipsamet existat vel non existat; sicut non est in potestate ejus ut electio existat, si supponatur se ad eam determinasse. Datur ergò signum naturæ in quo voluntas est potens operari & non operari; & datur signum naturæ in quo seipsam determinat ponendo operationem. At hæc signa in uno eodemque instanti temporis existunt, & unum ordine naturæ præcedit alterum. Ergò signa naturæ priora & posteriora vel maximè locum habent in voluntate liberè operante.

Replica.

4. Dices. Figmentum ingeniorum est, quòd unum indivisibile instans temporis expandatur in decem aut viginti signa naturæ, priora & posteriora, præterita & futura. Sicut enim in puncto non est hîc & ibi, supra & infra, non solùm realiter, sed neque ordine naturæ; ita pariter dicendum, quòd in instanti non sit antè & pòst, nec realiter, nec ordine naturæ. Ita Celladeus *in introductione ad quæst. 12.*

Solutio.

5. Respondeo, tot esse signa naturæ priora & posteriora in uno eodemque instanti, quot causalitates ordinatæ in illo exercentur. Si causalitates ordinatæ fuerint decem aut viginti, totidem absque dubio erunt signa naturæ: nec hoc figmentum est, sed veritas evidentissima. In puncto quidem non datur simul hîc & ibi, quia istæ sunt denominationes diversis locis realiter distinctis convenientes; & sic non datur prius & posterius tempore in uno eodemque instanti, ut patet. Verùm hoc non opponitur prioritati ac posterioritati naturæ in eodem instanti; quia istæ sunt denominationes, quæ necessariò non respiciunt diversum tempus, sed complentur per varias comparationes causæ ad affectum, & effectus ad causam pro instanti, quo causa actu operatur, ut dictum est.

Confirmatur solutio ex doctrina Celladei.

6. Sed & Celladeus ipse *in hac quæst. §. 2.* admittit Christum & Angelos beatos, qui perfecta cognitione præditi sunt, in uno eodemque instanti & considerare & deliberare ac operari posse. Ergò jam diversa signa naturæ admittit in instanti, quo illi liberè operantur. Ergò ordo ille signorum ex se nullum absurdum continet. Ergò non est, cur nostræ etiam libertati aliquando non conveniat, cui certè in ipso instanti operationis liberæ non potest non convenire. Mirandum proinde est talia de puncto hîc & alibi objici potuisse ab eo, qui in casu ab ipso admisso eadem solvere tenetur. Sed hoc familiare est Celladeo, qui proinde in hac ipsa re & inconsequenter loquutus est, & revera contradictoria tradidit.

ASSERTIO II.

Voluntas humana non habet novam libertatem pro singulis temporis instantibus.

Non quovis novo instāti nova datur libertas.

7. HÆC est communis Theologorum opinio, in qua Celladeo consentio. Ratio est, quia hominem esse adeo sibi præsentem ut in singulis instantibus considerare, deliberare, atque actum liberum nova libertate producere possit, est prærogativa limitatam ejus potestatem longè excedens. Ergò illi non convenit. Idipsum experientiâ comprobatur: qui enim aut furiâ iracundiæ in proximum insurgit, aut flammâ concupiscentiæ in coïtum abripitur, adeo fixus est in passionibus illis, ut pro singulis instantibus non sit dominus sui, nec possit pro quovis instanti retractare impetum inchoatum. Et sanè experientia ipsa adeo patenter hujus rei veritatem comprobat, ut absurdissimum videatur id in dubium revocare. Stat ergò assertio, quæ ulteriori probatione non indiget, cùm Celladeus ipse in illa nobis consentiat.

ASSERTIO III.

Quomodo bonitas & malitia actuū subinde concilietur cum aliquali necessitate?

Aliqui actus humani sunt propriè boni & mali, quamvis necessariò fiant in aliquo instanti assignabili, in quo fiunt. Propositum autem sit explicare, quomodò hoc non tollit, quò minùs actus humani boni & mali verè sint liberi.

8. PROBATUR. Voluntas non habet novam libertatem in singulis instantibus, ut proximè dictum est. Ergò assignari potest instans aliquod post inchoatum opus, in quo voluntas jam necessariò pergit in opere. Hoc videre est in exemplo iræ & concupiscentiæ. Nec tamen dubium videtur, quin ira illa, illaque fornicatio, cùm certò sint prohibitæ, atque voluntas conscia prohibitionis ad illas liberè se determinaverit.

Ratio à priori.

9. Ratio à priori est, quia voluntas una eademque libertate operatur pro tota illa particula temporis, pro qua novam libertatem non habet, nec quicquam reperire est aut in voluntate interna, aut in opere externo, quòd, durante toto illo instanti libertatis, una eademque libertate non ponatur. Totum enim æquè ac singulæ partes talis volitionis ac operationis, item totum tempus, singulæque illius partes, quibus actio absque nova libertate perseverat, ex æquo voluntati tribuuntur, & sunt verè opera illius. Nec Deus est Auctor secundæ partis magis quàm primæ, sed totum uno eodemque libertatis exercitio ex integro ponitur à voluntate, illique tribuitur. Ergò totum illud opus est peccatum, quamvis assignari possit instans, in quo opus inchoatum necessariò perseveret. Idem valet de opere bono, quod sine nova libertate, per aliquam temporis morulam necessariò perseverat, si semel liberè inchoetur.

Qualis sit prædicta necessitas?

10. Hinc apparet, doctrinam assertionis non obstare, quò minùs actus humani boni & mali, sint verè liberi, quia necessitas, de qua loquimur, est ex suppositione, quòd voluntas liberè se determinaverit ad opus, quodque pro tanta temporis morula careat libertate illud interrumpendi, atque animum retractandi. Jam quòd nos per mentem dividamus illud tempus, dicamusque, perseverantiam operis in secunda parte illius non esse liberam, sed necessariam, posito quòd voluntas liberè inchoaverit opus, non tollit quò minùs tota illa operis duratio & singulæ illius partes sint liberæ, scilicet una illa eademque libertate qua opus est positum. Hoc enim tam verum est de ultima particula illius operis, quàm de prima, ut patet. Solùm ergò negamus ultimam partem habere novam libertatem, quòd æquè negatur de prima, cùm utraque unam eandemque libertatem habeat. Præterea sicut voluntas in ipso primo instanti non est libera nova libertate ad non irascendum, ex suppositione quod irascatur, & sicut necessitas ex hac suppositione non impedit, quò minùs voluntas liberè irascatur; ita pariter necessitas secundæ partis ex suppositione primæ nec tollit nec minuit libertatem partis secundæ, quia in utroque casu ex æquo supponitur plena libertatis determinatio pro toto illo tempore, quia idem est voluntatem se determinare ad primam ac ad secundam illius partem, quia supponimus jam, quòd voluntas non nisi unam simplicem & irrevocabilem determinationem habeat pro tali temporis morula.

ASSERTIO IV.

Aliqua necessitas consequens, ab ipsa voluntate inducta, non tollit propriam rationem boni & mali moralis in actibus ex tali necessitate provenientibus.

11. PROBATUR. Necessitas operandi, seu continuandi opus, quam 2. & 3. assert. exposui, est aliqua necessitas consequens, ab ipsa voluntate inducta. At illa non tollit rationem boni & mali in actibus ex tali necessitate provenientibus, saltem pro toto illo tempore, quo voluntas novâ libertate caret, ut ostensum est. Ergò aliqua necessitas consequens à voluntate inducta non tollit propriam rationem boni & mali in actibus ex tali necessitate provenientibus. Et hactenus quidem Celladeo assentior, sed in sequentibus illi prorsùs dissentio.

Necessitas quædam cōsequens nō obest moralitati actuū.

ASSERTIO V.

Simpliciter loquendo nil est malum moraliter aut peccatum, quòd non est simpliciter liberum. Nec quidquam continet novam & peculiarem rationem mali, nisi quod à nova libertate proficiscitur.

Nil simpliciter malū moraliter nisi liberum simpliciter.

12. PROBATUR. De fide certum est, libertatem requiri ad peccandum. Ergò quod non est simpliciter liberum non est peccatum; cùm omne opus non liberum propter necessitatem ac inevitabilitatem nemini imputari possit ad culpam & pœnam. Et quidem prima pars assertionis sub terminis, ut jacet, est certa de fide. Ex illa autem stabilita probatur secunda pars. Omnis ratio mali moralis seu imputabilis essentialiter fundatur in libero voluntatis exercitio. Ergò repugnat dari novam malitiam ac imputabilitatem moralem sine novo exercitio libertatis, quia quæ necessariò consequuntur ex primo libertatis exercitio non aliam voluntarietatem ac imputabilitatem habent, quàm quæ illis à dicto

à dicto libertatis exercitio tribuitur. Atque hinc est, quod actus liber, à quo plura & majora mala necessariò consequuntur, sit deterior eo, ex quo pauciora ac minora tantùm mala proveniunt. Præterea nulla ratio libertatis convenit operibus necessariò subsequentibus, nisi quæ actui libero, à quo proveniunt, convenit. Ergò nulla imputabilitas ac malitia moralis illis convenit, nisi quæ à dicto actu libero tribuitur; quia ratio peccati ac imputabilitatis essentialiter imbibit rationem liberi, ut certum est. Hinc autem apertè sequitur, novam malitiam moralem ac imputabilitatem nec haberi nec intelligi posse sine novo libertatis exercitio: quamdiu enim novum libertatis exercitium non intervenit, quidquid mali ex priori exercitio necessariò sequitur, aliam imputabilitatem non habet, quàm quæ actui libero, à quo procedit, convenit, ut ostensum est.

Nullibi nova imputabilitas sine novæ libertatis exercitio.

13. Hinc habemus dogma illud Celladei, quòd opera ex ignorantia invincibili patrata, quodque opera ex necessitate à voluntate inducta provenientia, peculiarem malitiam ac imputabilitatem contineant, esse falsissimum; quia ubi non est nova libertas, non est nova imputabilitas. Sed falsitas doctrinæ ipsius ex objectionum solutione patebit; ex qua etiam solutio quæstionis propositæ innotescet, qualiter scilicet, & in quo sensu verum sit, quòd omnis peccans ex ignorantia necessariò peccet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

14. OBJICIT primò. Qui ex ignorantia peccat, non cognoscit se peccare. Ergò qui peccat ex ignorantia, tunc actu non habet libertatem moralem non peccandi, qua scilicet actum vitare possit ut malum, quidquid sit an physicè possit illum actum vitare. Præterea qui vincibiliter credit malum esse bonum obligatorium, non videtur habere potentiam physicam non peccandi. Nam vel debet agere juxta vel contra conscientiam. Neque enim medium dari potest. At si agat contra conscientiam, peccat peccato malitiæ. Si agat juxta conscientiam, peccat contra legem ex ignorantia. Ergò necessariò peccat qui ex tali ignorantia peccat. Ita Celladeus §. 1.

Solutio.

15. Respondeo cum Divo Thoma *quæst. 17. de veritate art. 4.* quòd, quando conscientia erronea dictans malum esse bonum, semper aliquid fit in ratione naturali, unde possit procedi in contrarium ejus, quod erronea conscientia dictat. Certè suspendi poterat judicium illud erroneum; in quo casu processus fieri potuisset ad credendum illud esse faciendum, quod lex præscribit; & tunc nulla fuisset perplexitas aut necessitas peccandi, ut patet. Hæc doctrina coincidit cum ea, quam Auctores communiter tradunt 1. 2. scilicet sectantem conscientiam erroneam necessariò peccare, quidquid fecerit. Hoc tamen in eo tantùm sensu accipiunt, quòd quamvis homo sit simpliciter liber ad non peccandum, positâ tamen conscientiâ erroneâ non possit non peccare. Dicunt hominem esse etiam tunc simpliciter liberum, quia simpliciter loquendo potest conscientiam vincibiliter erroneam deponere, eaque depositâ omne peccatum vitare. Sed ex suppositione quòd conscientia erronea actu existat, tunc necessitatur quidem ad actum malum & peccatum; sed cum hâc diversitate, quòd si operetur contra conscientiam obligantem, peccet peccato imputabili ratione sui, utpote quod continet malitiam ab aliorum peccatorum malitiâ distinctam; si verò sequatur conscientiam erroneam, peccet peccato non habente malitiam peculiarem secum identificatam, opusque illius afficitur malitiâ negligentiæ, à quâ conscientia illa erronea ortum habuit.

16. Idem à fortiori locum habet, quando conscientia erronea dictat malum esse bonum præceptum, maximè si hîc & nunc non habeat homo unde conscientiam illam deponat. Ratio est, quia tunc homo imputabiliter peccaret, quidquid faceret, & sic absque libertate peccaret peccato ratione sui imputabili, quod est absurdum, principiisque fidei repugnat. At nec absurdum est, nec contra fidem, quod factâ suppositione aliquâ necessariò peccet, si ex una tantùm parte immineat peccatum imputabile ratione sui, quod vitari potest ac debet, etiam facta illa suppositione. Universaliter enim verum est, peccatum puræ ignorantiæ nullam habere posse imputabilitatem ratione sui, quia si iidem illi actus eliciti fuissent absque eo, quòd negligentia culpabilis præcessisset, evidens est, quod ad culpam imputari non possent, quia malitia operis nullo modo, ne quidem indirectè, illis voluntaria fuisset. Ergò actus illi non sunt intrinsecè imputabiles. Ergò totam suam imputabilitatem ab alio participant. At non aliundè quàm à culpabili negligentia, in qua malitia operis illis voluntaria erat. Hâc & non aliâ ratione verum est, quod omnis peccans peccato puræ ignorantiæ necessariò peccet.

17. Objicit secundò. Sicut de fide est, libertatem necessariam esse ad peccandum, ita de fide est dari peccata ignorantiæ. At qui peccat ignoranter, utique non advertit se peccare, alioquin non ignoranter sed advertenter peccaret. Sed peccatum ignorantiæ est verum peccatum, & ex necessitate fit. Ergò aliquod peccatum fit sine libertate. Objectio.

18. Respondeo, peccatum ignorantiæ esse propriè peccatum & abominabile Deo, hominemque propter illud esse propriè vituperabilem. Sed hoc non probat, peccatum illud habere propriam imputabilitatem, sed solùm verè participare eandem cum peccato negligentiæ, à quâ error processit; sicut homicidium externum non habet peculiarem imputabilitatem distinctum ab imputabilitate actûs interni imperantis homicidium externum. Verùm tamen est peccatum, quia à tota malitia actûs interni afficitur ac inficitur. Itaque quamvis certum sit, dari peccata ignorantiæ, & illa facta aliqua suppositione non esse evitabilia nisi per aliud peccatum, id non repugnat certissimo fidei dogmati, quod libertas ad peccatum requiratur; tum quia, simpliciter loquendo, omne peccatum vitari poterat, si error suspensus fuisset; tum quia licèt ex suppositione erroris homo necessariò peccet, liberè tamen peccat peccato imputabili ratione sui, de quo genere peccati dogma illud fidei intelligitur, saltem quando loquimur in dicta suppositione. Non enim est absurdum hominem facta aliqua suppositione, quam ipsemet induxit, necessariò peccare peccato imputabili vel ratione sui, vel solùm ratione alterius, ut dictum est. Solutio.

19. Objicit tertiò. Necessitas consequens non impedit propriam rationem boni & mali in actibus humanis sequentibus. Nomine autem necessitatis consequentis non intelligitur ea solùm, quâ actus liber ex suppositione quod est necessariò est, Objectio.

est, quia hæc necessitas nullatenus opponitur plenissimæ libertati, cùm nullam necessitatem antecedentem inducat. Intelligitur ergò omnis necessitas, quam ipsi nos inducimus, quamvis illa sit antecedens respectu actûs sequentis, qui proinde absque immediatâ libertate & indifferentiâ ponitur. Nec refert, quòd necessitas ponatur in uno instanti, & actus sequatur in alio. Totum hoc multipliciter probatur. Inprimis hæresis est peccatum. At hæresis necessariò consequitur ex imperio voluntatis. Ergò hæc necessitas consequens non tollit rationem peccati. Similiter furtum, adulterium, & alii ejusmodi actus externi sunt propriè peccata & mala. Nec de hoc, inquit Valentia *disp. 5. quæst. 15. puncto 1.* ullum esse potest dubium; immò refert ex Ariminensi, quod etiam S. Bernardus subindicat *Epist. 188.* inter alios errores Petri Abailardi ab Ecclesiâ damnatos unum fuisse, quòd actus exterior non sit bonus, vel malus. Atqui actus isti exteriores immediatè liberi non sunt, sed necessariò consequuntur ex imperio voluntatis, per necessitatem scilicet ab ipsa voluntate inductam. Ergò necessitas ejusmodi consequens non tollit rationem peccati.

Urgetur. 20. Similiter non obstat, quòd necessitas inducta sit in uno instanti, & effectus sequatur in alio; nam voluntas ex suppositione quod se determinaverit in uno instanti, non potest immediatè ab actu illo desistere, ut communis Theologorum opinio tradit. Et tamen qui fratrem odit, aut uxorem proximi vehementer cõcupiscit, toto tempore odii & concupiscentiæ peccat, & quidem quò majori ac diuturnori passioni indulget, eò graviùs peccat, quamvis quò passio est vehementior eò libertas sit minor. Rursus multi docent voluntatem quoad actus suos liberam esse, eosque in instanti indifferentiæ elicere; secùs quoad actus exteriores, sed solùm in hoc instanti pro sequenti. Quare voluntas furandi est in hoc instanti, furtum autem necessariò sequitur in sequenti instanti. Et tamen furtum est peccatum. Demùm peccata ignorantiæ sunt vera peccata, & & tamen constat, plura eorum in alio instanti necessariò consequi, etiam absque libertate physicâ pro illo instanti. Certè hæretici, maximè obstinatiores, non possunt in instanti converti & Catholici fieri, deponendo omnes suos errores & mores; & tamen peccant in moribus illis. Quid, quod multis illorum errores nonnulli videntur evidentes; evidentia autem apparens non minùs necessitat ad assensum, quàm evidentia vera. Ergò tales hæretici falsis suis evidentiis necessitantur ad suos assensus hæreticos. Quin hisce evidentiis apparentibus nequiores & pertinaciores evadunt, quàm qui tales evidentias non habent. Ecce Hæretici ejusmodi in instanti assensûs necessitantur ad errorem, & tamen peccant, immò eò graviùs peccant, quò suis erroribus fortiùs adhærent. Ita Celladeus §. 3. & 4.

Responsio. 21. Respondeo, hæc omnia, etsi admittantur ut jacent, nil facere contra benignam sententiam, aut communi optimorum Theologorum de malitiâ humanorum actuum opinioni repugnare. Minimè autem probant, quod peccata ignorantiæ, aut alia sine novâ libertate patrata, contineant malitiam peculiarem, distinctam à malitiâ actuum liberorum, per quos necessitas illa inducta fuit. Et tamen Celladeus omnia ista ad hoc potissimè probandum accumulavit. Sed aliquid ad singula dicamus.

Nullibi malitia peculiaris sine nova libertate.

22. Inprimis hæresis, & alia ejusmodi, furtum, homicidium, sunt verissima peccata; constat tamen ea diversam malitiam moralem non habere, ut Celladeus ex Vasquio *1. 2. disp. 73. cap. 1.* fatetur. At hoc stante habetur quod intendimus, scilicet opera externa, & peccata puræ ignorantiæ non habere peculiarem imputabilitatem & malitiam moralem, sed unam eandemque cum operatione libera à qua inducti sunt. Jam parum refert ad nostrum intentum, utrùm ex malitia sit primariò in actu externo vel interno; quodcumque enim dicatur, fixum manet diversas malitias morales & imputabilitates non reperiri, quod solùm hîc & nunc probare intendimus. Cæterùm quamvis peccata ista necessariò consequantur, posito actu interno, à quo imperantur; illa tamen unam eandemque libertatem habent cum actu interno imperante, & sic mirum non est, quòd unam etiam eandemque malitiam moralem cum illo participent. Quod si necessitas inducta, non participet eandem libertatem cum actu imperante, sed ita maneat, ut non ampliùs subsit libertati nostræ, multi negant illam aut omissiones ab illâ necessariò consequentes esse propriè peccata, quia debitâ libertate carent; unde dicenda quidem sunt effectus peccati, non autem peccatum, ut fusè tradit Vasquez *loco citato*.

Peccata externa malitiam moralem nõ habent distinctam ab internis.

23. Quod si necessitas inducta sit in uno instanti, & opus in alio sequatur, videndum est, utrùm secundum instans necessitatis in opere involvatur in morula illa temporis, in qua voluntas novam libertatem non habet. Si involvatur in illa morula, tunc eandem prorsùs libertatem habet cum ipso actu voluntatis: si autem in illa non involvatur, sed ita maneat illa transacta, ut nec à primo nec à secundo exercitio libertatis dependeat, tale opus potiùs dicendum erit effectus peccati, quàm peccatum; sed de hoc modo loquendi non sum sollicitus, quamdiu constat, novam imputabilitatem ac malitiam moralem absque novâ libertate non intervenire.

24. Similiter admitto eum graviùs peccare, qui vehementiori ac diuturniori odio aut concupiscentiâ urgetur. Ratio est, quia tempore illo durante plura libertatis exercitia interveniunt, unde haud dubiè magis peccat extensivè, quàm si non tamdiu in illo affectu mansisset. At si loquamur de una eademque morula seu instanti libertatis, non peccat graviùs, qui totam morulam implet, quàm in primo ejusdem instanti peccaverat, quia in eo totam suam libertatem explevit, propter quam quidquid necessariò sequitur, illi æquè imputatur, sive juxta naturæ cursum tota morula impleatur, sive Deus efficiat, ut in medio talis morulæ moriatur, aut inchoatam passionem usque ad finem morulæ illius non extrahat.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXAGESIMA-SEPTIMA.

An taxari possit quantitas diligentiæ necessariæ ut ignorantia sit invincibilis?

Sensus Celladei.

1. MATERIAM hanc Celladeus fusè pertractat *lib. 1. Partis 2. quæst. 13.* ubi ante omnia quodammodò jactat, se in hac quæstione omnibus, qui Deo sincero corde non serviunt, mirè displiciturum; eò quòd (aureâ scilicet illâ suâ clavi) ostensurus sit, alios omnes plurimis peccatis occultis onustos esse, qui tamen citra talium peccatorum sollicitudinem suo modo vivere vellent, simulque justitiæ præsentis gloriæque futuræ certitudinem habere. Deinde duo statuit: primum, nullam regulam tradi posse, per quam absolutè sciamus quanta diligentia requiratur, ut ignorantia sit invincibilis & excuset: secundum, plures regulas reflexas assignari posse, non certas, sed probabiles & plerumque non errantes, quibus uti possumus ad discernendum, an debitam diligentiam præmiserimus. Inter reliquas autem singulariter proponit duas: altera est sollicitudo & diligentia, quam Sancti adhibuerunt: altera est doctrina, quam de diligentia adhibenda Sancti & libri spirituales proponunt. Et hanc quidem taxam absolutè defendit esse nec nimis strictam nec laxam nimis, sed ex omnibus maximè accedentem ad ipsam veritatem. Hæc ille quidem, in quibus tradendis tam irresolutè procedit, & in re non usqueadeo difficili tanta rerum confusione & indistinctione utitur, ut mirum sit, Theologum ingeniosum post tanta molimina quæstioni propositæ tam incongruè satisfecisse. Ego ante omnia Celladei defectûs detegam, tum, quid ad quæstionem respondendum sit, breviter aperiam.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1. Celladei notatur inconsequentiæ.

Celladeus per hoc, quod hîc tradit de impossibilitate taxandi quantitatem diligentiæ requisitæ ut ignorantia sit invincibilis, prorsùs evertit quidquid in prima parte de regula debitè formandi conscientiam in rebus probabilibus statuerat.

2. PROBATUR. Regula, quam pro formanda conscientia in incertis Celladeus in prima parte proponit est, quòd opinio positivè probabilis sufficiat, sed cum onere, ut operaturus benè videat, an opinio illa hîc & nunc à veritate deficiat. Hinc sic arguo. Onus hoc est obligatio adhibendi debitam diligentiam, ne erremus. Atqui hîc expressè docet, neminem posse esse certum, se debitam diligentiam adhibuisse. Ergò nemo potest certificari, se onus illud implevisse, quod subeundum est, ut tutò sequi possit opinionem probabilem. Ergò regula, quam proposuit, neminem regulare potest, quia nemo scire potest an eam sequatur nec ne. Ergò regula illa prorsùs inutilis est, si verum sit, quod hîc tradit. Ergò doctrina ista penitus evertit quod in prima parte de modo debitè formandi conscientiam in incertis proposuerat.

ASSERTIO II.

Regula reflexa, quàm Celladeus proponit, certò falsa est, si universaliter sumatur prout ab ipso ponitur. Præterea eadem, juxta ipsius principia, inutilis est, & neminem regulare potest. Assertio 2. Celladeo contraria.

3. PROBATUR prima pars assertionis. Certum est plures debitam diligentiam adhibere, qui tamen tantam non adhibent, quantam Sancti adhibuerunt ad sciendam Dei legem. Ergò dicere, diligentiam à Sanctis adhibitam esse regulam infra quam debita diligentia non invenitur, est certò falsum. Probatur antecedens. Rudes, rustici, pueri, aliique incapaces adhibent diligentiam debitam; plures enim illorum à manifestis vitiis abstinent, catecheses & conciones, quibus instruantur, frequentant, nec pigri sunt in legendis aut audiendis libris doctrinalibus eorum statui convenientibus, insuper in dubiis suos Pastores ac Confessarios consulunt. Hi profectò, aut certè complures eorum, diligentiam debitam adhibent, nec ignorantia legum talibus in peccatum imputari potest, quia plus ab illis exigere, est onus legis insupportabile reddere. Et sanè, dicere neminem ex istis debitam diligentiam adhibere, sed omnes ex defectu diligentiæ ignoranter peccare, adeo absonum est, Deique bonitati adeo repugnans, ut citra ingentem temeritatem sustineri nequeat. At nemo istorum ad diligentiam Sanctorum, qui continuis orationibus & non interrupto studio legem Dei requirunt, pertingit. Ergò ponere diligentiam Sanctorum pro regula omnibus imposita, est mensuram certò falsam & exorbitantem proponere. Diligentia Sanctorum minùs rectè assignatur pro regula ad ignorantiam invincibilem dignoscendã.

4. Probatur 2. à priori. Lex omnibus imposita est, ut debitam diligentiam adhibeant. At lex ista omnibus diligentiam maximæ Sanctorum diligentiæ parem non præscribit; eo ipso enim esset lex mala & inutilis, finique legis repugnaret, quia esset onus intolerabile à Communitate, quæ certè moraliter impotens est ad talem legem custodiendam. Præterea repugnat legem condi à Deo pro Communitate, quæ à nemine mediocri- Obligatio prædictæ diligẽtiæ esset onus intolerabile.

ter,

ter; & juxta vires ac statum suum conante observari potest. At lex ista esset talis, quia nemo eam servaret nisi ultra mediocritatem summo conatu Sanctissimorum conatibus pari eam servare satageret; si enim cum minori conatu servaretur, utique talis lex excellentem illum conatum non præscriberet. Ergò repugnat talem legem à Deo condi pro hominibus, quibus juxta figmentum & vires illorum leges suas constituit. Ergò lex universaliter obligans omnes ad debitam diligentiam non præscribit diligentiam Sanctorum diligentiæ parem.

5. Probatur 3. Inter homines, pro quibus lex debitam diligentiam præscribens est condita, sunt varii gradus, ac ordines. Quidam sunt hebetes & vix sui compotes; alii ad quævis percipienda capacissimi. Non omnes esse possunt Doctores, sed quidam sunt Majores qui alios instruere debent, alii Minores à Majoribus instruendi. Hi nullum officium aut obligationem habent non omnibus communem. Illi ultra communes peculiaribus obligationibus urgentur. Quæ ad unos pertinent facilè sciuntur; quæ alios concernunt, non nisi magno labore comprehendi possunt. Ergò evidens est non omnes ad parem diligentiam obligari, sed minorem ab his, ab illis majorem exigi; unis mediocrem sufficere, cùm aliis sedula ac valde magna vix sufficiat. Ergò certò errat Celladeus, qui omnibus parem, eamque summam diligentiam ut necessariam præscribit, nempè illam, quam sanctissimi quique suo exemplo nobis imitandam reliquêre.

Non omnes ad parem obligātur diligentiam.

6. Probatur secunda pars. Regula hæc reflexa juxta Celladei principia, nil certi ac determinati continet, in quo mens figi possit. Nam inter ipsos Sanctos sicut virtutis omnis sic etiam diligentiæ adhibitæ magna fuit diversitas. Præterea ex ipsis sanctissimis ac diligentissimis non omnes, ut expressè concedit, suæ obligationi satisfecerunt; sed aliqui in multis, aliqui in paucioribus ex ignorantia peccarunt. Nec ipsum S. Petrum à peccato ignorantiæ immunem facit. Unde ergò constat nobis, quæ illorum diligentia sufficiens dicenda sit, ut illam pro regula habeamus? Jam si Apostoli ipsi, haud dubiè diligentissimi, omni suo conatu non obstante, in peccata ignorantiæ inciderunt, quid dicendum de aliis Sanctis, qui longè minorem sollicitudinem ac scientiam habuerunt? Sufficiétne nobis illos imitari, quos nisi superaverimus, in plurima ignorantiæ peccata labemur. Qualem regulam, quàm indeterminatam, quàm insufficientem nobis proponis Celladee? Nempè regulam, quam nemo discernere potest, & qui eam discerneret, eamque sectaretur, adhuc in plurimis deficeret.

Futilis Celladei regula.

7. Præterea est aliud, quod hujus regulæ sufficientiæ, etiam juxta Celladei principia, obstat. Vult ille, & expressè quidem docet, regulam hanc neminem dirigere posse, nisi per particularem propositionem applicetur. Regula est ista. *Diligentia quam Sancti adhibuerunt est sufficiens.* Hæc regula neminem dirigit nisi per particularem propositionem applicetur, qua regulandus dicat. *Sed ego adhibui diligentiam Sanctorum diligentiæ parem, tam in veritate investiganda, quàm in Deo orando, quàm conscientiam emundando, & omnia impedimenta removendo.* Unde inferatur hæc conclusio, per quam proximè dirigitur & quiescit. *Ergò ego diligentiam sufficientem adhibui.* Jam regula ipsa, Celladeo fatente, sæpe deficit; nec quisquam scire potest, an hîc & nunc dificiat nec ne, sicut neque an sufficientem diligentiam adhibuerit advidendum utrùm dificiat. Præterea, quis in minoris applicatione potest confidenter dicere, ego diligentiam Sanctorum diligentiæ parem adhibui? Nemo certè nisi superbissimus homo, qui eo ipso, quòd hoc diceret, ostenderet se talem diligentiam, quæ in omnium virtutum, maximè in humilitate cordis, & submissa de se suisque operibus persuasione consistit, non adhibuisse. Porro omnia hæc in Celladei principiis vera sunt, quia omnia hæc per ipsum involvuntur in debita diligentia. Ergò reflexa regula, quam proponit, talis est, ut etiam juxta illius principia neminem regulare possit. Frustra ergò in ea assignanda laboravit.

Frustra laborat Celladeus.

ASSERTIO III.

Facilè est proponere in genere mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia censeatur invincibilis.

Assertio 3.

8. PROBATUR exponendo varias expressiones haud dubiè sufficientes. Inprimis illa ignorantia est invincibilis, quæ aut non potuit, aut non debuit à nobis superari. Impotentia absolutissimè reddit ignorantiam insuperabilem, ut patet. Negatio obligationis illam removendi eandem reddit inimputabilem, quam non immeritò invincibilem & insuperabilem nominamus, tum quia æquè excusat ac illa, quæ est absolutè insuperabilis, tum quia de illa verissimè dicitur, quòd debita diligentia superari non potuit, quamvis per diligentiam non debitam simpliciter fuerit superabilis. Jam prima insuperabilitas sufficit, ut ignorantia sit invincibilis. Hæc generica expressio est quidem vera, sed parum utilis in particulari ut conscientiæ formandæ subserviat, quia sæpe difficillimum est scire, quòd talis ignorantia aut nullo modo aut debitâ diligentiâ superari non potuerit. Nihilominus pro rudibus gubernandis inservire poterit, quia de illorum ignorantia sæpe dicere possumus quòd illa aut omnino aut debitâ diligentiâ superari haud potuerit. Attentis enim circumstantiis personæ, negotii & sedulitatis impensæ, sæpe non est difficile discernere, quòd talis persona aut non potuerit, aut non debuerit plus facere, quàm fecit. Hæc explicatio conformis est S. Thomæ 1. 2. *quæst. 76. art. 2.* & fusè traditur à Valentia *disp. 6. quæst. 6. puncto 1.*

Regula, frustra à Celladeo tentata, assignatur.

9. Vasquez *disp. 124.* dicit, illam ignorantiam legis esse invincibilem, cujus nulla notitia, nec ratio dubitandi aut in specie aut in genere occurrit. Similia habet Sanchez *cap. 17. num. 21.* tradit enim, eam ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivionem sive juris sive facti, dicendam esse invincibilem, cujus nulla notitia nec specialis, nec confusa, nec ulla ratio dubitandi in universum aut peculiariter occurrit. Ratio est, quia ignorantia ejusmodi nec est, nec esse potuit libera & voluntaria iis, qui de illa nec directè nec indirectè umquam cogitarunt, aut ullam suspicionem habuerunt, quia liberum ac voluntarium non est, quod ex cognitione non procedit. Ergò talis ignorantia non potest esse imputabilis. Præterea defuit principium per quod talis ignorantia humano modo expelli potuit. Ergò illa verè est invincibilis & insuperabilis humano modo & per conatum humanum. Similiter satis per se constat, quòd talis ignorantia aut non potuit aut non debuit superari. Ergò est invincibilis.

10. Dices, illa particula *in universum*, sicut & illa

Replica Celladei.

& illa *notitia confusa*, multiplicem sensum habere potest, adeo ut in praxi nescire possimus, quæ ignorantia in confuso sit, quæ non sit nota. Præterea isti modi dicendi explicant rem non per debitum & jus, sed per factum; considerant enim an notitia aliqua occurrerit, & ex hoc pronunciant, cùm tamen aliqua ex culpabili negligentia, aut etiam ex pravitate provenirent ne notitia distincta aut confusa occurrat. Quo in casu ignorantia non excusat. Sic beneficiatus, qui ludo aut amoribus ita implicatur, ut obliviscatur horas recitare, non excusatur, sed peccat. Non ergò per factum, sed per debitum res est exponenda, saltem per factum solùm explicari non potest; alioquin quò homines deteriores ac pigriores essent, eò redderentur magis excusabiles. Ita Celladeus *quæst. 13. §. 1.* qui nonnulla etiam alia objicit, quæ omittenda esse censeo, quia parum aut nihil urgent, si in terminis regulam exprimentibus maneamus.

Solutio.

11. Respondeo particulas illas habere sensum præcisum ac fixum, cùm excludant omnem apprehensionem & suspicionem aut dubium de re tali tam in specie quàm in genere, sicut & omnem cognitionem tam confusam quàm distinctam. Nil autem confusionis aut indistinctionis, relinquitur in tali expressione, ut patet. Jam utrùm ista notitia praxi deserviat, non quæritur in præsenti: solùm enim dicimus, hanc expressionem genericè sumptam esse veram. Sed haud dubiè eadem in multis casibus praxi deservit, maximè in rebus facti, sicut & in præceptis & jussionibus recenter editis. Neque inutilis est ad discernendum, an multæ aliæ juris ignorantiæ sint invincibiles. Sed de particulari applicatione hujus regulæ non est nostrum disputare in præsenti.

12. Cæterùm, sicut ille, non potest esse reus parricidii, qui ponit opus verè illativum parricidii, de quo nullam habuit suspicionem, aut dubium, nullamque notitiam, ne quidem confusam, quòd mors aut periculum mortis paternæ à tali actione immineret, maximè si nullam habuerit suspicionem de obligatione vitandi actionem illam, ob periculum alicujus mali per illam inferendi, ut suprà dictum est ex S. Thoma; ita pariter dicendum est, ignorantiam nec voluntariam, nec homini imputabilem esse, quando nulla de illa suspicio aut ratio dubitandi nec in specie nec in genere occurrit. Certè si ea, quæ Vasquez & Sanchez requirunt, illi conveniant, non est unde voluntaria, vincibilis ac imputabilis esse queat.

13 Jam quòd Auctores isti rem explicent per factum & non per debitum & jus; non vitio, sed laudi verti debet; longè enim congruentius est, istiusmodi difficultates explicari per factum quod in indivisibili consistit, & ex æquo omnibus convenit, quàm per debitum & jus, quod non est idem respectu omnium, sed magnam latitudinem subit. Præterea factum hoc tale est, ut ex illo rectè inferatur, debitum ac jus immò & potentiam, amovendi ignorantiam abfuisse. Tale autem factum æquivalet juri in ordine ad præsentem quæstionem, ut patet. Ergò ex hoc capite malè rejicitur hæc explicatio. Jam quod objicitur de ignorantia & incogitantia per negligentiam culpabilem aut per malitiam inducta, aut non est ad rem, aut in nullo obstat præsenti doctrinæ. Non est ad rem, si negligentia illa aut malitia orta sit à cognitione saltem confusa, aut à suspicione obligationis de ignorantia vitanda, &c. quia tunc non sumus in terminis assertionis, talis enim ignorantia aut crassa est aut affectata, ut patet; quod si malitia aut negligentia illa ratione hujus ignorantiæ aut incogitantiæ prohibita non fuerit, utique ignorantia illa inculpabilis erit, censerique debet naturalis, non minùs quàm si ab actione non mala processisset. Quia ex æquo non erat in potestate hominis illam vitare, ut videre est in exemplo parricidii ex S. Thoma sæpiùs ponderato.

A scopo quæstionis aberrat Celladei objectio.

14. Cæterùm, exemplum de non recitante horas canonicas propter oblivionem ab amoribus impudicis inductam, nil facit ad præsentem quæstionem, quia talis homo moraliter loquendo non potest non aliquo modo reflectere ad suam obligationem. Sed si contendas, aut potiùs supponas, eum ita ad illam non reflectere, ut nec in genere, nec in specie, nec distinctè, nec confusè de illa cogitaverit, sed habuerit animum eas recitandi, nec præviderit periculum incogitantiam illam incurrendi, &c. dicendum est, eam incogitantiam hîc & nunc naturalem esse ac necessariam, non liberam & humanam, ideoque verè esse invincibilem ac inimputabilem, sicut est parricidium in casu à S. Thoma, & à nobis supra sæpiùs expresso. Nec refert quòd occasio talis incogitantiæ fuerit opus malum, quia hoc non magis influit in voluntarietatem talis ignorantiæ, quàm si illa ab opere bono inducta fuisset, ut videre est in exemplo allato. Et Suarez *disp. 4. de Censuris, sect. 8. nu. 13.* expresè dicit, nil conducere ad rem præsentem quòd opera detur rei licitæ vel illicitæ, illudque ex Sacris Canonibus probat. Quod minùs placet in hac explicatione est, quòd illa omnem ignorantiam invincibilem non complectatur; non enim eam comprehendit, quæ menti occurrit, sed per debitam diligentiam amoveri non potuit. Verùm hoc sufficientiæ hujùs regulæ non obstat, utpotè quæ non traditur ut universalissima, sed expresè alligatur ad eas ignorantias, de quibus nulla ne quidem confusa notitia, dubium aut suspicio menti objecta fuit.

15. Suarez *disp. 4. de Censuris sect. 8.* præclarè agit de invincibilitate ignorantiæ tam juris quàm facti, ubi *num. 16.* hæc habet. *Certa ergò, & moralis in hoc negotio sumenda est diligentia adhibita, vel omissa, ad cognoscendum præceptum, & jus ad unumquemque pertinens.* Si enim quis sufficientem diligentiam adhibeat, & tamen ignoret jus ad ipsum spectans, illa ignorantia erit invincibilis. Si autem negligens fuerit, ignorantia erit culpabilis & vincibilis. Doctrinam hanc satis expresè traditam habemus *in cap. Si culpa, de injuriis*, ubi dicitur te obligari, si *quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.* Et paulò post. *Secus tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit.* Quamvis in isto textu potiùs sit sermo de ignorantia facti quàm juris. Sed eadem est ratio de ignorantia juris ejusque excusabilitate, dummodo homo ex æquo proportionaliter diligens sit aut negligens ad eam amoliendam. Unde sic concludit, *num. 17. Regula utriusque erit diligentia sufficiens. De qua diligentia vix aliquid potest generaliter dici, sed prudenti arbitrio relinquenda est, pensatis omnibus quæ ad tale præceptum, vel ministerium pertinent.* Hæc sapientissimè Suarez. Porrò ex his constat veritas assertionis positæ, scilicet, quòd satis facile sit exponere in genere mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia sit invincibilis. Nec desunt aliæ similes regulæ idipsum dignoscendi apud alios Auctores, sed illas omitto, cùm istæ ad intentum abundè sufficiant.

Quæ ignorātia invincibilis, quæ vincibilis?

16. Dices. Hæc explicatio duabus de causis Objectio.

est

est insufficiens: Primò, quia nil tradit per quod in particulari scire possimus, an diligentia præmissa sit sufficiens. Secundò, quia remittit ad prudentes, quæ remissio est valdè incerta, cùm nesciatur, quinam determinatè sint hi prudentes. Præterea per hunc recursum nil determinari potest de ullâ particulari ignorantiâ hujus personæ, ad hoc enim duæ præmissæ necessariæ sunt, per quarum alteram universaliter statuatur quantum quisque facere teneatur: per alteram particulariter determinetur, hunc hominem tantum fecisse. Hæc particularis præmissa ex libris haberi nequit: ergò in praxi alicujus judicio relinquenda est. Præterea hæc particularis præmissa nil juvat sine alterâ universali cujus determinatio ad Doctores propriè pertinet. At illi non audent eam assignare, sed & majorem & minorem & totum negotium aliis minùs sufficientibus sæpè determinandum relinquunt. At hi quantitatem diligentiæ requisitæ minùs taxare poterunt. Cur ergò ad hos remittimur? Certè nemo per talem recursum certus esse potest, se ea præstitisse, quæ Doctores in genere tradunt præmitti debere, ut ignorantia censeatur invincibilis. Ita Celladeus §. 1.

Responsio. 17. Respondeo, nos jam solùm quærere in genere, quænam ignorantia censenda sit invincibilis: in sequenti autem assertione ostendam cum Suarez, quomodò hæc regula sufficiat pro praxi ad determinandum, quæ ignorantia habenda sit invincibilis. Quod autem tandem remittat ad sapientes, prudentissimè fit, cùm in multis casibus aliter determinari non possit, an hæc vel illa ignorantia particularis habenda sit invincibilis, nec ne. Nec verum est, prudentes istos discerni non posse, cùm oppositum efficaciter stabilitum sit contra Celladeum *quæst. 24.* Atque hinc secunda pars argumenti solvitur. Scitur enim quinam sint prudentes, & scitur etiam quid interrogati responderint. Ergò scitur, quòd homo fecerit omnia, quæ Doctores requirunt, ut ignorantia sit invincibilis. Nec obstat, syllogismum allatum adhibendum esse, nam minor illa particularis evidenter scitur esse conformis menti Doctorum, qui dicunt, sufficere pro rudibus, si in suis dubiis Confessarios suos consulant, maximè si illi sint viri præstantis famæ tam pro doctrinâ quàm pro probitate. Similiter Major certò scitur esse qualis à Doctoribus præscribitur. Nam sæpe omnia adsunt, per quæ explicant sufficientiam diligentiæ requisitæ. Aliquando in casibus particularibus solùm dicunt, eam diligentiam censendam esse sufficientem, quam prudentes talem esse determinant. Nec obstat, hos prudentes esse aliquando imperitiores Doctoribus, qui ad illos remittunt, quia adhuc certum est, nos fundari in eorum auctoritate, quando dictis minùs doctorum stamus; ideo enim illorum dictis stamus, quia peritissimi quique id sufficere asserunt. Falsum ergò est, totum remitti minùs doctis, maximè si sermo sit de motivo in quo fundantur illi, qui regulâ Doctorum utuntur, quamvis immediatè ad eos remittamur pro casibus, in quibus aliter instrui non possumus. Sed tunc hæc remissio in eo fundatur, quòd auctoritas talium sciatur sufficere ad intentum; quamvis hæc scientia sit solùm apud Doctores, nam alii rudes, qui ad Doctorum illorum dicta attendunt, non aliter id sciunt, aut credunt, quàm per illorum auctoritatem, ut patet.

ASSERTIO IV.

Assertio 4.

Difficillimum est, & quodammodo impossibile, certò determinare in particulari sufficientem & necessariam mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia sit invincibilis. Propositum autem sit exponere regulas aliquas, quibus ad hoc quàm proximè determinandum adjuvemur.

18. PROBATUR assertio. Diligentia, quam adhibere possumus, non consistit in indivisibili; aliqua enim est patenter maxima & plus quàm sufficiens, alia est exigua & manifestè insufficiens. Jam ex iis, quæ mediant inter ista extrema, aliquæ sufficiunt, aliquæ non sufficiunt; & quia paulatim & per incrementa insensibilia descenditur à sufficienti ad insufficientem, & ab insufficienti ascenditur ad sufficientem, difficillimum est, & nobis impossibile exactè determinare minimam mensuram diligentiæ sufficientis, infra quam omnis diligentia est insufficiens; seu maximam mensuram diligentiæ insufficientis, supra quam omnis alia est sufficiens. Hæc difficultas communis est omnibus rebus, quæ à parvo ad magnum per incrementa insensibilia ascendunt, aut eodem modo à magno ad parvum descendunt; nemo enim certò discernere potest ultimum illud, in quo fit transitus à maximo parvorum ad minimum magnorum, ut videre est in materia furti, aliisque similibus; nemo enim certò dicere potest, tot præcisè obolos esse materiam gravem, omnemque quantitatem minorem esse materiam levem. Hoc tamen non obstante, regulæ quædam probabiles traduntur, quibus parvum & magnum discernuntur in furto; idem etiam fit in casu nostro, ut ex sequentibus constabit.

Aliqualis Explicatio diligentiæ requisitæ ad ignorantiam invincibilem.

19. Inprimis ergò ad determinandum in particulari, utrùm ignorantia sit invincibilis, seu utrùm diligentia sufficiens adhibita fuerit, utiles sunt duæ regulæ, seu duo documenta, quæ Suarez subjungit doctrinæ generali paulò antè ex ipso recensitæ. *Primum est* (utor ipsis Suarii verbis, quia nec efficacioribus nec brevioribus res tanta explicari potest) *considerare, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio aliqua de hujusmodi obligatione, vel aliquid aliud simile, quo possit homo excitari ad inquirendam scientiam talis præcepti: nam si nil ejusmodi aliquando menti occurrit, signum sufficiens est invincibilis ignorantiæ. Hoc enim signo etiam intelligimus, oblivionem, seu inconsiderationem aliquam naturalem esse & inculpabilem. Ratio autem naturalis est, quia non potest homo sese applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum, nisi præcedat cogitatio aliqua, quâ possit voluntas moveri, quia homo non se applicat nisi per voluntatem: & voluntas non potest se movere nisi præviâ cognitione. Propter quod, ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non potest esse voluntaria, sed naturalis, seu ab extrinseco proveniens. Ergò quando nulla talis cogitatio in mentem subiit, quâ possit voluntas excitari ad appetendam vel quærendam scientiam vel considerationem, non est in potestate hominis, se ad illam movere, & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis, & invincibilis.*

Descenditur ad particularia.

Duplex documentum ex Suario, ad rem præsentem pertinens utile.

20. *Atque ita quoad hanc partem facilè solvitur* ratio

ratio in contrarium, scilicet talem ignorantiam esse indirectè voluntariam; quia homo potest & tenetur illam vitare. Negamus enim posse potentiâ proximâ, quæ requirit consensum omnium, quæ ad volendum prærequiruntur. Cùm verò instatur, quia, si tenetur, potest, cùm obligatio supponat potentiam. Respondetur per se quidem teneri, seu obligari talem hominem ad talem scientiam; ad quod satis est, quòd, per se loquendo, sit in hominis potestate, & quòd tale munus secum afferat talem obligationem. Nihilominùs tamen hîc & nunc illam obligationem dicimus suspendi, vel potiùs hominem ab illa excusari, propter impotentiam proximam & moralem, quæ ex naturali, ac necessariâ oblivione, vel inconsideratione orta est.

21. *Secundum documentum est, ut consideretur, an is, qui scire aliquid tenetur, habuitq; sufficiens principium cogitandi, vel dubitandi de tali obligatione, fecerit moralem diligentiam, juxta qualitatem operis, vel ministerii accommodatam, & probabili judicio sufficientem, ut talem cognitionem acquireret: Nam, si hoc fecit, ignorantia, quæ postea relinquitur, inculpabilis est. Vt, v.g. si homo sit indoctus, consuluit doctos viros, vel peritos in tali arte, & carentes morali suspicione, quòd ex malitia, aut etiam ex sua negligentia possint decipere: si verò sit homo doctus, aut per se sufficiens ad talem cognitionem obtinendam: an doctores aliquos evolverit, aut leges ipsas, vel statuta mediocri diligentia vel labore inquisierit: nam, si ita se gessit, si qua manserit ignorantia, meritò inculpabilis existimabitur. Quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientiæ.* Hactenus Suarez, qui mox subjungit, forum externum aliis præsumptionibus uti, & rarò admittere excusationem ob ignorantiam juris, nisi validissimis rationibus probetur ignorantiam illam fuisse invincibilem.

Objectio. 22. Dices. Hîc item deficitur per factum rem exponendo, quæ per debitum & jus explicari debebat. Præterea hac ratione multi hæretici & infideles in suis erroribus enutriti excusarentur, quia nulla eis dubitatio in mentem venit de suis religionibus & pravis ritibus. Hi tamen non excusantur; quia certa regula, ut ipse Suarez antè dixerat, in hoc negotio sumenda est à diligentia adhibita vel omissa. At ab indiligentia rerum animæ sæpè provenit, ut nec dubitatio, nec quid simile in mentem veniat; & nequioribus minùs veniunt, & pauciora. Deinde illud additum, *dubitatio, vel aliquid aliud simile*, rem relinquit obscuram; nescitur enim quid sit hoc, *aliquid aliud simile*. Demum non est necesse aliquid, quo homo excitetur ad inquirendam directè scientiam; sed satis est ut excitetur ad quærendum indirectè, cùm ignorantia etiam indirectè voluntaria sit imputabilis & vincibilis. Ita Celladeus dicto §. 1.

23. Respondeo inprimis hæc solùm impetere primum documentum, non tangere secundum. Unde Celladeus præsumendus est secundum approbare, cùm nil contra eam objiciat.

Duplex solutio. 24. Respondeo 2. hæc omnia optimè explicari per factum, maximè cùm factum sit tale, ut ex illo jus ac diligentia sciri ac determinari possit, ut contra similem objectionem paulò antè ostensum est. Similiter alibi etiam declaratum est, quomodò & quousque hæretici ex hoc capite excusentur à novo peccato, quamvis non ideo à damnatione incurrenda excusentur. Nec sufficit dicere eos esse inexcusabiles, quia certum est rudiores frequentissimè excusari. Nominatim autem excusantur ii, qui numquam habuerunt notitiam, dubium, aut suspicionem erroris, aut quod obligentur veritates ulteriùs quærere, unde excitari potuerunt ad veritatem indagandam, ut rationes à Suario allatæ convincunt. De infidelibus paulò dispar est ratio: illorum mores plerumque sunt circa mala jure naturæ vetita, unde rarò aut numquam excusantur, quia de talibus vix fieri potest, quin notitia aliqua aut suspicio vel dubium mali aut obligationis rem inquirendi mentem subeat.

25. Jam certa regula sumitur quidem à diligentia sufficiente, sed inde non probatur, quòd omnis incogitantia ab indiligentia rerum animæ sit imputabilis, sed ea solùm, quæ aliquo modo prævidetur, ita ut evadat voluntaria, ut jam dictum est in responsione ad objecta contra priorem assertionem. Et sanè, stando in terminis declarationis positæ, nil ex ulla indiligentia inferri potest, nisi illa voluntaria fuerit, eò quòd aliqualiter repræsentabatur obligatio illam removendi. At in hoc sensu, argumentum à tali negligentia desumptum probat, non improbat præsentem declarationem, ut patet. Quod si nequioribus pauciora & minùs frequenter veniant in mentem (de quo tamen dubium est, nam nequiores homines sine difficultate advertenter bibunt iniquitatem sicut aquam, nec illis plerumque deest sufficiens & actualis advertentia malorum, quæ patrant) id non obstat eorum malitiæ, quia frequenter habuerunt & habent sufficientem notitiam, unde excitari possint non solùm ad opera mala omittenda, sed etiam ad ignorantiam removendam. Cæterùm si in aliquo casu talis advertentia omnino desit, nec præsens inadvertentia fuerit illis voluntaria, hîc & nunc excusantur, quia ignorantia aut inadvertentia & incogitantia illa naturalis est, involuntaria, invincibilis ac inimputabilis.

26. Porrò prætendere, locutionem illam, *dubitatio, vel aliquid aliud simile*, non habere sensum determinatum, est nodum in scirpo quærere: siquidem manifestum est ex contextu, aliud per illam phrasim non intelligi, quàm aliquem actum intellectûs, vi cujus, sicut vi dubii, excitari possumus ad diligentiam adhibendam, & ignorantiam removendam. Tales actus sunt suspiciones, aut etiam apprehensiones, vi quarum dubitatio aut oritur aut completur.

27. Demum nos etiam admittimus, sufficere, quòd homo ita indirectè excitetur ad quærendam scientiam, ut ignorantia sit illi indirectè voluntaria. Verùm in eo discrepamus à Celladeo, quòd asseramus, nullam excitationem posse reddere ignorantiam indirectè voluntariam, nisi illa aliquo modo, saltem in confuso, repræsentet scientiam & obligationem illam inquirendi; adeo ut ex parte excitationis requisitæ ad voluntarium, nulla sit diversitas inter illam quæ voluntario directo, & illam quæ voluntario indirecto deservit. Tota autem discrepantia inter illa voluntaria desumitur non ab excitatione prævia, sed à diverso motu voluntatis: si enim voluntas ob pigritiam, vel attentionem ad alia, merè negligat quærere illud ad quod excitatur, ignorantia erit indirectè voluntaria; sed erit directè voluntaria, si voluntas motu peculiari contemnat scientiam, & positivè nolit scientiam investigare. Et sanè S. Thomas & Theologi 2. *parte* ubi agitur de voluntario, non in aliud rejiciunt voluntarium directum & indirectum, nisi in quod jam assignatum est. Errat proinde Celladeus, qui ex suo capite sufficere vult ad voluntarium indirectum, si illud

Ad malitiâ contrahendam sufficit ignorantia indirectè voluntaria.

si illud quomodocumque inducatur dependenter à nostris actibus, maximè si sint mali ac peccaminosi. Verùm hoc indubiè non sufficit ad voluntarium, quod ex omnium sensu, & ex ipsa ejus definitione, procedere debet à cognitione rei, quæ dicitur voluntaria. Ergò si aliqua ignorantia aliunde quàm à tali cognitione inducatur, illa naturalis erit, necessaria, ac inimputabilis; non autem humana, libera, aut ullatenus, etiam indirectè, voluntaria.

Tertia regula dignoscendi an ignorantia sit invincibilis.

28. Tertia regula dignoscendi, an ignorantia & error sit invincibilis, ac præcipuè intenta in hoc opere, est, quòd, in rebus inter Auctores Classicos controversis, verè incertis, atque hinc inde certò probabilibus, error & ignorantia censeri debeat invincibilis, si quis ex fundamento certò probabili non temerè sententiam ferat, aut conscientiam formet, quia in talibus veritas ita latet, ut certò sciri non possit. Ergò aliud ab homine exigi nequit, quàm ut non temerè, sed ex motivo certò probabili ac prudenti quæstionem determinet, quia plus facere non potest. Ergò si hoc præstando erret, error erit illi inimputabilis ac invincibilis. Præterea ex dictis constat, talia aut non prohiberi, aut non nisi lege dubiâ & non sufficienter promulgatâ vetari. Et consequenter constat, nullam dari legem obligantem ad tutiora sectanda, ideoque nos ad illa non obligari; ex quo iterum infertur errorem circa talia esse invincibilem, si fortè irrepat in hominem non temerè, sed ex motivo certò prudenti judicantem.

Quarta regula præcedêti affinis.

29. Quarta regula huic affinis est, quòd, in quibusvis rebus certò non determinabilibus, ea diligentia sufficiat, per quam homo pervenit ad certò probabilem ac verè prudentem casûs resolutionem, sive ipse per proprium studium, sive per meram peritorum responsionem judicium suum formet. Hæc regula parum differt à secunda, quam ex Suario recensuimus. Ratio est, quia ulterior obligatio esset inhumana, ac irrationabilis; exigeret enim plus ad veritatem investigandam, quàm conditio humana præstare posset. Præterea, quæcumque allata sunt ad probandum, usum opinionis probabilis esse licitum, ex æquo probant, ignorantiam & errorem, si fortè in tali casu interveniat, esse inimputabilem ac invincibilem.

Quinta regula.

30. Quinta regula. Cùm constet, non omnia præcepta æqualem diligentiam postulare; quæ enim sunt juris naturalis ac divini majorem sollicitudinem exigunt, quàm quæ solùm sunt juris humani. Similiter cùm constet, non omnes posse parem diligentiam adhibere, impossibile est, ut detur determinata taxatio diligentiæ, quæ in omni negotio, ac pro omnibus personis, necessaria sit atque sufficiens ut ignorantia evadat invincibilis. Itaque quantitas diligentiæ requisitæ præscribi debet juxta qualitatem rerum, præceptorum, negotiorum, officiorum, ac personarum, quæ sub considerationem veniunt. Inde apparebit, quòd quæ diligentia sufficit uni relatè ad unum negotium, non sufficiat eidem pro alio negotio, & multò minùs alteri capaciori in ordine ad ullum ex illis negotiis. Itaque nulla quantitas diligentiæ requisitæ, arithmeticè & absolutè eadem, statui potest pro necessaria ac sufficienti, sed tota res geometricè & relativè declaranda est in ordine ad res, personas, circumstantiasque intervenientes. In hoc sensu illa quantitas diligentiæ dicenda est sufficiens, quæ qualitati negotii, capacitati personæ, circumstantiisque intercurrentibus proportionatur. Omnis alia est insufficiens.

Non eadem diligêtia respectu omnium sufficit.

Ulteriùs explicatur regula quinta.

31. Hæc regula genericè accepta haud dubiè legitima est; sed ut peculiaribus casibus deserviat, singula ponderanda sunt, ut statuatur quæ diligentia talibus personis, rebus, &c. proportionata sit. Nec aliud generaliter ac ultimatè dici potest, quàm quòd illa diligentia censenda sit dicta ratione proportionata, ac sufficiens, quam periti ac prudentes talem esse determinant. Quamvis enim generaliter dici possit, diligentiam hanc, rebus ac personis proportionatam, non debere esse maximam, sed sufficere mediocrem, eò quòd satis sciamus, legem, quæ summam diligentiam, etiam rebus ac personis talibus convenientem, præscriberet, fore noxiam, & à communitate talium personarum moraliter inobservabilem, cùm à nemine per mediocrem diligentiam ac conatum servari posset. Nihilominùs quia particula illa mediocris non consistit in indivisibili, ideo pro ultima ac universali resolutione necessariò recurrendum est ad judicium prudentûm, ut illa demum diligentia censeatur sufficiens, quam prudentes ac periti post rem diligenter examinatam declarant esse sufficientem.

32. Nec obstat, quòd prudentes ac periti, quando venitur ad ultimum quod sic, seu ad infimum sufficientiæ gradum determinandum, nonnihil inter se discrepent, sibique aliquando contradicant, ideoque aliqui illorum in sua determinatione à vero aberrent; non, inquam, obstat, quia meliorem & prudentiorem regulam non habemus, ideoque tali resolutioni meritò stamus. Et sanè quamvis ille non excusaretur coram Deo, qui exercitè posuisset eam solùm diligentiam, quam falsa Doctorum opinio tradit esse sufficientem; nihilominùs ille idem postea excusaretur, si bona fide ac prudenti judicio talium virorum resolutioni staret, quia jam ex prævio prudenti ac rationabili judicio operationem suam dirigeret, quæ antea ex defectu talis judicii imputabilis fuerat.

33. Scio circa præsentem materiam plures regulas ex Auctoribus variis coacervari posse; sed quia istæ ad præsens intentum sufficiunt, solùm superest; ut quæ Celladeus in contrarium objecit, dissolvantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

34. OBJICIT primò. Regula illa, quam de probabilibus attulimus, est prorsùs insufficiens, inquit Celladeus *hîc §. 1.* ubi prætendit, se ejusdem insufficientiam tota prima parte efficaciter ostendisse. Hoc tamen ita limitat, ut dicat, veram probabilitatem includere ignorantiam invincibilem, & excusare; apparentem autem non sufficere, alioquin hæretici vincibiliter errantes excusarentur, quia feruntur in suas sectas tamquam in res, quas ad minimum probabiles reputant, immò eas certas esse existimant.

Confirmatio objectionis ex Corduba.

35. Post hæc proponit doctrinam Antonii de Cordubâ *lib. 2. de ignorantiâ quæst. 3.* ubi Corduba, post omnes obligatos ad probabilius tutius, mox subdit, *& in hoc Doctores omnes consentiunt.* Ita scripsit Corduba an. 1604. Ergò tunc omnes, aut certè plerique ita sentiebant. At jam opinio ista vix tolerabilis est, cùm omnes fermè jam dicant, neminem ad probabilius tutius obligari, sed unumquemque licitè sequi posse minùs probabile

babile minúsque tutum. Tum reprehendit Cordubam, quòd dixerit, licitum esse sequi opinionem probabiliorem minùs tutam, ignorantiamque, si quæ subsit tali opinioni, eo ipso evadere invincibilem. Putat enim ex hoc ipso exemplo opinionis mutatæ oppositum rectè inferri. Sic enim arguit. Tempore Cordubæ omnes in eo consentiebant, quòd teneremur ad probabilius tutius. At jam vix est, qui quodammodò pro certo non teneat, quod non obligemur ad probabilius tutius. An ergò doctrina illa universalis, à quâ modus vivendi omnium fermè dependet, & veritas illa tam notoria, quam omnes tempore Cordubæ noverant & docebant, septuaginta annorum spatio reddita est ininvenibilis, & illius ignorantia facta est invincibilis? Minimè. Illa certè est invenibilis ut antè, & consequenter ignorantia per hoc genus probabilioritatis non redditur invincibilis. Ergò multò minùs id præstatur per probabilitatem minorem. Ergò tertia & quarta regula à nobis assignata non probant ignorantiam, si interveniat, esse invincibilem, sed illud aliundè probandum est, ex eo scilicet, quòd diligentia sufficiens adhibita fuerit vel omissa. Si diligentia sufficiens præcessit, excusatur qui falsum opinatur; secus non excusatur, sed peccat, qui opinionem falsam sequitur, non quidem scienter & contra conscientiam, sed ignoranter operando juxta conscientiam vincibiliter constitutam.

36. Demum illud demonstrat, ignorantias vincibiles & invincibiles discerni non posse per hanc viam probabilitatis, quod nullus privatus Doctor, aut Doctorum multitudo, saltem ubi alii etiam pauciores contradicunt, sit regula certa fidei & morum, sive quoad inducendam honestatem in opus, sive quoad exclusionem peccati ex opere. Hoc enim solius Ecclesiæ, ejusque Capitis privilegium est. Maximis quidem Doctoribus dandum est, quod rarò & ferè numquam errent. Cæteris ne hoc quidem. Aliis verò, qui habent alios sibi contradicentes numero & qualitate pares, nil prorsùs tribuendum est, quia non magis illis convenit non errare, quàm errare. Ergò nullus est privatus Doctor, cujus resolutionem sequentes peccare non possimus. Ergò per hanc viam non habetur invincibilitas ignorantiæ, alioquin haberetur non peccare, quod non habetur. Ita Celladeus §. 1.

Responsio. 37. Respondeo, omnia à Celladeo objecta contra licitum probabilium usum jam examinata fuisse, & inventa non solùm invalida ad expugnandam benignam sententiam, sed plurima eandem validè confirmare. Cæterùm approbo quod dicit, probabilitatem non merè apparentem, sed veram, si fortè erretur, includere aut supponere ignorantiam invincibilem, quia nos etiam ignorantiam invincibilem non omni probabilitati apparenti, sed solùm probabilitati veræ certò cognitæ tribuimus, ut sæpe dictum est. Cæterùm Celladeus in hoc ipso sibi contradicit, quia ille vult nullam esse probabilitatem veram ac realem, quæ cum veritate non connectatur. Hoc autem admisso, impossibile est, ut veritas ignoretur ab eo, qui eam probabiliter affirmat. Ergò in sententia Celladei ignorantia veritatis & realis probabilitatis de veritate conjungi non possunt. Ergò sibi contradicit, dum hic admittit ignorantiam invincibilem conjungi posse cum probabilitate vera, non cum ficta & apparente, cùm in principiis illius conjunctio ignorantiæ cum probabilitate vera sit impossibilis, conjunctio verò ignorantiæ invincibilis cum probabilitate solùm apparente toties locum habeat, quoties sufficiens diligentia præmissa fuit.

Celladeus sibi contrarius.

38. Quod Corduba dicit, probabilius tutius esse tenendum, & in eo omnes Doctores consentire, benignæ sententiæ non repugnat; nam ille loquitur de totâ apparentiâ, quam homo operaturus habet; illa autem debet esse probabilior, ut excusetur, juxta omnium sententiam. Nam si in directa tantùm rei consideratione maneamus, utique nemini licet sequi nisi quod illi directè probabilius ac simpliciter verum apparet. Similiter si loquamur in sensu reflexo de objecto directè minùs probabili, eodem modo discurrimus; nemini enim licet illud ponere, nisi idipsum, vi rationum reflexarum & probabilius ipsi appareat, & absolutè credatur licitum. Nec Corduba quidquam contra hoc, id est, contra benignam sententiam, in tota sua latitudine sumptam, insinuat.

Responsio ad Confirmationem.

Quo sensu cuique sequendum quod probabilius.

39. Itaque nec Corduba nobis contrariatur, nec ulla à tempore ipsius facta est variatio circa substantiam benignæ sententiæ. Sicut enim tunc omnes dicebant probabilius tutius esse tenendum, sic nunc etiam omnes idem dicimus, si sermo sit de totâ & ultimatâ apparentiâ, quâ homo dirigitur ad operandum. At de illâ tantùm apparentiâ loquutus est Corduba, quia loqui de aliâ non erat ad rem; sicut de facto non esset ad rem si nos de alia loqueremur, quia hæc sola est probabilitas practica proximè deserviens ad regulandam operationem, ut patet. Ergò in doctrina illa universali, à quo modus vivendi omnium fermè dependet, nulla facta est variatio, nisi quam Celladeus, & alii pauculi introducere conantur.

Constans Doctorum sensus circa usum benignæ sententiæ.

40. Sed quamvis ingens illa mutatio, quam Celladeus falsò imaginatur, introducta fuisset, non inde sequeretur ignorantiam invincibilem non comitari opinionem probabilem, si fortè à vero aberret. Stante enim hypothesi, nemo dicit veritatem illam esse jam ininvenibilem, sed solùm invincibiliter ignorari ab iis, qui post diligens studium, rationibus certò probabilibus ac prævalentibus moti, arbitrantur se veritatem tenere, cùm decipiantur & errent. In eo vertitur æquivocatio Celladei, quòd universim confundat invincibilitatem doctrinæ cum ejusdem ininvenibilitate, cùm inter illas ingens sit disparitas. Aliquæ veritates sunt certò invenibiles per diligentiam debitam, & de talibus verum est, quòd vincibilitas & invenibilitas illis ex æquo conveniat. Aliæ sunt doctrinæ, quarum veritas inveniri quidem potest, & semper invenitur ab altero eorum, qui contradictoria circa quæstionem illam docent. Verùm neuter certus est, se veritatem invenisse; sed uterque æquè magnis fundamentis ductus arbitratur, se veritatem tenere, & adversarium errare. Hæc invenibilitas non tollit invincibilitatem ab eo, qui post diligens studium per accidens errat, & non invenit veritatem realem, quam quærebat. Ratio est, quia hic homo, quamvis erret, ita se habet circa veritatem, quantum ad omnem apparentiam & certitudinem veritatis adeptæ, sicut alter; adeo ut nemo dicere possit, hic homo certò errat, hic certò verum dicit; sed, qui reflectit super utriusque conatum & motivum, dicere debet, uterque parem habet rationem existimandi, se veritatem attigisse. Uterque ex æquo veritatem apparenter tenet. Qui realem veritatem assecutus est, non est certior de tali inventione, quàm alter

Aliud est veritatem aliquam esse ininvenibilem, aliud invincibiliter ignorari.

alter qui errat, nec majori fundamento dicere potest se illam attigisse, quàm alter. Uterque enim sectatur, quòd sibi rationabilius apparet. Cùm ergò uterque parem diligentiam adhibuisse supponatur, non inventio veritatis in errante est manifestè inimputabilis, & consequenter ignorantia veritatis illius est invincibilis. Nec mirum, quia nemo taliter judicat, qui debitam diligentiam non præmisit. At illa, Celladeo fatente, infallibiliter secum affert invincibilitatem.

Prætensæ Celladei demonstrationi supra satisfactū est.

41. Demum, quòd certa probabilitas in rebus verè incertis sit sufficiens discerniculum ignorantiæ invincibilis, quódque, qui certò probabiliter judicat aliquid esse licitum, non peccet illud ponendo, quamvis præter intentionem erret, nullatenus improbatur per prætensam Celladei demonstrationem. Ego *quæst. 14.* ex professo examinavi prætensam hanc Celladei demonstrationem, ibique ejusdem in omnibus nullitatem demonstravi; in aliis etiam quæstionibus dirui quæ hìc insinuat de Doctoribus, qui non frequentiùs errant quàm non errant, &c. Ergò sicut ille nil hìc peculiare objecit, quod antea non objecerat, sic nec ego aliâ responsione egeo, quàm quæ istiusmodi argumentis alibi data fuit.

Ignorantia vincibilis vel invincibilis ex eo dicenda quod debita diligentia posita vel prætermissa fuit.

42. Objicit secundò. Ignorantiam esse vincibilem aut invincibilem ex eo dependet, quòd debita diligentia posita fuerit, vel omissa. Vincibilis enim ignorantia definitur esse *ignorantia eorum, quæ scire tenemur*, id est, eorum, quæ debitam diligentiam faciendo scire possumus; quin etiam scivissemus. Doctrina hæc conformis est Augustino dicenti, *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, &c.* Similiter concordat *cum cap. si culpa, de injuriis*, ubi dicitur; *Et quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.* Eandem doctrinam Suarez vocat regulam certam. Hinc statim infertur, quantitatem diligentiæ debitæ non posse directè determinari; quia nemo potest exactè scire, quæ præcisè diligentia sit sufficiens. Porrò hoc locum habet non solùm in discentibus, sed etiam in ipsis Doctoribus, de quibus certum non est, quòd debitos libros evolverint, quòd debitum tempus impenderint, quòd debita intentione, conscientiæque munditie rem examinaverint; hæc tamen omnia præstanda sunt, ut debita diligentia habeatur.

43. Hanc diligentiæ debitæ incertitudinem ac indeterminabilitatem illud inprimis confirmat, quòd hac ratione benè cohæreant spei timorisque præcepta, cùm nemini constare possit, se debitam diligentiam adhibuisse, atque ideo nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Praxis etiam & voces Sanctorum idipsum confirmant. Illi cum timore ac tremore suam salutem operabantur; eorum voces sunt. Ab occultis meis munda me. Ignorantias meas ne memineris. Et S. Paulus, etsi diligentissimus, de se dicebat. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Licèt enim Sancti nullum peccatum scienter admittere soleant, occulta tamen cordis sui semper timuerunt. Sciebant se Deo diligenter inservire, sed an satis agerent, hoc ignorabant. Hæc probant quantitatem diligentiæ determinari non posse. Ita Celladeus §. secundo, ubi addit, idem ex eo etiam probari, quòd *quæst. 11.* tradidit, scilicet ignorantiam fieri indirectè voluntariam ob alia peccata, in quorum pœnam Deus hebetudinem mentis, aut etiam cæcitatem incurri permittit, majorem vel minorem; sed quantam pro quot & qualibus peccatis Deus permittat, nemo rationabiliter determinare potest. Scimus quidem conscientiam mundandam, quia corde immundi facilè circa mores errant; sed quantum faciendum sit, quis novit? Hanc diligentiæ debitæ indeterminabilitatem plerique etiam Auctores fassi sunt, dum rem à se indeterminabilem judicio prudentûm determinandam relinquunt. Hæc ille.

Quo sensu ignorantia vincibilis sit eorum quæ scire tenemur?

44. Respondeo, ignorantiam vincibilem esse quidem eorum quæ per se loquendo scire tenemur, sed hoc non obstante, multis de causis fieri posse, ut eadem invincibiliter ignorentur, eò quòd ob naturalem advertentiæ defectum, vel alias ob causas ignorantia illa hìc & nunc per debitam diligentiam removeri non possit, ut paulò antè ex Suario ostensum est. Porrò in istis casibus hìc & nunc non tenemur illa particulariter scire, quia teneremur ad impossibile. Per se tamen, ac simpliciter, tenemur ea scire, quia per se spectant ad officium nostrum, & à multis sciri possunt & sciuntur, quamvis per accidens à me post magnam & plus quàm debitam diligentiam hìc & nunc ignorentur, & consequenter invincibiliter lateant. Itaque ignorantia vincibilis non ita crudè definitur *ignorantia eorum quæ scire tenemur*, cùm certum sit nos invincibiliter ignorare multa, quæ tamen simpliciter scire tenemur. Itaque ignorantia vincibilis est, eorum quæ tenemur & possumus scire per diligentiam debitam. Jam aliquando contingit, quod per talem diligentiam non possimus ea scire, quæ tamen vi status aut officii simpliciter scire tenemur. Hoc præmisso, ne Lector ex universali illa Celladei locutione errorem incurrat,

Respōsio 2.

Quomodo dignosci possit an debita diligentia sit adhibita.

45. Respondeo secundò, omnia ista rectè quidem probare, quantitatem diligentiæ necessariæ ac requisitæ ut debitum quærendi implevisse censeamur, non posse certò determinari in particulari, quod ultrò admittimus; sed quia proponuntur, ac si Auctor probare intenderet, nos numquam scire posse, etiam post diligentiam maximam, quod debitum impleverimus, ideo admitti nec possunt nec debent. Certùm enim est tam idiotam, quàm Doctorem scire posse, se debitam diligentiam adhibuisse; ille quidem complures summos Doctores consulendo, iste complures libros præcipuos evolvendo, &c. Cùm enim constet, summam diligentiam non esse præceptam, sequitur utique aliam quàm mediocrem sub præcepto cadere non posse. Hanc autem se certò adhibuisse scire potest tam Doctor quàm idiota, ut patet. Nec obstat, quòd cura mundandæ conscientiæ, recta intentio, ac etiam oratio ad debitam diligentiam requiri dicatur; scitur enim ista non nisi in gradu mediocri cadere sub præceptum. At tam docti quàm indocti certificari possunt, se in istis mediocrem saltem diligentiam adhibuisse. Ergò in multis casibus scire possunt, se debitam diligentiam adhibuisse, & consequenter se invincibiliter ignorare & errare, si fortè errent.

46. Jam voces illæ Sanctorum, eorumque incertitudo de sua justificatione, sicut præcepta spei ac timoris locum habent, quamvis pro multis casibus scire possimus, talem determinatam diligentiam esse sufficientem; immò eadem locum haberent, quamvis sciremus ultimam ac determinatam quantitatem diligentiæ præcisè sufficientis ac necessariæ; adhuc enim multis de causis incerti essemus de statu nostro, ut alibi ostensum

sum est. Præterea non semper scire possemus, nos illam diligentiæ mensuram exactè implevisse, ideoque ex hoc etiam capite incertitudo superesset, præceptaque spei ac timoris locum haberent, omnesque innumeris de causis teneremur cum timore ac tremore, cum spe ac metu, salutem nostram operari. Itaque non apparet, cur hæc ad præsens intentum allata fuerint, cùm constet, ea vel nullam vel exiguam vim habere ad quidquam pro alterutrâ parte determinandum; siquidem veritas præsens ab illorum veritate non dependet, nec è contra, ut dictum est. Jam quòd Sancti dicantur scivisse, se Deo diligenter inservire, sed nescivisse an satis agerent, nil facit ad præsentem quæstionem de peccatis ignorantiæ, quia id ex æquo locum habet in patentibus, quia de illis formidabant. Cæterùm sicut certò sciebant, se Deo diligenter inservire, sic etiam per hoc ipsum sciebant se vincibiliter non ignorare pleraque ad suum statum pertinentia, quia hoc secundum consectarium est ad primum; neque enim fieri potest, ut Sanctus homo, qui maximo nisu ad perfectionem properat, hæc vincibiliter ignoret, cùm præceptum ignorantiæ vitandæ ne quidem tantam diligentiam postulet.

Argumenta Celladei à præsenti instituto aliena sunt.

Qualis sit formido Sanctorum, de qua suprà Celladeus in objectione.

47. Formidabant quidem Sancti, an satis agerent ad correspondendum suæ vocationi, immò sciebant se quotidiè in multis deficere, & sic timebant ne culpâ suâ in deterius abirent, ac tandem perirent; sed communiter non formidabant, se culpabiliter nescire ea, ad quæ scienda strictè tenebantur, saltem loquendo de præceptis communibus, quorum observatio ad omnes suæ professionis ex æquo pertinebant; neque enim vitæ eorum communiter exprimunt talem metum. Nec mirum, quia diligentia illorum erat abundè sufficiens aut ad talia scienda, aut ad vincibilitatem à suâ ignorantiâ, si quæ erat, repellendam. Nihilominùs in aliquibus factis, ut in tentationibus repellendis, formidare poterant, an debitam diligentiam adhibuissent, sicut fortè etiam in aliquibus punctis juris privati, quo Deus singulariter ab eis aliqua exigebat, quia de talibus nulla datur regula certa pro omnibus, ideoque difficiliùs sciri potest, quæ diligentia requiratur, & sufficiat. Argumentum ergò æquivocum est, & confundit sollicitudinem ac timorem Sanctorum tam de præsenti, quàm de futuro statu ipsorum, aliisque annexis, quæ, si omissa, esse poterant remota saltem occasio ruinæ, quamvis ad illa strictè non tenerentur, cum timore peccati ignorantiæ, quòd ab insufficienti eorum diligentiâ ad illud arcendum ortum habuit. Verùm hæc duo plurimùm distant, nam primum universaliter verum est, secundum autem in plerisque saltem est falsum, quia sicut constat nobis, eos diligentiam ad talia peccata vitanda sufficientem adhibuisse, ita non est, cur id ipsum illis sufficienter constare non potuerit. Nec dubium, quin in plurimis ac fermè in omnibus id ipsis certò constiterit.

Æquivocatio Celladei detegitur.

48. Quæ adjunguntur de hebetudine ac cæcitate mentis ob peccata inflictâ, fusè examinata & confutata sunt in superioribus, ex quibus non modò non improbantur, sed validissimè confirmantur, quæ hîc statuta sunt de quantitate diligentiæ debitæ, ut ignorantia sit & habeatur invincibilis. Doctrinæ enim ibi traditæ regulas à nobis hîc propositas confirmant, ut constabit illi, qui & illa relegerit, & ad præsentem quæstionem applicuerit.

49. Ultimum, quod dicit Celladeus, scilicet Auctores plerosque hanc indeterminabilitatem fassos esse, dum rem à se indeterminabilem prudentûm judicio determinandam relinquunt, est error nimis patens. Certè Auctores illi regulas proposuerunt, per quas scire possumus an ignorantia sit invincibilis, & Celladeus eas impugnavit. Quid dicis Celladee? éstne hoc Auctores fateri quæstionem esse à se indeterminabilem, quando ipsam datis regulis expressè determinant? Si tecum senserunt eam esse indeterminabilem, cur eos tam operosè impugnasti. At, inquies, pro multis casibus remittunt ad prudentes, eosque non rarò minùs peritos quàm ipsi. Quid tum? Hoc est solvere quæstionem, non illam indecisam relinquere. Casus particulares sunt innumeri, pro quibus una eademque taxatio diligentiæ præscribi nequit. Illos ergò simul solvere nemo potest; sed singuli seorsim sunt solvendi. Nec ullus eorum est, quem Doctores illi probabiliter solvere non potuissent, si fuisset illis propositus. Sed cùm omnes in particulari proponi non possint, dant regulam generalem, & dicunt, eam diligentiam in quavis materia & casu particulari reputari debere sufficientem, quam prudentes ac periti talem esse determinant. Hac ratione regulam proponunt, & quæstionem solvunt, nec eam indecisam relinquunt, ut patet.

Celladeus sibi contradicit.

50. Objicit tertiò. Omnes scimus, diligentiam adhibendam esse ad resistendum tentationibus ingruentibus: sed quanta sit necessaria, quis determinare potest? Omnes fermè dubii de hoc sunt, quia omnes de istis se accusant, & Confessarius ipse sæpe de eisdem etiam dubius hæret. Eadem difficultas invenitur in omnibus quæstionibus, in quibus per exigua incrementa à parvo ad magnum ascenditur, quia medium & transitus discerni ac determinari nequit. Hoc videre est in materia furti, ac jejunii, aliisque similibus, sicut etiam in exercitio fidei ac charitatis; tenemur enim virtutes illas exercere, sed quando, sed quoties, præcisè nemo determinare potest. At eadem est ratio de quantitate diligentiæ debitæ pro sciendâ veritate. Ergò illa sciri ac determinari non potest. Ita Celladeus §. 3.

Objectio petita à dubio de diligentia in tentationibus resistendis, &c.

51. Respondeo, hæc ritè probare assertiones à nobis positas, sed validè improbare intentum Celladei. Nam quamvis aliquando dubitemus an diligentiam sufficientem ad resistendum tentationi adhibuerimus, scilicet quando aurem illi quodammodo præbemus, delectationem aliquam percipimus, & motum quendam ad assentiendum sentimus, &c. Viri tamen diligentes in plerisque rectè norunt se diligentiam sufficientem adhibuisse ad vitandum peccatum mortale. Et quoties similem diligentiam adhibent certi sunt se graviter non peccasse. Ergò tales & pro se, & pro aliis magna ex parte taxare possunt diligentiam debitam, ac dicere, talem ac tantam ad peccatum mortale arcendum sufficere. Ecce argumentum ab hoc exemplo adductum nostras confirmat assertiones, totumque Celladei intentum evertit.

Viri diligentes in plerisque norunt sufficientem se adhibuisse diligentiâ ad mortale vitandum.

52. Est quidem similis difficultas taxandi minimum quod sic in casibus allatis, & ideo illa rarò aut numquam certò determinari potest. Sed hoc non impedit, quò minùs transitus ille probabiliter resolvi possit. Ad hoc autem talis resolutio juvat, quòd qui illam bona fide & ex motivo certò probabili sequitur, excusetur, si fortè erret, quia in tali re fecit quod potuit & debuit, ut veritatem inveniret, eamque tandem optimo quo potuit

potuit modo invenit, & juxta illam sic inventam operationem suam instituit. In tali autem casu constat, bonam fidem, & conscientiam excusare, quia veritas ipsa, si circa illam erretur, etiam Celladeo id fatente & ex professo idipsum probante, in omni istiusmodi casu insuperabiliter ac invincibiliter latet.

53. Hinc tamen non sequitur, Sanctos ac diligentes non rectè se accusare de negligentia in repellendis tentationibus; quia quamvis in multis non habeant de quo se accusent, in magna tamen operationum multitudine difficile est peccatum veniale non intervenire. De culpis ergò venialibus, si quæ irrepserint, quæque haud dubiè frequenter irrepunt, se meritò accusant.

Celladei contradictio.

54. His ad objectionem dictis, solùm superest, ut Celladei contradictiones hìc elucentes omnibus aperiamus. Una ex potissimis ejus doctrinis, quam ubique fermè aut obtrudit aut supponit, est, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, aut etiam divini positivi; eamque valdè rarò reperiri in jure humano. At hìc non solùm in jure humano, sed etiam in jure divino tam positivo quàm naturali, non solùm admittit ignorantiam invincibilem; sed ex professo probat, veritatem ipsam esse absolutè à nobis ininvenibilem, & quidem in omni præcepto ac casu, quando versamur inter parvum & magnum, inter rarò & sæpè. At hoc frequentissimè, intervenit, idque non in uno vel altero, sed in omnibus fermè præceptis. Ergò ignorantia omnis juris est per ipsum valde frequenter invincibilis. Ergò etiam in præcipuis rebus, quas maximè ex professo tradit, apertè sibi contradicit.

Alia Celladei contradictio.

55. Præterea harum rerum ignorantiam ideo hìc exaggerat, ut ex illa probet, nos ignoranter peccare, etiam quando nulla peccati suspicio animo obversatur. Ex una ergò parte ex professo probat, talem ignorantiam esse prorsùs insuperabilem, quod idem prorsùs est ac eam esse invincibilem. Et ex alia contendit, opera ex tali ignorantia profecta esse verè peccaminosa, nobisque ad peculiarem culpam ac pœnam imputari. Ergo dupliciter sibi contradicit; primò, supponendo ignorantiam esse vincibilem & imputabilem, quam ex professo probat esse insuperabilem ac invincibilem. Secundò, contendendo opera ex hac ignorantia insuperabili facta esse peccata, cùm tamen ubique, etiam ex professo, tradat, ignorantiam invincibilem omnem peccati malitiam prorsùs excludere.

Objectio petita à paritate inter diligentiam in humanis adhibitam, & in divinis præceptis adhibendã.

56. Objicit quartò. Omnes magnâ diligentiâ rebus humanis studemus. Quis ergò dicere potest Deum à nobis parem aut etiam majorem diligentiam pro lege sua scienda & implenda non exigere? Certè S. Paulus *ad Rom. 6.* tantam diligentiam pro spiritualibus requirere videtur, quantam homines pro temporalibus immò pro illicitis tribuere solent. *Humanum dico propter infirmitatem vestram; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in Sanctificationem.* Christus ipse adhuc significantiùs loquitur. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Nónne hinc apparet, tantam diligentiam requiri pro vita æterna & mediis ad illam consequendam, quantam homines rebus perituris, immò & peccaminosis procurandis, adhibent? Jam si quis ex his principiis taxare velit diligentiam debitam, inveniet plerosque à mensura deficere.

Urgetur à paritate diligentiæ quam Matres adhibēt in filiis curandis.

57. Assumat quis tanto studio curandam esse animam, quanto matres curant filios, quos diligunt. Quis taxationem hanc nimiam esse cum fundamento dixerit? Cardinalis Pallavicinus *tom. de Act. hum.* hoc pacto taxasse videtur diligentiam pro veritate scienda. Rem exponit exemplo Patris absentis, sed solliciti de valetudine filii graviter ægrotantis. Rescire potest hic pater multis viis salutem filii. Primò ex rumore incerto; secundò ex dicto extranei, quem vix novit; tertiò ex relatione personæ notæ, sed cui parum fidei tribuit, vel quia novit eum solere sine fundamento sufficienti alios consolari, vel quia dubitat, an ille statum filii sufficienter nôrit, &c. Demum accipit nuncium talem, ut prorsùs quiescat cura paterna, quæ per priores relationes quiescere non poterat. Jam quando hoc postremo modo res animæ tuæ novisti, quiescere potes, & error, si irrepat, erit invincibilis. Extraneus certè, qui ægrotum non diligeret, nullo negotio primo rumori fidem daret, & sic facilè falleretur, & erraret, sed error ille ex defectu amoris & curæ proveniret. At error in casu nostro ex defectu amoris & curæ causatus non excusat. Certè multis opinionibus, multisque hominibus circa res animæ fidimus, in quibus pater ille, de filii incolumitate sollicitus, non quiesceret. Ergò si in illis quiescamus, id oritur ex defectu amoris & curæ. Ergò ex defectu diligentiæ. Ergò si erremus, error erit imputabilis.

Alia paritas.

58. Cæterùm quamvis diligentia debita dicatur debere esse similis illi, quam matres habent erga filios dilectos, nil adhuc determinatè dicitur, in quo quiescere possimus, quia & Matres ipsæ inæqualiter filios diligunt. Aliæ segnes sunt, aliæ nimiæ. Aliæ mediam viam incedunt, sed inæqualiter sollicitæ sunt, quia inæqualiter diligunt; justus enim amor filiorum non consistit in indivisibili. At quis gradum infimum aut supremum absolutè determinare poterit? Nemo fundatè, ut meritò quiescat intellectus.

59. Addi possunt exempla alia, nempe avarorum, & eorum qui turpes amores sectantur. Quanta horum cura, ut ad præfixum finem pertingant? Anne minor diligentia à nobis exigitur, ut Dei legem sciamus, & impleamus?

Idipsum aliis exēplis urgetur: item ex S. Scriptura.

60. Quod si hæc cura dicatur nimia & exorbitans, dicamus, tantam à nobis ad scienda Dei mandata diligentiam requiri, quantam boni Mercatores, boni judices, boni Magistri, boni discipuli ad res suas procurandas adhibent. Jam horum diligentia non est par. Quis autem statuere poterit, quænam præcisè sit necessaria? Hoc solùm fundatè dici potest, nos in lege Dei scienda implendaque diligentissimos esse oportere. Certè Sacra Scriptura ad tantam nos cogit diligentiam, quantam ille adhibuit, cui dicere licuit. *Quomodò dilexi legem tuam? Tota die meditatio mea est.* Inde prudens factus est, & super docentes se, ac etiam super senes intellexit, quia mandata quæsivit. *Eccli. 6. Fili, à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius, &c.* Ecce magnâ diligentiâ incumbendum est, ut Dei lex sciatur; sed quanta illa? Hoc nescitur. Labor rusticorum, mercatorum diligentia, Matrum cura ac sollicitudo speciem quandam præ se ferunt; sed, an illa sit sufficiens, aut an major diligentia pro scienda Dei lege requiratur, incertum. Ita Celladeus §. 4.

61. Respondeo, hæc omnia aptè afferri, ut stimulemur ad legem Dei diligentissimè quærendam & implendam, quia hoc omnium negotiorum maximum est, & cætera comparatione istius nullius sunt momenti. Sed hoc non quæritur in præsenti: sermo enim non est de diligentia, quæ ex consilio proponitur, sed de diligentia, quæ præcipitur, & quæ si omittatur, peculiare peccatum incurritur; quod certè non incurritur, quando diligentia ex consilio tantùm proposita omittitur, quamvis talis omissio aliquando per accidens sit occasio alicujus peccati, quòd patratum non fuisset, si talis diligentia præmissa fuisset. Hoc totum evidenter apparet in diligentia servandi præcepta Dei jam nota. Ut quis castè vivat, aut ut alia Dei præcepta custodiat, strictè solùm obligatur vitare proximam occasionem violandi legem, adeo ut, si in talem occasionem se conjiciat, per hoc ipsum peccet peccato peculiari contra diligentiam debitam, quamvis per accidens impediatur, quò minùs peccatum, in cujus occasionem proximam se injecerat, non committatur. In aliis casibus, peccat quidem, si labatur, sed peccato contra illud præceptum, non peccato peculiari contra diligentiam procurandi vitam æternam.

Alia diligētia est consilii, alia de præcepto.

62. Jam si quis afferret istas ponderationes, ad probandum, diligentiam pro lege Dei implenda debere esse maximam; & consequenter nil omittendum, quo observatio legis certiùs impleatur. Is dicet, omnes debere oculos demissos tenere, nec eos in alios, maximè sexûs diversi, conjicere; omnes, quantum possunt, debere se domi tenere, Deique legem meditari, ac summum momentum illius implendæ ante oculos habere: omnes debere jugi æternitatis meditationi incumbere, continuisque precibus, jejuniis, & mortificationibus se totos dedere, ut legem Dei custodiant. Addet, Sacram Scripturam, Sanctorumque exempla, ad istam diligentiam nos provocare. Is quidem boni consultoris partes ageret, quia hæc & plura ex consilio facienda sunt, ut salutem æternam in tuto ponamus. Sed si prætenderet, hæc omnia ex præcepto deberi, neminemque quidquam eorum sine peculiari negligentiæ peccato omittere, haud dubiè imperitum Theologum, & pessimum legis interpretem ageret. Constat siquidem communitatem fidelium talis præcepti incapacem esse, legemque, quæ omnia perfectissima præscriberet, fore pessimam, cùm continui peccati causa existeret.

Celladeus obtrudit cōsilia tanquam præcepta.

63. Hinc sic arguo: sicut constat, extraordinariam istam diligentiam non requiri ex præcepto, ut lex Dei scita integrè custodiatur, quamvis illa ad eam servandam maximè conducat, immò quamvis multi ob defectum hujus diligentiæ eam sæpe prævaricentur; ita pariter constat, diligentiam tantam ex præcepto non requiri ad legem Dei sciendam, nec aliam quàm mediocrem universaliter cadere posse sub præcepto, quia si major ex præcepto esset necessaria, lex illam præscribens esset noxia, nec à Communitate fidelium moraliter ferri posset. Præterea, nónne absurdissimum est dicere, neminem ex iis, qui mediocrem ad legem Dei sciendam, omniaque ejus præcepta per talem diligentiam cognita integrè servanda, conatum adhibent, atque illa de facto integrè custodiunt; neminem, inquam, illorum ex defectu diligentiæ debitæ legem custodire, sed omnes tales in continuo peccati ac damnationis statu versari. At ex præscripto Celladei omnes tales in statu peccati versantur, quia nemo illorum adhibet diligentiam, quam ille strictè præceptam ac necessariam esse præscribit. Jam certò constat, plurimos ex omni hominum genere reperiri, qui per mediocrem illam diligentiam præcepta integrè custodiunt, nec tamen totâ die meditātur legem Dei, aut instar arantis & seminantis laborant, ut præcepta custodiant, &c. Constat ergò Celladeum errare, dum dicit, *Sacram Scripturam ad tantam nos diligentiam cogere, quantam ille adhibuit, cui dicere licuit: Quomodò dilexi legem tuam? totâ die meditatio mea est, &c.* Ex Sacra Scriptura constat quidem, nos diligentissimos esse debere, ut salutem in tuto ponamus, sed ex Sacra Scriptura non constat, diligentiam ex peculiari præcepto adhibendam esse debere summam; immò oppositum constat, cùm lex Dei sit facilis, & mandata ejus gravia non sint, sed à mediocriter conantibus custodiri possint. Essent autem moraliter inobservabilia, si diligentia illa summa ex præcepto necessaria esset.

Lex nimiā præcipiens diligētiam, noxia esset.

Lex Dei suavis est.

64. His in genere dictis, per quæ argumentum planè dissolvitur, aliquid ad singula capita adjungam, ut in omnibus Lectori plenè satisfaciam. Inprimis ergò, dictum illud Salvatoris, *Quid prodest homini, &c.* sicut & illud Pauli, *Humanum dico. &c.* rectè probant obligationem servandi legem Dei esse maximam, omnibus rebus præponi debere; item probant, magnam diligentiam adhibendam esse ad sciendam & servandam Dei legem; sed an ea ex consilio vel ex præcepto adhibenda sit, nullatenus determinant. Cæterùm ego existimo, omnes, qui mediocrem animæ curam gerunt, per quam à peccatis gravibus se continent, omnibus pensatis, longè majorem diligentiam adhibere pro æternis, quàm pro temporalibus. Ratio est, quia omnes isti concupiscentias suas crucifixerunt, & in continuo bello spirituali, in quo caro semper concupiscit adversus animam, superiores evaserunt. Præterea temporalia omnia præ æternis contemnunt, atque omnem temporalem sollicitudinem æternis bonis acquirendis subordinant, quatenus per rectam intentionem ad finem ultimum obtinendum illam ordinant. At nemo ex talibus tantum facit pro temporalibus. Immò mediocris hæc proborum cura matrum diligentiam non modò æmulatur, sed superat, quia spiritualium procuratio fit, renitente naturâ, & contra varias tentationes, quibus ad procuranda naturæ commoda etsi prohibita provocamur. At cura matrum est juxta naturæ impellentis stimulum, & propterea minoris laboris opus est, quàm mediocris æternorum amor & procuratio.

Singulis objectionis partibus sigillatim satisfit.

65. Jam in taxanda magnitudine laboris ac diligentiæ, non solùm attendendum ad res quæ fiunt, sed etiam ad modum quo fiunt: si enim res fint secundùm genium ac instinctum naturæ, illæ absque magno labore ac difficultate, & quodammodo sponte fiunt. At si ea facienda sint, contra quæ natura reluctatur, continua violentia ad ea perficienda requiritur. Unde fieri poterit, ut majori labore ac diligentia opus sit ad pauciora & minora istiusmodi præstanda, quàm ad plura & majora prioris generis perficienda. Et sanè hic est casus noster, ut patet. Unde infero mediocrem æternorum diligentiam verè esse majorem diligentiâ, quâ probi temporalibus attendunt, & quam matres ipsæ erga filios exhibent, quamvis in teneritudine ac promptitudine animi, sicut & in majori temporis continuatione & frequentiori operum repetitione cura matrum & aliorum excedat diligentiam, quam probi

Mediocris æternorum diligētia est major diligentiâ matrum in filios, aut proborum hominum circa temporalia.

probi ad æterna procuranda communiter adhibent. Verùm Celladeus hæc confundit, & quia excessum magnum ex ista parte latentem vidit, putavit curas ac diligentias istas esse incomparabiliter majores illis, quas mediocriter boni pro æternis acquirendis adhibent. Sed in omnibus fallitur.

66. Ad exemplum patris de filii sanitate soliciti, fateor nos aliquando doctoribus & opinionibus fidem dare in rebus ad animam spectantibus propter motivum minus illo, in quo solicitudo paterna quiescit. Ratio est, quia solicitudo paterna ob priora testimonia non quiescit, quia scit se posse habere certiorem informationem, eamque expectat, & propterea, donec ista venerit, non quiescit. Præterea finis, quem intendit, est sanitas filii, de qua certificari non potest, nisi per attestationem moraliter certam. Non ergò quiescit, donec talem informationem accepit. At nos opinioni Doctorum minùs certæ oppositis de causis acquiescimus. Inprimis meliorem ac certiorem sperare non possumus: à quo enim illam accipiemus? Deinde fine certiore illa cognitione finem nostrum adipiscimur; quia scimus talem persuasionem, utpote optimam quam habere possumus, sufficere ad peccatum arcendum, & honestè operandum, qui est finis, quem respicimus.

Disparitas prima inter casum nostrû & Celladei exemplum de patre respectu filii.

67. Et hoc quidem verum est, si sermo sit de opinione directâ, quam de rebus ipsis secundùm se formamus; nam si loquamur de benignâ sententiâ, & de motivis, ob quæ judicamus talia, omnibus inspectis, esse licita, longè majus fundamentum habemus ad quiescendum in illa opinione, quàm pater ille habet ob nuncium, in cujus verbo solicitudo de filio quiescit. Et proptereà ex concessis à Celladeo inferimus, nos in illa prudenter quiescere, & errorem, si quis irrepat, esse invincibilem. Verùm invincibilis etiam est error in primo casu, quia homo fecit optimum, quod potuit ac debuit, ut veritatem inveniret. Ergò cùm ex motivo certò prudenti credit se eam invenisse, error, si fortè irrepserit, ei imputari non potest.

Disparitas 2.

68. Ad ultimum, fateor diligentiam sufficientem adhibendam esse, nosque directè & absolutè non posse certò determinare, quænam sit diligentia præcisè sufficiens ac necessaria, quia transitus à magno ad parvum non est certò discernibilis à nobis. Cæterùm scimus, diligentiam necessariam non esse eximiam illam, quam Celladeus proponit, nec posse esse nisi mediocrem, cujus scilicet ferendæ communitas fidelium est capax. Posuimus autem regulas, ex quibus scire possumus, quæ sit quæ non sit sufficiens diligentia. Et quidem Suarez, expressè ait, regulas, quas affert, esse certas pro foro interno. Sed hoc Suarii dictum Celladeus omittit, quia contra ipsum facit: primum autem Suarii dictum, *quòd regula certa in materia præsenti sit sufficiens diligentia adhibita vel omissa*, magnificè extollit, quia id sibi favere arbitratur. Verùm hoc est Lectori illudere; est enim solùm apparenter stare auctoritati Suarii, quia est illam approbare, quando favet, & quando adversatur illam respuere. Si enim illi standum est, æquè in utroque standum est, cùm in utroque casu dicat, rem esse certam. Demum diligentia, quam omnes, qui legem Dei servant, adhibent, non solùm comparanda est cum illa boni Magistri, boni judicis, boni discipuli; sed absolutè præferenda, quamvis in suo genere sit solùm mediocris, ut satis constat ex dictis.

Ultimæ instantiæ de mensura diligentiæ adhibendæ satisfit.

69. Hactenus examinavi, quæ Celladeus de ignorantiis pertractat *lib. 1. partis 2.* quæque ipse maximè fundamentalia habet, illiusque errores ac æquivocationes in multis detexi. In reliquis, quæ veri speciem obtinent, ostendi ea benignæ sententiæ non modò contraria non esse, sed in omnibus cum illa rectè cohærere, eamque potiùs confirmare quàm refellere. Spero autem fore, ut si reliqua secundæ partis hujus Auctoris ad manus alicujus Theologi cordati pervenerint, diligenter ea examinet, atque illa, si istis meliora non invenerit, solidè confutet; id enim bono publico, pacique animarum maximè proficuum arbitror. Ego omnia quæ ad meas manus venerunt plenè examinavi, nisi fortè nonnulla, quæ ad intentum principale non faciebant, ut suis locis indicatum est. Eadem de causa omitto ea examinare, quæ habet *quæst. 14. 15. & 16.* hujus primi libri, quia ad quæsitum principale de licito probabilium usu non restringuntur, sed ad alias materias excurrunt.

70. Quæstione 14. proponit plura Auctorum placita circa res, quas homo invincibiliter ignorare potest; eoque collimat, ut ostendat hoc ex ipsis objectis, eorumque materia, sive facili sive difficili, determinari non posse. Qua in re ita se gerit, ut omnia incerta relinquat & dubia, inclinando semper ad rigorem, & contra communem hujus sæculi Auctorum opinionem contendendo, ignorantiam juris naturalis numquam esse invincibilem; juris autem divini positivi, aut semper aut ferè semper esse vincibilem. Inter cætera absurdum reputat, omnes ignorantias de illis objectis esse invincibiles, de quibus gravissimi Doctores discrepant. Sed aliud in contrarium non affert, quàm quòd sæpe ostenderit, talem auctoritatem ad invincibilitatem ignorantiæ non sufficere, alioquin quivis Doctor gravis esset certa & infallibilis regula non peccati: sed quàm inanis sit hæc ratio, quamque ab omni veritatis specie aliena, fusè demonstratum est *quæst. 14.* ubi mirabile hoc ejus paradoxum funditùs eversum est. Similiter ibidem ostendi, nullum privatum Auctorem esse infallibilem regulam non peccati, sed ad hoc multa præter illius auctoritatem requiri, quæ ibidem exposita sunt.

Alius Celladei conatus ostenditur inanis.

71. Cæterùm nil clariùs videtur, quàm ea invincibiliter ignorari, circa quæ præstantissimi Ecclesiæ Doctores dissentiunt, & post omnem diligentiam ac studium dissentire pergunt. Quomodò enim superari potest ea ignorantia, quam tanta scientia, tanta diligentia, studium tantum superare non potuit? Nec recurras ad emundandi conscientiam, Deumque orandi necessitatem, &c. ista enim haud dubiè plurimi illorum Auctorum præstiterunt in gradu longè excellentiori, quàm sub præceptum cadat. Hoc tamen non obstante, Sanctissimi quique doctissimique Auctores, Thomas, Bonaventura, Raymundus, Antoninus, aliique, de eisdem contradictoria docent. Ergò alterutri errant. Ergò vel peccant errando, vel invincibiliter errant. At dicere quòd in eo peccârint, ad quod tota Celladei disputatio collimare videtur, est adeo absurdum, ut à nemine tolerari possit. Ergò ignorantia in talibus, & universim in hinc inde certò probabilibus est invincibilis.

Luculentum ignorantiæ invincibilis indicium.

72. Et sanè nisi ita esset, nemo Theologiæ, nemo Jurisprudentiæ, nemo Medicinæ, aut aliis artibus ejusmodi, nisi stultè operam navare posset. Si enim post studium diuturnum ac diligens, immo post Sacramentorum frequentiam, ac non

Celladei sententia de ignorantia invincibili Reipublicæ perniciosa; immo & Celladeo ipsi.

ac non exiguam Deum orandi colendique diligentiam, omnis error esset vincibilis ac ad peccatum imputaretur, stultus esset, qui talibus officiis ac studiis se occuparet. Nemo enim esset, qui in multis non peccaret, cùm nemo non in multis à veritate aberraret. Nec oppositum prudenter sperari posset. Quæ cùm ita sint, mirum est, quòd Celladeus umquam ausus fuerit opus suum edere, cùm in omnibus fermè communes omnium opiniones impugnet, & ex propriis principiis peccet si erret, quia vincibiliter errat. Sed videris ipse, quomodò de hoc Deo responsurus sit.

Differentia inter opiniones directas & sententiam benignam reflexam.

73. Quòd si quis adhuc dubitet, an directæ Doctorum dissentientium opiniones sint invincibiles, eò quòd rem quasi dubiam relinquant, &c. adhuc certè nulla esse poterit ratio existimandi, benignam sententiam reflexam, quæ objecta illa hinc inde probabilia in ordine ad novas circumstantias considerat, aut falsam esse, aut errorem vincibilem continere. Inprimis veritas ejus post omne studium, ab omnibus omnino Ecclesiæ Doctoribus per integrum sæculum tradita fuit. Nec de hoc ullum est dubium. Quin & Celladeus hac ipsa *quæst. 14. § 2.* hæc habet. *Profectò in doctrina fidei ac morum fieri nequit, quòd Doctores omnes Ecclesiæ, etiam unius ætatis, errent, & tamquam certam saltem tradant doctrinam falsam.* Cùm ergò constet, omnes Ecclesiæ scriptores per integrum sæculum docuisse usum etiam minùs probabilium esse licitum, & de usu probabiliorum id à fortiori dixerint, immò illud ut certum proposuerint (multi enim id de æquè, ac minùs probabilibus tradiderunt, dicentes rem esse certissimam) ex hoc ipso veritas talis sententiæ, ejusque invincibilitas tam clarè & efficaciter probatur, ut à nemine in dubium meritò revocari possit. Jam quæcumque Celladeus ponderat, quæcumque in toto opere maximè efficacia putat, nil prorsùs conducunt ad ostendendum hanc sententiam falsam esse, & multò minùs eandem, si in illa erremus, esse vincibiliter erroneam.

Synopsis sensus Celladei in quæstione sua 15.

Quæstione 15. quærit, an peccatum ignorantiæ tolli possit, ipsâ ignorantiâ non ablatâ. Statuit autem cum communi opinione id posse simpliciter fieri, & nonnullos casus affert, in quibus id certum esse videtur. Verùm meo judicio nimis propendet ad partem arctiorem, quatenus omnia in dubium revocare conatur; quasi verò, nulla rationabilis regula statui posset, ad discernendum, quando peccatum, manente ignorantia, tolli possit. Plura etiam congerit circa obligationem Confessariorum & aliorum non celandi veritatem, quando pœnitens versatur in ignorantia sive vincibili sive invincibili legis. Pauca ex omnibus, quæ affert, mihi videntur probanda; ea tamen non examino, quia ad præsentem controversiam propriè non spectant.

Synopsis quæstionis ipsius 16.

Demum *quæst. 16.* contendit plurima dari ignorantiæ peccata, idque non solùm intra Paganos, Mahumetanos, omnisque generis Hæreticos, sed etiam inter Catholicos ipsos, de quo dubium nullum est. Causas etiam enumerat, propter quas ignorantia fieri voluntaria, & ignorantiæ peccatum incurri potest. Verùm in omnibus his multa habet, quæ limâ indigent, quam ego tamen hîc versare nolo, ne extra controversiam, quam examinandam suscepi, excurram. Itaque nil superest, nisi ut ex ipsis Celladei principiis ostendam, usum benignæ sententiæ esse licitum, nosque in ea sectanda à peccato esse immunes. Hoc autem per modum corollarii brevissimè præstare conabor, & sic finem scribendi faciam.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-OCTAVA.

Utrùm ex ipsa Celladei doctrina veritas benignæ sententiæ efficaciter stabiliatur?

Irritus Celladei conatus ostenditur.

1. HACTENUS examinavi universa Celladei fundamenta *de recta Doctrinâ morum*, in quibus tam longè abest à confutatione benignæ sententiæ, quàm propè existimat se metam attigisse. Pluribus in locis demonstrationes jactat; alibi argumenta sua tanquam insolubilia proponit; uno verbo, ubique fermè triumphum canit. Sed ego, loco demonstrationum, & argumentorum insolubilium, vix aliud quàm contradictiones, aut æquivocationes, vel argumenta de subjecto non supponente procedentia reperi, nec ullum librum Catholici scriptoris unquam legi, in quo tam parum veritatis inveni. Ex tota enim dictorum multitudine, vix paucas propositiones fide dignas observavi. Verùm illæ nostræ sententiæ non obsunt. In reliquis falsitatem detexi, & ni fallor, eam aliis etiam conspiciendam proposui. Meum non est hoc ex sensu meo exaggerare, sed merè proponere; nam an verum dicam, impartialis Lectoris judicio relinquo. Tantùm enim abest, ut suis argumentis, undequaque congestis, benignam sententiam labefactârit, ut illam potiùs plurimùm illustrârit, uti constat ex iis, quæ in ejusdem stabilimentum partim ex eo, partim contra illum protulimus. Itaque, ad complementum operis mei, ac ad intentum meum undique explendum, aliud non superest, quàm ut veritatem benignæ sententiæ ex ipsius etiam principiis ac doctrinâ, directè, clarè, atque efficaciter, sed breviter, atque per modum Corrollarii convincam, eò quòd similia in anterioribus fusiùs dicta sint. Hoc ubi hâc finali quæstione præstitero, finem scribendi faciam. Sit ergò

ASSER-

ASSERTIO UNICA.

¹ Primaria Celladei doctrina convincit, universalẽ probabilium usum esse licitum.

Primaria Celladei doctrina, ad quam reliqua omnia referuntur, apertè convincit, universalem omnium practicè probabilium usum esse licitum.

2. PROBATUR. Primaria Celladei doctrina, toto hoc opere tradita in eo sita est, quòd opinio verè probabilis, sive sit intrinsecè probabilis sive extrinsecè, ad conscientiam ritè formandam sufficiat, saltem si accipiatur cum onere, scilicet ut quando aliquid in contrarium affertur, diligenter inspiciamus, an exceptio illa meritò locum habeat. Si habeat, pars tutior tenenda est: si non habeat, licitum est formare conscientiam secundùm opinionem illam probabilem, atque secundùm eam operari. In hoc enim casu vel errat, vel non errat intellectus: si erret, errat invincibiliter, & homo ab omni peccato excusatur: si non erret, non solùm à peccato liberatur, sed etiam honestè operatur. Hæc est regula morum, quam proponit, immò hæc est doctrina, quam *rectam Doctrinam morum* Celladeus nominat, & ad quam stabiliendam opus totum direxit. Ex hac illius doctrina fundamentali sic discurro.

3. Qui sequitur opinionem extrinsecè probabilem, atque secundùm illam format conscientiam, non peccat, secundùm Celladeum, saltem si subeat onus, quod ipse requirit. Sed sententia benigna est opinio extrinsecè probabilis. Ergò qui sequitur benignam sententiam, & secundùm illam conscientiam format, non peccat, saltem si onus à Celladeo propositum subeat. Major est primaria ejus doctrina. Minor est indubitata, quia omnis opinio, quæ nititur auctoritate plerumque non fallente, est probabilis extrinsecè, ut ipse, & omnes docent; hæc enim est definitio probabilitatis extrinsecæ, ut patet. Sed benigna sententia nititur auctoritate plerumque non fallente. Omnes enim omnino, solo Celladeo excepto, in eo conveniunt, quòd licitum sit sequi opinionem probabiliorem, ut vidimus. Quod autem pertinet ad opinionem directè loquendo solùm æquè aut minùs probabilem, omnes Ecclesiæ Doctores per integrum sæculum expressè docuerunt, usum illius esse licitum, & omnes adhuc, pauculis demptis, etiam post præsentem controversiam exortam & continuatam, id ipsum tradunt. Et quidem tam doctrina & probitas, quàm numerus Auctorum benignæ sententiæ longissimo intervallo superat quidquid auctoritatis hactenus pro sententia rigida afferri potuit, ut fusè demonstratum est *quæst. 22. de Conscientia probabili*. At clarum est auctoritatem talem plerumque non errare, quia unanimis, aut certè communissima omnium fermè ac omnium omninò præstantissimorum Auctorum auctoritas plerumque non errat. Ergò benigna sententia nititur auctoritate plerumque non errante. Ergò est probabilis extrinsecè. Ergò qui sequitur illam, atque juxta illam format conscientiam, non peccat; saltem si subeat onus, quod Celladeus requirit. Sed nos hoc onus subivimus. Omnia enim olim contra eam proposita, in tractatu *de Conscientia probabili* examinavi, & quæ est Dei providentia atque veritatis conditio, ea non solùm non expugnare, sed potiùs confirmare benignam sententiam reperi, ut ex toto illo tractatu constat. Postea Celladeus integro volumine, rationibus undecunque magnâ ingenii vi repertis ac congestis, contra benignam sententiam insurrexit. Periculum deceptionis & erroris inculcavit; nil tutum fore, nisi rationes ipsius priùs examinarentur & insufficientes invenirentur, non tam edixit, quàm comminatus est. Hoc opus totum evolvimus, nil momenti aut dignæ exceptionis in eo invenimus, sed plura notavimus, ex quibus benigna sententia multò fortiùs stabilitur, quàm impugnatur. Rationes ipsius invalidas, nostrorum argumentorum impugnationes nullas esse comperimus. Ergò onus ab ipso requisitum subivimus, & post omnia examinata veritatem benignæ sententiæ fixam & inconcussam esse perspeximus, idemque omnibus conspiciendum proposuimus. Ergò si benignam sententiam sequamur, & juxta eam conscientiam formemus, ex ipsa Celladei doctrina perspicuè tuti sumus, & ab omni imputabilis peccati periculo immunes.

4. Idipsum aliter etiam probatur de singulis particularibus hominibus, maximè de rudibus, qui eorum directionem sequuntur, quos sibi propositos habent, & contra quorum sufficientiam non habent exceptionem rationabilem. Sic enim arguo. Qui sequitur auctoritatem plerumque non fallentem non peccat: sed rusticus, sequens Parochi seu Præpositi sui resolutionem, sequitur auctoritatem plerumque non errantem; constat enim tales homines plerumque non errare. Ergò rusticus sequens resolutionem sui Parochi non peccat. Idem valet respectu omnium qui aliorum auctoritate gubernantur; illi enim sequuntur regulam plerumque non errantem, maximè si contra sufficientiam sui Præpositi rationabilem exceptionem non habeant. Ergò tuti sunt ex principiis Celladei, qui tamen toto opere ita loquitur, ac si minimè tuti essent.

5. Jam verò quod attinet ad onus ab ipso prætensum, illud locum non habet respectu idiotarum & rudium, quia ipsorum non est discernere, utrùm Parochus hîc & nunc erret, vel non erret; non enim capaces sunt ad hoc præstandum, quique hoc ab illis requirit, impossibile exigit. Præterea, Celladeo fatente, sufficiens diligentia adhibita ab eo, qui capax est, eum excusat. Ergò impossibilitas rem examinandi rusticum excusat, quia uterque ex æquo fecit quod potuit ac debuit. Ergò uterque ex doctrina Celladei excusatur. Itaque si Parochus teneat benignam sententiam, atque ex illa suum populum dirigat, per hoc ipsum locus datur usui benignæ sententiæ in tota sua latitudine, idque absque peccato, aut peccati imputabilis periculo.

Onus quod Celladeus proponit locum non habet in rudibus.

6. Atque hinc iterùm à potiori benigna sententia confirmatur; quia si auctoritas Parochi aut cujusvis Præpositi sufficiat subditis ad conscientiam ritè formandam, quando nulla rationabilis exceptio contra illorum dicta apparet; quomodo Auctoritas benignæ sententiæ, id est, Auctoritas & unanimis consensus omnium fermè Auctorum ad conscientiam debitè formandam non sufficiet? Profectò talis Auctoritas rarò aut nunquam errat, maximè in rebus ad jus naturæ pertinentibus, qualis est præsens quæstio reflexa. Ergò tutò stamus tantæ Auctoritati, maximè postquam examinavimus omnes exceptiones in contrarium, easque invenimus esse prorsùs insufficientes & nullas. Ergò usus benignæ sententiæ licitus est juxta doctrinam Celladei. Ex

Auctoritas favens benignæ sententiæ convincit ejus usũ esse licitũ.

dei. Ex quo iterum constat, eum in toto tractatu inconsequenter fuisse locutum, atque in ordine ad finem à se intentum frustra laborasse.

Celladeus in ordine ad finem à se intentū frustra laboravit. Sed nō frustra pro benigna sētentia.


7. In ordine, inquam, ad finem à se intentum, quia in illud potissimè collimabat, ut usum probabilium convinceret esse licitum. At hoc non obtinuit, sed oppositum ex primaria & primo intenta ipsius doctrina efficaciter stabilitur. Ergò in ordine ad hoc frustra laboravit. Sed in ordine ad stabiliendam benignam sententiam labor ejus valdè utilis extitit, quia veritatem illius, occasione impugnationis vehementissimæ, per accidens illustriorem reddidit, eò quòd ansam præbuerit profundiùs examinandi principia quibus nititur, ex quorum inspectione & veritas ipsius, & nullitas eorum, quæ contra illam objecta sunt, clariùs quàm antè patuerunt.

Rogatur Celladeus ut impugnationem sui libri æqui consulat.

8. Itaque ex hoc capite gratias tibi agimus, Celladee, Teque hac occasione rogo, ut impugnationem hanc æqui boniquc consulas, nec ægrè feras, me contra Te scripsisse: hoc enim feci, tum ut communem omnium Auctorum, quos grandis periculi reos fecisti, causam agerem, illosque ab accusationibus tuis vindicarem; tum ut materiam hanc priùs à me vulgatam hâc secundâ scriptione perficerem, atque doctrinam ibi traditam ab iis, quæ Tu & quidam alius Theologus in eam objecistis, defenderem. Hoc autem me solatur, quòd sciam, me cum Theologo ingenioso ac docto congressum habuisse, qui proinde meritò præsumi potest impugnationem haud ægrè laturus, cùm sit conscius, se complures, atque omnes fermè Ecclesiæ Theologos integro volumine impugnasse. Proposui, Celladee, contra te, quæ mihi in libro tuo visa sunt notâ ac correctione digna; & metuo, ne plura in opus hoc meum, à Te & fortasse ab aliis etiam haud probanda sed notanda, congesserim. De illis non solùm patienter, sed, Deo dante, libenter à Te, & à quovis me admoneri patiar. Homo sum, nil humanum à me alienum puto. Si ergò quidquam consonè ad pietatem, ad fidem orthodoxam, ad bonos mores ad rationem rectam, à me dictum fuerit, id totum Deo, ejusque gratiæ adscribo. Si verò in aliquo, sive in paucis sive in multis, ab istis deflexi, si alicubi erravi, id totum mihi, ac imperfectioni meæ adscribo: nec ascribo tantùm, sed totum id, & omnia opera mea tam scripta, quàm scribenda, sapientûm correctioni, sed, ante omnia, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Summi Pastoris, eorumque, quos ipse ad talia deputavit, censuræ ex animo submitto; tibique etiam Celladee, ex sincerissimo affectu valedico: sed hoc Te admoneo, ut seriò cogites, quàm periculosum sit in rebus moralibus à communi sapientûm, imo Auctorum omnium aut fere omnium opinione recedere. Dolendum sanè est, Te, in rebus tam periculosis, eximia talenta tua, doctrinam, eruditionem, subtilitatem; vivacis ingenii eloquentiam impendisse. Cogita quantum utilitatis Ecclesiæ, quantum commodi proximo, quantum etiam gloriæ Tibi ipsi pareres, si calamum & industriam ad communes morum ac fidei opiniones elucidandas addiceres. Hoc mihi semper hæret in corde, tritam Catholicorum Doctorum viam, communesque & unanimes Doctorum, tam in materia fidei quàm morum, opiniones esse tutissimas. Ergò has sequamur ad bonum proximi, sed potissimè ad laudem Summi Dei, cujus honori omnes meos labores omnemque industriam devotissimo affectu dedico.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM, QVÆ IN VTRAQVE HUJUS OPERIS PARTE CONTINENTUR.

Celladei

CERTITUDO.

CERTUM.

CHARITAS.

COGNITIO.

CONCILIUM BASILEENSE.

CONFESSARIUS.

CONFESSIO.

CONSCIENTIA.

CONSILIUM.

CONTRADICTIO.

CONTROVERSIA.

CREATURA RATIONALIS.

CURIOSITAS.

D.

DEUS.

DICTAMEN.

DISPENSATIO.

DOCTOR.

DOCTRINA.

DUBITARE, DUBIUM &c.

E.

ECCLESIA.

EPIIKIA.

ERROR, *vide* IGNORANTIA.

ESPARZA.

EXCOMMUNICATIO.

EXEMPLUM.

F.

FIDES.

FILIUS.

G.

GENTILES.

GUIMENEUS.

H.

HÆRESIS.

HÆRETICUS.

I.

IDIOTA.

IGNORANTIA, *vide* ERROR.

INADVERTENTIA, *v.* ADVERTENTIA.

INFALLIBILITAS.

INTELLECTUS.

JUDEX.

JUDICIUM.

Quod-

JUS CANONICUM.

JUSTITIA.

L.

LEGISLATOR.

LEX.

LIBERI.

LIBERUM. LIBERTAS.

LIS.

LUTHERUS.

Aa

S. PAULUS.

PECCATUM, PECCARE.

PELAGIANI.

PERICULA.

POENITENS.

POENITENTIA.

PONTIFEX ROMANUS.

POSSESSIO, POSSESSOR.

PRÆCEPTUM.

PRÆSUMPTIO.

PROBABILE, *v.* OPINIO PROBABILIS.

Utrùm

RELIGIOSI.

REVISOR.

S.

SACRAMENTUM.

SANCTI.

SENTENTIA BENIGNA. *vide* OPINIO PROBABILIS.

SENTENTIA RIGIDA.

SOCIETAS JESU.


SOPHISMA.

SUBDITUS.

Idem

VOTUM.

FINIS.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

JOANNIS MATHIÆ HOVII.

Superiorum permissu.

624